FIDEI CATHOLICAE DIGESTUM SINGULA EIUS DOGMATA, ET...

François m. 1666 ca Carrière, ...




37
46 F
10

FIDEI CATHOLICÆ DIGESTVM,

PROFESSIONIS EIVSDEM FORMAM A CONCILIO TRIDENTINO EXPRESSAM.

IVXTA SS. PATRVM, ET CONCILIORVM DOCTRINAM EXACTE' DECLARANS.

AVCTORE

R. P. F. FRANCISCO CARRIERE,

Aptensi Minorita, Doctore Theologo, Pœnitentiario Apostolico, & Regis Christianißimi Concionatore.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

TOMVS II.



LVGDVNI,

Apud Laurent. Anisson, & Io. Bapt. Deuenet.

M. DC. LVII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.



EMINENTISSIMO PRINCIPI

HIERONYMO GRIMALDO

SANCTAE ROMANAE ECCLESIÆ CARDINALI, ARCHIEPISCOPO AQVENSI.



VÆ alios deterruissent, CARDINALIS EMINENTISSIME, *ea ipsa fecerunt vt vir alioqui obscurus auderem te accedere magnis omni parte luminibus coruscantem. Grimalda gens. Metropolitana dignitas. Cardinalitia Eminentia. Christianæ fidei digestam affero Formam.*

Hanc Grimaldi ante omnium sæculorum memoriam habent familiarem & domesticam; neque miror, Christianissimus Rex Principes vestros Monœci pro consanguineis habet.

Hanc Episcopi, & Metropolitani duodeuiginti populis spectandam proponitis & amandam. Tu verò maximè, Aquensium Antistes, qui à Maximino Christi discipulo, veluti per traducem accepisti; ea vero est cardo in quo vertitur omnis Christianorum scientia, virtus, vita, vt iam non familiaris & domestica, sed pro vestro cognomine affinis sit vobis Ecclesia cardinibus.

Hanc septem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales amplissimi.

THEOBALDVS Grimaldi II. Monœci Principis filius tituli Sancti Pammachij creatus ab Vrbano II.

GVIDO Guidonis II. Monœci Principis nepos Cardinalis S. Balbinæ à Paschali II.

LVCAS, eiusmodi Principis nepos Sanctorum Ioannis & Pauli, tituli Sancti Pammachij ab Innocentio II.

MICHAEL Crispinus ex Crispino Ansygotho Grimaldi I. Monœci Principis filio descendens, Cardinalis S. Stephani in monte Cælio à Clemente V.

HIERONYMVS ex Oberto Grimaldo Monœci Principe oriundus tituli Sancti Georgij à Clemente VII.

AVGVSTINVS Grimaldus Princeps Monœci dum Tutor esset Luciani Principis, & Caroli V. hospitio recepti votis nominatus, ab eodem Clemente VII. Cardinalis.

ANGLICVS Grimaldi creatus ab auo suo Vrbano V. antea Guilelmo Grimaldi (quos ex eodem trunco Monœci Principum satos asserunt Litterati) & libentißimè audio ob vtriusque apud Aptenses fœlicem beneficentiæ memoriam; Vrbanus enim Beatum Elzearium Aptæ quiescentem inter Diuos retulit; Anglicus autem Altare maius Seraphici Templi erexit:

Hanc, inquam, septem ij amplißimi Cardinales mirificè sublimarunt, & coram Regibus & Principibus, Principes ipsi nati, commendatißimam & inuiolabilem promouerunt. Tu verò eminentißimè octauus in quo vno Prædecessorum gloria tota collecta, impensiùs, operosiùs & fœliciùs.

Igitur ex innata Grimaldæ Genti serenitate, adnata infulis humanitate, & sacræ purpuræ omnibus affulgente splendore Digestum hoc Formæ Profeßionis Fidei Catholicæ, quæ tot nominibus Eminentiæ tuæ patrocinium inuocat, benignus suscipies, neque sine perspicuo fauore suscipies offerentem, qui iamdudum in amplissimo Metropolitano Saluatoris Templo fungens Ecclesiastis officio Aquenses tuos docuit, iuxta Regij psaltis Psalmum 86. Ecclesiam fundatam in montibus Sanctis, quod non solùm de Apostolis, sed & de eorum condignis Successoribus exponens, de Eminentia & Celsitudine tua prophetauit. Quid ergo dubitem dicere quod Christi primarij fundamenti vices aliquando impleas, sisque ipsius in Vrbe & Orbe Vicarius, ita precatur, ita vouet.

EMINENTIÆ TVÆ

Addictissimus & obsequentissimus
FR. FRANCISCVS CARRIERE

LECTORI


LECTORI BENEVOLO.

PRÆFATIONIS vicem ſat ſupérque agebat Conſpectus Operis, qui Laconicè loquitur magnalia voluminis in XXVIII. Articulorum contextura & ſyſtema methodicum præfert, tamen ne à trito & vulgari Scriptorum tramite deuiem, quinque verba, vt dicebat Paulus, præloquor, & dico Digeſtum iſtud ſumma ſedulitate & ſtudio dogmata Fidei ad normam Theologiæ medullitùs enucleare, & Apoſtolorum Succeſſorúmque (quos non parua ex parte Gallicanæ Eccleſiæ Antiſtites fuiſſe obſeruo) ſacras Inductiones, & religioſos Ritus per traducem ſuſceptos exponere luculenter, ita vt Quadragena Articulorum quos diſtinxit in Forma Profeſſionis Fidei, plus indulgeat pœnæ Lectori, quàm iniuncta carena, aut canonica Quadragena relaxare ſoleat de luendis pœnis pro ignorantiæ peccato. Quæcumque enim circa Chriſtianiſmum à Catholicis proponi ſolent credenda, aut ex iis Orthodoxè eruenda, examinat, & aperta facilíque methodo proponit, vnde vtiliter & ſuauiter Catholiciſmo acquieſcat Profeſſor illius, & de labore noſtro non ignauiter dicat illud Poëtæ.


Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.

Quis enim inficietur vtile, vno in Digeſto infinita propè modum quæ complectitur, eáque inuoluta & profundo inquirenda ſcrutinio, Profeſſionis forma, vno percurrere tenore & continuata ſerie? Quis neget ſuaue & palato mentis gratum eſſe, quæ annoſa viciſſitudo & exigentia temporum in Eccleſiam religiosè & ſanctè ad majorem Dei gloriam induxit, vno quaſi obtutu decurrere & intelligere? quæ nec annua quidem perquiſitione & faſtidioſa lectione variis ex Scriptoribus eruerentur? Quis intertextas miſcellaneas Quæſtiones ſuis expeditas Articulis ad majorem veritatis Catholicæ ſplendorem, ſenſibili cum voluptate non audiat & legat? Quis denique maximum in minimo, & cæleſtia quaſi in puncto includi, non attendat, cum à Minore Conuentuali magnalia Dei & hominum, vno tenore deducta & explicata habeat ad manum.

Profectò ſi Lectoris annuat benignitas, Digeſtum iſtud *Pro terra dat ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos*, Iob.22. & ex Digeſto vertitur in ſuggeſtum Catholicum, à quo quæ Orthodoxæ ſunt fidei dogmata, & Chriſtianæ Religionis arcana, luculenter depromantur. Vale, & Deo conatus meos commenda, mendáque quæ irrepſerunt, perſpicax & benignus emenda.



FORMA
PROFESSIONIS
FIDEI CATHOLICÆ IN QVADRAGINTA ARTICVLOS, IVXTA BVLLAM PII IV. DISTRIBVTA.



GO N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet

I.

Credo in Deum Patrem omnipotentem.

II.

Creatorem Cæli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium,

III.

Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, Et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis: Et incarnatus est de Spiritu-Sancto ex Maria Virgine: Et homo factus est.

IV.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est.

V.

Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas.

VI.

Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris.

VII.

VII.

Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis.

VIII.

Et in Spiritum-Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filióque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Qui loquutus est per Prophetas.

IX.

Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.

X.

Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.

XI.

Et expecto resurrectionem mortuorum.

XII.

Et vitam venturi sæculi. Amen.

XIII.

Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones, reliquásque eiusdem Ecclesiæ Obseruationes & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

XIV.

Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum: Nec eam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.

XV.

Profiteor quoque septem esse Sacramenta verè, & propriè nouæ Legis à Christo Domino instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum.

XVI.

Confirmationem.

XVII.

XVII.

Eucharistiam.

XVIII.

Pœnitentiam.

XIX.

Extremam-Vnctionem.

XX.

Ordinem.

XXI.

Et Matrimonium, illáque conferre gratiam, Ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

XXII.

Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Ritus in supradictorum Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

XXIII.

Omnia & singula quæ de peccato Originali, in Sacro-sancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt amplector, & recipio.

XXIV.

Omnia & singula quæ de Iustificatione in Sacro-sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio.

XXV.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum & proprium Sacrificium pro viuis & defunctis.

XXVI.

Atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi.

XXVII.

XXXVIII.

Fierique conuersionem totius substantiæ Panis in Corpus, & totius substantiæ Vini in Sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

XXXVIII.

Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verúmque Sacramentum sumi.

XXIX.

Constanter teneo Purgatorium esse, animásque ibi detentas Fidelium suffragiis iuuari.

XXX.

Similiter & Sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos.

XXXI.

Atque inuocandos esse.

XXXII.

Hósque Orationes pro nobis offerre.

XXXIII

Atque eorum Reliquias esse venerandas.

XXXIV.

Firmißimè assero Imagines Christi & Deiparæ semper Virginis, nec-non & aliorum Sanctorum habendas, atque recipiendas esse, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam.

XXXV.

Indulgentiarum etiam potestatem in Ecclesia relictam fuisse, & illarum vsum populo maximè salutarem esse affirmo.

XXXVI.

Sanctam Catholicam Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Matrem & Magistram agnosco.

XXXVII.

Romanoque Pontifici Beati Petri Principis Apostolorum Successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro.

XXXVIII.

Cætera item omnia à sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, ac præsertim Sacro-Sancta Tridentina Synodo tradita ac declarata, indubitanter recipio ac profiteor.

XXXIX.

Simúlque contraria omnia, atque Hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas & reiectas & anathematizatas, Ego pariter damno & reiicio, & anathematizo.

XL.

Hanc veram Catholicam fidem extra quam nemo saluus esse potest, in præsenti sponte profiteor & veraciter teneo.
Eandem integram & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè retinere & confiteri, atque ab illis quorum cura ad me in munere meo spectabit teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit curaturum, Ego N. spondeo, voueo, ac iuro.

Sic me Deus adiuuet, & sancta Dei Euangelia.



APPROBATIO

APPROBATIO R. P. Prouincialis, & Commiſſarij Generalis.

FR. Honoratus Montanarq Ordinis Minorum Conuentualium Sancti Franciſci Prouinciæ Sancti Ludouici Miniſter Prouincialis & Commiſſarius Generalis Reuerendo in Chriſto Patri FR. FRANCISCO CARRIERE ejuſdem Prouinciæ Diffinitori perpetuo, & Regis Chriſtianiſſimi Concionatori. Cùm ex *Fide Catholicâ Digeſtum* ſingulare non paruo cum ſtudio & perſpicuitate edideris, grauium ac Doctorum Virorum iudicio recognitum & comprobatum. Hinc eſt quod præſentientes illud honori Dei, Catholicorum confirmationi, Hæreticorum conuerſioni; nec non Seraphicæ noſtræ Religionis ſplendori, plurimùm vtile proficuúmque fore, Prælo mandari præſentium tenore non ſolùm concedimus, ſed etiam præcipimus & mandamus. Sit itaque fidei & ſolertiæ tuæ eius impreſſioni ſedulò & accuratè inuigilare. Datum in Capitulo Prouinciali Inſulæ ſub chirographo & ſigillo noſtro die 20. Ianuarij Anno Domini 1655.

FR. HONORATVS MONTANARQ
Prouincialis, & Commiſſarius Generalis.

APPROBATIO DOCTORVM PROVINCIÆ.

NOs infrà ſcripti Doctores Collegij Romani, & Profeſſores in ſacra Theologia Patres Prouinciæ Sancti Ludouici atteſtamur legiſſe & examinaſſe, *Fidei Catholicæ Digeſtum*, à R P. FRANCISCO CARRIERE ejuſdem Prouinciæ Diffinitori perpetuo editum, quod Typis dignum dicimus, & ducimus, vt pote opus ſingularis eruditionis, quod in omnium manibus cum multa vtilitate Lectorum, & elucidatione veritatis Catholicæ verſabitur. Datum Auenione die 8. Februarij 1655.

FR. ANTONIVS BARRAV.

FR. ANTONIVS PAGY.

APPROBATIO DOCTORVM Parisiensium.

NOs infra scripti in sacræ Theologiæ facultate Parisiensi Doctores fidem facimus nos attentè perlegisse, & sedulò examinasse Digestum Fidei Catholicæ, à Reuerendo P. FRANCISCO CARRIERE Aptense Ordinis Minorum Conuentualium, Doctore Theologo, Regis Christianissimi Concionatore editum: in quo præter non vulgarem styli elegantiam & planam methodum, singulare Authoris ingenium elucet in enodandis difficultatibus, exquisita eruditio in adducendis Sanctorum Patrum testimoniis, in vtroque autem emicat solida doctrina in stabiliendis Fidei Orthodoxæ dogmatibus, & refutandis contrariis erroribus; quapropter in omnium vtilitatem & ædificationem Typis mandandum, & in lucem edendum censemus. Datum Lugduni die vigesima secunda Martij 1657.

FR. PAVLVS LOMBARD
Prior Carmel. Lugdun.
FR. IACOBVS DV CREVX
Minorita.
FR. ARCHANGEL. MOLINIER
Augustinianus.
FR. CYRILLVS MOREL.
Prouincialis Carmelitarum Prouinc. Narbonæ.
FR. PHILIBERTVS PETROT
Guardianus Conuentus S. Bonauent. Lugd.
FR. ALEXANDER RICHARD,
Prior Prædicat. Lugduni.

APPROBATIO VICARII GENERALIS Illustrißimi Archiepiscopi Lugdunensis.

VIsis Doctorum Approbationibus, Nos quoque censemus, Digestum hoc Fidei Catholicæ, à Reuerendo do Patre FRANCISCO CARRIERE Aptense, Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium Doctore, Regis Christianissimi Concionatore conscriptum, Dignissimum esse quod in lucem prodeat, & ideò eius editioni lubenter annuimus. Lugduni die vigesima quarta Martij 1657.

DE NEVFVILLE Abbas S. Iusti
Vicarius Generalis.



PERMISSION.

VEv les Atteſtations cy-deſſus, ie n'empeſche pour le Roy l'Impreſſion dudit Liure intitulé, *Fidei Catholicæ Digeſtum*, auec les deffences en tel cas requiſes & accouſtumées. FAICT à Lyon, ce 24. Mars 1657.

BOVLLIOVD MERMET.

CONSENTEMENT.

SOIT fait ſuiuant les Concluſions du Procureur du Roy. A Lyon, ce 24. Mars. 1657.

SEVE.

ERRATA.

LIceat mihi per humanitatem tuam, Lector Beneuole, iiſdem te comprecari verbis, quibus Sophronius Honorium Imperatorem apud Photium cod. 231. rogat, *Si quid prætermiſſum ſit eorum quæ dici debuerant, vt qui poſſet ea & impleret & corrigeret; habiturum autem ſe magnam gratiam ſi voto non fruſtratus fuerit, & nunquam beneficij immemorem fore.*

In Editione porrò non poſſunt quæcumque humana adhibeatur diligentia non interuenire lapſus aliqui Typorum, præterquam quod me abſente maior pars Operis excuſa eſt, hincque praua paſſim interpunctuatio: interuerſi hallucinante Prælo aliqui Tractatus ad Articulum XXIV. de Iuſtificatione ſpectantes, quod aſſequi potes ex Conſpectu Operis illos ordinatè præferente, Notas Marginales, & Indicem Rerum ſecunda quæ, Deo fauente ſperatur, habebit Editio.

 CONSPECTVS

CONSPECTVS OPERIS.

Duodecim Articulis Symboli Concilij Nicæni expoſitis.

In XIII. Articulo Profeſſionis Fidei, qui eſt de Traditionibus, diſcuſsâ earum doctrina, Hæ ſigillatim enucleantur.

De

De Cantu Ecclesiastico.
De Instrumentis musicis.
De Processionibus.
De Vestiiu Clericorum.
De Cœlibatu Clericorum.
De Beneficiis Ecclesiasticis.
De Decimis.
De Immunitate Clericorum.
De Quadragesima.
De Ieiuniis, & Delectu ciborum.
De Diuerso situ in Oratione.
De Vario ritu sumendi Eucharistiam.
De Peregrinationibus sacris.
De Cœlibatu laïco.
De Obsequiis Fidelium.
De Vnctione Regis Francorum.
De Computo Ecclesiastico.
In Articulo XIV. de Sacra Scriptura, quæcumque de illa quæri possunt resoluuntur.
In septem Articulis de Sacramentis, & octauo de Ritibus eorum, omnia sedulò explicantur.
In XXIII. de Peccato originali Quæstiones temporis discutiuntur.
XXIV. De Iustificatione, omnium latissimus Articulus sua habet hæc accessoria, Liberum arbitrium, Gratiam, Iustitiam inhærentem, Expositionem Decalogi, & Præceptorum Ecclesiæ, cui annexus est Tractatus de Legibus, de Monachismo, eiúsque Priuilegiis. Aduerte hæc transposita fuisse.
In XXV. De Missa Sacrificij Christiani, substantia, & Ritus eius propugnatur.
XXVI. Realitatem præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia declarat.
XXVII. Transubstantiationis difficultates exhaurit.
XXVIII. Communionem sub vna specie rationabiliter inductam probat.
In XXIX. De Purgatorio suffragia pro Defunctis confirmantur.
Articulos IV. habent Sancti, qui de Veneratione, Inuocatione, Intercessione eorum, & cultu Reliquiarum doctrinam Orthodoxam exponunt.
XXXIV. Imaginum sacrarum cultum inducit.
XXXV. Indulgentiarum vsum Christianis salutarem demonstrat.
In Articulo XXXVI. Romana Ecclesia omnium Mater, & Magistra proponitur.

XXXVII. Romani Ponttificis prærogatiuas, debitámque ei obedientiam, & osculationem pedum ostendit, continétque Chronologiam omnium, & formam electionis, agitque de modo canonizandi Sanctos, de Bulla Cœnæ, de temporali Amplitudine Papatus & Cardinalium.

Articulus XXXVIII. Conciliorum Oecumenicorum formam aperit, & Canonum eorum.

XXXIX. Hæreseon omnium per sæcula inductam farriginem recenset, & refellit.

Articulus XL. vltimus Romanam fidem hîc declaratam verè Catholicam, extra quam nulla sit salus ad vltimum vsque vitæ spiritum retinendam profitetur.




DIGESTVM



DIGESTVM FIDEI CATHOLICÆ, SINGVLA EIVS DOGMATA ET RITVS ECCLESIÆ EXACTE DECLARANS.

ARTICVLVS XIII.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas Traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ Obſeruationes & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector.



RÆCIPVA hæc eſt temporis controuerſia aduerſus Catholicos, qui nec tales eſſe, aut cenſeri poſſunt, quin accuratè calleant, quid & credunt, & obſeruant in vim Traditionum, quarum contemptus peſtiliſſima eſt hæreſis funditus euertens fidem Catholicam ipsámque eneruans Scripturam: idque tanto periculoſius, quod ſub prætextu purum, ſolúmque Dei verbum admittendi, (quod expreſſum & ſcripto exaratum dumtaxat agnoſcunt Nouatores) idiotas & minus cautos qui genus à ſpecie diſcernere ſeu diſtinguere non norunt fraudulenter decipiunt, quaſi vero Deus non loquatur nobis, niſi per ſecretariorum calamum? Quaſi vero Angeli non ſint eius nuntij, aut Prophetæ & Apoſtoli multa non retulerint ore & verbo tenus ea ſcriptis non mandantes, quaſi vero Eccleſia vnica Chriſti Sponſa, vnúſque ſpiritus cum ipſo, eodem ſpiritu non animetur, eiuſdémque ore & lingua non loquatur; quaſi vero narratio ſeniorum, de iis quæ credenda & obſeruanda didicerant à Patribus ſuis non dederit intellectum antiquis Dei veri cultoribus, vnde & ipſi in tempore neceſſitatis darent reſponſum, vt docet ſapiens Eccleſiaſt. cap. 8. Quaſi vero Chriſtiana & Apoſtolica Eccleſia, ante noui Teſtamenti & Euangelicæ Scripturæ monumenta Patrem agnoſcere, vocare & honorare neſcierit, cùm tunc maximè in tabulis cordis legem Dei ſolo auditu acceptam haberet, quaſi vero Patres Orthodoxi dogmata aliqua fidei, & plures obſeruationes, & vſus Chriſtianos, de quibus Scriptura nihil habet non induxerint & ſtabilierint ex ipſa quam audierant ab Apoſtolis doctrina: quaſi vero & ipſamet Scriptura, Traditiones Apoſtolicas, imó & inductiones Patrum Eccleſiæ non commendet, vt paſſim videre eſt. Iure ergo optimo primus à Symbolo articulus fidei ſtatuitur Verbum Dei, non ſcri-

ptum viua tantùm voce traditum, & transmissum ad posteros, cùm per ipsum solum & Symbolum profitendum Christiano, & Scripturam quæ Bibliorum codex nuncupatur recipiendam esse instruamur.

Quæ ergo ad Traditionem in genere spectant examinabo, & digeram, & subsequenter speciales vniuersalis Ecclesiæ Constitutiones, & Obseruationes ad manum Lectoris dabo.

QVÆSTIO I.

De nomine & distinctione Traditionis.

NOtandum primò, nomen Traditionis generale esse, & significare omnem doctrinam, siue scriptam, siue non scriptam, quæ ab vno communicatur alteri. Exod. 17. *Scribe hoc monimentum in libro & trade in auribus Iosue.* Act. 6. Lex Mosis scripta vocatur Traditio. *Audiuimus quod mutabit Traditiones quas tradidit nobis Moyses.* Sed primæ Corinth. 11. Traditio vocatur doctrina exposita viua voce. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* 2. Thessal. 2. *Tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam.* Tametsi vero Traditionis nomen generale sit, tamen iam vsurpatur ad significandum tantùm doctrinam non scriptam.

Vocatur autem doctrina non scripta non ea quæ nusquam scripta est, sed quæ non est scripta ab eius primo authore. Exemplum sit Baptismus paruulorum. Eos enim baptizandos vocatur Traditio Apostolica non scripta, quia non inuenitur hoc scriptum in vllo Apostolico libro, tametsi scriptum est in libris omnium veterum Patrum.

Nota secundò, duplicem assignari partitionē Traditionum, prior est penes Authores ipsarum, posterior penes materiam circa quam versantur.

Prior diuiditur in Traditiones diuinas, Apostolic. Ecclesiastic. Diuinæ dicuntur, quæ à Christo docente Apostolos acceptæ sunt, & nusquam in litteris diuinis inueniuntur. Talia sunt ea, quæ ad materiam & formam sacramentorum spectant, pauca enim de his habemus in Scriptura, & tamen certum est, Sacramentorum essentiam non potuisse, nisi à Christo institui, propterea enim Paulus 1. Corinth. 11. loquens de Sacramento Eucharistiæ dicebat. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*

Apostolicæ Traditiones propriè hæ dicuntur, quæ ab Apostolis sunt institutæ, non tamen sine assistentia Spiritus-Sancti, & tamen non extant scriptæ in eorum Epistolis, quale est ieiunium quadragesimæ, quatuor temporum, & alia multa. Interdum tamen Diuinæ vocantur Apostolicæ, & hæ dici diuinæ, non quod ab Apostolis institutæ sunt, sed quod ab eis primò traditæ sunt Ecclesiæ, cum ipsi seorsim accepissent eas à Christo. Apostolicæ dicuntur, quandoque diuinæ, non quod Deus immediatè eas instituerit, sed quod non sine spiritu Dei eas Apostoli instituerint, quo modo omnes Epistolæ eorum dicuntur diuinæ, & Apostolica scripta, etiam si sint quædam præcepta, & quædam propriè Apostolica, vt patet, ex prima Corinth. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus*, & postea, *dico ego non Dominus.*

Ecclesiasticæ Traditiones propriè dicuntur Consuetudines quædam antiquæ, vel à Prælatis vel à populis inchoatæ, quæ paulatim tacito consensu populorum vim legis obtinuerunt.

Et quidem Traditiones eandem vim habent, quam diuina præcepta, siue doctrina scripta in Euangelio: Similiter Apostolicæ non scriptæ eandem quàm Apostolicæ scriptæ, vt in Concilio Tridentino asseritur, & ratio est constans; nam verbum Dei non est tale, nec habet authoritatem, quia scriptum est in membranis, sed quia profectum est à Deo, vel immediatè, vt sunt Christi sermones, vel mediantibus Apostolis, vt est decretum Apostolorum Act. 15. Tum mandatum Principis eandem vim & authoritatem habet apud subditos siue scripto, siue viua voce proferatur, sic etiam verbum Dei, siue scriptum, siue traditum sit.

At inquies Traditio Apostolica non est verbum Dei.

Respondeo omnino esse, nam sicut doctrina Apostolorum, quæ in eorum continetur scriptis, ideò vocatur Verbum Dei, quia inspirata est à Deo, sic etiam dicendum est de doctrina eorum, quæ viua tantùm voce tradita est, quod sic ostenditur. Sicut doctrina Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Pauli, Petri, Iacobi & Iudæ, quæ in Euangeliis & Epistolis conscripta est, vocatur Verbum Dei, sic etiam doctrina Andreæ, Philippi, Bartholomæi, Matthiæ, Barnabæ, quam ipsi viua prædicarunt voce debet vocari verbum Dei, quia Deus similiter illam inspirauit. Nec minor fides his Apostolis qui non scripserunt, quam his qui scripserunt, adhibenda est, cum omnes pariter ad prædicandum fidem, Spiritum-Sanctum acceperint.

Ecclesiasticæ autem Traditiones eandem vim habent, quam Decreta & Constitutiones scriptæ ipsius Ecclesiæ: nam etiam in Republica ciuili, eadem est vis consuetudinum approbatarum, & legum scriptarum, vt patet distinct. 1. Canone *Consuetudo*, & lege diuturna ff. *de Legibus.*

Partitio *Traditionum penes materiam*, est in aliquas de fide, & alias de moribus seu ritibus. Quæ rursum, aut sunt perpetuæ, aut temporales, & vel vniuersales, vel particulares, vel necessariæ, vel liberæ, sic docet Bellarminus libro 4. de verbo Dei, non scripto cap. 2

Prior pars probatur, quia tria sunt Fidei principia maximè necessaria, quæ non habentur ex Scriptura, sed ex sola Traditione Primum, quod tota Scriptura Veteris, ac Noui Testamenti, simul sumpta sit Verbum Dei. Secundum quod tota Scriptura in iis quæ ad fidem & ad salutem necessaria sunt, manet nobis salua,

&

& incorrupta. Tertium quòd habeamus verum ac genuinum eius sensum: si hæc admittimus principia fidei, necessariò admittimus Traditionem per quam illa accepimus, si non admittimus vana est nostra fides. Traditio de fide etiã est quod B. Maria semper fuerit virgo, quod quatuor tantum sint Euangelia. Quod fidei symbolum sit verè canonicum, & Apostolicum & plura alia, vt quod infantes sint baptisandi, hinc Origen. in cap. 6. epist. ad Rom. ait, *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam paruulis baptismum dare.*

Traditio ad mores pertinens, est quod signum crucis in fronte formandum sit, quod certis diebus ieiunia aut festa celebranda, &c.

Traditio perpetua est, quæ instituta est vt semper seruetur Temporalis vero quæ ad certum dumtaxat tempus, vt obseruatio legalium quarundam ceremoniarum quæ seruandæ erant vsque ad plenam Euangelij promulgationem vt facilius Ecclesia Christiana ex Iudæis & Gentibus coalesceret, in iis est prohibitio esus sanguinis.

Traditio vniuersalis est quæ toti Ecclesiæ, seruanda traditur; qualis est, Paschæ, Pentecostes, & similium festorum obseruatio, vt docet August. epist. 118.

Traditio vniuersalis est, quæ vni tantùm, aut pluribus Ecclesiis, qualis erat tempore S. Augustini ieiunium Sabbathi, quod Petrus Ecclesiæ Romanæ tradiderat, & ab ea & quibusdam aliis tantum seruabatur vt docet August. epist. 86. ad Casulanum.

Traditio necessaria est quæ traditur in forma præcepti, vt celebratio Paschæ die Dominico post 14. Lunam Martij. Libera quæ traditur in forma consilij, vt aspersio aquæ lustralis, & similia.

QVÆSTIO II.

An præter verbum Dei scriptum requiratur traditio.

Explicatur status quæstionis. Controuersia inter Catholicos, & Nouatores in duobus consistit Primum est quod nos asserimus in scripturis non contineri expresse totam doctrinam, necessariam, siue de fide, siue de moribus, & proinde seu secũdum est requiri præter verbum scriptum, Traditiones diuinas & Apostolicas Nouatores pro fidei articulo habent, nihil proponendum esse vti de fide, quod ex manifesto scripturæ testimonio probari non possit, vtpote quæ contineat omnia, & singula ad fidem & mores fidelium pertinentia, ac proinde non esse opus vllo verbo non scripto. Sic Caluin. lib. 4. instit. cap. 8. § 8. Luther in comment. ad Galatas. Brentius in prolegomenis cap. de Tradit. Kemnitius in examine Concilij Trident. Communis est omnium hæreticorum error soli verbo Dei scripto credendum, quod, vt exprimit Caluin. lege, prophetis, & scriptis Apostolicis continetur: hoc testatur de Valentinianis, & Marcionistis Tertull. de præscriptionib. Irenæus lib. 3. cap. 2. Donatistæ scripturas vrgebant, & S. August. eis obiiciebat Ecclesiæ consuetudinem, & Traditiones lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 19. Arrianos quoque reiecisse Traditiones testatur Epiphan.

Conclusio Catholica, probatur ordine ipso de cætero in omnibus obseruando, proponendo scripturæ robur, Patrum, nec non, & quandoque Conciliorum authoritatem subsequenter, & rationes selectas adducendo, postmodum obiectiones diluendo.

Probatur ex Scriptura Lucæ 10. *Qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit, qui vero me spernit, spernit eum qui me misit.* Hinc habetur potestas Prælatorum, qui Apostolis, succedunt in regimine Ecclesiæ instituendi leges, & nobis obligatio autem obedientiæ præstandi, hinc patet non esse necessarium vt in speciali talis, & talis lex, exprimatur in scriptura, cùm vniuersaliter lex in ea contineatur, nam sicuti species continetur in genere, & homo, v.g. in animali, & quinque asses in nummo, ita in prædicto textu, & Matth 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum,* & 18. *Amen dico vobis, quodcumque ligaueritis, & solueritis super terram, erit ligatum, & solutum in cœlo,* iamque dixerat, *qui non audierit Ecclesiam sit tibi sicut Ethnicus.* Traditiones ergo Patrum sunt admittendæ, & obseruandæ hasque scriptura mediante Prælatorum, potestate quam exprimit inclusas habet, & confirmat.

Actuum 16. *Cum autem pertransirent ciuitates tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus.*

1. Corinth. 11. *Laudo vos quod per omnia memores estis mei, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis,* ista præcepta sunt de modo orandi, & sumendæ Eucharistiæ, quæ nusquam scripta inueniuntur. Chrysostom. & Theophylact. notant hoc loco Paulum loqui de præceptis, non scriptis, nec non Epiphan. hæres. 61. Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 29. Damasc. lib. 4. cap. 17. deinde quia adhuc deerat aliquid præceptis traditis, addit vt hoc etiam seruent, *quòd viri in Ecclesia orent capite aperto, mulieres vero capite velato,* & vt ostendat multum esse per omnia tribuendum traditioni, & consuetudini, Ecclesiæ etiam sine scripto concludit. *Si quis autem contentiosus videtur esse, nos talem consuetudinem non habemus neque Ecclesia Dei.* Itaque Paulus vult contentiosos reprimi ex consuetudine Ecclesiæ.

Alteram quæstionem exorditur etiam à traditione. *Ego enim,* inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis,* & concludit. *Cætera cum venero disponam.*

Quid autem disposuerit nusquam scriptum reperitur, merito autem censent Catholici eum non solum disposuisse quæ ad ritus, & cæremonias pertinebant, sed etiam tradidisse alia grauiora vt de ordinatione ministrorum, de sacrificio altaris, de aliorum sacramentorum forma & materia. Nec hæretici possunt vllo modo contrarium ostendere. Sed dices esto Paulus, hæc præcepta non scripsisset Corinthiis, potuit tamen scripsisse aliis; esto rursus non extarent in scriptis Pauli, in cæterorum Apostolorum scriptis reperiri possent. Respond. statuerat Paulus solidè instituere Corinthios quæ institutio si scriptum postulasset, haud dubiè proposito ac muneri suo non satisfecisset

tisfecisset scribens ea aliis, & non Corinthiis. Rursus potuit illa scribere aliis sed vnde habetur quod id fecerit, si viua voce contentus, fuit commendare ea Corinthiis, nec scripto opus esse iudicauit, cur non etiam commendare cæteris.

Item ab Apostolis aliis scribi potuerunt, sed vicissim potuerũt non scribi vnde autem habetur scripta potius fuisse, quàm non fuisse. Si Paulus ea scripto non prodidit, & necesse non esse scribere censuit, esto ageret cum Ecclesia, quæ indigebat institutione admodũ seria quid vetat viuam vocem in hac parte cęteris quoque sufficientem visam fuisse? Instabis multa quæ verbo docuerat Apostolus, & traditiones vocauerat, postea scripto expressit, non ergo bona est ista consequentia, Paulus Corinthiis, præcepta illa verbo tradidit, ergo non etiam scripto Respondeo. nemo nostrum facit absolutè hanc consequentiam. ***Paulus hoc verbo docuit, ergo hoc non reliquit scriptum***, vltrò enim fatemur quod aliqua imò multa docuit quæ etiam scripsit, & contra, sed dicimus primò id non esse necessarium, nec posse hanc necessitatem ex vllo scripturæ loco colligi, secundò apud eundem Apostolum ex adiunctis quibusdam euidenter colligi, quod quædam sola voce, & non scripto tradiderit. Ad alia verba Pauli, ***Cætera disponam***. Respondent nouatores non agi hic de dogmatibus, sed de statutis quibusdam Ecclesiasticis, verum nil iuuat hæc distinctio, nam dogma est quod statuto Apostolorum sint seruanda vt iussit Christus Matth. 23. quæcumque dixerint vobis seruate.

2. Thessal. 2. ***Itaque fratres tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.*** per particulam disiunctiuam, ***siue***, præuenit ridiculam expositionem Nouatorum quâ prætendunt eadem prius tradidisse sermone, deinde epistolâ, nam illa particula indicat diuersa esse quæ tradiderat, & quæ scripserat. Tum si ita esset, deberet vna epistola ad Thessalonicenses, continere omnem doctrinam quam Paulus prædicauerat, non est autem dubium quin totum Euangelium, plenè illis prædicauerit, vt colligitur, ex cap. 1. & 2. prioris epistolæ, deberet igitur epistola illa continere totum Euangelium cuius nec centesimam partem habet.

Secundò respondent Paulum loqui de sermone quem ore pronuntiauerat, & quem ipse non scripserat, sed qui tum scriptus erat, vel fuit postea ab Euangelistis, Paulus enim, vt dicunt, nihil prorsus docuit quod non sit alicubi scriptum in nouo Testamento. At contra nam 1. in ipso capite, Paulus dicit se illis prædicasse de Antichristo, & præter alia docuisse, quando venturus esset. ***Et***, inquit, ***quid detineat scitis, & num retinetis, quia cum essem vobiscum hoc dicebam vobis:*** Hoc autem nusquam scriptum est, quando scilicet, venturus sit Antichristus quare August. lib. 20. ciu. cap. 10. dicit illos sciuisse quod Apostolus docuerat viua voce, nos autem non posse, id scire qui Paulum non audiuimus: Ergo non omnia scripta sunt quæ Paulus dixit.

Præterea, siue scripta postea fuerint, siue non quæ Paulus docuerat, non multum refert ad argumentum, quod ex hoc loco colligimus, nam non promittit se, vel alium ea scriptorum sed simpliciter præcipit, vt non minus obseruent quæ acceperant, siue scripto quàm quæ per epistolam, & hoc modo Patres hunc locum intellexerunt: hinc patet quòd non omnia per epistolas tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine literis, eadem vero fide digna sunt tam illa quàm ista. Ita Damasc. lib. 4. de fide c. 17. VIII. Synodus generalis act. vltimâ can. 1. sub Adriano II. Papa Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 29. Oecumenius, Thophylact. Aliud testimonium 2. Timoth. 1. ***Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti***, & cap. 2. ***Tu Ergo fili mi, confortare in gratia, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt, & alios docere***, & cap. vltimo. ***O Timothee depositum custodi.*** In his locis depositi nomine non potest intelligi scriptura, sed thesaurus doctrinæ, intelligentia scilicet, dogmatum, id est tam sensus scripturæ quàm aliorum dogmatum, quam totam doctrinam propagari volebat per traditionem, vt explicant Chrysost. & Theophylact. hic. nec tam anxiè loqueretur de scripto quod asseruatur in thecis, & à Librariis datur, nec diceret, ***commenda fidelibus***, sed Librariis qui multa exemplaria transcribant, nec diceret, ***quæ audisti à me coram multis***, sed diceret quæ scripsi tibi. Itaque non verba tantùm sed sensum, & hunc multo magis, commendat vt tradat successoribus suis.

Ioannis 2. & 3. Epistola, ***multa habens scribere nolui per chartam, & atramentum***, ex his enim intelligimus multa ab Apostolo dicta esse discipulis, & per eos vniuersæ Ecclesiæ, quæ tamen scripta non sunt.

Adducitur 1. tom. 3. ***Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis.***

Ex quibus aliisque locis constat, seu scriptum Dei verbum testimonium dare, & supponere imo continere expressissime verbum Dei non scriptum, seu Traditiones: quare si verbum scriptum agnoscitur esse fidei fundamentum proculdubio, & Traditiones dici quoque debent fundamenta eiusdem, & viuum quoddam euangelium. Nam si quod in domus ædificatione primo loco ponitur, id rectè & propriè fundamentum dicitur, nemini dubium esse sinit historia temporum in ædificatione domus Dei viuentis quæ est Ecclesia primò, iactas fuisse Traditiones, & in illis superædificatam constitisse aliquandiu Ecclesiam, priusquam vlla extaret scriptura.

Nec potest opponi præcessisse vetus Testamentum, nam illud non est fundamentum legis Euangelicæ, seu Ecclesiæ Christianæ, quæ per Christum eiusque doctrinam fundata est. Deinde manifestum est & hoc, quòd concusso & labefactato fundamento, quod reliquum est operis extructum corruere necesse est.

An non hoc ipsum accidisse videmus labefactatis Traditionibus! nulla est nobiscum de scriptura contentio, omnes admittimus veneramur & adoramus verbum scriptum, imò ampliorem Sacrorum Librorum Canonem habet Ecclesia Catholica quàm Sectarij qui aliquot expungunt.

Qua de re itaque agitur inter nos & ipsos? Agitur de eo sensu quo recipiendæ sint scripturæ, eone quem proferunt illi? an eo quem à Patribus traditum accepimus! Deinde an

simul

ſimul cum ſcripturis Traditiones quoque Patrum ſint retinendæ.

Quas vt reiiciendas dogmatiſarunt Hæretici mox in ſectas diſſertos eos vidimus quaſi conuulſo fabricæ ſpiritualis fundamento conſiſtere nequeant Nouatores. Nec propterea argui poteſt Eccleſia Catholica quod *fundamentum aliud ponat præter id quòd poſitum eſt Ieſus Chriſtus vt ſcriptum eſt*. 1.Corinth. 3. nam quæcumque ſunt ædificata, ſiue tradito, ſiue ſcripto Dei verbo, non ſuper aliud fundamentum ædificata ſunt quàm quod à Paulo quoque à cæteris Apoſtolis poſitum fuit ſuper Ieſum, in cuius gloriam & tradita & ſcripta ſunt omnia. Hoc exemplo illuſtrare placet.

Didicimus è ſcriptura Ieſum, v. g. traditum eſſe propter delicta noſtra, & reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram, quorum alterum luctus, & mœroris eſt, alterum gaudij & lætitiæ Traditio hoc exprimit certâ ceremoniâ, quo beneficiorum illorum memoria inculcari poſſit animis fidelium. Statutum eſt ab Eccleſia ieiunium, aut ſaltem abſtinentia à carnalibus cibis die veneris in gratitudinem, & quandam compaſſionem crucifixi die veneris. Contra vero quia gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino rediuiuo die Dominica, hinc dies illa feſtiua, & hilarior & ſine ieiunio deputata eſt. Vide quomodo Scripturæ & Traditionis idem eſt fundamentum Chriſtus & impletur illud quod ab Apoſtolo 1. Corinth.10. ſcriptum eſt, *ſiue manducatis, ſiue bibitis, &c.* Et Coloſſ.3. *Omnia in gloriam Dei facite.*

Probatur Concluſio ex SS. Patribus. Dionyſ. cap.1. Hieron. Eccleſ. *Primi illi noſtri, ſacerdotalis muneris duces ſumma illa, & superſubſtantialia partim ſcriptis inſtitutionibus ſuis nobis tradiderunt.* Ignatius apud Euſebium lib.3. hiſt. cap. 36. hortabatur omnes inhærere tenaciùs traditionibus Apoſtolorum, quas Traditiones, inquit Euſebius, cautelæ gratia etiam ſcriptas ſe aſſerit reliquiſſe, ex quo ſequitur eas ab Apoſtolis ſcriptas non fuiſſe. Ireneus S Policarpi diſcipulus is autem Ioannis Euangeliſtæ, lib. 3. cap.4. *Quid autem ſi neque Apoſtoli ſcripturas quidem reliquiſſent nobis! nonne oportebat ſequi ordinem Traditionis, quem tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias! cui ordinationi aſſentiunt multæ Gentes Barbarorum, eorum qui in Chriſtum, credunt ſine caractere, vel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes.* Reſpondent Nouatores Ireneum loqui de traditione eorum dogmatum, quæ in ſcripturis inueniuntur, & quæ probari poſſunt per ſcripturam, At hoc patet eſſe falſum, nam verba eiuſdem cap.2. 3. & 4. docent. *Non eſſe aliam viam perueniendi ad veritatem, quam conſulendo Eccleſias in quibus eſt ſucceſſio Epiſcoporum ab Apoſtolis, & conſiderando quid ibi doceatur, & quam dicant illæ Eccleſiæ eſſe traditionem Apoſtolicam.* Vult igitur Ireneus traditionem latius patere, quàm ſcripturam, & ſenſum ſcripturarum difficilium, non ex ſcriptura ſed ex traditione haberi, ita vt, traditio ſola ſufficiat, ſcripturæ autem non ſufficiant. At falſum eſſet hoc totum ſi traditio, nihil aliud contineret quàm id quod euidenter colligitur ex ſcripturis: poſtquam igitur cap.2. dixerat hæreticos non poſſe conuinci ex ſcripturis, & cap.3. enumerauerat, Pontifices à Petro, vſque ad Eleutherium 14. Papam, qui circa annum 180. ſedebat vt oſtenderet in Eccleſia, eſſe continuatam ſucceſſionem Epiſcoporum, conſeruantium traditionem Apoſtolicam, ita cap.4. loquitur. *Tanta igitur oſtenſiones cum ſint hæ, non oportet adhuc quærere apud alios, veritatem quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues pleniſſime in eam contulerint omnia quæ ſunt veritatis.* Baſilius lib.de Spiritu-Sancto, cap 27. *Dogmata*, ait, *quæ in Eccleſia ſeruantur ac prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione in myſterio ad nos delata recepimus, quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem, ſaltem iuriam experientiam habet.* Et enumerat plurimas Traditiones, non ſcriptas. Similia habet cap. 29. *Apoſtolicum eſſe arbitror in non ſcriptis Traditionibus perſeuerare.* Brentius, hæc Baſilij errores & næuos eſſe dicit, & Chami maledictos filios, imò & porcos vocat, qui patrum noſtrorum turpitudinem denudamus, illa eorum citantes. At reſpondeo, non minùs glorioſum eſſe reprehendi contumelioſè ab impiis & Brentianis, quàm à piis laudari, imò Chamus & ille patris deriſor, qui Sancti Baſilij apud omnes laudatiſſimi doctrinam arrogantiſſimè condemnat, minus procaciter reſpondet Kemnitius hæc quæ refert Baſilius, non eſſe dogmata fidei, vel morum, ſed tantùm ritus quoſdam liberos, vt ſignare ſe ſigno Crucis, adorare ad Orientem, benedici aquam. Sed Baſilius enumerat hic non ſolùm ritus plurimos ab Apoſtolis inſtitutos, ſed refert etiam quædam eſſentialia, vt Confeſſionem Fidei, id eſt, Symbolum Apoſtolicum, quod ex Traditione habemus, & olei vnctionem in Sacramento Confirmationis, quædam præterea commemorat, quæ etſi non ſint neceſſaria, tamen poſtquam præcepta ſunt, ita neceſſaria reputantur ad vſum, vt omiſſio voluntaria ſit criminoſa, verbi gratia, ſignum Crucis in conſecratione Euchariſtiæ, Chriſmatis, &c. & abrenunciatio ſatanæ, & pompis eius in Baptiſmo, dicunt enim S. Auguſt. tractat. 118. in Ioanne, & Chryſoſtom. homil. 55. *Sine ſigno Crucis nulla Sacramenta ritè peragi.* Quod autem Baſilius rectè æquarit, Traditiones Scripturis, patet, nam vt in illis quædam ſunt magna præcepta, vt diligere Deum, quædam minora, vt non dicere verbum otioſum, quæ non æquè obligant ad fidem & venerationem: non enim minus eſt hæreticus, qui non credit, aut non veneratur Scripturam illam, quæ dicit, *de omni verbo otioſo reddent rationem in die iudicij*, quàm qui non credit aut veneratur illam. *Diliges Dominum Deum tuum.* Ita etiam in traditionibus quædam ſunt maiora, quædam minora, quo ad obligationem agendi, & tamen omnia æquè obligant ad fidem & venerationem, & eodem modo omnia procedunt à Deo per manus Eccleſiæ Catholicæ, quæ Sponſa Chriſti eſt, & Mater fidelium.

Epiphan. hæreſi 55. *Termini nobis poſiti ſunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apoſtolorum Traditiones, & Scriptura Sancta, & ſucceſſiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita eſt.* Idem hæreſi 61. *Oportet autem*

ferre nequeunt, qui sunt extra hortum conclusum.

Non posse conferre Baptismum: numerus autem fautorum istius dogmatis tantus erat, vt Vincentius Lirinensis in commonit. exclamet. Sed fortè huic nouitiæ adinuentioni defuerunt patrocinia, imò verò tanta vis ingenij apparuit, tot diuinæ legis oracula, sed planè nouo, & erroneo modo intellecta, vt omnis illa conspiratio nullo modo destrui posse mihi videatur, nisi solam tanti moliminis causam illa ipsa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata nouitatis professio destruxisset. Ad nouitatem rei per Agripinum Chartaginensem Episcopum, qui primus contra morem & institutum maiorum rebaptisandum esse censebat, reclamabant omnes quoquam versum Sacerdotes, & pro suo quisque studio remittebatur, & Papa Stephanus cum cæteris Collegis suis, sed tamen præ cæteris testitit dignum, vt opinor existimans, si reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantum loci authoritate superabat. In Epistola enim, quæ tunc ad Africam missa est, sanxit nihil innouandum, sed id omninò obseruandum, quod Traditione datum erat.

Et Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos, ait, *Qui cum Cypriano senserant* (Episcopos Capadociæ intelligit,) *dixerunt, Quid facimus? Sic Maiores nostri ipsis & nobis tradiderunt.* Vide ergo Traditionem & non Scripturam rebaptisationem explosisse.

Aliud exemplum, inferens necessitatem Traditionum est, *Baptismus infantium*, nec enim reperitur locus in tota Scriptura, quo Anabaptistæ contrarium docentes conuinci possint.

Proferimus quidem Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.*

Respondent ipsi, Christum loqui de adultis vel de iis tantùm, qui capaces sunt Baptismi, vti verba sequentia, *Qui non credit in Filium Dei, iam iudicatus est*, indicant paruuli autem, sicut impotes sunt fidei eliciendæ, ita & Baptismi, quia is est sacramentum fidei, consequenter debet præcedere fides in eo qui illud suscipit, iuxta Scripturæ sententiam Act. 8. Philippi ad Eunuchum Candacensem. *Si credis ex toto corde*, licet & Marc. 16. *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit.*

Allegamus etiam omnes peccasse in Adamo, paruulósque esse capaces peccati originalis, & proinde indigere Baptismo, vnde Augustinus libro 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 27. *Infantibus ipsum baptisari est credere, seu fidem profiteri*, scilicet aliena fide, de qua, idem Augustinus sermone 10. de verbis Apostoli, sic ait, *Accommodat eis mater Ecclesia aliorum pedes, vt veniant, aliorum cor, vt credant, aliorum linguas, vt fateantur.* & libro 1. de peccatorum meritis, cap. 25. *Mater Ecclesia cor maternum eis præstat, vt sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt proprio corde credere ad iustitiam, nec ore proprio ad salutem confiteri.* Hinc Patres docent, infantes baptisari in fide Ecclesiæ & parentum, licet autem nemo iustificetur sine fide actuali, vel habituali: habitualis infunditur paruulis in Baptismo, eáque formaliter iustificantur, tum etiam, quia baptisantur in fide matris Ecclesiæ, vnde parentum infidelitas non obstat valori Baptismi, Spei etiam, & charitatis habitus etiam infunditur, & propter habitum dicuntur credere, sperare, amare.

Respondent Anabaptistæ, paruulos mundari ab ipso originali in vim promissionis factæ à Deo fidelibus, quod eorum, nec-non & filiorum suorum futurus sit Deus, & in vim sententiæ Pauli 1. Corinth. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & mulier infidelis, per virum fidelem, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Et ideò cum iam in vtero materno sanctificati sint, non indigent Baptismo cum nascuntur, nullúmque commiserint personale peccatum, nullo speciali indigent remedio ipsis proprio, sed per fidem & Baptismum parentum sanctificati sunt. Quod si per sanctificationem Ioannis Baptistæ in vtero, singulare priuilegium, quasi singularis Baptismi vrgeant Catholici.

Respondent ipsi esse deputationem & dedicationem spiritualem ministerio diuino, & prophetiæ exercitio.

Respondent argumenta à figuris non inferre eundem vsum rerum figuratarum, nisi habeatur iteratum præceptum. Aliàs sicut in celebratione Agni Paschalis, qui figurabat Eucharistiam nullus erat sacramentalis potus, nec etiam requireretur in Eucharistia, & sicut Circumcisio conferebatur die 8. ita esset expectanda in baptismo, & sicut Circumcisio non dabatur fœminis inter Iudæos, vt taceam Ægyptios, aliosque profanos, & à præcepto instituti diuini alienos imitatores Circumcisionis, baptismus non esset conferendus fœminis. Adde Circumcisionem datam à Deo ad duos vsus; quorum vnus temporalis erat, scilicet ad discernendam progeniem Abrahæ ab aliis nationibus; alter vero spiritualis, ad rescindenda opera carnis, à quibus abstinere debebant, qui consecrati erant Deo, & ideo, quantum ad primum motiuum, qui in deserto per quadraginta annos nati sunt circumcisi non fuere; quia aliis non immiscebantur nationibus, vt notant Hieron. in epist. ad Galat. lib. 1. cap. 3. Damasc. lib. 4. de fide orthod. cap. 26. Baptismus autem solùm applicatur ad spiritualem vsum: vnde Circumcisionis circumstantiæ nihil citra nouum præceptum scripturæ, concludunt in applicationem baptismi. Circumcisio enim paruulis poterat conferri variis de causis, de causis temporalibus quæ locum non habent in baptismo, v. g. inter alias, quia primarius eius vsus distinctionem inferebat Abrahamitarum communicari poterat omnibus, qui filiationem habebant carnalem Abrahæ. Baptismus autem institutus est, ad discernendam filiationem spiritualem, quam sola fides Christiana facit, vnde iis tantum, qui fidem habent potest legitimè conferri. Adde quod Circumcisio, cum dolore, eóque graui, & acuto sumebatur, vt patet ex historia Sichimitarum, Genes. 4. *Tertio die cum solet grauissimus dolor vrgere*, Si quidem pars vulnerata, vt debilis recipit humorum influxus & tertio particulariter flauam bilem, calidam & mordacem, quæ febrem parit: quare, vt Israëlitæ minus obsistentes & negligentes fierent ad susceptionem Circumcisionis, expediebat illam conferre paruulis, qui apprehensionis pœnæ, & doloris longè minus capaces existunt. Eadem etiam de causa conferebatur 8. die quia, vt ait Aristot. ante se optimum

mum, vix secuti sumus de vita, & vigore paruulorum Hæc autem omnia non habent locum in baptismo.

Præterea, Circumcisio notam perpetuam inurebat carni: baptismus nullam relinquit, qua arguatur fuisse susceptum; consequenter, si quis baptisatus fuerit in infantia, nec tunc, nec postmodum notam habet pro Sacramento, oportet autem Sacramentum esse recipienti signum sensibile. Adde, quod in Circumcisione habetur tantum materiale signaculum sine verbo Sacramentali. In baptismo autem elementum, & verbum sunt de essentia Sacramenti. *Tolle aquam*, ait August. tract. 80. in Ioann. *non est baptismus, tolle verbum, nec pariter est baptismus*, & Petrus 1. cap. 1. *Renati sumus ex semine incorruptibili, per verbum Dei.*

Ex his Anabaptistæ concludunt necessarium esse, vt qui suscipit baptismum, cui à ministro dicitur. *Ego te baptizo*, capax sit signi elementaris pariterque verbi, id autem non requirebatur in Circumcisione denique dicunt quod etsi omnia quæ erant Circumcisionis debent habere consonantiam in baptismo, hæc non est exigenda formalis sed analogica, qua ex infantia temporali cui circumcisio dabatur significetur spiritualis infantia qua paruuli effici debemus candore, scilicet & innocentia morum ad baptismum suscipiendum iuxta verba Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum.* Et ideo in primitiua Ecclesia cum senioribus, & decrepitis conferebatur baptismus dari solebat gustandum lac, & mel, *ad infantiam significandam*, ait Hieron. dialogo aduersus Lucifer & baptismo initiati vocabantur paruuli seu infantes, & hinc August. aliquos sermones *ad infantes* vocat, id est, ad recenter baptisatos & Victorinum senem venerandum vocat puerum baptismi Christi, & ea de causa in Octaua Paschæ quæ baptismo solemniter conferendo dicata erat, legebatur eis tanquam modo genitis textus ille scripturæ. *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* Vnde Dominica à Paschate dicitur Dominica Quasi modo.

Allegamus Christum solitum beneuolè excipere pueros quos ad eum adducebant, at præter dubium resoluendum, an pueri ij essent nondum capaces rationis, vel ætatis iam ad hanc vsque prouectæ, quales erant ij de quibus Matthæi 18. & Marc 9. *Si quis scandalisauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt.* Petunt etiam cur adducerentur ad Christum. An vt baptizaret illos vel tantùm vt eis manus imponeret, & pro eis oraret, si ad secundum tantùm effectum quærunt quomodo hinc inferimus, paruulos esse baptizandos? & quomodo ab exemplo negatiuo inferimus affirmatiuum; hoc modo Christus non baptizauit paruulos, ergo sunt baptizandi, cùm à contrario stare debeat argumentum.

Quantum enim ad verba Christi, *ipsorum esse regnum cælorum*, hinc Anabaptistæ inferunt paruulos sanctificatos esse sine baptismo per promissionem factam progenitoribus eorum, voluntque non includi in illa regula Ioan. 3. *Si quis renatus non fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit.* Sicuti enim peccatum personale non habent, proinde nec remedio personali indigent. Quod si dicatur hos paruulos circumcisos fuisse, & inde sanctificationem seu expiationem orignalis peccati habuisse, tanto magis constabit de nullitate argumenti.

Allegamus factum Petri Act. 10. qui cum catechisaret domum Cornelij, *Cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, & loquebantur linguis, & Petrus iussit eos baptizari in nomine* IESV. Vnde concludimus eos qui eiusdem gratiæ capaces sunt posse & idem signum recipere. At pueri eiusdem gratiæ compotes probantur, Ergo, *&c.*

Respondent Anabapt. (prætermisso quod in Testamento veteri fœminæ capaces erant gratiæ Circumcisionis, non tamen signi eiusdem) illos compotes esse eiusdem signi qui compotes sunt eiusdem gratiæ, & eodem modo: at impuberes admittuntur equidem compotes eiusdem gratiæ, sed non eodem modo: Adulti enim capaces sunt per fidem propriam, & personalem: pueri vero per fidem parentum. quæ eis imputatur ideoque in adultis requiritur baptismus actualis, in aliis vero sufficit baptismus imputatiuus progenitorum, congruum enim est vt baptismus sequatur qualitatem fidei cuius est Sacramentum. Et hæc responsio valet ad qualibet argumenta similis naturæ, vt cum dicitur pueros qui membra & partes Ecclesiæ admittuntur consequenter cælorum regni cuius ianua baptismus agnoscitur. Respondebitur, enim baptismum eis eodem modo, communicari debere quo congruit eis, compotes enim tantum sunt fidei imputatiuæ, ergo & talis baptismi. Itaque sicut in fide parentum credunt donec fidei personalis sint capaces, ita baptizati sunt in baptismo parentum donec baptismo personali initiari valeant in ætate scilicet adulta.

Allegamus factum Pauli qui 1 Corinth 1. ait. *Baptisaui domum Stephanæ*, hinc concludimus baptizandos paruulos. Sed prænotato scripturæ, silentio de pueris, & dato quod aliqui essent in ea familia, nil inde concluditur si textus non exprimat pueros inundatos, domus enim baptizata dicitur, id est, ij qui ex domo suscipere poterant baptismum sicuti cum Ioan. 4. de Capharnaita legitur, *Credidit ipse & domus eius tota*, non sequitur infantes, & sugentes credidisse sed eos tantum qui rationis compotes erant, hincque est quod Act. 8. in conuersione Samariæ, per Philippum dicitur, *baptizabantur viri ac mulieres*, & nulla puerorum, quorum copia non deerat, fit mentio.

Allegamus præceptum Domini Matth. 28. *Docentes omnes Gentes, baptizantes eos, in nomine patris, &c.* Respondent generalitatem illam restringi ad illos qui edocti fuere, id est, ad eos qui per fidem conceptam, compotes facti sunt baptismi, vnde Hieron. in Matth. lib. 4. cap. 28. *Docent primo omnes gentes, & edoctas intingunt aqua, nam fieri non potest vt corpus Sacramentum baptismi recipiat quin prius fidei veritatem anima receperit.* Denique vbicumque agitur de generali applicatione baptismi, eam restringunt ad eos qui ex ætate compotes sunt Sacramenti quod de pueris infitiantur, imo ad eorum inhabilitatem ostendendam coaceruant plura Scripturæ, loca quæ fidem præ-

exigunt

exigunt signo sensibili, v.g. Marc.16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.*

Si autem legitimus, & validus non sit paruulorum baptismus, Ministri Ecclesiæ profanant signum fœderis Dei polluuntque sanguinem testamenti, applicando ipsum subiecto, seu materiæ insufficienti, & impropriæ. Tum sacrilegium aliud perpetrant, cum postea adultis quibus est de necessitate salutis, illum non conferunt.

Tandem concludunt Anabaptistæ ex nullitate baptismi paruulorum, Ecclesiam eorum qui contra sentiunt non habere verum, & legitimum baptisma, nec consequenter veram Ecclesiam, Paulus enim dicit Ephes. 5. *Mundans Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ*, ipsi autem pro nota Ecclesiæ, assignant puram verbi Dei prædicationem, & sinceram Sacramentorum administrationem.

Denique pro supradictorum corollario, Catholici vel Anabaptistæ, hæreseos sunt notandi, nam vnā fidem, & vnum esse baptisma est articulus fidei, tum in Symbolo confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum, dato autem baptismo paruulorum pro nullo, qui illud eis conferunt non habent verum baptisma, consequenter sunt hæretici violantes illum articulum. *Credo vnum baptisma*: Si autem legitimè baptizantur pueri, Anabaptistæ rescindendi sunt ab Ecclesia vti hæretici qui paruulos rebaptizant contra præceptum *Credo vnum baptisma.* Cum ergo ex aliqua parte incurratur hæresis, nec ex sola Scriptura, verificari possit cui imputanda sit. Sequitur non posse ex sola Scriptura conuinci hæresim quamlibet. Nec valet reclamatio de nullitate argumentorum, Anabaptistarum: hanc enim supponimus, sed hanc non demonstramus ex sola Scriptura. Consequenter Traditio est necessaria. Vnde August. lib. 10. de Gen. cap. 23. *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda, nec vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi esset Apostolica traditio.* Lib. 4. de bapt. cap. 24. dicit. *Apostolicam esse traditionem quod paruuli sint baptisandi.* Et lib. 1. de pec. merit. & remiss. cap. 26. dicit. *Pelagianos non fuisse ausos baptismum paruulorum damnare, quòd viderint, in tota, Ecclesia vsitatum esse.*

Aliud exemplum, *pro Traditionum necessitate circa Baptismum*, hæc euincitur ex forma huius Sacramenti, vnde Christiani esse non possumus quin primo Traditionem admisisse videamur, nam vnde quæso colligitur dicenda esse in ablutione baptismali verba illa, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, certè non aliunde quàm ex illis Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine P. F. S.* At hinc non potest certò colligi, nisi recipiatur traditio Ecclesiæ, non enim dixit Christus baptizate, & dicite hæc verba. *Ego te baptizo in nomine, &c.* Sed solum dixit baptizate eos in nomine P. F. S. quæ verba per se sumpta non cogunt vt dicamus. *Ego te baptizo, &c.* Sed solùm vt baptizemus authoritate Dei, quod fieri non potest etiamsi nihil dicamus. Patet à simili, nam Marci 16. Christus ait, *in nomine meo eijcient dæmonia, super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Et tamen non erat opus vt Apostoli, in sanandis ægrotis, pronuntiarent hæc verba, ego te sano in nomine Christi, nam Act. 14. Paulus sanauit Lystris claudum nulla facta mentione nominis Christi. *Surge*, ait, *super pedes tuos rectus & exiliuit.* Quod ergo, in baptismo dicere debeamus. *Ego te baptizo in, &c.* Non potest certo colligi ex sola Scriptura, sed simul ex praxi, & traditione Ecclesiæ, tum quis ostendet ex Scriptura, vnicam, aut meliorem esse formam qua vtimur, attento Petri præcepto Act. 2. vers. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.* Et Act. 19. *His auditis*, à Paulo *baptizati sunt in nomine Domini Iesu.*

Aliud circa baptismum ex mutatione immersionis in aquam, quæ trina solita fieri erat dum quis baptizabatur, in aspersionem, seu irrorationem, aut capitis solius, vel alterius membri infusionem. Primis quadringentis annis quotquot baptismum susceperunt, illum immersione, illáque trinâ habuerunt teste Tertullian. & Basilio lib. de Spiritu S. cap 15. Licet autem Christus hanc immersionem instituisset & imperasset háncq; Apostoli, eorumque discipuli inuiolatè obseruassent, Ecclesia intelligens ipsam non esse de necessitate, Sacramenti, seu de essentia baptismi, sed tantùm de integritate significatiua, expressiùs enim immersio lotionem præfert & significat quam simplex aspersio, & eductio ex aqua magis exprimit resurrectionem Christi, sicut & immersio magis repræsentat sepulturam eius, *in cuius morte consepultos Christianos*, docet Paul. Roman 6. Colossi. 2. hanc commutauit certis ex causis, & difficultatibus occurrentibus, pueri enim sæpè non poterant ferre immersionem, sine præiudicio vitæ: fœminæ catechumenæ, nuditatem horrebant, & ideo cum aliquando in Sabbatho Sancto quo baptismus dari solebat mulieres in procinctu baptismi nudatæ essent & milites, vrbis ingressi essent templum, in fugam se dederunt vt refert Chrysostom. epist. 1. ad Innocent.

Aliud *pro Apostolicis, circa Processionem Spiritus S.*

Processio Spiritus Sancti à Patre, & Filio pro articulo fidei, admittitur ab Ecclesia Catholica, nec non à Caluinistis in sua confessione fidei, hæc autem non habetur immediatè à Scriptura nec euincitur sine traditione & relatione ad antiquorum fidem vt constat ex argumentis quæ contra Græcos in hac materia adducimus, & eorum ad illa responsionibus. Cum enim obiiciuntur, verba Ioann. 16. *Ille de meo accipiet*, respondent illud *meum* non referri ad essentiam & personam Verbi, sed ad officium, & doctrinam exponuntque Christum innuere quòd Spiritus ex eodem doctrinæ promptuario eruet quo Christus sumpsit cum dixit. *Mea doctrina non est mea*, ad probationem autem istius expositionis afferunt tenorem textus, *& annuntiabit vobis*, nam verbum annuntiabit refertur non ad essentiam vel personam, sed ad officium, & doctrinam.

Allegatur textus. *Qui Spiritum Christi non habet non est eius*, & alium vbi dicitur Spiritum Christi habemus in quo clamamus Abba pater. Respondent Græci non dici Spiritum per relationem, ad eius diuinitatem, sed humanitatem, nec vt à Christo vti Deo, emanantem, sed

sed vt à Christo homine possessam, id est, non ratione processionis æternæ; sed ratione vnctionis temporalis, qua vnxit eum Spiritus-Sanctus, vti hominem conformiter ad Isaiæ prænuntium, *Spiritus Domini super me, quia vnxit me Dominus*, & Petri verba Actor. 10. *Vnxit eum Dominus spiritu & virtute*, dicimur autem recipere spiritum Christi; quia ille idem spiritus, quo vnctus est Christus in Incarnatione, datur nobis, licet non in plenitudine, sicuti Christo, cum Christiani efficimur, eiúsque membra, illustrant exemplo Genes. 34. Vbi Spiritus 70. seniorum dicitur spiritus Mosis. & 4. Reg. 15. Spiritus Eliæ, dicitur spiritus Elisæi, si autem licuit spiritum seniorum, & Elisæi vocare spiritum Mosis & Eliæ, quia ante communicationem eius fuerat Mosis, in certa mensura & Eliæ, certè à fortiori spiritus Ecclesiæ, & membrorum eius nuncupandus est Christi, etsi à Christo vti Deo emanatione æterna non deriuet.

Instamus, *Nos de plenitudine Christi accipere & Spiritum Sanctum.*

Respondent, aliud esse plenitudinem participari, & Spiritum Sanctum recipi, differentia enim habetur, inter gratias Spiritus-Sancti, & processionem æternam, qua ipse personaliter constituitur.

Dicimus Christum dixisse Patri, *Omnia tua, mea sunt.*

Respondent, intelligi de dominio creaturarum, quod Pater tradidit filio, nec opus est ad essentiam id referre, sicuti nec paterfamilias referebat cum primogenito suo, dixit: *Omnia mea tua sunt, & tu semper mecum.* Tum dato, quod de essentia exponeretur, argumentum non concludit, nam si de identitate essentiæ Patris, & Filij infertur, Spiritum ab vtroque debere emanare, inferendum quoque erit Filium originari à Spiritu-Sancto, sicuti & à Patre.

Allegamus, *Filium dixisse se missurum Spiritum-Sanctum.*

Respondent, ipsum exposuisse verba sua, Ioan. 14. scilicet, quod rogabit Patrem, notantque præuentionem datam, ne Apostoli crederent Spiritum-Sanctum ab ipso procedere. *Mittam*, ait, *à Patre spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Addunt præterea magnum discrimen notandum inter missionem temporalem Spiritus-Sancti, ad instantiam Christi Apostolis conferendi, & eiusdem æternam emanationem, de qua est quæstio. Vnde à Græcis arguimur, de additione facta ad Symbolum, de re, quam Scriptura non habet, & cuius contrarium potius exprimit; hæc enim non dicit Filium concurrere ad Spiritus-Sancti processionem, sed Patrem. Arguimur de violato decreto Concilij Ephesini, inhibentis sub anathemate, quicquam addi Fidei Concilij Constantinopolitani, cui addimus, *& Filio.* Canon septimus, huius est. *Credimus in Spiritum-Sanctum, Dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum.* Additionis autem istius conuicti non iustificamur à Scriptura, quæ Patri tantùm spirationem attribuit, imò nec à ratione, quæ pro Græcis facit, quia nullus effectus, dempto accidentali, oritur à duobus principiis eiusdem generis; vnde dici potest, Patrem, & Filium eundem effectum, seu personam Spiritus-Sancti in ratione vnius principij producere. Nec valet responsio, quod tres personæ indiuisim, sint causæ productrices mundi; nam illum non crearunt sub ratione personarum, quæ vt sic plurificantur, sed sub ratione deitatis, quæ vnica est. Hic autem essentia Patris & Filij non spirat, sed personæ quæ realiter distinguntur.

Sola Traditio iustificat hunc articulum Augustini, aliorúmque Patrum scriptis comprobata; vnde tandem in Concilio septimo generali Nicæno, scilicet 2. sub Adriano Papa, lectum est Symbolum cum hac additione, *Qui à Patre Filióque procedit.* Nec obstat Tertium Concilium, quod mutationem vetat, quoad sensum, non tamen additionem pro explicatione maiori. Quare Ecclesia, & Papa ei præsidens, cum debeant hæreses damnare, & res Fidei definire, quando necesse est, hoc crediderunt ad extirpandam hanc hæresim, quod Spiritus-Sanctus à solo Patre procedat.

Quintum exemplum, *de suppressione Sabbati translati in diem Dominicum.*

Res hæc maximi est ponderis, commouens Iudæos aduersùs Christianos, quòd contra expressissimum & inuiolabile præceptum Dei decalogo insertum vti morale, & non simpliciter cæremoniale, antiquarint sine scripto, imò contra Christi doctrinam, qui Matth. 24. Sabbathum inconcussum fore docet, *Orate ne fuga vestra fiat in Sabbatho*, imò nec Apostolorum de commutatione Sabbathi in Dominicum, extat aliquod scriptum, sola Traditio non scripta ipsorum profertur.

Commutatio autem est, quantum ad finem, formam & materiam totius religionis. Quantum ad finem Sabbathum ordinatum legimus ad celebrandam & commendandam creationem mundi & quietem Dei, seu cessationem ab opere creationis.

Dies verò Dominica non celebratur hoc fine, sed in commemorationem Resurrectionis Christi.

Quantum ad formam non obseruamus Dominicam, vti septimum diem hebdomadæ, sed vti primum, sicut decantat Ecclesia.

Primo dierum omnium,
Quo mundus extat conditus,
Vel quo resurgens conditor
Nos morte victa liberat.

Licet ergo vnus ex septem diebus obseruetur, non tamen est septimus, sed primus ex septimo, & ideò Patres primitiuæ Ecclesiæ diem mercurij, quartam, & veneris, sextam feriam dicebant, quod & hodie obseruatur, initium hebdomadæ supputando à Dominica & octauam à sequenti Dominica vocando, quia respectu supputationis Iudaicæ, prima Dominica, quam Christiani coluerunt, fuit prima dies hebdomadæ, & ideò obseruabant numerum septenarium, quasi sacrum veteri Testamento octauum vero nouæ Legi: Ita ergo Apostoli Dominicam instituerunt, non vt simpliciter vicem & locum Sabbathi ageret, sed ad introducendam solemnitatem nouam, quæ cum Sabbatho non conueniret. Et hinc in primitiua Ecclesia, quæ synagogam honorificè sepelire intendebat, Christiani vtramque diem colebant, Sabbathum in commemorationem præcepti Mosaici, & Dominicam in Resurrectionis Christi obseruantiam.

Ex

Ex quo habetur, Apostolos nullatenus substituere voluisse Dominicam Sabbato, sed de nouo festum introducere, & Dominicam instituere, tanquam festum singulare Christianorum.

Quantum ad materiam, dies à Moyse Israëlitis assignatus non fuit ab electione, aut reuolutione numeri septenarij, deriuata immediatè ab aliquo principio, quod obseruantibus ipsum acceptabile videretur, aliàs qui ob minutias lignorum in Sabbatho collectas Numer. 15. morte damnatus est, *Obruat eum lapidibus omnis turba, extra castra, dixit Dominus ad Moysem.* Excusare potuisset delictum, prætendendo supputationem à die posteriori, & sequenti ordinarium, sed Sabbathum fuit dies septima per reuelationem deriuatam ab origine supputationis, quam Deus ipse stabilierat. Deus enim expresserat Iudæis diem, à quo septimum per reuolutionem haberent, qui sine dubio is ipse erat, qui ordine circulorum & sæculorum repræsentabat, illammet diem, qua Deus cessarat ab opere suo. Et ob hanc causam, pridie quam Deus designaret diem Sabbathi, duplam mannæ portionem pluit Israëlitis, quam colligi voluit, vt pro die feriato sufficeret ipsis, sicque per quadraginta annos in deserto ab omni opere & collectione mannæ vacarunt Israëlitæ.

Attamen hæc absoluta antiquatio, seu suppressio Sabbathi, in qua pereunt finis, forma, & materia præcepti diuini, & noua inducitur obseruantia Dominicæ, quæ datur Christianis, solemne festum nullum habet fundamentum in Scriptura, aut præcepto Domini Apostolorúmve eius sola Traditione subsistit.

Nec valet allegatio raptus Ioannis in die Domini, vt Dominicam stabiliamus; potest enim designari dies iudicij, vnde & Apoc. 22. librum ita concludit. *Amen Domine Iesu veni.* Hócque loquendi modo vtitur Paulus 1. Corinth. 3. *Dies Domini reuelabit*, tum Sabbathum tunc inter Iudæos dies sanctus domino, seu dies Domini vocabatur. Nec valet in contrarium obseruatio Iustini Martyris, & antiquorum, ex quibus docemur conuentus Christianorum solitos fieri die Solis, vnde de die Dominica exponunt Ioannem: nam quæstionis limites excedimus, quod scilicet sola Scriptura sufficiat; Iustinus enim non ab Apocalypsi, sed ab ipsamet Traditione hanc desumpsit expositionem, vti & posteriores Doctores. Quare prouinciæ, quæ Apocalypsin non admittebant, Orientales ferè omnes, non minus Dominicam habebant sacram, quàm aliæ.

Collectas pauperum Dominica fieri olim solitas, sola perhibet Traditio, producta à Iustino, oratione ad Antoninum Pium. Hieronym. Epistola 60. Chrysostom. homilia 43. in cap. 16. Epist. 1. Cor.

Dices, Lucam Act. 20. referre conuentum Discipulorum pro sinaxi, vna Sabbathi, id est, die prima hebdomadæ, cum Paulus Troade esset.

Respondebitur, constare ex Act. 2. *Discipulos quotidie perdurantes vnanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem.* Ex Scriptura autem non euincitur, quod fractio panis diuerso sit accipienda sensu. Eucharisticis autem conuiuia, charitatis Agapes, dicta adjungere solebant, vt ex 1. Cor. 11. constat. Chrysostom. vero locum Act. non exponit de sacra Eucharistia, sed de cœna communi. Tum ex accidente singulari non infertur praxis & vsus solemnis, vnde Caluin. & alij fatentur non conuinci *per vnam Sabbathi*, dies Dominica, imò potiùs ipsum Sabbathum multi volunt intelligi ex occasione, nam paulo sic erat facilius ante discessum suum congregare in vnum fideles.

Nouatores negant sanctificationem diei Dominicæ, esse articulum fidei, sed esse tantùm de congruentia, & de ordine rituum Ecclesiasticorum, cuius indicationem & vestigia habemus in Scriptura.

Primò, quia Christus hac die gloriosus surrexit pro nostra iustificatione, hácque die apparuit Apostolis, vnde ad imitationem conuentus faciebant Apostoli ea die, vt 1. Cor. 16. videre est.

Secundò, quia collectæ hac die fieri solebant.

Tertiò, *Quia vna Sabbathi* Act. 2. exponitur à Hieronymo, Maldonato & aliis de Dominica, ex eo quod Ioan. 20. dicitur, Christus apparuisse post dies octo.

Hinc respondent, Dominicam diem electam fuisse à Christi voluntate, & Scripturam sat superque hoc testari.

At communis Catholicorum credit, hanc diei Dominicæ sanctificationé esse articulú fidei, eo maximè quod sit articulus Ecclesiam esse audiendam, quæ ex Traditione hunc statuit.

Exemplum aliud pro Traditionibus est, *mutatio temporis agendæ sinaxis.* Certum est ex Euangelio Christum illam instituisse vesperi, non sine causa ad innuendum finem & terminum legalium cæremoniarum, *Noctu recolitur, cœna nouissima, &c. nouum Pascha, phase vetus terminat.* Hancque Apostoli vespere celebrarunt, vnde & Cœnæ nomen retinuit: hanc tamen Spiritus-Sanctus à vespera ad mane transtulit, & de cœna in prandium mutauit, ait Augustinus Epistola 118. ob reuerentiam tanti Sacramenti, vt Corpus Christi prius ori hominis, quàm communes cibi admoueretur. Commutatio hæc temporis inducta creditur ab Apostolis (nec enim quisquam fidelium hoc attentare præsumpsisset, sicuti nec in lege transferre esum Agni Paschalis à vespere ad mane. Traditio hæc ore tenus data, communiter obseruatur.

Idem dicendum de immixtione aquæ Calici Eucharistiæ, de qua nihil omninò legitur in Scriptura, hæc autem tanto magis scripto constare debebat, quòd in omnibus Iudæorum libationibus: imò & in sacrificiis Paganorum arcebatur aqua à vino, vt notat Festus in hoc verbo, *Vinum spurcum*, non licebat vti vino diluto. Tamen Cyprianus Epistola 63. ad Cæcil. vsum illius in Missa vocat traditionem Domini, & Concilium Chartaginense III. cap 24. præscribit, *vt in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quàm quòd ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum.*

Locum hic sibi vendicat cognitio, & approbatio Scripturæ sacræ, quæ talis esse sciri nequit, nisi Traditione interueniente, sed titulum expressum, & quæstionem facit in articulo sequenti de Scriptura.

Tertia ratio Conclusionis sumitur à more inter mortales receptissimo, cui meritò videri potest ac debet se conformasse diuina sapientia, cuius proprium est disponere omnia suauiter Iudæos habuisse aliquas Traditiones extra Scripturam docent Origen. homil. 5. in Numeros, & in cap. 3. Epistol. ad Romanos. Hilarius in Psal. 2. Nec non Anastolius antiquissimus Scriptor Christianus apud Eusebium, libro 7. Historiarum cap. 28 Omnes Respublicæ magna ex parte Legibus non scriptis reguntur. Pericles apud Teucydidem partitus ius Athenarum in scriptum & non scriptum. Aristoteles libro 3. politicorum cap. 11. partim optimis legibus, partim arbitrio optimi viri, ciuitatem esse regendam statuit, & libro 5. de moribus, cap. 4. Iudicem seu arbitrum vocat ius animatum, cuius comparatione ius scriptum extet, sed id velut mortuum. Lycurgus nullam legem scriptam dare voluit Lacedæmoniis, vt notat Plutarchus, sed solis Traditionibus viuere, quò essent in agendo, quam in legendo diligentiores. Idem placuisse Ciceroni constat ex libro 2. de legibus & idem de Sapientibus Gallorum scribit Cæsar libro 6. de bello Gallico. Traditiones quanti faciat ius Cæsareum, esto sibi ob easdem sæpè derogetur, constat ex Digestis libro 34. de legibus. *Inueterata consuetudo pro lege non immerito custoditur, & hoc est ius, quod dicitur moribus constitutum; nam cum ipsæ leges nulla ex alia causa nos teneant, quàm quod iudicio populi receptæ sint, meritò & ea, quæ sine vllo scripto populus probauit, tenebunt omnes.* Et rursus, *Ea quæ longa consuetudine probata sunt, ac per annos plurimos obseruata non minus, quam ea quæ scripta sunt iura obseruantur.* Et lib. 6. de Instit. & iure. *Ius nostrum constat, aut ex scripto, aut sine scripto.* Imò quæ scripta non sunt, vetustate vincunt cætera.

Nam vt eleganter scribit Tertullianus in lib. de test. anim. cap. 5. *Prior est anima*, quàm littera & sermo, quàm liber, & sensus, quàm stilus.

Accedat Ecclesiæ Catholicæ dignitas; nam vt olim Iudæi excellebant omnibus nationibus, *Quia credita erant illis eloquia Dei*, vt dicitur Rom 3. Ita nunc præstat Ecclesia omnibus sectis, quod ipsa sola quippe, quæ Sponsa Christi est, nouerit omnia mysteria veræ religionis, & conscia sit secretorum Sponsi; & ideò vocetur, 1. Timoth. 3.

Columna & Firmamentum veritatis. At si omnia essent scripta, & apertè, vt Hæretici dicunt, nullum esset priuilegium Ecclesiæ; nam nihil minus scirent hæretici, & Pagani, & Iudæi, de Mysteriis Fidei nostræ, quàm nos ipsi; atque Antistites nostri sciunt, neque esset verum, quod ait Irenæus, lib. 3. cap. 4. *In solam Ecclesiam, tanquam in diues depositarium repositam ab Apostolis scientiam rerum diuinarum.*

Accedat postremò dignitas Mysteriorum multorum, quæ silentium requirunt, nec decet, vt in scripturis, quæ toti mundo obuiæ sunt explicentur: si enim ad videnda tremenda Missæ Mysteria, non licet admittere vllos non baptisatos, quomodo licebit eis eametradere scripta. Hinc Dominus seorsim discipulis interpretabatur parabolas, quas populo loquutus erat Luc. 8. & Paulus 1. Corinth. 2. ait. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, & passim veteres, cum de Sacramento Eucharistiæ loquuntur, dicunt. *Norunt fideles, norunt initiati.* Hanc rationem afferunt Dionysius cap. 2. Hieronym. Eccles. Origen. hom. 5. in Numeros, Basil. lib. de Spiritu-Sancto, cap. 27. & Innocentius I. in Epistola 1.

Addo res humanas mutationi obnoxias, & statum mundi pendere à tot circumstantiis, vt necessariò in manu & determinatione relinquendæ sint, vt temporis opportunitati decreta sua contemperet, quod videre est in vtroque Testamento.

Præceptum Circumcisionis non fuit obligatorium per quadraginta annos in deserto, & vim suam resumpsit in ingressu terræ promissæ, Iosue 5. Agnus Paschalis comedi debebat stando, baculum tenendo, calceatis pedibus, & accinctis renibus Exod. 12.

Hæ cæremoniæ non obseruabantur post captiuitatem babylonicam, & tempore Christi sedendo in strato comedebatur. Marc. 14. Circumcisio & onera legis, excutiuntur. Actor. 15. Hoc tamen relicto, quòd à simulachrorum immolatis, sanguine, & suffocato abstineant Christiani. Hoc & antiquatum fuit jampridem authoritate Ecclesiæ, quæ potest festa & solemnitates statuere, vt & synagogam fecisse die 25. Casleu. legimus 2. Machab. 1. Ex his euincitur authoritas Ecclesiæ & amplitudo verbi Dei, quod non sola Scriptura, verùm etiam Traditione continetur, imò priùs Traditione, quam scripto: Legem enim gratiæ Christus viua voce tantùm tradidit, nec eam scribi mandauit, sed prædicari tantùm. *Prædicate*, inquit, *Euangelium.* Marc. 16.

Regulæ ad discernendas veras Traditiones.

NOn sufficit ad stabiliendam Traditionis notitiam vnius & alterius Scriptoris Ecclesiastici testimonium; nam Eusebius libro 3. Historiarum, cap. 39. scribit Papiam Episcopum, Hyerapolis auditorem Ioannis Euangel. fabulosa quædam, & peregrina, tanquam ex viua Traditione Apostolorum ad se relata scripsisse, vnde Chiliastæ, seu millenarij errorem suum mutuati sunt, malè interpretantes cap. 20. Apoc. & docentes Christum post mille annos ab Ascensione sua descensurum in terras, & in deliciis vna cum Sanctis regnaturum in terris, Scriptura autem hic spiritualiter intelligenda est, vti postea Damasus Papa hunc errorem, definiuit contra Apollinarem Laodicenum, peruicaciter hunc propugnantem. Quando autem, quid simile Traditionis nomine obtruditur, Ecclesia edocta à Spiritu-Sancto subitò reclamat.

REGVLA I. Est quando vniuersa Ecclesia aliquid amplectitur, vti dogma Fidei, quod non inuenitur in Scriptura, necesse est dicere, id ex Traditione Apostolorum haberi: ratio huius est, quia cum Ecclesia vniuersa errare non possit. *Est enim Columna & Firmamentum veritatis.* 1. Timoth. 3. & cum de ea dictum sit à Domino Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam.* Profectò quod Ecclesia de fide esse credit, sine dubio est de fide: At nihil est de fide, nisi quod Deus per Prophetas, aut Apostolos reuelauit, aut quod euidenter

dentes inde deducitur, non enim reuelationibus nouis nunc regitur Ecclesia, sed in iis permanet, quæ tradiderunt illi qui ministri fuerunt sermonis: ideo Ephes. 1. dicitur, *Ædificata supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Igitur illa omnia quæ Ecclesia tenet de fide, tradita sunt ab Apostolis, aut Prophetis scripto, aut verbo: sic creditur, numerus Canonicorum Librorum, Virginitas Beatæ Mariæ, *&c.*

Regula 2. quando Vniuersa Ecclesia aliquid obseruat quod nemo potuit constituere, nisi solus Deus, quod tamen nusquam inuenitur scriptum, necesse est dicere hoc ab ipso Christo & Apostolis, eius esse traditum, ratio est similis superiori, nam Ecclesia vniuersa non potest errare in credendo, nec in operando præsertim in ritu, & cultu diuino rectéque August. epist. 118. docet insolentissimæ esse insaniæ existimare non rectè fieri quod ab vniuersa fit Ecclesia, ergo quæ Ecclesia non potest rectè seruare nisi sint instituta à Deo, & tamen seruat, necesse est dicere à Deo instituta, licet nusquam legatur, erraret enim Ecclesia grauissimè si sine mandato Dei paruulos qui actu non credunt baptizaret, idem dic de baptismo hæreticorum quod ratum haberi supra d xi.

Regula 3. Id quod in Ecclesia vniuersa, & omnibus retro temporibus seruatum est, meritò creditur institutum ab Apostolis, etiamsi illud tale sit, vt potuerit institui ab Ecclesia: hæc regula est Augustini lib 4. contra Donat. cap. 24. exemplo sit ieiunium Quadragesimæ id enim poterat institui ab Ecclesia si Christus, vel Apostoli non instituissent, tamen dicimus, & probamus à Christo, vel Apostolis institutum, quia sursum ascendentes, & quærentes originem huius instituti, non inuenimus nisi tempore Apostolorum, multi Patres mentionem de eo faciunt deuenitur vsque ad Clementem lib. 5. const. Apost. cap. 13. & Canone 78. Apostolorum: sic probantur diuersi ordines, licet enim Concil. Carthag. IV. exprimat ritum ordinationis singulorum ante hoc Hieron. in cap. 2. ad Titum omnes præter acolythos enumerat; ante eum Conc. Laodicen cap. 24. ante illud Cornelius Papa, in epist. ad Fabium asserit in Ecclesia Romana fuisse suo tempore, præter Episcopos Presbyteros 46. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acolythos 42. Exorcistas cum Lectoribus, & Ostiariis 52. sed & ante Cornelium, Ignatius in epist. ad Antiochenses, salutat nominatim omnes ordines.

Regula 4. cum omnes Doctores Ecclesiæ, communi consensu docent aliquid, ex Apostolica traditione descendere, siue in Concilio generali congregati, siue seorsim in libris publicè scribentes, illud credendum est esse ex traditione Apostolica, ratio est, quia si omnes Doctores cum in aliqua sententia conueniunt, possent errare, tota Ecclesia errare posset quippe quæ Doctores suos sequi tenetur, & sequitur: exemplum primi est imaginum, veneratio quam ex Apostolica traditione esse asseruerunt congregati, in Conc. Nicæno secundo actione vltimâ: exemplum secundi vix inuenitur si omnes penitus Patres qui scripserunt debeant expresè aliquid dicere, tamen sufficere videtur si aliquot magni nominis expressè id asserant, & cæteri non contradicant, cum tamen eius rei meminerint, tunc enim illa omnium sententia esse non temere dici poterit, quando enim in re graui quis veterum, errauit, semper multi inueniuntur qui contradicunt. Hac regulâ, probantur ritus baptismi, ex aqua prius à sacerdote benedicta cum aliis ritibus quos Basil. Tertull. & alij commemorant, & nemo horum faciens memoriam contradicit.

Regula 5. id credendum est descendere ab Apostolica Traditione, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, vbi est integra & continuata successio ab Apostolis, hanc regulam tradit Ireneus lib. 3. cap 3. Tertull. lib. de præscrip. ratio est quia Apostoli, tradiderunt successoribus suis cum officio Episcopatus etiam doctrinam, religionis: si ergo in aliqua Ecclesia ascendendo per Episcopos sibi inuicem succedentes peruenimus ad Apostolum aliquem, & non possit ostendi quod nullus eorum Episcoporum, introduxerit nouam doctrinam, certi sumus ibi conseruari Traditiones Tertull. cap. 33. de iis qui se æque prædicare doctrinam Apostolicam iactarent. *Edant ergo origines suarum Ecclesiarum euoluant ordinem suorum Episcoporum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit authorem & antecessorem: hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, &c.*

Et quidem olim inueniebatur successio, non interrupta, non solum Romanæ sed etiam Ephesi. Corinth. Antioch. Alexandrin. Hierosolym & alibi, ac ideo Tertull. remittit homines ad quamlibet ex Apostolicis Ecclesiis, vt ibi inueniant Apostolicas traditiones, & Theodosius lege cunctos populos cap. de summa Trinit. & Fide Cathol. iubet omnes seruare eam fidem quam prædicabant, tempore illo Damasus Romæ, & Petrus Alexandriæ duo Pontifice præcipuarum Apostolicarum Ecclesiarum. At nunc defecit certa successio, in omnibus Ecclesiis Apostolicis præterquam in Romana. Et ideo ex testimonio huius desumi potest certum argumentum, ad probandas Apostolicas, traditiones, ac tunc potissimum cum doctrina, vel ritus earum Ecclesiarum à doctrina, & ritibus Ecclesiæ Romanæ dissentiunt.

Mendacia Catholicis afficta circa Traditiones.

NOuatores vt inuidiam nobis concilient, & plebem faciliùs seducere queant, multa nobis imponunt, aliena penitus à sensu, & doctrina nostra.

Primò, aiunt nos docere scripturam sine traditionibus humanis insufficientem, & imperfectam esse.

Nequaquam ita est, sed distingunt Catholici, & dicunt extare Apostolicas traditiones quæ non censentur humanæ sed diuinæ, & Scripturam aliquando per se sine illis non sufficere cum geminus eius sensus sæpe non habeatur, sine illis v. g. in baptismo paruulorum hæc Ioan. 3. dicit. *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto, & aqua non potest introire in re-*

gnum Dei, non constat de paruulis intelligenda in suo legitimo sensu nisi ex Traditione, sic docent Origen. in 6. ad Rom. August. lib. 2. de bapt. contra Donat. cap. 7. Alia ratio est, quia multa creduntur à Christianis quæ non habentur ex Scriptura, sed ex sola traditione.

Secundò, mentiuntur quòd dicamus omnes Traditiones nostras esse Apostolicas.

Hoc non dicimus, nisi de eis quas firmissimis antiquorum testimoniis tales esse probamus, vnde in hoc Articulo professionis distinctio Ecclesiasticarum exprimitur, quas à summo Pontifice, Conciliis, Prælatis inductas fatemur easque inæqualis authoritatis, cum Apostolicis, quas tamen ad sui obseruantiam obligare constat, cum filius reuerentiam & obedientiam, Patri debeat & Christianus, eo ipso Patrem spiritualem, & pastorem suum audire debeat ex præcepto scripturæ, Luc. 10. *Qui vos audit me, audit qui vos spernit, me spernit.*

Tertiò, calumniantur quod dicamus nos mereri gratiam iustificationis, & remissionis peccatorum per Traditiones humanas.

Extat in contrarium doctrina Concil. Trident. sess. 6. cap. 8. quæ hanc gratis dari per merita Christi, docet, gratis autem iustificari, ideo dicimur quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsa iustificationis gratiam prometetur.

Quartò, sic agunt Nouatores quasi ipsi Scripturas tantùm, nos verò Traditiones tantùm defendamus, nec curemus: an Traditiones sint secundùm scripturam, an contra ipsam.

Nequaquam ita est, pluris enim facimus Scripturam quam ipsi obtruncatores eius, & deprauatores pro suis erroribus. Nec vllam admittimus traditionem, contra scripturam.

Quintò, mentiuntur quod asseramus Traditiones Apostolorum scriptas, esse arbitrarias, & quas dicunt nos confingere, obligare sub periculo salutis.

Nequaquam hoc commenti sumus, sed dicimus Traditiones scriptas obligare diuersimodè: quando Traditio est, de doctrina fidei, vel de re gesta obligat ad credendum, non ad operandum sicut traditio de morte Christi: at quando est de præceptis morum obligat ad operandum. Quod idem & de non scriptis asseueramus.

Sextò, mentiuntur quod dicamus Deum constituisse vt doctrina Christi & Apostolorum, non scriberetur in libris, sed tantùm viua voce traderetur. Ipsi autem asserunt Apostolos habuisse mandatum vt scriberent: sed vtrumque falsum est. Primum nullus Catholicorum docuit: sic enim Apostoli, & Euangelistæ, nostrâ ex sententiâ grauiter peccassent scribendo, sed tantùm dicimus nouum Testamentum præcipuè, scribi debere, in corde, nec necessariò exigere vt scribatur in libris. Falsum quoque est Deum mandasse Apostolis, vt scriberent, legimus enim Matth. vlt. mandatum vt prædicarent Euangelium, vt autem scriberent nusquam legimus. Itaque Deus, nec mandauit expressè, vt scriberent, nec vt non scriberent. Nec tamen negamus quin Deo, volente & inspirante scripserint, quæ scripserunt, aliud enim est, aliquid facere Deo suggerente & inspirante, aliud eo apertè præcipiente, sicque intelligendus est, August. cum lib. 1. de consensu Euangelist. dicit Deum imperare scribendum, intellige interno mandato, quod inspiratio est, neque obstat quod in Apoc. legimus, *scribe quæ vides.* Ioannes enim, iubetur scribere quasdam arcanas visiones, non autem doctrinam Euangelicam, & præcepta morum, de quibus est quæstio. Quod autem quasi per vim, & ex occasione Euangelistæ scripserint, habetur ex historia Ecclesiastica, Eusebius lib. 3 hist. cap. 18. *Solus Matthæus, & Ioannes nobis quædam monumenta litteris prodita post se reliquerunt. Quos etiam fama est necessitate quadam adductos, se ad scribendum contulisse.* Idem paulò post. *Lucas quoque in ipso sui Euangelij principio causam cur illud, contexere sit aggressus proponit: nimirum quod plerique alij eorum, sermonum declarationem, imprudentiùs, & minus consideratè, instituissent quorum veritatem, ipse satis exploratè cognitam habebat.* Idem etiam paulò post. *Matthæus cum iam antea, verbum Dei prædicasset Hebræis, simul ac in animo habuit ad alias, gentes proficisci, Euangelium suum patrio sermone conscripsit, & quod illis à quibus decessit deesse dum præsens, apud eos erat videbatur, illud sedulitate, & labore scribendi omnibus suis quasi numeris expleuit.*

Nicephor. lib. 2. hist. cap. 15. *Tantum autem in auditorum animis pietatis, lumen reliquit Petrus, vt auditis contenti esse, & in iis quæ sine scripto de diuino verbo addidiscissent permanere non possent, quam ob causam Marcum, qui tum Apostolum consectabatur magna animorum contentione contestantur, vt monumentum aliquod traditæ sine scripto disciplinæ in litteras relatum eis relinqueret: neque prius inde, discederet quam id quod rogatus esset perfecisset, quo cognito Apostolus diuini instinctu spiritus, perquam est tam eximia eorum virorum delectatus voluntate, & cupiditate, proindeque scriptum, id indicio suo comprobauit, & vt in Ecclesiis legeretur constituit.*

Soluuntur obiectiones contra Traditiones.

Dices 1. Scripturam euertere Traditiones. Deuter. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.* Et Prouerb. 30. *Ne addas quicquam verbis illius.*

Respondeo, ineptissimè hæc proponi, quia dum Nouatores sic oppugnant Catholicos, impetunt ipsos Apostolos, à quibus post hanc scripturam accepimus traditiones, & nominatim aggrediuntur Paulum, qui Traditiones obseruari iubet, oppugnant seipsos Brentius quia, & ipsi vt loquitur, traditionem, de scriptura quam tenemus admittenda, de exorcismo, & plures alias reuerenter accipiunt: si ergo Catholici peccant, admittendo Traditiones, peccant etiam Apostoli, S. Patres, Lutherani ipsi. At si hi innocentes sunt, cur illi damnantur? Deinde non intelligunt sensum primi loci, qui ex ipso contextu colligitur, qui sic habet. *Et nunc Israel, audi præcepta vt viuas, & ingrediaris terram, non addetis, nec auferetis.* Quasi dicat ego do vobis præcepta ceremonialia & iudicialia, quæ debetis integrè seruare, non

non addendo, vel diminuendo quod idem aliis verbis exprimit. *Non declinabitis ad dexteram, vel sinistram.* Hoc autem non sic intelligendum est, quasi non liceat noua præcepta, addere alioquin non licuisset, addere præcepta Euangelica, de Fide Trinit. de Baptismo, de Euchar. & peccassent Apostoli, & Prophetæ, qui multa post addiderunt. Vult ergo Scriptura punctualiter obseruari præcepta Mosaica, v. g. erat præceptum Mosis Leuit. 12. *Mulier si suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit per 7. dies & 8. circumcidetur infantulus*, ad hoc præceptum non licebat aliquid addere, vel auferre, id est, non licebat, nec ante, nec post diem 8. circumcidere infantulum nec immunditia matris poterat paucioribus, vel pluribus diebus, durare quàm 7. Eadem de aliis est ratio. Hinc patet testimonium Deuteronomij, quod tantopere vrgent nihil ad rem facere nisi velint sic argumentari. Iudæi debebant perfectè & integrè, seruare præcepta Mosaica, ergo Christiani non debent admittere Traditiones, Apostolicas sed sola scriptura esse contenti quæ consequentia absurda, & ridicula est. Tum vero; an putent hoc præceptum pertinere ad solos Iudæos, an etiam ad Christianos, si primum, cur contra Christianos adducunt, aut cur volunt vt nos ad illud seruandum obligemur? Si etiam pertinet ad Christianos cur aduersarij non seruant præcepta Mosaica? cur non se circumcidunt? cur alia legalia intermittunt? cur denique sicut contra nos vrgent particulam illam, *non addetis*, non pariter contra seipsos vrgent alteram, *non auferetis*. Hic hærent. Tum ibi non agitur de verbo scripto, sed viua voce tradito, nam non ait, ad verbum quod scripsi, sed quod præcipio. Itaque non vult Deus dicere non seruabitis aliud quàm quod nunc præcipio, multa enim postea præcepit, vbi enim legitur quod iussisset arcam circumduci eámque adorari? primum præcepit Iosue 6. 2. Psalm. 68. *Adorate scabellum pedum eius.* Vbinam legitur in lege quod semel stabilita sede Arcæ, & tabernaculi in terra promissionis quæ fuit ciuitas, Silo transferenda esset, & demùm in Hierusalem collocanda? multa itaque Deus postea præcepit per Prophetas quæ non sunt scripta, sed tradita tantum, vel inspirata habita sunt. Locus ergo iste importat præcisè, in hoc quod iubeo nihil mutabitis.

Respondent nouatores, non addidisse Prophetas quicquam ad legem, quantum spectat ad doctrinam, sed tantum vaticinia quædam scripsisse, & legis doctrinam explicasse, Testamentum quoque nouum non esse additionem ad vetus sed explicationem cum Paul. Rom. 1. dicat Euangelium promissum à Deo per Prophetas in scripturis, & Act. 15. non sunt ausi Apostoli in Concilio, aliquid decernere sine testimonio scripturæ.

At contra, nam hoc modo Traditiones etiam, non sunt additiones sed explicationes, nam in lege Mosis non continentur Prophetarum scripta, neque in lege, & Prophetis continetur nouum Testamentum nisi in vniuersali, & quodammodo in virtute, sicut tota arbor, continetur in semine: habemus enim in Deuteron 18. *Prophetam suscitabit tibi Deus, illum audies*, ibi autem continetur in genere quicquid Christus fecit, & dixit: at in particulari tamen quod Christus, deberet prædicare Trinitatem personarum in Deo, instituere alia Sacramenta, facere talia miracula, ibi non habetur. Quod vero allegant ex Act. 15. contra ipsos est, nam etsi Iacobus in eo Concilio probauit ex Scripturis, Ecclesiam ex Gentibus esse ædificandam, tamen decretum Concilij, nusquam inuenitur in scripturis veteris Testamenti. Decreuerunt enim, vt Gentes non seruarent legalia, excepta tamen abstinentia à sanguine & suffocato cuius decreti secunda pars nusquam inuenitur in V. T. vbi enim quæso vllus Propheta dixit Messiæ temporibus prohibenda esse suffocata & sanguinem?

Sic etiam quia scriptum est 2. Thessal. 2. *Tenete Traditiones, &c.* Et Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Et Matth 18. *Si quis Ecclesiam non audierit*, idcirco nos affirmamus Traditiones esse quodammodo explicationes verbi scripti, non quod nudam contineant expositionem, sed quia omnes Traditiones, & decreta Ecclesiæ continentur in scripturis in vniuersali, sed non continentur nec contineri debent in particulari, quare August. lib. 1. contra Crestonium cap. 33. ait. *Quamuis certum de scripturis non proferatur exemplum, tamen earumdem à nobis tenetur veritas cùm id facimus quod vniuersa placet Ecclesiæ, quàm ipsarum scripturarum commendat authoritas.*

Eadem qua supra expositione decurrit Deuteron. 33. *Quod tibi præcipio hoc tantùm* facito, nec addas quicquam nec minuas. Hinc enim ineptè, & contra sensum Dei colligitur, Traditiones, & præcepta humana irrita & contemnenda esse, quid enim hoc posito dicemus de Iudæis, qui accuratè seruarunt præceptum de festo Encœniorum quod non erat diuinum sed humanum? Quid de Rechabitis qui exactè seruarunt præceptum Patris sui Ionadab de perpetua abstinentia à vino Ierem. 35. Quid de Apostolis qui Act. 15. abstinentiam à sanguine suffocato indixerunt? Quid de Paulo qui 1. Corinth. 7. distinguit inter sua, & Christi præcepta? Quid de magistratibus, qui mandata humana ad pacem, & iustitiam in Repub. conseruandam præfigunt? Quid denique de ipsis aduersariis qui in Synodis, & conuenticulis suis leges, & statuta Ecclesiastica condunt, quæ ab omnibus obseruari volunt.

Sensus loci illius est, cum veneris in Palestinam ad quam tendis, & obtuleris Deo sacrificium, non imitaberis Gentiles, qui falsis diis offerunt filios suos per ignem, sed hoc tantum offeres quod ego præcipio, nempe ex animalibus boues, capras, hædos, vitulos, columbas, passeres, turtures: ex fructibus terræ panem, similam, salem, spicarum manipulum, triticum, thus: ex liquoribus sanguinem, vinum, aquam, oleum, *hoc tantum facito*, id est, offerto Domino. Quæ ergo consequentia hæc? Iudæi offerre tantùm debent, quæ Deus determinauit. Ergo Christiani non debent, seruare præcepta humana, siue Ecclesiastica, siue ciuilia?

Dices, Isa. 8. *Ad legem magis, & testimonium quod si non dixerint, iuxta hoc verbum non erit eis lux matutina.* Hinc supprimi verbum non scriptum contendit Geneua; sed

ſed extra rem & ineptè affertur. Nec enim Prophetæ ſcopus eſt euertere Traditiones, aut de eis loqui, ſed prædicens quæ immineant mala recedentibus à lege, & contra eius præceptum quærentibus à diuinis, & Pythonibus de tempore liberationis Iudæ ab oppreſſione Syriæ & Samariæ, docet conſulendum Deum, non autem recurri ad Pythones, aut mortuos loco viuentium, aut veri Dei Prophetarum, qui ſecundùm legem loquuntur. Pythones autem, & diuini excludebantur à populo Dei, Deuter. 18. Conſulenda erat Arca Domini, in qua ipſe dabat reſponſa, & Caluin ipſe, licet aliàs hunc locum è doctrina Legis expoſuerit, tamen poſtea in commentariis Pentateuchi interpretatus eſt de præcepto à lege ordinato conſulendi Prophetas, exponens enim verſiculum illum Deuteronomij. *Suſcitabit tibi Deus alios Prophetas, mihi ſimiles illos audies:* ſic habet, *nec dubium eſt, quin ex hoc loco doctrinam illam ſumpſerit Eſaias.* Eſto autem locus iſte præciſè exponendus ſit de Lege Moſis, nec debeat exponi de præcepta conſultatione Prophetarum, vel Arcæ, quo quæſo iure vſurparur ad excluſionem Traditionum Patriarchalium? Quis enim neſciat Iudæos multa de fide crediſſe ex ſola Traditione, verbi gratia, immortalitatem animæ, iudicium finale, reſurrectionem mortuorum, vitam æternam, illa enim non exprimit Lex Moſis. Quod autem Chriſtus ex vno textu legis, quo Deus dicitur, Deus Abraham, Iſaac & Iacob, & non ſit Deus mortuorum concludat vitam æternam, nihil facit contra Hebræos, primos, qui hanc ex ſola Traditione & verbo non ſcripto credebant, quia vſque ad Chriſtum ignotus, huic eruendæ conſequentiæ habebatur textus ille, ideò Rabbini admirati ſunt, tanquam ad rem inauditam.

Addo, quod ſi vis facienda eſt in iſto Iſaiæ loco, Euangelium & Apoſtolica ſcripta excludenda erunt, ſi autem extenſiuè legem interpretamur Vetus & Nouum Teſtamentum, certè vtrumque in fauorem Traditionum pronuntiat. Deuter. 32. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, Maiores tuos, & dicent tibi.* Prouerb. 1. Pſalm 43. Iſai. 38. Hier. 6. Eccleſ. 8. & loca Noui citata. Addo non videri quis dicere contra legem, quamdiu nihil profert contrarium. Stat ergo Iſaiam non cogitare hic de Traditionibus, & ad Iudæos tantùm verba hæc referri, vti ex Pſalm. 18. *Lex Domini illuminans oculos,* cui acceſſere ſubſequentes libri 29.

Dices ex nouo Teſtamento. Matth. 18. Chriſtus damnat Traditiones, allegans Iſaiam 29. *Sine cauſa colunt me docentes mandata & doctrinam hominum.*

Reſpondeo ineptè hoc ab Arrianis iamdudum & nouiter à Caluiniſtis afferri contra Catholicos, nec enim Chriſtus arguit Traditiones, quas Iudæi acceperant à Moſe & Prophetis, id eſt diuinas, quarum vna erat de ipſis libris canonicis, qui eſſent tales, & qui non, ſed arguit Traditiones quaſdam, & inſtitutiones humanas, quas acceperant à recentioribus Rabbinis, vt baptiſmata calicum & ſextariorum, & ſimiles, quarum aliquæ inanes, aliquæ perniciosæ erant, & contra ſcripturas inſtitutæ à Rabbi Symai, & Rabbi Hillel primariis in Ordine Scribarum & Phariſæorum: vnicam autem Chriſtus hic reprehendit traditionem de offerendis in Templo rebus neceſſariis ſuſtentationi parentum; Rabbini enim ex auaritia diſpenſa-uetant filios ab obligatione ſubueniendi parentibus, ſub prætextu offerendi dona ad altare, quod erat, vt dicit Chriſtus irritum facere mandatum Dei, propter humanam & malam traditionem. Et quia aliàs non reprobat, illas probat, exceptio ſiquidem firmat regulam, & intelligitur conceſſum, quod non inuenitur prohibitum paralogiſticè, & contra intentum Chriſti verba eius à Traditionibus humanis, ad Propheticas & Apoſtolicas transferuntur, & iniquè ponuntur, in eodem ordine Rabbinica mandata, & humanæ eorum doctrinæ cum Propheticis & Apoſtolicis: ſiquidem Moſaïcarum & Legalium Traditionum obſeruantiſſimus erat Chriſtus, qui *non venit Legem ſoluere, ſed adimplere.*

Similiter impropriè vrgetur locus Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas, quia exiſtimatis vitam æternam habere in illis.* Nam Chriſtus loquitur dumtaxat ex mente Iudæorum, exiſtimantium ſolum Teſtamentum vetus admittendum, & quæ per illud probari poterant, in quo iudicio, ſi non erraſſent, ſequeretur ſuperfluum eſſe totum Teſtamentum nouum. Etſi autem in hoc errarent, quia tamen ex Veteri conſtare ſatis poterat in Chriſto concurrere omnia de venturo orbis reparatore prædicta, eos ad illud remittit, vt conuincantur. Adde, quod non dicit ſcrutamini Scripturas ſolas, & ſic non excludit Traditiones.

Dices Galat. 1. *Licet nos, aut Angelus de Cœlo euangeliſauerit vobis, præterquam quod euangeliſauimus vobis, anathema ſit.* Ergo præter Euangelium non admittendæ Traditiones.

Reſpondeo primò, retorquendo in Aduerſarios, qui euangeliſant, præter id quod Paul. euangeliſauit, quia oppugnant Traditiones, contra id ſecundæ Theſſal. 2. *Tenete Traditiones.*

Reſpondeo ſecundò, examinandum eſſe ſcopum Pauli, vt inde ſciamus, an hic damnet Traditiones, ſcopus is eſt, Galatæ docti erant à Paulo abrogatas eſſe cæremonias Legis, & neminem per illas iuſtificari poſſe, ſed per fidem in Chriſtum: ab hac doctrina fuerunt abducti, per quoſdam Pſeudo-Apoſtolos docentes, vna per fidem in Chriſtum obſeruandam eſſe Circumciſionem, & reliqua Moſis præcepta; Paulus ad hæc inſultat, ſi quis aliter vos inſtruit, quàm euangeliſaui anathema ſit. At hinc non ſequitur, Traditiones Apoſtolicas eſſe reiiciendas, ſed potius conſeruandas; quia non ſunt præter aut contra, quod Paulus euangeliſauit Galatis de iuſtificatione agens, ſed potius ſunt, id quod Theſſalonicenſibus euangeliſauit.

Reſpondeo tertiò, hic agi de omni verbo, ſiue ſcripto, ſiue tradito, non enim dicit præter id quod ſcripſimus. Tum ambiguitas eſt in voce, *præter* Græcè παρὰ, commune enim eſt, Scripturæ ſacræ & profanæ illam vſurpare, pro contra Paul. Roman. 6. *Obſeruate eos qui diſſentiones & offendicula, præter doctrinam quam accepiſtis faciunt.* Παρὰ την διδαχην. Græci loquuntur ſic, παρὰ φύσιν, contra naturam, Latini etiam præter morem, ac legem, id eſt,

contra

contra Ambrosium exponit. *Si contra* Hieron. *Si aliter*, Biblia Geneuæ 1582. vertit contra, vbi Beza subnectit. *vt ambiguitas vocis præter auferatur.*

Quæres, cur Paulus non habet contra?

Respondent Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius; quia intentio Apostoli, non solùm est anathematisare eos, qui apertè docent contraria quædam doctrinæ Christianæ, sed & eos qui directè, vel indirectè alicui eius parti contradicunt. De istis autem repugnantibus doctrinis, & Traditionibus humanis interpretandus est Isaias 29.

DIces 1. Cor. 4. *Hæc autem transfiguraui in me, & Apollo propter vos, vt in nobis discatis, ne supra quam scriptum est vnus aduersum alterum infletur pro alio.* Geneua deprauat traducendo, *hæ*, ταῦτα, pro *has res*, hos discursus, vt insinuet hic agi de verbo, & consequenter nihil esse credendum, quod non sit scriptum, & vult Paulum arguere Corinthios, quòd audirent pseudo-Prophetas quædam prædicantes, quæ non erant scripta. At talis non est scopus Pauli, sed isti Corinthij superbiebant de qualitate Doctorum suorum, qui Paulum, qui Apollo, qui Christum agnoscebat, hos ergo arguit Paulus. *Quid*, inquit *Paulus? quid Apollo? Nonne omnes serui Christi.* Summa æstimationis nostræ hæc est, quam scripsi, quòd serui Christi sumus, sicque reddit Varablus, non supra id quod scriptum est, sentire nempe quod præcones Euangelij sunt ministri & domini. *Hæc*, significat hic res prædictas.

Instabis ex Apoc. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus plagas scriptas in libro hoc.*

Resp. Ioannem prohibere corruptionem libri illius, non autem ne alij libri, vel dogmata tradantur, ipse enim secum pugnaret, qui Euangelium scripsit post Apocalypsim.

DIces 2. Timot. 3 *ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo. Omnis enim Scriptura diuinitus inspirata vtilis est, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Geneua deprauat legendo tota Scriptura, idque, vt suadeat Paulum loqui de toto codice, seu corpore Bibliæ, & sic pro *vtili* facilius legat, aut exponat sufficiens. Paul. vero loquitur de qualibet singulari parte Scripturæ. *Omnis* distributiuè, & non collectiuè, tunc autem vtilis non potest poni pro sufficiens; nam singulatim quælibet pars Scripturæ non potest quaslibet elucidare, aut dirimere controuersias fidei, etsi quælibet dictata sit à Deo.

Respondeo itaque primò, hunc locum non impingere in Traditiones, nam primò certum est Paulum loqui de Veteri Testamento, vt habet Geneuensis anni 1588. Timothæus enim has solas ab infantia didicerat, quarum interim instructio prodesse poterat ad salutem accedente Christi fide, nec enim cum infans erat extabat adhuc Nouum Testamentum.

Respondeo secundò, scripturam sufficienter instruere, & perficere hominem Dei, quia multa expressè continet, & quæ non continet ostendit, vnde sint petenda, ideóque dicitur, liber vitæ, sed illa sunt etiam Traditiones æqualis cum verbo scripto ponderis.

Respondeo tertiò, omnem inspiratam scripturam esse vtilem, at vtilis nunquam infert sufficientiam; aqua verbi gratia vtilis est ad vitam hominis, ergo sufficiens? nequaquam. Pietas vtilis est ad omnia, non tamen inferendum est, quod sufficiat ad plenum regimen Ecclesiæ, vel ad totalem instructionem Christianorum, & impugnationem hæreticorum. Adde, hæc dicta esse de Veteri Testamento, quare sequeretur Nouum fuisse inutiliter scriptis mandatum.

DIces Coloss. 2. *Videte ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, & secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.*

Respondet Becanus, Christum & Apostolos loqui tantùm de Traditionibus Iudæorum, quibus Pharisæi malè vtebantur, vel de traditionibus Gentilium, quæ Fidei Christianæ repugnabant. At tales non sunt, quas amplectimur, sed diuinæ & Apostolicæ.

Respondeo ego, Paulum vti & Petrum in prima primo capite, redempti estis, &c. non distinguere Traditiones à lege Mosaïca, sed totam legem cæremonialem vocare traditionem hominum, non quod ipsa à Deo non fuerit instituta, sed quia eius institutio terminaret in Christo mortuo, qui dixit, *Consummatum est.* Vnde propagatio obseruationis Legis, expirato eius termino non censetur ampliùs Lex Dei, sed Traditio & doctrina hominum: similiter per Philosophiam non intelligit, quod Græci in scholis suis vocant Philosophiam, sed tangit eorum doctrinam, qui apud Iudæos vocabantur sapientes, de quibus primæ Corinthior. 1. *Perdam sapientiam sapientum, vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor sæculi.* Similiter per elementa non intelligit ea quæ mundum sublunarem componunt, sed tangit figuras & cæremonias Iudæorum, quas Galat. 4. *Infima & egena elementa vocat.* Et vocat elementa huius mundi, quia Lex Iudaïca in ritu & cultu æterno bona terræ promittebat, & altiùs non spectabat, vnde est, quod sanctuarium legale vocat Hebr. 9. *Sanctum sæculare*, seu mundanum. Quod autem hic sit sensus Pauli, patet ex sequentibus. *Nemo ergo vos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, & neomeniæ, aut sabbathorum, quæ sunt vmbra futurorum, Corpus autem Christi.* Hoc euidenter demonstrat eum loqui de obseruantiis ritualibus legis, quæ vmbræ & figuræ propheticæ erant doctrinæ Christi, ad quarum obseruantiam Hæretici, Legalistæ dicti reuocare volebant & inducere Christianos è Gentilismo conuersos. Hieronymus in Epistola ad Algasiam 151. quæst. 10. Hæc omnia pronuntiat in dictos Legalistas, de quibus non parua contentio orta legitur in Act. Qua autem fronte in Traditiones non scriptas allegantur, quæ Paulus scribit contra obseruantiam rerum scriptarum in Lege Mosis? Cum Paulus præ omnibus commendet Traditiones. *Itaque fratres state, & tenete Traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Vbi Geneua pro legitimo verbo παραδόσεις, Traditiones vertit, deprauatè documenta, Institutiones, &c. Idque vt dissimuletur legitimus nominis Traditionis vsus in Ecclesia, vel in

in Scriptura. Nec cauillandum est Paulum hic loqui de Traditionibus, tunc non scriptis, quæ litteris sint consignatæ; nam Traditio cuius occasione præceptum generale de omnibus instituit Traditionibus tenendis specialis est Traditio, scilicet specialis causa retardationis aduentus Anti Christi, quæ nusquam scripta fuit.

DIces illa loca, quæ sufficientiam Scripturæ argüunt, vt Ioan. 20 *Multa quidem alia fecit Iesus signa. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quod Iesus est Filius Dei, & vt credentes vitam æternam habeatis in nomine eius.* & Act. 1. Lucas docet se *sermonem fecisse, de omnibus quæ Iesus fecit & docuit.* Vnde concluditur. Hæc quæ scripta non ambiguntur sufficere sine Traditionibus.

Respondeo primò, quod Geneua deprauat vertendo pro *hæc*, quod refertur ad signa, hæ res ταῦτα, pronomen relatiuum est, & mutat in demonstratiuum, istæ res, vt quæ Ioannes narrat de sufficientia miraculorum Christi referantur ad sufficientiam doctrinæ, vel libri Ioannis: quod quàm erroneum sit patet; nam liber Ioannis multa de Christo credenda tacet. Tum vel totus Canon sufficit, vel singulariter aliquis liber, proinde rescindi potest aliquis, & tamen remanere dicenda esset plenitudo doctrinæ, si autem aliquis supprimi potest, quis quæso? & quæ major ratio vnius, quam alterius? Miracula ad quæ Ioannes refert. quod dicit, non sufficiunt nobis ad salutem, referuntur quidem ad illam, & sunt vnum ex mediis quibus ad Christum peruenimus.

Nota ergo officium aduerbij, *vt*, esse denotandi relationem finalem, seu causam, propter quam aliquid fit, seu directionem rei ad finem suum. Quamuis Ioannes expresse dixisset doctrinam Euangelij scriptam esse, vt vitam æternam habeamus, non tamen inde colligendum, quod ipsa sola sufficiat: probatur primæ Timot. 3. *Hæc tibi scribo, vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari.* Nunquid inde ineptè colliges ea sufficere ad gubernationem Ecclesiæ? Ioan. 5. *Misistis ad Ioannem & testimonium perhibuit veritati, ego autem non ab homine accipio testimonium, sed hæc dico, vt vos salui sitis.* Similis est phrasis primæ, sequitur, ne. ideò sermonem Christi ad Iudæos continere omnia quæ sunt fidei Christianæ, & documenta Apostolica non esse necessaria? Vera ergo ratio est, quam & Caluinus admittit illa signa Christi scripta esse, vt credamus in quantum fides nostra promoueri potest per signa. Addo licet Ioannes pronomen *hæc* referret ad integrum suum Euangelium, non tamen sufficeret ad Christiani institutionem, nec ad vitam æternam vtraque enim pendet à multis fidei dogmatibus, quorum non facit mentionem, sed sparsa habentur in aliis diuinis litteris, verbi gratia, Eucharistiæ, & aliorum, & ex parte in Traditionibus.

Ad Lucam Respondeo fuisse complexum, omnia in genere, non in specie; nam si in specie, & singulatim omnia perstrinxit? cur tot alia extant apud alios Euangelistas, quæ Lucas siluit, vt illud Ioan. 1. *In principio erat verbum.* Et quamuis in specie quoque attigisset, quæcumque fecit Christus non sequeretur futiles esse Traditiones, quia Christus non omnia per se docuit, quæ doceri nos voluit, ait enim, Ioan. 6. *Multa adhuc habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cùm autem venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

DIces, ex Patribus, Irenæus aduersùs hæreseos, lib. 3. c. 1. *Euangelium præconiarunt Apostoli, postea vero, per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum, & columnam fidei nostræ futurum.*

Respondeo, neminem dubitare, quin Euangelium sit fundamentum fidei, nam vt 1. Cor. 15. dicitur, si Christus non resurrexit, vana est fides nostra, nisi enim credamus Verbum humanatum à mortuis rediuiuum misisse Apostolos cum potestate Ecclesiam fundandi, & fidem stabiliendi, vt Luc. 10. dicitur, qui vos audit, me audit, frustra crederemus extare aliquas Traditiones. Principia & rudimenta cuiusvis scientiæ sunt fundamentum eiusdem: Symbolum Apostolicum est basis & fundamentum Christianæ religionis, Hincque Tertullianus. *Symbolum scire est omnia scire.* Confessio Petri sæpissimè vocatur à Patribus fundamentum Ecclesiæ, nunquid tamen præter hunc articulum. *Tu es Christus Filius Dei* multa alia sunt Christiano profitenda? Fundamentum substat, equidem toti ædificio, & singulas eius sustinet partes, sed non omnes continet, imò nec immediatè eas sustentat, sed contiguas tantùm, & alias mediantibus sibi proximis: Apostolorum authoritas innititur his verbis Luc. 10. & Ioan. 16. *Mittam in vos spiritum veritatis.* Authoritas verbi non scripti fundatur generaliter in his 2. Thessal. 2. *Tenete Traditiones*, &c. 2. Timoth. 2. *Quæ audisti à me hæc commenda*, &c. Authoritas Ecclesiæ, quæ ipsas conseruat, & declarat, specialiter fundatur in his 1. Timoth. 3. *Ecclesia est Columna & Firmamentum veritatis*, & in aliis similibus. Et ideò Euangelium est fundamentum Fidei & Ecclesiæ.

Instabis Irenæum hic agere contra eos, qui à Scriptura ad Traditiones recurrebant.

Respondeo, verum est, sed arguit effictas, & supposititias, quas proferebant Marcion, Cerintus, Basilides, qui & falsas scripturas, necnon apocryphas Traditiones supponebant, quas occultâ viâ se habuisse asserebant. Itaque Irenæus non conuellit Traditiones authenticas Apostolorum transmissas, per vniuersalem consensum successorum suorum.

DIces, ex Tertulliano lib. 22. contra Hermogen. *Adoro plenitudinem Scripturæ.*

Respondeo, cùm hæc scripsit, iam erat Montanista; nam in eodem libro scribit. *Hermogenes redolet contagionem eorum, qui nuptias reiterant.* Itaque sufficit responsio Hieronymi, de Tertulliano non curo, cùm tunc non esset membrum Ecclesiæ.

Resp. præterea non dixisse simpliciter plenitudinem: *Sed plenitudinem in hac clausula. In principio creauit Deus cœlum & terram, per quam & factorem, & res factas mihi manifestat.*

Instabis in lib. de Resurr. cap. 3. ait, *Auferte ab hæreticis, ea in quibus cum paganis conueniunt, ita vt, in sola Scriptura hæreant, non subsistent.*

Resp.

Resp. hic hæreticos non dicit in vniuersum, sed resurrectionem carnis negantes, qui à paganis multa mutuabantur, ad impugnandum hunc articulum. Ibidem cap. 47. vocat, *hæreticos lucifugas Scripturarum*, Gallicè reddo, *les hiboux des Escritures.*

Resp. non loqui de iis, qui solam Scripturam allegant, sed de iis, qui in ea Textus difficiles & obscuros, prætermissis lucidioribus exquirunt, verba eius sunt. *Itaque locus Epistola ad Thessal. ita euidens est, vt exaratus videatur radiis solaribus, quomodo capient lucifuga Scripturarum?* Ex his similes Patrum authoritates solue, qui exclusionem non tangunt Apostolicarum Traditionum, sed ratiocinationis humanæ & priuatæ.

Dices, ex ratione Traditionis porta lata est, quæ multa falsa in Ecclesiam introducere potest, si ad Scripturæ normam non sint examinanda, & sic paulatim, ea in quibus rei Christianæ cardo vertitur pessumdabuntur. Videmus siquidem sanctissimos viros, sic olim deceptos fuisse. Papias, vt notaui, deceptus dicitur, ea Traditione cui fidem habuerunt Irenæus, Tertullianus, Lactantius, & alij, vt notat Euseb. lib. 3. hist. c. 39. Præterea Irenæus lib. 2. c. 39. & 40. docet ex traditione Christum anno ætatis suæ quinquagesimo, aut circiter passum esse. Tertull. autem lib contra Iudæos, c. 5. Clemens Alex. lib. 1. stromatum docent anno trigesimo passum, quæ omnes Traditiones falsæ sunt.

Respondeo primò, si valeret argumentum, non solùm Traditiones, sed etiam Scripturæ reijciendæ essent; nam multi etiam libri falsi, & perniciosi, ornati fuerunt olim titulo librorum Canonicorum, titulo Petri, titulo Bartholomæi, &c. vt patet ex Gelasio, in Concil. 70. Episcoporum, ex Hieron. in lib. de viris illustrib. in Lucam. Quocirca Paul. 2 Thessal. 2. ait. *Ne terreamini, neque per sermonem, neque per Epistolam, tanquam per nos missam*, quia nimirum, & sermones viua voce, & epistolas scriptas, nomine verorum Apostolorum promulgabant falsi Apostoli. Præterea Papias suum illum errorem de mille annis, non tam ex Traditione non scripta, quàm ex malè intellecta scriptura Euangelij. & Apoc. desumpsit, vt docet Hieron in 49 Isai. & 19. Matthæi. Irenæus quoque ex Traditione, & ex Scriptura conatur probare Christum peruenisse ad annum quinquagesimum, ex illo Ioan. 8. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Tertull. & Clemens ex sola scriptura malè intellecta nituntur suum probare errorem. Frustrà ergo hæc contra Traditiones afferuntur.

Respondeo secundò, istud incommodum, quod est commune Traditionibus & Scripturis non multum obesse, neque veris Traditionibus, neque veris Scripturis, est enim in Ecclesia authoritas, & certa via, ac ratio discernendi veras Scripturas & Traditiones à falsis, neque vnquam publico iudicio Ecclesiæ liber aliquis apocryphus pro canonico receptus est, aut spuria Traditio pro vera.

Dices, Codex Bibliorum scriptus est, vt habeamus regulam & normam fidei, & morum, vt docet Aug. in ciu. cap. 18. & lib. 11. contra Faustum, cap. 9. At opera Dei sunt perfecta. Ergo Scriptura est regula perfecta & adæquata fidei nostræ. Igitur quicquid est in Scriptura est de fide, & quicquid non est in ea, non est de fide. Ergo sola sufficiens est ad fidem.

Respondeo, concedo totum; nam & Traditio includitur in Scriptura multis in locis, quos citaui, quare rescindendo Traditionem, Scriptura restat detruncata.

Respondet autem Bellarmin. ad maiorem dupliciter. Primò, Scripturæ finem proprium, & præcipuum non fuisse, quod esset regula fidei, sed vt esset commonitorium quoddam vtile, ad conseruandam & fouendam doctrinam ex prædicatione acceptam.

Quod non sit præcipuus Scripturæ finis, vt sit regula fidei probatur; nam tunc deberet continere omnia, & sola illa, quæ ad fidem pertinent, sicut videmus factum in Symbolo, quod verè dicitur compositum esse, vt sit quædam breuis regula fidei. At in Scriptura plurima sunt, quæ ex se non pertinent ad fidem, id est, quæ non ideò scripta sunt; quia necessariò credenda erant, sed necessariò creduntur, quia scripta sunt, vt patet de omnibus historiis Veteris Testamenti, & de multis Euangelicis & Actuum, & de salutationibus Pauli in Epistolis, aliisque id genus rebus.

Quod autem multa credenda sint, quæ non sunt in scripturis, ostendi suprà. Ergo præcipuus Scripturæ finis non est, vt sit regula fidei, sed vt variis documentis, exemplis, adhortationibus, nunc terrendo, nunc instruendo, nunc minando, nunc consolando adiuuet nos in hac peregrinatione. Hinc enim est, quod Scriptura non est, vnum opus continuum quale esse deberet regula fidei, sed cõtinet varia opera, historias, conciones, vaticinia, carmina, Epistolas, &c. quem finem expressit. Paul. Rom. 15. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Et 2. Petri 1. & 3.

Dicit 2. Scripturam etsi non est facta præcipuè, vt sit regula fidei, esse tamen regulam eius non totalem, sed partialem. Totalis enim est Verbum Dei, seu reuelatio Dei Ecclesiæ facta; quæ diuiditur in duas partiales regulas Scripturam & Traditionem. Et quidem Scriptura, quia est regula, inde habet, vt quidquid continet, sit necessariò verum & credendum. Quia vero non est regula totalis, sed partialis; inde ei accidit, vt non omnia mensuret, & propterea aliquid sit de fide, quod in ea non continetur, quare cum August. dicit scripturam esse regulam, nusquam addit solam.

Instabis quærendo, *An Apostoli scripserint omnia quæ prædicauerunt?*

Respondeo, quod in doctrina Christiana, tam fidei, quàm morum quædam sunt simpliciter necessaria omnibus ad salutem, qualis est notitia articulorum Symboli, item cognitio decem præceptorum, & nonnullorum Sacramentorum. Cætera non sunt ita necessaria, vt sine eorum explicita notitia & professione saluari non possit, modo promptam habeat voluptatem ea suscipiendi & credendi, quando sibi fuerint legitimè per Ecclesiam proposita. Hæc distinctio ex eo colligitur, quod sine notitia Mysteriorum primi generis, eorúmque fide, nemo adultus ad fidem admittitur. Act. 2. post vnum Petri sermonem, quo præcipua capita fidei de Christo

VVv 2 docuerat

docuerat baptizati sunt vno die, ad tria millia homines, qui sine dubio nil aliud nouerant, nisi illa necessaria, & ideò subditur, quod post Baptismum *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum*, id est discebant, quæ nondum audierant de Mysteriis Christianis. Quæ sunt simpliciter necessaria; Apostoli solebant omnibus prædicare, aliorum autem non omnia omnibus, sed quædam omnibus, quæ nimirum omnibus vtilia erant, quædam solis Episcopis & Presbyteris, verbi gratia, de ratione gubernandæ Ecclesiæ, administrandis Sacramentis, de refellendis hæreticis. His positis

Respondeo, Apostolos scripsisse quæ omnibus sunt necessaria, quæque ipsi omnibus communiter prædicabant: alia autem non omnia scripsisse, sed ore tenus, iis qui idonei erant alios docere, tradidisse sic 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, ait Paul. ea autem, quæ scripta sunt, si aliunde quam ex Traditione sensus eorum constaret, sufficiunt pro suscipiendo baptismo: non sufficiunt autem Ecclesiæ Dei absolutè, alioquin dicam Symbolum sufficere, & reliqua omnia esse superflua.

Dices, Traditiones Romanas longè plures esse Indaïcis, quæ interim ob multitudinem visæ sunt Apostolis intolerabiles; vnde Caluinistæ tyrannicas eas dicunt, quæ Christianæ libertati contrariæ sint.

Resp. falsa hæc omnia. Primùm patet ex Tostato 613. Iudaïcarum numerum notante, tot inter nos haberi nequeunt, nec propter numerum visæ sunt Apostolis importabiles, sed specialiter propter Circumcisionem. Quod autem suaues sint, asserunt ij qui jugum Christi leue esse fatentur. *Vbi enim Spiritus; ibi libertas*, 2. Cor. 3. Qualis autem hæc libertas esse deberet, quis melius nouit, quam ipsemet Christus, qui humanis quoque nos astringit legibus Matth. 23. *Omnia quæcumque dixerint vobis seruate, & facite.*

Instant Caluiniani, quod Iudaïsmum, & Gentilismum sapiant.

Respondeo, non continuò abrogandum, aut respuendum esse, si quid Iudæis, vel Paganis in vsu fuit, aliàs nec orandum iam esset, nec orando procumbendum in genua, nec tundendum pectus, nec tollendæ in cælum manus. Distinguendum itaque est. Quæ Iudæorum erant propria, & aliquid in noua Lege futurum portendebant, vt Circumcisio, aut sic à Gentibus vsurpabantur, vt manifestam impietatem aut superstitionem & reprehensionem continerent, aut perspicuè inutilia essent, nos profectò minimè decent. Quæ verò non erant eiusmodi, sed rationi rectæ consentiebant, & sapientibus sanctisque viris cunctis retro sæculis probata inueniuntur nullo modo oportet à nobis aliena ducere. Tales autem esse nostras illas Traditiones affirmat populus Dei.

Instabis Deo non esse seruiendum externis ritibus ad spiritualem directionem nihil facientibus, nec à Deo præceptis, qui seruitium, seu cultum petit in spiritu & veritate, & apud quem sola meritum habet obedientia, seu diuinorum obseruantia mandatorum.

Respondeo ex Luc. 10. Obedientiam Deo ipsi præstari in spiritu & veritate, cùm fideles obediunt præpositis suis, qui transeuntes à statu Iudaïco per Apostolatum, & fidem in Christum, iudicarunt æquum & sanctum esse veterum bonarum consuetudinum, aliquid retinere, non enim adolescentes ætatem adeuntes virilem deponunt, quicquid erat superioris. Itaque dirigitur homo ad pietatem non inutiliter per ritus hos externos, quos habemus per Traditionem & vsum.

Nota pugnari hic pro Aris & Focis, ideò vt prælibaui in limine, institutio Christiani magna ex parte pendet, ex doctrina tradita, quam hæreses seu portæ inferi conuellere & supprimere conantur, sed ne vllo modo præualeant, obstat efficax oratio Christi, & humilis obedientia fidelium, quæ loquetur victorias iis ad omnes insultus, quibus Nouatores arietant Traditiones hæc annotata, tanquam aggeres inexpugnabiles deseruient.

Nota ergo technas, & malam fidem Aduersariorum in citandis Patribus. Quæ de re speciali proponunt in aliam contorquent. Loquuntur, verbi gratia, & reijciunt libros apocryphos, qui pro diuinis supponebantur ab aliquibus hæreticis. Hinc dicunt, eos arguere Traditiones.

Cùm Patres commendant vtilitatem Scripturæ, ipsi omnimodam, & absolutam addunt ad Traditionum exclusionem.

Cùm dicunt non licere profiteri aliquid repugnans Scripturæ (quod est verum, nec enim Traditiones ei contrarias vnquam admisit Ecclesia) ipsi volunt eos concludere reijciendum Verbum Dei non scriptum, sicque sub specie adorandi Verbum Dei scriptum, explodunt non scriptum, quod tamen æqualis est ponderis, nam conditio scriptionis, aut traditionis sola voce, imò vel nutu non est de essentia præcepti, quod datur, sed medium dumtaxat, quo significatur; vnde est, quod posita Scripturæ vel Traditionis certitudine authoritas vtriusque est æqualis.

Cùm loquuntur de sufficientia Scripturæ in aliquibus articulis fidei, quos euidenter exprimit, ipsi ad omnem penitus doctrinam inde habendam extendunt. Christus, inquit quidam Apostata dæmonem confundit in deserto, respondendo ad eius obiecta *Scriptum est*, quasi verò eodem quo aduersarius vtebatur pugione verus Dauid Goliathum infernalem confodere, aut detruncare non debeat, Scripturam allegarat Satan, Scriptura expugnatur. Christus, aiunt Saducæos resurrectionem carnis negantes Scripturæ testimonio, quam inconuenienter allegarant Marci 12. arguit, eósque errare dicit, *ex ignorantia Scripturæ*. Sic visum Magistro.

Obtestantur, quod Augustin. Hilarius, aliíque Patres contendunt contra Arianos, solis scripturis, & veritatem fidei hoc vno modo propugnant. Quid mirum? si Scriptura patrocinatur eis ad confusionem aduersariorum. At idem Augustinus agens cum Donatistis, nunquid ad Traditionem recurrit? nunquid fatetur eorum errorem sola Scriptura conuinci & extirpari non posse? sicuti nec Pelagianorum, cui opponit Scripturam & Traditionem. Nunquid Epiph. hæres. 69. vocem *Consubstantialis*, contra Arrianos, ex Traditione, sicut *ingenitum* & *procreatum* propugnat.

Cùm Patres declamant contra particulares obseruantias & ritus vel vsus, qui per loca & regiones variantur, & sæpè non omninò canonicæ

& religiosè, vt notat Augustinus Epistola 118. imponunt ipsis, quod contra Apostolicas & vniuersales Ecclesiæ Traditiones inuehantur.

Ad extremum Nota circa articulum quem elucubramus verba illa, *Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones* indicare, non omnes esse Apostolicas, seu acceptas ab Apostolis, sed quasdam Ecclesiasticas, quas nempe Ecclesia à Spiritu-Sancto edocta obseruauit, & obseruandas esse in Concilio aliquo generali definiuit, huius generis est numerus librorum Canonicorum, & intelligentia siue sensus eorumdem, quem semper illa tenuit. His certè, sicut & prioribus sua debetur reuerentia, cùm Conciliorū authoritatem saluberrimam in Ecclesia appellet Sanctus Augustinus Epistola 118. cap. 1. Et Athanasius Epistola ad Epictetum doceat. *Hoc solummodo respondere Nouatoribus arguentibus instituta, quod ista non sint Ecclesiæ Catholicæ.* Ita Patres nostri senserunt.

Quod si denique quæras, quæ ratio diuinam mouerit prouidentiam, vt dogmata quædam scribi curaret, verbi gratia, vt certiora essent, ac constantiora & alia non scriberentur.

Respondeo nostrum non esse inuestigare, sed simplici eius voluntati humiliter acquiescere, quæ instar est omnium rationum. Habet ille varias vias, quarum modo vna vtitur, modo altera pro arbitrio. Aliàs concludere quoque liceret, quod per se docuerit omnia, quòd ab vno scribi fecerit omnia, quod cui gratiam vnam contulit, cæteras quoque contulerit. Et si instes impossibile videri potuisse conseruari Traditiones non scriptas, cùm plura fuisse impedimenta nemo non concedat, obliuio, imperitia, negligentia, peruersitas, quæ nunquam desunt in genere humano; ex quo factum videtur esse, vt dogmata Lycurgi, Pythagoræ & similium, qui docebant & non scribebant interierint omninò.

Respondebo præ multis, conseruationis earum causis, impugnationem earum ab hæreticis singulis ætatibus eas oppugnantibus non parum profuisse. Litterati enim Catholici, qui ad resistentiam se accingebant, vt parati essent rationem reddere, de ea, quæ in eis erat fide, & obseruantia, eas diligenter inquisierunt, & posteritati commendarunt, nec parum ad conuictionem deseruiere quædam externa monimenta, quæ ad longissimum tempus durant, vt templa antiquissima, & in iis Altaria, Sacri Fontes, Memoriæ Sanctorum, sepulchra Fidelium, Legata pia, Sacrificia Missæ pro animabus defunctorum, Cruces, Imagines, Libri Ecclesiastici, & similia. Adde, quod impossibile est Traditiones Ecclesiæ non conseruari; nam cura ista non incumbit præcipuè hominibus, sed Deo, qui Ecclesiam regit: sicut ergo conseruauit veram Ecclesiam vsque ad hanc diem contra persecutiones Iudæorum, Philosophorum, Imperatorum, & sicut potuit conseruare Traditiones ab Adam vsque ad Mosem, per duo annorum millia, & deinde Scripturas, vsque ad hoc tempus, per tria annorum millia, & ampliùs, ita potuit sine dubio conseruare Traditiones à Christo vsque ad nos.



TRADITIONES SPECIALES

De signo Crucis, quod digito super quascumque res, vel in fronte exprimi solet.



PRIMA hæc est omnium Traditionum in Ecclesia Dei, quæ à Christo, in sua Ascensione vsurpata notatur à Christianis; signo sanctæ Crucis teste Basil. lib. de Spiritu S. cap. 37. multi enim tenent Christum reliquisse. signum Crucis efformandum, in sacris & piis actionibus, quia eleuatis manibus benedicendo Apostolis, dum eleuaretur in cœlum signum Crucis, efformasse creditur, vt docet Grethserus lib 3. de Cruce capit.16. sic & Patriarcha Iacob, transuersas tenens manus, & signum quodammodo crucis efformando benedixit filios Ioseph, Manassem & Ephraïm, Genes. 48. significando fore aliquando tempus quo benedictiones signo crucis fierent.

Signum Christiani est signum crucis quod in fronte, aut pectore à veris Christianis formari solet; est enim illud primum signum fidei & militiæ Christianæ, sub rege crucifixo, quod Apostoli passim efformabant conferentes Sacramenta salutis, & populos catechizantes ad baptismi susceptionem teste Dionys. de Eccle. Hierarch. cap. 2. *At vero Pontifex trino crucis sancta signaculo vnctionem, inchoans inungendum tradit sacerdotibus:* cap. 5. *cuilibet autem ipsorum à benedicente Pontifice crucis imprimitur signum.*

Martial. epist. ad Burdegalens. cap 8. *Hoc solo signo*, nempe crucis, *victoria data est nobis & per crucem baptisma Dei sanctificatum est.*

Iustin. tomo 3. qu.137. *Nos autem in baptismo symbola signaque passionis, & resurrectionis eius referentes celebramus.*

Hinc emanauit, quod accedenti in Ecclesia Catholica puero ad baptismum post sufflationem trinam ad expellendum satanam, vt det locum, & honorem sanctæ Trinitati (qua etiam significatum spiraculum illud vitæ quod expirauit Deus, in faciem primi hominis,) statim signum hoc imprimitur, fronti pueri vt crucem non erubescat signum militiæ Christianæ, & in pectore vt illud amet locans in pectore cordis sede.

Scriptores primi sæculi testantur Apostolos frequentasse hoc salutare signum, Abdias lib. 2. *Paulus completa oratione, dedit pacem fratribus, qui eum sequuti fuerant & vale, faciens eis flexis genibus crucisque signo se muniens ceruicem prabuit percussori.* Vbi notabo Petrum Principem Apostolorum, non habuisse occasionem efformandi hoc signum moriendo, quia cruce ipse moriebatur. Abdias lib. 3. *Inde progressi vt transirent Thracias, occurrit eis multitudo hominum à longe cum euaginatis, gladiis lanceas manu gestantium, qui volebant, in eos irruere quod cum vidisset Andreas Apostolus, faciens crucis signum, contra eos, ait. oro Domine vt decidat pater eorũ qui hac agere eos instigauit. Conturbentur ne lædant eos qui sperant in te. Hac eo dicente, Angelus Domini, magno cum splendore, præteriens tetigit gladios eorum, & mox corruerunt proni omnes in terram. Andreas autem singulos signans, cruce eos abire permisit, nouissime autem se signans & ipse discessit.*

Idem lib. 4. *Cum osculatus, esset Iacobus Iosiam, posuit manum super caput eius, & benedixit eum, & fecit signaculum crucis Christi, in fronte eius & haud mora martyrij palmam accepit,*

Idem lib. 5. *Tunc beatus Ioannes iacentibus mortuis, his qui venenum biberant, vt intrepidus & constans accepit calicem, & signaculum crucis faciens orauit ad Deum Patrem, & Christum & seipsum armauit signo crucis, & bibit totum quod erat in calice.*

Idem lib. 6. scribit Simonem Apostolum, magorum vim signo crucis superasse.

Idem lib. 7. Scribit Matthæum, dracones flammiferos obsopiisse, & eorum morsus mortales signo crucis curasse.

Idem lib 8. Scribit dæmonem, ex idolo hæc loquentem, Christus ipsam mortem quæ regina nostra est captiuauit, & ipsum Principem nostrum maritum mortis vinculis ignitis vinxit, & tertia die victor mortis & diaboli, resurrexit & dedit signum crucis Apostolis suis, ex quibus, est hic Bartholomeus, qui me vinctum tenet.

Idem lib 9. scribit, Veniens Thadeus missus à Thoma imposito regi Bagato, crucis signaculo ab omni eum langore curauit.

Clemens Romanus qui anno Christi 68. successit Petro lib. 8. constit. cap. 16. vsum crucis memorat in sacris. *Orans igitur Pontifex vnà cum Sacerdotibus induensque vestem, splendidam, & stans ad altare tropheo crucis se consignans frontem.*

Nota hic altare, Sacerdotes, hostes, vestes, Sacerdotales, & signum crucis.

Tertull. lib. de corona militis. *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia quæcumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Harum & aliarum, multas ibi, Tertull. traditiones enumerat, *Eiusmodi disciplinarũ si legem expostules tales scripturarum nullam inuenies, Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* Idem lib. ad vxor. & lib. contra Gnost. de Cruce agit August. tract. 118. in Ioan.

Quid

Quid est signum crucis nisi crux Christi quod signum nisi adhibeatur in frontibus credentium, siue ipsi aquæ ex qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur nil eorum recte perficitur.

Adeo vulgare erat in primitiua Ecclesia, Christianos vti signo crucis, & cruce venerari, vt Ethnici eos vt plurimum, vocitarent religiosos crucis.

Nota est historia quomodo Constantinus. vbi fidem accepit, signum crucis ei Deus in cœlo repræsentauit totum lumine circumdatum, cum hac inscriptione, ἐν τούτῳ νίκα, id est, in hoc vince Euseb. dicit lib. 1. de vita Constantini se id ab ipso iurante, rem ita se habere accepisse, & euenisse iter faciēti cum toto exercitu, in prouincia Galliæ Burgundia inter Augustodunum & S. Ioannem de Lono. *Constantine in hoc signo vinces*, & sic eum reddidit securum de victoria contra Maxentium, vnde statim illud in fronte sua, & diademate posuit, & relictis Aquilis aliisque imperij Romani signis Labarum, seu vexillum Romanorum in Christianam crucis effigiem gestans mutauit totique exercitui quasi insigne imperij le præfixit. Imo vt crucis venerationem ipsi mundo proponeret, & animis omnium imprimeret curauit super omnem monetam se depingi cum globo, aureo in manu dextra signato cruce ad significandum totum mundum cruce redemptum, & acquisitum sub crucis protectione esse.

His ergo ab ouo constantibus, & vsu continuo confirmatis vsque ad nostra tempora vt quid Nouatores, vident & subsannant signum crucis dicentes, illud esse ad muscas abigendas. Sic Apostolis & incorruptæ antiquitati insultant iniuriosi & ingrati à quibus verbum Dei, scriptum habent, & exemplar fidei, & legitimi cultus. Respondeo ad impropetium & impietatem eorum formari à nobis signum crucis, in fidem Trinitatis & Incarnationis & si aliquid habeant dicere extra hoc, Respondemus Ecclesiam Dei & Christi fideles abundare in sensu suo & talem eorum esse vsurpationem. Secundo per signum crucis quis sanæ mentis negare poterit excitari memoriam Passionis Christi, & spem obtinendi per eam remissionem peccatorum, vnde ad hunc effectum locatur in turribus Ecclesiarum Crux inserto Gallo vt peccatores, Petri memores & veniæ ei à Christo, ad crucem eunte datæ excitentur ad pœnitentiam & spem veniæ. Similiter morituris exhibetur signum crucis vt de suis meritis diffisi spem omnem, reponant in Crucifixo repetentes cum Apostolo Galat. 2. *Confixus sum cruci & viuo in fide filij Dei qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Secundo signum crucis plurimum valet contra pericula, peccati tentationes, & motus prauos cordis & carnis. Hæc certè sunt muscæ morientes quæ vt dicitur, Eccles. 10. *Perdunt suauitatem vnguenti*, cogitationes enim malæ & praui affectus circumuolitant nos & infestant, paratæ aculeum infigere, & mortem animæ si eis per consensum locum dederimus & nisi hoc signo veluti flabello eas fugauerimus, hæ sunt muscæ, quæ perdunt suauitatem vnguenti deuotionis & diuinæ gratiæ, & proueniunt à principe dæmoniorum qui dicitur Beelzebub, quod sonat Deus muscarum.

Quis nescit signum crucis infestum esse, dæmoni, & multum valere contra ipsum Cornelius Papa in epistol. ad Fabianum quæ est apud Eusebium lib 6. hist. cap. 33. dicit. *Nouatianum a dæmone arreptum, eo quod non recepisset in fronte signaculum Christi.* Origenes in 15. cap. Exod. hom. 6. sic ait. *Timor & tremor cadunt super dæmones cum signum in vobis viderint crucis fideliter fixum.*

Athanas. lib. de Incarnat. verbi, *signo crucis*, inquit, *omnia magica compescuntur*, B. Martin. apud Sulpitium. *Ego signo crucis non clypeo, aut galea protectus hostium cuneos penetrabo securus.*

Tertull. initio Scorpiaci dicit, *Christianos signando, vel adiurando non solum Christianis, sed etiam Ethnicis sæpe prodesse.*

Gregor. lib. 3. dialog. cap. 7. *Iudæus*, inquit, *templum Apollinis, dirutum ingressus in quo erant dæmones, vt perditioni suæ persensit instantes signo crucis more Christiano se muniuit, & conclamantibus dæmonibus veh veh vas vacuum est sed signatum, liberatus est, vnde fidem Catholicam mox professus est.*

Nyssenus in vita Gregorij Taumaturgi, scribit Diaconum eius signo crucis munitum exiuisse noctu incolumem ex balneis, inter innumerabilia spectra ex quibus balneis nemo vnquam viuus exierat eorum, qui noctu intrauerat.

Athanas. in vita S. Antonij, Hieron. in vita S. Pauli eremitæ, Theodoret. lib. 5. hist. cap. 21. & Gregor. lib. 3. dialog. cap. 7. multa scribunt miracula quæ ad solum crucis signum Deus fecit ac potissimum, in dæmonum expulsione.

Hoc signum terrorem incutit dæmonibus, sicut virga iustitiæ malefactoribus quia crucis, memoriam refricat, quæ est velut virga conterens caput serpentis hinc Apoc. 7. dicitur nolite nocere terræ, & mari neque arboribus quoadvsque signemus seruos Dei nostri, in frontibus eorum: hoc signum esse Crucis signum docent Beda, Oecumenius Anselm. & Rupert. hic.

Est ergo crucis signum, protectio firma & scutum contra diaboli incursus quo sæpe muniendi sunt Christiani & particulariter infantes à nutricibus, iis enim specialiter insidiatur, per se & magos princeps tenebrarum innocentiæ, eorum inimicus. Refert Bartholomeus Spinæus, de quadam saga in qu. de strigibus quæ confessa fuit quòd noctu plusquam, quinquagesies domum adiisset vicini cuiusdam & parentis vt puerum in cunis suffocaret nec quicquam potuisse eo quod inuenerit eum semper munitum signo crucis.

S. Benedictus vt refert S Greg. lib. 2. dialog. cap. 3. signum crucis edidit & vas, quod longiùs tenebatur veneno infectum eodem signo confregit, & sic confractum est ac si in illud vas mortis pro cruce lapidem vibrasset.

Quod autem hoc eodem signo non omnes mira faciant, aut dæmonis, vel sagarum maleficia non eludant, inde est ait, Rupert. in Leuit. cap 33. & hom. 8. in Iosue, quia licet crucis signum in fronte gerant, non tamen in corde Crucifixum habent, non enim crucem simpliciter in digito, in corpore, sed magna fide oportet, formare in corde. Respondeo, non semper id expedire;

expedire, tum *Graue est iugum*, ait August. 21. num. 18. *Super filios Adam à die exitus de ventre vsque in diem sepulturæ. quod adeò impleri necesse est, vt ipsi paruuli baptizati multa patiantur, nonnulli etiam incursus malignorum spirituum patiantur.*

De signo Crucis permanente, seu imagine Crucis.

ANno Christi 60. Paulus Apostolus, secundú annum agens Romę, in vinculis scripsit epist. ad Philippenses, quos de cauendis hæreticis monet eâ de causâ potissimum quòd multi eorum essent inimici crucis Christi, vbi notat, ait Cornel. Spondan. & alij, illos qui Christum vere esse crucifixum negabant dicentes, imaginem solùm eius visam esse pati, Christum verò se subtraxisse, cuius hæresis, primus author fuit Simon Magus, quæ in eius discipulos est infœliciter propagata, vt Ireneus lib. 1. cap. 20. Epiphan. hæres. 21. tradunt.

Eandem & Cerinthus docebat qui diuidens Iesum à Christo, Iesum passum ac resurrexisse dicebat, Christum autem nequaquam, sed impassibilem perseuerasse, & tempore passionis à Iesu succesisse sicque concidentes, quod ait Paul. ac diuidentes Iesum à Christo, Beatam Virginem, faciebant matrem Iesu, non autem Christi, & hoc est quod ait Paul versu 2. *Videte concisionem*, id est, eos cauete qui sic Iesum à Christo concidunt ac diuidunt. Addebat Basilides, Iesum se transformasse in Simonem Cyrenæum, eumque pro Iesu se subducente esse crucifixum. Hos omnes Paulus suggillat hæreticos & post annos 40. S. Ignatius, scribens ad eosdem Philippenses monensque vt hos ipsos caueant qui negarent crucem Christi: *Princeps*, inquit, *huius mundi gaudet cum quis crucem negarit; cognoscit enim crucis confessionem suum ipsius esse exitium, id enim trophæum est, contra potestatem eius quod videns expauescit, & audiens timet.* Et infrà, *idcirco & in quibusdam vt crucem negent facit, vt passionem erubescant, mortem opinionem vocent, Natiuitatem & ortum ex Virgine circumcidant.* Hæc hæresis non tantum per Iudæam sed per Græciam & Asiam, proserpsit, vnde ad Corinthios & ad Philippenses, aliosque scribens Paulus, toties extollens crucem nec se aliud scire quàm Christum crucifixum profitetur; hæretici, enim illi totum Orientem infestant.

Hinc vt hanc hæresim aboleret, & crucem exaltaret Ecclesia, factum est vt Catholici non tantum verbis crucem Christi, & imitationem eius in austeritate vitæ profiterentur, sed etiam signis ac factis. Inde enim ductum est principium vt ab Apostolis ligno compactæ cruces instar crucis in qua passus est Christus erigerentur in titulum quas fideles venerarentur, easdemque diabolus exhorresceret, velut vt ait, S. Ignatius cit. *trophæum erectum contra ipsius potentiam, quod vbi viderit horret*, sed & moris fuit cum quispiam locus diuino cultui mancipabatur, illic figere crucem in titulum atque inde etiam Apostolica in Ecclesiam Traditio fluxit, vt Christiani non tantum seipsos, sed & sua cuncta, nec in sacris dumtaxat sed & in quibuscumque rebus quibus benedicerent, in omnibus denique suis, vel minimis actionibus, signo crucis manu ducto notarent, quo remedio saluberrimo ad pellendos dæmones potissimum vterentur, domus ipsas & cubicula Christianorum, crucibus depictis ornatas & ornandas docet S. Nilus scribens ad Olympiodorum Proconsulem testaturque.

Ruffin. in expositione symboli, cum illud recitarent fideles in verbis illis postremis Carnis resurr. consueuisse frontem cruce signare, eiusque rei mysterium docet Chrysostom. in lib. quod Christus sit Deus dicit, suo tempore, *crucis figuram in omnibus locis depingi solitam in vrbibus, in domibus, cubiculis, solitudine, montibus, &c.* Hoc faciebant Christiani, in memoriam Crucifixi in cultum religionis Christianæ, *in symbolum & tesseram gratitudinis, erga Redemptorem.*

Hieron. epist. ad Lætam, *vexilla militum crucis insignia sunt, regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris figura condecorat.*

August. in Psalm. 36. *Crux à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum mandatur legibus imperatoriis & crux feratur in supplicationibus, vt deinde in loco honesto reponatur*, in Authentica de sanctissimis Episcopis collat. 9. tit. 15. cap. 32. omnibus autem præferri consueuit vt videre, est apud Palladium Episcopum Hellenopolitanum in vita Ioan. Chrysost. apud Bedam lib. 1. histor. Anglicæ cap. 25. Ioan. Diaconum in vita Gregor. lib. 2. cap. 35. vt Christiani fateantur se militare sub Christi vexillo vitamque, & mores Christi profiteri.

Ioan. Chrysost. in supplicationibus argenteas cruces cum ardentibus facibus præferri iubebat testibus Socrate & Sozomeno lib. 6. cap 8.

Constantinus Imperat. deuicto Maxentio Romæ, erexit in loco celeberrimo crucem cum his verbis, hoc salutare signum & rursum, in manu dextera statuæ suæ, crucem apponi iussit cum his verbis, hoc vno veræ fortitudinis signo vrbem vestram liberaui. Idem etiam decreto cauit ne deinceps vlli facinorosi affigerentur cruci, vt crux non amplius horrori sed amori, & venerationi omnibus esset, vt scribit Sozomen lib. 1. cap. 8. & August. sermon 18. de verbis Domini & è contrario in pecuniis quas omnes amant crucis figuram excudi iussit.

De veneratione Crucis.

VIso Christianorum antiquissimo, & ab Apostolis deducto vsu formandi signum crucis easque vbique ferme locorum exigendi. Restat docere hoc venerationis causa inductum, vnde Christiani flectere genu & adorare solent crucem quamliber vti imaginem, vel crucifixi, vel crucis illius in qua redemptio nostra consūmata est à Christo, si de vera cruce Domini agitur certum est, illam inter sanctiores reliquias haberi in Ecclesia, etsi in minutissimas redacta sit partes, quia sanguine pretioso, & contactu Christi consecrata est, & proinde adorandam innuit Ep. Philip. 2. *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem crucis propter*

quod

quod & Deus exaltauit illum, instrumentum ergo exaltationis ab hominibus sacrum, & colendum haberi debet, hoc enim particulariter, diabolus deuictus fuit Coloss. 2. *Chirographum decreti quod erat contrarium nobis tulit de medio affigens illud cruci, expolians Principatus & Potestates*, hoc fuit Ara summi sacrificij, vnde Coloss. 1. *Pacificans per signum crucis eius*, id est per sanguinē eius in cruce, quasi in altari fusum. Hoc fuit scala Christo ad regnum Ioan. 10. *Si exaltatus fuero à terra omnia traham, ad me*, hoc specialiter electum fuit à Christo non à Iudæis iniunctum Actor. 7. *Deus qui prenuntiauit per os prophetarum, suorum pati Christum suum, impleuit*, sic & Ioann. 10. *Ego pono animam meam*, supple in cruce, *nemo tollit eam à me*. Gregor. Magnus instituit adorationem solemnem crucis in Parasceue, quæ fit in Missa in qua cantatur ecce lignum crucis, à sacerdote casulam deposita & crucem obuolutam linteo paulatim discoperientem cui à choro respondetur, venite adoremus: id non potuit institui nisi circa annum 596. vel 592. & rationabiliter vt Christo pro nobis irriso & afflicto compatiamur & honorem pro opprobriis nostri causa susceptis impendamus, prostratione corporis, mentis demissione, nudatione, pedum ad maiorem reuerentiam, quia locus in quo Christus apparet, vel repræsentatur, & lignum in quo pendere figuratur, vere locus sanctus est, & solutione calceamenrorum venerandus, est enim scabellum pedum Domini vt dixit Dauid Psal 98.

Obganniunt Hæretici quod mentiatur Ecclesia proclamans. *Ecce lignum crucis* cùm ordinariè Crux illa quæ ostenditur sit argentea, & nullo modo lignum ipsum crucis in quo pependit Christus, quasi vero quælibet materia in qua crucis Domini, repræsentatur Crux non possit per metonymiam dici, crux Christi, & ipsum lignum crucis scilicet in repræsentatione improperare non desinūt quod rem mortuam alloquamur. *O crux aue spes vnica, auge piis iustitiam*, &c. *flecte ramos arbor alta.* Quasi vero non sit vsitatissimus mos apud homines inducere per figuram quæ Prosopopeia, nuncupatur, res mortuas, obloquentes easdémque inclamatas inducere id scripturæ familiare est. Moyses vocat ad auditionem sermonis sui cælum & terram, Deuteron. 31. audit cæli loquor DD. in Psalm. sæpissimè. Andreas salurat. à longè. Salue crux speciosa.

Respondeo, vno verbo sufficere Catholico, sinceram Ecclesiæ intentionem, quæ in his fertur ad Dei & Christi, venerationem, non hærendo, modo loquendi ad normam & rigorem Grammatices. Sed ad dictamen Spiritus sancti & rectam rationem. Ex hoc Gregorij instituto confunduntur Magdeburgenses qui centuria 7. cap 6. referunt adorationem & exosculationem crucis ad Sergium qui ann. 687. iniit Pontificatum, tum adorationis & exosculationis crucis meminit Euagrius lib. 4. cap. 26. qui est centum annis, Sergio antiquior & Hieronym in epist. ad Marcellam, *vt migret Bethleem qui post 82. annos vita migrauit ad Dominum anno Christi* 420.

Probatur autem quod veneratio ligni crucis Deo placeat ex multiplici ratione, quæ ab inuentione eius desumitur: primò, quod non permiserit Deus lignum illud demergi in mare, vel flammis absumi. Quod enim Christianorum hostes conati sint abolere, crucem eiusque omnia vestigia patet, ex eo quod altissimè sub terram absconderunt crucem, Hierusalem capta incensâ & funditus deletâ à Tito. 39. anno à morte Christi locus desertus omnino remansit, circumquaque horrore & vastitate plenus, donec anno 130. à natiuitate Christi rursum inhabitari, sed ab exteris hominibus, Adrianus Imperator iubet, & de suo nomine Adriam appellat, & Ioui ædem ex aduerso templi in odium Iudæorum ædificat in monte Sion, vnde indignati Iudæi cum bellum excitassent penitus debellati referuntur à Ruso Iudæo Præfecto, qui auxiliaribus copiis ab Imper. acceptis virorum ac mulierum infinita propè millia concidisse tradit Eusebius lib. 4. hist. cap. 6. Postea Romani in despectum & odium Christianorum statuam marmoream Veneris posuerunt in Caluariæ monte, eo in loco vbi crux infixa fuerat, & ibi Venus à Gentibus colebatur ab Adriani temporibus vsque ad Imperium Constantini, annos circiter centum octoginta & simulachrum Iouis in loco resurrectionis Christi, in loco Natiuitatis simulachrum Adonidis. Vt refert Hieronym. in epist. ad Paulinum sicque per 180. profanata fuere loca sacra & ignota crux Christi. Cur quæso non cremarunt eam ne amplius videri posset, & coli à Christianis quos crucis religiosos per contemptum, vocabant Ethnici, certe Deus abstulit illis mentem vt ad solatium piorum lignum pretiosissimum, seruaretur.

Secundo quod Deus eo tempore crucem inueniri voluerit quo tutò poterat coli nimirum, ad initium Imperij Constantini, in fide confirmati anno scilicet, Imperij eius 21. Christi 326. Syluestri Papæ 13 Macarij Episcopi Hierosoly. 14. Nam si reserata fuisset prius regnantibus, persequutoribus magis ludibrio quam honore excepta, fuisset si autem diu post tempora Constantini fuisset inuenta, fraudata fuisset sancta Crux debito honore. Tunc ergo primum diuina prouidentia manifestauit cum primum potuit coli.

Tertio quia per euidentia miracula demonstratum est esse veram crucem, & proinde crucis inuentionem patet, esse reuelationem Dei. Inuentionis historiam, narrare lubet. Socrates lib. 1. cap 13. Theodoret. lib. 1. cap. 18. Sozomen lib. 2 cap. 1. Nicephor. lib 8. cap. 29. Ruffin. lib. 10. hist. cap. 8. hanc referunt, sed magna planè tenet, omnes admiratio quod de inuentione Crucis Eusebius Cæsareæ in Palestina Episcopus historiæ Ecclesiasticæ & Chronici author familiaris Constantino & Helenæ matri eius nihil omnino dicit, cum pro scopo haberet mentionem facere, de illustrioribus Imper. & matris eius actionibus, sed Notent Critici, Eusebium huius rei meminisse in fine Chronici videturque insuper eadem Inuentio indicari, lib. 3. de vita Constantini, dum postquam narrauit cap. 27 quomodo sepulchrum Domini inuentum esset, subdit cap 29. epistolam Constantini ad Macarium Hierosolym Episcopum.

Helena ergo licet senio prægrauata diuino instinctu Hierosolymam petiit & Orientis loca

sacra ex deuotione peragrans, inspirata est, vt lignum crucis requireret. Consulit vt refert Paulinus peritissimos Iudæorum Rabbinos, de loco vbi crux haberi posset referant hi traditionem suam, qua instrumenta, quæ suppliciis sontium inseruissent, vel vnà, vel iuxta eos sepeliri debebant, ac propterea cum de loco constaret vbi sepultus fuisset Dominus omnium, sententia decretum est, ab eodem primo loco, terram effodere, acceditur ad Golgotham, & aperta humo tria patibula confusa reperiuntur: hæret Helena incerta quodnam eorum esset in quo Christus pependisset Ambros. oratione in funere Theodosij, tradit illud ex titulo ei à Pilato affixo agnouisse verum, in eo quod habet de titulo discrepant cæteri antiqui scriptores & inter alios qui eodem sæculo vixerunt Sanctus Paulin. Episcopus Nolanus epist. ad Seuerum, atque Seuerus histor. 2. qui testantur crucem Christi innotuisse ex resurrectione extincti cadaueris eidem cruci, admoti, cum prius ad tactum crucium latronum immotum permansisset, Ruffin. autem & ipse eiusdem temporis author non mortuum reuocatum ad vitam sed nobilem fœminam animam agentem restitutam, incolumitati scribit lib. 1. cap. 7. & 8. eademque Theodoret. lib. 1. hist. cap. 18. Socrates, lib. 1. hist. cap. 13. & Sozomenus lib. 2. cap. 1. qui omnes id ex consilio Macarij Episcopi factum affirmant sed Nicephorus lib. 8. cap. 29. vtrumque miraculum accidisse prodit cum subdit, postea, ***mortuo crucem impositam illum repente in vitam reuocasse.*** Addit ad hæc Sozomenus in altera parte antri illius in quo sepulchrum Domini inuentum fuit tres illas cruces esse repertas & tabellam tituli seorsum positam, vt non sit mirum si post trecentos ferme animos cruces subtus terram absconditæ non penitus, emarcuerint (nam vt teneamus de ligno crucis Christi quam à putrefactione potuit miraculum præseruasse) quod aliæ duæ integræ sint repertæ non potuit alia ratione contingere (sicut etiam nec eas fuisse figura distinctas, aut foraminibus clauorum, omnes enim clauis figi solebant, & non vt falso pictores repræsentant latrones funibus cruci affixos vt referunt Macrob. lib. 1. Saturnal. Ioseph de bello Iudaico, cap. 12.) aut ex diuersa ligni materia, sed sicut crucem Christi ex ligno quod cariem non admitteret ex his possumus intelligere.

Porro crucis inuenta partem alteram, Hierosolymis esse relictá, alteram vero ad Constantinũ, allatam iidem authores affirmant. ***Quam,*** inquit Socrates, ***vbi Constantinus accepisset ratus ciuitatem in qua illa seruaretur omnino saluam, fore in suam ipsius inclusit statuam, quæ Constantinopoli, in foro Constanini dicto super ingentem columnam porphyreticam collocata erat,*** Verum non magna potuit esse portio quæ aliquo statuæ membro includeretur, sed quædam particula ibi recondita, constat reliquam perlatam esse Romam & in Basilica ad Atrium Sessorianum apud Veneris & Cupidinis templum, templum dirutum à Constantino ædificata quæ & inde sanctæ crucis in Hierusalem, vel etiam Heleniana dicta est collocatam.

Nec vero hanc tantum passa est Crux ipsa diuisionem, sed vt de partibus aliis & ex aliis, subdiuisis dicere prætermittam, ex maxima illa portione quæ Hierosolymis relicta est fidelibus eo peregrinantibus pietatis ergo, & pro mercede longi itineris à loci Episcopo solitum fuit concedi frustum, sed operante diuina virtute, quod ait, Paulin. epistol. ad Seuerum iugi miraculo Crux in materia insensata vim viuam tenens ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodauit vt detrimenta non sentiret & quasi intacta permaneret quotidie diuiduam sumentibus, & semper totam venerantibus, sed istam virtutem imputribilem & indetribilem soliditatem de illius profecto sanguine carnis, bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem, ita Paulin. sicut & scribens anno 380. Cyrillus Hierosol. Episcopus catechesi quarta to. 13. sæpius repetit, ***Eiusdem sanctæ crucis ligno per particulas ex ea ciuitate vniuersum terrarum orbem repletum esse,*** sed vt quinque panes, in quinque millia multiplicati fuissent, ita hoc lignum, & Hierosolym. conspicuum fuisse & vniuersum ferme orbem iam replesse, cuiusmodi tantorum Patrum testimonia obstruant ora subsannantium hæreticorum de vna cruce tot in partes, toto orbe diffusâ.

Quod vero pertinet ad clauos quibus Crucifixus est Dominus eodem loco repertos cum eos non fuisse, tam longa temporis diuturnitate consumptos rubigine testetur Socrates, non fuit opus ab aliis alio miraculo discriminari. De illorum autem inuentione assertores sunt iidem omnes citati superius authores, Ambros. autem ait Helenam de vno Clauo frænos fieri præcepisse, de altero diadema intexuisse, hæcque dona filio suo Constantino misisse, vt tum ipse, tum subsequentes Imperatores discerent fidem integram conseruare, & iuste imperare, gestando in cruce, vbi sensus est coronam de cruce, & manibus pariter regendo habenam de cruce. Alludit, & inter alios Theodoret. 1. hist. 18. de Clauo in fræno posito, ad id quod olim per Zachariam Prophetam prænuntiantum fuerat cap. 14. in die illa erit quod super frænum equi est sanctum Domino, licet hoc Hieronymo explicanti verba Prophetæ parum arrideat. Quatuor fuisse affirmat Gregor. Turon. lib. de gloria Martyrum cap. 6. Vnde Helena iniecit in mare Adriaticum in loco qui vorago nauigantium dicebatur, qui redditus fuit quietus & tranquillus.

Quòd vero Claui quibus crucifixus est Christus plures inueniantur, diuersis in locis nihil est quod pluribus quam 3. aut 4. ad summũ eum crucifixum putemus, sed fortè id accidit vt ex aliquo clauorum Christi modica ferri portio, accesserit illis, vel potius deperditis antiquioribus Clauis illis quibus compacta sunt ligna sanctissimæ crucis crediti ipsi fuerint quibus membra Christi transfixa fuissent: sciendum enim est multos insertos Clauos cruci componendæ, quæ ex tribus lignis facta erat, quorum vnum erat longum, cui corpus adhærebat alterum transuersum superpositum longo, tertium lignum erat infixum in ligno longo vt in eo pedes crucifixi starent & claui figi possent, id testatur Ireneus lib. 2. cap. 24. Idem habet Iustin. in dialogo cum Triphone, si autem de tabella

tabella tituli quæritur quæ hodie post 1652. annos visitur Romæ in templo sanctæ Crucis, in Hierusalê,certum est illam fuisse buxeam caractèribus insculptis ferreo aliquo instrumento in ipso ligno titulum integrum Iesus Nazarenus Rex Iudæorũm, tribus linguis præferentibus vt Ioann. 19. Luc. 23. dicitur Hebraïca, Græca, in medio & Latina, viciniore capite Christi consequenter honoratiori in loco. Sic ergo crux vt vult Beda suis in collectaneis potuit esse ex 4 generibus lignorum Cedro, Pino Cypresso, & Buxo, quod tamen non videtur, probabile nec enim inimici Christi exquisiere ligna singularia ad compingendam Christi crucem, quam tanquam infamem, & maledictam execrabantur,tum si his compacta fuisset, certè facile fuisset Helenæ eam à latronum discernere, quod tamen non nisi diuina virtute, innotuisse ex Historicis & Patribus, diximus, Crediderim ex quercu, extitisse cruces has, ita Carthagena, ex Gregor. Nyssen. in inscriptione Psalm. tertij, quercum enim in qua malitia, Absalonis pependit figuram ait fuisse nostræ crucis,in qua pependit innocẽs Christus qui nostri causa factus est maledictum vt loquitur, Paul. Galat.3. tum Genes.17.Deus pepigit fœdus cum Abraham, sub quercu, ibi promissiones diuinæ sobolis dedit,& Isaac figuram Christi annunciauit, *&c.*

Adde his omnibus Particulas Crucis continua facere miracula maximè in dæmonum expulsione & in gratia fidelibus deuotis conciliandâ, vnde euincitur religiosus cultus ei debitus.

Dices, impius iudicaretur filius qui patibulum amaret, & honoraret, in quo Pater eius suspensus fuisset, tum crux dolorem, & ignominiam Christo attulit, ergo diligentibus Christum detestanda. Tum amici eius adstantes dolebant de Passione Christi hostes autem gaudebant, ergo qui crucem honorant, & amant imitantur Christi hostes.

Respondeo, futilia omnino hæc esse, nam gloriantur & filij degloriosa parentum morte, vt si pro regis aut patriæ seruitio occisi fuerint & instrumenta Passionis eorum conseruare solent tanquam monimenta virtutis. Tum nulla est comparatio innocentiæ Christi cum innocentia hominum, tum Deus Pater declarat per Paulum Crucem fuisse causam exaltationis Christi imo & nostræ, propter quod & Deus exaltauit illũ & donauit ei nomen super omne, vt in eo omne genuflectatur,adde quod nõ inuitus sed ex charitate affixus est Christus cruci, quæ thronus, à viris cordatis potius censetur, quam patibulum teste scriptura: Factus est, Principatus eius super humerum eius, quod ab omnibus exponitur de cruce quam baiulauit. Neque gaudemus nos de eo de quo gaudebant Iudæi, sed de eo,de quo ipsemet patiens gaudebat interius, id est, de triumpho eius non de ignominia alioqui enim etiam nouimus compatiendum esse Christo patienti & ad lachrymas ciendas Meditationi passionis frequenter vacamus: non ergo honoramus crucem vt illatiuam doloris simpliciter sed vt aram redemptionis humanæ, *&c.* Dei virtutem & sapientiam, Regnabit à ligno Deus, & alia multa.

Instabis, si ratione, contactus vel quia instrumentum fuit Passionis crucem adoramus oportebit adorare labia Iudæ, manum Malchi, & tortorum. Respondeo conspicuam, esse differentiam istorum nam labia; manus, *&c.* non solum erant instrumenta Passionis Christi, sed etiam partes organicæ hominum impiorum, & ideo non possunt honorari vt instrumenta Passionis,quin simul impij homines, honorari viderentur; at crux, spinæ, columna & similia non sunt partes illorum hominum sed res per se existentes, & natura sua innoxiæ.Secundo in Passione Domini, possumus considerare actionem & passionem, quarum prior scelerata, posterior sanctissima fuit: labia Iudæ & manus impiorum seruiebant immediatè actioni & propinqua fuerunt actionis instrumenta, omnino scelestæ, remota autem & mediata Passionis salutaris:è cõtrario,crux & claui & similia fuerũt instrumenta propinqua & immediata, Passionis sanctæ & remota ac mediata scelestæ actionis, vt patet, & ideo organa hominum magis participant actionem quam Passionem, crux vero claui, *&c.* magis Passionem quam actionem, propterea Crux simpliciter est venerabilis,labia Iudæ simpliciter detestanda. Denique ministri erant instrumenta, animata doli & malitiæ susceptiua,instrumenta autem Passionis inanimata apta tantum ad passionem inferendã.

Instabis, si oportet adorare omnes cruces, quia Christo in cruce pependit, ergo & omnia sepulchra, imo & omnes clauos, spongias, lanceas,præsepia,stabula,imo& asinos ait Claudius Taurinensis, quia Christus asino vectus fuit. Respondeo consequentiam non valere, nam omnes cruces adoramus quia sunt imagines veræ crucis, in qua Dominus pependit & ipsius Christi, & eas intelligimus habere relationem ad repræsentandum illam, vel Christi crucifixi, vnde cruces quæ casu percipiuntur, vt in arboribus, vel palearum aceruis venerationem non merentur, quia anima, seu forma imaginis eis deest, scilicet repræsentatio ratione cuius imago honoratur in quantum correlatiua suo exemplari & non aliter:sic res habet de aliis quæ proponuntur. Ante tempus Constantini crux non colebatur,quia tunc vsus crucis indifferens erat, qualis & hodie clauorum, lancearum, *&c.* Nec sunt imagines Christi,aut rerum quæ tetigerunt Christum,ad imaginem, enim non sufficit similitudo, sed requiritur vt vnũ exprimatur ex alio,quare frater non dicitur imago fratris, licet similes sint, quia vnus non est ab alio;filius autem quia non solum est similis Patri sed etiam ab eo prodiit,idcirco vere dicitur & est imago Patris.

Iam Cruces omnes fiunt ad exprimendam illam primam, & sic eius sunt imagines. At præsepia, claui, *&c.* fiunt ad alios vsus & non ad exprimenda illa quibus vsus est Christus. Quod si aliquando præsepe, vel columna fiat ad repræsentationem flagellationis,*&c.*non carent sua aliqua veneratione.Contra Crucem instant Centuriatores, & arguunt superstitionis esse tribuere virtutem caracteribus, & figuris crucis, v. g. expellendi dæmones,sanctificandi, rem aliquam,morbos fugandi,dolores sedandi, miracula faciendi, vti frequenter fit apud Romanistas Respondeo tantum abesse à magia signum crucis, vt potius eo signo, aut applica-

tione ligni veræ crucis, omnis magia dissoluatur, sic Athanas. in lib. de Incarnatione Domini respondet *Veniat, inquit, qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis prestigiis dæmonum, & imposturis vaticiniorum & in miraculis magia vtatur signo Crucis ab ipsis deriso nomenque Christi inuocet & videbit quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, & veneficia iaceant.* Scribit etiam Iacobus Spenger in malleo maleficiorum parte 2. qu. 1. cap. 2. Magos & sagas quando sacris dæmonis initiantur palam polliceri diabolo pro tribunali in figura visibili sedenti, & coram testibus se crucem Domini conculcaturas, quia videlicet vbi crux honoratur nulla ars magica est efficax.

Dices, abutuntur magi signo crucis, & in maleficiis eo vtuntur. Respondeo id prouenire ex superbia dæmonis & sæpe ad simplices signo sacro, verbisque ex Euangelio deductis ad superstitionem, inducendos, superstitiosum siquidem, & prohibitum est vti caracteribus & figuris ad effectus aliquos producendos vt magi faciunt quia effectus illi non possunt esse naturales, quia caracteres, & figuræ non sunt operatiuæ, naturaliter, nec effectus illi effectus, à Deo cum nulla talis promissio reperiatur. Nec Deus ab illis inuocetur sed fiunt illa omnia à dæmone & caracteres, solum deseruiunt pro signo fœderis expressi, vel taciti inter diabolum & magos. At signum crucis operatur mirabilia non ex virtute sua naturali quam habeat, vt figura quædam, nec vt signum pacti cum dæmone sed vt signum diuinitus institutum. Quod efficax agnoscitur non solum ex opere operantis, vsurpatio enim Crucis est meritorum Christi inuocatio quædam, & pro deuotione, & fide inuocantis sæpe videmus miram impetrationem.

Sed etiam ex opere operato, id est, ex instituto Dei, nam videmus Iudæos & paganos sine vlla fide in Christum solum intendentes facere quod faciunt Christiani, fugasse dæmones signo Crucis vt patet ex Gregor. Nazianz. oratione 2. in Iulianum vbi narrat hunc apostatam Imperatorem spectra & incantationes à quibus plurimum timebat in specu quam adierat dæmones consulturus, in arcto positus, opera spelei magi dissipasse signo crucis super se formato attuli ex Gregor. supra exemplum de Iudæo. Quare August. qu. 79. lib. 83. dicit indictum à Deo dæmonibus, vt cedant cruci tanquam sceptro summi regis, quomodo populi, militibus cedunt cum ab illis profertur signum Imperatoris. Cum autem dæmones non cedunt iis signis, nempe, vel manu efformato, vel materiali, vel veræ crucis reliquiæ, Deus ipse ait August. prohibet occultis modis cum id iustum atque vtile iudicat. Nam nullo modo vlli spiritus audent hæc signa contemnere contremiscunt enim vbicumque illa prospexerint. Vnde percipio & intelligendum do pio Lectori signum crucis non ideo censendum esse Sacramentum, nam non confert gratiam iustificantem tum quia non habet effectũ, infallibilem sed ad Sacramentalia, potius esse reducendum. Quantum ad morbos, & cætera quæ non possunt percipere vim signorum dico ea fugari per crucem tanquam per signum fidei & fiduciæ in Deum, vel potius tanquam per inuocationem signo expressam, Christus enim Marc. vlt. promisit fidelibus se daturum quicquid peterent cum fide, serpentes tollent, super ægros manus imponent, & bene habebunt, intelligere si expedierit, hoc autem solus Deus nouit.

De mysteriis signi Crucis.

De iis locutus videtur Paul. Ephes. 3. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo & sublimitas & profundum.* Aug. epist. 112. ad Paulin. Gregor. Nyssen. in catechef. cap. 32. Cyprian. ser. de Passione, ita censent hoc quippe signo quasi in summa explicantur Christianis quæ toto symbolo Apostolorum continentur, ea nimirum quæ nostra sunt vt ab omnibus credantur explicite. Quia enim sine fide expressa sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis & Passionis, Christi & remissionis peccatorum ac vitæ æternæ nemo potest in numero Christianorum haberi, Apostoli Symbolum fidei collegerunt vt suo loco dixi, multa in paucis continens, imo exprimens, quæ necessaria; cæterum quia multi Christiani, vel ob ingenij tarditatẽ, vel ob temporis angustias symbolum illud 12. articulorum non poterant mandare memoriæ sine difficultate, Apostoli eorum infirmitati consulentes, vel potius ipse Christus per Apostolos signum crucis instituit, quod omnia contineret quæ symbolum Apostolorum, nempe sanctæ Trinitatis mysterium, incarn. pass. Christi Cum enim dicis in nomine Patris vnum significans nomen, vnam virtutem, vnam diuinitatem sanctissimæ Trinitatis, nomen Patris in fronte significat hunc esse principium Trinitatis, nunquam in has terras missum, à quo Filius generatur & Spiritus S. procedit.

Filius collocatur circa ventrem, vel manus cum filium pronunciamus vt intelligamus eius proprium esse generari cumque à Patre temporaliter missum & natum in vtero Virginis, Spiritus Sanctus medium locum obtinet tanquam charitas Patris & Filij, & is per quem Filius qui sola charitate motus assumpsit naturam humanam, de cœlis venit in vterum Virginis. Postremo tamen loco nominatur Spiritus Sanctus tanquam tertia persona in Deitate à P. & F. procedens.

Iam crux ipsa non obscure refert Passionem Christi, ea autem formatur, vel tota manu hoc est quinque digitis ad indicandum quinque vulnera Christi, vel vt vult Innocentius tertius, tribus digitis ob sanctissimam Trinitatem quæ in Passione Christi operata est salutem humanam, vel duobus digitis coniunctis ad indicandas duas naturas in persona Christi, contra Monophysitas, qui vt refert Nicephor. 18. Eccl. hist. cap. 53. digito vno hoc signum formari volebant, eo quod docerent vnicam naturam in Christo; quod vero à sinistro latere in dextrum progrediamur signat effectus Passionis Christi qua ex latere sinistro translati sumus ad dextrum & facti, oues qui hædi & inimici eramus & Filij iræ, iam vero gratiæ & gloriæ.

De Agno Dei Cereo.

DE vſu Sacræ Ceræ in Agni formam effigiatæ, hic poſt ſignum Chriſtiani agere placuit, quia à primo Chriſtianiſmi ſæculo inductum intelligo ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, vt anno Chriſti quinquageſimo octauo indicat Baronius, licet fortè cum cæremonia, quæ hodie vſurpatur à Papa non fuiſſet conſecrata. Solebant olim Gentiles appendere infantibus ſuis collo Bullas re turpicula obſignatas, vel aliter ſuperſtitionibus auctas, vt auerterent faſcinationes & nocumenta dæmonum, qui vt plurimum nocere ſolent infantibus, eas autem in cordis figuram vt plurimum efformatas. Lege Varro. libro 6. de lingua Latina, Macrob. 1. Saturnal. 6. hoc produnt, vt pro tempore noſſent ſic homines ſe eſſe, ſi corde præſtarent. Apoſtoli viri Spiritu-Sancto edocti volentes mutare ſuperſtitionem in religionem. Recens baptiſatis dabant bullam ex cera, Agni Chriſti, typum præ ſe ferentem, quam ſuſpenſam ad collum ferent, qua ſe Chriſtianos intelligerent, quorum erat exemplo Chriſti, mites eſſe & humiles corde, qua etiam fideles diſcerni poſſent ab infidelibus, ſicut & nunc per hanc ab hæreticis, Catholici diſcernuntur.

Exinde ordinato officio Eccleſiaſtico Acolythi Eccleſiæ Romanæ faciunt Agnos de cera noua benedicta, vel de cera cerei Paſchalis anni præcedentis alba tantum; & Papa Sabbatho ſancto eos inungit Chriſmate & aqua benedicta aſpergit benedicitque ſolemniter, & hæc quidem ex inſtituto Beati Gregorij, quantum ad tempus benedicendi, & oleum immiſcendi, vt notat Durantius libro 6. cap. 79. Quæ quidem Myſterio non vacant; nam Agnus in agno cereo figuratus, & in Paſcha immolatus ad memoriam reducitur, & per virgineam hanc ceram Chriſtus deſignatur purus, & è virgine ortus oleo Spiritus-Sancti vnctus, vnus ipſe fons doctrinæ & gratiæ, qui etiam virtutum exemplis odoriferis, quaſi balſamum aromatizans ad ſe homines attraxit peccatorum infami fœtore derelicto. In figura quoquè agni ceræ huic impreſſas in memoriam nobis reducitur Chriſti Agni innocentia, manſuetudo, patientia imitanda, vnde illam geſtantes debent id facere cum reuerentia, & ab omni impuritate peccati (quæ agni huius candori repugnat, cuius expreſſam gerunt imaginem) ſe ſeruare debent immunes maximè ab impudicitiis, & aliis coram Deo fœtentibus & infamibus viriis.

Nam vt tanto maiori cum reuerentia & honore geſtarentur Papa ſibi reſeruauit benedictionem Cereorum Agnorum, vt intelligant Catholici, quanti ſint faciendi cum à ſolo Chriſti Vicario, à ſuprema illa à ſolo Deo dependente iuriſdictione benedicantur, & ſoli illi qui ſunt in ſacris ſoleant contrectare.

Hinc & ab Imperatoribus magni fiunt; nam cùm Leo III. circa annum Chriſti 800. dediſſet Agnũ Carolo magno, quem coronauerat Imperatorem, is illum tanquam theſaurum cum pietate accepit. Et cùm Vrbanus Papa, circa annum 126. plures Agnos cereos miſiſſet ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, is ſolemni proceſſione inſtituta, cum Clero & populo obuiauit, & triumphali more in vrbem induxit, vt legitur in Regiſtro Summorum Pontificum. In octaua Paſchæ Agni cerei ſolent diſtribui Romæ, quia in octaua Reſurrectionis Chriſtus ſuis præmia diſtribui.

In Benedictione inuocat Papa Dei virtutem, vt à facie Agni & Crucis eius fugiant dæmonis inſidiæ, & Sathanicæ omnes poteſtates, fugiant quoque tempeſtates, peſtilentiæ ignes, tonitrua, fulmina, nec noceant his qui Agnum geſtarint. Inuocat quoque auxilium diuinum, vt virtute illius ſanitas conſeruetur matri grauidæ, ac eius fructus, & vt illa quæ in dolore partus eſt à periculo liberetur.

Quæ omnia, ſi non ſemper accidant, eſt ſæpè ex defectu fiduciæ, in Deum, vel ob peccata; Deus quoque certas ob cauſas iuſto iudicio ordinat, vt infallibiliter hæc non fiant. Sic notaui de ſigno Crucis. Vult tamen, vt fides & reuerentia in nobis per hæc continuò excitetur. Interim vbi firma Fides eſt, frequenter hæc fieri docet ipſa experientia. Vincentius Bonardus libellum eruditum ſcripſit de Agno Dei cereo, & Auelroultius tomo 2. in floribus, exempla multa refert de miraculis per eos editis, vnum aut duo proponere non erit iniucundum Lectori.

Mulier quædam Ratiſbonæ multis illuſionibus nocturnis, & laruarum viſu mirè vexabatur, rem aperit Sacerdoti Catechiſtæ, ille Agnum benedictum ei dat, monens, vt magnam fiduciam concipiat, excitata mulieris magna fide, liberata eſt illa ab his formis noctu occurrentibus, vulgata verò rei fama magna paſſim omnium animos ſubit reuerentia erga hos Agnos cereos, ita vt accurrerent viri & fœminæ, iuuenes & puellæ ad Catechiſmum parati reſpondere in rudimentis fidei, vt Agnum benedictum obtinerent. Cum verò ſacro quodem die Pentecoſtes idem Ieſuita, de virtute Agnorum diſſereret & aſſereret, puerperam quadam applicatione huius Agni liberatam fuiſſe à diuturnis & grauiſſimis doloribus, facilémque partum fœlicem ediidiſſe duo Caluiniſtæ ruſtici in pagum recedentes, caſu illac iter facientes, Templum ingreſſi ſunt, & riſu rem exceperunt, ſed vnus illorum domum ſuam ingreſſus, reperit vxorem puerperij doloribus oppreſſam in periculo mortis verſari, tota ſequenti nocte durat cruciatus, tentantur remedia, ſed fruſtra. Ruſticus ergo ad mentem rediens, cœpit cogitare de dictis à Catechiſta, & neceſſitate adactus, dolet ſe ſubſannatione rem excepiſſe, & ſtatuit experiri: mittit ergo ad Collegium Societatis Ieſu, & curat poſtulari Agnum à Catechiſta pro vxore periclitante, datur ad mortem parturienti, mox diuina ſentitur virtus, ceſſat cruciatus, & filium edit magna omnium lætitia & admiratione. Ruſticus gratias agit, & hæreſim in qua natus erat abiurauit.

Quomodo etiam contra ignem valeant Agni cerei, non deſunt exempla. Vnum ego ipſe expertus ſum, depopulabatur domum flamma inextinguibilis, Agnum projeci in medio, ceſſauit mox ignis, nec Agnum læſit, qui repertus eſt intactus.

Aqua Lustralis.

VSus aquæ benedictæ, qua communiter populus Catholicus aspergi solet in Ecclesia, frequens & assiduus est, cum ad hoc præ foribus Templorum semper adhibeatur. Paucis tamen nota est ratio introductionis eius; quam ab Apostolorum Traditione descendere litterati non ignorant, quod vt Professorem fidei, quem informamus non lateat.

Nota fuisse olim in Templo labrum Æneum, quo Sacerdotes manus, pedésque lauarent ante ingressum tabernaculi, & quando accessuri erant ad Altare Exodi 30. Ita præ Ecclesiarum foribus constitui solitos fontes aquæ communis ad purificationem & ad manus ac facies introeuntium, non solùm Sacerdotum vel Clericorum, sed & aliorum quorumcumque abluendas, sordésque corporis abstergendas, secundùm quod etiam monet Paul. 1. Timot. 2. Complures aliquorum testantur Clemens 8. constit. quæst. 38. Tertullianus de oratione cap. 11. Eusebius 10. hist. cap. 4. Paulinus Epistola 12. & & 31. Chysostom. hom. 72. in Ioan. hom. 52. in Matth. 36. ad populum Antiochenum, Anastasius Sinaïta oratione de sacra Synaxi, & alij. Verum quod naturalis docet instinctus, non nisi puros ad Deum accedere debere, inde euenit, vt non solùm Christiani quique, vel etiam Iudæi, sed ipsi quoque Gentiles ante adorationem se aqua mundarent, vt scribit Herodotus in Euterpio, Cicero libr. 1. de legibus. Persius Satyra. 2. Tibullus lib. 1. eleg. 2. & alij. At postea eiusmodi lauacri loco successit apud Christianos, vt aqua precibus Sacerdotis benedicta, quæ fidelibus vsui esse consueuisset in domibus priuatis, in ipso ingressu Ecclesiæ poneretur, vt Alexandri Papæ primi res gestæ significant, qua ad leuiorum peccatorum expurgationem adeuntes Ecclesiam aspergerentur, de cuius vi & vsu nihil omittimus, si prius notauerimus institutionem referendam esse ad Apostolos. Nam quod in libro de Romanis Pontificibus, de Alexandro, qui fuit 6. Papa à Petro, inter alia traditur constituisse circa annum 123. vt aqua aspersionis cum sale benediceretur in habitaculis hominum, id sanè iampridem Apostolica traditum institutione ab Alexandro potius decreto roboratum quam recens statutum dici debet. Nam præter quod apud Clementem lib. 8. Constitut. const. 35. est Matthæi nomine Apostolica institutio, nonne Paulus scribit 1. Timoth. 4. *Omnem creaturam per Verbum Dei & orationem sanctificari.* Quapropter non aquæ tantùm, sed & olei, aliarúmque rerum hominum vsui inseruientium Benedictionem ex Apostolica Traditione iure sibi Ecclesia Catholica vendicat, exemplo Christi, qui pacem daturus antea benedixit, Luc. 9. Et tantum abest, vt quod Nouatores oblatrant species sit quædam incantationis, atque magiæ. vt potius ad eas dissoluendas, aliásque diaboli artes auertendas, Aqua Benedicta solita sit adhiberi diuino vtique in miraculorum virtute suffragio comprobata. Quæ virtus prænotata dici potest in miraculo, quod Elisæus fecit super aquas 4. Reg. 2. *Aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis,* scilicet Iericho, ait ille. *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal.* Misit ergo sal in fontem aquarum, & sanatæ sunt aquæ, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Nemini dubium esse debet, Elisæum hac vsum cæremonia ex Spiritus-Sancti dictamine. Lepram etiam curauit aqua Iordanis, Naami 4. Reg. 5. Nusquam crediderim hoc vi innata & naturali aquæ factum. Hoc enim semper præstaret illa aqua, sed orationis Prophetæ applicatione. A fortiori ergo Ecclesia Christum & Apostolos imitata, & à Paulo edocta. 1. Timoth. 4. *Omnis*, ait, *creatura Dei bona est*, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem. Aqua, Chrisma, Oleum Verbo Dei, admixtione exorcizati salis, & alio singulari ritu sanctificari poterût ad effectus illos quos Benedictio Sacerdotis Ministri Christi implorat.

QVÆRES, *Quo fine benedicatur Aqua Lustralis?*

Respondeo propter tres fines. Primò, ad significandum aliquem effectum spiritualem, & iste finis intenditur in omnibus, quæ benedici solent. Nam cinis, verbi gratia, significat pœnitentiam, ad quam humiliando caput suum solet se disponere Christianus in die cinerum; vnde in Missa cantatur. Humiliate capita vestra Deo.

Palmæ & Rami oliuarum significant victoriam Christi & pacem quam fecit hominibus Cereus Paschalis designat gloriam Resurrectionis Christi.

Chrisma, oleum sanctum, fortitudinem spiritualem in lucta contra dæmonem innuit, & specialem sanctificationem eorum qui inunguntur.

Neque dicas non debere iam adumbrari Mysteria Fidei ipso Euangelio toti mundo illucescente.

Respondeo, siquidem has significationes non esse propriè adumbrationes futurorum, sed repræsentationes externas rerum præsentium inuisibilium & spiritualium, vel etiam rerum præteritarum, quæ vtilissimæ ad affectum excitandum, alioqui etiam tollemus Baptismum, qui secundùm Apostolum Rom 6. continet repræsentationem mortis & Resurrectionis Christi, & nostræ etiam per Christum. Vnde Augustinus Epistola 119. dicit, quòd *Christiani diebus Dominicis, & a Paschate vsque ad Pentecostem orant, stantes ad significandam Resurrectionem Christi.*

Secundò, benedicitur Aqua ad deletionem peccatorum venialium. Nam ex Diuo Thoma 3. part. quæst. 87. art. 3. *Ad remissionem peccati venialis non requiritur infusio nouæ gratiæ, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicitè, vel saltem implicitè, sicut cum ferventer mouetur quis in Deum.* Ideò triplici ratione aliqua causant remissionem peccati venialis, vno modo in quantum gratia infunditur, hæc enim aufert omnia peccata, & hoc modo per Eucharistiam, Extremam-Vnctionem, & vniuersaliter per omnia Sacramenta Nouæ Legis, in quibus confertur gratia, remittuntur peccata venialia. Secundo modo in quantum motu aliquo detestamur, peccata illa & hoc modo Confessio generalis, Tunsio pectoris, Oratio Dominica, in qua dicitur. *Dimitte nobis debita nostra* Prostratio ad terram operantur ad remissionem venialium.

Tertio

Tertio modo in quantum habemus aliquem modum reuerentiæ ad Deum, vel ad res diuinas, & hoc modo Benedictio Episcopalis, Aspersio Aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis Vnctio, Oratio in Ecclesia consecrata, & si qua alia sunt huiusmodi operantur ad remissionem peccatorum venialium. Nec importat quod 1. Ioan. dicitur. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Consequenter à veniali, verum enim, hoc est, si aliquo modo applicetur nobis. Et sicut applicatur per Baptismum, & pœnitentiæ Sacramentum ad delenda omnia omninò peccata, ita etiam applicatur per Sacramentalia, ad delenda venialia, in eo qui est in gratia.

Tertio, benedicitur Aqua ad fugandos Dæmones & curandos morbos, vt ex precibus ad eius benedictionem ordinatis intelligere est verum est tamen quod ista Sacramentalia non operantur infallibiliter, sicuti operantur Sacramenta. Ratio est, tum quia res huiusmodi non habent vim ex pacto Dei expresso, quomodo Sacramenta, sed ex precibus Ecclesiæ, & deuotione vtentium. Tum quia aliquando non expedit nobis, vt liberemur à morbo, vel a dæmonis veneratione.

Nota ergo totam virtutem aquæ lustralis esse spiritualem innixam, vel impressam à Verbo Dei, à signo Crucis salutifero, & ab oratione Ecclesiæ, vel si velis ab ipsomet Christo exaudiente preces Ecclesiæ, & requisitum concedente effectum ad præsentiam, vel vsum & applicationem seu aspersionem Aquæ, vnde ipsa vti elementum non abluit sordes animæ aut dæmonem comprimit, aut mira aliqua facit, sed sanguis Christi, cui nos credere restamur, & ei qui dat aquam, quæ fit fons saliens in vitam æternam, vt Samaritanæ dignatus est reuelare.

Modus antiquorum eam benedicendi legitur in Euchalogio Græcorum, in Pontificali Armenorum, in Cæremoniali Syriaco & Chaldæo, in Rituali Æthiopiæ, Moscouiæ. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia cap. de baptismo, dicit Aquam sacris inuocationibus consecrari. Basilius libro de Spiritu-Sancto cap. 27. Apostolorum esse Traditionem docet. Epiph. hæresi 30. & Theodoretus libro 5. cap. 21. Historiarum meminerunt Aquæ benedictæ. Aug. homil. 27. ex libro 50. & serm. 19. de Sanctis, & libro 6. in Iulianum, dicit aquam signo Crucis in Ecclesia consecrari. Concilium Nannetense canon. 4. iubet Presbytero ægrotos visitanti, vt eum & ipsum cubiculum aqua sancta aspergat.

Alexandri I. Epistola ad omnes Orthodoxos, sic habet. *Aquam sale conspersam benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur. Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat, intellige à venialibus, vel ab immunditiis Legalibus, multò magis aqua sale conspersa, diuinisque precibus sacrata, populum sanctificat, atque mundat à venialibus, et si sale aspersa per Elisæum, sterilitas aquæ sanata est, quantò magis precibus sacratus sal sterilitatem rerum auferet humanarum, & coinquinatos sanctificat, & purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatis versutiis homines defendit.*

Cyprianus quoque Papa ait, *Quod ideo homines Aqua benedicta asperguntur, quia valet ad sanctificationē,* vnde Script. per Ezech. 36. dicit. *Aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab immunditiis vestris, & dabo vobis cor nouum & spiritum nouum.* Item Numer. 19. *Qui tetigerit cadauer hominis, siue humanæ animæ morticinium*, id est, à morte cadens, *& propter hoc, octo diebus fuerit immundus, aspergatur ex hac aqua, die tertia & septima, & sic mundabitur à peccato, si enim aspersus non sit die tertia, non poterit septima emundari.* Leuitæ purificari debebant aqua purificationis, ex quo apparet aspersionem aquæ sacræ pro lauacro institutam. Ex Alexandri instituto Sacerdos in Dominicis diebus celebraturus, alba & stola paratus, priusquam planetam induat, vt liberius vocare possit aquam benedicit, Altare, Ecclesiam & populum aspergit, vt omnis spirituum immundorum spurcitia tam de habitaculo, quam de cordibus fidelium propellatur, circa quod

Nota ex Duranto, quod huiusmodi aspersio alia ratione fit super populum, & alia super Altare: quia enim iustus ipse non caret peccato veniali. *Septies enim cadere dicitur* in Prouerb. 24. & resurgit, quod peccatum veniale sæpè in ipsa Ecclesia contrahit, idcirco ipse populus diuinis insistere intendens aspergitur. Altare autem aspergitur propter reuerentiam Sacramenti, quod ibidem consecrandum est, vt inde omnium malignorum spirituum præsentia arceatur. Quidam tamen hanc cæremoniam benedictionis aquæ in Dominicis, referunt in memoriam Baptismi, vt gratiam diuini nominis cum memoria Baptismi inuocemus eo die, quo potissimum populus Ecclesiam ad gratias agendas Deo adire solet.

Damnant omnes has benedictiones Hæretici, & pro ritu Ethnico habent Aquæ lustrationem, cuius consecrationem tribui posse alicui Gentilium Pontifici potiùs quam Alexandro aut Apostolis volunt Magdeburgenses cent. 2. cap. 6. Sed esto habuerint Gentiles in vsu aquam lustralem, vt supra notaui, Respondet Cyrillus Cateh. 3. vt illa quæ in aris offeruntur cum natura sint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur, sic contra aqua simplex per Sancti-Spiritus Christi & Patris inuocationem accepta virtute sanctitatem consequitur. Ambrosius libro de his qui Mysteriis initiantur, cap. 3. dicit aquam nisi prius signo Crucis sacretur nullum habere vsum in Ecclesia. Rident coniurationem & exorcismū salis & aquæ qui in eorū benedictione vsurpatur ab Ecclesia, & pro absurditate stolida habent Nouatores, quod Sacerdos rem surdam alloquens & insensibilem dicat. Exorcizo te creatura salis, per Deum viuum, vt fias aqua exorcizata, vel sal exorcizatum in salutem credentium; quasi verò inquiunt, dæmon possideret ante creaturas istas, arguúntque quod in ordine Romano plures sint Exorcismi comestibilium, vt ex eis abigantur dæmones, vnde in multis Ecclesiis vaccæ, vituli, oues adducuntur coniurandæ & sanctificandæ, quasi vero caro animalium horum immunda sit ex natura sua, & sub dæmonis possessione.

Respondeo, creaturas omnes à Deo Creatore deputatas & addictas vsui & seruitio hominis, qui cum peccat seruus fit Diaboli; vnde

&

& aliquo modo quæ sunt eius veniunt, in dæmonis potestatem iuxta id Sap. 14. creaturæ, Dei factæ sunt in odium Dei, & in muscipulam insipientium, cum constet aëreas potestates diuersimodè nocere hominibus, & omnibus, quæ ei deseruiunt. Quidni sæpius visum & probatum est creaturis insensibilibus dæmonem insedisse, qui exorcismo pelli potest.

Theophyl. & Chrysostom. scribentes illud 1. Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abyciendum quod cum gratiarum actione, percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Dicunt Apostolum, loqui ex hypothesi, id est, omnis quidem creatura bona, & munda est, tamen etiamsi esset immunda facilè posses eam sanctificare adhibito signo crucis, & oratione. Si ergo, etiam res immundæ sanctificantur per signum Crucis & orationem quanto magis res alioqui bonæ fient meliores & sanctiores per signum Crucis, & orationem. Respondeo ego sic ordinatum est ab Ecclesia, edocta à Spiritu Sancto inspirante pastores eius, vnde qui eos audit, audit Christum, & ideo infinitis miraculis Deus ipse vsum Aquæ benedictæ comprobauit, & stabiliuit quæ sancti Patres testes omni exceptione maiores referunt.

Epiphan. hæresi 30. narrat Iudæos incantationibus & præstigiis ignem ligasse ne calcem decoqueret pro Ecclesia construenda commotus Iudæus conuersus Ioseph, nomine aquam in vas intulit factoque super illam signo crucis & inuocata nomine Iesu dixit sic. In nomine Iesu Nazareni quem crucifixerũt patres mei fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis & magiæ quam hi fecerunt & sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces respersit & dissoluta sunt incantamenta & ignis coram omnibus emersit similiter fecit Marcellus Apameensis apud Theodoretum lib. 5. cap. 21. dæmon impediebat demolitionem, templi Iouis in Apamia Diaconus Equitius nomine attulit aquam, quam Marcellus Episcopus benedixerat, & facta aspersione dæmon aquæ vim non ferens aufugit; Ignis vero aqua suæ naturæ maxime aduersaria, velut oleo fotus occupat ligna eodemque momento temporis prorsus absumit.

Monachus Aphraates apud Theodor. historiæ Patrum cap. 13. agrum locustis plenum, aspersit aqua benedicta, moxque locustæ retrocesserunt & vltra progredi prohibitæ sunt idque in Prouincia specialiter in Territorio Arelatensi factum nouimus.

Cyprian. Arelatens. in vita S. Cæsarij, Arelatens. Episcopi narrat cap. 19. Cæsarium requisitum, à medico Elpidio vt mali dæmonis iniurias domum suam infestantis auerteret venisse ad domum eamque aqua benedicta aspersisse, moxque adeo profligata est omnis illa vexatio, vt nihil eiusmodi deinceps acciderit.

Gregor. Magnus, 1. dialog cap. 10. scribit S. Fortunatum curasse quendam qui cadens ex equo femur confregerat solius aquæ benedictæ aspersione.

Beda lib. 5. hist. cap. 4. scribit nobilissimam fœminam grauissime laborantem mox ita conualuisse, vt ministraret mensæ sicuti aliquando fecerat socrus Petri.

Bernard. in vita Malachiæ scribit ab illo per aquam benedictam phreneticum esse curatum Theodoret. histor. pa. cap. 13. scribit nobilissimam fœminam, nomine Assyriam emotæ mentis deuenisse, ita vt nullum ex domesticis agnosceret, cibum & potum, sumere non posset. Maritus eius qui præcipuus erat inter Magistratus consuluit Episcopum, narrat morbum coniugis, is domum venit, orat, feruenter ad Deum, aquam afferri iubet quam salutari crucis signo benedicit & potandam dedit mulieri. Illa autem vt bibit, ad se redit & à morbo omnino liberata, Præsulem agnouit.

Addo ego Aquam Benedictam, non solum viuis salutarem sed & defunctis in communione Ecclesiæ Catholicæ, vtilissimam, vnde non assentior Duranto qui lib. 7. mortuorum cap. 35. numero 29. dicit corpora defunctorum thurificari, & aqua benedicta, aspergi.

Non inquit vt peccata eorum tollantur, quæ tunc per talia tolli nequeunt, sed vt omnis immundorum spirituum præsentia arceatur. & vt sint etiam in signum societatis & communionis Sacramentorum quæ nobiscum habuerunt, dum vixerunt. Ratio meæ dissensionis ab isto Rationalis officiorum diuinorum collectore, hæc est, quia fidelium vsus obtinuit, vt orando super defunctos aqua eos aut tumulos irrorent quod futile, & ludicrum esset si defunctis nil inde proueniret. Ioannes Beleth Theologus, Parisiensis qui non inutile, opus de diuinis officiis circa annum 1200. scripsit, censet aspergi, ne dæmones corporibus noceant, sed nullius, momenti hæc mihi est responsio, quid enim nocebunt dæmones cum in Ecclesiis habeatur, continua corporis Christi præsentia, aut cum iampridem in cineres redacta sunt corpora.

P. Cotonus insignis Ludouici XIII. Galliarum regis, nec non & subditorum eius Catholicorum in pietate institutor, respondet corpora aspergi, seu tumulos, in testimonium quòd corpora refloreścent, sicut plantæ in vere resurrectionis, nihil profert in animarum leuamen, nec ea est fidelium intentio, aut cogitatio. Respondeo ego post singularem rei inquisitionem esse, specialem applicationem efficaciæ quam aqua habet ex Ecclesiæ instituto ipsis defunctis, quibus datur aqua, cum ergo aqua possit ex se venialia delere & sanctificare eã vtentem, vt docet Alexander primus & habetur ex omnium Sacramentalium instituto, hinc defunctus qui Ecclesiæ militanti est coniunctus habet alleuiationem pœnæ debitæ peccatis venialibus, secundum intentionem orantis. & iustitiæ diuinæ beneplacitum. Addiderim libere aspersionem ordinariam aquæ super tumulos esse modum, Orationis symbolicæ, etsi nulla specialis sequatur deprecatio, vel si velis, est singularis modus applicationis suffragij Ecclesiæ, cui defuncti vt habet symbolum Apostolicum. *Credo sanctorum Communionem*, non desistunt communicare: cum ipsi, & nos vnam tantum componamus Ecclesiam. Nec necessarium est absolutè, ad valorem talis suffragij speciales addere orationes, quamuis tamen certius sit, cum oratio, semper fructum habeat. Sed ipsa sola aqua applicata iuxta ritum & intentionem Ecclesiæ, suam consequatur efficaciam: Adde & hic notari Actum obedientiæ eius qui vtitur aqua iuxta præscriptum Ecclesiæ.

Instabis nil dici de vsu, pro defunctis in

benedictione Aquæ. Respondeo id elici ex charitatis, quæ omnia inter fideles communia facit, vinculo indissolubili etiam post mortem, vnde cum Alexander, qui institutionem Apostolicam, edicto firmauit aut frequentius vsurpatam fecit dicat. *Aquam populis benedicimus vt ea cuncti aspersi sanctificentur, ac purificentur.* Cur defunctos aspersos excipiam, cum fauorabilia sint amplianda ? Tum sicuti corde ad Deum voce & nutibus loqui solemus ad homines, dico aspersionem solam Aquæ benedictæ esse specialem fidelium loquelam, qua defunctis inuocant à Deo gratiam & diminutionem pœnæ.

Qværes. An aqua non benedicta si admisceatur benedictæ fiat benedicta.

Respondeo, affirmatiuè, quia maius dignum trahit ad se minus dignum, & quia benedicta consecratur per benedictionem factam ab Ecclesia, quæ voluit, vt talis benedictio extenderetur quoque ad aliam aquam illi admixtam, Non sic est de Eucharistia, vel de vino consecrato, quæ tantum fit per conuersionem substantiæ in corpus Christi, per verba consecratoria, vbi ergo immittitur vino consecrato vinum, commune non censendum est consecratum, quia ibi nulla est talis conuersio.

Qværes, cur ea quæ benedicere solemus, aspergamus, aqua benedicta ? Respondeo id inductum ab Ecclesia, vsus autem talis sufficere, debet simplici & idiotæ, Professori autem doctrinæ dico quia sic specialiter vsui sacro res aliqua deputatur, aut eis aduocatur virtus orationis quæ in benedictione aquæ vsurpata est, sicque res quas benedicimus, commendamus Deo, eumque precamur vt velit illas nobis esse salutares, & per eas tanquam per instrumenta, adiuuet. Solo signo crucis benedici solent multa, nam aliqua sanctitas rebus accedit cum cruce signantur, non quidem, quæ sit aliqua qualitas physica sed sanctitas in relatione consistens & inuocatione muta & symbolica, auxilium enim Christi imploratur non tantum corde, & verbo sed & signo, vel nutu, signum autem singulare professionis Christianæ est signum crucis expulsiuum dæmonum, fidei & spei in Deum excitatiuum.

Dices, contra Aquæ & aliarum rerum Benedictionem non esse scriptum, vt Aqua sanctificetur ad effectus quos intendit Ecclesia Romana. Respondeo falsum esse, nam scriptum est omnem creaturam, sanctificari posse per Verbum Dei & orationem 1. Timoth. 4. & rursum scriptum est. Petite & accipietis. Ecclesia igitur Christum & Paulum sequens Verbo Dei & oratione sanctificat aquam, & alia & petit vt valeat contra dæmones & morbos, & Deus miraculis testatur se audire preces, tum etsi non esset scriptum quid tum ? vbi nam scriptum erat vt aquæ sanarentur sale, & lepra curaretur aquâ Iordanis, & tamen fecit vtrumque Elisæus 4. Reg. 2. & 5. quod si dicas instinctu diuino, quia Propheta erat id præstitisse. Respondeo eodem instinctu instituisse Apostolorum eorumque successores, tales benedictiones, quia non solum Prophetæ sed & Pastores sunt fidelium. Nec importat quod 1. Ioann. 2. dicitur *quod sanguis Christi emundat nos ab omni delicto*, consequentur proueniali non est opus aqua lustrali, nam iam dixi totam vim aquæ esse à verbo Dei & sanguine eius, cuius virtus sic nobis applicatur, non tamen ita efficaciter, & infallibiliter vt in Sacramentis.

Quadragesimæ ieiunium esse seruandum ex Apostolica traditione.

Canone 68. Apostolorum habetur, *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut lector, aut cantor, sacram quadragesimã Pasche, aut quartam feriam, aut parasceuen non ieiunauerit deponitor, præterquam si imbecillitate corporis impeditur, si laicus sit communione priuator.*

S. Ignatius Apostolorum contemporaneus, epist. ad Philippenses. *Dies festos ne inhonoretis, quadragesimam ne pro nihilo habeatis, imitationem enim habet conuersationis Domini, hebdomadam etiam passionis nolite despicere, quarta & sexta feria ieiunantes.*

Clemens lib. 5. constit. cap. 13. *Obseruandum est ieiunium Quadragesimæ, continens memoriam conuersationis, & legislationis Domini.*

Abdias lib. 7. *Diebus certis*, inquit Matthæus, *siue quadragesima, siue legitimorum ieiuniorum temporibus tam ab edacitate carnium quam commixtione corporum qui non abstinuerit, non pollutionem solum sed etiam, simul crimen incurrit.*

In Chronico Eusebij ponitur ieiunium quadragesimale præscriptum authoritate Telesphori Papæ anno 136. Cæterum cum eiusmodi Ecclesiastica sanctio adscribitur Telesphoro, non hoc ita est intelligendum quasi ipse quadragesimæ ieiunium recenter instituerit, quod ab Apostolica Traditione imo ab ipso Petro, vt aliqui notant suscepit Ecclesia, sed quod eam Traditionem publico edicto stabilierit sicut & de aliis pluribus factum est & ex Telesphoro, ipso patet eum non instituisse quadragesimam, sed à se, & concilio quod Romæ conuenerat esse decretum vt clerici ieiunarent tres illos dies, qui quadragesimam præcedunt, vt septem hebdomadas ieiunent; cum Laici sex tantum hebdomadas & quatuor dies ieiunarent, quo pacto sicut conuersatione ita ieiunio distinguerentur à Laicis clerici.

Variæ autem sunt ieiunij quadragesimalis, causæ: prima vt Christum imitentur Christiani, qui Matth. 4. & Luc. 14. cum ieiunasset in deserto 40. diebus & 40. noctibus postea esuriit: secundo, vt coniunctis viribus pœnitentiam agant, quòd negligentius seruierint Deo: tertio, vt paratiores essent ad recipiendam in Paschate Eucharistiam: quarto, vt rogarent pro Catechumenis qui baptisabantur in Paschate: quinto, vt quoad fieri posset decimas Deo soluerent totius anni eas ieiunio tribuentes. Variis ritibus celebrabatur olim quadragesima, nam I. Clemens docet Christianos sex postremis diebus, rigidius ieiunasse solo pane aqua & aridis siccisque, quod etiam Tertull. contra Psychicos innuit secundo, vt idem habet Parasceuem, & Sabbatum ieiunabant nihil gustantes vsque ad galli cantum noctis; tertio, toto pene tempore quadragesimæ feriabant, vt orationi & cultui diuino liberius vacarent. Hinc Gratianus & Theodosius,

ſius, prohibuerunt fieri Iudicia in quadrageſima vt patet lib. 3. Codicis Iuſtiniani titul. 12. leg. 6. & in Theodoſiano codice lib. 9. tit. 33. lege 40.

At vero non vna eademque erat in numero dierum quadrageſimalis obſeruatio, longè enim pauciores dies quoſdam ieiunaſſe, quos tamen Eccleſia toleraret teſtantur Irenæus, apud Euſeb. 5. hiſt. cap. 24. Hug. epiſt. 118. cap. 4. rurſumque diuerſas fuiſſe diuerſarum Eccleſiarum, conſuetudines vt aliæ 6. aliæ 7. aliæ vero tantummodo tres ante Paſcha hebdomadas ieiunarent: author eſt Sozomen. lib. 7. cap. 19. Porro in Eccleſia Orientali, Sabbathum æquè ac Dominicam excipiebant à ieiunio, idque idipſum obſeruaſſe olim Eccleſiam Mediolanenſem, teſtis eſt Ambroſ. de Elia & ieiunio, qua vero ratione dicetur infrà. Rurſus in eadem Eccleſia Mediolani obſeruandum admonuit, Ambroſ. ſerm. 34. de quadrageſ. vt integri dies quadraginta duo à fidelibus ieiunio tranſigerentur, eo quod ſcilicet, totidem ſtationibus, ſeu manſionibus populus Iſraël, à captiuitate Ægyptiaca ad terram promiſſionis perueniſſet. In Eccleſia Romana, eadem ratio habebatur dum 42. dies quadrageſima contineret, ſed ex eis 36. tantum ieiunabatur, quod 6. dies Dominici abſtinentiæ ſubtraherentur, & quod eo dierum, numero vt notat Gregor. Magnus hom. 16. in Euang. quaſi perſoluerentur decimæ anni Deo noſtro.

At eiuſmodi vſus alia item ratione immutatus eſt, dum ad explendum numerum 40. dierum quatuor ex ſeptima hebdomada, dies ad ieiunandum coagmentati ſunt, nimirum, vt conſecratum ieiunio Domini tempus ſeruaretur ab omnibus. Ex quibus manifeſti erroris arguitur Socrates dum lib. 5. hiſt. cap. 21. ſcribit Romæ tres tantum ſeptimanas ieiunari ſolitum ante Paſcha.

Denique licet diuerſæ de his fuerint Eccleſiarum conſuetudines, omnes tamen in id conſenſerunt, vt certa anni tempora, quæ Paſcha præcurrunt ieiuniis celebrarent, Hieronym. autem epiſt. 28. in finem Auguſt. epiſt. 118. ad Ianuarium, Gregor. epiſt. 4. ad Leandrum docent non lædi fidem diuerſa conſuetudine.

QVÆRES cur Romæ ac nonnullis aliis locis Eccleſiæ Occidentalis cæteris ieiunij diebus additus eſſet dies Sabbathi, cum teſte Ignatio epiſt. ad Philippenſ. & Clemente lib. 7. Conſtit. cap. 24. illud execrata eſſe videatur Eccleſia Orientalis ab ipſis rerum Chriſtianarum primordiis, excepto tantummodo Sabbatho ante Paſcha.

Reſpondeo, rationem diuerſitatis fuiſſe quod cum multi eo tempore reperirentur hæretici in Oriente qui Deum Hebræorum, orbis conditorem, & legis authorem malum eſſe dicerent, & Chriſtum veniſſe ad eum deſtruendum docerent atque adeo quod Deus ille quieuiſſet die ſeptima & in eius honorem Iudæi Sabbathum colerent, ipſi contra in eius contumeliam ea die elegiſſent ieiunare.

Horum originem à Simone Mago, ſemel exortam in Menandrum Saturninum, Baſilidem Cerinthum, atque Carpocratem, qui omnes tempore ſancti Ignatij vixere eſſe infœliciter propagatam eorundemque impietatis poſtea factum hæredem Cerdonem huicque ſucceſſiſſe Marcionem docet Epiphan. & alij hæreſi 21. vſque ad 28.

Ea inquam de cauſa Orthodoxi Orientales, penes quos inualeſcebat illa hæreſis non ſolum à Sabbathi temperarunt ieiunio, ſed etiam in maiorem eorundem hæreticorum deteſtationem conſueuerunt eum diem feſtum agere, & ſacros conuentus perinde ac ipſa die Dominica, habere, & idè non quidem Iudaico ſicut Ebionæi apud Euſebium 3. hiſt. cap. 21. ſed piè ac religioſè, vt Deum Patrem Creatorem cœli & terræ, & omnium ſolemni cultu venerarentur, quem hæretici execrabantur.

Cur vero in occidente, ac potiſſimum Romæ fideles eo die ieiunarent hæc ab Auguſtin. epiſt. 86. ad Caſul. ex quorumdam ſententia, nec non à Caſſiano collatione 3. cap. 10 ratio redditur. Quod Petrus Apoſtolus cum Simone Mago, die Dominico certaturus propter ipſum periculum pridie vnà cum eiuſdem vrbis Eccleſia ieiunauerit, & conſecuto tam proſpero ſucceſſu eundem poſtea morem retinuerit. At Innocentius Papa, epiſtola ad Decentium cap. 4. eam eius rei cauſam affert, quod die Sabbathi, æquè ac feria 6. Dominicæ Paſſionis Apoſtoli, & in mœrore fuerint & propter metum Iudæorum, ſe occuluerint atque toto illo biennio ieiunauerint. Cæterum ſunt de eiuſdem diei ieiunio Canones Concilij Elibertini, & Agathenſis mùltaque, Patrum teſtimonia quibus conſtat in pleriſque aliis occidentalibus Eccleſiis ſolitum fuiſſe illud obſeruari. Verum de his conſulti Ambroſ. Hieron. Auguſt. in eandem conſpirarunt ſententiam, cuiuſque Eccleſiæ ſeruandam eſſe conſuetudinem. Itaque abundet ait, Hieron. epiſt. 28. vnaquæque Prouincia in ſenſu ſuo, & Præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitretur.

Ieiunium quatuor temporum.

ANni tempore ieiunia, nempe veris in quadrageſima æſtatis in Pentecoſte diſtributa ſunt, autumni in menſe Septembri, hyemis Decem, obſeruantur, quæ ſic per totius anni circulum inquit S. Leo in ieiunio menſis Septembris ſerm. 7 & 9. vt lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Eadem vero ex doctrina S. Spiritus & Apoſtolica, inſtitutione ſumpſiſſe principium idem author abſque vlla dubitatione confirmat, non autem à Calliſto Papa, vt alij tradiderunt, nam iſte ſi qua de his ſcripſit edito decreto, firmauit quæ à maioribus ex traditione perceperat. At licet nonnihil cum legalibus hæc videantur habere, commune, tamen eorum quæ ad bonos, mores inſtituendos, pertinere viderentur, viſa eſſent nonnulla iure laudabiliterque Apoſtolos in de mutuatos idem Leo docet, cum & alioquin apud Hebræos ea peragerentur 4. 5. 7. & 10. menſe.

Zachariæ 8. verſ. 19. Ieiunium 4. & ieiunium 9. & ieiunium 7. & ieiun. decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras 4 Nimirum ieiu. apud Iudæos, fiebat 17. Iunij, & obſeruabatur ob fractionem legis tabularum. Exod. 32. verſ. 19. iratuſque valde proiecit de manu tabulas confregit. ad radicem montis. ieiunium quinti fiebat 9. die

die Iulij, quia hac die dictum fuerat Mosi quod nemo videbit terram, pro qua iuraui patribus eorum, ex illis qui detraxit mihi, Numer. 14. vers. 24. excepto Iosue & Caleb, porrò eadem 4. temporum ieiunia celebrari quoque solita, esse in Ecclesia Orientali, Athanasius monstrasse videtur dum agit de ieiunio post Pentec. Apolog. de fuga sec item quia tali die combustũ templum 1. per Chaldæos 2. per Romanos, Ieiunium 7. fiebat 3. die Tisri, seu Septembris, & dicebatur Iei. Godoliæ, quia vt dicitur Ierem. 41. vers. 2. in mense 7. venit Ismaël Filius Nathaniæ Filij Esima de semine regio, & decem viri cum eo percusseruntque Godoliam, qui & mortuus est sed & Iudæos, & Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha, ieiunium decimi occurrebat 10. Teuet, seu Decembris, obseruabatur autem, quia tali die Rex Babylonis accinxerat se ad obsidionem Hierosolymæ, huius ieiunij fit mentio act. 27. v. 9. cum iam tuta non esset nauigatio eo quod ieiunium iam præteriisset. Probabile notatur quod ieiunium 4. temporum tunc incæperit, quia ordinatio, seu impositio manuum solebat olim dari in mense Decembri, ieiunium autem præcedere debebat. Postea additum fuit ieiunium Veris, Æstatis & Autumni, vt singulæ partes temporis quæ vitæ nostræ periodos faciunt Deo consecrarentur.

In primitiua Ecclesia, ieiunia fiebant tantum in tribus anni temporibus præter Quadragesimam, sed Calixtus Papa XXVI. constituit ieiunium fieri quater in anno, nam & Iudæi quater in anno ieiunabant, si enim tantum ter in anno in tres partes, diuiso ieiunaretur, forte aliqui dies remanerent, de quibus primitias non redderemus, in istis enim ieiuniis primitias, temporis exoluimus. Ieiunamus vt præseruemur à vitiis, & quæ deliquimus in illis purgentur, rursus quoniam quodlibet tempus tres habet menses, ideo quater ieiunamus in anno tres dies, vnum diem ieiunantes pro mense vt sic satisfaciamus, in die quod deliquimus in mense.

Nota autem ieiunia vernalia, primò instituta fuerunt in 1. septimana Martij, æstiualia in 2. septimana Iunij, Autumnalia in 3. Septembris hyemalia in 4. Decembris, sed propter multa quæ inde surgebant incommoda Leo Papa 81. statuit vt hyemale fiat in 3. septimana aduentus, vernale in 1. septimana quadragesimæ, æstiuale in 1. septimana post Pentecosten, Autumnale vero fiat secundum veterem institutionem. Leo autem in serm. 2. de Pentecoste commendat ieiunium 4. temporum, consequens Pentecosten vti traditionem Apostolicam.

Rationem addere libet, cur quater in anno ob scilicet qualitates 4. anni temporum in nobis vitiatas per peccata. Homo constat 4. elementis quantum ad corpus, & ex 3. potentiis quantum ad animam, scilicet, rationali, concupiscibili, & irascibili Ver calidum est & humidum, tunc ergo ieiunamus vt elementum amoris in nobis castigetur ne consentiat pulchritudini veris, ieiunamus itaque contra luxuriam ex humore, & calore nascentem. Æstas calida est & sicca, tunc ergo ieiunamus vt elementum caloris in nobis castigetur, ne consentiat incendio carnali, vel tunc ieiunamus contra superbiam, quia tunc fructum terræ qui floret, & maturantem superbiendi materiam præstat. Autumnus est frigidus & siccus, ieiunamus tunc ne aliquo languore animi arescamus & defluamus, & sine pinguedine olei deuotionis inueniamur, vel ieiunamus contra auaritiam, quia tunc messes colligimus, & habemus. Hyems frigida & humida est, vnde tunc ieiunamus ne membra nostra fluxu atque luxu soluantur in comessationibus & potationibus, ac per hoc amor Dei negligatur, vel tunc ieiunamus contra pigritiam, quia torpemus frigore. Origo ergo, 4. Temporum ab Apostolis comprobatur saltem partialiter cum Calixt. 4. temporis ieiunium addiderit, ipse enim testatur epist. ad Benedictum consueuisse ante sua tempora seruari in Ecclesia ieiunium trium temporum.

Nota ex Canone 68. Apostolorum diem 4. ieiunio addici, hoc tamen Ecclesia relaxauit, retinendo ieiunium in 4. feriis 4. temporum, & abstinentiam à carne illa die transferendo in Sabbatum. Antiqui Patres constitutionem Apostolicam aliquamdiu obseruarunt, patet ex Tertull. de ieiuniis aduersus Psychicos cap. 14. Cur stationibus 4 6. Sabbathi dicamus & ieiuniis Parasceuem. Si quæras an ieiunium 4. & 6. feriæ fuerit lege sancitum, an autem in arbitrio fidelium positum, Tertull. in lib. de ieiunio, respondet passiue currere, id est, permitti non imperari. S. August. in epist. 86. scribit Romæ frequenter indicat non semper id fieri: sic etiam Isidorus lib. 1. de Diuin. officiis cap. 42. eum scribit nonnullos feria 6. per totum annum ieiunare, signant non id ab omnibus fieri. Adhæc si per totum annum fideles omnes feria 4. & 6. ex lege ieiunarent, ex lege quorsum opus fuisset ieiunio 4. temporum. Denique Pœnitentibus apud veteres iniungi solebat vt feria 4. & 6. per totum annum ieiunarent, vt cognosci potest ex Burchardo lib. 6. & 19. decretorum: non ergo fideles ex lege tenebantur feria 4. & 6. ieiunare. Bellarm. ita soluit quæstionem dicendo feria 4. & 6. per totum annum ex legis præcepto ieiunari, quoad abstinentiam à carnibus, & de hac lege intelligendum esse canonem Apostolorum. Quod autem pertinet ad abstinentiam à prandio, quomodo ieiunium nominare solet August. epist. 86. non ex proposito legis, sed passiue vt loquitur Tertull. hoc ieiunium cucurrisse, quamuis etiam ipse Tertull. meminisse videatur ieiunij per abstinentiam solum à carne, cum in lib. de ieiunio dicit exceptionem quorundam ciborum esse portionale ieiunium, & rursus feria 4. & 6. à Catholicis semi-ieiunium plerumrumque seruari.

Qværes cur non seruetur lex de abstinentia à carnibus 4. feria, Respondet Bellarm. in Ecclesia occidentali magna ex parte mutatum esse ieiunium feriæ 4 in ieiunium Sabbathi, scribit enim Ambros. in comment. ad cap. 14. epist. ad Roman. alios feria 4. alios die Sabbathi carnibus abstinere. Innocentius quoque 1. in epist. 1. sæpe repetit feria 6. & Sabbatho ieiunandum, feriæ autem 4. non meminit. Quod idem faciunt authores Latini posteriores.

Refrigescente Christianorum deuotione satis fuit Ecclesiæ ieiunia feriæ 6. & Sabbathi in abstinentiam à carne commutare.

De Ieiunio Aduentus.

Solebat in Romana Ecclesia obseruari ieiunium in Aduentu Domini, patet ex Innocentio III. Capitur consilium de obseruatione ieiuniorum. Tum ex ipso Ritu Romani Breuiarij, in quo Preces illæ ad singulas horas ponuntur legendæ in feriis Aduentus, quæ propriæ sunt eorum dierum, quibus jeiunatur. Cæterum hoc ieiunium, non tam ex præcepto, quam ex consilio, aut ex voto à multis seruari Ecclesiæ vsus satis téstatur.

De ieiunio Rogationum.

IEjunium tridui ante Ascensionem, vna cum Litaniis instituisse fertur Sanctus Mammertus Viennæ Episcopus, vt scribit Gregorius Turonicus libro 2. historiæ Francorum capit. 34. Propter multa incommoda quæ à terræ motibus; & Luporum incursionibus eo tempore, circa annum 475. patiebatur. Deinde idem ieiunium receptum legimus in Concilio Aurelian. 1. cap. 29. Per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxantur. Seruanda est in eiusmodi rebus Ecclesiæ consuetudo, vt Hieronymus in Epistola ad Lucinum, & Augustinus in Epistola ad Casulanum monent. Antiquissima siquidem consuetudine nullum imperatur ieiunium inter Pascha & Pentecostem.

De ieiunio Vigiliarum.

PRidie magnorum Festorum, non solùm Vigilias agi per noctem, sed etiam ieiunari testis est Sanctus Bernardus in sermone de vigilia Sancti Andreæ: Innocentius III. cap. 1. & 2. de obseruatione ieiuniorum; Vigiliæ autem à tempore Apostolorum obseruatæ fuerunt, patet ex regula generali Augustini, de Traditionibus, ex Menologiis Græcorum ex Martyrologio Romano, & ex homiliis Sanctorum Patrum; vigiliæ autem dicebantur, quia transfigebatur nox festi præcedens festum solemne, in oratione, & in præcipuis ciuitatibus duo nocturnalia agebantur officia, & populus qui ad festum veniebat, tota nocte in Dei laudibus in Ecclesia vigilabat, quod adhuc Romæ, & in plerisque locis in magnis festiuitatibus, præsertim Patronorum Ecclesiarum obseruatur, sed quia Lusores, & Cantores conueniebant, & turpibus cantilenis & saltationibus, & comessationibus, & potationibus, & fornicationibus intendere cœperunt, propter hæc, & multa alia inconuenientia, quæ fiebant, huiusmodi vigiliæ fuerunt à Sancto Bonifacio Papa circa annum 420. interdictæ, & institutum, vt loco earum, fiant ieiunia, quæ ieiunia adhuc retinent nomen Officij; nam communiter vigiliæ, non vera ieiunia nuncupantur.

De delectu Ciborum; & abstinentia à Carne.

GEnes. 2. vers. 16. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.

Genes. 9. vers. 3. Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.

Leuit. 10. vers. 8. & 9. Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij ne moriamini; quia pactum sempiternum est, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum.

Iudic. 13. vers. 4. Paries filium, Samsonem, caue ne bibat vinum, ac siceram, nec immundum quicquam comedat.

Vers. 13. dixitque Angelus Manue, ab omnibus, quæ locutus sum vxori tuæ abstineat se.

Ieremiæ 35. vers. 5. Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino & calices, & dixi bibite vinum, qui responderunt. Non bibemus, quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum, & domum non ædificabitis, &c.

Vers. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus Israël, non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.

Daniel 10. vers. 3. In diebus illis ego Daniel lugebam 3. hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.

Matth. 3. vers. 4. Ioannes Baptista habebat vestimentum de pilis camelorum, esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre.

Lucæ 1. vers. 15. Dixit Angelus de eo, vinum & siceram non bibet.

Quod Ecclesia possit indicere obligatoria ieiunia.

MAtth 18. vers. 17. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, dixi supra verbo Ecclesia. A simili, nam Ierem. 35. Ionadab potuit prohibere filiis vsque in sempiternum vini vsum & obedientia filiorum placuit Deo. Cur non poterit Mater Ecclesia certos aliquos cibos pro tempore filiis interdicere, ita vt & nostra obedientia & Ecclesiæ populus Domino placeat.

Hester 9. vers. 32. illi obseruanda susceperunt à se, & à semine suo ieiunia & clamores sortium, & omnia quæ libri Ester historia continentur.

Si ex constitutione Mardochæi totus populus suscipit nouum ieiunium, & festum diem celebrandum in memoriam liberationis à persecutione Aman Agagitæ, cur non obediemus in ieiuniorum institutione.

Act. 15. vers 41. perambulabat Paulus Syriam, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.

Matth 16. vers. 19. Dabo tibi claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris erit ligatum.

Matth. 28. vers. 18. Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.

Luc. 10. vers. 16. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit me spernit.

Actum 20. vers. 28. Vos Spiritus-Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit.

Actuum

Actuum 15. 28. Visum est Spiritui-Sancto, & nobis vt abstineatis à suffocato & sanguineo, idque ita strictè obseruatum fuisse à Christianis, notat Tertullianus, vt mortem potiùs subiissent, quā gustassent sanguinē aut suffocatum. Notat autem Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. Id statutum fuisse, non continentiæ à tali cibo causa, sed vt facilius Ecclesia ex Gentibus & Iudæis coalesceret, dum ad tempus iubentur Gentes abstinere ab iis cibis, à quibus Iudæi vehementer abhorrebant.

Sicuti ergo Apostoli ob bonum finem certos cibos prohibuerunt, quos alioqui Deus non prohibebat; nec enim de carne suffocata legitur vlla prohibitio, tum libertas Euangelica Luc 10. vers. 8. Manducate quæ apponuntur vobis, obliterasset illam. Cur non possint, qui Apostolis succedunt ieiunia indicere, & certos cibos prohibere ob alium bonum finem, nimirum ad carnis petulantiam cohibendam?

Contra delectum ciborum.

DIces, Matth. 15. vers. 11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem*: Non est ergo ab vllo cibo vllo tempore abstinendum.

Respondeo negando consequentiam, non enim cibus coinquinat, sed inobedientia & mala voluntas, quæ Ecclesiæ aut Superioris mandatum conntemnit.

Instabis ex libertate Euangelica dictum. Luc. 10. vers. 8. *Manducate quæ apponuntur vobis.* Ad Titum 1. vers. 15. *Omnia munda mundis.* 1. ad Corinth 10. vers. 25. *Omne quod in Macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam; si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod apponitur vobis manducate, nil interrogantes propter conscientiam, si quis autem dixerit, hoc immolatum est Idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam, non tuam, sed alterius, vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?*

Respondeo, Lucam non intelligendum absolutè ad litteram, alioquin sanguis & suffocatum prohibita essent edenda pro tempore, quo ab Apost. interdicta fuere. Intelligatur ergo, vt exposuere Ambros. & Theophyl. in Luc. scilicet, vt hic Christus frugalitatem imponat discipulis euangelizantibus, non exigendo ab hospitibus cibos lautiores, sed ea quæ apponuntur accipiendo. Tum currit præceptum supponendo obseruantiam modi iam instituti, vt pro tempore & loco sumatur, quod sumi debet, nec enim Deus aut Christus libertatem transgrediendi leges ab ipso, vel Ecclesia sua institutas docet, sed temperantiam & modestiam præscribit. Tum si simpliciter intelligas, ergo si venenum apponeretur, comedi id voluisset aut caro suilla, eo tempore, quo Lex Mosis vigebat. Eodem modo Paulus manducari voluit, quod venditur in macello, vt fideles liberaret à sollicitudine inquirendi, verùm carnes illæ essent Idolis immolatæ, vel non essent. Nam alioqui dicendum esset Paulum sibi contradicere, qui Act. 15. & 16. iubebat seruari decretum Concilij Hierosolymitani, de sanguine & suffocato, & idolothytis non edendis, ac per hoc non volebat in macello emi sanguinem, vel suffocata, vel carnes quas aliquis sciret esse immolatas. Et certè is qui dixerat Rom. 14. vers. 21. Bonum esse non comedere carnes, & non bibere vinum, neque in quo offenditur frater tuus, aut scandalizatur, aut infirmatus, & 1. Corinth. 8. vers. 13. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Multò magis cupiebat ieiunia indicta ab Ecclesia seruari, quæ qui non seruant, non solùm fratres multos scandalizant, sed etiam intemperantiæ & inobedientiæ crimen incurrunt.

Instabis Coloss. 2. vers. 16 *Nemo vos iudicet in cibo & potu.*

Respondeo, sequere & patebit intentum Apostoli, *aut in parte, ait diei festi neomeniæ aut Sabbathorum, quæ vmbra sunt futurorum.* Hic ergo Paulus non agit de ieiuniis Christianorum, & delectu ciborum in ipsis, sed tantum de cæremoniis Iudæorum, quas cum lege ipsorum abrogatas docet, nec consequenter posse iterum introduci ab homine, seu Iudæo, seu hæretico.

DIces 1. ad Timoth. 4. vers. 1. *In nouissimis diebus discedent quidam à fide, prohibentes nubere & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum, cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerint veritatem, quia omnis creatura Dei bona est.*

Respondeo ex vltimis verbis, elici intentionem Apostoli, quæ damnat omnes hæreticos, qui cibos, vt per se immundos prohibent, ac præsertim, vt Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus & Oecumenius hic, & Hieronymus in libro secundo aduersùs Iouinianum docent, Marcionistas, Encratitas & Manichæos, insurrexerunt siquidem ipso Apostolorum tempore, qui cibos vt ex se immundos, & non à Deo, sed dæmone creatos docebant, quod & de matrimonij institutione asserebant. Idque colligitur ex canon. 50. Apostolorum. Qui propter abominationem tantùm carnibus in diebus festiuis non vtitur, deponatur tanquam qui cauterio notatam habeat conscientiam, & qui multis sit author offendiculi oblitus, quod omnia pulchra valdè, & quod Deus masculum & fœminam creauit hominem. Neque obstat illud, *in nouissimis diebus*, quasi loquatur Apostolus, de iis qui longè post Apostolica tempora futuri erant; nā præter quod in Græco habetur ἐν ὑστέροις καιροῖς, id est, in temporibus posterioribus, certè est intelligi totum tempus, quod est, à Christi aduentu vsque ad finem mundi, hoc enim tempus vocat etiam fines sæculorum 1. Cor. 10. cùm ait. *Omnia contingebant illis in figura, facta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt*, & sicut Petrus de suo tempore exponit, quod Ioël 20. cap. vers. 28. futurum prædixerat, *in nouissimis diebus* Idem Petrus in priore Epistola capit. 1. dicit, *Christum præcognitum fuisse ante mundi constitutionem, manifestatur autem in nouissimis temporibus.* denique Ioannes Epistola 1. cap. 2. non semel repetit. *Filioli nouissima hora est.*

ra est. Manichæos autem & Encratitas damnasse cibos quosdam, vt natura immundos non ignotum est. Tertullianus autem de ieiunio cap. 15. exponens Paulum, ait, *Prædamnans iam hereticos abstinentiam perpetuam precepturos ad destruenda & despicienda opera Creatoris, quales inueniam apud Marcionem, Tatianum, &c.* Theodoretus in cap. 4. prioris ad Timotheum. *Execrabiles*, inquit, *nuptias, & plurimos cibos appellant, vt Creatorem iniuria afficiant.*

De Precibus publicis Latinè dictis, seu non vulgari lingua.

CRedo Ecclesiam Catholicam, vnde dico, & linguam eius debere esse Catholicam; quia quantum fieri potest vniuersalis esse debet, vt magis extensè & vniuersaliter intelligatur, hodie autem Latina lingua est vniuersalior, grauior, & vt plurimum magis in vsu.

Ioannis 19. vers. 19. *Scripsit autem Pilatus Titulum I. N. R. I. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè*; quod in Mysterium accipiunt Patres. Christianos cultum Christi his tribus maximè linguis facturos, quod protinus apparuit, cùm Nouum Testamentum Græcè scriptum sit, Euangelium Matthæi, & Epistola Pauli ad Hebræos, Hebraïcè, Euangelium Marci dicitur Romæ scriptum Latinè.

Matth. 18. vers. 17. *Dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus.*

Ecclesia autem in publicis Officiis lingua non vernacula vtitur, ergo benè. Ephes. 1. vers. 8. in Christo habemus Redemptionem, &c. in omni sapientia & prudentia.

Prudentia autem Spiritus Dei exigit, vt in electione partem eligamus, quæ magis expedit, quæque minora habet incommoda; lectum est autem, quod conseruatio & vsus linguæ originalis Liturgiarum & Officij Ecclesiastici, vnicum tantum habet incommodum, quod tamen essentiæ religionis & salutis non præiudicat, & per studium eorum, qui linguam non capiunt vinci potest, & illud est, quod à Plebe communiter non intelligatur expressè & immediatè, quod dicitur aut depromitur in Officio publico vnde plebs verbatim ad singula non possit respondere Amen, vt arguunt & inclamant Nouatores ex 2. Corinth. cap. 14. vers. 15. Si benè dixeris spiritu quomodo, qui supplet locū idiotæ dicet Amen, quoniam quid dicas nescit. At 1. hoc incommodum vincitur per intelligentiam Pastorum, & eorum qui inuigilant tanquam rationem reddituri de animabus. Plebs enim ad hoc, vt fructuosè dicat Amen, non ignorat, quod dicitur ad Dei dici gloriam, nouit, vt plurimum esse Obsecrationes, gratiarum Actiones, & omnia ex instituto Ecclesiæ, ad ipsius plebis vtilitatem, quare authoritas Ecclesiæ sufficiens ei est cautio, vt per communicationem vnius spiritus quam quisque fidelis, vti membrum corporis habet, respondeat Amen, sicque licet idiota immediatè, & verbatim non omnia capiat, capit intentum, & licet priuetur illa animi suauitate, quæ ex sensu verborum potest elici, hæc suppletur per coniunctionem mentis, quam quisque orando tenetur habere cum Deo aut Ecclesia orante.

Tum hodie non potest assumi illud Thren. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Non enim desunt frequentes Catheche ses, Prædicationes, & cultus Diuini Interpretationes. Conciliū generale post aliorum decreta statuit sess. 24. cap. 7. *Vt Parochi explicent lingua vernacula, si opus sit Sacramentorum vim & vsum, & salutis monita eadem lingua vernacula singulis diebus festis & solemnioribus explanent.*

Tum qui lingua Latina, verbi gratia, precatur, non caret fructu orationis, tametsi quæ dicit non intelligat, fructus enim principalior orationis, est impetratio, & quod audiatur à Deo vel à Sanctis, qui nullum idioma ignorant, sicut ergo illius qui principi externo libellum supplicem offert, hæc res maximè animum sollicitat, vt is tali lingua à perito aliquo, & fideli viro conscribatur, quam Princeps ille intelligat, tametsi illam prorsus ignoret. Ita qui Latinè orationem Dominicam, vel alias preces offert Deo, aut Sanctis cœlestibus, vt ea quæ postulat consequatur, non multum referre existimat, an à se idioma quo recitanda est oratio intelligatur (non enim sibi ipsi orando loquitur, sed alteri, in eo porrò magnum ponit momentum, vt illis verbis precetur, quæ & hoc petant, quod ipse sibi donari postulat, & acceptissima sint Deo Sanctisque quos precatur. Quia igitur Orationes quæ diuinis litteris continentur, à Spiritu Sancto dictatæ fuerunt, cuiusque munus est postulare pro Sanctis, Rom. 8. vers. 27. Cum nos quid oremus sicut oportet, nesciamus, & versio Latina per vniuersum orbem recepta & vsitata, verba habeat Ecclesiæ, quæ est Sponsa Christi, non ineptè orat, qui orationem à seipso expressam ad aliquid postulandum accommodat, verbisque Ecclesiæ vtitur, licet à se non intellectis.

Inconuenientia vero quæ sequerentur ex originalis linguæ mutatione, multa sunt, & vergunt ad ruinam Religionis Christianæ.

Nam primò, quàm periculosius sit idioma, primæuum institutionis Officij conuellere aut mutare quis non videt, cum sæpè ex interpunctione aut mutatione syllabæ, vel litteræ vnius multum detrimentum patiatur fides, vox vna homousion totum orbem Christianum ita concussit, vt se Arrianum orbis ipse lamentaretur, ait Hieronymus, Basilius autem testatur Christianos mille mortes potiùs subituros, quā vt de eorum consensu, vel minima syllaba ad fidem Mysteriorum pertinens euellatur, aut deprauetur.

Nonne ergo multis & præsentibus euersionis periculis exponeretur fides Catholica, & Officium diuinum, si ex Hebræo, Græco aut Latino, vulgari quouis idiomate audiretur.

Tum linguæ hæ temporaneæ probantur omninò subiectæ mutationibus, quibus supposita Scriptura tota, vix à successoribus Traductorum intelligeretur, vt videre est in scripturis forensibus, ignoris hodie litteratioribus.

Secundò, in Concilio Chartaginensi III. cap. 23. statuitur. *Et quascumque sibi preces aliquis sibi describit, non eis vtatur, nisi prius eas cum instructionibus fratribus contulerit.* Certi ergo esse debemus, quod in publicis precibus

nil dissonum sit à fine & recta reuocatione, quod sine examine fieri nequit, at quis vulgatas quaslibet nouit linguas ad operis illius approbationem, cum vix duo haberi possint Episcopi, qui vernaculo idiomate passim differenter vti possint?

Tum contemptui & opprobrio euidenter exponeretur ritus diuinus, ob diuersitatem dialectorum quæ in temporis varietate obsolescunt, eneruantur, & malè aliquando sonant.

Tertia principalis ratio. Cum principale intentum Religionis Christianæ sit illudmet Christi, vnio scilicet eorum inter se, rogo pater, vt vnum sint. Certè quo pauciores sunt modi loquendi & generaliora, seu vniuersaliora idiomata, quibus vtitur Ecclesia, eò facilius conuenire & congregari possunt Conuentus & Concilia, sicuti cum tota Ecclesia Occidentalis, Europæ & Africæ sola lingua Latina vtebatur in rebus Ecclesiasticis. Et vniuersa Ecclesia Orientalis, Asiæ & Africæ Orientalis Græcam linguam habebat in vsu certè faciliùs, & commodius erat per commercium duarum linguarum primitiuarum, in quibus institerant Apostoli, cultum diuinum, communionem Ecclesiasticam tueri, & conseruare, cui sine dubio diuersas sectas, & multitudo idiomatum pro varietate Prouinciarum, tenebras & caliginem offunderet, diuersáque impedimenta daret.

Nam vox Ecclesiæ, quæ audiri debet in Conciliis generalibus, maximè vix discerni posset; imò nec ipsa Concilia communiter agere, & difficultates obortas discutere & examinari valerent.

Nec Ecclesia Occidentalis loqui posset communiter, & vnam ex omnibus sententiam, aut vocem proferre posset, nisi vno ipsorum communi vteretur idiomate, scilicet Latino. Consequenter, nec Ecclesia Orientalis cum Catholica erat, conuenire non potuisset in vnum, nisi commune habuisset idioma Græcorum. Asciti enim Prælati & Episcopi, congregati in Concilio, siue Nationali, siue Oecumenico, in vnam conueniebant linguæ communionem.

Olim quando congregandum erat Concilium vniuersale Ecclesiæ Occidentalis, ex Europa & Africa constans, in Occidente congregabatur, & Ecclesia Orientalis ex variis nationibus constituta coadunabatur, in Oriente deinde decreta, & statuta, & definitiones vnius Ecclesiæ communicabantur alteri, per singulares personas, quæ vtramque linguam callerent. Quod autem resultabat & statuebatur ab vtraque Ecclesia, id erat vox Ecclesiæ vniuersalis, & decisio Concilij Oecumenici. Posita autem iam abrogatione linguæ Latinæ. In Ecclesia Occidentali, & supposito quod omnes Episcopi Europæi sua vernacula loquerentur. Item & Orientales, sanè id potiùs confusio & noua Babel, quod Concilium & Conuentus Prælatorum diceretur, quod sine dubio accideret, si quælibet vernacula lingua in publico ritu, & communi Officio diuino induceretur.

Præter hanc difficultatem congregandi Concilia Oecumenica sensim perirent, auctographa, Canones, Conciliorum veterum, & definitiones antiquæ Rituum Ecclesiasticorum, consequenter in breui antiquitas tota hominibus ignota esset, & periret; nam Plebanis & Prælatis, satis esset habere ad manum, quod vernacula lingua legerent, aut audirent.

Ad id quod opponitur ex Paulo, vnde infertur communem vsum Ecclesiæ primitiuæ populi intelligentiæ se accommodasse, consequitur, & hodie lingua vulgari debere fieri Officium.

Respondeo primò, licitè in priuatis precibus assumi linguam vernaculam, vt orantibus placet.

Secundò, Catecheses & Prædicationes communiori lingua proponendas. At Paulus nil hic dicit contra vsum linguæ primitiuæ in Ecclesia. Nec enim ibi loquitur de communibus statisque precibus Ecclesiæ, quæ communiori lingua fiunt inter Occidentales & Orientales, sed loquitur Paulus de priuatis orationibus & sermonibus, quibus efferebantur Mysteria quædam ex dono linguarum, quod donum primis illis temporibus Apostolorum multis iam Christianam fidem complexis communicabatur à Deo ad conuersionem infidelium. Erat autem huiusmodi donum sicut Augustinus docuit, 12. de Genes. ad litt. cap. 8. & lib. 4 de Trin. cap. 16. Vt visiones quasdam futurarum rerum prænuncias obscurè & variis linguis eloquerentur, quarum significationes frequenter ipsimet, quibus ea videre contingeret intelligere non poterant. Erat igitur aliud donum, quod propheriam nominat Apostolus, quod illa Mysteria obscuritate quadam inuoluta explicabantur populo Christiano, vel ab eodem qui lingua loquebatur, si hoc dono pollebat, vel ab alio, qui illo munere ornatus esset. Porrò Corinthij Christiani delectabantur maximè dono linguarum, eo quod admirationi essent aliis ob sermonis varietatem, ideoque in Ecclesia quisque sine ordine suas visiones proferre volebat, etiam nullo interprete, aut Propheta præsente, quorum puerilem leuitatem Apostolus coarguit, iubétque nihil alienâ lingua, quod obscurum sit in medium afferri, nisi interpres adsit, idque variis de causis.

Primò, vt totus ipse homo spiritu & mente fructum percipiat, spiritu inquam, hoc est affectu & mente, hoc est intelligentia, qui enim dono illo linguarum Mysteria loquebantur, moueri quidem solebant & affici dulcedine diuinarum rerum, quas eloquebantur, sed tum demum mens fructum capiebat, quando intellectus cognitione Mysteriorum instruebatur. Itaque orare spiritu & mente, est non solùm visione sibi facta Deum laudare, atque precari, sed mente etiam ex eius intelligentia in Deum rapi & eleuari.

Secundò, vt auditores non obscuras voces tantùm audiant, sed audita interpretatione eorum ædificentur, & vtilitatem percipiant, respondeant *Amen*, hoc est verbis confirment Dei promissiones intellectas.

Tertiò, ne ludibrio sint infidelibus, qui si eos videant admirabilia, obscura, implicatáque diuersis linguis sonantes eos insanire existimabunt. Nil igitur ista contra preces Ecclesiasticas Latinas faciunt, in quibus is qui supplet vices idiotæ, non solùm Amen, sed alia plura respondet institutus in Ecclesia, quæ Latina lingua non vt barbara, sed vt communi & peruulgata vtitur.

Dices, si in gratiam Græcorum præficiuntur Sacerdotes Græci qui diuina Officia Græcè peragant

peragatur pari ratione Germanis, Gallis, Belgis constituendi erunt, qui vernacula eorum lingua decantent in Ecclesiis.

Respondeo negando consequentiam, nam Græcè apud Græcos diuina Mysteria celebrantur, non vt vulgus intelligat quæ geruntur, sed propter diuersos ritus harum Ecclesiarum, quæ sicut cæremoniis discretæ sunt, ita diuersas habent linguas, non modo vernaculas, sed etiam communes, quibus non plebs in suis congressibus, sed eruditi vtuntur.

De Exorcismis.

Exorcistarum Ordo celebris erat in Ecclesia primitiua, vt constat ex Actis Apostolorum cap. 19. & in qualibet Ecclesia determinatus habebatur numerus, vt constat ex Epistola Anacleti Papæ ad Episcopos Africæ, & ex Concilio Ancyrano, & ex Epistola Cornelij in historiis lib. 6. cap. 33. libellum continentem exorcismos, dicens, ***Accipe, & disce memoriter, & habe potestatem manus imponendi super dæmoniacum baptisatum, aut Catechumenum.*** constat hoc ex Concilio Carthaginensi 4. cap. 417. & Ancyrano cap. 10. Cum conferebatur iste ordo Episcopus tradebat.

1. Exorcismus certis & determinatis fiebat verbis, vti apparet in Minutio, scilicet, in Octauio, in Lactantio lib. 2. cap. 6. In Cassiano, collat. 15. cap. 5. Et in Conc. Carthag. III. c. 7.

2. Orationes Exorcismi concludebantur semper per Christum Dominum, qui venturus est iudicare sæculum per ignem; quia, inquit Micrologus in libro de Sacramentis. Horrent & timent dæmones, dum iudicium futurum recolitur, vt colligitur ex verbis Sancti Cypriani ad Demetrium, sentientes flagella, fatentur futurum esse iudicium.

3. Dæmones de nomine suo interrogabantur, quod & Iesum præstitisse referunt Lucas, & Marc. cap. 8. dicens. Quale est nomen tuum. Idem colligitur ex Lactantio. *Nomina sua*, inquit, *declarant illi qui in Templis coluntur.*

4. Sicuti imponebatur manus Catechumenis singulis quadragesimæ diebus, ita & dæmoniacis, vt habetur ex eodem Concilio Chartaginensi, & in titulo de consecratione distinct. 5. cap. Omni die.

5. Exorcistæ, neque in Templis, ob loci reuerentiam, neque in domibus priuatis dæmones coniurabant, vt habetur ex Concilio Laodicæno cap. 59. Et ideò hodie cum Catechumeni deferuntur ad Ecclesiam, non fiunt exorcismi, nisi ante eorum ingressum, aut pro foribus.

6. Facta à dæmone exitus sui promissione petebatur externum signum, vt videre est in Palladio, in vita Possidonij, euersionem muri dedit dæmon in Symbolum. Sicque inualuerat vsus apud Iudæos, teste Iosepho lib. 8. antiq. cap. 2.

7. Olim dæmoniaci habitabant simul in determinatis locis, sub gubernio solo Exorcistarum, hoc autem ad politicam spectat disciplinam, non autem ad ordinem, vel cæremoniam ei annexam, sicque quasi bestiæ Catabuli, aut animalia ferocia erant sub ipsorum regimine, vt legitur in Conc. Carthag. cap. 9.

Addo solitos vsurpari Exorcismos, non tantùm ad eiiciendos dæmones, sed & ad expellenda alia infestantia animalcula, verbi gratia, locustas, ranas, vermes, &c. Subsannant talem vsum Nouatores, quia hæc animalia carent vsu ratoinis & intelligentiæ, quasi verò ignorent id Catholici, sed norunt præterea dæmonis arte & malitia, vt plurimum excitari aut transferri hæc animalia, amandari; ergo & expelli dæmones petimus, cum virtus diuina imploratur, vt hæc nociua retundantur & expulsentur, esto illa non capiant, imò non audiant coniurationes, audit Angelus eorum tutelaris, vel rectos (si vt multi tenent cuiliber speciei animalium, necnon & creaturarum assignatus est Angelus) sicque potest verbo Dei, & oratione Ecclesiæ moueri, ne amplius de cætero noceat. Nunquid Apocal. 7. Angelus clamare legitur 4. Angelis, quibus datum erat nocere terræ & mari, ne illis nocerent, quod facit Angelus, facit & Ecclesia, nec suos ministros. Tum Psalm. 57. incantantur serpentes, etsi non intelligant, imò nec audiunt vocem venefici incantantis sapienter, ad hoc enim obturant aures suas. Experientiam exorcismorum videmus in dies, ipsorum efficacia nostris temporibus Arelatenses campos à locustis iamdudum deuastatos restituit illustrissimus Archiepiscopus Gaspar de Laurentiis.

Vsurpari solet aqua benedicta ad arcendam dæmonum potestatem, quidni idem præstabit verbum Dei, & oratio exorcismalis? Hinc explodunt Caluinistæ, nec sacras adiurationes admittunt, ex formidine sine dubio, ne iis sine vocatione vtentes impetantur à dæmone vti contigit filiis Sceuæ; vulgo dicitur, vulpem non curare de cerasis cùm iis vesci nequit. Et in legitima agnoscitur praxis Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, quæ quotidie publicè expellit dæmones, serpentes tollit & verbo Dei religiosè, & ad præscriptum Apostolicum vtens mira omninò operatur; vnde Lactantij ad Paganos interrogatio transferri potest ad Nouatores.

Iubeat inquit vtriuslibet Sacerdos Dei sui nomine, vt nocens ille spiritus excedat ex homine? nullo id pacto fieri potest. Quæ igitur vis Deorum est, si subjectos sibi dæmones non habent.

Ac si diceremus, prodeat Sacerdos Catholicus, accedat Caluinianus minister, alteriúsve sectæ coniuret vterque in nomine Dei arreptitium, quem colit, seu energumenum, non exibit dæmon opera Caluinistæ, nec credo tentabit ipse, quomodo ergo acceptus Deo comprobatur ex fide, quam profitetur, cùm dæmones sibi subiicere nequeũt, Sacerdos autem Catholicus id passim faciat, iuxta promissum Christi Apostolis, eorúmque successoribus datum. Vnde elicitur efficax argumentum conuincens Romanam Ecclesiam stare à vera & probata, legitimáque religione. *Necesse est enim*, ait idem author fidei propugnator antiquus, *veram esse hanc Religionem, quæ & rationem dæmonum nouit, & astutiam intelligit, & vim retundit, & eos spiritualibus armis domitos, subactos cedere sibi cogit.*

Exorcismus non est Sacramentum, sed quid sacramentale, vnde præcedit Baptismum, tanquam pars solemnitatis illius, nec est significatiuus tantùm, sed etiam efficit debilitationem

potestatis

potestatis diaboli, & quandocumque aliquid sanctificandum est ad cultum diuinum prius exorcizatur, vt liberetur à potestate diaboli.

De Chrismate, & Oleo sancto.

EX Apostolica Traditione, Benedictionem non solùm aquæ, salis, sed & olei, aliarúmque rerum hominum vsui inseruientium Ecclesia sibi vendicat exemplo Christi, qui pacem turbæ daturus benedixit ei, Lucæ 9. Et tantùm abest, vt quod Nouatores oblatrant, sit quædam species incantationis aut magiæ, vt potius ad dissoluendas illas & auertendas alias diaboli artes, eiúsque in talibus creaturis infessionem, quam persæpè habet, eiusmodi benedictio inseruiat, tum ex efficacia orationis nomine totius Ecclesiæ super has creaturas factæ, tum ratione obedientiæ, quæ Canonibus & Ecclesiæ præstamus decretis, dum Maiorum Traditioni, & vsui insistimus, Marc. 6. *Apostoli vngebant oleo ægrotos, & curabant.* Cùm autem ipsi adstitissent benedictioni panis, quam fecerat Christus, quis dubitarit ipsos non priùs inuocasse nomen Dei & Christi, in cuius nomine iussi erant facere curationes & miracula super creaturas, quibus ad hæc vtebantur. Prima Timot. 4. Paulus docet. *Quod omnis creatura Dei bona est; nam sanctificatur per verbum Dei & orationem* Exod. 30. vers. 30. Iussit Deus vngi Aaronē & filios eius, vt sacerdotio fungerentur ipsi. vers. 37. *Inhibetur ne oleum vnctionis inseruiat vsui communi*, quod vers. 31. *Sanctum dicit Deus in generationes suas.*

QVÆRES, num sit consentaneum rationi, vt aliqua sit differentia inter oleum vsuale, & illud quod destinatum est ad animæ sanctitatem.

Respondeo, hoc imperant Ecclesiæ institutores Apostoli, Clem. lib. 7. Const. Apost c. 23. scribit oleum benedicendum, & sacros ad vsus applicandum: vnges, ait prius oleo, deinde baptizabis aqua, postremò consignabis vnguento, vt vnctio sit participatio spiritus. Aqua sit symbolum mortis, vnguentum sigillum pactorum, sin autem non fuerit oleum, neque vnguentum chrismatis satis est aqua, tum ad vnctionem, tum ad sigillum.

Dionys. cap. 20. Hierarch. Eccles. Cum illum, qui baptizatur ministri perfectè exuerint, deferunt Sacerdotes sanctum vnctionis oleum, at Christus Pontifex trino sanctæ Crucis signaculo vnctionem inchoans, inungendum iam Sacerdotibus toto corpore hominem tradit. Iustin. q. 137. Oleo inungimur, vt Christi vnctio fiamus, vnguento autem ad recordationem eius, qui vnguenti vnctionem sepulturam suam esse putauit. Marc. 14. *Hæc præuenit vngere corpus meum in sepulturam.*

Nicæna Synodus can. 68. Arabicæ editionis transacto anno, debet Sacerdos benedicere aquam & oleum, non sicut fit in Baptismo, neque sicut benedicitur Chrisma, sed sicut oleum infirmorum.

Can. V. Con. Romani à Syluestro conuocati habet, vt nemo Presbyterorum Chrisma conficeret, quoniam Christus à chrismate vocatur.

Can. 20. Conc. Tolet. primi, anno 400. Placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum chrisma conficere, & per diœcesim destinare, ita vt de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ destinentur Diaconi aut Subdiaconi, vt Chrisma ab Episcopo destinatum confectum possint deferre Episcopo, sanè certum est, quod omni tempore licet chrisma conficere, statutum vero est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente vero, non nisi ab ipso fuerit præceptum. Hoc decretum fuit; quia licet vbique pene custodiretur, vt nemo præter Episcopum conficeret chrisma, tamen aliquibus in locis vel prouinciis Presbyteri dicebantur conficere.

Basil. libr. de Spiritu Sancto; consecramus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, & ipsum qui baptizatur, ex quibus Scripturis? Nonne à tacita Traditione?

Tertull. libr. de bapt. cap. 7. Præmonstrata antiquitate vnctionis Sacerdotum Leuiticorum nominísque Christi deriuatione à chrismate, quia pater vnxerat eum gratia vti Regem & Sacerdotem, addit vnctionem quam facimus esse corporalem, sed effectum esse spiritualem. Caro vngitur, vt anima consecretur, in Aqua mergimur, & delictis liberamur, caro signatur, vt & anima muniatur.

Cyprian. Epistola 70. quæ est 2. lib. 1. de vnctione chrismatis & aliis Sacramentis hæc habet. Non hæc medendis corporibus vnctio est instituta; quia sanctificatis elementis, iam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentius operatur, sed adest veritas signo & Spiritus Sacramento.

B. Fabianus Papa anno 238. Epistola ad omnes Orientales Episcopos. Litteris vestris inter cætera insertum inuenimus, quosdam regionis vestræ Episcopos, à vestro nostróque ordine discrepare, & non per singulos annos in Cœna Domini, chrisma conficere, sed duos aut tres annos confectionem sancti chrismatis semel actam conseruare; dicunt enim, vt in memoratis apicibus reperimus, nec balsamum, per singulos annos posse reperiri, nec necesse fore per singulos annos Chrisma conficere, sed dum vna confectio chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere. Errant qui talia excogitant, & mente vesana potius quam certa sententia hæc dicunt. In illa enim die Dominus Iesus, postquam cœnauit cum Discipulis suis, & lauit eorum pedes (sicut à Sanctis Apostolis prædecessoribus nostris accepimus, nobisque reliquerunt,) Chrisma conficere docuit, ipsa enim lauatio pedum, nostrum significat Baptismum, quando sancti Chrismatis vnctione perficitur, atque confirmatur. Nam sicut ipsius diei solemnitas, per singulos annos est celebranda, ita ipsius chrismatis confectio, per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda: quia nouum sacramentum est per singulos annos, & iam dicto die innouandum, & vetus in sanctis Ecclesiis cremandum: ista à sanctis Apostolis & successoribus eorum accepimus, vobísque tenenda mandamus. Hæc Sancta Romana Ecclesia & Antiochena Hierosolymorum, & Ephesinorum, in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt, & vetus chrisma incendi & non amplius, quam vno anno vti & frui nouo permiserunt & docuerunt.



ELENCHVS TRADITIONVM SINGVLARVM.

ARTICVLI

ARTICVLI XIII.

Reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

DE FESTIS.



CELEBRITAS diei Festi iure optimo præscribitur in tertio decalogi mandato. *Memento vt diem Sabbathi sanctifices*, cum enim duobus prioribus præceptis tollantur impedimenta veræ religionis, scilicet idololatria,& infidelitas, consentaneum fuit addi tertium quo homines pertrahantur ad veram religionem, ad quam pertinet externo signo exhibere cultum vero Deo.

Notant autem S. Thomas 1. 2. quæst. 122. art.4. præceptum celebrationis festorum, esse partim naturale, partim cæremoniale, partim humanum,quatenus est naturale obligat omnes; nam lumine naturæ cognoscimus deputandos esse cultui diuino dies aliquos quibus singuli rebus diuinis dent operam, & à seruilibus operibus abstineant: Obseruantia siquidem diei Festi duobus continetur præceptis,vno affirmatiuo,altero negatiuo:Negatiuum prohibet opus propriè seruile.

Affirmatiuum hodie reductum est ab Ecclesia ad Missæ auditionem. Hoc præceptum naturale dici solet ab aliquibus morale, quatenus determinat aliquod tempus impendendum cultui diuino, hoc enim pertinet ad mores: quatenus vero hoc præceptum est cæremoniale non obligat ipsâmet die Sabbathi, quia cæremonialia veteris legis deleta sunt per mortem Christi, vt docet sanctus Thom 1 part. quæst. 100. & cum eo alij Doctores. Quatenus denique hoc præceptum est humanum, habet certos dies ab Apostolis eorumque successoribus determinatos. Diem Dominicum loco Sabbathi. Diem natalis Domini, Passionis Paschatis, & Pentecostes quos de Apostolica, descendere traditione & in tota Ecclesia obseruari docet S August. epist. 118. & 119. legiturque in Constitutionibus Clementis nomine editis, & piè est credendum, quia quo tempore cæteræ Sanctorum festiuitates cœperint coli,aliqua est memoria: de his autem nullum inuenitur institutionis exordium, & antiqui Patres qui iis diebus homilias ad populum habuerunt, de his festis tanquam de re antiquissimâ loquuti sunt, Testis omni exceptione maior est S. Ignatius, qui vndecimo anno Traiani Imperatoris,Christi vero 58. & B.Petri 14. suas in itinere positus Romam veniens scripsit epistolas, in quibus vetat omninò Philippensibus ne festum Paschatis agerent cum Iudæis, Cum vero eosdem specialiter monuit. *Ne festiuitates dehonestarent*, planè declarauit, alias iam eodem tempore introductas esse in Ecclesia festiuitates: sicut & eum eâdem, tum aliâ ad Magnesianos datâ epistolâ meminit diei Dominicæ quam, *reginam & principem omnium dierum vocat*, & Ioannes Apostolus Apoc.1. eius meminit: ea siquidem ipso exordio nascentis Ecclesiæ obseruari & coli cœpit & festiua institui ab Apostolis ob Resurrectionem Domini quæ eâ die accidit hâcque à fidelibus religiosè susceptâ legales cæremoniæ & Iudaici ritus nec non & festa Synagogæ paulatim explodi cœperunt.

Prima autem Christiana festiuitas (propriè loquendo) fuit Pentecostes dies, tunc enim cœpit Euangelium annunciari publicè completis iam redemptionis humanæ mysteriis.

Notandum autem Apostolos sic illa quæ præcipua videbantur festa Iudæorum Pascha, & Pentecosten celebrasse, vt nomina tantùm retinentes non celebrarent more, & secundùm intentum legis Mosaicæ: magnum siquidem est discrimen inter festa Christianorum,& Iudæorum; nam in primis illa post Christum habent falsam significationem, nostra habent veram: deinde illorum primarius finis erat significare futura, vt dicitur Coloss. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbathorum quæ sunt vmbra futurorum.* Nostrorum autem primarius finis est agnoscere Dei beneficia propter quæ instituta sunt festa. Denique summa præcepti in illis erat non operari corporaliter: in nostris vero potissima præcepti pars est interesse diuino sacrificio, vacare autem ab opere corporali nobis præcipitur tantum ne distrahamur à Dei laudibus: celebrabant ergo Apostoli noua quæ erant in illis & augustiora mysteria, atque eadem ipsa quæ iisdem solemnitatibus erant olim typicè significata! nimirum Crucis & Resurrectionis Domini in Paschate, & aduentus Spiritus S. in Pentecoste.

Qvæstio I.

De die Dominica.

SAbbathum quod ab instituto diuino sanctum & solemne erat populo eius, versum est ab Apostolis afflatu Spiritus Sancti in primam sequentem feriam, tum ob Resurrectionem Christi Domini, quæ eâ die accidit, tum quòd de illa prædictum Psalm. 117. videatur, *Hanc esse diem quam fecit Dominus*; & dies Dominica est appellata ab ipsismet Apostolis quippe cuius non solum Ignatius eorum Synchronos, sed & ipse Ioannes Apostolus expressam mentionem faciat, Apoc. 1. *Ego*, inquit, *Ioannes fui in spiritu in Dominica die*, quem locum omnes exponunt de Dominica die quæ ab ipso nascentis Ecclesię exordio obseruari cœpta est, & religiosè coli, qua simul ad sacram synaxim conuenirent, & vt plurimum sacras obirent functiones, vt de conuentu ad verbum Dei annunciandum fratribus, de exponendis Scripturis & de colligendis pro indigentibus eleemosynis, *vnâ Sabbathi*, sæpius legitur. Per *vnam* enim *Sabbathi* diem Dominicam intelligendam esse declarat August. epist. 86. fierique solitas Collectas die Dominica ostendunt præterea Cyprian de op. ea eleemos. Chrysost. sermon. de eleemos. Leo sermon. 5. de Collect. & alij.

Vt autem intelligatur quàm rectè translatio, seu cultus Sabbathi in diem Dominicam, seu primam feriam facta sit.

Nota Sabbathum fuisse festum antiquissimum & præstantissimum apud Iudæos & ideo solius Sabbathi mentionem factam in Decalogo: erat autem Sabbathum festum excellentissimum, quia cum omnia festa celebrentur, vel in memoriam beneficij præteriti, vel ad significandum aliquid futurum: in vtroque excellebat; nam quantum ad præteritum colebatur in memoriam primi & communissimi beneficij, id est, creationis mundi: sicuti enim Reges Natalem diem filiorum suorum coli iubent (ait Philo in lib. de opificio mundi) ita Deus coli voluit diem natalem operis sui, id est, mundi: quod etiam vtilissimum erat ad excludendum errorem Philosophorum qui erant dicturi mundum non habuisse principium. Quantùm autem ad futurum Sabbathum figura erat trium beneficiorum Dei, ad quæ alia omnia reuocantur.

Primò figura erat in sensu allegorico quietis Christi in sepulchro, vt enim Deus Sabbatho quieuit ab opere creationis: ita Christus quieuit ab opere Redemptionis vt obseruauit Paulus, Heb 4.

Secundò figura erat in sensu tropologico quietis mentis humanæ ab operibus seruilibus peccatorum, Iudæi enim dum Sabbatho otiabantur, significabant venturum esse tempus gratiæ quo liberati homines per Christum à seruitute peccati, quiete & otio spirituali fruerentur, vt exponit August. tract. 30. in Ioan.

Tertiò figura erat in sensu anagogico quietis sanctarum animarum, quam post mortem expectabant in sinu Abrahæ, vt docet August. epist. 119. & deducitur ex Apostolo Hebr. 4.

Iam verò propter has ipsas causas quibus Sabbathum fuit olim institutum decuit vt post Christi aduentum mutaretur in Dominicam. Nam quantùm ad memoriam præteritorum, dies Dominica longè excellit Sabbatho, nam refert nobis memoriam Natalis Domini & Resurrectionis eiusdem & aduentus Spiritus Sancti: quo die quodammodo nata est Ecclesia; nam Christus natùs est die Dominica vt patet quia illo anno currebat littera dominicalis B. vt docent omnes Mathematici, & potest ostendi retrocedendo in Cyclo litterarum dominicalium: constat autem litteram B. haberi die 25. Decembris quo die natus est Christus. Quod autem idem Christus resurrexerit die Dominica constat ex Euangelio: Quòd denique aduentus Spiritus Sancti, fuerit die Dominica patet, quia fuit in die Pentecostes, id est, quinquagesimo à Paschate, qui necessariò est dies Dominicus. Itaque dies Dominica repræsentat nobis natalem diem Christi & Ecclesiæ, & Christi non simplicem, sed duplicem, & prætetea non minus refert memoriam creationis mundi quàm Sabbathum; nam die Dominico cœpit mundus fieri, imò eo die factæ sunt principales omnes partes mundi, Cœlum, Terra, Angeli, Lux, *&c.* Vnde Iustin. Apolog. 2. & Leo epist. 81. ad Dioscorum, dicunt diem Dominicam coli, tam ob memoriam creationis mundi quàm ob Resurrectionem Christi.

Quantùm autem ad futurorum significationem, Sabbathum planè cessare debuit, quia omnia quæ per Sabbathum significabantur futura, iam sunt completa, nam Christus iam in sepulchro iacuit & quies animarum in Deo iam agitur. Porrò quies defunctorum Spirituum in sinu Abrahæ iam mutata est in gloriam & beatitudinem, nuncque non expectamus ampliùs simplicem illam quietem, sed quietem gloriosam. Gloria autem meliùs significatur per diem Dominicum quàm per Sabbathum & idcirco August. epist. 119. dicit Sabbathum rectè datum Hebræis qui post mortem ibant ad solam quietem. Christianis verò datam esse Dominicam diem, quia iam est reuelata gloria Resurrectionis in Christo, & quod præcessit in capite etiam totum corpus expectat.

Prærogatiuæ diei Dominicæ in Synodo apud Bedam in comment. de Æquinoct. vernali, coram Theophylo Cæsariensi in Palestina Episcopo, sex à SS. Patribus sunt recensitæ: attigeruntque ex his aliquas Origenes hom. 7. in Exod. Athanas. in illud Matth. *Omnia tradita sunt mihi*. Basilius in hexam. hom. 2. Hieronymus in Galat. 4. Augustinus multas collegit serm 251. de temp. & S. Leo cæteris locupletiùs de eiusdem diei Sacramentis agit, itemquè sextæ Synodi adiecti Canones: vt non immeritò tam Ignatius epist. ad Magnes. eam appellauerit. *Reginam & Principem omnium dierum.* Cumque eadem non solum *Dominica* sed & *dies Panis*, atque etiam *dies Lucis*, dicta reperiatur, tria hæc eiusdem nomina fusiùs explicat Chrysostomus hom. 5. de resurrect. Extat insuper de eiusdem diei cultu Canon magni Concilij Nicæni.

Ritus antiquus celebrandi diem Dominicum notatur, non anniuersario reuoluto tantùm mensium orbe, sed cuiuslibet hebdomadis recurrente die; idque in memoriam & gratiarum

tiarum actionem Resurrectionis Dominicæ, Christiani autem conueniebant in Ecclesiam ad Lectionem Communionem sacrificium, concionem vt ex Iustino patet, Apolog.2. Secundò vacabant ab operibus seruilibus vt patet, ex Hieronym. epist. ad Eustochium de Virgin. & Gregor. lib.11. epist.3. Tertio non ieiunabant vt patet, ex Tertull. lib. de corona militis & aliis qui passim hoc docent. Quartò non flectebant genua sed stantes precabantur de quo extat Can.20. Nicæn.

Quoniam sunt in Dominica die quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecostes propterea vtique statutum est à sancta Synodo quoniam consona, & conueniens per omnes Ecclesias custodienda consuetudo est, vt stantes ad orationem vota reddamus. Idem longe ante docuerat Tertull. cit. *die Dominico*, inquit, *ieiunare nefas ducimus, & de geniculis adorare.* August. epist. 119. dicit Christianos diebus Dominicis & à Pascha vsque ad Pentecosten stando orare solitos ad significandam eâ cæremoniâ Christi resurrectionem.

Nota non licere vllo modo Christianis obseruare Sabbathum Iudæorum, aut alias ferias Testamenti veteris, quia Sabbathum erat præcipua cæremonia Iudaïca & præcipua figura vt patet Coloss.2. nam vbi Christus venit, Sabbathum & legalis obseruantia necessariò finem habuit. cum enim Christi resurrectione finitæ sint omnes Iudaïcæ cæremoniæ, Dominico die admonemur non esse amplius inhærendum figuris & vmbris.

Concilium Laodicenum cap. 29. anathemà dicit iis qui Sabbathum colunt atque in eo vacant ab operibus ad imitationem Iudæorum. Tum Anti-Christus renouaturus est Sabbathi culturam, ait Gregor. lib.11. epist.3. in odium Euangelij.

Dices, Exod. 31. dici de Sabbatho, *pactum est sempiternum signumque perpetuum.*

Respondeo non simpliciter, sed donec staret status illius Reipublicæ, quod explicat Moses cum addit *vobis*, aut *in generationibus vestris*, aut *filiis Israel*, vt Exod. 12. Similia habentur de Sacerdotio Exod. 28. & de Sabbatho 31.

Nota solitas olim fieri die Dominico oblationes in Ecclesia vt patet, ex Cypriano qui lib. de oper. & eleemos. inuehitur in diuites qui sine oblatione eadem die ad Ecclesiam conueniren habetur & expressus Canon.1. Conc. Matiscon. *Custodire debemus diem Dominicam quæ nos denuo peperit & à peccatis omnibus liberauit, nullus vestrum litium fomitibus vacet, nullus causarum actiones exerceat, nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iumentorum imponere cogat. Estote omnes hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti, &c.* Et Canon.4. sic habet. *Item statuimus vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quàm vini, &c.*

Concilium VI. generale can.8. iubet die Dominicâ audiri sacrum & nulla opera corporalia fieri, præter ea quæ ad victum necessaria sunt, & alia similiter necessaria.

Appositè notabo hic inter alia Valentiniani, & Valentis Imperatorum rescripta hoc promulgatum fuisse anno Christi 365. *Ne Christiani ab exactoribus die Dominico conueniri possent.*

Concludat hunc tractatum August. sermon. 251. *Dominicum diem Apostoli religiosa solemnitate habendum sanxerunt.*

QVÆSTIO II.

De Pascha.

DVo de hoc Festo dicenda sunt. Primò quid sit Pascha. Secundò de erroribus circa Pascha. Quantum ad Primum aliqui Patrum existimarunt nomen Paschæ deductum, esse à verbo πάχειν, id est, pati, quia Passionis Domini memoria in Paschate celebratur iuxta illud Apostoli. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*, ita Ambr. in lib. de mysterio Paschæ cap.1. Vnde etiam Tertull. lib. contra Iudæos dicit Pascha Domini significare Passionem Christi quorum sententiam refert, & meritò refellit Augustinus epist. 119. nam Pascha nomen est Hebræum non Græcum, Hebraicè autem dicitur פסח quod Græci verterunt πάχα Chaldæus פַּבְהָא Hieronymus legit Phase nimirum secundùm alia puncta: sed eadem semper est vox. Dicitur autem Pascha à verbo פסח quod est transilire; vnde primariò non significat immolationem agni vt author comment. in cap.14. Marci apud Hieronymum docet: nec transitum populi per mare rubrum ad terram promissionis vt docet Nazianz. orat. 2. de Pascha & August. tract.55. in Ioan. Nec etiam significat transitum Angeli per Ægyptum vt videntur sonare verba illa: *Est enim Phase, id est, transitus Domini.* Exod 12. sed significat transcensionem Angeli & quasi saltum super domos Iudæorum, vt patet ex ratione, quæ redditur Exod. 12. nam vbi dixerat Moyses. *Est enim Phase* subiungit rationem: *Transibo enim per terram Ægypti nocte illa & percutiam primogenita Ægyptiorum: erit autem sanguis vobis signum in ædibus vestris, & videbo sanguinem & transibo vos, nec erit in vobis plaga.* Vbi primum transibo, est רְעָבַרְתִּי secundum est רבפחח & ab hoc dicitur Pascha. Similis ratio ter in eodem capite redditur vbi semper פסח significat transilire, seu transcendere non simpliciter transire. Vnde Ioseph lib. 2. antiq. cap 13. dicit Pascha significare transcensionem. Idem docet Hieronym. in cap.26. Matth. & Theodor. qu.24. in Exod.

Veruntamen hoc ipsum nomen traducitur etiam ad alia tria significanda. Primò, significat vt diximus transilitionem Angeli. Secundò ipsum agnum Paschalem qui per immolationem transibat de vita ad mortem vnde dicitur. Luc 22. *Necesse erat occidi Pascha.* Tertiò transitum populi qui illâ ipsâ nocte liberatus à tyrannide Pharaonis transiuit per mare rubrum vt iret in terram promissionis, & hanc significationem agnoscunt Gregor. Nazianz. orat 2. de Pascha. & August. tract 55. in Ioan. Quartò ipsum festum diem, nam Luc.22. dicitur: Appropinquabat dies festus Azymorum qui dicitur Pascha.

Porro vocamus diem hunc Græco potius vocabulo quàm Latino, quia Græca lingua, olim apud primos Christianos, maximè Romanos tantæ fuit authoritatis vt dies solemnes, ac dignitates suas Græcis nominibus vocarent, v. g. Pascha Pentecoste, ὑπαντὴ Epiphania, λιτανεία, Latinè supplicatio, seu rogatio μαρτὺρ, Latinè testis, Apostolus, Episcopus, Archiepiscopus, &c vel dici potest iuxta August. nomen hoc Paschæ diuina institutione fuisse compositum à verbo Græco πάσχειν, quod pati interpretatur, & hoc nomine Hebræo Phase, Latinè transitus, rectè enim duo hæc nomina conueniunt in hoc nomine Paschæ tam secundum significationem quàm secundùm voces: secundum quidem significationem, quia in Passione Christi fuit transitus, per Passionem enim ipse transiuit à morte ad vitam & fecit nobis viam credentibus in resurrectione eius vt transeamus & nos de morte ad vitam: quare non immerito nomen hoc vtriusque nominis habet significationem, atque ita artificiosè etiam in re complectitur significationem Latinam eius vocabuli vt ex duabus linguis fiat tertia nempe Latina, appellatur enim Pascha ipsa dies Resurrectionis.

Quantum ad secundum, seu errores circa Pascha. Primus error fuit Aërij, qui Pascha negabat esse celebrandum quòd hoc Iudaismum saperet, sed Epiphan. hæres. 75. hunc refellit non enim agimus Pascha Iudæorum sed quod illo significabatur.

Secundus error fuit Blasti cuiusdam Romanæ Ecclesiæ presbyteri qui teste Tertull. libro de præscript. docuit Pascha necessariò debere celebrari ipso die quo à Iudæis celebratur, id est, decima quarta Luna, siue esset Dominica, sine non. In quo errore fuerunt eodem tempore multi Episcopi Asiæ minoris, vt patet ex lib. 5. hist. Eusebij cap. 24. & 25. vbi refertur epistol. Polycratis Episcopi Ephesini ad Victorem Papam qua ille asserit omnes suos prædecessores vsque ad S. Ioannem Euang. semper celebrasse Pascha die 14. Nec defuerunt postea multi alij quibus hic error placeret quos Epiphan. hæres. 50. Quartodecimanos vocari affirmat.

Hic error illo ipso tempore refutatus est à Conciliis ferè omnium Ecclesiarum Galliæ, præsertim sub Irenæo Episcopo Lugdunensi & maximè à Romano Pontifice, Pius siquidem anno Christi 159. Pontificatus sui anno 2. decretum edidit de celebrando Paschate Dominica proxima Lunæ quartædecimæ post æquinoctium vernum vt legitur apud Eusebium. Huic decreto accessit diuinum suffragium vt testatur liber de Rom. Pontificibus in Pio dum ait, tunc fratrem ipsius Pij Hermem scripsisse librum, in quo mandatum contineretur quod ei præcepisset Angelus Domini apparens in habitu Pastoris, vt sanctum Pascha die Dominica, celebraretur. Liber autem Hermetis Pastor inscriptus optimè notus extitit antiquis, quem Patres sæpe citarunt. Si testimonium hominum ad hoc inquirendum est, vnus ex multis sufficiat testis Ignatius, qui Dominum in carne vidit & diu cum Apostolis versatus est, ac sedem Antiochenam quam Petrus fundauerat & Paulus docuerat administrauit, nec alia docuit, aut scripsit, quàm quæ ab eis accepisset, is non solum, ait epistolâ ad Magnesianos, diem Dominicam esse celebrandam vt reginam ac principem dierum resurrectioni Domini consecratam, sed & contestatus est epistolâ ad Philippenses. Si quis cum Iudæis celebraret Pascha? participem esse eorum qui occidissent Dominum & Apostolos eius: *Dico Episcopo & Presbyteris in Domino: Quicumque cum Iudæis Pascha egerit aut solemnia dierum festorum eorum susceperit, comparticipabit eis qui Dominum & Apostolos, eius occiderunt.*

Nota obiter Ecclesiarum omnium toto orbe tranquillissimam hoc tempore pacem, cùm authoritate Victoris Rom. Pontificis anno 198. omnia hæc celebrata ad hoc sint Concilia, teste Beda. Deinde Concilium Nicænum cum adhuc error ille alicubi duraret idem statuit, vt testatur Epiphan. hæres. 50 & 70. qui dicit in Concilio eodem compositum aureum numerum ab Eusebio Cæsariensi, qui ostendit Nouilunia. De qua re extat epistola ipsius Conc. Nicæni apud Theodoret. lib. 1. cap 9. hist. & eiusdem rei meminit Athanas. in epist. de Synodo Arimin. & Seleuciensi. Ambr. ep. 83.

Item Constantinus Imperator, epistolâ ad omnes Ecclesias apud Euseb. lib. 3. de vita Constantini, vbi Constantinus probat tribus rationibus Pascha debere celebrari die Dominico. Primo ne concurramus cum Iudæis interfectoribus. Secundo, quia par est vt in tota Ecclesia sit vna par ratio celebrandi, & æquum etiam est vt pauciores pluribus cedant. Porrò ab antiquis temporibus Romana vrbs, Italia, Africa, Gallia, Hispania, Britannia, Ægyptus, Lybia, Græcia, Pontus, Cilicia, & magna pars Asiæ, celebrant Pascha die Dominico, soli autem pauci Orientales contra totum Meridiem, Occidentem, Aquilonem & magnam Orientis partem cum Iudæis Pascha celebrant, ob Traditionem, seu potius tolerantiam Ioannis Euangelistæ, quos hac de causa Victor Papa à communione Ecclesiæ secludendos edixit. Licet autem multi Episcopi, notanter Irenæus Victorem arguerint nimiæ seueritatis, & dubitauerint rectène excommunicarit Asianos, tamen de potestate ne minimum quidem ab aliquo non modo Catholicorum, sed nec schismaticorum controuersum reperitur.

Tertio, quia absurdum est aiebat Constant. vno anno bis Pascha facere, & alio anno nunquam: atqui hoc accidebat illis qui Pascha agebant 14. die. Nam illi non obseruabant æquinoctium, sed solum 12. menses Lunares, & Pascha celebrabant 14. Luna mensis primi, seu Martij, non curantes si illa 14. esset ante, vel post æquinoctium; Itaque interdum accidebat vt vno anno celebraretur Pascha post æquinoctium, & anno sequenti ante æquinoctium, & proinde bis in vno anno.

Adde etiam quod isti falso fundamento nitebantur, nam putabant se sequi legem Iudæorum, & reuera sequebantur delirium Iudæorum sui temporis. Nam Lex Exod. 12. præcipit fieri Pascha post æquinoctium vernum, iub t enim fieri decimaquartâ Lunâ mensis primi: porrò mensis primus is erat cuius 14. dies incidebat in æquinoctium vernum, aut illud proximè sequebatur: Vnde Iosephus lib. 3. antiq. cap. 13. dicit Pascha fieri sole existente in Ariete & opposito ipsi Lunæ; Iudæi autem posteriores

res non amplius obseruabant æquinoctium vt notat Epiphan. hær. 70. Eos autem tanquam cæcos duces imitabantur Christiani illi errantes, qui cum Iudæis Pascha faciebant. Mira planè legitur sollicitudo quam habuerunt Patres ne in celebrando Paschate erraretur, nec enim omnes Ecclesiæ eandem inibant computi rationem, hincque imminebat periculum, ne diuersis Dominicis celebrarent Pascha Quare ante Concil. Nicænum viguisse antiquum vsum in Ecclesia vt à Romano Episcopo quæreretur dies Paschalis docet Conc. 1. Arelatense can. 1.

A Primatibus autem eundem diem esse nuntiandum cæteris inferiorum sedium Episcopis, idque subscriptione formatarum litterarum, monuere Synodi Carthaginenses, tertia cap 1. & v. cap. 7. Vide Bellarm. lib. 3. de cultu SS. cap. 12.

Porrò fundamentum Quartadecimanorum in sola Ioannis authoritate stabat ad quam Beda lib. 3. histor. cap. 25. respondet Apostolum istum celebrasse Pascha 14 Lunâ seu die vt se accommodaret in illis initiis Iudæis ad fidem conuersis, sicut etiam propter eandem causam Paulus circumcidit Timotheum: tamen Apostolum Petrum Romæ instituisse vt Pascha die Dominico fieret & hoc magis esse sequendum.

Tertius error fuit Gallorum qui ex imitatione quorundam Cappadocum celebrabant Pascha die 25. Martij sicut natalem Domini celebramus semper die 25. Decembris: putabant enim Christum eo die passum fuisse, & ipso die Passionis credebant agendum esse Pascha. Galli vero putabant Christum surrexisse 25. Martij vt videre est apud Bed. lib. de ratione temp. cap. 45. Idem error placet Luthero in lib. de Conc. part. 2. vbi vellet eodem die celebrari ista festa & non obseruari cursum Lunæ ne videremur iudaïzare.

Cæterùm iste error refellitur. Primo ex consensu totius Ecclesiæ quæ statuit Pascha semper die Dominico celebrandum. Secundo quia secundum quosdam nititur falso fundamento. Christus enim vt illi docent, non potuit resurgere 25. Martij, nec etiam pati, nam passus est die Veneris & resurrexit die Dominico secundùm Euangelia omnia, constat etiam Christum passum & resurrexisse anno ætatis suæ 33. vel 34. secundum alios. Porrò anno Christi 33. die 25. Martij, non fuit feria sexta, vel dies Dominica, sed feria quarta. Anno autem Christi 34 die 25. Martij fuit feria quinta vt ex littera Dominicali patet; nam anno Christi 33 currebat littera D. anno 34. littera C. die autem 25. Martij semper est G.

Vltimò refellitur à S. August. in epistol. 119. vbi ostendit hoc interesse inter diem natalis & diem Resurrectionis; quod ille celebratur solùm ob memoriam, & ideo semper ipsâ die 25. Decembris, at iste celebratur ob memoriam & Sacramentum, & ideo variatur, quia Pascha est transitus ad æternitatem, quæ tempus nescit.

Errores alij circa Pascha notari possunt, hunc vt vltimum affero in quem à multis iam annis sæpè incidimus, scientes quidem & aduertentes, sed tamen inuiti. Sciendum enim est, Conc. Nicænum tres regulas constituisse ad inueniendum Paschæ diem. Vna fuit, vt semper Pascha ageretur post diem 21. Martij quia illo die erat æquinoctium Veris, & Pascha post æquinoctium agi debet.

Altera fuit, vt post 20. Martij expectaretur Luna decimaquarta & post eam diem quæreretur Pascha. Pascha enim agi debet in tertia hebdomade Lunæ, id est à Luna 14. exclusiuè vsque ad 22, exclusiuè, & ad inueniendam Lunam composuerunt Ciclum aurei numeri. Vbicumque enim in Calendario inuenitur aureus numerus illius anni, ibi est Nouilunium. Tertia Regula fuit vt post Lunam 14. occurrentem post vicesimum diem Martij expectetur dies Dominicus & ille esset Pascha.

Istæ Regulæ illo tempore & multis sequentibus annis optimæ fuerunt, verè enim tunc æquinoctium erat 25. Martij, & aureus numerus tunc verè indicabat diem Nouilunij. At à multis iam sæculis experientia docet æquinoctium non esse fixum 21. Martij, sed semper anticipare cum aliquando occurrat 12. Martij. Similiter constat aureum numerum antiquum non indicare amplius Nouilunia fideliter. Nunc enim Nouilunium inuenitur quatuor diebus ante ipsum aureum numerum. Ex quo intelligimus, tempore Concilij Nicæni non fuisse exactè deprehensum motum nec Solis nec Lunæ: Gregorius 13. correxit Calendarium anno Christi 1582. & vt æquinoctium vernum restitueretur ad 12. Calendas Aprilis, statuit vt eo anno decem dies in mense Octobri eximerentur, vt post quartam diem Octobris quæ S. Francisco sacra est, sequens dies non esset quinta sed decimaquinta Octobris, sic restituit æquinoctium vernum in pristinam sedem à qua iam à Concil. Nic. decem circiter diebus in anno correctionis præcedendo recesserat. Vide Breuiarium Romanum in Præfatione.

Stet ergo veritas Catholica de Paschate celebrando die Dominica. Quod quidem non est statutum vt ἀδιάφορον, & res indifferens vt Nouatiani dicebant, sed vt dogma Ecclesiasticum, cui pertinaciter refragantes dicti & habiti sunt Hæretici vt patet ex Tertull. Epiphan. Damasc. August.

QVÆSTIO III.

De Pentecoste.

Dixi iam Apostolos induxisse festum Pentecostes non Iudaïcum, sed Christianum, patet autem hoc solitum celebrari in primitiua Ecclesia, 1. Corinth. 16. & Act. 20. Lucas ait de Paulo. *Festinabat, vt si quomodo posset Pentecostem ageret Hierosolymis*, quod Epiphan. hæres. 75. exponit de Pentecoste Christianorum.

Agunt de hoc Festo Clemens, Iustin. Origenes, Tertull. qui omnia Concilia generalia præcesserunt, vnde euincitur illud institutum esse ab Apostolis.

Apud Iudæos celeberrimum equidem erat, quod post quinque Decades Paschæ celebrabatur, vnde & vocabulum Græcè sumpsit, nam πεντηκοστὴ dicitur à πέντε quod est quinque & κοντὸς quod est decem. Pentecoste autem Iudæorum erat festum datæ legis in Monte Sina, vt

vt dicit August. epist. 119. cap. 16. aut erat festum hebdomadatum, vt vult Hieronym. in cap. 4. Galat. aut fortè vtrumque simul. Christiani illud celebrant propter aduentum Spiritus Sancti vt cum Hieronymo docent DD.

Est autem difficultas, *An rectè celebretur die quinquagesimo à die resurrectionis*, certum siquidem est celebrari propter aduentum Spiritus Sancti, is autem videtur aduenisse ipso die Pentecostes Iudæorum, non enim intelligi potest Lucas citatus de alia Pentecoste, quàm Iudæorum, quæ erat festum datæ legis, aut hebdomadatum, at neutrum in diem Dominicam incidisse videtur anno Passionis Christi; nam festum datæ legis celebrabatur die trigesima tertij mensis, vt habetur Exod. 19. ex quo August. deducit numerari quinquaginta dies ab ipso Paschate Iudæorum, id est à die 14. primi mensis inclusiuè, fuit autem dies Paschæ Iudæorum anno Passionis Christi die Iouis.

Ergo Pentecostes complebatur etiam die Iouis nimirum triduo ante nostram Dominicam Pentecostes. Porrò festum Hebdomadatum quod magis propriè dicitur Pentecostes incipiebat numerari à secundo die azymorum vt ex 23. Leuitici colligitur, vbi præcipitur vt altera die Sabbathi offerant manipulos primitiarum & inde numerent septem hebdomadas quæ sunt dies 49. & sequenti die, id est quinquagesima festum diem agant. Porrò hoc loco nomine Sabbathi intelligitur primus azymorum dies, qui solemnis erat & generali nomine dicebatur Sabbathum vt exponunt Lyra Tostat. Caiet. & Ioseph. 3. antiq. c. 13.

Cum ergo primus dies azymorum tempore Passionis Christi fuerit die Veneris si ab illo die exclusiuè numeremus quinquaginta dies, inueniemus Pentecostem completam fuisse die Sabbathi, non die Dominica.

Effugium est dicere Spiritum Sanctum non aduenisse die Dominico qui est quinquagesimus à Dominica Resurrectionis: tamen Ecclesiam voluisse die Dominico celebrare memoriam huius aduentus; nam obstat quod Clemens lib. 5. Constitut. cap. 21 Theophyl. lib. 1. August. epist. 109. Leo in serm. de Pencost. & alij docent, reuera die decimâ ab Ascensione & quinquagesimâ à Resurrectione venisse Spiritum Sanctum, hoc ergo prætermisso effugio.

Respondeo festum hebdomadatum & festum veteris legis datæ fuisse vnum & idem & celebrari solitum, tum in memoriam datæ legis, tum etiam in gratiarum actionem pro collectis frugibus, & hoc vnum incidisse anno Passionis in diem Dominicum, qui fuit quinquagesimus à Resurrectione; Vt autem ista omnia expliceantur, consideranda sunt duo illa loca Exod. 19. & Leuit. 23. Hæc sunt verba, *mense tertio egressionis de Ægypto in die hac venerunt in solitudinem Sinai*, cum ergo non explicet, quo die mensis tertij venerint in desertum Sinai, proinde non certò scimus vnde numerentur illi tres dies de quibus dicitur, *estote parati in tertium*.

August. epist. 119. & quæst. 70. in Exod. dicit populum venisse in Sina primo die mensis tertij, & die tertio datam esse legem, & illum esse quinquagesimum à Paschatis primo die. Contra, si ita numeremus, non coincidet festum datæ legis, cum festo hebdomadatum, quòd propriè dicitur festum Pentecostes, nam Pent. est dies quinquagesimus à secundo die Azymorum, non à festo Paschatis, & tamen debent coïncidere, vel nullum erit festum datæ legis, quod est absurdum, & contra ipsum Augustinum, qui ipsum festum legis datæ vult esse festum Pentecostes.

Secundò quia reuera non tollitur prima nostra difficultas, nam si lex data est die quinquagesimo à Paschate Iudæorum, & illa est festum Pentecostes, & Spiritus Sanctus venit in die Pentec. certè sequitur Spiritum Sanctum non venisse die Dominico sed Iouis.

Tertiò quia August. non videtur rectè numerare, ipse enim ex primo mense dies 17. ex secundo 30. ex tertio tres sicque efficit 50. At hoc non potuit, nam menses Iudæorum Lunares sunt, nec omnes ex 30. diebus constant, sed vnus 30. alius 29. Ergo debuit ex primo mense accipere dies 17. ex secundo 29. vel ex primo 16. ex secundo 30. & sic non essent 50. sed 49. Adde etiam quod Moses non dicit mense tertio Paschatis, sed egressionis quæ die 15. accidit Numer. cap. 33.

Quartò si tertia die mensis tertij lex data est, oportebit prima die mensis plura esse facta quàm patiatur tempus vnius diei, nam in primis dicuntur Filij Israël mense tertio peruenisse in Sina, ex quo apparet aliquam partem illius diei consumptam in itinere: non enim credibile est eos summo mane peruenisse, cum non consueuerint noctu facere iter: deinde vbi peruenerunt, fixerunt sua tabernacula, in quo plurimum temporis consumebatur à tanta multitudine: deinde post fixa, ascendit Moses in montem Sina qui altissimus erat, & cum Deo loquutus descendit, & conuocauit omnes maiores natu, & concionem habuit ad illos, & per illos ad omnem populum: deinde rursus ascendit in montem & descendit & cum populo loquutus iussit vt omnes lauarent vestimenta sua cumque lauissent, *dixit eis estote parati in diem tertium*, quis credat hæc omnia vno die absoluta fuisse: quare vix defendi potest August. sententia.

Rupertus & Tostatus in 19. Exod. dicunt legem datam die tertio tertij mensis sed eum diem non esse quinquagesimum, sed quadragesimum nonum à Paschate, & ideo festum Pentecostes non celebrari propter legem datam, sed propter fœdus ictum inter Deum & populum quod factum est die 4. mensis ex Exod. 24. Non placet ob allata argumenta excepto tertio, tum peribit figura nostræ Pentecostes, quòd Pentecostes Iudæorum fuerit festum datæ legis, & nostra sit festum datæ legis nouæ.

Rabbi Salomon, & Lyra tenent Moysem venisse in desertum montis Sinai die 3. mensis tertij, ac deinde die 4. dixisse, estote parati in diem tertium, & die sexta datam legem, qui fuit quinquagesimus à secundo Azymorum inclusiuè sicque hoc festum coincidit cum festo hebdomadatum. Caietanus diem sextam datæ legis approbat, de quo quæstio præcipua est, hæcque sententia conformior est litteræ quæ habet, *mense tertio egressionis in die hac venerunt in solitudinem*, vbi illud, *in die hac*, videtur referri ad numerum iam nominatum, scilicet

tertium

tertium, vt sit sensus mense tertio, & die ipsa eiusdem numeri, quamquam potest etiam satis commode referri ad initium mensis.

Stet ergo legem datam sexta die, siue populus venerit prima aut tertia.

Quantum ad secundum locum ex Leuit. cap. 23. *Numerabitis ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum septem primitiarum hebdomadas plenas vsque ad alteram diem explesionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum.* Duæ sunt expositiones.

Prima est Hesichij & Ruperti hic, qui per alteram sabbathi diem volunt intelligi primam sabbathi, id est Dominicam, quæ immediate sequitur post sabbathum, & sensum legis esse, vt dies Pentecostes numerentur à prima Dominica, quæ occurrit post festum Paschæ, quæ sententia si vera sit, nobis fauet, nam eo modo festum Pentecost. Iudæorum venisset in die Dominica, & quia anno passionis Christi, Dominica post Pascha Iudæorum, fuit Dominica Resurrectionis, inde eo anno dies Pentecostes complebantur die quinquagesima à Resurrectione.

Altera sententia est Lyrani, Cajetani, Tostati, Rabbinorum omnium, & Iosephi libr. 3. Antiquit. cap. 13. Qui intelligunt per alteram diem sabbathi, primam diem post festum Azymorum, standum autem est Iosepho in lege experto, eiúsque Sacerdoti, sed admissa hac opinione sequitur dies Pentecost. anno Passionis numerari cœpisse in sabbatho, nec enim eo anno proximè occurrebat post festum Azymorum, ex quo sequitur, vt dies Pentec. complerentur etiam in Sabbatho. Quomodo ergo Nos Pentecostem in Dominica celebramus?

Respondeo cum Bellarmino, ordinariè quidem dies Pentecost. cœpisse numerari à die secunda Azymorum, sed tamen si secunda dies illa esset sabbathum, tunc cœpisse numerari à tertia die Azymorum. Neque vllus hoc arguere potest; nam causa cur illi quinquaginta dies non inciperent à primo Azymorum, sed à secundo est, quia oportebat illa die multa opera seruilia facere, quæ die festo erant prohibita, nimirum oportebat metere manipulum frumenti, & exsiccare, & afferre ad Sacerdotem: At ista omnia magis prohibita erant die sabbathi, quàm die primo Azimorum. Ergo non licebat in secunda die Azimorum, quando erat sabbathum incipere illos quinquaginta dies. Et hanc esse puto causam cur Textus dixerit, *altera die sabbathi*, & non altera die Paschæ, vel Azymorum, quia scilicet voluit generatim includere festa, quæ immediatè occurrerent post Pascha, siue esset vnum, siue plura. Itaque illud, *altera die sabbathi*, significat prima diè profana post festum Paschæ, & quia vt plurimum post Pascha non occurrebat festum, nisi primo Azymorum die, ideò Iosephus non malè loquens de eo quod vt plurimum accidebat, scripsit Pentecostem incipere Luna 16. Quanquam anno Passionis cœperit Luna decima-septima, quia scilicet sabbathum fuit decima-sexta, quod si dies Pentecost. eo anno cœperant numerari Luna decima-septima, qui dies erat Dominicus, sequitur, vt complerentur dies Pentecost. etiam die Dominico. Atque hoc est, quod quærebatur.

Eadem autem ratione, qua Apostoli prædicta Festa seruanda instituerunt, qui iisdem successerunt Apostolici viri, quæ sunt postea superaddita vt Transfigurationis & Corporis Christi introduxerunt, nihil dico de Circumcisionis festo, quia Natalis Domini censetur Octaua. & festi prioris complementum, vt notat Durandus *Sacrantes*, ait Augustinus lib. contra Faustum 32. cap. 12. *anniuersariis solemnitatibus, atque festis, ea quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt, vt eorum necessariam, salubrémque memoriam festiuitas concelebrata custodiat.*

Festum Sanctissimæ Trinitatis recens est; nam capite Quoniam de feriis, Alexander III. dicit suo tempore fuisse quidem in vsu apud quasdam Ecclesias, non tamen Romæ. Nec obstat, quod Præfatio de Trinitate facta sit à Pelagio II. Papa circa annum 588. Nam, vt Micrologus docet, ea solebat cantari in omnibus Dominicis, neque habebatur, vt propria festi Trinitatis. Officium de Trinitate composuit Alcuinus præceptor Caroli magni, & Ludouici filij eius ad persuasionem Bonifacij Archiepiscopi Moguntiæ, quod ipse obtulit Alexandro, ait Durandus, errans in Chronologia cum Alexander Papa III. sederet, anno 1159. dicendum Leoni III. circa annum 800. Papa autem respondit, non esse celebrandum festum de Trinitate, sicut nec de Vnitate, nam singulis diebus fiebat festum de Trinitate & vnitate diuina, quia semper dicitur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto Officium ergo prædictum non admisit. Postea tamen etiam receptum fuit Romæ, & quidem in die octaua Pentecostes, vt Deo speciales agantur gratiæ pro Mysterij Trinitatis declaratione, per Apostolos orbi facta.

Festum Corporis Christi institutum est ab Vrbano Papa IV. ob successum miraculum in Templo Sanctæ Christinæ de Bolsena diœcesis Oruietæ, anno 1264. Dum enim ibi Sacerdos Missam celebraret, & post consecrationem dubitasset de realitate, scaturiuit sanguis ab hostia, & totum intinxit corporale. Officium, Hymnos & Prosam composuit Sanctus Thomas Aquinas quæ obtulit Pontifici. Circa annum 1364. incœpit Papiæ vsus deferendi processionaliter Eucharistiam, qui inde in reliquas Occidentis partes dimanauit, specialiter Andegaui, vbi Berengarius Archidiaconus hæresim suam effuderat.

Festum Transfigurationis antiquum esse videtur, extant enim de eo sermones Sancti Leonis, Cyrilli Alexandrini, & Andreæ Cretens. apud Surium; celebratur autem die sexta Augusti, non quod tali die facta fuerit, sed quia tunc ab Apostolis, qui interfuerunt publicata fuit post Resurrectionem. Calixtus Papa III. festum instituit, vel reintroduxit anno 1456. in memoriam insignis victoriæ, quam 6. Augusti habuit de Mahomete, Belgradum cum ingenti exercitu obsidente Hunnides dux re militari clarissimus ingens Turcarum terror.

Qvæstio IV.

De Festiuitatibus Sanctorum.

INstitutio earum introducta probatur Apostolorum authoritate, vt ex Clementis Constitut. const. 39. habetur. Huic autem Traditioni complures antiquissimi Scriptores adstipulantur. Ipséque Clemens lib. 8. Constitut. c. 3. scribit Apostolos sanxisse, vt quotannis dies martyrij Sancti Stephani publicè festus celebraretur, vnde Sanctus Martialis Apostolorum discipulus Altare Sancto Stephano in Gallia dedicauit, vti ipse testatur in Epistola ad Burdegalenses, cuius exemplum secutæ multæ aliæ Gallicanæ Ecclesiæ, nomine & titulo Sancti Stephani magnifica Templa, & Basilicas erexerunt. Non multò post tempora Apostolorum Ecclesia Smyrnensis celebritatem egit Polycarpi Episcopi sui martyris, aliorúmque qui eum præcesserant Martyrum, vt videre est apud Eusebium libro 4. Historiarum cap. 14. Origenes qui sub Seuero Imperatore vixit, notat hom. 3. in Matth. benè & secundùm voluntatem Dei Sanctos Patres mandasse sempiternam in Ecclesiis memoriam celebrari infantium innocentium. Eodémque tempore Tertullianus libro de cor. milit. cap. 3. Ex eadem Majorum Traditione affirmat, Christianos annuis diebus Natalitia facere solitos. Sicut & post eum Cyprianus testatur Epistola 34. ad Clerum Chartaginen. se Martyrum passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebrare consueuisse, & Epistola 37. Clerum eundem monet, vtpote suum, vt dies eorum qui Martyrio mortem oppeterent Ecclesiasticis Tabulis adnotarent, quo eorum memoriæ celebrari possent. Magnum item illum Taumaturgum Gregorium instituisse suos quos ad fidem conuerterat, vt celebrarent natalitia Martyrum, author est Gregorius Nyssenus in eius vita. Denique neminem post recensitos reperire est Sanctorum Patrum, rerum Ecclesiæ tractatorum, qui vel homilias in Sanctorum Martyrum natalitiis non scripserit, vel alia occasione eorum non meminerit. Nec verò tantùm martyrio consummatorum, sed & cæterorum Sanctorum peragi solitas in Ecclesia anniuersarias celebritates, Gregorius Nyssenus declarauit, cum in festo die fratris sui Basilij eum pro concione laudauit. Sicut & Gregorius Nazianzenus, qui pariter Athanasium iamdiu antea vita functum eadem de causa visus est encomio celebrasse, quod & postea permulti alij de aliis egerant.

Probatur hoc ex antiquis Conciliis diuersarum Ecclesiarum, Laodiceno habito 364. cuius caput 51. sic habet. *Non oportet in Quadragesima martyrum natalitia celebrari, sed eorum in Sabbatho, & Dominica tantùm memoriam fieri.* Hinc sequitur extra Quadragesimam fuisse in ea Prouincia celebrata.

Adstipulatur ratio fundata in diuinis litteris Festi dies rectè instituuntur, ad recolenda diuina beneficia, vt patet de festo Sabbathi, & de festo sortium apud Iudæos, & de festis Domini apud Christianos. Vnde Augustinus libr. 10. ciuitat. Dei, cap. 4. *Beneficiorum Dei,* inquit, *solemnitatibus, festis & statutis diebus dicamus, sacramúsque memoriam, ne volumine temporum, ingrata subrepat obliuio.* Sed non est paruum Dei beneficium fœlix consummatio alicuius sancti, & præcipuè per martyrium. Inde enim datur toti Ecclesiæ militanti exemplum fortitudinis, & vnus nouus patronus apud Deum. Ecclesiæ etiam triumphanti nouum datur gaudium de accessione vnius ciuis: denique tunc agitur nouus & perfectus triumphus de diabolo.

Confirmatur, nam omnes causæ, propter quas homines profani celebrant festos dies, concurrunt in obitu sanctorum. Natalitium Principum, Assumptio ad summam dignitatem, denique parta victoria. Cum Sancti moriuntur, tunc verè nascuntur ad vitam immortalem & nascuntur Principes cœlestes, vnde mors eorum vocatur ab Ecclesia Natale, item tunc assumuntur ad gloriam, quæ maxima est omnium dignitas. Denique perfectam victoriam referunt de diabolo & triumphum agunt.

DIces cum Nouatoribus, institutionem hanc Festorum idololatricam esse; quia Sabbatha sanctificare, est præceptum primæ tabulæ, & proinde ad cultum Dei solius spectat.

Respondeo Festa dicari Deo in Sanctorum memoriam, sicuti Templa sacrantur Deo in memoriam Sanctorum. Quod si velimus honorem dierum festorum pertinere immediatè & terminatiuè ad Sanctos, quemadmodum potest dici de Basilicis ipsis, & Votis, & de ipsa Inuocatione eorum: tunc talis honor non est cultus Latriæ, sed Duliæ. Religionis equidem cultus, non vt ipsa est specialis virtutis nomen, quæ hominem ad Dei cultum disponit & ordinat, sed vt est nomen generale. Quæ præterea opponi possunt, facilè dissoluet & diluet exercitatus Catholicus de authoritate Ecclesiæ, eiúsque Pontificum non ignarus.

Quanta verò animi alacritate eiusmodi festiuitates maiores nostri agere consueuissent, adeò vt nec quibusvis maximis persecutionibus, nec ipsis etiam carceribus prohiberi possent, quin vnà simul quantum loci & temporis opportunitate daretur sacras Synaxes agerent, festósque dies celebrarent, satis declarant, quæ de iis scripsêre Dionysius Alexandrinus apud Euseb. 7. hist. cap. 10. & 17. Cyprianus Epistola 5. & alij. Sed magis ipsorum Martyrum Acta, ac præsertim Proconsularia fidelissima Saturnini & Sociorum apud Surium 11. Februarij, quæ citantur ab Augustino in Breuiculo, collat. di 3. cap. 17. nec non Sancti Sebastiani apud Surium die 20 Ianuarij, & alia id genus. At reddita Ecclesię pace, quanto celebriori ac frequentiori conuentu Festa celebrarentur, inter alia ferè innumera exempla de vsu Ecclesiæ Orientalis locuples est, testis Gregorius Nyssenus in oratione quam habuit in Natali die S. Theodori Martyris, qui idem in festo die Sanctorum 40 Martyrum, ob frequentissimum cœtum, hominúmque compressionem & strepitum, coactus est luculentam orationem, quam in laudem Martyrum inchoauerat inabsolutam relinquere, & die sequenti resumere.

De Occidentali verò Ecclesia, (vt omittamus dicere de natalitia Apostolorum, à quo abesse

abesse, testimonio Gallæ Placidiæ. in præambulo Conc. Chalced. sacrilegium putabatur, egregij pariter sunt testes Prudentius, peristephanus hymn. 11. Paulinus in Natalitia Sancti Felicis. & alij, qui pariter agunt de muneribus, quæ solebant sic conuenientes ad festa Martyrum, offerre ad sepulchra illorum.

Quin etiam in eiusmodi celebritatibus introductam fuisse laudabilem consuetudinem, vt benè precando festos dies se inuicem Christiani salutarent, non præsentes tantùm, sed & absentes per litteras, quas Festiuas nominarent, testimonio sunt plures eiusmodi Epistolæ Theodoreti, datæ in diuersis Sanctorum festiuitatibus.

Cæterum quod Festa celebrantes Majores nostri, non sic, (vt calumniabantur hæretici, ac præcipuè Manichæi,) mutarint Idola in Martyres; nec sicut Gentiles Deos suos, sic ipsi homines coluerint; sæpissimè aduersùs eosdem hæreticos demonstrauit Augustinus libro 20. contra Faustum cap. 21. lib. 8. ciuit. cap. 27. & libr. 22. capit. 2. atque sermon. 101. de diuersis cap. 10. Quæ tandem abundè sufficere possunt contra Nouatorum hodiernorum Objectiones, qui easdem ipsas Manichæorum antiquas calumnias adhuc repetere non sunt veriti. Vide quæ infrà in articulo de Veneratione Sanctorum.

DIces multa hodie coli festa de quibus nihil nouit antiquitas.

Respondeo idem & æquale esse ius & auctoritatem penes Sedem Apostolicam hodie, quæ olim. Nec absurdum est aliquas festiuitates esse modernas, quandoquidem beneficia Dei recentia sunt, propter quæ festa assignantur, vel saltem occasio institutionis potest esse recens. Ideò Papa, vel Concilium generale penes quos residet authoritas indicendi & abrogandi dies festos, quia sunt supra totam Ecclesiam, nec requirunt consilium aliorum, nam Christum & Collegium Apostolorum repræsentant, multa pro tempore induxerunt, quæ Regiis edictis & legibus confirmata leguntur ad exactiorem plebis obseruantiam.

Nunquid apud Iudæos varia pro tempore instituta legimus? Præter illa quæ Deus per Moysem statuerat, vt patet de festo Sortium, propter liberationem populi per Hester, & de alio ob victoriam Iudith, & de festis dedicationum Templi tempore Salomonis, dehinc Esdræ, & vltimo Machabæorum tempore, quod licet recentissimum Christus ipse honorauit.

Nota, quod Ecclesia in profestis magnarum solemnitatum consueuerat ad Sanctorum tumulos orando vigilare, occasione autem abusuum, qui irrepserant; (nam plurimi Christianorum illud noctis tempus ludendo, ac choreas ducendo transigebant,) placuit Ecclesiæ nocturnos conuentus & vigilias propriè dictas intermittere & abrogare, ac solùm in iis diebus ieiunium indicere.

Ad solemnitates festiuas, & ad Synaxim quomodo conuocari solebant fideles, habes infrà in titulo de Campanis.

QVÆSTIO V.

De situ corporis in solemni precatione.

ANtiqui Christiani solebant orare ad Orientem conuersi, vnde eos calumniam à Gentilibus passos, quod Solem adorarent, testatur Tertullian. Apolog. cap. 16. Hunc autem ritum orandi ab Apostolis esse traditum, Patrum complurium testimonio comprobatur. Iustini quæst. 118. Origen homil. 9. in Numeros. Athanasius libro 9. cap. 14 Basilius de Spiritu Sancto cap. 27. Damasceni libro 4. de fide Orthodoxa cap. 13. apud quos etiam videre est, quam plurimas eiusmodi obseruantiæ rationes, quarum selectiores profero. Si prius notaueris de solemnibus precibus particulariter id esse intelligendum.

Prima huius cæremoniæ ratio est, quia ad Orientem erat Paradisus Genes. 2. vbi legitur *Plantauerat Deus paradisum à principio.* Septuaginta interpretes legunt *ἐφύτευσε παράδεισον ἐν ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς.* Et certè verbum Hebræum בקדם vtroque modo verti potuit, significat enim *ante* & *Orientem*, quæ est pars mundi anterior, vnde etiam noster interpres Genes. 4. vertit idem nomen *ad Orientalem plagam.* Oramus igitur conuersi ad Orientalem plagam, quia profitemur nos peregrinos, & ad patriam nostram vnde ejecti sumus in persona patris Adæ, suspiramus, ita Gregorius Nyssenus.

Secunda, quia ab Oriente cælum surgere & moueri incipit, estque propterea pars illa totius mundi corporalis excellentissima: ideò autem orantes conuertimus faciem corporalem ad excellentissimum corpus, tum vt ait Iustin. quia Deo semper meliora sunt danda, tum etiam, vt admoneamur conuertere faciem spiritualem animæ, id est, affectum ad spiritum excellentissimum qui est Deus. Ita August.

Tertia, quia Christus quem oramus *Est lux mundi* Ioan. 8. *& vir Oriens nomen eius.* Zachar. 6. vt ergo significemus nos in oratione illustrari à Christo Sole Iustitiæ, sicut illustrantur à sole corporeo, qui ad Orientem respiciunt, ideò vtimur hac cæremonia. Ita Vualfridus.

Quarta, quia Dominus ipse moriens in cruce respiciebat Occidentem. Nos ad Orientem oramus, vt quasi in faciem Crucifixi intueamur, & quia ipse ascendit in Cælum Cælorum ad Orientem, Psalm. 67. nos ad Orientem conuertimur, vt quasi eum ascendentem votis ac precibus deducamus: ac demùm, quia ipse ab Oriente venturus ad iudicium creditur. Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Nos ad Orientem precamur, quasi venturum iudicem expectantes, ita Damascen.

Quintam addo, quia Iudæi orabant, & orant ad Occidentem, vt patet Exod. 26. vbi dicitur. *Ostium Tabernaculi ad Orientem versum fuisse,* & Ezechiel. 8. vbi dicitur. *Ecce in ostio Templi Domini, inter vestibulum & Altare, quasi viginti quinque viri habentes dorsa contra Templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis.* reprehendit ibi Scriptura

quosdam qui contra ritum temporis illius adorabant ad Orientem. Nos igitur ad Orientem respicimus dum Iudæi ad Occidentem respiciunt, vt significemus eorum esse litteram Occidentem; nostri autem spiritum viuificantem, & velamen manere adhuc super cor eorum, nos autem conuersos ad Christum deposuisse velamen.

Cum verò istius ritus religiosè apud Christianos olim obseruati superstitio quædam in nonnullos clanculùm irrepsisset Romæ, ne quid eà in re commune cum Gentilibus aut Priscillianistis qui Solem adorare consueuerant, Fideles haberent cum S. Leo Papa quam citissimè prospiciens, ab eo ritu abstinere iussit vt videre est serm. 7. de natiuit. Porrò quòd Oriens fons velut quidam luminis haberetur atque occidens esset hyeroglyphicum tenebrarum: inde etiam vetus fuit in Ecclesia obseruatio, vt in baptismate initiandi, diabolo prius renuntiaturi Occidentem versus statuerentur, sicque positi tertiò illa renuntiantium verba proferrent, iidemque postea Christum Dominum confessuri, ad Orientem conuersi id totidem vicibus facesserent quod testantur Dionys. de Hierarch. Eccles. lib. 2. cap. 2. Cyrill. Hierosol. catech. 1. mystag.

Sicut autem distincta sunt tempore pro ratione diuinorum mysteriorum, ita pariter fuere in Ecclesia distincti precandi Ritus. Nam cum aliàs flexis genibus, vel si qua aliquando sæua vrgeret necessitas, prostrati in terra, iunctis vel etiam aliquando expansis manibus & in altum elatis, Fideles precari consuescerent (de quibus ritibus innumera occurrunt vbique exempla) tamen quòd dies Dominicus resurrectioni Domini esset consecratus, ideò nonnisi, *stantes*, Fideles ex antiquâ Ecclesiæ traditione eo die, itémque à Pascha vsque ad Pentecosten orare solitos testis est Tertull. de cor. mil. cap. 3. eamque consuetudinem à temporibus Apostolorum accepisse initium asserit author. Quæstionum apud Iustinum, quæst. 115. ex Irenæi sententia in lib. de Paschate. Quæ si vera sint, tamen post hæc tempora non ante id esse cœptum videtur Quandoquidem anno Christi 58. Paulus tempore quod interlabitur à Paschate in Pentecosten, Mileti & Tyri Patrio ritu positis genibus adorauit. Porrò eiusdem ritus cæteri quoque antiquorum Patrum meminerunt. Sed *sedendo* orare extra disciplinam esse Tertull. ait, de orat. quod tamen introductum esse videmus in Choris Canonicorum & Regularium vel ad leuamen corporis, vel ad maiorem mentis attentionem. Viros autem *detecto capite*, fœminas *tecto* in Ecclesia orare debere est Apostoli ad Corinthios scribentis 1. cap. 11. institutio. *Omnis vir orans velato capite deturpat caput suum: omnis mulier orans non velato capite, deturpat caput suum*, vtque in precationibus aliquando suum quis *pugno tundat pectus*, Publicani à Christo adeò commendati probat exemplum: atque eo signo animi pœnitudinem declarari, facto illorum qui post Christi Passionem reuertebantur, notum est significari, quod & Nicolaus Papa docet rescribens ad Consultationes Bulgarorum.

QVÆSTIO VI.

De Ecclesiis Christianorum.

QVamprimum Christianismus per Apostolos disseminatus susceptores habuit, certum est ipsum habuisse Ecclesias, seu loca specialia functionibus sacris, orationi scilicet, & participationi Eucharistiæ deputata: Antequam autem licuisset ea erigere, priuatas domos, ampliora videlicet eorum membra, quæ cœnacula, vel domata in locis superioribus constituta, eiusmodi inseruisse officio manifestat S. Lucas Actor. 1. *Et cum introissent in cœnaculum vbi manebant duodecim, hi erant omnes perseuerantes in oratione.* Sic Apostoli eorumque discipuli Christo institutori obtemperarunt, qui pluribus vicibus vt videre est in Euang. Matth. 10. & alibi, mandatum habuerant de prædicando Euangelio super tecta, *quod dico vobis in tenebris dicite in lumine & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Ex quibus satis intelligitur fuisse etiam Apostolorum temporibus loca, quæ, Ecclesias nominarent in quas Christiani ad Synaxim conuenirent, Quod & plurimis eiusdem temporis scripturis S. Ignatij expressis testimoniis confirmatur epist. 6. 11. 13.

Probatur & ex epist. 1. Corinth. 11. *Conuenientibus vobis in Ecclesiam, &c.* & quod ista Ecclesia non esset domus priuata, patet ex sequentibus. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, aut bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* & cap. 14. *mulieres in Ecclesiis taceant, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Idem confirmatur ex Canonib. Apostol. in quibus exprimitur quid sit offerendum in sacrificio altaris & Can. 10. vbi hæc leguntur. *Omnes fideles qui conueniunt in solemnibus sacris ad Ecclesiam, scripturas Apostolorum & Euangelium audiant.* Idem confirmatur ex antiquis Patribus Cyrill. Catech. 16. meminit Ecclesiæ Hierosolymis, erectæ in loco vbi Spiritus sanctus descenderat Clemens lib 10. recognitionum refert, Antiochiæ domum Theophyli cui Lucas librum Actuum direxit conuersam fuisse in Ecclesiam ibique Petro constitutam cathedram, vnde doceret populum Euseb. lib. 2. hist. cap. 17. scribit ex Philone primos Christianos in omnibus locis constituisse ædes sacras ad mysteria celebranda & sacros libros legendos. Iustin. in Apolog. 2. dicit Christianos die Dominico conuenire in vnum certum locum ad Verbum Dei & Eucharistiæ communicationem.

Cum autem Petrus anno Christi 44. & Claudij Imper. II. Romam peruenit exceptus fuit à Pudente Senatore Patre Nouati & Timothei atque Praxedis & Pudentianæ Virginum (qui cum vxore Priscilla clarissima fœmina, & omni familia sua credidit in Christum) cuius & meminit Paul. 2. Timoth. 4. exceptus inquam fuit à Pudente in domum suam quæ erat ad radicem montis Viminalis posita propè Exquilinum, & hæc domus conuersa fuit in Ecclesiam & Pastoris titulus nuncupata, & paulatim plures aliæ Christianis pullulantibus assignatæ.

Anastasius

Anastasius lib. de Rom. Pontif. testatur Euaristum qui quintus à Petro numeratur Pontifex diuisisse Ecclesias presbyteris quos quidem tempore Cornelij Papæ extitisse numero quadraginta sex eiusdem Anastasij epistola ad Fabianum Antiochenum, vt videre est apud Euseb. lib. 6. hist. cap. 35. fidem facit, totidemque fuisse Ecclesias testari videtur Optatus lib. 2. dum ait, quadraginta sex in vrbe fuisse ad Christianum vsum basilicas excitatas.

Consequenter Apostoli diuersas vbique terrarum construi fecerunt Ecclesias, de quarum erectione quamuis nullum aliud suppeteret argumentum, vel ratio, ipsa saltem Edicta Imperatorum Ethnicorum de demoliendis Christianorum Ecclesiis, quorum meminit Euseb. lib. 8. hist. cap. 2. & 3. planè eas iam ante ædificatas fuisse certam fidem faciunt. Imò & idem author testatur, longè ante Diocletiani tempora, prout in dies maior augebatur Christianorum numerus antiquitùs erectas Ecclesias, fuisse ab illis ipsis Christianis dirutas vt eædem ampliores & augustiores excitarentur, easdemque sic restitutas ab ipso Diocletiano & Maximiano regnantibus anno Christi 302. Edicto per totum Imperium Romanum promulgato prostratas. Sed quæ longè ante à Magno illo Gregorio Taumaturgo, seu Neocæsariensi erecta fuerat magno miraculo motibus terræ & furori Diocletiani, superstes extitit Gregorij fide suffulta vt testatur Greg. Nyss. in eius vita.

Ad hæc notandum est anno Christi Gordiano Imperatore & Fabiano Papa summum in Romano Imperio otium & in Ecclesia pacem fuisse tranquillissimam quâ bene vsi Ecclesiarum præsides Christianorum Religionem propagarunt, & propagatam illustrare ædificiis pro viribus studuerunt, nam vt cæteros taceam, qui in suis Parœciis id diligenter præstitisse reperiuntur, Liber de Pont. Rom. notat Fabianum Papa ædificia multa in cæmeteriis Romæ fieri iussisse, quippe quæ in cryptis arenariis subtus terram latebant sepulchra S. Martyrum, in quibus Synaxes à fidelibus haberi consueuisse iam notaui: erectis desuper ædificiis reddita sunt clara atque conspicua.

Anno demum 313. Constantini Imper. 8. Melchiadis Papæ II. libertas data est Christum vbique colendi, iussumque Gentilibus bona cuncta & loca publica absque pretio Christianis restituere. Tunc autem Constantinum dedisse Melchiadi domum Faustæ in Laterano asserit Spondanus sedes siquidem istas in Cælio monte antea Imperatorum fuisse constat ex historia temporum, dictæ autem fuerunt Faustæ eo quod Fausta Maximiani, Herculij Imper. filia in florentissimo ac diuturno patris Imperio Romæ agens illas habitasset quæ olim Plautij Laterani prædiuitis & Consularis viri, cùm amplissimæ essent: illo cum pluribus aliis occiso à Nerone tanquam reo coniurationis in ipsum factæ anno 11. imperij sui: Christi verò 67. & Petri 23. fisci inscriptione sunt publicatæ, vnde Imperatorum fuere: semel autem nomen inditum ædibus Lateranis non solum perseuerauit in posterum (quod inter alia multa exempla contigit etiam in ædibus hortisque Sallustij, qui licet Imperatorum vsui cessissent, Sallustij tamen nomine semper dicti reperiuntur. Sed & factum est vt Ecclesia ibidem postea à Constantino erecta, Lateranensis fuerit appellata, quæ & eodem nomine hactenus perseuerat, & primaria totius Christianismi habetur, quæ à fundatore dicta est *Constantiniana*, sed frequentiùs *Saluatoris*, cui dicata fuit, & insignis eius imago argentea ibi collocata ponderis librarum centum viginti.

Ex quo autem Constantinus baptismum Romæ suscepit à Syluestro Papa anno, imperij sui 19. multas, tum Romæ, tum aliis Italiæ, locis erexit Ecclesias quas & amplissimè dotauit. Ad Imperatoris autem exemplum magnates Christiani infinitas propemodum erexere vbique terrarum, quarum conseruationi prouidens Pontifex & Imperator decretum ediderunt de redditibus Ecclesiæ, quibus iam affluere incipiebat vt quatuor partes fierent, quarum vna cedat Pontifici ad sui sustentationem, altera Clero, 3. Ecclesiarum fabricis & reparationi, 4. pauperibus & infirmis & peregrinis.

De Structuræ modo antiquo Clemens constit. 61. Tertull. aduersus Valent. c. 2. & Paulin. epist. 12. ad Seuerum docent situm Ecclesiarum ad Orientem spectantem disponi solitum, idque siue ad imitationem templi Salomonis, quod conuersum fuisse ad Orientem docet Aristæas libro de 72. interpretibus, siue quòd Christiani versus Orientem precari consueuissent. Sic autem erant singula earum membra ad diuersorum ordinem officia accommodata vt similitudinem quandam Hierosolymitani templi redderent, vt videre est in multis antiquissimis quæ adhuc extant. Certum est autem Salomonicum tres habuisse partes, Atrium, Sancta, & Sanctum Sanctorum, Ecclesiæ Christianæ itidem. Primò erat Porticus ante ingressum in templum quem locum Græci πρόναον Latini vestibulum dicunt, vbi manebant Pœnitentes & alij quibus intra Ecclesiam non pateret accessus. Deinde erat ναός, id est, templum, siue nauis ad recipiendum populum; & in eo loco seorsum à populo sedebant, sacerdotes, choro forsan circumquaque cancellato, vltimò βῆμα, siue ἱεράτειον, hoc est sacrarium, siue sanctuarium, siue Adyta, quæ erat pars interior templi, vbi erat altare, quæque erat diuisa à reliquo templo, gradibus, cancellis, siue auleis neque eo penetrabant alij quàm Sacerdotes cum suis ministris clericis: hæc pars respondet Sancto Sanctorum Salomonico. Hanc formam in iis hactenùs Romæ intuemur Ecclesiis quæ tempore Constantini Magni à fundamentis extructæ, quas non nisi secundum pristinam antiquiorum illarum formam quæ Diocletiani edicto prostratæ fuerunt (cùm eædem quæ olim, essent in eis functiones obeundæ) erectas esse perfacilè est vt credamus, cum præsertim eandem prorsus formam quam descripsimus, tam in Oriente quâ in Occidente vbique locorum obseruatam esse sciamus testimonio Eusebij Cæsariens. lib. 10. hist. cap. 4. & in vita Constantini lib. 3. cap. 34. Gregorij Naz. oratione in funere Patris. Paulini epistol. 12. & 31. & aliorum. Erant & cubicula quædam vt idem Paulinus vocat, quæ Capellas dicimus, solita in eis construi orationis causâ, nec non Pastophoria, seu Secretaria apud apsidem posita, in quorum vno asseruarentur ornamenta & alia ad sacrum ministerium Ecclesiæ pertinentia; in altero verò Libri sacri.

Nec indecens visum est in eadem Ecclesia plura constitui altaria, nam cum ea essent sepulchra Martyrum, vbicumque esset Martyr conditus illic altare erigi consueuerat. Sanè de tredecim in vna Ecclesia erectis meminit Gregorius, & eâ de causa Paulus Papa V. recondidit Romæ sub altaribus reliquias Sanctorum quarum catalogum inscribi iussit prope ipsa ad satisfactionem peregrinorum.

Denique sicut in templo Salomonico positum fuit labrum æneum ad emundationem. Exod 30. quo Sacerdotes manus pedesque ante ingressum lauarent: ita præ foribus Ecclesiarum solitos fontes aquæ communis constitui ad purificationem,& ad manus ac facies introëuntium non solum Sacerdotum & Clericorum, sed aliorum quorumcumque abluendas, sordésque corporis abstergendas (secundùm quod etiam monet Paul.1.Timot.2.*Orare puris manibus*) complures antiquorum testantur Clemens constit.38. Tertull. de oratione cap.11. Euseb. 10. hist. cap.4. Paulin. epist. 12. & 31. Chrysost. hom. 72. in Ioan. 52. in Matth. 36. ad populum Antioch. Anastasius Sinaïta oratione de sacra synaxi & alij.

Verùm quod naturalis instinctus docet, non nisi puros ad Deum accedere debere inde euenit, vt non solùm Christiani quique, vel etiam Iudæi, sed & ipsi quoque Gentiles teste Herodoto in Euterp. Ciceron. lib 1. de legibus Persio Satyra 2. Tibull. lib.1. elegant. cap.2. aliique ante adorationem aquâ se mundarent.

At postea eiusmodi lauacro successit apud Christianos vt aqua Sacerdotis precibus benedicta, quæ fidelibus vsui esse consueuisset in priuatis domibus (vt Alexandri primi Papæ res gestæ significant) in ipso ingressu Ecclesiæ poneretur, quâ ad leuiorum peccatorum expurgationem adeuntes Ecclesiam aspergerentur.

Porrò nominibus diuersis loca, quæ Ecclesiæ dicuntur, vocari notandum est, idque, ob diuersos erectionis eorum fines. Eriguntur enim sacræ ædes.

Primò ad sacrificandum Deo,& hinc dicuntur *Templa*, vnde Nouatores irrationabiliter vsurpant nuncupationem Templi, cum nullum habeant, aut admittant sacrificium propriè dictum quod ipsi offerant Deo.

Secundò ad orandum,& hinc dicuntur Oratoria iuxta quod à Christo dictum est Luc. 19. *Domus mea domus orationis vocabitur.*

Tertio ad Martyrum Reliquias honorificè conseruandas,& hinc Basilicæ, seu Martyria nuncupantur. Basilicæ autem, siue quod vt Isidorus lib.15. Amalarius lib.2. de officiis Eccles. cap.2. Vvalfrid. de rebus Eccles. cap 2. existimarunt cum Basilicæ olim vocarentur Regum habitacula, sic etiam dici meruerunt loca in quibus Rex Regum colitur, siue vt magis placet Spondano, quod Basilicæ illæ Gentilium, Loca videlicet venalium rerum foris coniuncta, vt testantur Vitruuius lib. 5 cap.1. Cicero ad Atticum lib. 4. in quibus hyeme potissimum publicæ conciones, & negotiantium conuentus habebantur atque etiam aliquando ius reddebatur, vt legitur apud Plin. lib.5. epist.21. Senecam lib.3. de ira cap.33. in Ecclesias Christianorum commutari solerent, cuius rei testimonium facit Ausonius in gratiarum actione pro Consulatu ad Gratianum. Obtinuit autem loquendi vsus vt non quæcumque Ecclesiæ appellentur Basilicæ, sed illæ dumtaxat quarum augustior sit amplitudo.

Quartò ad populum verbo Dei, & Sacramentis pascendum, & hinc Ecclesiæ dicuntur. Ex his finibus hunc quartum dumtaxat agnoscunt Lutherani & Caluinistæ, vnde nomen *Templi* debent ipsi proscribere.

Dicam tamen ad plenam informationem Lectoris beneuoli esse verè templa apud Catholicos, seu loca ad sacrificium offerendum; nam Ecclesiæ Christianorum semper habuerunt altaria: Ergo semper fuerunt vera templa, nam templum nihil est aliud quàm locus altaris, quod sine dubio reperitur apud Christianos 1. Corinth.10. *Non potestis mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum participes esse.* Vbi Apostolus opponit mensam Eucharistiæ, mensæ idolothytorum, mensæ autem idolot. erant vera altaria, vnde Ambros. exponit *altaria*. Item Heb. 13. *Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.* Quod Patres Theodor. Chrysost. Theophyl. Oecumenius, Sedulius intelligunt de sacrificio Eucharistiæ: Accedit Patrum traditio, hi enim mentionem altaris faciunt sæpissimè cum de Ecclesiis loquuntur, & nomen templi vsurpant.

Dices. Patres ordinariè abstinent à vocabulo templi cum de Ecclesiis Christianorum loquuntur, imò etiam eas opponunt templis, v. g. Hieronymus qui in epist. ad Riparium dicit Iulianum Imper. Christi Ecclesias, aut dirûisse, aut in templa conuertisse.

Respondeo primos Christianos abstinuisse; non solùm à vocabulo templi, sed etiam Sacerdotij, ne viderentur adhuc durare Iudaïcæ ceremoniæ. Itaque Apostoli in suis Epistolis pro Sacerdotibus Episcopos & presbyteros, pro templis Ecclesias dicunt, similiterque loquuntur Iustin. Ignatius & cæteri antiquissimi Patres. Deinde tempore Tertulliani perspectâ iam satis differentiâ inter Christianos & Iudæos, cœperunt Christiani presbyteros & Episcopos nominare Sacerdotes vt patet, ex Tertull. lib de velandis Virgin. lib. de Monogamia & alibi, ex Cypriano in omnibus fere epist. & sequentibus Patribus. Adhuc tamen abstinebant à vocabulo Templi, quia mundus erat plenus templis idolorum & vsus loquendi obtinuerat, vt nomine templi intelligeretur locus consecratus ad sacrificia cruenta & in hoc sensu Octauius apud Minutium. Optatus, & Hieronym. negant Christianos habere templa, imò Deus voluit euerti templum Salomonis, non quòd ad sacrificia tantùm, sed ad cruenta offerenda erectum fuerat, vel vt intelligerent homines statum veteris testamenti cessasse.

Quod autem institui debeant Oratoria, seu Ecclesiæ, quia meliùs sit orare in loco sacro probatur Scripturæ testimoniis, nam 3. Reg.8. & 2. Paralip. cap.6. Salomon affirmat templum factum esse vt sit locus orationis, & petit à Deo vt quicumque ibi adorauerit exaudiatur. 3.Reg. 9. Deus apparens Salomoni pollicetur ita futurum vt ille petierat. Neque obstat verbum Domini Matth.21. *Intra in cubiculum tuum,* vel Ioann.4. *Venit hora & nunc est quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis, adorabitis.*

bitis. Neque 1. *Timoth.* 2. *Volo vos orare in omni loco.* Nam ad primum Respondeo, Dominum subsequenter dixisse. *Domus, mea domus Orationis vocabitur.* Ad locum Matth. & Pauli respondent Ambrosius, Anselmus, Sanctus Thomas de priuata oratione exponentes, si autem ibi agitur de oratione publica *omni loco* exponunt, vbi ad orandum publicè conuenitur, idest in omni Ecclesia, ad differentiam Iudæorum, qui in Templo Salomonis dumtaxat orandum censebant saltem publicè. Expositio hæc innuitur ex sequentibus verbis, *Similiter mulieres in habitu ornato*, quæ non possunt intelligi, nisi de oratione, quæ fit in Ecclesia, cur enim necesse est mulierem habitu conuenienti vestiri, cum ad orandum proficiscitur. nisi propter alios cum quibus orat? Quod si instes Deum esse vbique?

Concedo, ob immensitatem eius, & aliquo modo, sed non omnibus modis; nam certè si Deus esset vbique, eo modo quo est in cælis coram Beatis, frustrà diceremus. *Pater noster qui es in cælis.* Prima ergo ratio erectionis Ecclesiarum est, quod pronius ibi Deus exaudit, quia Deus dicitur ibi esse per exauditionem. Tum oratio est res nobilissima, proinde debetur ei locus nobilissimus, qualis est locus sacer. Ita Basilius lib. 2. de Baptism. quæst. 8. Tertiò, in Ecclesia omnia sunt accommodata ad excitandam deuotionem, quæ orationi maximè necessaria est; nam Altaria, Cruces, Imagines, Reliquiæ, ipsi etiam parietes Deo dicati, mouent ad pietatem, quæ omnia non inueniuntur alibi. Quartò, quia in Templis ordinariè, præter Dei immensam præsentiam, habetur præsentia Christi Redemptoris sub speciebus Eucharistiæ: Hæc autem auget spem & fiduciam orantis, quæ & præterea incutit menti religiosæ horrorem sacrum, & reuerentiam; nam vt notat Chrysostomus homilia 36. in 1. ad Corinth. *Vbi Christus est in Eucharistia, ibi non deest Angelorum frequentia, vbi autem est talis Rex, & tales Principes, ibi est cæleste Palatium, imò Cælum ipsum.*

Quærendum occurreret hîc, an sacræ Ædes, non tantùm Deo, sed & Sanctis rectè, & religiosè ædificentur, & eorum nomini dedicentur. Verum, quia hoc incidit in Articulum 29. ibi est ex professo definiendum.

De Ornatu Ecclesiarum, qui partim in fabrica ipsa magnifica consistit, partim in Imaginibus, Calicibus, Vestibus, Lampadibus, aliísque id genus ornamentis aliquid dicere non prætereo? Fabricam hanc à principio Ecclesiæ sumptuosam fuisse vix crediderim, vrgebant enim persecutiones Iudæorum & Gentilium; hi legem suam, isti Deos suos abijci & contemni ferre non poterant. Lego tamen apud Augustinum epistola 165. ex Actis proconsularibus, quod temporibus Diocletiani abundabant Ecclesiæ vasis aureis & argenteis. Optatus idem tradit libro 1. contra Parmen. idémque August. ex aliis Proconsularibus Actis lib. 3. contra Crescon. capit. 29. Sicut & in rebus gestis Sancti Laurentij, quas Prudentius sacro Hymno cecinit; narratur Romanos Pontifices, non argenteo tantùm, sed aureo Calice consueuisse incruentum offerre sacrificium. Imò, & aureis candelabris vti in sacris functionibus. Traditur autem de Vrbano Papa anno 230. Christi, eum fecisse omnia sacræ œconomiæ vasa, ex argento & patenas argenteas 25. apposuisse. Nescio tamen an ex his concludere liceat ornata Christianorum ædificia, cùm vt plurimum in cryptis & speluncis fideles Mysteria sacra facerent. Non me latet Euaristū anno 109. diuisisse Presbyteris in vrbe Roma titulos, id est domos fidelium cultui diuino mancipatas. Cæterùm apud Christianos titulus quo domus aliqua sacra fieri incipiebat, & Ecclesia nuncupari fuit vexillum Crucis, & si qua construebatur Ecclesia, eo in loco primùm solitam poni Crucem in titulum satis norunt, qui Antiquorum scripta peruoluunt.

Ad structuræ splendorem præstolandum fuit Constantini Imperatoris regnum, cuius ita effusa fuit magnificentia in fabricis sacris, vt totus in hoc opere fuisse videatur. Hanc demiratus Chrysostomus hæc ad populum Antiochenum, homilia 66. dixit, *Seruorum Crucifixi sepulchra regiis aulis sunt clariora, non magnitudine & pulchritudine ædificiorum, (nam & in hoc superant,) sed quod maius est conuenientium studio.* Quod autem spectat ad interiorem Ecclesiarum ornatum eas Christi Redemptoris imagine decorari solitas fidem facit Canon. 7. Synodi Antioch. Apostolorum nuncupatæ, qui citatus reperitur à Gregorio Episcopo Pessinuntis in posteriore Nicæna, licet in editione Latina mutilatus, ac malè translatus habeatur. Vide Baron. in anno Christi 57. Sed eiusmodi ornatum non suspiciet, qui nouerit ipso Christo viuente eius imaginem Panneade à muliere, quam à fluxu sanguinis curauerat, ære fusam ad trecentos & amplius annos, nimirum ad Iuliani Apostatæ tempora perdurasse (quantumlibet innumeris Palæstina fuerit deuastata cladibus) & conuenienti veneratione cultam esse. Nisi enim piè, sanctéque ab Apostolorum temporibus sacræ imagines in Ecclesia fuissent in vsu passurine fuissent fideles per tot sæcula illam solam sic intactam seruari?

Sed qui eam vidit Eusebius, alias quoque se vidisse testatur Petri, & Pauli, atque etiam Christi imagines in picturis varietate colorum expressas, id scribit lib 7. cap. 14. & Tertullian. libro de pudicitia cap. 6. & docet cap. 10. Christi imaginem effigie Pastoris ouem deperditam super humeros gestantis in sacris calicibus sculpi consueuisse, quo Sacerdotes admonerentur imitandum sibi esse diuinum illum Pastorem, qui primus tam eximium pastoralis curæ, ac charitatis specimen edidisset.

Res gestæ Constantini apud Anastasium, libro de Romano Pontifice in Syluestro docent nos complures argenteas statuas ab eo iussum conflari, tam Christi quàm Apostolorum. Et apud Lactantium, carmine de Passione Christi, fit mentio crucifixi. De Crucibus, & Imaginibus in Ecclesia depingi solitis, locupletes sunt testes Paul. in Epist. 12. ad Soccrum. Augustin. libro 1. de consensu Euang. Basil. oratione in Sancto Barlaham. Gregor. Nyssen. oration. in Theodos. Prudentius Hymno de Sancto Cassiano, & alio de Sancto Hyppolito. Consueuisse etiam fideles offerre Linteamina Ecclesiis ad ornatum testitur Sanctus Paulin. in natali Sancti Felicis, & habetur apud Sanctum Gregorium epistola 9. Rusticianam patriciam vela misisse ad Ecclesiam Sancti Petri, & extat ad eumdem

eumdem querela de Natali Episcopo Salonitano quòd vasa sacra & velamina suis dedisset affinibus, nec-non de Fusco Abbate, qui sacros Codices, & vela secum asportasset, & de his sunt innumera exempla: imò Eusebiani Athanasium criminati sunt anno 329 Quod indixisset Ægyptiis tributum de pendendis Ecclesiæ linteis, seu velaminibus, sed qui alia occasione tunc præsentes erant Catholici Presbyteri Alexandrini coram Constantino Imperatore illatum crimen de tributo indicto facilè diluerunt. Concludamus ornatas fuisse Ecclesias à primis temporibus pretiosis supellectilibus.

Ornatus autem Ecclesiarum ex genere suo est actus duarum excellentium virtutum Religionis ac magnificentiæ, vnde bonus est ex genere suo. Tum multas habet vtilitates, primò enim attrahit faciliùs ad res pias, quæ in Templis geruntur, nec enim obscura, & sordida loca libenter frequentantur.

Deinde conseruat majestatem Sacramentorum & reuerentiam, quæ diuinis rebus debetur; nam quando videmus altare splendidum & ornatum facilè erigimus mentem, & cogitamus magnum esse Deum, cui talia exhibentur. Et è contrario facilè contemnitur, quod sine apparatu proponitur. Iuuatur præterea pietas & deuotio, maximè simplicium, quorum non paruus est numerus.

Obseruа tamen opus hoc, licet pium, bonum & vtile vitiari facilè posse ex defectu circumstantiarum; nam tempus, locus, modus, & persona sat influunt rei: vnde quando quis tenetur iuuare proximum, & præsertim parentes & filios, & non potest simul prouidere proximo, & Templo, non rectè facit, si neglectis iis ædificet, ornétve Templa, ait enim Dominus Oseæ 6. *Misericordiam volo, non Sacrificium.* & Marci 7. Arguuntur Pharisæi, qui docebant filios-familias offerre Templo donatia, cum detrimento parentum. Patet ex Sanctorum praxi, qui tempore necessitatis conflarunt Calices & vendiderunt, vt patet ex Ambrosio lib. 2. de Officiis cap. 28. Si enim tempore necessitatis Pastores rectè detrahunt ornamenta Ecclesiæ, certè multo rectiùs non dantur, aut testamento non legantur, quæ essent auferenda si data fuissent.

In locis frequentioribus, & Vrbibus ornatiora debent esse Templa, quam in desertis, modus enim seruandus est, ne curiositati & vanitati potiùs seruire videantur ornamenta, quàm Religioni, vnde Bernardus Cluniacenses reprehendit in hoc errantes, & superfluos, habita ratione paupertatis, quam profitebantur.

Quod denique ad vsum antiquum partium Ecclesiæ spectat; sicut olim in Templo Hierosolymitano *loco distincti*, erant Sacerdotes à populo, viri à mulieribus,, atque à nuptis virgines, ita eodem fermè ordine & dispensatione fuit in Christianorum Ecclesiis obseruatum. Primùm testatur Ioseph. de bello Iudaïco capit. 6. Origen. tractat. 26. in Matth. Secundùm affirmant Philo de vita contemplatiua loquendo, de Essenis Alexandrinis, quos Hieronymus Christianos fuisse scribit in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Philone, & dilucidiùs apud Clementem legitur de omnibus Christianis Constitut. 61. Sic & Gregorius Nanzienzenus in somnio Anastasiæ, suprà Ecclesiæ porticus mulierum locum seorsum à viris fuisse demonstrat. Et pariter Ambrosius ad virginem lapsam cap. 6. Meminit de loco in Ecclesia tabulis separato, vbi virgines à cæteris fœminis separatæ orarent. Procopius item libro 1. de ædif. Iustin. Duplices porticus fieri solitas ostendit, quarum altera viros, altera fœminas caperet. Eundémque distinctionis vsum fuisse in Ecclesia Romana declarant Vitæ Pontificum, Symmachi, Gregorij III. atque Sergij, nec-non antiquæ Vaticanæ Ecclesiæ monumenta, quibus etiam constat dexteram Basilicæ partem destinatam fuisse mulieribus, viris autem sinistram, quippe quam in sacris fuisse digniorem intelligitur ex multis & inolito apud Romanos vsu, qui sinistram partem melioris auspicij, ac proinde digniorem habebant.

De loco vero pauperũ, licet eis æquè ac cæteris pateret Ecclesia precum causa, iidémque simul cum Principibus, nulla habita personarum acceptione ad sacram mensam admitterentur, tamen sicut olim in Templo ad stipem mendicandam pro foribus stabant. Act. 3. Ita etiam in Ecclesiam ad eleemosynam captandam nefas illis ingredi, (vt habet Chrysostomus homilia 28. ad populum Antiochenum. Gregorius Nanzianzenus oratione de amore pauperum,) ne sacra agentibus, aut orantibus essent molesti, sed in exteriori porticu, quæ post atrium ianuis inhæret Ecclesiæ, solebant commorari.

QVÆSTIO VII.

De dedicatione, & consecratione Ecclesiæ.

DEus ipse Exodi 40. mandauit Moysi, vt tabernaculum erigeret, illúdque & omnia vtensilia eius, non solùm sacris precibus, verùm etiam olei, quod sanctificationis vnguentum vocat, vnctione sacraret expresè imperauit.

Salomon quoque, iubente Domino, Templum cum altari, & supellectilem sacram consecrare fecit 3. Reg. 6. Si ergo illi qui vmbræ Legis deseruiebant, hoc obseruabant; quantò magis Christiani, Templa, Altaria, corúmque vasa habere debent ritu solemni consecrata? non ad imitationem Iudaïsmi, aut ex superstitione, quam hæc sapere garriunt Nouatores, sed ob fidem & reuerentiam sacris locis debitam Id ex dictamine rationis naturalis Iacob fecisse legitur Genes. 28. *Erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper*, & cap. 33. *erecto Altari inuocauit super illud Deum.* In Euangelio non habemus tam expressa Scripturæ testimonia, tamen ex eo quod 1. Corinth. 11. Paulus arguit Corinthios, tanquam Ecclesiæ contemptores, quia in ea comedebant, satis innuitur Ecclesiam, etiam tunc quodam modo sacratam fuisse, aliàs eam contemnere non debet dici ille qui actionem alibi licitam exercet in ea.

Traditionem consecrationis habemus Dionys. Areopag. cap. 6. Eccles. Hier. docet Altaria sacro oleo inungi & consecrari debere ab Episcopo. Nescio equidem, An vnquam Sacerdos hanc obierit functionem, tamen anno Christi

Christi 483. Felix II. Papa dictus III. ordinauit à solis Episcopis hanc fieri, haberurque in Conc. Bracarensi sub Honorio Papa I. in 6. sæculo Canon. qui 37. est. *Si quis presbyter post interdictum hoc ausus fuerit, chrismate benedicere, aut Ecclesiam, aut altaria consecrare, à suo officio deponatur*: id autem tribuitur soli Episcopo, quia gerit imaginem & figuram summi Pontificis Christi spiritualiter consecrantis.

Institutionem dedicationis sanxit Felix IV. circa annum 526. in epist. ad Episcopos per diuersa loca constitutos cap. 1. hisce verbis. *Solemnitates dedicationum Ecclesiarum per singulos annos sunt celebrandæ, ipso Domino exemplum dante, qui ad festum dedicationis templi iuit, omnibus id faciendi dans exemplum cum reliquis populis eandem festiuitatem celebraturus, sicut scriptum est* Ioan. 10. *Facta sunt Encænia Hierosolymis, & ambulabat Iesus in porticu.*

Hinc rationabiliter inducta est dies annua dedicationis quam recta ratio, & gratitudo dictat. Sic Salomon Esdras, & Machabei natura duce de perfecto templo gratias Deo anniuersaria celebritate referebant.

Ritum Consecrationis templi consule in Pontificali: singulares has affero cæremonias. Cum incipitur consecratio omnes eiiciuntur de Ecclesia, solo Diacono ibi remanente incluso. Episcopus cum Clero ante fores Ecclesiæ Aquam benedicit, interim intrinsecùs duodecim cruces in parietibus depictæ luminare sigillatim habent. pulsatur templum, & aperitur. Tum describitur in pauimento super cineres sparsos Alphabetum Græcum, baculo pastorali, ab vno angulo ad aliud, itidémque Alphabetum Latinum, ita vt ex vtroque crux fiat, Aquæ benedictæ immiscetur sal, vinum & cineres, & aspergitur templum, ac demùm templum, & Ara chrismate inunguntur. Omnia hæc mystica sunt & à Patribus inducta. Ornatur postea altare: lampades accenduntur, Missam celebrat Episcopus in aliis vestibus quàm vsus fuerit in aspersione.

Finita consecratione dies festus agitur. Hinc Ecclesia consecrata, meritò sancta, venerabilis ac diuina quadam virtute prædita censeri debet. Primò ex relatione ad Deum, Templum enim est dicatum Deo, ergo res est Dei, ergo sanctum est, nam res Deo dedicata eo ipso sancta est. Leuit. vlt. *Quicquid semel consecratum fuerit Domino sanctum erit.* Matth. 23. *Veh vobis qui dicitis, quicumque iurauerit per templum nihil est, qui autem iurauerit in auro templi, debet.* Christus ibi dicit templum lapideum esse nobilius auro, eo quod communicet auro sanctitatem ratione relationis ad Deum, cui consecratum est, etsi aurum ex se nobilius sit templo. Secundo sanctitas templi habetur ex precibus, & benedictione Episcopali; nam vt ait Paul 1. Timoth. 4. *Nihil abyciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem.* At si cibi sanctificantur per orationem, cur non etiam templa sanctificabuntur, quæ per sacras personas publicis precibus, & benedictione consecrantur? Præterea sanctificante Salomone templum Deus etiam illud sanctificauit, vt ipse dicit 3. Reg. 9. *Exaudiui orationem tuam, & sanctificaui domum hanc quam ædificasti.* At non minus efficaces sunt preces Ecclesiæ, quàm Salomonis. Tertiò probatur ex iis quæ sunt in templo, quæ omnia sancta sunt. Adde præsentiam Angelorum, quare Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 12. scribit in templo Salomonis paulo antequam euerteretur, auditas voces *migremus hinc*, quas fuisse Angelorum deserentium locum communis est opinio, & Chrysostom. hom. 1. super illa verba Isaiæ, *vidi Dominum sedentem.* Quartò Deus adest per singularem protectionem, & virtutem, in cuius rei signum nubes gloriæ Dei tabernaculum operuit quando dedicatum fuit à Moyse Exod. vlt. similiter fecit in Salomonici dedicatione 3. Reg. 8. Idem etiam accidisse scribit Gregor. lib 3. dialog. cap. 30. suo tempore. *In magna serenitate aeris super altare Ecclesiæ post consecrationem, nubes descendit, suoque illud velamine operuit omnemque Ecclesiam tanto terrore ac suauitatis odore repleuit, vt patentibus ianuis nullus illuc intrare præsumeret.* Idem scribit ibidem templa sancta esse, quia dæmonibus carent, quod ostendit ex Arriano templo; vnde dæmon in porci specie maximo strepitu excitato visibiliter egressus est post consecrationem. Et sicut Principum domus sunt asyla, quæ lictores ingredi ad capturam non audent: ita dæmones non siniuntur grassari in templis. Referri potest mirabilis consecratio Ecclesiæ Aniciensis. Hanc post in candelabro 380. de templo Rondini.

De diuerso ritu communicandi.

NOn vnam eandémque esse apud Catholicas in sumenda Eucharistia obseruationem ex ipso vsu satis constat, sicuti nec fidem lædi diuersa Ecclesiarum consuetudine in administratione & susceptione Sacramentorum non ignorat plebs fidelis, post tam frequentes Pastorum instructiones, ipsásque à SS. Patribus mutuatas; nominatim à S. Hieron. epist. 28. August epist. 118. ad Ianuar. Greg. lib. 1. epist. 41. ad Leand.

Suppositis ergo infra dicendis in 26. & 27. Articulis, non grauabor hîc annumerare inter Ecclesiasticas Antiquorum Traditiones diuersum communicandi corporis & sanguinis Domini ritum.

Papa *sedens communicat* in Missa solemni, Sacerdos stans: Laicus flexis genibus.

Marcellus Archiep Corciuæ qui tres edidit libros de ceremoniis Ecclesiæ Romanæ notat lib. 2. in capite de Missa in die Natalis Domini. Quod Papa sacrum faciens datâque pace Cardinali Episcopo & ministrantibus Cardinalibus, per osculum in faciem, sedem suam extra altare eleuatam repetat, nudo capite, consequentibus iisdem Cardinalibus. Mox Diaconus Cardinalis sanctissimum Sacramentum de altare ei defert, quo præsentato genu flectit & adorat, deinde sedet lectisque Orationibus assignatis in Pontificali, quæ ante communionem dici solent, maiorem partem oblatæ hostiæ suscipit de patena quam tenet præ manibus, ipsamque hostiam dentibus subdiuidens, vnam particulam eius sumit, & aliam in calicem mittit, & de sanguine cum calamo haurit. Deinde alteram particulam tradit cum osculo

Diacono, aliámque subdiacono sine osculo, tuncque subdiaconus residuum sanguinis cum particula immissa ebibit.

Romanus itaque Pontifex ad Altare frangit & ad sedem communicat quia Christus cuius Papa vices agit in terris, fregisse legitur in Emaus Luc. 24. sed non comedisse. In Hierusalem vero cathedrali Religionis suæ fregisse non legitur, sed comedisse, secundum Innocent. III. ascendens igitur sedem ibi communicat, & hæc sessio in Christi Vicario Pontificaliter celebrante nequaquam præfert irreuerentiam, aut arrogantiam qui in Missa ordinaria stando vti cæteri Sacerdotes communicat necnon & in Pontificio sacro Parasceues ad maiorem crucifixi expressionem, vnde & solus participat quia relicto eo Apostoli abierant. *Caput*, inquit, Paul. Coloss. 1. *In corpore sublimius & excellentius ob sui perfectionem cæteris membris collocatur.* Romanus autem Pontifex omnium Prælatorum, caput perfectius Christum repræsentat, & ideo singulares habet ritus & obseruantias.

Cæteri Pontifices & Sacerdotes, *communicant in altari stantes*, eodem omnino situ corporis quo sacrificarunt. Hoc enim situ significatur populo Christum esse agnum viuum & immortalem, cuius carnem posteaquam Sacerdos & omnis populus credentium manducauerit, integer perseueret & viuus, vt dixit Sanctus Andreas Apostolus Ægeo tyranno suadenti vt ad crucis vitandum supplicium diis immolaret. Priuilegium est Sacerdotis quod primus de Sacrificio participet ipseque sibi sumat quod cæteri fideles ab eo habere, & de manibus suis participare debent. Catholici omnes corpus Christi *communicant flexis genibus* (nisi obstet & dispenset corporea indispositio (nam ait, August. adoranda est Eucharistia cùm suscipitur: adoratio autem genuflexionem requirit, sic Ezechias, *oblato sacrificio incuruatus est Rex & omnes qui erant cum eo, & adorauerunt.* 2. Paralip. 29. Sic *Leprosus deprecatus est Iesum genu flexo & mundatus est* Marci 1. & *cæcus natus*, postquam visum recepit *procedens adorauit Iesum* Ioan. 9.

Solebant prætereа Catholici antiquitus componere manus in modum crucis dum ad Synaxim accedebant idque in memoriam, & fidem Passionis & crucis Christi, id audio à S. Damasceno lib. 4. orthod. fidei, *manibus in crucis formam compositis Crucifixi corpus suscipiamus*, quod & sancitum fuerat à sexta generali Synodo Constantinop. Can. 101. *Si quis voluerit Synaxis tempore communicare purissimo Christi corpore, & coram ipso participatione esse, manus in formam crucis figurans sic adeat, & suscipiat gratiæ communionem.*

Postea maiores nostri semper communionem suscipere manibus iunctis non expansis manuum volis, neque cum disiunctis digitis, sed vt scribit S. Cyrill. Hierosol. *Sinistram veluti sedem subijciens dextra*, hoc enim modo deuotio nostra indicatur, & resignatio, nec non & fides erga Eucharistiam ex qua & in qua vnionem omnium gratiarum credamus sicut & diuinitatis ad carnem Christi, quam applicatio dexteræ manus ad sinistram significat: vsurpata fuit à Catholicis accedentibus ad communionem oratio Centurionis ad Christum, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur anima mea*, Origenes hanc in Synaxi dicendam præscripsit Fidelibus sui sæculi sic enim loquitur hom. 6. *Imitare voluntariam humiliationem Centurionis, sic enim Deus quantum est se indignos efficit dignos videnśque nos cum omni humilitate ad eum accedentes obuiat nobis.* Verum enim vero quando fidelis bene de Deo, & diuinis mysteriis sentiens profundius humiliari debet in communione, quæ mysterium non solum supremæ potestatis & charitatis, Christi in homines reputatur, sed inæstimabilis suæ exinanitionis species agnoscitur, quam in quouis alio Christianæ Religionis mysterio, tunditur interea pectus ad maiorem vilitatis propriæ expressionem & ad ingenuam ob peccata commissa de quibus compungimur publicam confessionem. Quæ de cætero huc spectare possent. Vide in att. citatis.

De Peregrinationibus ad loca sacra.

Traditio piis, & religiosis Catholicorum ad loca sacra, Martyrum memorias peregrinationibus adstipulatur, eas singulariter commendando ex more antiquo & vtilitate. Has ex dictis titulo de Processionibus sufficienter stabilitas possem supponere, sed quia illas vt appendicem Officij diuini recensui, & vt formam Orationis publicæ in qua Clerus & plebs procedunt (quæ ad peregrinationem hanc fidelium non exiguntur) ideo de istis singularem instituo discursum tenore consueto.

Probatur itaque Catholicus peregrinationum ad loca sacra vsus, primò ex scriptura 1. Reg 1. *Ascendebat Elcana de ciuitate sua Ramatha statutis diebus vt adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo.* Ioan. 12. *Christus sæpe ad templũ Hierusalẽ ibat*, licet nec lege teneretur, nec à præsentia Dei amoueri posset, & disiungi, quem in se quatenus homo habebat Act. 20. *Paulus festinabat vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis*, hunc locum adducit Hieronymus epistol. 17. ad Marcellam vt ostendat bonum esse ad loca sancta peregrinari Act. 8. Gentiles veniebant adorare in Hierusalem propria regione relicta vt constat de. *Eunucho Æthiope qui erat super omnes gazas reginæ Candacis.*

Probatur ex SS. Patribus Anno Christi 47. iam illustris habebatur tumulus primogenitæ spiritualis filiæ Pauli Apostoli B. Theclæ Virginis & Martyris Iconiensis. Spondanus hunc visitari solitum apud Seleuciam Magno Orientis concursu scribit Anno 69. cum Petrus, & Paulus Christianæ religionis Coryphæi Martyrio Romæ consummato fidem illustrassent, loca ipsa vbi sacra eorum corpora sepulta fuerunt etiam inter persecutores quod planè mirandum est, absque iactura, aut contumelia aliqua clarissima remanserunt eademque velut nobilissima (vt apud Euseb. lib. 2. hist. c. 24. vocat Caius antiquissimus Theologus) trophæa victoriæ ab antiquis illis Christianis summo in honore sunt habita: nam consueuisse etiam persecutionis tempore ex remotioribus terræ partibus Romam venire vt ea inuiserent ac venerarentur Historiæ complurium Martyrum, & scripta Patrum declarant, sicut venisse ex Per-

ſide Martham, Marium, & Audifacem temporibus Claudij iunioris Imper. habet Martyrologium 19. die Ianuarij, & ex Africa Maurum ſub Numeriano Imper. & alios aliunde vt videre eſt in Martyrologio die 22. Nouembr.

Anno 229. Hippolytus quem Gelaſius Papa *Metropolitanum Arabia*, vocat illuſtris doctrina, & Martyrio Romam venit ex perſuaſione Clementis Alexandrini præceptoris vt limina Apoſtolorum inuiſeret & Sanctorum cæmeteria ſtudioſè perquireret.

Beda lib. 5. hiſtor. cap. 7. ſcribit Regem Ceedullam peregrinationem ad limina Apoſtolorum ſuſcepiſſe cupientem ibi baptiſmum ſuſcipere, & mox à baptiſmo recepto in Sabbatho ſancto à Sergio Papa leui morbo correptum migraſſe ad Dominum. Item cap. 20. ſcribit Regem Cenredum relicto regno peregrinationem ad limina Apoſtolorum ſuſcepiſſe, & apud eadem limina in ieiuniis, & precibus vſque ad vitæ finem permanſiſſe.

Nicolaus I. in epiſt. ad Michaëlem Imper. ſcribit multa millia hominum ex omnibus terræ finibus confluere ſolita ad Apoſtolorum limina religionis cauſa.

Anno 398. S. Paulin. Epiſcopus Nolæ Romam venit ex ſolemni conſuetudine ad ſanctorum Apoſtolorum Natalem, quem honorificè ſuſcepit Anaſtaſius Papa anno 398. Quod autem ſolemnis inualuiſſet conſuetudo Romam concurrendi ad natalem diem Apoſtolorum, id eſt, diem Martyrij, nulla habita calorum æſtiuorum ratione non ſufficit teſtimonium, S. Paulini epiſt. 16. ad Delphinum, ſunt aliæ teſtificationes pariter antiquæ vt inter alias illæ nobiles Gallæ Placidiæ Auguſtæ ſcribentis ad Pulcheriam pariter Auguſt. tom. I. Concil. ante Conc. Chalcedonenſe, & Valentiniani Imper. ad Theodoſium iuniorem ibidem, & alia ipſius Paulini ep. 23. ad Seuerum.

Anno 449. Imperator Valentinian. vnà cum vxore Eudoxia & Matre Placidia viſitarunt ſacra limina Apoſtolorum.

Sed quid immoror inp roducenda deuotione erga hæc Apoſtolorum limina quam à Patribus noſtris exhibitam teſtantur Hiſtorici, hæc non deferbuit hodie, cum multos Romiperas videamus ex diſſitis Chriſtianiſmi partibus præſertim currente anno iubilæi.

Non infrequentes pariter fuere olim, & ſunt adhuc hiſce temporibus peregrinationes & vota Chriſtianorum, *in Hieruſalem aliaque ſacra circumquaque loca Palæſtina*, quæ terra ſancta dicitur ob redemptionis humanæ ibidem inauguratæ & conſummatæ, myſteria. *S. Alexander Martyr inclytus*, notatur ab Euſebio lib. 6. hiſtor. cap. 9. *Hieroſolymam adorandi, & locorum ſanctorum videndi cauſſa properaſſe.*

S. Nicolaus adoleſcens voti cauſſa peregrinatus eſt in Hieruſalem teſte Simeone Metaphraſte. Idem Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini, & Ambroſius oratione de obitu Theodoſij laudant Helenam quòd religionis cauſſa Hieroſolymam iuerit.

S. Gaudentius Epiſcopus Brixianus, ſcribit in ſermon. de dedicat. templi ſe peregrinatum in Hieruſalem, & in itinere cum tranſiret per Cæſaream Cappadociæ accepiſſe dono à duabus ſanctis mulieribus neptibus Magni Baſilij, reliquias X L. Martyrum. S. Chryſoſt. hom. 66. ad pop. Antioch. comparans ſepulchra Martyrum cum ſepulchris Regum: *Itaque*, inquit, *quæ regias quidem aulas videat nullus vnquam peregrinatus fuerit: multi verò Reges plerumque huius ſpectaculi gratia peregrinati ſunt, futuri namque iudicij veſtigia & ſigna ſanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.* Hieronym. epiſt. 27 de obitu Paulæ cuius gentis homines ad loca ſancta non veniunt? epiſt. 154. ad Deſiderium hortatur eum vt veniat ad loca ſancta & inter alia dicit, *Certè adoraſſe vbi ſteterunt pedes Domini pars fidei eſt.*

Sulpitius lib. 2. ſacræ hiſtor. deſcribens acta Helenæ dicit illud eſſe mirandum Hieroſolymis, quod in loco vnde Dominus cœlum aſcendit adhuc ſeruentur pedum eius veſtigia, & cum ad eum locum fideles vndique confluant, & rapiant aliquid calcati pulueris damnum tamen arena non ſentiat.

Socrates lib. 7. cap. penult. ſcribit Eudoxiam Theodoſij iunioris vxorem ex voto peregrinationem Hieroſolymæ ſuſcepiſſe.

Simeon Metaph. notat S. Alexium peregrinatum eſſe ad nobiliores mundi Eccleſias

Peruulgata eſt Francis Chriſtianiſſimorum ſuorum Regum deuotio erga ſanctum Domini ſepulchrum quod ſæpius per deputatos religioſos cum magnificis donatiuis viſitare ſolent. Hoc mihi retulerunt excubitores ſacri ſepulchri Patres Franciſcani.

Probatur ex Conciliis Cabilonenſi, ſub Carolo Magno quod canone 45 docet eorum deuotionem omnibus probari debere qui pœnitentiæ cauſſa ad limina Apoſt. vel alia ſancta loca peregrinantur.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. damnat eos qui affirmant ſanctorum memorias fruſtra frequentari.

Probatur ratione ſumpta ex vtilitate peregrinationum, nam tria bona afferunt. Primò cedunt in honorem Dei, & Sanctorum non mediocrem. Eſt enim manifeſtum ſignum Deum, & Sanctos à nobis magni fieri, cum laborem, & pericula itinerum ſponte ſuſcipimus vt Sanctorum reliquias inuiſamus. Secundo eſt opus pœnitentiæ & ſatisfactionis, quia laborioſum, & pœnale. Tertiò auget deuotionem, nam vix dici poteſt quantum incutiat horrorem præſentia loci ſancti, quantam excitet reuerentiam, & licet fere vbique ſint loca ſancta, tamen ſæpe alibi ſunt aliqua ſanctiora ad quæ vtile eſt peregrinari: vel ſi non ſint ſanctiora, ſunt tamen alia ab his quæ in noſtra patria inueniuntur, & ipſa nouitas, & infrequentia iuuat ad excitandam deuotionem, ſæpe etiam ferimur amore peculiari erga alicuius Sancti memoriam, quæ procul abeſt à nobis & eò accedere non parum iuuat, licet habeamus domi memorias celebriores.

Dices, Deum eſſe vbique non magis ibi quàm alibi.

Reſpondeo eſto, ſed non ſepulchra, & reliquiæ Sanctorum per quas Deus tot mirabilia ibi ſpecialiter ad gloriam eorum operari ſolet,

Inſtabis ex Hieronymo in epiſt. ad Paulin. de inſtitutione monachi in qua multis argumentis probat non expedire peregrinationem

ad loca sacra suscipere, & adducit exempla Sancti Antonij, & aliorum virorum, qui perfectionem Euangelicam profitebantur, qui licet in vicinia sanctorum locorum habitarent, tamen nunquam ad illa venerunt.

Respondeo, peregrinationes non esse opus necessarium ad perfectionem aut ad salutem, & ad hoc probandum scripsit Hieronymus ad Monachos, qui putabant se non posse esse perfectos, nisi viderent loca sancta, quod certè falsum est, nam in certis personis, verbi gratia, Monachis, Monialibus & fœminis non expediunt hæ, ob consistentiam quam vouerunt, istæ ob itinerum pericula, sub specie enim alicuius boni, solidius quale est intacta pudicitia, vel obedientia naufragatur, non omnibus omnia conueniũt, nuptiæ verbi gratia, bonæ sunt, sed non conueniunt professoribus continentiæ.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

Certum est ex Euangelio Christum Dominum cùm prædicationis munus obire cœpit victum accepisse vnà cum duodecim Apostolis, ex his quæ à fidelibus, aut piis personis subministrabantur, quorum Collector & turbæ prouisor erat Iudas Iscariotes: ideò quando vidit profusionem nardi pistici factam à Maria in Bethania super pedes Iesu, ante sex dies Paschæ murmurauit, prætexens summam notabilem denariorum, ex eo colligi potuisse ad pauperum sustentationem, quod tamen dixit ait Ioan. c. 12. *Quia fur erat, & loculos habens, & ea quæ mittebantur portabat.* Matth. autem 27. Notantur adstitisse crucifixioni multæ mulieres, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena, quæ à liberatione septem dæmoniorum omnia sua Christi seruitio, & discipulorum eius subsidio deuouit.

Post Ascensionem Apostoli & discipuli: imò & omnes qui fidem Christianam amplectebantur, ex oblationibus fidelium victitarunt aliquo tempore, legitur enim Act. 4. Quod in exordio nascentis Ecclesiæ fideles vendebant, quæ possidebant, & pretium eorum ad pedes Apostolorum deferebant, quod pro necessitate fidelium dispensabatur; vnde vna omnium communis vita videbatur, aut saltem de communi fidelium promptuario & collectis omnes viuebant.

Deinde ipsomet primo sæculo prædia notantur assignata, & redditus annui adscripti Parrochiarum communitati. Pius enim Papa anno 147. in Epistola ad Italos decreuit, vt sicut sacrilegus haberetur & mulctaretur, qui prædia diuinis vsibus tradita subtraheret, seu suis vsibus applicaret. Vrbanus Papa anno 223. fecit epistolam decretalem ad vniuersos Episcopos, qua statuit, vt oblationes Fidelium relinquantur Ecclesiis matricibus dispensandæ per Episcopum. Tenor illius est. *In exordia Ecclesiæ fideles vendebant sua, & pretium tradebant Apostolis: tunc videntes Sacerdotes summi, & alij atque Leuitæ, & reliqui fideles plus vtilitatis afferre posse, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant Episcopi traderent, eo quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus, quam futuris temporibus plurima & elegantiora ministrare possent fidelibus communem fidem ducentibus, quam ex pretio eorum, cœperunt prædia, & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & de sumptibus eorum viuere: ipsa vero res in ditione singularum Parrochiarum Episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant & sunt vsque adhuc & futuris semper debent esse temporibus.*

Post modum amplioribus spatiis propagata fide, auctóque non tantùm fidelium, sed & Clericorum numero auctus est pariter oblationum prouentus etiam vsque ad Gentilium inuidiam, teste Ammiano Marcellino Ethnico, qui libro 27. loquens de schismate Vrsinni contra Damasum circa annum 366. dicit se non mirari si tanta contentione Romanus Episcopatus appeteretur, cùm vt ait, hunc adepti futuri sint ita securi, vt ditentur oblationibus matronarum, procedántque vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas nauantes profusas, adeò vt eorum conuiuia regales superent mensas.

Equidem ita Romæ his temporibus effulgebat Pontificum splendor, vt ipsis etiam amplissimis Magistratibus inuidiam commoueret, vnde Prætextatus ille Romanorum nobilissimus, qui in Græcia Proconsulatum gessit Valentini & Valentis Imperatorum exordio, qui & Consul designatus Romæ postea mortuus est, ludens Beato Papæ Damaso dicere solebat. *Facite me Romanæ vrbis Episcopum, & ero protinus Christianus.*

Anno 301. regnantibus Diocletiano & Maximiano decreta fuit in Senatu extinctio Christianorum, inde pridie Kalendas Maias dimanauit rescriptum in omnes prouincias, vt vbicumque Christiani essent, aut cogerentur sacrificare Diis aut subijcerentur pœnis, eorúmque facultates fisco vindicarentur. Anno sequenti indicitur demolitio Ecclesiarum Christianorum, & sacrorum librorum combustio. Theodoret. lib. 5. histor. cap. 38. Eusebius in Chronico, Arnobius lib. 3. Affirmant eas vno die Veneris Sancti ex condicto vbique solo adæquatas, vel saltem ipsis diebus paschalibus. Promulgato Edicto de sacris Codicibus concremandis, Magistratus in qualibet prouincia, & delegati in singulis locis omni studio & tormentis adhibitis inuigilabant, vt à Christianis traderentur Codices. Qui atrocitate pœnarum perterriti, quos apud se habebant tradiderunt vocati sunt *Traditores.*

Anno 312. Constantinus cum Licinio regnat, & ambo promulgant Edicta pro Christianis, quibus præerat Melchiades Papa. Datur ergo eis generaliter pax & libertas colendi Christum cum jussione imperiali, bona cuncta, & loca publica absque pretio eis restituendi integraliter. Hæc sine dubio pietas Constantini elicuit à Licinio principe Ethnico, cùm alioqui iam alia paulò ante data fuissent Edicta pro Christianis specialiter à Maximiano Imperatore, qui cum victus fuisset à Licinio imperij consorte, anno nono corregnantis Constantini in sua regressus primùm in Deorum suorum sacrificos, & Pseudo-Prophetas, quorum oraculis bellum susceperat tanquam præstigiatores, & Pseudo-Prophetas animaduertit, postea verò Christianorum Deo laudes tribuens, pro eorum plenissima libertate promulgauit Edictum, quo etiam sacra publica eis restitui iussit, & Ecclesias ædificare

ficare permisit. Consequenter restitutas fuisse possessiones non est ambigendum.

Sic igitur persequutione vbique, & omni ex parte sublata, videre erat, ait Eusebius libro 1. de vita Constantini cap.40. dedicationum festiuitates per vrbes singulas ædificatarum, seu restauratarum Ecclesiarum, frequentes Episcoporum Conuentus, Ritus Ecclesiæ redditos, vnam omnium fidelium mentem & sententiam.

Resumpta est consuetudo iampridem introducta, vt Episcopi singulis mensibus erogarent Ecclesiæ ministris Oblationes fidelium, aut portionem redditum Ecclesiarum, quibus deseruiebant; vnde legimus Cyprianum Episcopum Chartaginensem, vt animaduertit aliquos Clericos recessisse persequutionis tempore ab vrbe Chartaginensi, absque licentia, eos priuasse *à diuisione mensurna*, vt vocat, hoc est, à stipendio menstruo Clericorum, hoc habetur in Epistola, quam è Roma ad quam se eo persequutionis tempore contulerat, scripsit ad suum Clerum Chartaginensem anno Domini 253.

Portio autem hæc desumebatur ab annuis redditibus Ecclesiarum Cathedralium, quæ Matrices nuncupabantur, Clericos autem qui hanc portionem, seu sportulam menstruam habebant. Cyprian. vocat *sportulantes*, ita legitur Epist.34. & 66. ad Clerum Chartagin. Quod vero supererat in pauperes, & alios pios vsus erogabatur.

Hinc in Romano Concilio, quod immediatè post Baptismum Constantini celebrauit Syluester, decretum fuit can. 4. vt de redditibus Ecclesiæ fiant quatuor partes, quarum vna cedat Pontifici in sui sustentationem, altera Presbyteris & Diaconis, & omni Clero: tertia, Templorum & Ecclesiarum reparationi: quarta pauperibus & infirmis & peregrinis.

Anno Christi 502. octauo Idus Nouembris, Symmachus Papa tertiam Synodum fecit Romæ in Basilica Sancti Petri, & inter alia decretum factum est, *Ne bona Ecclesiastica alienarentur.* Hoc eodem anno reperitur eiusdem Symmachi Epistola data ad Cæsarium Episcopum Arelatensem, qui more Majorum eundem consuluerat de nonnullis, quæ nota fiunt ex eadem ad illum reddita epistola, atque in primis ne possessiones Ecclesiæ distrahantur, nisi fortè Clericis, vel Monasteriis, aut Peregrinis concedantur ad tempus, reuersuræ eædem postea ad Ecclesiam.

Hinc possumus intelligere Beneficiorum Ecclesiasticorum originem, etenim cùm solerent Clerici ab Ecclesia per Episcopum mensibus singulis victus causa meritam stipem accipere, vt dixi, factum est, ex ista Symmachi concessione, vt Clericorum aliquibus Ecclesiæ possessiones quo ad viuerent ab Episcopo concederentur. Quæ beneficia dici cœperunt Ecclesiastica, eo quod vt exprimit Papa in sua responsione Clericis dumtaxat benemeritis eas possessiones concedi liceret.

Anno 504. Symmachus sextam habet Synodum, apud Sanctum Petrum: ibi sancit, vt vendicantes sibi indebitè bona Ecclesiæ, siue mobilia, siue immobilia, nisi ea restituerint habeantur veluti manifesti hæretici & anathematizari debeant, eáque sententia declaratum est teneri omnes qui Ecclesiæ facultates sub specie regiæ largitatis obtinuissent, eo quod Regum non sit decernere de bonis Ecclesiæ: cui decreto Theodoricus Italiæ Rex, etsi Arrianus paruisse intelligitur ex rescriptis, quæ postea pro conseruandis illæsis bonis Ecclesiæ Mediolanensis, & Narbonensis sanxisse reperitur, & ex iis quæ pro definitione bonorum & iurium Ecclesiasticorum rescripsit: præstitit enim Arrianus princeps, quæ desiderari possunt in pluribus principibus & Regibus Catholicis, sed conseruatus est à Deo in hac vita ad præmium temporale in compensationem; habuit enim frequentes in hostes victorias, vide pro eius rescripris Cassiod. 2. var. 8. & 29. & lib 4. epist.17.

Creuit interea oblationum, donationum, legatorum, hæreditatum, fundationum, deuotæ plebis Christianæ copia, creuit inquam, vsque ad odium Imperatorum Christianorum, qui profusionem hanc cohibere arbitrio voluntatis, potius quàm recti iudicij ratione sæpè conati sunt, cùm tamen Gentilium Sacerdotibus sæculi Principes, ex ipsis etiam publicis horreis victum olim affatim suppeditasse constet, Genesis 47. *Subiecta est terra Ægypti Pharaoni vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, præter terram Sacerdotum, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* ex Strabone lib. 11. Ambrosius epistola ad Valentin. Imp.

Audio tamen ex Baronio de Iustiniano Imperatore eum restaurasse in Palæstina aliísque locis erexisse ædificia sacra, eáque redditibus annuis locupletasse, & quod obseruatu dignissimum est sanctionem promulgasse anno 4. imperij, hoc est anno Christi 503. vt si quis in testamento Christum ex asse, vel semisse, aut aliter hæredem instituisset, quod tunc temporis frequenter fiebat, Ecclesiæ illius loci caperent hæreditatem, sicque intelligitur permissum ab Imperatore quibuscumque bona sua Ecclesiis testamento relinquere, anno autem 535. data ad Agapetum PP. singulari sanctione priuilegium contulit Roman. Ecclesiæ, aliísque Occidentalibus omnibus, quæ Catholica communione ei coniunctæ essent, vt earum prædia atque latifundia (non vt ante triginta tantùm, vel quadraginta) sed centum annorum præscriptione gauderent, quod tamen priuilegium post sex annos restrinxit ad quadraginta annos, satis existimans fore quadraginta annorum periodum vt Ecclesia sua sibi vendicare valeret, prolixior enim terminus litium iudicabat esse seminarium. Longè post hæc anno scilicet 1148. Emmanuel Comnenus Imperator Auream Bullam promulgauit qua generatim Ecclesiis concessit, vt immobilia possidere possent, & quæcumque quouis titulo ad eas pertinuisse, vel pertinere probarentur pacificè habere voluit.

Quintò igitur sæculo fundationes Beneficiorum intelligimus ex distractione certarum possessionum ab Ecclesiis Matricibus, seu Cathedralibus, quas Episcopi Clericis benè meritis iuxta concessionem Symmachi Papæ assignarunt ad vitam: ij Beneficiati dicti sunt: processu enim temporis charitate refrigescente Clerici, qui primitus viuebant in communi, & singulis dabatur ab Episcopo, qui omnium erat administrator, quantum cuique opus erat, Maiores cœperunt expetere commoditates, húncque statum (qui multos à professione Ecclesiastica abstertebat)

sterrebat) sub tanta disciplina, & tenui portione vdisse, sic igitur præbendæ sunt institutæ,& beneficia,ac singulis dati annui prouentus,quibus possent seorsim viuere & copiosè se alere, hoc autem introducto cœperunt fideles fundare specialia beneficia,& Capellanias quæ particularem haberent Clericum,aut presbyterum vsufructuarium: ideo autem fundata sunt vt Deus ipse, & Sancti eius à ministris assignatum, & indeficiens habentibus stipendium perpetuo colantur. Nota tamen fundationem hanc non dici beneficium Ecclesiasticum ante approbationem Episcopi Cap. nemo cap. nullus de consecratione dist. 1. sed dicitur quædam pia donatio, vel legatum pium si forte pro Missis celebrandis, vel pro anniuersario,vel si aliàs piè in perpetuum relictum fuerit.

Beneficium autem definitur ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale ab Ecclesia institutum, & pro prima sui differentia dicitur, *sæculare*, vel *Regulare cap. cum singula de præbendis lib.6.* Sæculare est quod sæcularibus personis, seu Clericis sæcularibus qui scilicet, nullam professi sunt regulam, sed in sæculo deseruiunt Deo est addictum, & debitum,Baldus in cap. licet post Glossam ibi de officio ord. & regulariter omne beneficium præsumitur sæculare ex institutione nisi probetur regulare, quia S. Petrus fuit sæcularis; præsumitur autem quòd beneficia ita fundata sint sequendo illum primum patronum: ideo sæcularis non tenetur probare esse sæculare, sed is qui dicit esse regulare, quia sæcularis habet præsumptionem pro se, cap. cùm de beneficio de præbendis lib 6.

Sæcularia beneficia multiplicia sunt: quædam enim sunt cum administratione, alia sine administratione, & sic simplicia vocantur.

Administrationem habentia hæc sunt, Papatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, licet non veniant regulariter beneficij nomine,quia culmen sunt cap. penult. de præb.

Dignitas, Personatus, & Officium: dignitas est quædam præeminentia cum iurisdictiones & institutione, quando ad hoc est instituta vt sit dignitas, Personatus est habere præeminentiam in Ecclesia sine iurisdictione,vt præcentor *c.1. de consuet.* vbi Doctor.

Officium dicitur quando quis habet rerum Ecclesiasticarum administrationem sine iurisdictione,vt Sacrista.

Ad hæc parrochialis Ecclesia dicitur beneficium seculare, & cum administratione,quia curatus tenetur administrare Sacramenta.

Alia beneficia sunt simplicia,& sine administratione, vt quæ non habent populum,vel clerum, nec quidem administrationem, vt Canonicatus,& præbendæ, Canonicus enim ratione præbendæ non administrat Sacramenta, sed Deo seruit in Horis cantandis & alio officio sibi iniuncto: ideo sine administratione dicitur.

Præbenda dicitur ius percipiendi prouentus in Ecclesia ratione canonicæ *Gloss. in verb. receperunt* c cùm mar. de constitutionibus.

Hoc autem nomen dupliciter sumitur, primò pro quocumque beneficio ecclesiastico quod necessaria ad vitam præbeat, *cap. super hoc de renuntiat*, & pro iure percipiendi prouentus ratione canoniæ. Ita Doctores.

Item sunt Capellaniæ, practici Romani faciunt differentiam inter Capellam & Capellaniam, nam Capellam vocant quando est corpus per se & Ecclesia per se, si vero altare sit in aliqua Ecclesia tunc dicitur Capellania, & vocari solet perpetua.

Altaria fundata in Ecclesia si cum authoritate Episcopi fundata sunt, simplicia vocantur beneficia.

Præstimonium quod scilicet, institutum est pro studentibus, & pro subsidio contra infideles, nullum, vel paruum seruitium habens annexum dicitur etiam beneficium seculare simplex.

Hæc sunt Beneficia secularia de quibus in iure canonico fit frequens mentio.

Regularia beneficia sunt quæ religiosis addicta sunt, vel ex fundatione, vel Ordinarij, seu superioris institutione, vel de consuetudine, seu præscriptione vtpote quia per regulares regi consueuerunt, & administrari saltem per quadraginta annos *cap. cum de beneficio de præbend. lib 6.*

Nota hæc quælibet beneficia non deberi, laicis, quia ipsorum sunt incapaces nisi clerici fiant, hoc est nisi primam tonsuram, seu coronam suscipiant, quæ ab Episcopo confertur in septimo ætatis anno,dispensatur tamen à Papa vt in sexto recipiatur quo completo beneficia simplicia obtinere possunt.

QVÆRES, *quot modis Beneficia licitè obtineantur.*

Respondeo, præsertim quinque modis, primo præsentatione, seu nominatione patroni,& institutione collatoris. Secundò electione, & confirmatione. Tertio collatione libera. Quarto resignatione in fauorem cum secuta collatione. Quinto permutatione.

Præsentatio, seu nominatio est personæ alicuius idoneæ per patronum Episcopo, vel alteri ad quem institutio, seu collatio pertinet legitimè facta exhibitio: institutio autem est ipsius beneficij iuriumque illius collatio, & attributio: & hæc institutio, seu collatio fieri tantùm potest per Ecclesiasticos: præsentatio verò etiam per laicos. Electio in eo differt à præsentatione,quod electio fiat à pluribus, vt à capitulo, & à solis Ecclesiasticis per suffragia, præsertimque in prælaturis locum habeat: præsentatio verò etiam ab vna persona etsi laica, & in quouis beneficij genere. Confirmatio verò est collatio beneficij facta electo: sicut institutio est eadem collatio facta præsentato, seu nominato.

Collatio dicitur,quando beneficium solo iure Prælati datur, nec subest iuri patronatus.

Resignatio est, quando quis beneficium suum liberè resignat, seu dimittit in manibus collatoris in fauorem alterius.

Permutatio denique, quando hæc resignatio fit causa permutandi beneficij cum alterius beneficio.

Beneficium conferri potest digno, prætermisso iusta ex causa digniori idque, vel quia dignus speratur meliùs functurus officio, vel quia ex sua institutione conferendum sit alicui ex certa familia.

Quocumque autem modo obtineatur cauendum est Simoniæ peccatum,quod in modis

dis obtinendi tam ex parte conferentis, vel patroni quam obtinentis reperiri potest.

QVÆRES, quibus modis Simonia committi possit.

Respondeo, Simoniæ peccatum est quo spirituale aliquid, aut spirituali annexum, pecunia, aut aliqua re pretio æstimabili emitur, aut venditur, sicque dictum eo quod Simon Magus Actor 8. primus voluerit pecunia emere dona Spiritus Sancti, quem ideo asperrimè obiurgauit S. Petrus, peccatum inquam Simoniæ innumeris prope modis committi.

Nota 1. ex Theologis non id omne, aut solum quod est incorporeum intelligi nomine rei spiritualis quæ per Simoniam vendi, aut emi dicitur, sed id quod est aliquo modo supernaturale, siue sit aliquid reale, siue aliquid morale tantùm, siue in modum actus, siue in modum habitus, vt sunt virtutes supernaturales, gratiæ gratis datæ, aut gratum facientes, Sacramenta, & quiuis vsus potestatis alicuius supernaturalis, vel etiam id quod est rei supernaturali annexum vt sunt beneficia Ecclesiastica, *&c.*

Secundo pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile vario, & multiplici titulo pro aliqua re spirituali dari posse: scilicet, vel per modum pretij ipsius rei supernaturalis, vel per modum elemosynæ, & sustentationis quæ ministro Ecclesiastico tribuitur, vel per modum oblationis quæ Deo fit in persona ministri, vel per modum liberalis, & gratuitæ donationis, aut denique per modum laudabilis consuetudinis ab Ecclesia approbatæ.

Tertio notari debet duplicem esse Simoniam, aliam iure diuino aliam iure humano, & Ecclesiastico prohibitam, v. g. venditio quæuis, aut emptio rei spiritualis, supernaturalis est Simonia iure diuino prohibita vt probat, Lessius, lib. 2. cap. 35. venditio autem, aut emptio rei alicuius temporalis quæ alicui rei spirituali annexa est, v. g. emptio, aut venditio beneficiorum Ecclesiasticorum quoad partem temporalem Simonia est iure Ecclesiastico vetita; quia, vt Lessius declarat) licet ius ad percipiendos fructus beneficij materialiter, & seorsim à quouis officio spirituali & sacro considetatum sit aliquid temporale, quod proinde diuino iure non est inuendibile, Ecclesiasticis tamen legibus quæ à Doctoribus citantur prohibitum fuit ob reuerentiam rei spiritualis annexæ ne tale ius vendi posset.

His suppositis generalis hæc est regula dignoscendæ incursæ Simoniæ quotiescumque aliquid spirituale, vel spirituali annexum emitur, vel venditur, aut datur aliquid pecunia æstimabile tanquam pretium illius secus vero si alio titulo detur, vel accipiatur, tunc enim perpendendum est qualis sit ille titulus; an verus, vel legitimus, an vero fucatus, & ad palliandam Simoniam positus.

Hinc elice non committi Simoniam si pro celebratione Missarum, aut exequiarum, aut aliarum functionum Ecclesiasticarum Sacerdotes accipiant stipendium hoc enim non datur per modum pretij sed per modum eleemosynæ & sustentationis, aut consuetudinis approbatæ vnde Paulus 1. Cor. 9. *Qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deseruiunt cum altari participant.* Neque quando pro dote puellæ quæ monialis fit aliquid pro eius sustentatione accipitur, secus verò si præcisè pro ipsa susceptione ad statum religiosum, hoc enim Simoniacum esse docent S. Thom. S. Syluest. Suarez & Innocent. III. in Conc. Lateran. cap. 64.

Quantum ad Beneficia, resignare ea in fauorem tertij cum clausula (*non aliter nec aliàs*) non est Simonia quando hæc resignatio fit in manu Papæ potestque licite transigi sub onere pensionis, non quidem absolutè, quod esset Simoniacum, sed sub beneplacito Pontificis.

Resignare in confidentiam, id est, ex intentione obligandi resignatarium vt post aliquod tempus propinquo resignantis, aut amico conferat, aut vt pensionem ex eo alteri soluat, est Simonia mentalis, si verò pactum intercedat est confidentia Simoniæ realis, quæ pœnas iuris infert.

Notant autem Doctores beneficia non posse permutari sine authoritate Prælati, cum qua etiam potest fieri compensatio inæqualitatis fructuum.

Potest, & pretio redimi vexatio quæ possessionem, vel ius in beneficio impedit, ita DD. quos consule de pœnis Simoniæ, & pluralitate Beneficiorum vt plurimum criminosa apud Deum.

De Decimis.

DEcimas, seu portionem vnam ex decem hanceque optimam, & electam dari Leuitis pretium pro ministerio quo seruiebant in tabernaculo, seu vt importat Hebr. mercedem, seu subsidium sustentationis eorum constat ex Leuit. 27. *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, & de iis quæ transeunt sub virga pastoris, Domini sunt, & illi sanctificantur*, id est, sanctificari, dari, & offerri debent. Quod repetitur Numer. 18. *Filiis Leui dedi omnes decimas Israëlis*, hinc resultat solutionem earum saltem in lege veteri fuisse de iure diuino.

Quam multi referendam quoque esse ad legem naturæ non irrationabiliter censent, ex huius enim dictamine, *Abraham dedit Melchisedecho decimas ex omnibus*, spoliis, scilicet, quæ Babyloniis in bello ademerat, cuius deuotionem imitatus est nepos eius, Iacob, qui Genes. 28. *Votum fecit dicens, si fuerit Deus mecum, &c. cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram tibi.*

Ita & Gentiles quodam religionis impulsu sæpe in bello de manubiis decimas vouerunt, & reddiderunt, id à Posthumio factum est obtenta belli Latini victoria nec non ab aliis Romanorum Ducibus vti narrat Dionys. Halicarnass. lib 6. Liuius & alij, Xenophon quoque in Cyro lib. 5. *Hi etiam*, inquit, *pecuniam de captiuis coactam partiti eamque quam decimæ nomine, aut Apollini, aut Ephesiæ Dianæ, vouerant consecrandam Prætores acceperunt.*

Idem in Agesilao. *Hostium*, ait, *ita fruitus agro est, vt duobus annis centum talenta, & amplius, Deo apud Delphos decimam dedicaret.*

Idem docet Cicero lib. 3. de natura deorum. *Herculi*, inquit, *quisquam decimam vouit vnquam si sapiens factus esset?* Et Plautus. *Vt decimas Herculi solueret.* Et Herodotus in Clio. *Siste,*

Siste, ait, *ad singulas portas aliquot ex tuis satellitibus custodes qui vetent exportare opes, vt earum decima Ioui necessario reddantur.*

Nec mirum has in lege naturæ, & scripta solutas, nam ministerium sacrum cuicumque tandem agnitæ diuinitati impendatur debet à populo sustentari, proinde ministris debetur subsidium temporale quod facile à decima generali elicitur, nec obest populo qui ex separatione, & oblatione decimarum testatur Deum colendum, ipsúmque esse omnium bonorum authorem, & largitorem, in quem proinde refundatur pars munificentiæ eius quò religio, & cultus eius per ministros propagari non desinat. In lege autem scripta ratio specialis vrgebat. Deus separauerat sibi, seu ministerio suo addixerat tribum Leui quam noluit habere partem in diuisione terræ Chanaam, repromissæ posteris Abrahæ: hæc autem tribus erat quasi decima pars populi: iure ergo merito assignatur ei constitutione diuina decima omnium. Hæc in genere dicta sint.

At cùm Ecclesia Christi legalibus Hebræorū non astringatur (nam ea ex parte Lex, & Prophetæ vsque ad Ioan. Baptistam) nec sit præcisè de iure naturæ, seu præceptum morale, quòd decima pars fructuum detur Ministris Ecclesiæ Christianæ, si præcisè vt talis quota spectetur, & alia ad sustentationem eorum sufficiat.

QVÆRES. *An populus Christianus teneatur soluere decimas.*

Respondeo, primo esse de fide decimas non esse meras Eleemosynas quas populus ad libitum possit Sacerdotibus negare, quod in Vvicleso damnauit Concil. Constantiense sess. 8. Sed esse subsidium ipsis debitum propter ministerium spirituale.

Probatur ex scriptura 1. Cor. 9. *Si nos*, ait, Paulus, *vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Et 1. Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni sunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrina: dicit enim scriptura: non infrenabis os bouis triturantis.* Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*, quod Christus dixit Apostolis prædicantibus, & in domibus suscipientium quæ ibi sunt manducantibus. His, & aliis locis significatur esse debitum non gratiam Ministros Ecclesiæ sustentari. Quid enim tam naturale & iustum quàm quod ait Paul. 1. Corinth. 9. vt *qui plantauit vineam de fructu eius edat*? qui pascit gregem de lacte manducet? qui seminat spiritualia saltem metat carnalia, & qui militat stipendium accipiat?

Porrò hæc sustentatio Ecclesiasticorum præstatur per decimas, cùm enim aliquid certi à singulis de populo dari debeat, vt sustentatio ministrorum sit stabilis & sufficiens, Ecclesia imitatione diuina in veteri Testamento proposita constituit decimam partem fructuum terræ huic rei esse segregandam, qua taxatione semel facta, singuli lege iustitiæ decimas debent: sicut posita determinatione Principis qua statuit quantum à singulis ad ipsius statum sustentandum, vel ad bellum gerendum, vel ad aliud opus necessarium contribuendum sit, singuli ex iustitia tenentur illam quantitatem dependere.

Probatur ex SS. Patribus, Clement. lib. 2. Constitut. cap. 29. 38. 39. Origen. hom. 11. in Numeros, Chrysostom. orat. 4. aduersus Iudæos docet per Melchisedech Sacerdotem sacerdotium Christianæ religionis præfiguratum, & per Abraham qui ei decimas dedit, adumbratos esse omnes Laicos figura significante nimirum præstandas à Laicis Christi Sacerdotibus decimas. Ac sanè nisi Paulus voluisset legis antiquæ præcepta eâ de re in Christianam transferri religionem, nequaquam inde mutuatus esset exemplum, & authoritatem, mandato etiam Domini confirmatum, dum ait. *Nescitis quod qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt.*

Idem hom. 43. in 1 Corinth. docet & vult ab ipsis etiam opificibus & ab emptoribus, & venditoribus decimam negotiationis persolui. August. in sermon. de decimis. *Attente quod creatura decima inter intellectuales creaturas est homo, quia Angeli in nouem sunt Ordinibus, decimus autem ordo est hominum, & ideo est hominis decimam soluere, vt ruinam Angelorum valeat supplere.* Et lib. de doctr. Christ. *hæc est Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuocaberis, id est, dæmonibus quæ est decima pars Angelorum associaberis.* Hieron in Gloss. super Malach. 3. *Quia non reddidistis decimas, & primitias, idcirco in penuria, & fame maledicti estis: quia dum parua subtrahitis vbertatem possessionum vestrarum, & totam abundantiam frugum perdidistis: sciatis vos ideo perdidisse abundantiam, quia fraudastis me parte mea: moneo igitur vt reddatis mihi mea, & ego restituam vobis vestra.*

Ambros. in sermon. 40. *Quicumque recognouerit in se quod fideliter non dederit decimas suas, modo emendet quod minus fecit. Quid est fideliter dare decimas, nisi vt nec peius, nec minus aliquando offeras de grano, aut vino, aut de fructibus arborum atque pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipsa venatione?* August. serm 219. *Quod si decimas non habes fructuum terrenorum, quodcumque te pascit ingenium Dei est, & inde decimas expetit, vnde viuis: de militia, de negotio, & de artificio redde decimas: aliud enim pro terra dependimus, aliud pro vsura vitæ pensamus.*

Probatur ex decretis Pontificum, Cælestin. III. sic ait. *Sicut sancti Patres in suis tradiderunt scriptis de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, deque ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis decima sunt ministris Ecclesiæ tribuenda.* Et cap. ex transmissa 23. idem Cælestin. ait. *Fidelis homo de omnibus quæ licitè potest acquirere decimas erogare tenetur*, vnde iubet solui etiam ex iis quæ proueniunt ex molendino quod vento agitur Cap. Pastoralis 28. quod est Innocent. III. eodem titulo dicitur, *de molendinis, piscariis, & lucro venditionis dandas decimas, neque deducendas expensas quæ fiunt pro fructibus excipiendis.*

Probatur ratione quia publicus Dei cultus fouendus est, homo enim tenetur ex virtute Religionis Deum, & per se, & per eos quos ipse Deus instituit vti mediatores colere, hinc ergo emanat obligatio generalis singulos respiciens curandi sustentationem Clericorum, quæ facile, & expeditè per decimæ contributionem fieri solet; quare solutio eius cum sit

debita

debita est immediatè actus iustitiæ. Quo tempore autem, & à quibus consuetudo inualuerit, vt decimæ ad Christianas Ecclesias peruenerint, non satis certè liquet.

Constantinus è reditibus ciuitatum extraxit ad Cleri sustentationem, & decretum eius firmum stetit post obitum Iuliani apostatæ, Valentinianus & Marcianus Imperatores illud confirmarunt circa annum 453. & quindecim post annis Leo & Anthemius Imperatores.

Quia autem exactio & conseruatio temporalium poterat auertere Episcopos à suis functionibus, statutum fuit in Concilio Chalcedonense sub Leone Papa, anno 450 imperante Marciano, ad quod conuenerunt Episcopi 630. *Vt Episcopi habeant dispensatores, quia in quibusdam Ecclesiis, vt rumore comperimus*, sic habet Canon. 25. *Episcopi, præter Oeconomos facultates Ecclesiæ tractant: Placuit omnem Ecclesiam habere Oeconomum de Clero proprio, qui gubernet Ecclesiæ res cum arbitrio sui Episcopi, vt non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum Ecclesiasticarum, & ex hoc deueniat eiusdem res Ecclesiæ, & sacerdotali dignitati obtrectatio generetur. Si verò quis non obseruauerit hoc diuinis subiaceat regulis.*

In II. Nicæna Synodo cap. 12. Episcopus, aut Prælatus exturbatur, qui malè dissipat bona quæ non congregauit. Non desunt Conciliorum Canones præscribentes solutionem decimarum.

Porrò, sicut nec Leuitis olim, licet decimis ditarentur, interdicta erat rerum immobilium possessio, quippe qui ex mandato Dei in singulis tribubus vrbes Sacerdotales cum suis suburbanis haberent, fruerentúrque possessionibus, quas alij vouissent Iosue 21. Ita nec Christianis Sacerdotibus eiusmodi bonorum possessio interdicta probatur. Nam quod missis à se discipulis Dominus dixit. Matth. 10. Luc. 10. *Nolite possidere aurum neque argentum.* Non sic hæc illis inhibuit, vt eorum necessario vsu interdiceret (nam mox subdit, *Operarium dignum esse cibo & mercede.* Constat autem aurum & argentum ipsa rerum pretia allata esse ad pedes Apostolorum, eorúmque arbitrio dispensata) sed vt affectum temporalium reprimeret, ne quæstum pietatem putarent, sicut cum etiam ipsis dixit. *Neminem per viam salutaueritis*, illis non inhibuit consueta humanitatis officia, sed ad prædicationis opus, ad quod dirigebantur sollicitiores & attentiores reddere voluit.

Dices contra solutionem quamcumque decimarum. Christiani ea tantùm in vim suæ legis obseruare tenentur, quæ à Christo per Apostolos mandata sunt, iuxta id Matth. vltim. *Docentes eos seruare quæcumque mandaui vobis*, & Act. 20. *Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Sed neque in doctrina Christi, aut Apostolorum habetur aliquid de decimis; nam quod Matth. 23. dicitur. *Væ vobis qui decimatis, &c.* Præteritum tempus, scilicet legis insinuari, patet ex verbo *oportuit*.

Respondet Sanctus Thomas præceptum de solutione decimarum, quantum ad id quod erat morale datum esse in Euangelio. Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* & ab Apostolo 1. Corinth. 9. Vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant. Sed determinatio certæ partis soluendæ reseruata est ordinationi Ecclesiæ.

QVÆRES, *quo iure hæc quota; seu pars decima solui debeat.*

Respondeo cum Theologis, non iure diuino, vt volunt Canonistæ, sed solo iure Ecclesiastico, etsi antiquissimo ab Apostolis, teste Clemente cit.

Probatur primò, quia in lege Euangelica nullum extat præceptum de hac quantitate fructuum soluenda; solùm enim dicitur ministris rerum spiritualium deberi congruam sustentationem 1. Cor. 9. & Matth. 10. An autem decima, vel vigesima pars fructuum sit danda nusquam habetur, & si esset iuris diuini, id esset maximè propter ea quæ habentur Exod. 22 Num. 18. Vbi Deus decimas præcipit sed hæc præcepta sunt iudicialia spectantia ad politicum illius populi regimen; quare cessante Synagoga & forma illius populi mutata in aliam necessario cessare debuerunt, tum quia ibi solum præcipitur, vt soluantur Leuitis & Sacerdotibus Aaronicis, nempe ministris illius legis neque dici potest esse eandem in Euangelicis rationem; nam cessante illa lege, præcepta eius non sunt ad nostram extendenda; adde, quod illi partem terræ non erant sortiri, quod de nostris non verificatur Clericis. Addo hæc quota consuetudine potest tolli cap. in aliquibus 32. § fin. de decim. & in quibusdam locis multorum fructuum decima est sublata, quod fieri non posset, si iure diuino deberetur.

Dices haberi in iure Canonico *decimas constitutione diuina deberi.* cap. Tua 25. de decimis.

Secundò, *Deum præcepisse decimas sibi solui in signum vniuersalis sui dominij; ideóque non posse minui*, cap. Tua nobis 26. eodem.

Tertiò, *decimas esse iuris diuini, esse Dei, deberi Deo.* 16. quæst. 1. cap. fin.

Quartò, Dominus Matth. 23. cùm dixisset. *Decimatis mentham & anethum*, subiunxit; *Oportuit hæc facere, & illa non omittere*, vbi illud *oportuit* indicat obligationem iuris diuini.

Respondeo, decimas ideò dici deberi, constitutione diuina; quia quod debeantur id ortum ex ea habet, eas enim in lege Mosis præcepit; ad eius autem imitationem Ecclesia idem præcepit in nouo. Itaque quod nunc debeantur est ex lege diuina, non immediatè, sed mediatè, sicque

Ad secundum Respondeo non posse minui; quia Deus taxauit, cúmque imitata Ecclesia, vnde irreuerenter vtrique se habet, qui minuit quamdiu lex Ecclesiæ viget.

Iuris autem diuini dicuntur, quia Deo consecratæ & dicatæ in Ministris illud *Oportuit* ius diuinum innuit, sed pro tempore legis Mosaicæ.

Instabis Matth. 5. Iustitia Christianorum abundantior Scribana & Pharisaïca ad gloriam obtinendam requiritur, hæc autem soluebat decimam. Ergo

Respondeo, abundantiam in hoc non exigi, alioquin plusquam decimam deberemus soluere, sed in reformandis affectibus internis, illorum enim iustitia solùm erat externa, nostra debet

bet esse externa & interna: illi putabant sufficere, si non occiderent, non mœcharentur externis. At nos iram & concupiscentiam internam resecare debemus, vt ibidem Dominus explicat.

QVÆRES, *Quibus sint decimæ soluendæ?*

Respondeo, decimas ex prima Ecclesiæ ordinatione deberi cœtui Clericorum in genere, qui populo spiritualia administrant, vel aliquo modo in hac administratione iuuant, vel pro illo orant, sic tamen vt administratio pertineret ad Prælatum, cuius authoritate singulis quantum opus erat, tum ex decimis, tum ex aliis Fidelium oblationibus dabatur.

Postquam autem Ecclesia diuisionem fecit erectis Beneficiorum titulis singulis ea portio debetur, quæ cuiusque titulo attributa & annexa est. Nec importat, quod tales non habeant curam animarum; nam sic ab initio Beneficiorum determinauit Ecclesia, hos in partem decimarum admittens iustis ex causis Quod si iis qui curam gerunt animarum sufficienter prou sum non sit, & decimæ alioquin abundè sufficiant, sed aliis vsibus sunt applicatæ, verbi gratia, alicui pio loco, vel canonicatui, non tenetur populus contribuere, dispensatio enim decimarum non est penes populum, sed superiorem, qui ex officio tenetur rectè dispensare.

QVÆRES, *Ex quibus rebus decima soluendæ & quomodo?*

Respondeo, si ius scriptum spectemus, decimæ soluendæ sunt ex omnibus rebus, quæ nobis diuino munere proueniunt, vt ex Cælestino cit. notaui.

Hincque triplices colliguntur decimæ, *Prædiales*, vt ex agris, piscinis, molendinis, ædium elocatione, & similibus; *prædium* enim illa omnia comprehendit.

Personales, ex negotiatione, artificio, militia, famulatu. *Mixtas*, ex animalibus, vt fœtus, lana, butyrum; horum enim fructus partim ex prædiis, partim ex industria hominis prouenit.

Aduerte tamen multis locis solas prædiales ex prædiis rusticis, & quasdam mixtas in vsu esse, reliquis consuetudine & tacita condonatione Ecclesiæ abolitis; vnde in his spectanda est potius locorum consuetudo, quam ius scriptum.

Modus est, vt integrè, & sine diminutione soluantur cap. Commissum, cap. Tua nobis, & aliis multis de decimis qui fraudat in parte notabili peccat mortaliter peccato iniustitiæ restitutionem requirente, huicque peccato annexa est quædam malitia sacrilegij quia decimæ debentur Deo, seu causa Dei, tum in signum vniuersalis Dominij, tum ad fouendum cultum Dei, hincque in Canonibus fraudatio decimarum vocatur sacrilegium.

Secundò, deduci debent ex fructibus integris, priusquam ex illis deducantur expensæ, vel tributa, vel census, aut vlla alia debita, vt habetur cap. Cum non sit, & cap. Tua nobis de decimis, ratio est, quia decimæ debentur in recognitionem & professionem dominij generalis, quod sicuti reliqua omnia dominia & iura antecedit, & ad omnes fructus natos se extendit, ita ex omnibus fructibus, & ante reliqua iura sibi satisfieri postulat. Quando verò soluantur de negotiatione, deducendæ sunt expensæ, ratio est, quia soluuntur de lucro, id autem solùm censetur, quod manet ex deductione.

De loco & tempore solutionis Respondeo seruandam loci consuetudinem.

QVÆRES, *An obligatio soluendi decimas tolli possit?*

Respondeo, decimam quatenus dicit eam partem, quæ necessaria est ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ non posse auferri, etiam authoritate Papæ, nisi aliunde ad hanc prouisum sit, ratio patet; nam decima, vt sic fundatur in iure diuino aliquo modo, nec-non & in iure naturæ, in quibus Papa non potest dispensare Nec vt sic abrogari potest decima; quia consuetudo non potest legem naturalem abrogare.

Quatenus autem dicit certam quantitatem determinatam ab Ecclesia potest priuilegio Papæ condonari & auferri, ratio est; quia obligatio soluendi decimam inducta est authoritate Papæ; ergo eadem auferri potest iuxta commune effatum. *Res per quas causa nascitur, per easdem dissoluitur:* potest & auferri per compositionem, Papæ consensu interueniente, non verò Episcopi; quia decima iure communi debetur Ecclesiis, & cùm ius commune non possit auferri per Episcopum, sequitur non posse per eum auferri obligationem soluendi decimam, nec sufficere eius consensum.

Prælatus autem, vel Beneficiarius potest sibi debitas condonare; nam iuri suo cedere potest.

Potest autem auferri obligatio decimæ, vt hæc quota est per consuetudinem communitatis toleratam, spatio quadraginta annorum; nam per consuetudinem lex abrogari potest; ergo & obligatio decimæ; quia ex lege Ecclesiastica originem habet.

Nota olim præceptum fuisse à Deo Leuitis Num. 18. decimam decimæ pendere summo Sacerdoti: hinc Sanctus Thomas 2.2. quæst 47. docet teneri Clericos omnes & Episcopos soluere Papæ decimas de omnibus bonis Ecclesiasticis; quia ipse est Pastor vniuersalis omnium Episcoporum, & supremus omnium bonorum Ecclesiasticorum administrator; ergo quando Ecclesiæ bonum postulat, potest partem eorum applicare ad hunc finem.

Non solet tamen hanc decimam ab Ecclesiasticis exigere, sed loco decimæ quotannis pendendæ exigit fructus vnius anni majorum beneficiorum pro toto tempore vitæ Beneficiarij, quos *Annatas* vocant.

De immunitate Clericorum.

PRouidentiæ diuinæ erga Clericos benignitatem & vbertatem, quæ ex decimis & aliis populi donatiis eos locupletare solet, subsequitur speciale exemptionis eorum à potestate sæculari priuilegium, quod à plerisque *immunitas* nuncupatur, quoad bona immobilia ipsorum, & singulariter quoad personas, quæ quàm iure merito sit introducta probatur, & primò de bonis,

Fauet Scriptura Genesis 47. *Subiecit Pharao omnem terram Ægypti, præter terram Sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis.* Hanc autem immunitatem à tributo suis idolorum Sacerdotibus concessit Pharao, vti exprimunt Hebræa, Chaldæa & Septuag. non Ioseph vnius

veri

veri Dei cultor. Locus iste magni semper fuit ponderis apud Reges & Principes, vt veris Christi Sacerdotibus immunitatem à vectigalibus concederent, fauet & locus Matth. 17. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filiis suis, an ab alienis? & dixit Petrus ab alienis; ergo liberi sunt filij.* Licet autem ex hac Christi ratiocinatione Canonistæ, non rectè colligant Clericos esse iure diuino immunes & liberos ab omni tributo, pari enim ratione colligeretur ab eodem liberos esse omnes Christianos, omnes enim sunt filij adoptiui renati in Baptismo per gratiam, quod tamen falsum esse constat ex Roman. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Rectè tamen & appositè ad hoc Christi dictum Reges & Principes à tributo exemerunt Ecclesiasticos, qui sunt quasi de domo & familia Christi.

Probatur ex Sanctis Patribus, Hieronymus in Matth. 17. *Nos pro Christi honore non reddimus tributa, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus.*

Probatur ex Ambrosio, qui Iustinæ Augustæ, per maritum Valentinianum & Theodosium filium imperantes persecutionem concitanti, & sub pœna capitis Ecclesiam Mediolanensem ab eo expetenti in fauorem Auxentij & aliorum Arrianorum, fortiter restitit, & conatus eius clusit anno 387. *Mandatur tradi Basilicam. Respondeo, nec mihi fas*, ait epistola ad Marcellinam sororem, quod in serm. ad propriam dixerat, *est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit: allegatur Imperatoris esse vniuersa. Respondeo noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt imperiale aliquod ius habere, ad Imperatorem palatia pertinent ad Sacerdotem Ecclesiæ.* Hinc Iustinæ arbitrio indictum fuit Catholicorum Ecclesiis tributum ex agris, quod quidem Ambrosius secundùm Christianam mansuetudinem, non recusauit dummodo fidei Orthodoxæ & Catholicæ communionis basilicis parceretur.

Constantinus Imperator promulgauit anno 312. Edictum de restituendis bonis Ecclesiarum, déque immunitate Clericorum, vt narrat Eusebius lib. 10. hist. Honorius anno 412. pro rebus & personis Ecclesiasticis dedit rescripta lege 40. 41. C. Theo. de Episc. & Cler.

Probatur ex iure Canonico cap. Quanquam 4. de censibus in 6. vbi Bonifacius VIII. inter cætera ait. *Cùm igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solùm iure humano, quinimò & diuino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes, &c.* & infrà excommunicat priuatas personas, quæ vectigalia exigunt ab Ecclesiasticis & Communitates subijcit interdicto à quibus pœnis nequeant absolui, nisi restitutione facta. Ibidem contrariam consuetudinem dicit esse corruptelam: vnde sequitur hoc ius non posse contra Ecclesiasticos vsucapi. Idem sanxit Clemens V. in Concilio Viennensi Clement. præsent. de censibus, vbi præcipitur Episcopis, vt eiusmodi censuram excommunicationis & interdicti, quam incurrunt ij, qui portoria, vel vectigalia ab Ecclesiasticis exigunt, publicent, & à suis publicari faciant.

Idem antea statutum fuerat in Concilio magno Lateranensi sub Innocentio III. Vide cap. aduersùs 7. & cap. non minus 4. de immunitate Ecclesiastica, vbi statuitur, vt post admonitionem nisi destiterint ipso iure sint excommunicati.

Quantum autem ad personas eorum?

Respondeo, Clericos non debere, postulari, citari, conueniri, aut iudicari à iudice sæculari, eósque immunes esse à tribunali Laico (Gallus sum, & ne malè audiam in patria, excipio casus priuilegiatos, quos censuræ & iudicio laïcorum, Iudicum supposuit concordatum, vel priuilegium aut vsus Galliæ) resolutio est communis, teste Couarruuias in practic. c. 31. vbi hoc nomine comprehendi docet omnes Clericos sacrorum Ordinum, & Beneficiarios, & Religiosos, & Religiosas; nam hi omnes, vel firmiter addicti sunt statui Ecclesiastico, vel actu Ecclesiæ deseruiunt, & notat Clericos primæ tonsuræ, & Minorum Ordinum, qui nec beneficium habent, nec vlli deseruiunt Ecclesiæ, hanc exemptionem amisisse, vel longa consuetudine contraria, & quia iam à multo tempore vectigal soluunt, sicut Laici.

Probatur immunitas personalis Ecclesiasticorum, ex Scriptura Numer. 3. Deus reputat leuitas propriè esse suos, jubétque eos dari Aaroni & filiis eius, ac per hoc eos liberat à iurisdictione sæcularium, at constat Clericos id nunc esse in Ecclesia, quod erant Leuitæ in lege, & Pontificem Christianorum esse majoris authoritatis, quam fuerit Aaron, vnde Sanctus Leo sermone de passione 8. *& ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior vnctio Sacerdotum* 2. Paralipomen. cap. 19. *Iosaphat constituit Leuitas & Sacerdotes, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus suis; Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent præsidebit.* At nihil ad Deum magis pertinet, quam ministri eius, consequenter ij à suo Pontifice iudicandi sunt. Paulus 1. Corinth. 6. iubet lites ciuiles Christianorum nō deferri ad Ethnicorum iudicium, quomodo ergo permisisset deferri Ecclesiasticas? Nulla equidem est difficultas in causis Ecclesiasticis, quarum scilicet, cognitio non pendet à legibus ciuilibus, sed ab Euangelio, vel à decretis Pontificum, & Conciliorum Canonibus, vt sunt Controuersiæ de Fide, de Sacramentis, & aliæ id genus: nam tota authoritas regendi Ecclesiam & fidem statuendi, & confirmandi, commissa est à Christo Apostolis, quos vt dicitur Act. 20. *Posuit Deus Episcopos regere Ecclesiam*, & præcipuè Petro, consequenter & ejus successori, cui dixit, *Pasce oues meas.* Ioan. 21. Ergo in rebus Ecclesiasticis laïci omnes, etiam Imperatores, Reges, Principes, sunt oues & subditi, non autem Pastores, aut Iudices.

Probatur immunitas ex facto Constantini in Concilio Nicæno, anno 325. Qui cum libellos accusatorios Episcoporum se ipsos inuicem criminantium in dies ferè singulos ab ipsismet reciperet, ad certum diem proponi jussit, eósque nequidem explicatos comburi jussit, hortatus Episcopos ad concordiam, & vt fidei negotium, cujus causa conuocati erant strenuè agerent. Ruffin. autem lib. 1. cap. 5. Sozomen. & Socrates verba ista digna tanto Imperatore referunt ad Episcopos dicta. *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque*

 iudicandi

iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium. Constantius imperans anno 350. lege prohibuit ne in iudiciis Episcopi accusarentur, sed eorum quæstiones apud alios Episcopos agitarentur. Theodosius rescriptum dedit anno 385. de iure Ecclesiastico illibato obseruando, quo prohibuit ne Episcopi vel vlli alij Ecclesiastici ad iudicia, siue ordinariorum, siue extraordinariorum iudicum pertrahantur quantum ad causas Ecclesiasticas pertinet, sed sinantur iudicari à præsulibus suis. Honorius IV. vetauit singulari rescripto, ne Clerici apud alios iudices quàm Episcopos iudicio postularentur. Valentinian. III. priuilegia Ecclesiis ablata à Tyranno Ioanne, restituit, ac præcipuè Clericos à sæcularibus iudiciis quibus eos indiscretim tyrannus subiecerat, exemit: *Fas enim non est*, inquit, *vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* tum Iustinian. exemit Clericos & Monachos à sæculari iudicio in nouellis 79 83. 123. & quanquam non exemit in criminalibus causis, sed in ciuilibus tantùm. In criminalibus autem vult à Prætore cognosci causam, non tamen condemnari Clericum nisi prius fuerit ab Episcopo degradatus. At nihilominus Lex canonica simpliciter exemit Clericos in ciuilibus & criminalibus, vt patet ex Epist. Caij Papæ ad Felicem Episc. ex 2. Marcellini, & ex lib. 11. registri S. Gregorij epist. 14. ad Ioan. defensorem: debet autem lex ciuilis cedere canonicæ, cùm Papa possit præcipere Imperatori in iis præsertim quæ ad Ecclesiam pertinent.

Nota Clericos toto tempore quo Ethnicis Imperatoribus subditi fuere, priuilegiatos non fuisse, aut exemptos quia Principes non eximebant eos cùm eorum dignitatem non agnoscerent, neque etiam Papa exemit Clericos, eo quòd vel non posset, vel non expediret. Postquam autem cœperunt esse Christiani, cœperunt pedetentim eos eximere.

Primum quidem Constantin. lege lata eos exemit ab oneribus personalibus; vt patet d. cap. 23. In qualibet quæst. 8. & à solutione publici census, vt testatur Sozomen. lib. 1. histor. cap. 8. In cæteris tamen manserunt subiecti: deinde à Iustiniano fuerunt exempti in causis ciuilibus pro prima instantia solùm: in criminalibus tamen reliquit eos sub Iudice sæculari. Idem concessit immunitatem à quibusdam tributis L. Sancimus 21. C. de Sacrosanct. Eccl. Denique à posterioribus Principibus omnino exempti fuere, eáque exemptione multis sæculis consensu totius populi, & Orbis sunt potiti.

Vnde, ait Lessius, reuocari non potuit hæc exemptio à successoribus, primò quia fuit absoluta, & perpetua ex mente concedentium: omnis autem donatio vel exemptio facta communitati in perpetuum est irreuocabilis. Secundò fuit facta ad remuneranda beneficia spiritualia quæ percipiunt Principes, & regna ab Ecclesia. Tertiò quia principaliter ad Dei honorem facta fuit, sicut donatio agrorum, aut villarum quæ offeruntur Ecclesiæ eiusque ministris: vnde sicut esset sacrilegium repetere agros Ecclesiæ donatos, ita & infringere Clericorum immunitatem. Excipe ait Gallia in praxi, nisi inde licentiosè viuendi ansam sumant Clerici, & scandala committant, quæ nisi puniantur à Magistratu regio magnum inde communitas pateretur incommodum, cum pœna ordinarie in delinquentes inflicta ab Ordinario, seu Episcopo consistat in censuris Ecclesiasticis, aut carcere perpetuo.

Adde quod ex ipso iure licet Iudici laico in Ecclesiasticum animaduertere in crimine hæresis, annuente Lucio III. cap. 11. *ad abolendam extra de heret*: in falsatione litterarum Apostolicarum iuxta decretum Innocentij III. cap. ad falsariorum 7. de crimine falsi: & in crimine contumeliæ, & rebellionis aduersus Episcopum proprium vt edixit Pius epist. 2. & habetur in causa 11. quæst 1. can. 17 *Si quis Sacerdotum.* Vide casus priuilegiatos in Gallia, hos habes in libro qui inscribitur Praxis iuris canonici.

Dices contra immunitatem à tributis, & vectigalibus. Princeps habebat ius imponendi vectigal huic prædio antequam perueniisset ad Ecclesiam, hoc autem iure non debet spoliari ex eo quòd fiat Ecclesiæ. Ergo tale prædium non est immune.

Respondeo, ius imponendi huic prædio extare tantùm quamdiu pertinet ad personam carentem priuilegio immunitatis, vnde hoc ipso quod transit ad Monasterium vel Ecclesiam immunem Princeps amittit hoc ius: nec mirum hoc videri debet cum Principes Christiani iam à mille, & amplius annis in hoc consenserint, vt patet ex L. Sancimus, quæ est Iustiniani, & tot sæculis seruauerint. Tum simile omnino contingit quando huiusmodi prædia transferûtur in Magnates à vectigalibus immunes, tunc enim Princeps amittit ius imponendi quod in prædia illa habebat.

Aduerte tamen in quibusdam casibus Clericos non esse exemptos.

Primo, si negotiationem exerceant, tunc enim licitè ex eo quod emunt, aut vendunt, aut deferunt negotiationis causâ possunt vectigalia exigi: patet ex cap. Quanquam, supra, quod Ecclesia concessit in odium negotiationis quæ maximè Ecclesiasticos dedecet, & ipsis interdicitur.

Secundò, si possessio aliqua habebat aliquod onus perpetuum, & inuariabile annexum antequam veniret ad ius Ecclesiæ.

Tertiò, quando contributio facienda est æquè in vtilitatem Clericorum & laicorum, v. g. pro reparatione aggerum ne flumen vicinos agros Clericorum & Laicorum inundet. In his, & similibus casibus præsumitur tacita Pontificis licentia onerandi Clericos.

Ad reparationem autem pontium, viarum publicarum, murorum vrbis & similium, quæ primò & principaliter spectant ad Communitatem, non tenentur Clerici contribuere, vt communiter docent Canonistæ, quia non tangit illos principaliter, sed solùm secundariò vt sunt membra communitatis, alioquin nimis angustum & prope nullum esset in oneribus publicis priuilegium Clericorum.

Quartò quando laicorum facultates non sufficiunt ad succurrendum publicæ necessitati potest etiam aliqua contributio imponi Ecclesiasticis.

Dices

DIces, contra personalem exemptionem à tribunali laico Paulus Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, nullus, ait Gloss. excipitur: *etiamsi sit Apostolus, Euangelista, Propheta*, ait ibi Chrysostomus, *quia qui potestati resistit Dei ordinationi resistit*, additque textus, *eos esse Dei ministros, & idcirco eis deberi tributa*, vnde colligitur Clericos tributa debituros, nisi essent exempti, & 1. Petr. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis.*

Respondeo Paulum proponere tantùm ius diuinum naturale quo quis tenetur obtemperare suo legitimo Superiori, huius enim potestatem esse à Deo, & qui huic resistit resistere Dei ordinationi: quæ omnia necessaria sunt, & respectiuè intelligenda, nimirum de quouis homine respectu sui superioris. Simili modo etiam nunc post exemptionem loqui possemus, omnis enim potestas superiorum est à Deo, & omnis superior minister est Dei & vindex in iram male agenti.

At inquies, exprimuntur Reges eorumque ministri tanquam præcellentes.

Respondeo, transeat, sunt equidem, sed in statu politico, præsunt enim hominibus Christianis non vt sunt Christiani, sed vt homines sunt, quemadmodum etiam Iudæis, & Turcis interdum præsunt, sed vt homines politici: nam Reges, & Duces vt Christiani, oues sunt Pastoribus Episcopis subiecti; inde ergo intelligitur quod licet Reges sint de Ecclesia, & in Ecclesia fidelium, non tamen sint Reges spirituales qui habeant quoad vim coactiuam Ecclesiasticos sub se nisi ex consensu summi Pontificis, & in Gallia nisi iuxta concordata eorum cum Rege Franciæ, quæ, vt docet Rebuffus in addit. ad reg. Cancell. cum habeant vim contractus inter Papam, & sedem Apostolicam ex vna, & Regem & regnum ex altera, non possunt infirmari, aut derogari, eo maximè quòd in Conc. Lateran. confirmata fuerint perpetuis futuris temporibus valitura. Sic limitatum est ius Principis circa beneficia & beneficiarios, & determinata in Galliis summa authoritas Papæ, licitéque prouocatur ad Curiam Regiam vbi apparet casus quem vocant abusus, qui in eo maxime consistit si derogatur tenori Concordatorum, quæ Franciscus I. Rex Galliæ iniuit cum Leone X. Papa Bononiæ vbi Rex se transtulit anno 1516 ex filiali obedientia erga patrem vniuersalem Christianitatis.

Quod si hodie Parlamenta omnes pene Ecclesiasticorum causas sibi vendicant, non faciunt iniuriam Clericis qui vt plurimùm declinant ab Ordinario suo, & ad Tribunal Curiæ recurrunt.

De Officio Diuino.

OFficium generaliter loquendo est quasi efficium, vt docet Hieronymus in lib. de officiis, vnicuique enim conuenit suum efficere officium, vel ex Isidoro est congruus actus cuiusque personæ secundùm mores ciuitatis, vel institutæ professionis. Istud autem officium dicitur diuinum, quia est proprius actus eorum qui Deo sunt dicati, vti Clerici & Monachi, ait Gauantus; addo ita dici quia Deum ipsum respicit, de Deo agit, & ad ipsum laudandum & deprecandum terminatur, finis autem dat vt plurimùm denominationem rei.

Definitur, *certa ratio publicè laudandi deprecandique Deum mente simul & voce, singulis diebus certisque ac definitis horis, ab Ecclesia, seu præsulibus eius instituta*: dicitur, *certa ratio*, quoniam non quælibet Dei laudatio, vel ad Deum oratio est officium diuinum, sed certa quædam forma & ordo Psalmorum, Hymnorum, & precum, quam omnes qui persoluunt officium ex obligatione, sequi debent.

Additur secundò, *publicè*, quoniam officium diuinum persoluitur publico nomine totius Ecclesiæ pro bono communi, & publico per publicos, & solemnes ministros. Atque ea causa est cur etiamsi dicatur interdum ab vno homine, & in priuata domo, tamen non omittuntur voces illæ, *Dominus vobiscum, Oremus, Benedicamus Domino*, & similes, dicuntur enim toti Ecclesiæ, & nomine eiusdem Ecclesiæ ipse sibi respondet. *Et cum spiritu tuo, Deo gratias*, &c.

Additur tertio, *laudandi, precandique*, quoniam officium continet duo hæc, laudes pro acceptis beneficiis, preces pro accipiendis. In quo differt officium Ecclesiæ militantis ab officio Ecclesiæ triumphantis, istius enim officium quando post iudicium ex omnibus suis membris triumphabit, solas laudes continebit iuxta Psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Additur 4. *Deum*, quoniam totum hoc officium soli Deo præstatur, est enim sacrificium labiorum de quo legimus in Psalm. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Neque mouere nos debet, quod aliud appellatur officium de sanctis, aliud de mortuis, aliud de tempore, *&c.* dicitur enim de sanctis quando offertur Deo in memoriam sanctorum, & cum Deus ipse in sanctis suis laudatur, dicitur verò de mortuis quando pro mortuorum refrigerio, & requie Deum precamur. Denique, siue à sanctis, siue à mortuis, siue à quacumque alia re officium nominetur, semper Psalmi, Hymni, Collectæ, & cæteræ diuini officij partes diriguntur ad Deum.

Additur 5. *Mente simul & voce*, quoniam officij huius forma cum ex præscripto, & instituto hominum sit, actum externum necessariò postulat, quare muneri suo non satisfaceret qui sola mente orans & laudans non etiam voce, verba omnia distinctè integréque proferret.

Additur 6. *Singulis diebus, & definitis horis*, quia Officium istud est onus, seu pensum singulis diebus, & quasi statis horis annexum.

Additur postremo, *auctoritate Præsulum Ecclesiæ instituta*, nemo enim potest certam formam orandi præscribere nisi qui præest. Itaque in Concilio Mileuitano can. 12 sic legimus. *Placuit vt preces, vel orationes, seu Missæ quæ probatæ fuerint in Concilio ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint.* Et in Concil. Toletano 4. cap. 2. statuitur vt in tota Prouincia idem officium celebretur. Et Gregorius

Papa VII. in Conc. generali numerum Psalmorum, & lectionum officij diuini præscripsit, vt habetur can. In die, de consecratione distinct. 5.

Officij diuini nomen extat in Conc. Aquisgranensi cap. 131. & in Lateran. cuius habetur caput Dolentes in epistolis decretalibus titul. de celebratione Missarum. Communiter dicitur Horæ Canonicæ vt videre est apud Bedam in comment. ad cap. 8. Lucæ & apud omnes authores qui de Horis Canonicis tractant quorum aliqui docent sic vocari quia sunt preces Canonicorum qui addicti sunt ex instituto ad eas in choro canendas, sed cum ex Stephano Durando, lib. 3. de ritibus cap. 1. canonicum, & Ecclesiasticum idem sonet, Officium rite canonicæ Horæ nuncupatur, quia Ecclesiasticos quoslibet iure Ecclesiastico obligat, vel quia per sacros Canones præscriptæ, & compactæ sunt.

QVÆRES. *Cur hæc introducta consuetudo laudandi Deum ijs statis horis.*

Respondeo vt Ecclesia militans conformetur aliquo modo triumphanti quæ Deum continuò laudat: hæc enim Hierusalem cœlestis, est mater nostra, vt docet Paulus ad Galat. 4. quam imitari debemus specialiter in laudando, de illa autem dicitur Isaiæ 62. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, qui tota die non tacebunt laudare nomen Domini*, & Apoc. 4 dicitur quod, *animalia plena oculis non habebant requiem die ac nocte dicentia Sanctus S. S.* Verumtamen Ecclesia militans nequit plenè imitari cœlestem, quia sicut legitur Sapient. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, nequimus enim præpediente infirmitate nostra in singulis diei horis iugiter insistere diuinis laudibus quoniam tenetur homo intendere aliquando necessariis vitæ humanæ iuxta illud Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, & ideo facimus quod possumus certis diei naturalis horis, Deum glorificando & laudando, vnde ex instinctu naturali omnes nationes quæ Deum agnouerunt eundem certo ritu colendum statuerunt vt temporũ historia clarè testatur. Hinc Congregationes & instituta particularia ad vacandum laudibus diuini numinis ex filio Seth primò deriuatatis enim dicitur in Genesi, *cœpisse inuocare nomen Domini*, ritu nimitum speciali & professione publica.

Origo diuini officij petitur ab ipsis Ecclesiæ Christianæ fundatoribus Apostolis, qui ab Hebræis acceperunt horas orandi, vt innuit scriptura, Act. 1. *Hora tertia erant orantes in die Pentecostes: hora sexta Petrus orabat; ad horam nonam ascenderunt in templum Petrus & Ioannes: media nocte orabant Paulus & Silas, Act.* 16. Quare Apostoli easdem horas præscripserunt fidelibus vt scribit Clemens libr. 8. Constit. cap. 40. non ergo Pelagius, primus neque secundus vt volunt Maurolycus in Martyrolog. & Polydor. Virg. lib. 6. de inuentione rerum cap. 2. neque Damasus dicendi sunt authores, sed ipsi Apostoli qui vt scribit S. Leo serm. 7. de ieiunio septimi mensis, quæ scripta essent in lege, vel introducta haberentur laudabili consuetudine apud Hebræos præcepta moralia, ea non modo non spreuere, sed etiam in Ecclesia transfundere voluerunt.

Quam antiquus orandi certis horis fuerit ritus patet ex Tertull. aduersus Physichos cap. 10. de tribus insigniotibus, vt vocat, ab Apostolis ex Iudæorum fontibus in Ecclesiam deductis, nempe tertia, sexta, nona, quibus & aliàs duas superadditas docens Cyprianus de orat. Dominica, Matutina, & Vespertina earumdem omnium originem simul ac mysteria describit.

Denique Athanas. de Virgin. præter istas quinque aliarum duarum item mentionem faciens, eius videlicet quæ oriente fit sole & quæ media nocte cunctarum septem diuina mysteria explicat.

De septem horis orandi quatuor diurnis, & tribus nocturnis agit sæpe Chrysost. hom. 29. ad Antiochen. hom. de Laudibus, hom. 14. in Timoth. 1. & in Psalm 118. & ante ipsum Basil. in regula interrog. 37. licet iste alicubi octauam videatur addidisse, sed quam ponit post mediam noctem ante diluculum Ecclesia consueuit simul iungere easdemque pro vna computare hora quam matutinum officium vocat. Ita Hieronym. in Daniel 7. & epist. 7. 8 22 & 37. qui de iis 7. horis meminit sicut, & Cassian. collat. 7. Isidor. cap 19. de offic. diu. & alij innumeri, quæ quidem Horæ ex antiqua institutione, & maximè Dauidis dicentis ad Deum Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, per Apostolos in Ecclesiam traductæ fœliciter perseuerant non sine mysterio numeri vel ob eius perfectionem significantis vniuersitatem, vel ob septiformem Spiritus Sancti gratiam acquirendam, vel quia dies naturalis repræsentat vniuscuiusque ætatem, non quam quilibet habet, sed quam haberet si non peccasset homo. Infantia quæ per Matutinum, & Laudes repræsentatur. Pueritia per Primam. Adolescentia per Tertiam. Iuuentus per Sextam, Senectus, per Nonam, Senium per Vesperas, decrepitudo per Completorium. Vel vt Conditori rerum omnium qui septem diebus cuncta quæ in cœlo, & in terra continentur creauit, solemnes agamus gratias.

Porrò ex iisdem Lucæ verbis in Actis non tantum certas diei horas precibus consecratas intelligimus, sed & locum quo ad preces Deo offerendas conuenire debebant fideles specialiter Ecclesiastici quibus Apostoli sunt specialis forma proprium obeundi munus. Quamtumlibet enim priuatus quis orationes domi agere intra cubiculum suum vt Dominus docuit Matth. 6. debeat esse sollicitus, tamen exemplo Apostolorum templum ad orationem adeuntium admonentur Christiani ad publicas preces in vnum locum ipsam scilicet Ecclesiam conuenire. Quod quidem esse faciendum S. Ignatius, qui iisdem temporibus vixit, Magnesianis inculcat, sicut & exemplo ipsius Domini qui cum Hierosolymis esset docebat in templo iidem etiam Apostoli illic doctrinæ cathedram erexerunt quod inferius docet Luc. Act. 5. dum ait eos omnes fuisse vnanimiter in porticu Salomonis, ad quod alludens Tertull. de præscrip. cap. 7. ait institutionem Christianorum esse de porticu Salomonis, quod equidem maximum opus sacræ Salomonis fabricæ post iteratas reliqui Templi destructiones hactenus integrum remansisse tam idem Luc. Act. 3 & 5. quam Ioan. cap. 10. & Ioseph lib. 20. antiquit. cap 8. docent.

Itaque Ecclesia Christiana ab incunabulis Deo

Deo, & Christo Saluatori suo tota addicta laudibus eorum vacabat quantum poterat, & cum iam extarent sacræ veteris Testamenti Scripturæ, & vsurparentur singulariter Psalmi Dauidis aut ex singulari afflatu Spiritus Sancti, depromerentur Cantica à fidelibus in Ecclesia, vel Oratorio coadunatis quisque pro arbitratu cantabat quod magis suggerebat affectus, dummodo id laudem Dei sonaret. Assumebantur tamen quasi propria, & instituta officia. *Oratio Dominica, Symbolum fidei & Psalmi*, quibus suos adiungebant hymnos, de quibus mentionem facit Paul. 1. Corinth. 14. vers. 26. *Quid ergo est fratres, cum conuenitis vnusquisque psalmum habet, doctrinam habet.* Et Ephes. 5. *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis Spiritualibus.* S Dionys. cap. 4 nom. diu. non pauca commemorat Cantica à B. Hierotheo edita, & cum vnus cantabat cæteri audiebant, vnde est illud Hieronymi epist. ad Ruffin. *Dicas Psalmum in ordine tuo*, fortasse soli Clerici tunc cantabant vt fit nunc. Ambrosius autem ad leniendum mœrorem populi ex persecutione Iustinæ Imperatricis Valentiniani senioris coniugis hæresim Arrianam promouentis instituit Mediolani anno 380. vt totus populus caneret quod etiam contemporaneus eius Chrysostomus in simili occasione fecit Constantinopoli ex Socrate lib. 6 cap. 8. iam enim Concilium Laodicenum anno 364. statuerat cap. 15. non licere aliquem psallere in Ecclesia præter eos qui Cantores existunt.

Ex quo tamen Ecclesia persecutiones Imperatorum, & oppressiones Iudaismi declinauit sub primo eius Catholico Principe Constantino Magno, qui plures ædificauit Ecclesias dirutasque quam plures restituit, & Christianissimum maximè promouit, & ditauit Officium diuinum, Cryptas Catacumbas locaque subterranea in quibus fideles ob persecutionem conueniebant pro Synaxi, & Laudibus diuinis illustrari cœpit publicéque, & celebriter agi nocte, & die & multa ad eius solemnitatem & decorem ordinata fuere ab Antistitibus. Quod quàm liquidò constet intelligitur ex Concil. Niceno habito Christi anno 325. quod can. 20. statuit ne in die Dominica, & in diebus Pentecostes flectantur genua, sed stando vota Deo reddantur, quæ singularis cæremonia supponit determinatum aliquod solemne officium, quod sane in dies crescebat cum 40 annis post videamus in Conc. Laodic. determinatas fuisse scripturas cap. 59. quæ in Ecclesia legendæ, & psallendæ erant.

De progressu, & institutione officij.

SVccedentibus temporibus quia multas scissuras passa est Ecclesia ex hæresibus, & Schismatibus, Theodosius Imperator extirpator hæresum Damasum Papam, rogauit circa annum 380 vt ordinationi diuini officij operam daret. Damasus autem qui summam Hieronymi litteraturam nouerat, quatuor linguas ad manum habentis Hebræam, Syriacam, Græcam, & Latinam rem totam ei commisit per litteras in Bethlehem, vbi tunc Hieronymus cum Paula, Eustochio aliisque Virginibus scripturæ Sacræ vacabat. Epistola Damasi quæ in primo tomo Conciliorum habetur sic habet: Peto Charitatem tuam, vt Græcorum psallentiam ad nos dirigere fraternitas tua delectetur, quia tanta apud non est simplicitatis indago, vt tantùm die Dominica Apostoli epistola vna recitetur, & Euangelij capitulum vnum dicatur & nec psallenrium mos tenetur, nec hymni decus in ore nostro cognoscitur.

Notandum hic occurrit Ambrosium multa induxisse ex Græca Ecclesia in suam, & ordinem efformasse qui de suo nomine dictus est Ambrosianus, & diuersis in regionibus Gallia scilicet, Anglia, Germania, maiori ex parte tenebatur. Hieronymus ergo obsequens Damaso ordinauit quantum de Psalmis in Dominica, quantum & qui in feria secunda & sequentibus recitandi essent. Euangelia quoque & Epistolas quæ veteri, & nouo Testamento leguntur distinxit, & alia officia in ordinem quendam redegit, vt quid quoquo die canendum esset, constaret.

Nihil hic lego de moderna Horarum distinctione, hanc tamen ante Hieronymi tempus obseruatam non solùm ex supra dictis, sed ex ipso Hieronymo colligo, nam in epist ad Eustoch. de custodia virginitatis sic loquitur, *horam tertiam, sextam, nonam, diluculū quoque, & vesperas nemo est qui nesciat*, & infra, noctibus quoque bis, terque surgendum, & in epist ad eandem de obitu Paulæ, *mane inquit hora 3. 6. & 9. vespere, noctis medio per ordinem psalterium cantabant.* Similia habet in epist ad Lætam instit. filiæ, *adiunge ei*, inquit, *Virginem aliquam grandæuam probatæ conuersationis, & fidei quæ exemplo suo ad orationem media noctis instruat, quæ psalmodiā, & horarum vesperarum sacrificium doceat.* Tum longè ante Clemens cit. c. 40. lib. 8. Apost. Const. ait preces vestras facite diluculo tertia, sexta, nona, & in Galli cantu deinde Cyprian. Athan. Ambros. horas exprimunt, imò extant Ambrosij hymni pro singulis horis canonicis, & Augustin. serm. 55. de temp. *Rogo vos* ait, *ad vigilias maturiùs surgite ad tertiam, sextam, nonam, ante omnia conuenite.*

Ex quibus omnibus infero Hieronymum distinctè ordinasse scripturas pro qualibet hora canonica, & fortè hymnos Ambrosij inseruisse deferturque ergo Romæ exemplar hocque Damasus in Conc. Romano habito anno Christi 382. consentientibus Episcopis approbauit, & Ecclesiis Romanæ ditionis obseruandum edixit.

Consequenter Gelasius circa annum 494. cum vtriusque Testamenti libros eo quo nunc habentur ordine iterum recensuisset, & Manichæorum libris igni traditis Doctorum scripta authentica à spuriis, & ambiguis declarasset in Conc. Romæ habito Prosas, Hymnos, Canticis miscuit in officio, & descripsit ordinem Lectionum, tum ex scripturâ, tum ex homiliis Patrum per totum annum vt refert Gratian. dist. 15. canone *Sancta Romana Ecclesia.*

Subsequenter Gregorius Magnus, ann. 590. antecessore Pelagio peste sublato instituit Litanias maiores die 25. Aprilis, cúmque anno 592. ingrauescente peste processionem singularem ipso die Paschatis in qua deferretur imago Deiparæ Virginis à S. Luca depicta præscripsisset Clero Romano, dum ad castellum Sancti Angeli, quod tunc moles Adriani vocabatur,

tur, peruenisset auditus est à cunctis Angelorum concentus decantantium Antiphonam. *Regina cæli lætare, alleluja. Quia quem meruisti portare alleluya, resurrexit sicut dixit, alleluya, quibus ipse Gregorius succinit. Ora pro nobis Deum alleluja.* Hinc inducta est hæc Antiphona à Completorio Sabbathi sancti vsque ad nonam Sabbathi post Pentecostem. Antiphonarium edidit Gregorius.

Diuinorum Officiorum, seu publicarum precum volumen, *Breuiarium* dici non antiquiùs lego quàm apud Micrologum cap. 28. de Ecclesiasticis obseruationibus qui vixit circa ann. 1080. subsequenter verò sic appellatur à Conciliis Coloniensi, Moguntino, Treuerensi, & à Generali Tridentino, ita autem nuncupatur quia est breue compendium omnium dictorum, & gestorum quæ ad pietatem excitare possunt, Quidam illud vocant. *Orarium.*

Hoc multas mutationes habuit, quod Gregorius VII. anno 1076. restituit in eam formam quam habuerat antiquis temporibus, idque fecit in Conc. Romæ habito quod ab aliquibus dicitur generale, indictum specialiter ad componendam dissentionem Henrici IV. aliàs III. & Rodolphi Sueuiæ Ducis decertantium de imperio, & pro hac reformatione officij extat Canon. *in die de consecrat.* distinct. 5. Nota tamen vsum Breuiarij quocumque nomine vocetur non extitisse ante Lectionarium, S Hieronymi, vt scribit Cornelius Scultingius in Bibliotheca Eccles. de diu. offic.

Historiæ series commendat honorificè Haymonem Ministrum Generalem Ordinis Minorum S. Francisci, quòd Breuiarium cum Missali reformauerit ex commissione Gregorij Papæ IX. anno 1241. vt ex eiusdem Bulla patet, & est illud fere idem quo nunc vtimur vt notat Radulphus Tungrensis propositione 17. lege Vvandingum in Annalibus Minorum anno 1244. qui tamen Radulphus maximè dolet fuisse receptum à Nicolao III, creato 1278. ad vsum communem, is enim amouit ab vrbe alia Breuiaria, & Missalia & mandauit vt adhiberentur tantùm Breuiaria Fratrum Minorum, indeque omnes Libri de Officiis diuinis fuere noui Romæ, & Franciscani, vt scribit Radulphus propos. 22. dolens de festorum additione cum diminutione ferialis officij.

Concilium Tridentinum in 2. sessione sub Pio IV. celebrata commisit delectis quibusdam Patribus considerare quid facto opus esset de variis libris suspectis, idemque de Catechismo, Missali, & Breuiario quibus errores quidam irrepserunt, quod cum commodè ob varietatem librorum Synodus non posset diiudicare præcepit vt authoritate Romani Pontificis id omnino terminaretur, & euulgaretur.

Hinc est quod Pius V. loquens in Bulla affixa in Breuiario, & Missali Romano de reuocatione orandi ad pristinam regulam, dicit se exequi decreta Concilij Tridentini Breuiarium ergo dicitur restitutum, vt intelligis non esse nouum. Est autem editum à Pio V. ann. 1568. cum hac clausula vt in toto orbe obseruetur ab iis qui tenentur horas canonicas recitare, aliàs muneri suo non satisfacturis. iubetque Papa omnibus Prælatis, vt hoc introducant tam in choro quàm extra chorum, permittendo tamen vt Breuiaria non Romana antiquiora ducentis annis computandis ab institutione istius (si tamen ab ipsa prima eorum institutione approbata fuissent à Sede Apostolica conseruentur ad vsum officij) quæ tamen possint mutari in hoc Romanum iis omissis si Episcopus, & vniuersum Capitulum consentiant. Caussa editionis huius Breuiarij cum abolitione omnium aliorum datur, vt scilicet tollatur Orandi varietas.

Recognitum dicitur hoc Pij Breuiarium à Clemente VIII. anno 1602. quia ob incuriam Typographorum, & audaciam aliquorum erat deprauatum. Denique Vrbanus VIII. ann. 1631. aliqua quæ ex rudi latinitate & in hymnorum metris deflectebant ab elegantia, & rythmo castigari vel de integro condi fecit, eadem tamen quoad licuit seruata sententia, interpunctionem editionis vulgatæ Bibliorum restituit in Psalmis & Canticis; Patrum sermones, & homilias recognouit cunctáque ita diligenter disposuit, & expoliuit vt Breuiarium sit suis omnino numeris seu perfectionibus absolutum.

Habes itaque Orarium, seu Breuiarium Romanum, & vniuersale, operâ vel Franciscanorum, vel Dominicanorum penitus digestum, Pius enim V. ex ordine Dominicano assumptus reparauit Haymonis Franciscani reformationem temporis iniuria vitiatam. In ipsa autem non solum singula per se pia, & salutaria sunt, sed etiam tam aptè inter se connexa, suisque temporibus, & festis accommodata, vt magnam sua varietate legentibus animi voluptatem, & spiritalem consolationem adferant, vt vel hinc perspici queat singulari Spiritus Sancti directione ita disposita fuisse, quod verum esse deprehendet qui singula attentè considerauerit.

Quinam ad preces canonicas obligentur, & quomodo.

QVotidiana recitandi officij obligatio cœpit anno Domini 540. vt notat Sigebertus in Chronicis, consequenter sub Vigilio primo qui assumptus est ad Paparum anno 537. & sedem tenuit annis 17. non lego tamen eum imposuisse Clericis obligationem, nisi dicamus consuetudinem iam introductam ab ordinato per Damasum officio, quare cum is distributionem Hieronymi approbauit in Concil. Roman. obligationem imposuit recitandi.

Post hæc Innoc. III. cum Conc. Generali præcipit. *Prelatis, & minoribus Clericis in virtute sancta obedientiæ vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus studiosè celebrent, & deuotè.* Rationem obligationis emanare intelligo ex antiqua, & generali totius Ecclesiæ consuetudine, qua non solùm Presbyteri, sed etiam Diaconi, & Subdiaconi censentur ad hos canonicas obligari. Itaque etsi nullus Canon scriptus exiet quo hi obligentur vt insinuat Nauarrus, tamen hæc consuetudo cum vim legis habeat sufficit, & merito hi obligantur, quia per ordinem sacrum accipiunt in Ecclesia statum singularem qui ad cultum & Laudes diuinas celebrandas est institutus, vnde ratione status obligantur præ cæteris in genere. Ne autem in incertum ferrentur determinatæ sunt illæ laudes, & preces in Horis Canonicis, & ita accedente consuetudine inuecta

uecta est obligatio, Clerici vero Minorum Ordinum non adstringuntur ratione sui gradus ad horas canonicas, quia nondum sortiti sunt gradum seu statum inter Ministros Ecclesiæ, possunt enim matrimonium inire. Vide Summistas qui vnanimiter exprimunt tria hominum genera ad persoluendum pensum officij diuini teneri, *Clericos sacrorum ordinum*, vt dixi, *Beneficiarios*, post captam pacificam beneficij possessionem, siue beneficium sit simplex, siue curatum, siue sit alia præbenda tituli clericalis: ratio est quia in iure dicitur beneficium dari propter officium, officium autem complectitur. Horas canonicas, tum quia vsu & consuetudine Ecclesiæ ita receptum est, adde quod sic habetur in Conc. Lateran sub Leone X. sess. 9 & in Bulla Pij V. relata à Nauarro cap. 25. *Et Religiosos choro deputatos*, post emissam professionem.

De istis autem conuenit inter Doctores eos ante susceptionem Ordinis sacri non teneri ad officium alio iure quam consuetudinis vel peculiari decreto religionis eorum, nec enim eos aut Moniales ius diuinum, aut canonicum obligat, nullum enim obligatorium extare aiunt Suarez, Lessius, Fillucius, nec tenentur ratione eleemosynarum quibus viuunt, quia non dantur cum hoc onere, sed vt viuant secundum institutum suum. Quod si sit aliqua talis fundatio ea conuentum obligat, non singulos.

Hinc Bonac. Lessius, & alij inferunt superiorem posse dispensare cum religioso in hac obligatione, si iusta adsit causa, vel studiorum, vel negotiorum; ratio est, quia obligatio recitandi officium in religiosis pendet ex consuetudine vim legis habente in religione, sicut autem superior dispensare potest in legibus religionis, ita etiam in ista consuetudine. Nec dicas talem non esse vsum, dico enim facultatem aliquid faciendi absque aliorum grauamine non amitti per non vsum.

Modus recitandi præscribitur à Conc. Lateran. *Studiosè & deuotè*, & quamuis ibi videatur esse sermo de officio publico, idem tamen dicendum de eo quod priuatim dicitur, quia par est ratio. Vt studiosè celebretur tria requiruntur. Primò vt absque Syncopa (vt ait Glossa) id est absque verborum omissione; vt fit dum priora verba versiculi iunguntur vltimis, absorptis mediis. Secundo, vt verba non mutilentur, aut truncate proferantur, abscisis quibusdam syllabis, præsertim vltimis. Tertiò vt absque interruptione, nisi adsit iusta causa, hac enim data non est necessarium dicta repetere, quia non est de substantia singularum precum vt continuentur. Secus est in Sacramentorum formis vbi requiritur moralis continuatio. Vt *Deuotè* persoluatur requiritur attentio & reuerentia, sola enim attentio non sufficit, nam oratio est actus religionis, ac proinde requirit reuerentiam aliud enim est orare, aliud attentè quid legere; iure autem diuino, & naturali in omni oratione requiritur attentio, & reuerentia interna, qui enim cum Deo colloqui, à Deo quid petere, aut eum laudare intendit, conuenienti modo id facere debet, quare omnis voluntaria distractio in propriè dicta oratione est aliquod peccatum vt docent Caiet. & Nauar. non desunt tamen Doctores docentes non requiri ex præcepto Ecclesiæ attentionem internam, vnde etsi quis interius sponte distrahatur non peccabit mortiferè nec tenebitur repetere modò integrè omnia pronuntiet, & exterius iis rebus cum quibus interna attentio consistere nequit, non se occupet, fundamentum huius sententiæ est quia Ecclesia non potest præcipere, aut vetare actus internos, sed solum externos. Itaque non præcipit internam attentionem nec vetat internam distractionem, sed solùm externam: vt cum quis exterius facit ea quæ non patiuntur internam attentionem, vt si fabuletur, scribat, pingat, &c. ita Durand in 4. dist. 15. q. 12. Antonin. Hostiensis, Angelus, Tabiena, Syluester, Glossa, &c. sic equidem mitigatur nonnihil asperitas quæ videtur esse in præcepto Ecclesiæ cum dicitur sub peccato mortali ad singulas Horas obligare. Attentio potest esse ad verba, & sufficit cum animo orandi, & vacandi Deo, vel debemus mentem ad Deum dirigere, vel referre mentem ad sensum Ecclesiæ quæ tales preces per nos Deo offert etsi eas non concipiamus.

Deuotio exigit congruentem corporis compositionem v. flexis genibus vt solebat S. Carolus vel stando, & capite discooperto vt moris erat S. Francisco, vel sedendo vt magis recolligatur animus qui dicitur sapientior fieri sedendo, & ideo in Choris Canonicorum, & Psallentium sedilia habentur. Non reprobauerim tamen deambulationem in orando cum in Galliis notauerim Cantores duos ex officio deambulare in Choro ipsumque continuò ex vtraque parte percurrere, denique eo situ orandum est quo reuerentia Deo debita obseruetur, quæ quandoque pensanda est ex corporis dispositione, ea enim sola prohibetur, quæ impedit attentionem, & consulitur ea quæ deuotionem, & mentis eleuationem magis iuuat. Varia autem est iuxta orantium variam dispositionem, ideoque dum priuatim horæ recitantur relinquitur id prudentiæ & deuotioni vniuscuiusque, quãuis in choro oporteat se conformare Ecclesiæ mori, & cæremoniarum præscripto.

Ad modum persoluendi officij pertinet tempus, locus, & determinatum breuiarij officium.

Quod ad *Tempus* pertinet, in officio publico seruanda est consuetudo recepta, In priuato etsi laudabile sit vt singulæ horæ temporibus, & interuallis suis dicantur, tamen ad vitandum peccatum lethale (sub quo Officium iniunctum est Ecclesiasticis) sufficit vt recitentur eo interuallo quod est intermedium noctis præcedentis & sequentis: qui enim intereà temporis horas recitauerit, siue initio, siue in medio, siue in fine satisfacit substantiæ præcepti.

Vbi Nota licitum esse recitare preces nocturnas, & Laudes pridie ad vesperam vt Caiet. Nauarr. & alij docent: imò etiam ante Solis occasum nempe post tempus Vesperarum, & Completorij vt docet, S. Tho. quodlib. 5. art. 28. Vnde vbi hæc absoluta sunt in Ecclesiis horâ quartâ, pomeridianâ, licitum erit nocturnum officium sequentis diei inchoare. huic laudes adiungi vel seiungi, & in alterum diem differri possunt. Paruæ horæ non possunt dici pridie sed solùm post mediam noctem. Possunt tamen omnes vsque ad Vesperas exclusiuè ob aliquam honestam causam recitari manè teste Nauarro, imo si causa iusta adsit etiam Vesperæ adiungi possunt teste Caiet. quod apertè habetur cap. 1. de celebratione Missarum, vt si instaret profe-

ctio vel longa occupatio, vel amicorum interpellatio, imò maior quies,& deuotio posset legitima causa censeri vt notat Caiet. & tamen peccatum veniale ait Lessius, si vltra iustum tempus absque causa differatur, quocirca Hugo Victor. dicit, Ante tempus officium persoluere Prudentiæ est, pòst negligentiæ, debitâ horâ obedientiæ est, nec vrget communis relatio de S.Seuerino, seu vt corrigit Baronius, Peregrino Episcopo Coloniensi, quod plecti se in Purgatorio reuelauerit ob anticipationem solutionis officij vt negotiis imperialibus expeditiùs vacaret. Mercantius respondet illum detentum in pœnis quia vel aulam frequentabat plusquàm par erat, vel quod preces horarias præcipuè in Ecclesiis canendas non curauerit, vel quod priuatim eas plus æquo & sine iusta causa antepofuerit: sic & habet Azor. libr. 10. cap.9. cui adscribo cum opinio probabilis Doctorum excludat peccatum in iusta causa anticipationis & retardationis.

Nota ex Tolet. lib.2. cap.13.& Lessio cap. 57. non esse peccatum facere sacrum ante preces nocturnas, quia nihil in iure de hoc præceptum, nec consuetudo contraria est recepta sub peccato, non enim est vlla necessaria connexio, aut dependentia sacrificij ab illis precibus, vt idcirco debeant præcedere,& sanè mirum esset inuersionem illius ordinis esse peccatum, cum nec ipsæ horæ inter se tam necessarium ordinem habeant, vnde ex causa rationabili poterunt interdum postponi Missæ absque omni peccato, vt docet Fumus V. Missa, Petrus Arragon.2.2.q.23.art.12. cui Victoria, Canus, Mantius, Penna, Henriquez consentiunt.

Locus pro his qui ad Chorum, seu ad Officium in Ecclesia persoluendum deputati non sunt, vbique est, cum Deus quem alloquimur vbique sit per essentiam, præsentiam,& potentiam: ratio est, quia nullum ius reperitur quo, per se loquendo adstringantur recitantes priuatim illud soluere in Ecclesia vel in alio particulari loco, modo non recitetur in loco vbi impediatur attentio, sicut impediri solet in frequenti hominum conuentu, clamore, tumultu, & strepitu profano, vbi incurritur periculum non satisfaciendi præcepto vt monet Conc.Basileense Sess.21.


Determinatio Breuiarij formulam Pij V. iuxta communes Rubricas dicendi includit, nam exceptis iis qui alio Breuiario à ducentis annis vsi sunt, vt sunt multæ illustres Ecclesiæ,& Ordines Regularium vt Carthusiani, Benedictini, Carmelitæ, Dominicani, Bulla Breuiario præfixa expresse habet recitantes, *nisi hac sola formula satisfacere non posse.*

Nota tamen mutationem Officij etiam dedita opera non esse peccatum mortiferum, vt si loco Officij de feria dicatur de Sacramento vel de B.Virgine, aut contra loco Officij de Festo dicatur de feria ita Caiet. Syluest. Azor. &. alij communiter, ratio est quia id quod Ecclesia primariò præcipit, est vt septem horæ canonicæ quotidie recitentur, vt autem dicatur de hoc vel illo festo, hac vel illa forma solùm pertinet ad modum,& circumstantiam secundariam Officij, quæ non est tanti momenti. Itaque substantia præcepti seruatur quodcumque Officium Breuiarij dicatur. Vnde qui etiam prudens omisso proprio aliud recitauit, non tenetur repetere vt rectè docet Syluest. ver. Hora num.15. quia quæ ad substantiam legis pertinent, etsi cum peccato veniali, iam impleuit, multò minus tenebitur si per inaduertentiam mutauit. Valde tamen laudabile est ait, Lessius repetere vel totum officium vel saltem ea quæ ad proprium officium pertinent, vt Hymnus Lectio, &c. dicere.

Nihil hic dico de grauitate culpæ, & pœna restitutionis fructuum taxata à Conc. Lateran. sub Leone X. Beneficiariis qui pensum canonicarum precum prætermittunt, quæ innouata fuit,& aucta à Pio V. in constitutione edita ann. 1571. quod intelligendum est citra causas à recitatione excusantes: hæ autem assignari solent infirmitas, grauis occupatio, impotentia, dispensatio, carentia, fructuum, metus, ignorantia, obliuio, de quibus, consule Bonacin. disp.1.q.6.

EXPOSI

EXPOSITIO PRINCIPALIVM PARTIVM OFFICII DIVINI.



VINDECIM singulares partes, quasi membra corpus Officij diuini, seu Canonicarum Precum industriè componunt, quæ sunt. Prima, Oratio Dominica. Secunda, Salutatio Angelica. Tertia, Symbolum Apostolorum. Quarta, Inuitatorium. Quinta, Hymni. Sexta, Antiphonæ. Septima, Psalmi. Octaua, Cantica. Nona, Versus. Decima, Absolutiones & Benedictiones. Vndecima, Lectiones. Duodecima, Responsoria. Decima-tertia, Oratio seu Collecta. Decima-quarta, Preces & Confessio. Decima-quinta, Commemorationes & Suffragia communia Sanctorum. Cum ergo Clericus Officio diuino quotidie vacare debeat, non iniucundè accipiet Digestum intelligentiæ partium eius, quas tam sedulò Sancti Patres, quos suprà notaui distinxerunt.

DE ORATIONE DOMINICA.



CCLESIA incipit Preces Canonicas per Orationem Dominicam, teste Francolino, quod antiqua Breuiaria confirmant, idque statuit olim Concilium Toletanum 4. cap. 9. & Pius V. rectè ordinauit eam ad omnes horas præmitti debere, & secretò, ad majorem animi collectionem, & officij præparationem: recitatur autem in officio tribus modis initio, in fine & in medio, *id est* ad Preces: item secretò, clara voce, & partim secretò, partim clara voce; dicitur clara voce in precibus Laudum & Vesperarum. In aliis precibus, partim secretò, partim clara voce, vt omnibus modis orandum esse Deum intelligamus; id autem Hebdomadarius facit, qui omnium nomine orat.

Rationes huius inaugurationis Precum variæ assignantur.

Prima est, quia Christus Dominus innuitur sic designasse, dum Matth. 6. Luc. 11. Marc. 11. ait, sic orabitis *Pater noster &c.*

Secunda, hæc oratio omnes orationis species & formas, quæ per totam passim Scripturam reperiuntur, compendiosè complectitur, in qua aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, aut pro expiandis commissis interpellamus, & harum quidem tres petitiones, priores ad æternitatem, reliquæ quatuor ad vitæ præsentis necessitatem pertinent, consequenter hæc oratio est omnium perfectissima, quæ mentem hominis suauiùs demulcet, & ad amorem & reuerentiam Dei mouet. Cum enim dicimus *Pater noster, qui es in cælis* (quæ verba sunt præfatio breuissima, & vtilissima ad subsequentes petitiones) eleuatur mens ad illum æternæ Majestatis Patrem, & conciliatur attentio & amor in Deum, cum audimus Deum dignari quod nos puluis & cinis eum nuncupemus patrem, qui tam potens & excellens est, vt in altissimo cælorum solio præsideat; Bonitas ergo & potentia seu excellentia Dei commendantur in hac prima periodo: quæ duo, significari solent illis duabus vocibus *Optimus*, *Maximus*. Non tanta clementia insinuata est Israëli, cui se *Dominum* dixit, nos autem effecti per sanguinem Christi, filij adoptionis clamamus confidenter *Abba Pater*, qui es in cælis, vnde sumus delapsi & ex compellatione illa paternam Dei erga nos prouidentiam intelligimus, qua paratus est prouidere homini, quæ ad eius finem, qui est Deus ipse, non solùm necessaria, sed etiam vtilia sunt, Pater enim habet prouidentiam filiorum.

Cùm dicimus *Noster*, tria significantur. Primò, quod homines sint filij Dei. Secundò, quod sint inter se fratres. Tertiò, quod Christus, qui hanc instituit orationis formam verè dicatur, & sit frater hominum.

Patet autem hæc significari; nam qui dicit *Noster*, significat aliquid suum & aliorum, ideò cum orans dicit *Pater noster*, affirmat Deum esse suum patrem & aliorum hominum: cùm autem illi qui habent eundem patrem, sint fratres, sequitur, quod qui dicit Deo *Pater noster*, affirmat alios homines esse suos fratres, & cum Christus sit homo, quod ipse frater noster sit. Hic autem obseruandum est, dari quatuor gradus filiorum Dei, primus & infimus, est creationis & gubernationis, & sic totus mundus dicitur habere Deum Patrem. 2. gradus maior primo est, quod Deus dicitur Pater hominum, quia illis suam imaginem impertiuit.

Tertius est per adoptionem & per gratiam, & hic conuenit tantùm Christianis, qui in gratia Dei sunt. Quartus est per naturam & generationem: & hoc modo solus Christus dicitur filius Dei naturalis & genitus à Patre æterno, vnde in Symbolo habetur, *& in Iesum Christum Filium eius vnicum.* Vox *noster*, hos quatuor gradus aliquo modo explicat. Miraberis quod Christus instituerit, vt dicatur *Pater*, non *meus*, sed *noster*.

Respondeo, quia *meus* significat quidem filiationem hominis ad Deum, sed non explicat fraternitatem, quam fideles habent inuicem, & cum Christo etiam regnante in cœlis.

Cum dicimus, *Qui es in cælis.* insinuatur Majestas Dei omnipotentis, qui licet vbique totùs sit, nullis definitus spatiis, cum sit immensus in cœlo gloriam suæ præsentiæ manifestat: nam & beati in cœlo Deum facie ad faciem vident, & nos ex cœli conspectu, quod est corporum omnium maximum, & pulcherrimum, potentiam & sapientiam Dei maximè intelligimus, vt dicitur Psalm. 18. Cœli enarrant, &c. Porrò aptissimè fit mentio habitationis Dei in cœlo, in principio huius orationis, tum vt admoneamur sursum cor habere, & nihil nisi cœlestia cogitare, cum ad orandum accedimus, tum vt Christum meminerimus in dextera Dei sedere, vt ait Paul. Coloss. 3.

PRIMA PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

Petitio est interni desiderij manifestatio, cum affectu impetrandi rem desideratam, hic autem septuplex agnoscitur à Patribus petitio ordine singulari concinnata; nam vt ordine procederet oratio, Christus doctor noster petitionem hanc de Dei gloria, vt sanctificetur nomen eius præposuit, docens nos postulare, & consequenter prius desiderare debere ea quæ propria sint gloriæ Dei, quam quæ nobis, aut proximo cuique opus sint. Plenissimè Ioannes Bellarminus doctrinam Catechismi Romani exponens digerit orationem Dominicam, ad quem libenter beneuolum Lectorem remitterem, sed ne quid in efformando Catholico desit, in hoc meo fidei Promptuario breuiter & dilucidè expono, solemne istud Officij diuini principium, seu *Pater noster*.

Nota itaque peti primo bonorum largitionem, secundo malorum remotionem, & in bonis. Primò bonum Dei, *Sanctificetur nomen tuum.* Secundò, bonum nostrum summum. Tertiò, bonum nostrum medium, id est, gratiam implendi mandata. *Fiat voluntas tua.* Quartò, bonum nostrum infimum, id est subsidia temporalia. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* In malis primò peti remotionem mali præteriti. *Dimitte nobis debita nostra.* Secundò, mali futuri *Et ne nos inducas in tentationem.* Tertiò, mali præsentis. *Sed libera nos a malo.*

Prima petitio designat finem, ob quem debemus orare, scilicet, vt honoretur & glorificetur Deus in omnibus, & ab omnibus, & per omnia. Augustin. Cassian Bernard. dicunt peti simpliciter gloriam Dei, vt innotescat omnibus nomen Dei, & ab omnibus sanctificetur. Quod fit quando homines relictis idolis, vel peccatis agnoscunt Deum viuum & verum, illi credunt, in eum sperant, eum toto corde diligunt, laudant, prædicant, venerantur, atque ita impletur prophetia Ezechielis 36. *Sanctificabo nomen meum magnum, vt sciant gentes, quia ego Dominus cùm sanctificatus fuero in vobis, coram eis*, & Malach. *A solis ortu, vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Non petimus, vt sanctitas aliqua majestati, tam diuini nominis, seu Dei (nomen enim pro ipso Deo ponitur) accedat, ipse enim Deus sanctus est ex se essentiali sanctitate inalterabili, sed petimus vt sanctitas illa agnoscatur à creaturis, & reluceat in hominibus, vel vt docet Paul. 1. Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei faciant.*

Non dicitur *cognoscatur*, sed *sanctificetur*; quia sic multo plura, atque digniora de Dei cognitione expressa sunt. Nec sufficit cognoscere nomen Dei, sed opus est cognoscere, quod sit sanctus & laudabilis; quia enim homines longè minori honore quam par sit Dei nomen benedicunt: imò etiam aliquando maledictis, & nefariis vocibus violant, & iniuria afficiunt, petimus, vt hoc nomen sicut in seipso sanctum est, ita ab hominibus sanctificetur, *id est*, tanquam sanctum & diuinum honore & gloria afficiatur.

SECVNDA PETITIO.

Adueniat regnum tuum.

Secundus finis orationis indicatur; vacatur enim Dei laudibus & orationi, vt ad nos veniat regnum Dei æternum post hanc vitam, & internum in hoc sæculo, quod consistit in iustitia interiori, pace & gaudio Spiritus-Sancti. Regnum Dei in Scriptura triplex inuenitur, gloriæ, gratiæ, & naturæ, istud postremum, quod habet in omnes creaturas, quas pro arbitrio regit & gubernat, vt explicuit Dauid psalm 144. *Regnum tuum, regnum omnium seculorum*, non est materia huius petitionis, quoniam non est opus petere, vt fiant ea quæ semper fiunt, nec possunt non fieri, hoc autem regnum fuit, est, erit semper: & quamuis impij nihil moliantur magis quam regnum Dei, id est, ordinem prouidentiæ diuinæ perturbare: tamen semper fit, quod Deus vult fieri, & vt Mardochæus ait Hester 13. *In ditione Dei cuncta sunt posita, nec est qui possit eius resistere voluntati.* Materia seu partes huius regni sunt Angeli, homines, animalia, plantæ, cæli, elementa, forma regiminis est ordinatio secundarum causarum: per quam vna causa agit lege naturæ in aliam, veluti cælum in hæc inferiora.

Regnum gratiæ est illud quo Deus regnat in Ecclesia, in mentibus fidelium, de quo dicitur Matth. 13. *Colligent de regno eius omnia scandala.* Ambrosius libro 5. de Sacramentis. Rupertus in cap. 6. Matth. & alij exponunt hanc petitionem de isto regno, sicque postulamus augmentum & perfectionem dicti regni, & singularum partium ipsius, nempe vt Dei Ecclesia propagetur, & vt membra ipsius crescant in

in fide & gratia, & vt totus homo ad Dei cultum & venerationem consecretur; vnde cum Apostolo dicere possit, *Viuo ego, iam non ego, regnat verò, & viuit in me Christus*. Sed germana expositio est de regno gloriæ, quod inchoatur nunc in spiritibus Beatorum & perficietur in nouissimo die, quando Beati accepta gloria etiam corporum, regnabunt cum Deo fœliciter, tunc enim tolletur omnis dæmonum, & impiorum potestas, & solus Deus & filij eius, sine vlla resistentia vbique regnabunt, ita multi Patres. Ratio cur hæc sit vera explicatio; quia superior confundit hanc petitionem cum sequenti, *fiat voluntas tua*. Hæc autem vnam ab alia distinguit: tum nisi de gloria futura exponatur nusquam in tota Oratione Dominica petetur beatitudo, quæ tamen in primis petenda esse videtur, cui inhiamus omnes Rom. 8. *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes*. Adde: quod in Scripturis regnum Dei, quod promittitur esse venturum, vix vnquam aliter accipitur, quam pro resurrectione & gloria cœlesti, vt Luc. 13 Matth. 25.

TERTIA PETITIO.

Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.

INdicat tertium finem, cur oramus, vt scilicet impleatur voluntas Dei in nobis, & per nos, vel sine nobis, vt simus conformes diuinæ voluntati, eámque quantum in nobis est possimus adimplere cum feruore, promptitudine & perfectione. Et quia Angeli & Sancti eam implent in cœlis, rogamus vt nobis det orare in spiritu, sicut ipsis eius consilia & præcepta adimplere, sicut & illis datur.

Catechismus Romanus docet hac petitione postulari sequentia.

Primò, vt mundus diuinæ voluntatis per Christum manifestatæ cognitionem accipiat.

Secundò, vt Deus det nobis auxilium, & potestatem, tum per gratiam, tum per naturam, vt per eam possimus cohiberi à prauis cupiditatibus, & ad omnia quæ Deus vult applicari.

Tertiò, vt Deus det non solùm facultatem ad obediendum, sed etiam actualem & perfectam obedientiam, id est, mortificationem, indifferentiam, resignationem, conformitatem, & veram exequutionem eorum omnium, quæ à Dei voluntate nobis proposita sunt, consequenter vt passiones nostras vitiosas, fomitem quoque & concupiscentiam comprimat, & vt faciat nos verè, & ex animo detestari omnia, quæ diuinæ voluntati contraria sunt, nempe opera carnis, fornicationem, immunditiam, idolorum seruitutem, veneficia & alia his similia.

Quartò, neque solùm precamur ne Deus concedat malum, aut quod mali speciem habet, sed etiam postulamus, vt fiat voluntas, non nostra, sed Dei, in iis quæ reuera mala non sunt: veluti cum naturali inclinatione appetimus ea, quæ naturam conseruant, vt cibus, somnus, & alia, aut cum reijcimus illa, quæ naturæ nostræ contraria esse videntur, vt dolores, atque infirmitates.

Hæc omnia intelligantur sub hac voce *Tua*, quæ excludit voluntatem creaturarum, & nostram, vtraque enim procliuis est ad peccandum, sed Dei voluntas, non solùm iustissima est, sed ipsamet iustitia est; consequenter & regula omnium, quare etiamsi possimus in obediendo diuinæ voluntati æternam retributionem sperare; tamen & hæc quoque spes in diuinam voluntatem est referenda: nempe vt nos ideò operemur; quia Dei voluntas est, vt talem spem habeamus, cum amori & obedientiæ nostræ æternam beatitudinem proposuerit mercedem.

Ad plenam voluntatis diuinæ intelligentiam, vide quæ scripsi in tractatu de Deo, quæst. 23. fol. 66. Licet enim voluntas Dei vnica realiter, & simplicissima sit, imò vnicus actus infinitus, immutabilis, quo vult, quicquid vult; Theologi tamen rectè distingunt eam in voluntatem signi, & voluntatem beneplaciti: signi appellant præcepta & prohibitiones, quibus Deus significat quid à nobis agi, vel non agi velit. Beneplaciti nominant eam, qua Deus vult absoluté aliquid fieri, quæ semper impletur, & quam nulla vis externa impedire potest. De priore intelliguntur ea loca Matth. 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ille meus frater, & soror, & mater est*. Ioan. 4. 1. Thess. 4. Hebr. 10. de posteriore illa Psalm. 113. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra*. Isai 46. *Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*. Esther 13. In hac autem petitione Sancti Patres conueniunt accipi voluntatem pro voluntate signi. Id enim est, quod petimus, vt gratia nobis detur, qua impleamus præcepta Dei, idem autem est dicere, fiat voluntas tua, quod dicere fiat præceptum tuum.

Obserua autem dici *Fiat*, non autem fac in nobis voluntatem tuam, vel faciamus eam, vt intelligamus obedientiam legis quam Dei ope præstamus, non esse opus solius Dei, nec solius liberi nostri arbitrij, sed vtriusque simul.

Quamuis autem hæc petitio præcipuè referatur ad obedientiam legis, & voluntatem Signi, homines enim non possunt facere voluntatem Dei, nisi prius illis per signum fuerit manifestata: tamen potest etiam aliquo modo referri ad voluntatem Beneplaciti, quatenus videlicet nunquam reprehendere beneplacitum Dei, neque de eo submurmurare, etiamsi nos premi ac affligi velit, sed ei patienter & libenter acquiescere: nam hoc modo Christus dixit. Matt. 26. *Non mea, sed tua voluntas fiat*, & Act. 21. Cùm discipuli non possent Paulum retinere, quo minus in Hierusalem ad manifesta pericula carceris & vinculorum pergeret, dixerunt *Voluntas Domini fiat*.

Cæterùm Sanctus Augustinus cap. 101 Enchir. docet, non semper nobis optandum esse, vt fiat, quod Deus vult fieri voluntate beneplaciti, tametsi Dei consilium nunquam displicere debeat. Sæpè enim aliud conuenit Deo, vt velit aliud nobis. Ex quo etiam fit, vt sæpè homo bona voluntate non velit quod Deus vult, vt quando Ioseph Arimatheus nolebat Christum occidi, & ideò non erat consentiens Iudæis. Luc. 23. Et sæpè mala voluntate velit, quod Deus vult, vt cum Iudæi Christum occidi voluerunt.

Hinc etiam intelligimus non esse malum

dolere propter afflictiones Ecclesiæ, aliáque mala quæ ex beneplacito Dei nobis adueniunt, atque ea etiam deprecari. Sic enim Samuël fleuit Saulem, quem sciebat à Deo reprobatum, & Dominus videns ciuitatem fleuit super illam, & horrens mortem suam orauit, vt si fieri posset transiret ab eo. Patres etiam deflent mortes eorum, quorum vita vtilis Ecclesiæ videbatur.

Summa igitur sit voluntati beneplaciti non esse obmurmurandum, sed voluntatem signi à nobis esse totis viribus perficiendam; nam hac sola obedientia, infirmitas & miseria hominis sanari potest, & gloria cœlestis acquiri: sic Christus obediens exaltatus est.

QVARTA PETITIO.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

PEtitio hæc, & reliquæ deinceps, quibus animæ & corporis subsidia, propriè ac nominatim postulamus, ad superiores petitiones referuntur. Habet enim hunc ordinem Oratio Dominica, vt postulationem rerum diuinarum consequatur earum petitio quæ ad corpus, & ad hanc vitam tuendam pertinent. Nam vt ad Deum, tanquam ad vltimum finem diriguntur homines: sic humanæ vitæ bona, ad diuina eadem ratione referuntur. Multi Patres de solo pane spirituali exponunt, vt Hieronymus in 6. Matth. & in 2. ad Titum Ambrosius lib 5 de Sacram. capit. 4. Cyrill. Catech. 5. & alij, quæ sententia si excludat omninò panem corporalem, certè improbabile videtur; nam cum corporalis rectè desiderari & peti possit, vt patet ex Prouerb. 30. *Tribui tantum victui meo necessaria.* & Genes. 28. vbi Iacob. *Si Dominus dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi in Deum.* Certè debuit in hac oratione aliquo modo peti, vt sit oratio perfectissima, & contineat omnia quæ peti possunt, vt vult Augustinus epistola 121. capit 12. Dico ergo cum Tertulliano, Cypriano, Nysseno, Theoph Euthymio, Beda, Augustino, Enchiridion. c. 115 ap. intelligi hic nomine panis, omnia subsidia necessaria ad vitam, tum animæ, tum corporis conseruandam, & quoniam subsidia vitæ spiritualis, vt Sacramenta, Conciones, & alia id genus, quæ vocantur in Scriptura panis vitæ & intellectus, multò magis sunt necessaria & nobilia; ideò intentio orantis debet ferri ad panem spiritualem primariò, ad corporalem verò, vt ad additamentum.

DIces vocem ἐπιούσιος quam Matth. & Luc. habent non conuenire pani corporali; nam vel significat substantialem, vel certè eximium & peculiarem, vt ex Deuter. cap 7. 14. & 26. & ex epistola ad Titum cap. 2. vbi populus electus & peculiaris dicitur λαὸς περιούσιος.

Respondeo, adjectiuum illud sonare supersubstantialem, si rem subjectam consideres, pro eodem accipitur, pro quo substantialis vel essentialis, vt non tam ad excellentiam, quam ad necessitatem panis vox hæc referenda videatur, Græci enim verterunt substantialem, *id est*, substantiæ nostræ alendæ accommodatum: quo etiam respexit antiquus interpres, qui *quotidianum* reddidit, *id est*, quo quotidie indigemus, & sic Cyprianus, & Ecclesia Latina legunt.

Nostrum, rectè hoc additur, tum vt intelligamus panem sacramentalem esse proprium filiorum, quem alieni habere non possunt, vt Cyprianus exponit, tum quia non cupimus panem alienum, id est, verbum prædicationis hæreticæ, sed doctrinam Orthodoxam, qualis Ecclesiæ filiis dispensatur. Tum denique quoniam etiam panem corporalem non volumus alienum furto vel fraude acquisitum, sed nostrum, id est, proprio labore, vel ex iustis legitimisque redditibus Deo benedicente comparatum.

Quotidianum, vox hæc insinuat parsimoniam & frugalitatem; dum quærimus tantùm ea sine quibus nullo die viuere possumus, declarat etiam quotidie & assiduè à Deo petendum, à quo omne fluit bonum, vt vox *Da* indicat; nam quamuis non petamus, neque expectemus, vt Deus pluat manna de cœlo, vel Sacramenta administret per Angelos, aut sapientiam dormientibus infundat, sed in sudore vultus nostri, panem nostrum, tum spiritualem, tum corporalem manducare velimus, tamen rectè dicimus *da*, tum quia sine Dei prouidentia & auxilio inanes essent conatus nostri. Tum quia vt docet Augustinus sermon. 135. illum de manu Dei sanctificatum, temperatum, & dimensum cupimus, vt corpori prosit, & animæ non obsit, si de corporali agatur & mentem nutriat, & corpus non destruat, si de spirituali tractetur.

Nobis, non dicit *mihi*, ad significandum quod pro omnibus postulamus, item quod concessus est nobis à Deo, vt illum quoque cum aliis communicemus.

Hodie, hæc vox, vel tempus vitæ significat, vt Hebr. 3. accipitur. *Adhortamini vosmetipsos donec hodie cognominatur*, & August. Cyrill. exponunt, vel præcisè diem, Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus. Et quidem si priorem explicationem sequimur, cessant multæ quæstiones, verbi gratia, cur petamus dari panem sacramentalem, eo die quo ipsum accipere nolumus, aut iam accepimus, & cur petamus corporalem statim à prandio vel cœna, Orationem enim Dominicam omnibus horis recitare solemus.

Si tamen posteriorem amplectimur ad illas Respondeo, nomine panis significari generatim omnia vitæ subsidia, cibus, vestis, domus, medicina, arma, &c. Et ideò omni hora poterit hæc petitio fieri, hincque infirmitatis nostræ monemur, quod neque per diem sine dependentia à Deo subsistere valeamus.

QVINTA PETITIO.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

INdicatur hic alter finis Orationis nostræ, quia ad hoc fundimus preces, vt peccatorum nostrorum remissionem, & cordis contritionem impetremus. Hanc petitionem explicat Dominus

nus de peccatis. Matth. 6. Nicolaus de Lyra iudiciosè notat peti hic consequenter id per quod consequimur beatitudinem, sicut per remouens prohibens, illud enim quod principaliter ab ea nos impedit est peccatum; quia donec sit totaliter dimissum, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam regnum cœlorum ingredi non possumus; & ideò hanc dimissionem petimus. Porrò peccata dicuntur debita, tum quia omnis qui peccat iniuriam facit Deo, ac per hoc debitor est satisfactionis, tum quia peccans legem Dei præuaricatur, lex autem Dei habet adjunctam pœnam, cujus luendæ fit debitor, tum quia Deus commisit vnicuique animam propriam tanquam vineam excolendam, ex qua fructus tempore suo expectat deditque nobis talenta naturæ & gratiæ, vt in eis operemur, proinde qui negligunt operari, debitores fiunt lucri non acquisiti & census non redditi.

Nostra dicuntur peccata; quia voluntate nostra sunt patrata, nam peccata non essent, nisi voluntaria fuissent, *nostra*, inquam, quia culpa & macula eorum residet in nobis: sic autem constituimus nos reos, confitentes peccata esse nostra, & non excusantes illa, causam illorum in alios transferentes, sicut Adam & Eua fecerunt. Notat autem Tertullianus libro de orat. cum dicims, *Dimitte debita*, spiritum scientiæ postulari, quo delicta intelligimus, quæ sine spiritu intelligentiæ non intelliguntur.

Solent autem ex hac petitione probari à Patribus tria dogmata Ecclesiastica.

Primum est, omnes homines quamuis alioqui iustos & sanctos, in hac vita non carere peccatis. Omnes enim dicunt quotidie *dimitte nobis debita nostra*, & verè dicunt saltem pro delictis venialibus, in quæ septies cadere dicitur iustus; vnde Concilium Mileuitanum capit. 8. *Placuit vt quicumque dixerit in Oratione Dominica, ideò dicere sanctos, dimitte nobis debita nostra, vt non pro seipsis hoc dicant, quia non est necessaria ipsa petitio, sed pro aliis, aut si pro seipsis, vt humiliter non veraciter hoc dicant anathema sit, quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur debita non habere.*

Peccatores omnes esse inde colligunt Tertul. Cyprian. Nyssen,

Secundum dogma est, esse peccata quædam venialia, quæ gratiam & amicitiam Dei formaliter non excludunt, & cum ipsa charitate consistunt, vt docet Sanctus Augustinus cap. 71. in Enchir.

Tertium est, post Baptismum esse adhuc locum pœnitentiæ & indulgentiæ, hæc enim oratio propria est baptizatorum, & quamuis videatur potissimum instituta ad delenda peccata venialia, tamen valet etiam ad mortalium indulgentiam ex Chrysost. in 6. Matth.

Sicut & nos dimittimus, particula hæc habet vim similitudinis, sic dimitte, sicut dimittimus. Secundò, habet vim conditionis, sic dimitte, si nos quoque dimiserimus, & vtroque modo declarat necessitatem dimittendi. Ista tamen dimissio potest intelligi dupliciter: vno modo quantum ad offensam, & hoc est necessitatis, quia tenemur omnes diligere ex charitate, alio modo quantum ad iniuriam, & hoc non est necessitatis, licet sit supererogationis, sicut enim pecuniam ablatam non tenetur quis auferenti dimittere, sed petere potest, sic iniuriæ sibi illatæ potest compensationem per emendam petere secundum ordinem iustitiæ.

Notat autem Bellarminus hæc, *sicut & nos dimittimus*: non ideò addi, vt Deus nos imitetur, atque à nobis misericordiam discat, sed vt testemur nobis misericordiam valdè placere, viderique omninò præclarum condonare iniurias, ne fortè supplicantibus nobis respondeat Deus, quare tu misericordiam à me petis: qui misericordiam odisti? & cur audes postulare, vt tibi parcam, qui turpe ducis parcere conseruis tuis? Marc. 11. exprimitur motiuum Dei ad veniam dandam: *Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersùs alterum, vt & Pater vester dimittat peccata vestra.* Ex quo loco intelligimus dimittendam esse iniuriam homini absenti, ac per hoc veniam non petenti.

SEXTA PETITIO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Hic & in septima petitione insinuatur orationis scopus, qui est vt liberemur à periculis & occasionibus peccatorum, & ab omnibus corporis & animi malis. Non petimus autem ne omninò tentemur. Ita Hilar. Hieronym. in 26. Matth. Ambros. libro 5. de Sacrament. Cyril. Augustin. epistol. 121. Quia tentari non est malum, sed potius est ad exercitium virtutis, quando viriliter resistitur, & ad meritum: *fratres*, ait Iacobus cap. 1. *omne gaudium existimate cum in varias tentationes incideritis*, & Psalm. 25. *Proba me Domine, & tenta me.* Sed petimus ne in tentationem inducamur, *id est*, ait Lyra, ne ab ipsa vincamur, illiúsque victores nos reddat Deus, ait Catechis. Non me latet Petitionem ab aliquibus exponi, vt simpliciter non tentemur. Sic Tertullianus, Nyssenus, Cyprianus, Chrysostomus, Euthimius in 6. Matth. Nam ex modo loquendi Scripturæ non induci in tentationem non videtur esse non vinci ab illa, sed in eam non incidere. Quod enim legimus Psalm. 65. *Induxisti nos in laqueum.* omninò idem est, ac induxisti in tentationem, & tamen eo loco non significat Propheta se Dei permissione fuisse à tentatione deuictum, sed solum tentari & vexari permissum, vt Augustinus exponit: Simile videtur 1. Corinth. 10. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Idem enim videtur apprehendi à tentatione, & induci in eam, & tamen non significat Apost. Corinthios ab humana tentatione fuisse separatos, sed tantùm fuisse Deo permittente tentatos. Adde quod tentatio quamuis interdum sit vtilis, tamen semper est periculosa propter incertam victoriam, estque præsumptio eam citra afflatum singularem, appetere, & humilitatis est eam declinare, & petere à Deo, vt nos in tale certamen non inducat. *Tentatio*, ait Cyrillus Hierosolymitanus, *est velut torrens transitu difficilis, qui in eo non submerguntur optimi natatores effecti traijciunt. Qui secus affecti sunt cum primum in tentationem sunt ingressi submerguntur, vt cum Iudas in auaritiæ tentationem ingressus est, non eam superauit, verum submersus*

merſus eſt, recole caſus deplorandos virorum Sanctorum, Petri v. g. qui vnius voce muliereulæ perterritus, ſe Dominum non noſſe iureiurando affirmauit.

Ingenuè fateor Petitionis huius verba mihi difficilia, eo maximè quod ad Deum Patrem dirigantur, *qui intentator malorum eſt*. Iacob. 1. & nemini eſt author peccati quod timetur ex tentatione, quodque Sathan qui in ſcriptura, *tentator* vocatur, ſemper intendit, & ad quod miſerè vtplurimum ex infirmitate dilabimur. Nec emollitur duritics locutionis ſi dicatur ſupplicari vt Deus non permittat nos tentari, inducere enim ſonat actionem, & non ſimplicem & nudam permiſſionem.

Nec prodeſt diſtinctio Tentationis, ad cognitionem, ad manifeſtationem, & ad opus ſeu ad malum, nam non petimus non induci ad duas ſuperiores quæ nobis officere non poſſunt, ſed timemus à tertia, & ſupplicamus ne inducat nos Deus in eam. Græca verba habent, καὶ μὴ εἰσενέγκῃς εἰς πειρασμόν, & ne inferas nos in tentationem, hæcque impulſum denotare videntur. Originalis locutio Christi Syriaca, ſic habet, ולא תעלן לנסיונא Poteſt dici quod Deus tentet ad malum permiſſiuè, nempe non prohibendo tentationem, cum illam poſſit prohibere, ſicque pios, & impios tentari permittit, ſed eius permiſſio nunquam ad malum, ſed ſemper ad bonum finem exiſtit: veluti Deus permiſit Adam tentari, & vinci non vt fieret malum; ſed vt ex malo eliceret bonum, & cum pios tentari ſinit eos gratia ſua ſulcitos non deſerit, licet interdum iuſto, & occulto iudicio noſtris id poſtulantibus peccatis, nobis ipſi relicti concidamus.

Præterea Deus nos in tentationem inducere dicitur cum eius beneficiis quæ nobis ad ſalutem dedit abutimur ad perniciem, & Patris ſubſtantiam vt prodigus ille Filius diſſipamus, viuendo luxuriosè, noſtris cupiditatibus obſequentes Luc. 15. quamobrem id dicere poſſumus quod de lege dixit Paul Rom. 5. *Inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.* Hac autem præſuppoſita interpretatione dicendum eſſet poſtulari vt Deus nobis auxilio, & præſidio ſuo non deſit ne tentationibus vel decepti aſſentiamur in proſperitate, vel cedamus deſperantes in afflictione. Vno verbo rem totam expedio, Deus, dæmon, mundus, caro, inducunt nos in tentationem ſeu ponunt nos ad ianuam, noſtrum eſt non intrare vt Chriſtus dixit Apoſtolis Matth. 25. *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*, Generatim ergo Dei opem imploramus in quotidiano vitæ huius quæ perpetua eſt tentatio conflictu, & viribus noſtri diffidentes tutelam gratiæ diuinæ requirimus.

SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos à malo.

HÆc petitio eſt inſtar omnium ſummatim amplectens omnia quæ peti poſſunt, cùm enim liberationem à malo impetrauerimus nihil remanet ait, S. Cyprian. quod vltra petamus quia tunc contra omnia quæ diabolus quem Patres Græci per *malum* intelligunt moti ex articulo appoſito ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, & mundus, aut caro operantur ſecuri ſtabimus, & tuti, Rupert. Cyprian. Auguſt. Beda intelligunt res omnes malas ac potiſſimum intima, & externa mala quæ Eccleſia in Miſſa & in Litaniis exprimit. Epilogus orationis eſt. *Amen* LXX. Interpretes vertunt *fiat* alij *verè*, vel eſt vox affectus, vtinam exaudiatur oratio, vnde ad benedictiones reſpondetur, Amen.

Hæc de oratione Dominica cuius expoſitio neceſſaria eſt Catholicæ fidei profeſſori, verba enim non ſatis aperta ſunt, ob excellentiam ergo & condimentum ſacrificij laudis quaſi ſal, vt vocat Durandus præmitti ſolet horis canonicis.



DE SALVTATIONE Angelica.

SAlutatio Angelica Pij V. iuſſu, & iure nouo dicitur cum oratione Dominica in initio omnium Horarum excepto Completorio, in cuius fine recitatur vt finis Officij concordet cum eiuſdem principio.

Notat autem Nauarr cap. 10. de oratione num 62. nunquam fuiſſe ſtatutum de iure communi hanc eſſe recitandam in officio ante Pium V. in ſolo Breuiario Cardinalis ſanctæ Crucis legebatur, non in antiquioribus.

Authores præſtantiſſimæ iſtius orationis quæ ſalutatio dicitur ſunt Archangelus Gabriel, B. Elizabeth, & Eccleſia ſeu Concil. Epheſinum, ſub Cœleſtino Papa anno 431. Archangelus deprompſit hæc verba, *Aue gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus*, quæ ſine dubio inſpirata à Spiritu Sancto ne dicam, à ſanctiſſimæ Trinitatis conſiſtorio protulit vt inſtrueretur de myſterio ineffabili quod cum eius conſenſu, & cooperatione adimplendum erat.

Nouo autem, & inaudito modo ſalutat eam Arch. & veneratur, nouo inquam quia quod Angelus homini reuerentiam exhiberet nunquam eſt auditum niſi poſtquam Virginem, adeo reuerenter ſalutauit. Aue hebraicè ſignificat gaudium, ſalutem, & pacem, idque non ſine myſterio prima voce ei dicitur, vt ſcilicet intelligat virgo cauſam ob quam ſalutat eam Angelus profuturam ei ad gaudium, ſalutem, & pacem: conueniens autem fuit vt Angelus hominem veneraretur, quando inuenta eſt perſona aliqua humana quæ in tribus excedit Angelum 1. in plenitudine gratiæ: vnde, & dicit ei *Aue gratia plena*. 2. in familiaritate diuina, non poſſet autem maiorem familiaritatem Deus exhibere quàm ſe vt filium illi exhibendo, & conſanguineum: vnde dicit Angelus *Dominus tecum*. 3. in puritate, maior enim in Virgine puritas quam in Angelis in qua puritatis author habitauit, & maioris, æſtimationis eſt puritas tanta reperta in humana natura in corpore corruptibili, & de ſe ad malum procliui quàm in ſpirituali Angelica natura. Itaque, cum in omnibus Virgo ſit Angelis ſuperior non immerito ab Angelo colitur, & ſalutatur,

&

& modus quo eam salutare debemus, nobis ab eo designatur; dicitur autem *Aue*, inuerso nomen Eua, vt intelligatur malorum per Euam reparatrix.

Nomen *Maria*, non expressit Angelus, cùm primum allocutus est Beatam Virginem, sed solùm dixit *Aue gratia plena*, qui nimirum præ reuerentia noluit nomen Virginis, vtpote ineffabile efferre, ait Basilius Viegas, nisi postquam ex colloquio ipsius factus familiarior, ei tandem dixit, *Ne timeas Maria.* Hoc nomen apud Hebræos significat illuminatrix, Syro sermone idem est, quod Domina, vel Stella maris.

Benedicta tu in mulieribus, hæc verba primitus pronuntiauit Gabriel, deinde Elizabetha quasi interfuisset isti colloquio, nempe vno eodémque spiritu afflati eisdem verbis vsi sunt. Licet verò Maria super omnes creaturas, super omnes Electos, Angelos & homines, donis gratiæ & gloriæ, cæteris omnibus post filium præfulgeat, tamen hic sola mentio fit de mulieribus; quia & Angelus & Elizabetha respiciebant ad dignitatem matris Dei, quæ solis mulieribus competere poterat, multiplici verò ratione inter mulieres benedicta pronuntiatur.

Primò, quia cum per mulierem maledictum & peccatum in orbem ingressum sit (ita vt in mulierum illa viri querela vertatur: mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno) meritò in mulieribus illa benedicta dicatur, quæ benedictionem maledictioni illi aduersam attulit mundo, omnibus proponens fructum vitæ, vt nemo amplius de muliere conqueratur; quia si prima est mater mortis & morientium, hæc est mater vitæ & viuentium, si prima lachrymas & miserias peccati attulit, hæc gaudia & diuitias gratiæ protulit, si prima serpenti consensit, hæc illius caput, non solùm pro se, sed & pro aliis contriuit.

Secundò, olim omnes mulieres alicui maledictioni erant obnoxiæ; si enim in virginitate agebant opprobrium sustinebant, quia steriles, vnde filia Iephte à patre iuxta votum factum immolanda, petit tres menses, vt cum sodalibus suis montes circuiens deplorare possit virginitatem suam, quod iam nubilis morte prohibeatur suscitare semen in Israël. Si verò coniugio reddantur fœcundæ, iam illi maledicto erant obnoxiæ. *In dolore paries filios, & multiplicabo ærumnas tuas.* Maria virginitatem & fœcunditatem, & in partu jucunditatem possidet. Lege Sanctos Patres.

Et benedictus fructus ventris tui, hæc verba sunt à Beata Elizabeth ad virginem dicta, nec ab Angelo sunt prolata, quia nec dum Virgo filium Dei conceperat. Continent autem primariam rationem benedictionis Mariæ; ideò enim ipsa benedicta, quia fructus ventris præuenit eam in benedictionibus, ait Bernardus. Ideò conjunctionem illam *&*, aliqui accipiunt pro voce, quia, quomodo in Psalm. 59. accipitur, *da nobis auxilium de tribulatione & vana salus hominis.* Sic enim habent Hebræi & Græci, teste Iansenio Latina versio legit *quia*. Multa autem his verbis Mysteria continentur.

Primò enim Mariæ filius sub nomine fructus indicatur, quia sicut ex arbore fructus sine læsione exoritur, ita Christus ex Virgine, sine vlla corruptione & læsione, & sicut arboris pulchritudo & venustas à fructu procedit, ita Virginis decor à Christo filio eius.

Secundò, non sine Mysterio dicitur Christus *Fructus ventris Mariæ.* His enim verbis plures refelluntur hæreses. Nam refellitur error eorum omnium qui Christum phantasticum tantùm corpus assumpsisse asseruerunt, aut per Virginem tanquam per aquæ ductum transisse. Cùm enim Christus asseritur fructus ventris Mariæ, iam ex substantia eius & carne productum nemo potest negare. Refellitur quoque error Eutichetis, qui Christum negabat ejusdem fuisse naturæ nobiscum & cum Virgine, omnis enim fructus ejusdem est naturæ cum planta cuius est fructus. Propriè quoque fructus vteri virginalis dicitur, quia reliqui sunt plurium parentum fructus. Christus verò cum patrem in terris non habuerit, vnius tantùm ventris fructus dicitur, sicut & à proprietate filius hominis dicitur.

Tertiò fructus hic dicitur benedictus absque limitatione, nec enim dicitur benedictus inter viros, sicut Maria benedicta inter mulieres: Nempe ipse solus absoluiè benedictus pronuntiatur, quia per ipsum omnes gentes benedicendæ, sicut de illo promissum fuit Abrahæ: ab ipso omnis benedictio in cœlo & in terra deriuata est, quia de plenitudine ejus omnes accepimus. Solus quoque hic fructus ventris benedictus, quia reliqui omnes ex concupiscentia nati sub maledictione nascuntur, natura filij iræ, à qua maledictione non liberantur, nisi per fructum Mariæ. Itaque multis omninò modis fructus iste Virginis benedictus pronuntiatur, *Benedictus à Deo* omni benedictione tanquam fons benedictionem in cæteros influens secundùm humanam naturam: benedictus à se secundùm diuinam. Benedictus ab Angelis & hominibus, &c.

Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus.

HÆc est tertia pars Salutationis Angelicæ, quæ additamentum hoc accepisse creditur; postquam hæresis Nestorij Episcopi Constantinopolitani profligata fuit, qui Virginem volebat dici Christotocon, non verò Theotocon, siue Christi param, non verò Deiparam: quæ hæresis in Concilio Ephesino condemnata fuit à plusquam ducentis Episcopis, vt habent Acta, qui Nestorium nouum Iudæum vocantes sententiam anathematis anno 431. & die 22. Iunij in eum dixerunt, quam Cœlestinus Papa Romæ iam dixerat. Perdurasse vniuersum ciuitatis Ephesinæ populum à mane, vsque ad vesperam S. Synodi iudicium expectantem refert Baronius, vt autem audiuit infœlicem & blasphemum Nestorium esse depositum, cœpisse omnes vnâ voce prædicare Synodum, & Deum glorificare, factáque multa lætitia, luminaria per totam ciuitatem fuisse accensa; atque adeò & ipsas mulieres adolentes thymiamata cum thuribulis progredientes è tanta victoria Patres præcessisse, testantur Cyrilli tunc temporis ad suos Alexandrinos scriptæ litteræ.

Denique post insignem illam victoriam contra Nestorianos, qui & hæresim Pelagianam restituebant, quod scilicet Adæ anima per peccatum non fuisset priuata Dei gratia, neque peccatum

catum originale non esset propagatum in posteros sæpius ante damnatam vbique locorum à Christianis trophæa erecta sunt, & sanctissima Virgo Maria, (quæ vt canit Sancta Ecclesia cunctas hæreses interemit in vniuerso mundo) Mater Dei omnium ore cantata est, atque prædicata, túncque additamentum illud accepisse creditur Angelica Salutatio. *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus.* Factum est, vt quamuis frequens antea esset ipsius cultus, post hæc diuino excitante Spiritu frequentior fuerit atque celebrior: vixque repetiri esset, qui absque Dei genitricis titulo nominaret Sanctam Mariam?

Quæ supradicta verba addita Salutationi perdurauere vsque ad Breuiarium Cardinalis Sanctæ Crucis, vt initio habetur ejusdem. Postremis ergo temporibus ex consuetudine Romana à Pio V. in Breuiario approbata, additum est.

Nunc & in hora mortis nostræ, quæ verba significant quantam Ecclesia ponat fiduciam in Beatæ Virginis intercessione.

De Symbolo Apostolorum.

Vide quæ de illo scripsi in Tractatu de fide, id per transennam recolere non pigebit, editum fuisse ante necem Beati Iacobi, id est, anno Christi 44. dictante Deo ait Tertullianus de præscriptione cap. 14. quod ideò à Romana Ecclesia integrè fuit custoditum, vt Vigilius Papa lib 4. contra Eutychem appellarit Romanum Symbolum, dum scribit Romanum esse antiquius Nicæno, id est, Apostolicum, vt exponit Durandus libro 2. de ritibus cap. 24. imò Rufinus asserit factas illi esse in diuersis Ecclesiis additiones, Romæ verò minimè, eo quod nulla hæresis exordium habuerit Romæ.

Ex decreto Damasi recitabatur ad omnes horas, & Durandus libro 4. cap. 25. innuit suo tempore id vsitatum, sed vsu abrogatum excéptis Matutino & Prima ante easdem horas, & in Completorio in fine: dicitur autem initio Matutinæ & Primæ submissa voce, quia in primitiua Ecclesia sub silentio erant plerique fideles metu persecutionum. Item dicitur secretò in Completorio; quia in fine mundi plures reseruabunt fidem in corde, & palam non prædicabunt. Iam verò in medio Officij, & in Missa altè cantatur, quia fides Patrum declarans Apostolicum liberè diuulgatur. In precibus dicitur partim clara voce, partim secretò, quia *corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

De Inuitatorio.

Alcuin. & Amalarius de eo agunt: variatur hodie pro Officij qualitate Concinnius hodie quam ante Pium V. non dicitur in die Epiphaniæ, quia vt scribit Alcuin. Herodes inuitauit, & congregauit Scribas, vt sciret de Christo ad eundem occidendum, vel ex Hugo. in spec. cap. 5. quia Magi venerunt ad Christum nemine inuitante: vel quia Psalmus *Venite*, dicitur eo die in nocturnis, neque bis in eodem Officio Psalmus idem dici solet. Psalmus autem ille ponitur in tertio nocturno, quia tempore gratiæ omnes inuitantur ad Deum; non ita autem communiter in Lege naturæ & scriptæ, vnde frequens habetur repetitio *Venite adoremus.* Non dicitur in triduo ante Pascha, ne inuitemur, sed potiùs detestemur pestiferum Concilium Iudæorum contra Christum. Præterea Apostoli tunc dispersi erant, qui alios inuitare ad Deum consueuerant.

De Hymnis.

Hymni Græcè, Laudes Latinè, sunt cantus laudem Dei, vel Sancti continentes ex Augustino Psalm. 72. Ita vt hæc tria laus Dei laus & cantus constituant Hymnum. Hymni, vel continent historiam creationis distributam per septem dies hebdomadæ, vel historiam festorum quæ celebrantur ad laudandum Deum, de collatis gratiæ donis. Et sunt à Sanctis Patribus editi, & ab Ecclesia recepti. Vnde in Tolet. Conc. 4. cap. 12. dicitur. Hymni à multis magno studio in laudem Dei atque Apostolorum & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut ij quos Beati Doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt. Dionys. aliquos memorat à Beato Hierotheo compositos. Dixerim ingenuè introductionem deduci à Christo, qui Hymno dicto exiuit in montem Oliueti, aut saltem ab Apostolis, cùm Paulus Ephes. 5. Coloss. 3. Hymnorum mentionem faciat, intelligens hoc nomine etiam carmina, quæ Christiani illius æui componebant, vt intelligere est ab Haymone & Eusebio 2. historiarum cap. 17. Concilium autem Toletanum decreuit Hymnos retineri in Officio Ecclesiastico, quia iam tunc aliqui cœperant eos contemnere, eo quòd in sacris Libris non haberentur. Gelasius Papa aliquos etiam edidit, & vsum eorum in Horis Canonicis approbauit, teste Vvalfrid. cap. 25. de rebus Ecclesiasticis. Multos hodie habemus Hymnos, 96. supputantur: major eorum pars Ambrosium habet Authorem.

Æterna Cœli gloria.
Æterna Christi munera Apostolorum.
Æterne rerum conditor & Martyr.
Audi benigne conditor.
Aurora lucis rutilat.
Christe redemptor omnium.
Conditor alme syderum.
Consors paterni luminis.
Deus tuorum militum sors.
Ex more docti mystico.
Iam Christe sol iustitiæ.
Iam Christus astra ascenderat.
Iam lucis orto sydere.
Iesu corona celsior.
Iesu corona Virginum.
Iesu nostra redemptio.
Immense Cœli conditor.
Magna Deus potentiæ.
Nox atra rerum contegit.
Nunc Sancte nobis Spiritus.
Rector potens verax Deus.
Rerum Deus tenax vigor.
Somno refectis artubus.
Splendor paternæ gloriæ.
Summæ Deus clementiæ.
Te lucis ante terminum.
Telluris ingens conditor.
Tu Trinitatis vnitas.
Veni creator Spiritus.

Vox clara ecce intonat.
Vrbs Hierusalem beata.
Christe Redemptor omnium.
In festo omnium Sanctorum.
Tristes erant Apostoli.

Hos 34. fecit Ambrosius. Hymnus *Te Deum laudamus* à Sanctis Ambrosio & Augustino compositus perhibetur anno 388. vt scribit Sanctus Dacius Episcopus Mediolanensis lib. 1. cap. 20. Chronici. Cùm Ambrosius Augustinum de Manichæis conuersum baptizaret, dixit *Te Deum laudamus.* Augustinus respondit, *Te Dominum confitemur.* Et illo dicente, *Te æternum Patrem.* Ille respondit. *Tibi omnes Angeli,* Et sic consequenter alternatim totum ex campo composuerunt, qui quàm primùm assumptus est ab Ecclesiis, Sanctus Benedictus iussit cantari post tertium nocturnum.

Vxor Boëtij Elpis sequentes fecisse dicitur circa annum 522.

Aurea luce & decore.
Doctor egregie Paule.
Iam bone Pastor Petre.
Petrus beatus catenarum.
Quodcumque vinclis super terram.
Sanctus Thomas fecit.
Pange lingua.
Sacris solemniis.
Verbum supernum prodiens.

Prudentius aliquos fecit.

Aue maris stella datur Sancto Bernardo.
O Gloriosa Domina. Fortunato,
Quem terra pontus. Eidem
Vexilla regis prodeunt. Eidem, ex Baron.
Vt queant laxis. Paulo Diacono.

Anno 770. longè ante Guidonem Abbatem, qui Anno 1020. inuentor fuit notarum musicalium, vt, re, mi, fa, sol, la.

De Psalmis.

FVisse in vsu apud Christianos ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ, vt in conuentibus Ecclesiasticis Psalmodia, primum locum haberet, cognosci potest ex 1. Corinth. 14. *Cùm conuenitis vnusquisque vestrum Psalmum habet.* Item ex Tertulliano, libro de velandis virg. & libro 2. ad vxorem. Denique ex Concilio Laodiceno cap. 15. & 17. Ratio fortè hæc est, quod Psalmi sint quasi compendium totius veteris Testamenti: quicquid enim Moyses, vel in historia tradidit, vel in lege præcepit, & quicquid reliqui Prophetæ, vel exhortando ad virtutes, vel prædicendo futura scripserunt, id ferè totum in Psalmis comprehenditur. Vide quæ in Psalterium scripsi, in Speculo meo vniuersali Bibliorum.

Certè Psalmi principalem Officij diuini partem efficiunt omnis generis voces & affectus in se complectentem: modo enim exprimunt affectus & voces compunctionis pro peccatoribus modo sublimis amoris pro iustis, modo versiculi edocent & repræsentant miseriam nostram, vt nos ipsos cognoscamus, modo miseriam diuinam exaltant, vt Deum collaudemus, modo diuina enarrant beneficia, vt gratias agamus, mox exhortationem continent, & perfectionis consilia suggerunt, vt ea adimpleamus. Denique multa continent, quæ omni loco, tempori, & conditioni hominum congruunt, vt animus in Deum erigatur. Hinc olim maximè fuit commendatum his qui in pietate instruebantur incumbere à primæua ætate Psalterio ediscendo. Ribadeneira refert Psalmos recitari in Horis, ex decreto Pontiani Papæ, sed vel vbique non fuit receptum, vel Romæ neglectum intelligitur, nam post annos centum & vltra, Psalmos omnes per Dominicam & Ferias distribuit, Sanctus Hieronymus & Damasus ejus ordinem decreto sanciuit, cùm nihil ferè ex Psalmis Romæ in Templis legeretur, vt ipse Damasus fatetur in epistola ad Hieronymum in tom. 1. Concil. Hieronymus igitur constituit in Dominicis 18. Psalmos in Matutinis ferialibus, & 9. in Matut. festorum. Ad Horas secutus Ambrosium distribuit in plures partes Psalmum 118. *Beati immaculati.* Dispositio autem hæc ita facta constat, vt 150. in hebdomada persolui possint. Et licet Sanctus Benedictus in Regula capit. 18. aliter disponat Psalterium per hebdomadam, quàm in Romano Breuiario, tamen ait, siue hoc, siue alio ordine Psalmi disponantur, hoc omninò attendatur, vt omni hebdomada Psalterium ex integro numero 150. Psalmorum psallatur. De numero duodenario in feriis narrat Cassian. libro 2. de Institut. cœnob. cap. 4. per Ægyptum & Thebaïdem; diuersum olim apud Monachos fuisse morem in Psalmorum numero concinendo, dum alij plures, alij pauciores cantarent, sed Angeli ministerio retentus est postea numerus duodecim Psalmorum, qui ad Nocturnas vigilias quotidie recitantur: nam coram Monachis apparens Angelus duodecim Psalmos continenter cecinit, quibus finitis Alleluia cantauit, ac non amplius visus, nec auditus fuit; vnde in Concilio Turonico cap. 19. legimus. Ad Matutinum duodecim saltem expediantur Psalmi; quia Patrum statuta præceperunt, vt duodecim Psalmi decantentur cum Alleluia, quod etiam Angelo ostendente didicerunt. In festis autem tria nocturna cum tribus Psalmis in quolibet recitantur, in memoriam nouem Chorum Angelorum, quibus etiam adscribuntur Psalmi, qui iuxta opinionem Theologorum assumuntur ad diuersos Choros Angelorum, iuxta merita diuersa. Extat decretum Gregorij VII. de consecratione dist. 5. in die. Omnibus, inquit, diebus aliis (excipit Pascha & Pentecostem) per totum annum, si est festiuitas nouem Psalmos, & nouem Lectiones dicimus: aliis verò diebus 12. Psalmos & 3. Lectiones recitamus: in diebus Dominicis 18. Psalmos & 9. Lectiones celebramus. Minor numerus Psalmorum dicitur tempore Paschali, ob temporis iucunditatem ait Radulphus propos. 10. Psalmi mutatio vnius in alium, vt in Prima pro *Confitemini* dicatur *Dominus regnauit*, & pro *Iubilate* in Sabbatho dicatur. *Bonum est confiteri*, ideò decreta est, vt in hebdomada, quoad fieri possit expleatur Psalterium neque Psalmus vnus omittatur in Officio totius hebdomadæ.

Vsus eiusdem Psalmi in pluribus festis ad Matutinum eam habet causam; quia in eodem sunt plures & varij versus, qui commodè pertinere possunt ad varia festa & suggerunt varias ad rem accommodatas Antiphonas. In vesperis Sanctorum accidit mutatio vltimi Psalmi Dominicalium, vt sit conformior festo ait Radulph. cit.

De Lectionibus.

LEctiones depromuntur, vel ex Sacra scriptura, vel ex homiliis Patrum, vel ex gestis & vita eorum. Vsus autem earum ducit originem à Lectione quæ fiebat in scholis Patrum. Isidorus lib. de Offic. cap. 10. deducit ab Hebræis qui certis diebus legebant de lege, & Prophetis in Synagogis: & legit Christus Luc. 4. In Conc. Laodic. can. 17. quem citat Suarez lib. 4 de horis canonic. cap. 2. fuit decreta Lectio post Psalmos, vel longa in Matutino, vel breuis in aliis Horis, Capitula enim sunt Lectiones breues. dicuntur autem Lectiones eo quod non cantantur, sed leguntur. Item ex Conc. Carthag. 3. cap. 47. Lectiones præscribi non tantum ex scripturis, sed etiam ex vitis SS. Martyrum, & ex homiliis SS. Patrum testis est S. Hieron. in lib. de scriptor. Ecclef. vbi dicit sermones B. Ephrem legi consueuisse in Ecclesia post lectiones Apostolorum, & Prophetarum. Cassian. etiam lib. 2. de instit. cœnobiorum cap. 5. refert à maioribus fuisse institutum, vt in nocturno Officio 12. Psalm. & 12. Lectiones recitarentur. Denique Gelasius Papa descripsit ordinem Lectionum, tum ex scriptura, tum ex Patrum homiliis per totum annum vt est apud Gratian. dist. 15. can. *Sancta Rom. Ecclesia*, & Gregor. VII. restituit Breuiarium Romanum in eam formam quam habuerat antiquissimis temporibus, idque fecit in Concil. Generali, quod idem fecit Pius V. Officij diuini reformator. Distributio Ordinis Lectionum vt est nunc in Breuiario Rom. explicatur à Ruperto lib. 12. de Offic. diuin.

Ordo autem ad vsum Breuiarij stabilitus à Gelasio dist. 15. cap. *sancta Rom.* talis est.

In aduentu legitur Esaias, quia inquit Amalarius, nemo Prophetarum locutus est apertiùs de Natiuitate Christi.

Ab Epiphania imò à natali Domini leguntur Epistolæ S. Pauli quia ait Rupert lib. 10. dum repræsentatur Christus in mundo, præcones eius audiri debent.

A Septuagesima ad Dominicam de Passione legitur Genesis, & Exodus, quia Passionem Domini celebraturi recurrere debemus ad Adæ peccatum pro quo passus est, & dum recitatur de Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob, quasi de diuersis ætatibus, ad Christum choros Patrum deducimus: ita Rup lib 4. c. 5.

Post Pascha Actus Apost. Apocalypsis, Epistolæ Apost. quia virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Christi, ex Rup. cit. & Aug. tom. 4. c. 12

Post Pentecost. vsque ad mensem Augustum ponuntur Libri Regum, vt resumatur ordo historicus à Genesi ad libros Reg. ait Amalar. cap. 72.

Mense Augusto leguntur Libri Sapientiales, quia post Libros Reg. æquum est vt Rex Salomon audiatur, feruentéque sole eo mense ferueat, & sapientia, ait Amal. sunt autem Prouerbia Eccles. Cantica. Sapientia. Ecclesiasticus.

Mense Septembri Iob. Tobias. Iudith. Esther. quanquam Gelasius pro Iudith ponit Esdram, vt imitemur eo tempore patientiam Iobi, & Tobiæ, ait Amal. c. 73.

In mense Octobri Machabæi leguntur, vt meminerimus bella non deesse inter virtutum profectus.

Mense Nouembri leguntur Ezechiel, Daniel, & 12. Prophetarum libri, quia sæpe loquuntur de aduentu Messiæ, quem in proximo Decembri celebramus.

Durandus multa habet in lib. 6. cap. 43. pro temporum partitione correspondente distributioni Officij, quæ Georgius Eder transtulit in Oeconomiam suam Bibliorum tabula 64. Vnum ad hæc dicam, *qui nimis emungit, elicit sanguinem.* Qui sensum Scripturæ nimis contorquet, & specialiter ea quæ ad Officium diuinum spectant ex beneplacito Præsulum ordinatum, multa deordinata dicet, & si in aliquibus congruentiam reperiat, in multis profectò dissonabit. Ordo iste, & applicatio, voluntatem reformatoris pro ratione habet in distributione saltem Lectionum primi Nocturni, ait Bellarm.

Pro secundo Nocturno Gelasius cit. decreuit, posse legi opuscula SS. Cypriani, Chrysost. Hilarij, Ambros. Augustin. Hieronymi, Isidori, & Leonis Papæ.

Item opuscula SS. Patrum qui à S. Rom. Ecclesia non desciuerunt. Præterea Vitas Patrum Antonij, & aliorum à S Hieronymo scriptas. De Bedę operibus nondum legebatur tempore Radulphi, vt ipse scribit propos. 11. de Can. obser.

Primæ Historiæ de Sanctis in Officio diuino habuerunt authores Paulum Diaconum iussu Caroli Magni, ait author ligni vitæ lib. 5. & Vsuardum Monachum qui viuebat circa ann. 800. ex Polydoro Virg. lib. 6. c. 1.

Quas nunc habemus secundas Lectiones ex historiis sanctorum, & fuerunt à Cardinalibus Bellarmino, & Baronio recognitæ, & approbatæ sub Clemente VIII.

Pro tertio Nocturno Euangelium cum sua homilia legitur: hoc autem quadrat ad repræsentandum tempus gratiæ & Euangelij post eos qui ante legem, & sub lege fuerunt: homilia est vox Græca sermonem, & colloquium sonans. In modo legendi illud obserua, vt legas titulum libri, seu Euangelij, seu sermonis, seu homiliæ, nisi aliter notetur, vt in Natali Domini.

In vitis Sanctorum Patrum eo tantùm casu legitur titulus quando est authoris classici, puta cum legimus de libro S. Hieronymi de scriptoribus Ecclesiasticis, & huiusmodi. Quærit autem Hugo Victor lib. 2. de Off. cap. 3. cur in Lectionibus diurnis, *id est*, Capitulis ad Horas, & quandoque non pronuntiatur in Nocturnis author earum: in Missa verò semper pronuntiatur titulus excepta maiore hebdomada.

Respondet ad Missam conuenire quoque bubulcos qui nesciunt de authore nisi doceantur, ad horas autem Clerici conueniunt qui bene norunt authores Lectionum, viderit ipse an verum?

In fine Lectionum dicitur. *Tu autem Domine miserere nobis*, (non Domine vt ante Lectionem) quia cum Deo loquitur Lector, & sic concludens indicat ne ipsum quidem officium legendi sine aliqua leui culpa peragi posse, ait Rupert. cap. 13. huic Chorus succinit *Deo gratias*, quod ad totam Lectionem refert, quia inquit Rupert. cap. 14. gratias, agimus Deo quod panem

panem doctrinæ nobis frangere dignatus sit, idémque ideo respondetur in fine omnium Capitulorum; sedetur ad lectiones pro maiori attentione.

Benedictiones, & Absolutiones Lectionibus præmittuntur, veluti preces iaculatoriæ quibus excitetur attentio, quarum prima ad Patrem 2. ad Filium 3 ad Spiritum Sanctum dirigitur, vt mundentur corda, & corpora nostra ad audiendum verbum Dei in Lectionibus, ait Hugo, in speculo cap. 3. estque protestatio, nos non posse fructum ex eis percipere nisi præuia absolutione Dei à peccatis. Notat Gauantus dici Absolutiones sumpta denominatione à nobiliori quæ dicitur in tertio nocturno in qua sunt hæc verba. *A vinculis peccatorum nostrorum absoluat nos, &c.* Quapropter etiam hæc Conclusio adiicitur. *Tu autem Domine, &c.* vt scilicet, det nobis facere fructum ex semine verbi lecti.

Respondetur autem *Deo gratias*; quod refertur ad totam lectionem de qua quasi de pane fracto agimus gratias. Quod autem Lector recitaturus benedictionem petat, indicat neminem vsurpare debere munus annunciandi verbum Dei sine permissu superiorum, *quomodo* prædicabunt nisi mittantur ait Paulus? non placet hæc Gauanti responsio, nam Lector qui tenetur officium persoluere non assumit officium docendi, non est ergo petitio missionis, tum Lector non petit vt benedicatur, sed vt iubeatur benedici. Respondeo cum Damian. in libro de Dominus vobiscum cap. 2. Lectorem humilitatis gratia hæc dicere, & Sacerdotem vt vicem rependat humilitati, nec per se, nec per alium benedicere, sed Lectori, & cæteris omnibus benedictionem ab ipso Deo precari, qui fons totius benedictionis est.

Lector dicit, *Domne*, non *Domine*, quia hic Dei titulus est, ille hominis præclari, ait Baron. ex Euodio anno 416. & tempore Hieronymi omnes sancti, & homines alij vocabantur Domni, solus autem Deus, Dominus. Papa ipse hodie in Litaniis Sanctorum dicitur Domnus Apostolicus.

Post Lectionem sequuntur Responsoria, quorum inuentionem Vualfridus tribuit sancto Ambrosio. Certè iam tempore S. Benedicti erant in vsu vt ex eius regula intelligitur: sic autem dicuntur quòd vno inchoante alius respondeat, vel vt ait Turrecremata, quia secundum ordinem historiæ ordinata sunt, & ei respondent ait Rupert. tristia tristibus, læta lætis succinente choro. Additum est. *Gloria Patri, &c.* quod aliàs integrè dicebatur Amal. teste, hoc autem dici præcepit Concil. Tolet. 4. can. 18. ea lege vt sequatur in lætis, in tristibus repetatur initium Responsorij, quod obseruatur in Dominica de Passione, & feriis sequentibus: responsorium autem significat assensum auditorum ait Hugo, estque quasi canticum spirituale ad subleuandos animos interlegendum.

De Antiphonis.

VOx est Græca idem ac vox opposita, seu contra-sonans. Alcuin. autem lib. de celebr. Miss. & Amalar lib. 4. de Off. cap. 7. vocem reciprocam interpretantur, quia inchoatur ab vno vnius chori, & ad eius Symphoniam cantatur Psalmus per duos choros, ipsáque antiphonâ coniunguntur simul duo chori: hinc receptum est vt sententia quæ Psalmum, aut Canticum præcedit, Antiphona dicatur, ait Durandus lib. 5. cap. 17. Porrò vsum Antiphonarum primus apud Latinos inuexit S. Ambrosius circa annnm 383. sub Damaso, vt probat Francolin. 1. part. cap. 3. vsum quidem alternatim canendi omnes referunt ad Ignatium Antiochenum ex quadam visione Angelorum cantantium vnus ad alterum *Sanctus, Sanctus*, vt scribit Socrates 6. hist. cap. 8. Isid. 1. de Off. cap. 7. Hinc Ecclesia Antiochena præscripsit alternum cantum, qui consequenter ab aliis assumptus est Ecclesiis.

Antiphonæ dicuntur semper cum Psalmis, vt sicut Psalmus inquit Amal. significat ex Hieronym. opus bonum, ita non sine antiphona debet esse quæ sua combinatione, seu repetitione ante, & post Psalmum significat diuersorum vnionem, & charitatem, sine qua opus bonum non facit concentum Deo, nec aliquid valet.

Duplicantur in duplicibus, non in aliis. & inde officium dicitur duplex, quia in solemnioribus charitatem perfectiorem ostendere debemus, ait Hugo; vel significat inchoatam in hac vita charitatem consummandam esse in fine vitæ, sicut integra dicitur antiphona in fine Psalmi. Addit Durand. antiphonam inchoari ante Psalm. quia charitas debet præcedere opus bonum vt sit meritorium, & inchoatur ab vno quæ ab omnibus completur, quia ab vno Christo diffunditur charitas ad membra.

De versibus.

AVertendo dicuntur, habet autem versus hoc singulare vt excitet corda cantantium ad requirendam faciem Dei in oratione; ait Amal, habet præterea vim vt faciat totum chorum conuerti ad vnam, & totam intentionem ad rem pro qua fit officium: Notat etiam quod vertebant se cantantes ad Orientem, vel ad altare; adhibetur ergo versus vt oratio ferueat; non habetur in Paschate, quia tanta est festiuitas cum breuitate officij vt non egeamus stimulis, additur sæpius, alleluya, ad exprimendam hilaritatem.

De Canticis.

CAnticum est affine hymno, quia vt plurimùm laudem Dei, & gratiarum actionem sonat, antiquius Psalmo comprobatur cùm Moses author eius sit, neque inter Apostolos defuit, Coloss. 3. secernit autem à Psalmo, quia ex Euthymio Psalmus est carmen cum instrumento Psalterij, Canticum est vox musica cum harmonia ore solo prolata: mysticè Psalmus bona opera, Canticum verò gratiarum actionem significat? ait Durand. lib. 5. cap. 4.

Septem Cantica ex Scriptura habentur in Breuiario, quorum ordo temporis is est.

Cantemus Domino, quod est Mosis Exodi 15. editum est anno mundi 2544.

Audite Cœli quæ loquor Mosis, Deut. 32. anno mundi 2583.

Exultauit cor meum Annæ Matris Samuëlis 1.Reg.2. ann.2904.

Confitebor tibi Domine Isaiæ 12. anno 3314.

Ego dixi in dimidio dierum meorum Ezechiæ regis Isaiæ 38. ann.3322.

Domine audiui auditionem tuam, & timui Abacuc 3. ann.3351.

Benedicite omnia opera Domini Domino trium puerorum, Danielis 3. anno 3462.

Ex Euangelio habentur alia tria in Breuiario, ordo temporis eorum sic est.

Magnificat B. Virginis Luc. 1. anno mundi ex Torniello 4051.

Benedictus Dominus Deus Israël Zachariæ eodem anno post tres menses Luc. 1.

Nunc dimittis Domine, Simeonis Luc. 1. anno 4051.

Hæc tria vocantur ab antiquioribus Euangelia; ita Ordo Romanus quia sunt partes Euangelij S. Lucæ & ideo omnes stant dum hæc dicuntur, vt fit ad Euangelium in Missa. Quotidie hæc tria dicuntur, scilicet in aurora *Benedictus*, quia ibi vera lux, scilicet Christus nuntiatur. In vespera *Magnificat*, quia in fine mundi Deus superbos disperdet, & exaltabit humiles. In Completorio, *Nunc dimittis*, quia post iudicium Sancti in pace regnabunt.

Plurimi initio Cantici formant sibi crucem à fronte ad pectus, quia est Euangelium, & placet Gauanto, quia hoc præscribitur Episcopo ad initium Cantici *Magnificat* vt notat Cæremonial. lib. 2. cap. 1. tum idem signum adhibetur in Missa initio Euangelij, licet diuerso modo; abiit autem in desuetudinem, & bene, quia debet sufficere primò factum initio Officij.

De Capitulis.

HÆc sunt breues Lectiones quas Hugo vocat capitella, quia capita sunt, & principia variationis ad horas, cum præcedentia sint semper eadem. Capitula quoque dicuntur quia vtplurimum in festis sumuntur de capitibus Epistolarum in Missa lectarum, Ambros. fuit author eorum ad Tertiam, Sextam, Nonam, deinde Conc. Agath. canon. 11. dist 5. de consecr. cap. *Conuenit*, iussit ea dici post Psalmodiam vbi, & ea vocat Collectiones.

Quærit Amalarius cur ante Cap. non petitur benedictio Respondeo, quia vtplurimum superior hæc dicit, aut Hebdomadarius qui legentibus ad Matutinum, & ad absolutionem in fine Primæ, & ante Completorium impertit benedictionem vicem maioris agens: tacetur in his titulus, & nomen authoris, quia Clerici supponuntur de iis periti, stamus ad illa quia breuia sunt, & non fatigamur, tum quia stante maiore, qui ea legit stare debent alij ob eius reuerentiā. In fine non dicitur, *Tu autē* quia neque dicitur ante Iube Domne, quæ duo sunt inuicem correlatiua, tum hebdomadarius ea recitat cui non conuenit ordinariè benedictionem ab alio petere, tum in breuiori lectione facilius vitatur culpa, præsertim à viro perfecto quem recitans hebdomadar. repræsentat. ita Durand.

De Oratione.

VNica Oratio pro omnibus Horis habetur, quæ vltimum locum in Horis Canonicis tenet ex antiquo Ecclesi. ritu ait Amal. vt vnusquisque tali scuto, id est, communi oratione rediens ad sua muniatur contra aduersa. Concil. Agath. iussit dici in fine, eámque breuem *ne* vt Matth. 6. dicitur, *multum loquentes oremus*. Plurimas composuit Ambros. has limauit, & auxit Gelasius teste Sigeberto ad annum 487. Gregorius verò fecit vt Oratio semper concordaret cum Officio vt notat Microl. cap. 16. Collecta dici solet, vel quia breuiter colligit quod ex consequentia Officij postulandum est à Deo, vel quia Sacerdos omnium collectim vice petit.

Præmittitur Salutatio, *Dominus vobiscum*, quæ verba vocantur à Dionys. de Hierar. Eccl. Salutatio diuinissima desumpta ex libro Ruth cap. 2. & 2. Paralip. cap. 15. cuius efficacia ab ipso Christo est, qui dixit Matth. vlt. *Ego vobiscum sum*, Quam, & Apostoli introduxerunt. Vnde Conc. Bracar. 1. cap. 21. *Placuit vt non aliter Episcopi, & Presbyteri populum salutent dicentes Dominus sit vobiscum*, & vt respondeatur à populo, *Et cum spiritu tuo*, sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana hæresis permutauit; Hoc iam firmarat decreto, vel Clemens, ex Gemma lib. 1. cap. 87. vel Anacletus ex Hugone lib. 2. cap. 11. vel vterque ex Radulpho proposit. 23. sensus autem est, Dominus in vobis maneat, & petitionibus vestris effectum tribuat, sic Durand. lib. 4. cap. 14. vel Sacerdos docet se habere pacem cum toto Clero, & populo, sic Petr. Damian. vel dicitur ad excitandam attentionem mentis ad Orationem vt vult Rupert. dicitur autem, *Dominus* non Deus vel Christus, quia Dominus potestatem significat, subditur autem & cum spiritu tuo, quasi alij optent Sacerdoti quod ipse aliis optat, ait Florus in exposit Missæ, quod à Paulo desumptum est 2. Timoth. vlt. Neque dicitur tecum sed spiritu tuo, quia Officia Ecclesiastica spiritualiter fiunt, ex Damian. vel vt sit vnus effectus omnium: dicitur etiam ab eo qui recitat solus, nam intendere debet Clericus se cum Ecclesia loqui vt monet Nauarr. in Miscellan 67. de Oratione. Excommunicatus non potest vti hac Salutatione etiam in priuata recitatione, quia pertinet ad dignitatem ordinis, qua indignus effectus est, aiunt Nauarr. Durand. eius autem loco dicitur, *Domine exaudi*, cuius rei Radulph. meminit tanquam vsitatæ, additur, *Oremus*, ante publicam Orationem ex August. epist. 106. ad Vitalem vt inuitentur alij ad orandum; repetitur post Orationem Salutatio, *Dominus vobiscum*, sicut Christus dixit semel, & iterum Apostolis, *pax vobis*, ait Hugo, Sacerdos enim dicens Orationem vicem gerit Christi, & ideo regulariter eam dicit stans ex Amal. lib. 4 & etiam ob memoriam resurrectionis.

Concluditur Oratio variis modis, & vtplurimum per Christum, quia Oratio sæpiùs dirigitur ad Patrem, Dominus enim ita nos docuit orare Matth. 6. *Pater noster qui es in cælis*, & Ioann. 6. *Quicquid pepetieritis Patrem*

in

in nomine meo : tarò ad filium dirigitur, & non antiquitùs, quod deinde factum est, ne homines fortasse crederent non posse desertis verbis inuocari nisi Patrem: tum factum fortè est, vt ipse quoque filius credatur Deus. Cum autem oratio dirigitur ad filium concluditur. *Qui viuis, & regnas.* Nunquam dirigitur ad Spiritum Sanctum oratio, quia Spiritus Sanctus donum Dei est, & à dono non petitur donum, sed à donatoribus à quibus ille procedit. Prout ergo dirigitur Oratio, fit etiam conclusio, vt concinat sensui Orationis vltimæ quando plures iunguntur simul. Hoc autem est commune omnibus conclusionibus vt semper in iis fiat mentio sanctissimæ Trinitatis vt intelligamus nullum fieri præiudicium reliquis diuinis personis quæ in Oratione taceri videntur, dum consummatio ostendit nullum esse discrimen in Trinitate, ita Fulgentius lib. 2. ad Monimum q.1.

Respondetur, *Amen* quod significat verè, seu fideliter quod à verbo Hebræo, אמן quod in *hiphil*, sonat credere, & in *niphal*, stabilem esse Græci vertunt γενοιτο fiat, qui enim respondet optat verè, & fideliter ita fieri vt in Oratione postulatur : esse autem vsum antiquissimum respondendi, Amen patet ex 1. Corinth. 14. *Qui supplet locum idiotæ quomodo respondebit, Amen.* Idem patet ex Iustino in Apol. 2. Hieron. lib. 2. in epist. ad Galat. August. epist. 107. ad Vitalem.

Non omittendum quod Horæ concluduntur per illud. *Fidelium animæ per misericord. &c.* vt in qualibet hora partem habeant defuncti, & illarum non obliuiscantur Ministri Ecclesiæ quoties officium persoluunt monentur etiam per hoc mortis in qua aliorum indigebunt precibus, & cum hora illius sit incerta, attendunt ad debitè singula peragenda denique concluditur Officium per aliquam ad B. Virginem Antiphonam quia hæc est mediatrix porrigens preces nostras Filio, & per illum Patri æterno ipsaque intercedit pro defectibus, & negligentiis interpositis' Commemorationes Sanctorum fiunt ad recolenda eorum merita, & ad eorum patrocinium sæpius impetrandum, ait Dur. lib. 6. c. 60.

Preces quas Isidor. de Off. cap 9. notat primùm à Græcis compositas, vnde voces Kyrie eleison retinentur, *id est*, Domine miserere multiplicantur ad Primam & Complet. vt per diem à malis imminentibus liberemur, & humilitatem quæ in principio, & fine diei conuenit indicant.

Feriales quæ flexis genibus dici solent dicuntur preces flebiles continent omnes modos orandi quas Paulus 1. Timoth. 2. enumerat, obsecrationem, postulationem, gratiarum actionem, &c.

De Horarum singularum introductione, & ritu.

Licet Ecclesiastica Officia à vesperis incipiant iuxta illud Leuit. 23. *à vespera ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*, & habetur extra de feriis cap. 11. quia tamen ordo conueniens est vt à tenebris procedamus in lucem, & non è conuerso, ideo à noctis Officio inchoamus, ait Durand. Certè Nocturnum Officium media nocte plerumque canitur, vt Ecclesia militans triumphantem imitetur in laudando Deo, illa autem nunquam cessat. 2. vt beneficia Christiano populo nocte collata recolamus. Specialiter aduentum Dei in carne natus est enim Christus vt Sapient. 19. dicitur, *dum medium silentium tenerent omnia, & nox, &c.* 3. quia Christus media nocte captus, & illusus est à Iudæis. Ea etiam hora spoliauit infernum, largè accipiendo noctem scilicet, ante lucem, qua hora, & surrexit, & ad iudicium venturus asseritur, vt tradunt Iudæi, in cuius figura Angelus transiuit media nocte percutiendo primogenita Ægypti. Et Hieron. agens de Sabbatho Sancto ait, existimo traditionem Apostolicam permansisse vt in vigilia Paschæ ante noctis medium dimittere non liceat populos expectantes Christi aduentum, vt resurgenti Saluatori occurrant, postquam illud tempus transierit securitate præsumpta festum cunctos agere diem: sed quia quod pro deuotione institutum fuerat, in minus honestas actiones quibus nox præbet facultatem conuersum est, institutum fuit vt Officium ipsius noctis, de die celebraretur. 4. vt noctes delictorum nostrorum illuminentur. Vnde Paulus, & Sylas in vinculis existentes media nocte orantes terræ motu facto repente ianua aperta est, & eorum vincula ilicò sunt soluta Actor 18. 5 propter carnis illecebras psallendo, & orando domandas, quia sicut Eccl. 18. dicitur, *vigilia honestatis domat carnes.*

Sciendum est autem quod olim in primitiua Ecclesia vsu receptum fuit vt nocte surgeretur ad Officium diuinum, ministri siquidem Ecclesiæ ter interpolatim ad Officium accedebant. Primò circa primum somnum, quando vulgus solet ire dormitum. 2. circa mediam noctem 3. paululum ante diem, sic ordinantes vt nocturnum Officium, & finitæ actiones cum suis responsoriis perfectæ essent prius quàm lucesceret: apparente verò aurora pulsabant campanas, & decantabatur, *Te Deum*, & consequenter Laudes.

Ad primum Nocturnum Pontifex, & Ministri Ecclesiæ surgebant, & hoc sine Inuitatorio cantabatur, quia nullus ad hoc inuitabatur, & vocabatur vigilia, quia initium habuit à Pastoribus vigilias noctis super greges suos seruantibus. Tamen in præcipuis solemnitatibus populus persistebat tota nocte in Laudibus Dei, sed id abstulit Bonifacius Papa, circa annum 420. & ieiunium loco vigiliæ statuit.

Ad secundum Nocturnum surgebant alij Ministri Ecclesiæ necnon, & sæculares vtriusque sexus, & dicebatur Inuitatorium ad significandum Angelos inuitantes Pastores ad videndum Regem natum.

Ad tertium Nocturnum surgebant omnes communiter & Clerici & coniugati. Vides ergo nocturnos distinctos, & separatos ternis inter se horis, & Cleri populique feruorem. Sed hic vsus non diu durauit; vnde statutum postea fuit, vt omnes tam Clerici quàm populus surgerent media nocte, iuxta exemplum Dauidis Psalm. 118. *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo*, & Officium totum continuò expediretur, quod quidem etiam nunc plerique Regularium cœtus obseruant.

Verum

Verum hæc institutio abiit in desuetudinem. Quapropter iterum fuit statutum, vt Clerici saltem tempore vltimi nocturni, cùm Laudes olim cantari solebant circa diei crepusculum ad Ecclesiam pro soluendo Officio conuenirent, vel paulò tardiùs secundùm statuta Capitulorum & Ecclesiarum Cathedralium.

Quod autem Christiani indifferenter conuenirent ad Officium nocturnum, patet ex scriptis Sanctorum Patrum, vnum tantum profero ex secundo sæculo. Tertullianus in Apologetico cap. 2. qui hæc scribit. *Plinius secundus cum Prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, gradu pulsis, ipsa tamen damnatorum multitudine perturbatus, quid de cætero ageret consuluit Traianum Imperatorem, allegans præter obstinationem dius non sacrificandi, nihil aliud se de eorum sacris comperisse, quam cætus antelucanos ad canendum Christo, & Deo, & ad confœderandam disciplinam: homicidium, adulterium, fraudem, & perfidiam & cætera scelera prohibentes. Tunc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos verò puniri oportere.* Sanctus Augustinus lib. 9. Confessionum capit. 7. refert Mediolanensem populum excubare solitum in Ecclesia, & maximè cum Iustina Imperatrix seducta ab Arrianis persequeretur Ambrosium. Tunc institutum est, vt Hymni & Psalmi canerentur secundùm Orientalium morem, ne populus mœroris tædio tabesceret, & inde retentum hucvsque.

Matutinum ergo est vox synonima cum Nocturno seu vigiliis nocturnis, & presè sumptum distinctum est à Laudibus: nam qui volunt computare octo partes diuini Officij, seu Horas Canonicas, diuidunt Laudes à Matutino, idque deducunt ab Esdra lib. 2. cap. 9. qui quater in nocte, & quater in die jubet laudari Deum. lege Nauarr. de oration. cap. 3. Romæ nullum fuit interstitium inter Matutinum & Laudes, ait Amal. in Prologo Antiphonarij, & communiter Matutinum dicitur constitnere vnam Horam Canonicam cum Laudibus. Sanctus Isidor. 6. Ethym. cap. vltim. deducit Matutinum à stella matutina Lucifero, quæ inchoante manè inter noctem & diem oritur, vt hinc edisces, si media nocte cum antiquis, & cum Religiosis hodiernis illud non recites, saltem in aurora persoluas.

Primus vsus Matutini Officij fuit in Betleem ex Cassiano quem Isidor. citat. cap. 23. de Off. nisi de officio Primæ explicandus sit, vt notat Francol. 1. part. cap. 14. congrueret autem, si hoc verum esset, vt à loco Natiuitatis Christi exordium sumpsisset Ecclesia laudum Dei, ibi enim Angeli cecinere Deo, & Pastores laudauerunt Deum.

Ordo Matutini per se patet in Rubricis Breuiarij.

De Prima.

INstitutio ejus antiqua probatur, cum Cassianus discipulus Chrysostomi anno 404 de ea agat lib. 3. instit. Monach. cap. 4. cujus vestigium potius quàm res ipsa tota videtur haberi apud Athanasium lib. de virginitate. *Sol*, inquit, *exoriens videas librum in manu tua, id est Psalterium*, & loquitur de prece post Laudes, quæ ante Solis ortum complebantur. Turrianus, & Suarez volunt Sanctum Clementem loqui de Prima, cùm ait libro 8. Constitut. cap. 34. *Precationes facite manè.* Negat autem Radulph. propos. 14. qui docet expressè Primam & Completorium non fuisse ante Cassianum, ita & Francolin.

Prima congruentius recitatur post ortum solis, tum ex origine apud Cassianum, tum ex hymno. *Iam lucis orto sydere*, ab Ambrosio edito, tum ex authoribus, quos citat Francolin. cap. 15. Idque non sine causa, 1. vt Sicut ouibus, quæ noctu custodiuntur in ouilibus inclusæ manè ad pascua exeuntibus adest Opilio, qui eas dirigat, ducat, defendat à lupis: ita nobis primo diluculo surgentibus Sole oriente adsit Dominus verus Pastor, ait Amalar. tum vt ipso Solis ortu, Solem iustitiæ nobis orientem postulemus. Hac prima hora Christus apparuit Sanctis mulieribus, qui eadem ductus fuerat ad Pilatum, atque inde ad Herodem, & ad Pilatum reductus. Raban. lib. inst. cap. 3. vt gratias agamus Christo, qui supradicta passus sit, & quod Angelus nuntiarit mulieribus ad monumentum venientibus orto iam Sole, Christum resurrexisse: tum quia Dominus eadem hora conueniebat in Templo, & populus manicabat ad eum, vel quia prima hora diei quærendum est Regnum Dei, & primæ cogitationes Clericorum, tanquam quædam lucis primitiæ Deo sunt offerendæ. Meritò ergo Ecclesia in hac hora Deum laudat & inuocat pro directione operum diurnorum.

Martyrologium sequitur post orationem ad Primam, & in fine additur *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum.* In venerationem, inquit Hugo, Sanctorum omnium: inuocantur enim iidem Sancti per orationem sequentem *Sancta Maria, & omnes Sancti.* Scribit hic Durandus martyrolog. non esse de Prima, vnde est, quod quidam illud post Matutinum & Laudes dicunt, & iam quidam inter Primam, & *Pretiosa* dicunt Primam de Beata Virgine, quidam verò interponunt Missam defunctorum. Et quidam Regulares legunt illud in Capitulo. Esse autem de Prima patet ex Pij V. ordinatione.

De Martyrologio occurrit hic agendum. Sanctus Clemens curauit, vt Acta Martyrum per septem Notarios describerentur, quibus ad eandem causam Sanctus Fabianus addidit septem Subdiaconos.

Aliæ Ecclesiæ idem fecerunt, vt Smirnensis & Charthaginensis etiam ante Cyprianum Episcopum & Martyrem.

Gelasius deinde rejecit scripta in hoc genere apocrypha & falsa, vetuitque legi in Ecclesia, sed & permulta legitimè scripta perierant in persecutione Diocletiani, qui Edicto generali ea igni tradidit, non tamen omnia, Deo sic disponente, ait Gregorius Turon.

Et quia quotidie ad Altare Dei fiebat commemoratio Martyrum, ac etiam defunctarum sanctimonialium, ait Augustinus de SS. Virgin. cap. 45. Ideò pridie eorum & earum nomina recitabantur, quorum nataliria die sequenti recolenda essent vnà cum sacrificio.

Atque hinc Origo Martyrologij, id est sermonis de Martyribus. Legebantur Tabulæ Ecclesiasticæ Martyrum, quæ *Fasti* dictæ sunt à Tertulliano

Tertulliano de cor. mil. eo quod in Sanctorum natalitiis Christiani solerent mutua inter se charitate gaudere, & conuiuium celebrare, quod *Agape* dicebatur, seu epulum sacrum natalitium, ex Nanzien. lege Pamelium in Epistola 37. Sancti Cypriani. Romani Martyrologij author proprius nescitur. Ille fuit ante Sanctum Gregorium, vt ex ejus Epistola 29. apparet, non tamen fuit Eusebius Cæsariensis, neque Sanctus Hieronymus, qui ad summum historias Martyrum ab Eusebio scriptas redegit in compendium.

Addidere Martyrologio Romano idem Hieronymus, Beda, Florus, Vsuardus, Vvandelbertus, Ado Viennensis; sed nemo istorum est dicendus author. In Breuiariis manuscriptis antiquioribus pro Martyrologio legitur *Datarium Kalendarij*. Continet autem Martyrologium Romanum, ex omnibus Christiani orbis Prouinciis collectos Martyres; quia Romana Ecclesia materna charitate fideles omnes agnoscit esse filios suos, neque suos tantùm esse censuit Romæ passos, sed omnes alios vbique gentium passos. Verum tamen non datur singillatim singulorum nomina recensere, tum quia super arenam multiplicati sunt amici Dei, tum quia ex instituto antiqui ritus breuitati consulendum fuit.

Tertia Martyrologij editio prodiit emendatior anno 1584. opera Cardinalis Baronij, quæ rursus recognita fuit Vrbani VIII. jussu, addictis Sanctorum Festis, qui nuper canonizati sunt: & in primo loco positis iis quibus datum est Officium de præcepto.

De Horis Tertia, Sexta, & Nona.

HÆ tres Horæ nouissimæ fuerunt Apostolorum tempore ad preces Deo fundendas, vt suprà dixi: insigniores erant in rebus humanis, ait Tertullianus in libro de ieiunio, & solemniores in rebus diuinis, quod idem confirmat exemplo, tum Danielis, qui ter orabat in die, tum Apostolorum.

Hora tertia Deo laudes exoluimus, quoniam in illa secundùm Marcum Iesus linguis Iudæorum morti adjudicatus est, & à Pilato ad columnam ligatus & flagellatus: meritò ergo illa hora oramus, vt sicut Spiritus-Sanctus ab Adam peccante per suggestionem diaboli separatus est: ita per Christi crucifixionem dignetur eadem hora Spiritus-Sanctus infundi cordibus nostris. In hac etiam hora datus est Apostolis, & fecit eos loqui diuersis linguis magnalia Dei. Data etiam fuit Lex noua Apostolis, hinc in Hymno inuocatur Spiritus-Sanctus & dicitur, *Legem pone mihi Domine viam iustific. &c.*

Hora Sexta, pro nobis crucifixus, quare tenebræ factæ sunt super omnem terram. hac etiam hora in die Ascensionis Christus discubuit cum discipulis, multáque de Regno Dei declarauit, meritò ergo illa hora Ecclesia laudes rependit & gratias; ipsum enim vehementer diligit, vt Cantic. 5. dicit. *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo*, & ob id tunc dicitur Psalm. 118. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Hac etiam Hora Adam ejectus est de paradiso; rectè ergo eadem hora Deum deprecari debemus, vt vnde ille per superbiam est ejectus, illuc per humilitatem & Dei obsequium redeamus. Profectò Officium Sextæ respondet tempori, sicut & Officio aliarum Horarum. In prima namque hora est inchoatio, in Tertia profectus, in Sexta consummatio, secundùm quod sol incipit lucere in prima: in Tertia magis calet, in Sexta est in summo feruore, vnde in Hymno dicitur, *Splendore manè instruis*, & ignibus meridiem. Anastasius Sinaïta notat Christum hac hora sermonem instructorium fidei cum Samaritana habuisse.

Hora Nona Christus emisit spiritum, eadémque miles aperuit latus eius, vt dicit Ioannes 12. Ex quo duo salutis nostræ Sacramenta, scilicet aquam Baptismi, & sanguinem Redemptionis nostræ eduxit, & velum Templi scissum est, & monumenta aperta sunt. Eadem hora penetrans inferni tenebras captiuitatem Sanctorum secum ad cœlos transuexit, aut saltem ad Dei visionem. Eadem hora cœtus Apostolorum ad orandum conuenire consueuit. Act. 3. eadem Petrus ascendit in cœnaculum oraturus, & raptus in extasim vidit linteolum plenum reptilibus ante se dimitti, & audiuit. *Petre macta & manduca.* Act. 10. Quod Gentilium admissionem ad Christianismum innuebat & præcipiebat. Hinc Cornelius primitiæ Gentilium Angeli ministerio ad Petrum audiendum missus est: meritò ergo propter has prærogatiuas hac hora Deum laudat Ecclesia, dicens: *Mirabilia testimonia tua, &c.*

Nota Psalmum 118. *Beati immaculati in via, &c.* esse vnicum, qui per litteras Alphabeticas Hebraïcas distinctus in 22. Sectiones facit vndecim Psalmos Horarum Canonicarum, secundùm scilicet & tertium Primæ, cuius primus est, *Deus in nomine tuo, &c.* & tres cujusque sequentis horæ, si quod ibi Mysterium videris.

De Vesperis.

OFficium diei sequentis incipit à Vesperis diei præcedentis, idque à Leuit. 23. deducit Amal. de ord. Antiph. cap. 16. & certè celebritas diei Festi exigit, vt prius incipiat, hoc est à Vesperis pridianis & tardius terminetur, id est, vsque ad Completorium diei Festi. Radulph. autem propos. 18. assignat hunc ritum primarum Vesperarum Dominicis & Festis nouem Lectionum, primæ Vesperæ nobiliores sunt secundis, teste Amal. quod & hodie in Capella Papali obseruatur, quæ non habet secundas Vesperas, sed tantùm primas; quia initium Festi reputantur esse.

Vesperæ, seu vespertinum Officium à sydere seu stella quæ vesper nominatur, & Sole decidente oritur denominationem habet teste Isidoro 1. de Offic. capit. 10. Sed Iansenius in concordia cap. 57. ait, Vesperam latiùs patere, significat enim tempus, tum ante Solis occasum, vt Matth. 14 *Vespere facto*, actum est, *de satiandis quinque millibus.* Tum post occasum Solis, vt ibidem additur, *Vespere autem facto solus erat.*

Vesper vocatur à Hieronymo in Epistola ad Lætam *Lucernarium*, & à Cassiano *Lucernalis hora*, eo quod dum lucernæ accenderentur preces vespertinæ persolui solebant. Concilium Turonense 2. vocat duodecimam, quia vltima diei hora recitabantur. Stephanus Durant. lib 3.

 cap. 11.

cap. 11. asserit Ecclesiam instituisse, vt post Nonam decantarentur, quò plures de populo adesse possent: puto ergo qnod tardiùs quàm nunc cantaretur Nona.

In hora vespertina Ecclesia significat primum aduentum Domini, qui fuit vergente mundi vespere, id est, vltima ætate, de quo psallens reddit gratias Deo, iuxta illud Paul. 1. Cor. 10.

Præterea Christus in vespere depositus est de cruce: eadem quoque hora Sacramentum Eucharistiæ instituit, pedes discipulorum lauit, euntibus in Emaus in habitu peregrini in fractione panis se manifestauit, vnde illi dicebant, mane nobiscum, quoniam aduesperascit.

Ordo in Psalmis nullam habet difficultatem horum numerus quinarius monet recolenda quinque vulnera Christi, quorum vltimum hora vespertina lateri eius illatum fuit.

Item quia, sicut quinque sensibus quotidie offendimus, ita necesse est, vt initio noctis pro eis veniam precemur, ait Amal. qui addit, hos esse quasi quinque lampades, quinque virginum sapientum, vt veniente Domino nocte obuiam eamus, vel vt per illos simus muniti contra assultus dæmonis.

Canticum Magnificat cantatur in Vesperis, quia à Vesperis inchoatur Festum, & hoc Canticum in Euangelio est primum in ordine: vel quia sub Vesperam Beata Virgo peruenit ad domum Elizabeth, quam salutauit & Canticum ex campo composuit, vel vt memoria Dominicæ Incarnationis ad affectum deuotionis animos inflammet; Beata enim Virgo assensu suo in Vespera mundo succurrit perdito, & ipsa est vespera Stella maris.

De Completorio.

VOx Completorium reperitur primò in Regula Sancti Benedicti, qui floruit anno Christi 525. cap. 42. Isidor. cap. 21. de Officio, vocat Completam, vel quia in ea completur quotidianus cibi potus & locutionis apud Regulares, specialiter Benedictinos. Ita Amal. cap. 8. de Officio, vel quia in Completorio est summa Officiorum, vel quia completur dies seruitutis nostræ, ait Gemma, vel quia ipsamet dies completur ea hora, ait Archidiac. in cap. solent de consecr. dist. 1.

Origo eius desumi potest, si credimus Isidoro, à Dauide, qui Psalm. 131. ait. *Si dedero somnum oculis meis, donec inueniam locum Domino.* Suarez colligit Completorium ex Ambrosio 5. Hexameron cap. 11. & lib. 3. de Virginibus, imò ex Cypriano lib. 1. de orat. vbi ait, *Recedente Sole ac discedente necessario rursus est orandum.* Vbi in verbo recedente vesperas, in discedente Completor. colligit Suarez, quod primis temporibus non erat institutum, & additum tempore Cassiani cum Prima docet Gauantus. Ex dictis sequitur terminum lucis, vt indicat Hymnus esse congruens recitationis tempus, ea scilicet propè hora, qua Christus sepultus est, hac autem hora, vt animalia à pastu reuerti solent, ita spiritus reuocandus est ab externis ad interiora. Item parandus est locus in quo spiritus cum Deo quiescat, & contra fraudes dæmonis, qui *circuit quem deuoret*, instructi simus.

Lectio breuis ortum habuit à lectione ad quam hora Completorij, præsertim Benedictini conueniebant, vt notat Amal. qui addit, ideò Lectionem præponi, quia finito Completorio per preces ibant dormitum.

Confessio aptè fit, vt quicquid in die commisimus diluamus, ait Gemma, & alterna confessione mundemur, ait Hugo in speculo.

Incipitur per *Conuerte nos Deus*, vbi nota Horas tribus modis inchoari, per *Domine labia*, Matutinum sequentes, per *Deus in adiutorium*. Completorium, per *Conuerte*, quia, ait Turrecrem. ad regul. Sancti Benedicti contingit peccari tribus modis, ore, opere, corde. Primum dicitur contra oris. Secundum, operis. Tertium, cordis peccata; & quia in peccato oris & cordis, est aliquid operis, ideò in Matutino additur versus *Deus in adiutorium*, ita Beleth. cap. 24. de officio, Gemma & Hugo notant signum Crucis ad os fieri in Matutini principio. Nauarr. cap. 3. de orat. facit Damasum authorem versus *Deus in adiutorium*, quem Polyd. Virg. tribuit Gregorio.

Initium Horarum completur per vocem Hebræam, Alleluia, *id est* Laudate Deum, ex Augustino in Psalm. 118. cum plenitudine tamen gaudij & exultationis, ait Gloss. in 19. Apoc. Sanctus Germanus hanc sic explicat in theoria *al* venit *el* Deus *ia* laudate, vel ex eodem Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus, quam expositionem Durandus libro 4. cap. 20. tribuit Sancto Gregorio, vocem hanc Damasus à Hieroso. ad Romanam traduxit Ecclesiam, saltem vt extra Paschale tempus diceretur.

Post Septuagesimam verò dicitur eius loco. *Laus tibi Domine*, &c. ex Alexandri II. decreto, ait Gemma, quia ait Alcuin. cap. de septima conuenit, tunc humiliari lingua vti, qualis est Latina comparata cum Hebræa, dixerim ego vt ex tali mutatione innuatur tempus pœnitentiæ, quod exinde auguratur Ecclesia.

Gloria Patri, &c. Psalmis annectitur authore Damaso, aiunt Amal. & Walfr. Is autem non est author huius versus, qui à Nicæna Synodo 40. annis prius habebatur. Imò si credimus Basilio ad Amphilochium libro de Spiritu-Sancto cap. 7. 27. 29. Iste versus qui olim dicebatur Hymnus glorificationis, ab Apostolis introductus est, cùm ab eis sacrum Baptisma iussu Christi in nomine Patris, Filij, & Spiritus-Sancti conferretur; hinc enim cœpit à fidelibus occini & absque scripto per Traditionem omnes Catholici hunc vsurparunt.

Sed nec à Nicæno Concilio institutum est, vt cuique Psalmo adjungeretur, cùm post illud diuersæ reperiantur Ecclesiarum consuetudines, teste Cassiano libro 2. de Nocturn. cap. 8. etsi enim id Occidens, non tamen Oriens obseruauit, quod tamen non contigisset, si vniformem regulam Oecumenica Synodus cunctis præscripsisset. Cæterùm post Concilium Nicænum illud accidit, vt qui iam antea assumebatur Hymnus glorificationis, licet diuerso ritu, noua occasione blasphemiarum Arrianorum dicentium Filium à Patre in tempore factum, & fuisse tempus quando non erat, recens acceperit incrementum; nam vnanimi consensu Orientalis & Occidentalis Ecclesia appendicem addidit. *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.* Hoc testatur Concilium Vasense

Vasense circa annum 440. in Prouincia Guienæ sub Leone I. & Theodosio II. Imper. cap. 7. *Quia non solùm in Sede Apostolica sed etiam per totum Orientem, propter hæreticorum astutiam qua Dei Filium non semper fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant in omnibus vlausulis post Gloria Patri, &c. Sicut erat in principio, &c. dicitur etiam, & nos in vniuersis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decreuimus.*

DE OFFICIO PARVO Beatæ Virginis.

DVPLICI ex causa de isto Beatæ Virginis Officio agendum est, primò vt Clerici eius institutionem, & modum illud persoluendi intelligant, secundò vt Nouatorum redargutionibus & improperiis solida & Catholica Responsione silentium imponatur.

Institutio Officij B. Virginis authorem habet Petrum Damiani patria Ambianensem, in Monasterio Gamungensi vt narrat Baronius anno Christi 1056. Victoris II. anno 2. Cum enim Petrus Damiani, Monachos eremi instituerer, iámque per triennium in dicto monasterio seruatum esset vt cum solitis Horis Canonicis quotidie Officium B. Virginis diceretur, ac Goço quidam inter eos Monachus reprobæ vitæ de nouo isto præter regulas S. Benedicti superposito onere conquestus reliquos omnes illud deponere persuasisset: mox aduersus præfatum monasterium tot vndique hostium deprædationes atque prædonum rapinæ, incendia, cædésque diuinitùs excitatæ sunt, vt nec authoritas Imperialis Henrici II. à Monachis implorata his malis curandis suffecerit. Itaque causâ tandem calamitatum suarum eodem Petro Damiani monente cognitâ, statim ac de culpa pœnitentiam egerunt, iidem ab omnibus eiusmodi malis penitus liberi, sunt redditi. Narrat hæc qui ea ob oculos habuit, idem Petrus Damiani in epist. ad Fratres eremi. Sicut autem ipse author fuit vt in monasterio suo Officium Dei Genitricis dicendum assumeretur; ita ex eodem fonte manasse cognoscitur vt illud ipsum toto Christiano orbe Occidentalis Ecclesiæ, non à monachis tantùm, & clericis, sed etiam à laicis viris atque mulieribus quotidianis pensis persoluatur monente postmodum Vrbano II. Papa Concilium ad *Clarum montem*, in Aruernia celebrante anno 1095. pro indicenda principaliter expeditione in Terram Sanctam deuastatam, & à Turcis omni contumeliarum genere profanatam.

Vt autem res hæc difficillima optatum consequeretur effectum ad conciliandum cœleste numen placuit inter alia, etiam Dei Genitricis precibus annitendum, quòd probè sciretur quæque ardua progressiuta fœliciter quibus B. Mariæ Virginis faueret gratia, & aspiraret auxilium. Ad quod promerendum Vrbanus odem Concilio egit vt Horariæ illæ preces, & Laudes quæ vulgò Officium Dei Genitricis, appellari consueuerunt, quæque apud Monachos Eremitas institutionis Petri Damiani frequentari cœperant, ex illis deducerentur ad Clericos: quibus dignè eidem sanctissimæ Virgini persolui deberent, vt ipsa apud Filium ageret, quò fidelis populus in tot, & tantis discriminibus subeundis eius præsidio muniretur. Quod quidem tunc à Synodo indictum, & à clericis piè susceptum, ad laicos etiam fuit tam viros quàm fœminas propagatum, & quidem cum magno fœnore gratiarum, vt experti sunt omnes, iugiterque experiuntur Fideles illud ex animo frequentantes. Quin, & easdem preces Carthusianos diuino monitu tunc primum suscepisse dicendas, suique Ordinis eandem Dei Genitricem adsciuisse patronam, docetur in rebus gestis S. Brunonis ipsorum institutoris quem non solum in Concilio Claromontano, sed per triennium Vrbanus apud se retinuit.

Restitutum tamen, & propagatum potius quàm inductum censeo illud Officium, nam Paulus Diaconus in expositione regulæ S. Benedicti quæ habetur manuscripta in Bibliotheca Aniciana collegij S. Gregorij de vrbe, scribit quod Gregorius III. & Zacharias summi Pontifices qui vixere ante annum 752. præceperant Congregationi Cassinensi vt omni tempore vnà cum diuino Officio recitarent etiam Officium B. Virginis. Ergo illud habet antiquiorem Petro Damiani authorem. Id intelligi potest ex Hieronymo Rubeo qui vitam Petri Damiani, & historiam Rauennatem scripsit. Idem planè innuit Fortunatus initio operum suorum, Damianus autem assumptus ad Cardinalatum, & Episcopatum Ostiensem, & primæuæ insistens sanctitati, obseruantiam Claromontani instituti diligentiâ qua potuit maximâ in propagatione Officij curauit.

Constitutio Vrbani II. indixit omnibus qui diuinum Officium recitare tenentur, persoluere etiam extra Chorum Officium B. Virginis, imò qui ex beneficio Ecclesiastico pensionem obtinent, tenentur ex eiusdem decreto ad recitandum paruum Officium istud B. Virginis quemadmodum obseruat Nauarrus de Oratione cap. 21. num. 1.

Præterea in Officio Dominico maiori singulis Sabbathis ex decreto Vrbani prædicti Officium, & Missæ sacrum, nisi quid obstet, fiunt de B. Virgine: quod etiam nunc seruatur, idque inter alia quæ in Deiparæ honorem præstatur recenset S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. §. 3. his verbis: *Preter Officium paruum B. Virgi*

B. Virginis quod est in præcepto singulis diebus quoad obligatos, addit quoque Ecclesia omnibus Sabbathis, cum vacat eam in missis, vel officio toto honorari solemniter, & cum sequentiis: vt sicut honoratur Dominus Filius in Dominicali officio ob suam resurrectionem, ita & ipsa honoretur Domina mater in Sabbatho, quia illa scilicet Sabbathi mortuo filio, & fide vacillante in multis Apostolis reliquis in ea sola requieuit resurrectionis explicita fides.

Nunc temporis extra Chorum nemo tenetur hoc Officium recitare ob Bullam Pij V. Breuiario annexam quæ tollit omnem obligationem extra chorum, nisi prius adesset obligatoria consuetudo.

Ad hæc in officio item maiori in Laudibus ac Vesperis cum Sanctorum commemorationes præscribuntur, omnium prima post commemorationem de Cruce est B. Virginis commemoratio.

Officium hoc, B. Virginis præponitur in Choro Officio diei in Matutinis, & Vesperis, in aliis Horis postponitur. Docet idem Radulphus propos. 20. *Secundum vsum*, inquit, *fratrum Minorum, quorum Breuiaria adhibita sunt exclusis aliis à Nicolao III. habetur hic ritus*, isque notatur in manuscriptis, ratio esse potest quia diuiditur Officium in antemeridianum, & pomeridianum: vtrumque vero auspice B. Virgine inchoari debet, præmittitur ergo Matutinum de Virgine, & Vespere de eadem: reliquæ Horæ vti Canonicis minores postponuntur.

Prima de beata dicitur antequam legatur Martyrologium (quod non est pars Horæ sed quid adiectitium vt notaui) vnde à multis legi solet extra Chorum in Capitulo.

Extra Chorum dicitur pro opportunitate temporis, & ante quamcumque Horam præmittitur, Aue Maria. Pius V. Concessit indulgentiam centum dierum persoluentibus hoc officium iuxta rubricas Breuiarij.

Porro quis ignorat varias Antiphonas quibus Ecclesia Catholica Deiparam Virginem, colit? inter illas apud me principem locum tenet illa celebratissima. *Salue Regina Mater misericordiæ*, cuius author communiter asseritur Hermannus Conrractus, Deiparæ (à qua scientiam consecutus est) studiosissimus: idenim testatur Abbas Trithemius lib. 2. de viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 84. Genebrard. lib. 4. Chronic. Canisius lib. 3. cap. 13. Bellarm. lib. 1. de bonis operibus quamuis à Durando, tribuatur Petro Episcopo Compostellano, cúmque solemnis esset in Germania teste Cæsario lib. 7. exemplorum cap. 30. & in Galliis Gregorius IX. circa annum 1235. eam in fine Horarum per omnes Ecclesias cantari iussit teste Abbate Vrspergensi. Eandem Antiphonam Nauarrus in Manuali de Oratione cap. 19. testatur ab Angelis cantari solitam Sabbathis in Ronea Valle apud quemdam fontem qui iam inde vsque ad præsentem diem fons Angelorum appellatur: addit præterea eam à quibusdam appellari Nauticam, eo quòd nautæ præsertim imminens metuentes naufragium eam religiosè vsurpent. Cæsarius lib. 7. exemplorum cap. 30. Thomas Cantipratensis in lib. 2. apum cap. 29. S. Antonin. 3. part. hist. tit. 23. cap. 3. §. 2. referunt complura miracula in eorum beneficium qui Salue Regina piè recitare solebant, vtitur etiam Ecclesia illis Antiphonis, *Alma Redemptoris mater, Aue Regina cælorum. Regina cæli lætare.* Quæ quatuor dicuntur finales Antiphonæ, quia Magnum Officium, & istud finiunt, pro temporis diuersitate, sic enim habetur in Breuiario per Franciscanos anno 1241. de mandato Gregorij IX. ordinato, & ad vsum communem recepto à Nicolao III. anno 1278. cum aliorum quorumuis exclusione, de iis autem Antiphonis distinctè meminit Ioannes de Palma in epistol. data ad fratres suos minores quorum erat Minister Generalis anno 1249. quare recitat Lucas Vvadingus eodem anno in Annalibus Minorum, vbi easdem quatuor quibus iam vtimur indicat solitas cantari à Franciscanis post Completorium. Nec mirum si Minores finiant per Laudes B. Virginis Officium quodcumque, obliuisci enim non possunt primordia Ordinis sui deberi B. Mariæ de Portiuncula.

Qværes, *Cur Sabbathum specialiter dicatum sit B. Virgini.*

Respondeo, Concilium Claromontanum, destinasse in Sabbatho Officium B. Virgini, vt scribit Radulphus, propos. 20. Missæ verò in Sabbatho dicendæ author fuit Albinus Flaccus Anglus aliàs Alcuinus præceptor Caroli Magni, qui rogatu Bonifacij Archiepiscopi Moguntini eam composuit cum aliis de Trinitate de Angelis de Spiritu Sancto, & de Cruce quæ adhuc sunt in vsu. Vnde factum est sensim vt plebs fidelis hac die singulariter coleret B. Virginem multique in eius honorem ieiunarent. Nec mirum quia crucifixo Domino, & mortuo & discipulis fugientibus, & de resurrectione desperantibus fides in sola Virgine in Sabbatho illo remansit. Hinc Sabbathum potiùs quam alia dies ei appropriatur: tum vt solemnitas matris solemnitati filij coniungatur. Durand. lib. 4. cap 1. refert id ad miraculum quoddam Constantinopoli accidere olim solitum: pendebat inquit velum ante quandam B. Virg. imaginem, quod eam velabat, post vesperas autem feriæ sextæ recedebat nullo mouente, & in cœlum versus deferebatur ita vt à populo tota imago conspici posset, celebratis autem in Sabbatho vesperis descendebat ipsum velum, & imaginem velabat vt prius vsque ad sequentem feriam 6. quo miraculo sancitum est vt eo die semper de Virgine cantaretur, indeque populus in Virginem propensior esse cœpit Sabbatho. Præfationem Canonis fecit Vrbanus II. in Conc. Placentiæ anno 1095. teste Radulpho propos. 23.

Ex his manifestè constat Officium, seu Horas B. Virginis nihil aliud esse quam Psalmos selectos è Psalterio Dauidis certo numero quauis septimanæ die offerendos, & decantandos Deo, aut saltem recitandos pro diuersitate temporis, quibus annexæ sunt aliquæ Antiphonæ vel Hymni in laudem, & honorem Deiparæ Virginis, vel Orationes ad Deum, quibus maiestatem eius humiliter deprecamur, vt matris intercessionem pro nobis admittat, vel ad ipsammet directæ, quibus intercessionem eius ad Deum imploramus, v. g. *Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo sexu sentiant omnes tuum iuuamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.*

Quid hic arguendum, & explodendum

habent Nouatores? nunquid gloria & honore à Deo coronata Mater eius & super Choros Angelorum assumpta celebrari debet Laudibus,& Hymnis ab hominibus qui beneficiis Dei per eam gaudent? Nunquid Angelus Luc. 1. *Benedictam eam in mulieribus*, dixit? Nunquid ipsa plena Deo prophetauit, *ex hoc beatam me dicent omnes generationes?* Nunquid *filius eius initium signorum*, seu miraculorum fecit in Cana Galilææ ad instantiam Mariæ matris cum proposuit, *vinum non habent*, certè relationem matris ad filium gloriam & exaltationem parentis in sobolem ipsam refundere nemo non fatetur, ipsáque Ecclesia Catholica Hymnos Virginis concludit per gratiarum actionem de beneficio Incarnationis intra viscera Deiparæ consummato.

Memento inquit salutis auctor
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata Virgine
Nascendo formam sumpseris.

Conclusio omnium quæ in cultum B. Virginis decantari solent hæc est.


Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine
Cum Patre & sancto Spiritu
In sempiterna secula.

Vnde euincitur cultum omnem quo Ecclesia colit Deiparam, omnémque eius in assignato Officio celebrationem, dirigi ad exaltationem, & amplificationem gloriæ filij eius, consequenter & sanctissimæ Trinitatis, quam omnes creaturæ coadunatæ laudare, & exaltare non sufficiunt.

Dices multa in Officio B. Virgini attribui quæ minimè ei conueniunt, sed idololatricè ad eam transferuntur, quod de singulis pene periodis Antiphonæ, *Salue Regina*, arguunt Nouatores à Luthero in sermo de Natali B. Mariæ, in quo dicit ea nulla ratione in bonum sensum trahi posse: & Petro Pseudo-Martyre in comment. ad cap. 3. 1. Cor. scribente hanc Antiphonam non posse vllo modo ab impietate defendi, cùm illa omnia tribuat Mariæ quæ soli Deo conueniunt: vt quod vocetur, *Mater Misericordiæ*, cum Deus propriè sit, *Pater misericordiarum*, 2. Cor. 1. Quod *vita* dicatur cum hoc sit Christi Ioan. 14. Quod *dulcedo* nuncupetur cum 2. Cor. 1. Deus sit propriè totius author consolationis. Quod spes nostra proclametur cum Hierem. 17. *Maledictus vir qui sperat in homine.* Denique Deus Pater est qui ad filium credentes adducit Ioan. 6. & ipse filius nobis ostendet cum beatos faciet Ioan. 14. quomodo ergo Maria nobis post hoc exilium Iesum ostendet, nisi ipsa quoque sit Deus, & beatos homines facere queat?

Respondeo primò, Hermanum authorem istius Antiphonæ,& illius, *Alma Redemptoris*, scientiam habuisse infusam, consequenter in bono sensu hæc scripsisse, quæ consequenter antiquitas SS. Patrum vsurpauit, eo scilicet sensu quo Christus ipse quæ sibi propria erant essentialiter, absolutè & priuatiuè, Apostolis, & fidelibus appropriatiuè contulit, vt cùm Ioan. 8. & 9. dixit. *Ego sum lux mundi*, idem planè de Apostolis dicendum docuit vocans eos Matth 5. *Vos estis lux mundi.* Non valet ergo ratio illa argumentandi, Deus est Pater misericordiarum, ergo impius est qui salutat Mariam, titulo matris misericordiæ. Ioan. 1. Christus dicitur plenus gratia. Idem Luc. 1. de Maria dicit Angelus & Act. 16. dicit Lucas de Stephano. Modus ergo cuilibet conueniens legitimat omnes istas loquutiones. Et si non timuerunt dicere saluari homines ab iis qui verbo, exemplo, orationibus student animarum saluti, cur timebit Ecclesia legitimi sensus scripturarum conscia dicere Virgini cum Christo regnanti, & primum locum in cœlo post ipsum obtinenti, *Vita* non quod sit vita per essentiam, aut quod sit principalis causa vitæ quomodo de Christo Petrus Act. 3. dicit, *authorem vitæ interfecistis*, sed quod Christum pepererit, & per illum sit facta mater omnium viuentium vita spirituali. Sic enim Heua dicta est vita, vox enim Hebræa חיה vitam significat, quia mater futura erat omnium viuentium vita animali. *Spes nostra*, quia post Christum in ipsius potissimum intercessione confidimus. Neque enim spes in authore solùm boni reponi debet, sed etiam in intercessoribus, & ministris, maledictio autem in loc. cit. in eum vibratur qui ita confidit in homine, vt in Deo nulla ratione confidat, sed qui piè, & rectè confidit in Maria potissimam habet spem in Deo.

Respondeo secundò, S. Epiphan. aduersus hær. lib. 3. Bern. serm 1. de Assumpt. Ephrem in orat. de Laudibus Deiparæ, Cyrill. de recta fide ad Regin. lib. 1. Gregorium qui, *Stabat mater dolorosa*, composuit teste S. Antonino, & penè omnes Patres qui certatim floruere in encomiis B. Virginis eleuandis, similia Hermano scripsisse, Catholico sensu intelligenda eóque, ipsam Iesum nobis ostensuram, quia intercessione sua plures saluaturam nemo est qui ignoret. *Hacque sufficiant de Officio diuino.*



DE OFFICIO, ET SEPVLTVRA DEFVNCTORVM.



ROPRIVM hic habent locum, quæ de Exequiis Christianorum dicenda sunt, iuxta Apostolicam, vel Ecclesiasticam Traditionem; nam maior pars sacerdotalis ministerij est circa memorias Defunctorum, quos vel in Cœmeteriis, vel in Ecclesiis sepultos habent Parrochiæ, Conuentus, aut alia loca sacra, quibus addicti sunt Capellani, vt Fundationibus piis, & Anniuersariis, vt vocant, persoluendis attendant. Et fortè Officium Defunctorum dicitur Agenda, *vt nuncupant Vvalfrid. cap. 25. Durandus libro 7. capit. 35. Quia agere significat celebrare, vel quia propria Sacerdotis actio est agere, & orare pro mortuis.*

PROPOSITIO CATHOLICA.



Fficivm Defunctorum, aut saltem oratio pro mortuis institutionem habet ab Apostolis.

Probant hoc luculenter expressa in eorum Liturgiis testimonia: Sanctus Clemens Romanus in Liturgia Sancti Iacobi majoris (quæ habetur in libro 8. Constitutionum Apostolicarum,) inter varias Eucharistici sacrificij orationes hanc cap. 13. recitat. *Oremus pro iis qui in fide decesserunt.* & latiùs in cap. 40. 41. 42. 43. hæc autem habet 44. *Vos qui ad epulum funebre Exequiarum inuitati estis, comedite sine confusione, sed magis cum timore Dei, vt pro defunctis orare possitis.* Et in prima sua Epistola Clemens loquens de Beato Petro. *Quotidie, ait, commendabat & prædicabat Deum esse diligendum ex visceribus cordis, proximúmque sicut seipsum, exercendáque esse diligenter opera misericordiæ erga infirmos, & pauperos sepeliendos esse mortuos, erogandásque esse pro iis eleemosynas.*

In Liturgia Sancti Iacobi minoris, inter varias pro defunctis orationes, hæc à Sacerdote dicitur. *Memento Domine animarum Orthodoxarum, quorum memoriam fecimus, vel eorum quorum non meminimus ab Abel iusto, vsque hodie, fac eas Domine in regione viuorum quiescere.* Et infrà Diaconus dicit. *Pro requie Patrum nostrorum, & fratrum defunctorum dicamus omnes ex corde, Domine miserere.*

In Liturgia Sancti Matthæi, quæ extat to 6. Biblioth. Patrum, edit. 1589. hæc leguntur. *Memento Domine defunctorum, Principum, Pontificum, & seruorum tuorum, Parentum nostrorum, omniúmque qui in recta fide decesserunt.*

In Liturgia Sancti Marci, eodem contenta tomo hæc reperiuntur, Diaconus Dypticas legit, id est, Registrum sacrum, seu Catalogum defunctorum, túncque Sacerdos inclinato capite, sic orat. *Et animabus omnium illorum dona requiem dominator Deus noster in Tabernaculis tuis, in Regno tuo, dando eis bona promissionum tuarum, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, & quæ in cor hominis non ascenderunt, quæ præparasti iis, qui sanctum nomen tuum diligunt. Animabus eorum, inquam, da requiem & regnum cælorum.*

Probatur ex Sanctis Patribus Dionys. cap. 7. Hier. Eccl. *Quod autem nos à diuinis præceptoribus nostris de precatione qua Antistes, vt dixi, in eo qui mortuus est vtitur traditum accepimus, necessario exponendum est.* Idem paulò ante *Precibus à diuina benignitate contendit Antistes, vt & omnia peccata quæ humana fragilitate, imbecillitatéque admissa sunt, ei qui excessit è vita remittat.* Cyrillo catechef. 5. Mystagog. *Cùm hoc offerimus Sacrificium, commemorationem facimus eorum, qui priùs è viuis excesserunt, æstimantes magnum esse subsidium animabus, pro quibus oratio tremendi Sacrificij in Altari offertur: quod singulari probo exemplo ad conuincendos eos, qui hanc commemorationem in Altari inutilem iis qui in peccato excesserunt affirmant. Quid inquam! si Rex exilio damnasset eos, à quibus fuit offensus, & postea propinqui & cognati eorum Coronam Regi offerrent pro reis, nunquid Rex aliquid de condemnatione remitteret? Ita planè offerendo preces pro defunctis, quamuis peccatoribus coronam non facimus, sed Christum immolatum pro peccatis nostris offerimus, vt ipsis, nobísque clemens*

mens & propitium esse dignetur. Gregorius Nanzianzenus in obitu Cæsarij fratris sui. *Commendamus Deo animas nostras, & eorum qui nos præcesserunt.* Chrysostomus homilia 96. ad populum Antiochenum. *Non temerè ab Apostolis sancita*, ait, *hæc fuerunt, vt in tremendis Mysteriis mortuorum fieret commemoratio. Sciunt enim multam illis contingere vtilitatem.* & homilia 41. in 1. Corinth. *Iuuetur mortuus non lachrymis, sed precibus, eleemosynis, &c.* Idem homilia 41. in 1. ad Corinth. *Nec temerè qui Altari assistit inter horrenda Mysteria clamat pro omnibus in Christo dormientibus, & pro his qui memoriam celebrant eorum.* Et infrà. *Si Iobi liberos patris victima purgauit, quid dubites è nobis quoque, si pro dormientibus offeramus, solatij quiddam accessurum.*

Epiphanius in Anacephal. orationem pro mortuis ponit inter dogmata Ecclesiæ. Cyprianus epistola 66. ad Presbyteros, Diaconos & plebem. *Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam, Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur, neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Ministros voluit auocare.* Augustinus passim scribit de precibus & Sacrificio offerendis pro mortuis. serm. 32. de verbis Apostolorum. *Orationibus*, inquit, *sancta Ecclesia & Sacrificio salutari, & eleemosynis non est dubium mortuos adiuuari.* Idem libro 3. de anima & eius origine. *Salua fide Catholica & Ecclesiastica regula nulla ratione conceditur, vt pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi.*

Epiphanius hæresi 75. & Augustinus de hæresi cap. 53. inter hæreses Aërij hanc recensent, quod non sit orandum, aut sacrificandum pro defunctis.

Qui plures Patrum voluerit authoritates consulat decimam Veritatem Chronologiæ Gualterij. Non omittam tamen secundùm dogmatis hujus fundamentum.

Probatur ex Conciliis Chartaginensibus 4. canon. 78. *Pœnitentes qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non possit, memoria eorum, & Orationibus, & Oblationibus commendetur.*

Concilium 1. Braccaren. canon. 34. Item *Placuit, vt qui aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam sibi ipsis inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis eorum cadauera ad sepulturam deducantur, &c.* Et canon. 39. *Item placuit, si quid ex collatione fidelium, aut per festiuitates Martyrum, aut per commemorationes mortuorum, offertur apud vnum Clericorum fideliter colligatur.*

De hoc Officio Defunctorum habetur Canon. extra de celebratione Missæ cap. cum cantatur. Augustinus in Enchiridion. dicit illud secundum fuisse in Ecclesiasticis officiis post Apostolos. Isidorus in libro de Officio Ecclesiastico, testatur ordinatum fuisse ab Origene. Responsoria composuit Mauritius Episcopus Parisiensis, qui obiit anno 1196. teste Sancto Antonino citato à Demochare tom. 2. de Sacrificio Missæ cap. 18. Orationes *Deus qui inter Apostolicos*, & *Fidelium Deus conditor animarum.* Habentur in Sacramentario Gregoriano.

Pius V. addidit Orationes tres, nimirum pro die depositionis Anniuersario, Patre & Matre Sacerdotis Oratio, *Absolue quæsumus*, est in Sacra Gregor.

Inchoationes & expletiones huius Officij non fiunt, sicut in Horis Canonicis, ad tristitiam significandam, ait Vvalfrid. cap. 25. de Eccles. obseruat: & simili modo hæc officia celebrantur, ait Alcuin. cap. penultim. quo dici solent in iis diebus, quibus Christus ad inferna descendit. Versus *Requiem æternam*, habetur in Sacra. Gregor. cujus authores Apostolos facit Michaël Timotheus in quæst. 300. quæst. 17.

Non habent Defuncti secundas Vesperas ad significandum, quod hoc Officium finem habebit, quando animæ ab omni pœna liberatæ fruentur Deo, vt scribit Beleth c. 160. Sed Ganantus demi vult ad minorem Officij solemnitatem, vt fit in Officio simplici.

Omittitur hoc Officium tempore Paschali; quia, inquit Durandus, ad Christum solum eo tempore dirigenda est mens, neque interea patiuntur dispendium animæ, quia beneficia nostra sunt illis communia, nec expresśiùs memoria earum fieri potest, quàm agendo memoriam de morte Christi: & ideò in majore hebdomada omittitur.

Nulla est obligatio recitandi, nisi in die omnium defunctorum.

Pius V. hanc abstulit, licet centum dierum Indulgentiam concedat, pro vnaquaque vice illud recitanti ad præscriptum Rubric. Breuiar.

Officium hoc initium habuit à veteri Lege, ex quo habemus, quod defuncto Patriarcha Iacob, Ioseph & alij fratres ejus transportarunt cadauer in Hebron, vt præceperat eis, & priùs fleuerunt eum in Ægypto triginta diebus & postea septem in area Arad, quæ sita est trans Iordanem Genes. 50. Idem fecit Israël diebus triginta circa cadauer Mosis. *Fleuerunt eum filij Israël in campestribus Moab triginta diebus.* Deuteron. vltim. quod & fecit circa Aaronem, & Mariam sororem eorum.

Vesperæ Officij incipiunt à *Placebo Domino*, vt coniunctio & communicatio Ecclesiæ, quæ purgatur, intelligatur durare cum militante, quæ coniunctio per charitatem & gratiam. est fundamentum suffragiorum, iuxta articulum Symboli, *Sanctorum communionem.* Vide dicenda in articulo de Purgatorio.

Ex prænotatis apparet euidenter, Orationes, & suffragia hodierna, quibus vtitur Ecclesia omnimodè conformari, tam in forma quam in scopo & fine, antiquo ritui ab Ecclesia primitiua vsurpato, vt conuincit illustrissimus & Eminentissimus Cardinalis Perronius, in sua ad Regem Angliæ responsione; forma enim suffragij pro defunctis, sic concepta habetur in Canone Missæ. *Memento Domine famulorum, famularúmque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis & pacis, vt indulgeas deprecamur.*

Quæ

Quæ hactenus de Officio, seu de Oratione pro mortuis attuli spectant ad spiritus eorum. Nunc de sepultura corporum dicendum est Hæretici huius temporis non reprehendunt ipsam sepulturam: tamen multa circa ipsam à Catholicis vsitata reprehendunt.

Primò quòd in locis sacris sepeliamus atque ad hoc erigamus cæmeteria, & tumulos ornatos. Hoc arguunt Hæretici aliqui in Boëmia apud Æneam Syluium de origine Boëmorum cap 35. potest afferri argumentum quod nihil prosit locus sepulturæ ex Luca cap. 12. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hac non habent amplius quod faciant.* Item ex capite sacris extra de sepulturis, vbi dicitur nihil obesse hominibus piis sepulturam vilem, aut nullam. Item ex August. 1. ciu. cap. 12. & lib. de cura pro mort. vbi dicit sepulturam & funeris pompam solatia esse viuorum, non mortuorum præsidia.

Secundo reprehendunt vsum cereorum, & quia in Conc. Elibertino can. 34. statutum fuit ne cerei de die in cæmeteriis accenderentur, *non enim spiritus defunctorum*, inquiunt Patres, *inquietandi sunt.*

Tertiò reprehendunt anniuersaria, & tot repetitiones Exequiarum die 3. 7. & 30. quia signum est diffidentiæ, easdem preces toties iterare, & prætetea quia B. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 9. super illud Genes. surrexit Abraham ab Officio funeris, *Docemur* inquit, *vt non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officij deferamus.*

Quartò reprehendunt quod putemus sepulturam esse opus meritorium, & Deo gratum, cùm tamen nusquam inueniatur à Deo mandatum, imò Dominus enumerans. Matth. 25. opera misericordiæ non meminerit sepulturæ.

His non obstantibus asserimus sepulturā esse rem bonam & vtilem, & ritus omnes Ecclesiæ in sepeliendis mortuis esse antiquos, & sanctos Quod sit res bona, & meritoria,

Probatur ex scriptura 2. Reg. 2. *Benedicti vos à Domino*, ait Dauid ad viros Iabes Galaad, *qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum, Dominus retribuet vobis.* Tobiæ 12. Angelus extollit inter alia opera Tobiæ: quod mortuos sepelierit, *quando orabas & sepeliebas mortuos, ego*, ait Angelus, *obtuli Domino.* Matth. 26. Christus comprimit indignationem Apostolorum, profusionem vnguenti pretiosi non ferentium, & ait, *mittens hæc vnguentum in corpus meum ad sepeliendum me fecit*, quem locum vti difficilem expono, non intendebat Magdalena Christum vngere ad sepulturam, vtpote quæ de eius morte & sepultura nihil sciebat nec cogitabat, sed Spiritus Sanctus eam præsciens id intendebat, ideoque Magdalenam ad vngendum Christum impellebat interiùs: hanc enim vnctionem omnimodè merebatur Christi Domini mors & sepultura, vnxit enim eum quasi iam iam sepeliendum, nec enim mortuum vngere potuit, quia præuenta fuit à Iosepho ab Arimathia, & ab imminente Sabbatho ac postea per accelerationem resurrectionis Christi. Item Matth. 14. *Accedentes discipuli Ioannis tulerunt corpus eius & sepelierunt.* Luc. 23. *Ioseph ab Arimathia petiit corpus Iesu, & posuit in monumento.* Act. 8. *Curauerunt Stephanum viri timorati.*

Sepulturæ priuatio habetur in scriptura pro notabili infamia, & testimonio indignationis Dei in impios, Ieremiæ 22. sic de Ioachim Rege Iuda iniquo dixit Deus, *sepultura asini sepelietur, proiectus, & putrefactus extra portas Hierusalem.* Achabo Regi impio Elias Propheta minatur 3. Reg. 21. *Occidisti, & possedisti vineam Naboth: hæc dicit Dominus in loco hoc in quo linxerunt carnes sanguinem Naboth lambent quoque sanguinem tuum; sed, & de Iezabel dicit Dominus, Canes comedent carnes Iezabel in agro*, 2. Paralip. cap. 34. Rex sanctissimus Iosias extraxit è sepulchris idololatrarum ossa, vtpote ipsis indigna, & ad opprobrium ea combussit; cordati enim viri reputant impios indignos sepultura quam semper rem bonam, & vtilem æstimarunt.

Hinc pro barbara, & brutali habita est Gens illa, & natio quæ defunctorum sepulturam respuit, vti Antropophagi, Massagetæ, Brasilienses, qui carnes humanas deuorant, sibique ipsi sepulchra sunt. Tybaritæ qui præcipitio collidunt corpora humana quasi arborum stipites. Troglodita qui aquis, & torrentibus suffocant. Ex Cornelia familia inter Romanos Sylla primus omnium iussit comburi corpus suum, verens proculdubio ne id sibi eueniret quod ex crudelitate fecerat Mario ad Anienem quem extrahi, & distrahi iussit.

Quàm inhumanum autem sit feris exponere Dei imaginem, aut flammis vel aquis tradere, & corpus indiuidui partem, animæque rationalis organicum instrumentum, gloriæ cœlestis aliquando consors futurum, quia cooperatum est saluti, nemo non videt cum pro singulari supplicio priuatio tumuli vel extractio ab eo reputata fuerit apud Vrbaniores nationes. Epiphan. lib. de vitis Prophetarum cap. 24. asserit Simeonem Senem quem ipse annumerat inter Prophetas, fuisse post mortem priuatum à Sacerdotibus sepultura, cur verò id acciderit nullam causam affert, sed ea putatur quòd palam Christi aduentum annuntians cæterorum in se Sacerdotum inuidiam, & odium concitarit. Arriani sæuientes in Catholicos tempore Athanasij eos sepultura inter alias sæuitias priuabant, vt testatur Theodoret. lib. 2. cap. 13. Alexander III. Papa in Concil. Lateran. 1179. vltimo decreto excommunicauit hæreticos Guasconiæ, & Albigerij fautorésque eorum & prohibuit ne quocumque prætextu vel occasione inter Christianos haberent sepulturam, aut oblatio fieret pro eis.

Noëtus præceptor Sabellij eiectus ob hæresim ab Ecclesia anno 260. cum mortuus fuit nemo voluit eum sepelire.

Hinc infames duellantes, &c. Ecclesia priuat sepultura, quæ viuentium honor vltimus reputatur.

Nota ex Ignatio epist. ad Antiochenos, officia Ecclesiæ Catholicæ ab Apostolis instituta, *Laborantes*, quos & alio nomine *Fossarios*, dictos esse comperimus inductos, quorum officium erat corpora defunctorum obuoluere, & cooperire. Sed & illud memoria dignum inter plura, Constantinus Imperator statuit, & primus author fuit vt ad corpora defunctorum inhumanda, societas seu corpus hominum constitueretur

stitueretur ex nongentis quinquaginta collegiorum & artium officinis qui ei muneri mancipati essent, & ab omnibus publicis muneribus immunes, atque in vectigalibus liberi edixit. Quod idem corpus Anastasius Imperator postmodum confirmauit, testatur id Iustinian. nouella 43. dum hoc ipse confirmauit. Liber Anastasij de Romanis Pontificibus habet quod S. Eutychianus Papa trecentos quadraginta duos Martyres per diuersa loca, manu propria sepelierit vnde pro mercede martyrij coronam, & ipse adeptus est ann. 283.

Porrò opus, & institutum hoc pium ac religiosum postremis temporibus antiquatum, hoc nostro sæculo Romæ sanctioribus legibus, & institutis instauratum est, & in diuersas orbis Catholici Ecclesias propagatum est sub nomine Confraternitatis mortis. In quibusdam Galliarum locis aptiori videtur appellatione nuncupatum Confraternitas Charitatis, quid enim hoc officio præstantius? exhibere ei officium qui tibi reddere non possit. Vide ad ista tractatum. Spond. de sacris cæmeteriis l. 1. mortuos sepelire annumeratur opus singulare misericordiæ corporalis gratissimum Deo, & mercedis dignissimum, vt ex Tobia constat; estque actus Religionis, vnde locus qui ad sepulturam destinatus est dicitur religiosus, etiam iuxta leges, & instituta Romanorum Gentilium, licet in eo caput tantùm hominis esset sepultum: siue ergo Christianus, siue Paganus, siue infans non baptizatus aliquo sepeliatur in loco, locus ille appellatur religiosus secundùm Romanorum instituta. At Christiani non eum locum censent religiosum vbi sepelitur Iudæus, vel Paganus, vel infans non baptizatus, sed tantùm vbi Christianus, vsque adeo, vt si excommunicatus aliquis sit ibi sepultus, extrahatur inde. Ad hæc Nota quod quicquid est sacrum est, & religiosum, sed non contra, caput Christiani sepultum, non autem alia membra locum facit religiosum non verò sacrum, sic Durand. lib. 1. c. 5.

Locus ad sepulturam destinatus diuersimodè appellatur. *Cæmeterium*, à cimen quod est dulce, & sterio quod est statio ibi enim ossa defunctorum dulciter quiescunt & Saluatoris aduentum expectant: vel quia ibi sunt cimices, id est, vermes fœtentes vltra modum.

Sepulchrum, quasi sine pulsu, quia qui ibi sepelitur caret pulsu.

Mausoleum, dicitur à Mausoli sepulchro quod Arthemisia vxor eius tanta nobilitate architecturæ ædificauit, & vt inter septem orbis miracula computetur, erat enim eleuatum 25. cubitis, & cinctum 36. columnis, quare ab hoc sepulchro omnia pretiosa sepulchra isto nomine Mausolea dicta sunt.

Monumentum, verò dicitur à monendo, quòd nos prætereuntes & viatores, qui in monumentis sunt admoneant tacendo, se & olim fuisse, & perinde mortales, vt & nos meminerimus quòd cineres simus, & in cineres redigendi.

Tumulus, quasi tumens tellus, id est, collis, quia ibi terra coaceruari consueuit, & homine sepulto aliquantulum eleuatur.

Ergastulum, dicitur per antiphrasim ab ἐργάζομαι, operor, quasi quòd in sepulchris minimè operentur, sed requiescant qui in Domino moriuntur.

Sarcophagus à σαρκὸς in genitiuo quod est caro, & φάγειν, quod est comedere, qu à ibi comeditur, seu consumitur caro.

Pyramis, à πῦρ quod est ignis, quia corpora igne incinerata ibi recondebantur, quia etiam ignis incipit à lato, & tendit in acutum sic & pyramis, & est genus altissimæ sepulturæ quale visitur Romæ in qua cineres Iulij Cæsaris reconditi fuerunt, & corrupto vocabulo nuncupatur acus S. Petri quæ tamen Iulia dici deberet, & adhuc in dubio est an vnico lapide constet, vel pluribus: similem pyramidem extruxit Cæsar, Turonis iuxta ripam Ligeris, & in ea inclusit cineres cuiusdam militis sui amici interfecti.

Bustum, dicitur à nomine contenti continentis locus, videlicet in quo busta, siue humana corpora sepeliebantur.

Vrna, quoque vocatur, eo quod antiquitus moris fuit corpora humano rogo comburere, & cineres in terreis vrnis collocatos seruae.

Vetitum erat apud Romanos lege 12. Tabularum sepelire intra vrbem: soli Troiano concessum fuit à Senatu, exusti enim corporis eius apud Selinuntem Ciliciæ ciuitatem quæ postea cognominata est Traianopolis, cineres perlati sunt Romam & sub eius columna positi imagine ipsius superposita, vt tradit Aurelius Victor, & ossa ipsa in vrbem in vrna aurea introducta Dio, & Eutropius asserunt.

Iudæi habebant sepulchra extra vrbem, vnde in historia euangelica Matth. 27. cùm corpora multa surrexissent à mortuis, mortuo Christo dicitur quod ipsa venerint in ciuitatem, & multis apparuerint.

Maxentius imperans cum Constantino sciens Christianos propensiores erga Constantinum Christianam, & ipse religionem simulauit vt notat Euseb. lib. 8. hist. cap. 26. & concessa Ecclesiis Occidentalibus vbique pace, concessit Ecclesiæ Romanæ cui præerat Marcellus Papa anno 306. vt corpora Christianorum Martyrum liceret intra vrbem sepelire, quod olim omnibus vetitum erat lege. 12. Tabularum sicque frequentatio Arearum Catacumbarum, Cryptarum, Arenariarum (ex loci natura comparato nomine quæ frequentius Cæmetteria diei consueuerant, eo quod fides Christianos doceret non mori, sed resuscitandos interea in Domino obdormire) paulatim cessauit postquam ea quæ ibi sita erant corpora Sanctorum sub Christianis imperatoribus delata sunt in vrbem, & in diuersis Ecclesiis honorificentiùs collocata.

Sed & accidisse non prætermittam vt sicut maiorum consuetudine etsi non iisdem sepulchris, iisdem tamen cæmeteriis sepelirentur aliorum quoque corpora Christianorum qui in fide constantes in communione Catholica diem extremum clausissent. Hinc famosa Cæmeteria requirebantur vt Arelatense, Ganogohianum in Prouincia S. Honorati Lyrinensis, & alia plura.

Sic translatis SS. Martyrum reliquiis in Ecclesias intra ciuitates positas, in eisdem etiam cæterorum fidelium corpora cœpta sint sepeliri, eo quod doceret eos fides Catholica animas defunctorum iuuari meritis SS. Martyrum Hac intentio

intentione Sanctus Ambrosius fratrem suum Satyrum iuxta Martyrem Victorem sepeliuit,& voluit ipse in Ambrosiana quam construxerat Ecclesia sepeliri, in quam transtulerat corpora Sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij, diuina reuelatione reperta. Et ipsum imitata Marcellina soror eius Romæ, cum sacris Virginibus degens noluit ibi patriis condi sepulchris, sed iussit Mediolanū transferri corpus suum, poniqùe apud prædictos Satyrum & Ambrosium fratres suos ambos æque iuxta Sanctos Martyres tumulatos, sicut & Paulinus Episcopus Nolanus Cynegium & Celsum ad tumulum Martyrum mandauit apponi, ac litteris impetrauit à Sancto Augustino, vt egregium illum eodem argumento scriberet commentarium de cura pro mortuis agenda, quo respondit eius quæstioni. *Vtrùm prosit alicui post mortem, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam sepeliatur?*

Sanctus Maximus sermone 77. de Sanctis, dignus est hic audiri. *Ideò namque hoc à Maioribus prouisum est, vt Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes euadimus inferni tenebras eorum propriis meritis, attamen consocij sanctitate.*

Rationem hanc experientia comprobat; nam & Christi fimbriæ, & Pauli sudariorum exemplis inhæsit pia fidelibus ac religiosa Traditio, vt cùm minus liceret ipsa Sanctorum sepulchris condita corpora tangere; eisdem sepulchris desuper admouerent sudaria quædam, aut vela, quæ dicebantur sanctuaria, vt videre est in epistola 62. 63. Hormisdæ, siue Brandea apud Gregorium libro 3. Epistola 30. Et Ioannem Diaconum in vita Gregorij libro 2. cap. 42. Quæ quantam inde virtutem haurirent locuples testis est Gregorius & alij: imò flores admoti Sanctorum reliquiis acceperunt virtutem restituendi sanitatem & reuocandi mortuos ad vitam, vt scribit Sanctus Augustinus 22. ciuit. cap. 8. Imò puluis ipse ac situs & oleum lampadum circa sepulchra Martyrum ardentia mira infinita edidit, vt scribit Gregorius Nanzianzenus aduersùs Iulianum, & probatur quotidie. Cur ergo ossa Christianorum tumulis Sanctorum admota, & ipsi sepulti iuxta ipsos non haurient fauorem aliquem, & non munientur aduersùs insidias Angelorum apostatarum ex tali contactu & aproximatione.

Locus sacer ergo eligitur ad Christianorum sepulturam exemplo Patriarcharum Iacobi & Ioseph, nec-non & Abrahæ patris credentium. Hi iureiurando à filiis exegerunt, vt corpora sua de Ægypto transferrent; quia volebant sepeliri in terra promissionis, in qua Templum Domini futurum erat,& Christus nasciturus.

Abraham emit agrum ab Hebron Ætheo 400. siclis probatæ monetæ Genes. 23. in sepulturam vxoris & suam. Notatur autem in ea agri parte fuisse duplicem speluncam, quarum vna fortè destinabatur ab Abraham fœminis, alia verò viris. Ioannes Beleth dicit, quod cuilibet sepeliendo fiebat duplex spelunca in modum cathedræ, sepeliebantur enim quasi sedentes, & pars superior speluncæ quæ à natibus truncum capiebat, dicebatur vna spelunca, pars verò, quæ crura, femora & pedes continebat, dicebatur alia spelunca, (hæc per parentesim dixi) Hoc habe primarios hos viros, non sine causa sepulchrum elegisse in terra sacra,; quod intelligens Ecclesia Christiana Cœmeterium solet consecrare seu benedicere: eisdem autem dicitur gaudere priuilegiis eum Ecclesia capite sequenti, extra de consecratione Ecclesiæ. *Consuluisti*, & de immunitate Ecclesiæ. Idque fit vt abigantur dæmones, qui sæpè habitant in sepulchris, vt Matth. 8. & Marc. 5. legitur. Chrysostomus homilia 29. in Matthæum docet, cur dæmones versentur in sepulchris, quia videlicet perniciosam conantur ingerere opinionem hominibus, quòd anima hominum qui obierunt, dæmones fiant.

Hunc errorem docuerunt Tertullianistæ, quem Sanctus Augustinus à Platonicis desumpsisse scribit 9. ciuit. cap. 11. Dicerem potius dæmones frequentare cœmeteria & sepulchra, vt corporibus mortuorum insultent, iisque variè illudant, certum est enim, quod ea possunt assumere & mouere, & in iis apparere: ideò ergo benedicetur locus tumulorum, vt eneruetur dæmonum malitia & prophanatio. Affiguntur & ad hoc Cruces in singularibus tumulis, vt intelligatur defunctos in fide Christi diem clausisse, sicque corpora eorum ibi in pace vsque ad iudicij diem quiescunt.

Præter cœmeterium ipsæ basilicæ assumptæ fuerunt, vt iam dixi ad sepulchra fidelium. Concilium Triburiense in Germania habitum, anno 895. cap. 15. sic habet. *Sepulturam morientium apud Ecclesiam, vbi est Episcopi sedes ordinamus celebrari: quod si ex causa aliqua difficile æstimetur, vbi decimam persoluebat, viuus sepeliatur mortuus.* Idem testatur Ambrosius libro 1. de Abrahamo cap. 9. Hieronymus in vita Paulæ & Fabiolæ. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 13. Augustinus libro de cura pro mortuis cap. 1. Idque fit, vt occasionaliter fideles suffragia dent mortuis: cùm enim ex debito conueniant in Ecclesiam, monentur à monumentis, quibus vt plurimum insident orare pro defunctis.

Nota tamen Constantinum Imperatorem, cuius funus honorificentissimè curatum est à Constantio filio in vrbe Constantinopolis non fuisse tumulatum, intra ipsam basilicam Sanctorum Apostolorum, quam erexerat, sed foris sepultum in atrio, seu vestibulo, vt scribit & in gloriam Apostolorum extollit Chrysostomus homilia 66. ad populum Antiochenum. In eadem verò basilica post hac, non tantùm Imperatores, sed & Episcopos sepeliri consueuisse, testatur Sozomenus libro 2. cap. vltimo. *Quippe cum*, inquit, *dignitas sacerdotalis par sit dignitati imperij, imò verò in locis sacris primas partes obtineat.*

Ritus sepeliendi Christianos.

Certum est Apostolos induxisse in Ecclesiam Christianam multa ex Iudæorum ritibus, quæ ad moralia vel cultum Dei spectabant.

Primum funus Christiani celebratum, procul dubio est illud Proto-martyris Stephani, anno Domini 35. vt constat Act. 6. & 7. Cùm extra portam Ephraim, quæ non integro stadio distabat

distabat Hierosolymis lapidatus fuisset, corpus eius projectum à Iudæis die ac nocte iacuit sub dio, vt à feris consumeretur, sed intactum omninò permansisse narrat, ex Gamalielis narratione Lucianus in Epistola de inuentione corporis eius, quod, vt ait, Gamalielis opera deductum est in ipsius villam distantem 20. millibus à ciuitate, eodémque omnia ad planctum necessaria subministrante post 70. dies sepultum in monumento nouo eiusdem ipsius Gamalielis. Nec aliter quidem Hieronymus epistola secunda ad Paulinum, & 52. ad Riparium planctum magnum quem narrat Lucas in funere Stephani, nisi magnificentiam funeris intelligendum esse docet ex pluribus Scripturæ locis: testatúrque Rabbi Iacob in turrim Ioredegha cap. 32. tantùm olim excreuisse apud Hebræos impensum Exequiarum, vt interdum eius magnitudine cognati perterriti, qui impares essent eiusmodi profusionibus relicto cadauere se ad tempus subducerent. Verum hæc moderata fuisse à seniore Gamaliele, cujus tam in Sacerdotibus, quàm in populo potissima erat authoritas, eiúsque sententia factum, vt non nisi lineis linteaminibus corpora defunctorum cujusvis ordinis & dignitatis obuoluerentur.

Ex Lucæ 7. colligitur Iudæos adhibere solitos in funere tibicines; venerant enim ad Archisynagogi filiam defunctam, vt lugubre canerent cùm Christus aduenit, qui suscitauit eam. Iosephus libro 3. de bello Iudaïco cap. 15. hoc aperit, verum id quidem, non ex legis præcepto, sed potius more Gentilium, tam Latinorum, Græcorum, apud quos tantùm carmen funebre, quod dicebatur *Nænia*, vt author est Festus, canebatur ad tibiam, sed vt scribit Lucianus libro de luctu, ipsæ in luctu iterari solitæ pectoris tonsiones attemperabantur ad modos tibiæ. Quòd igitur in Iudæa frequens eius esset vsus, inde Prouerbium apud Lucam cap. 7. *Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis, lamentauimus iisdem, & non plorastis.* At verò cùm Paulus 1. Thessalon. 4. moneat ne contristemur de dormientibus, tibicines nequaquam soliti sunt adhiberi in funeribus Christianorum, sed certæ obseruantur piæ cæremoniæ, quas ab ipsis Apostolis per successorum manus acceptas laudabiliter hactenus in curandis defunctorum corporibus, Catholica præcipit, aut saltem admittit Ecclesia.

Quòd verò Stephani funus non vna die, sed pluribus vsque ad septuagenarium numerum curatum est, eadem Apostolica Traditione in Ecclesia probata consuetudo videtur, vt item non vna tantùm die, sed pluribus pia fidelium defunctis persoluerentur obsequia: vnguentis enim primùm delibuta corpora remanere duorum vel trium dierum spatio insepulta consueuerant, quo tempore apud ipsa excubantes fideles sacras hymnodias cantabant & sacrificium offerebant, vt inter alios quam plurimos locupletissimi sunt, testes Hieronymus epistola 27. & Augustinus libro 9. confessionum cap. 13. rursúmque 3. 20. 30. 40. ac 60. die agi consueuisse memoriam defunctorum antiqui Libri Rituales testantur, ac præterea multa sunt de Anniuersaria die veterum Patrum certissima testimonia. Tertullianus de corona militari, & libro de monogamia. Gregorius Nanzianzenus oratione in funere Cæsaris, & alij plurimi.

Quæ autem his coniuncta esse videntur suffragia ab Ecclesia pro defunctis exhiberi solita, ea non recens in Ecclesia inuenta, sed ex iisdem Apostolicarum Traditionum fontibus permanasse Augustinus constanter affirmat, sermone de verbis Domini, & de Baptismo cap. 24. vt in tractatu de Purgatorio infrà habetur. Ritus ergo modernus ab Ecclesia primitiua habetur, consequenter antiquus & vtilis est.

Primò, corpora mortuorum nunc lauantur, id etiam olim fiebat, vt patet Act. 9. de Tabitha, & apud Gregorium libro 3. dialog. cap. 17. & libro 4. capit. 16. & 17. Id autem indifferens est, vnde non curandum si non lauentur, ait Durandus. Lauantur autem ad significandum, quod si anima per confessionem fuerit mundata à culpa, vtrumque anima scilicet & corpus glorificabitur in die iudicij.

Secundò, corpus sindone, aut sudario albo inuoluitur, id Iudæos facere solitos constat ex suscitatione Lazari Ioann. 11. Idque exhibuit Christo Nicodemus, cuius sancta Syndon miraculosè integram Christi referens imaginem Taurini asseruatur, & maxima cum deuotione populorum vndequaque affluentium, quasi principalis reliquia colitur, hæcque ab Episcopis Pedemontanis demonstratur solemniter die quarta Maij. Obseruatur autem hæc cadauerum obuolutio, ad significandum quod mortui in Domino sequentur Agnum in stolis albis, seu gloriæ splendore, vt dicit Cyprianus sermone de mortalitate.

Tertiò, cadauera cum honore & multitudine comitatus deferuntur ad sepulchrum: ita factum legimus Genes. 50. Luc. 7. & apud Gregorium Nanzianzenum oratione secunda in Iulianum apud Sulpitium in vita Sancti Martini. Hieronymus in vita Sanctæ Fabiolæ & Sanctæ Paulæ, & apud alios, idque ex charitate & comitate procedit, vt vltimus deferatur honos iis quos fratres in Christo, & socios in vita habuimus.

Quartò, corpora fidelium cum psalmodia deferuntur ad tumulum, probatur ex tumulatione Beatæ Deiparæ Virginis factæ ab Apostolis cum Hymnis & Canticis. Tum ex Dionysio cap. 12. cælest. hyer. *Quod à diuinis præceptoribus nostris deprecatione qua dixi vtitur Antistes, in eo qui mortuus est traditam accepimus.* Nota aliqualem differentiam obseruari in sepeliendo Sacerdote, & simplici Christiano, vbique autem habentur precationes & psalmodiæ, vt testantur Gregorius Nanzianzenus citatus, Chrysostomus homilia 4. in Epistola ad Hebræos. Hieronymus in vita Sancti Pauli eremitæ scribit, Sanctum Antonium celebrantem solum exequias Sancti Pauli primi eremitæ, Psalmos & Hymnos de Christiana Traditione decantasse.

Quintò, ad funus fidelium adhibentur lampades & cerei accensi, id factum ab Apostolis in exequiis Beatæ Virginis Deiparæ, testatur Nicephorus lib. 2. cap. 22. Nyssenus ad Olympiam de obitu sororis. In funere Cypriani ex actis Pontij. Gregorius Nanzianzenus in oratione funebri fratris sui Cæsarij narrat, matrem eorum gestasse faces accensas. Chrysostomus citatus, Ambrosius orationes funebres de obitu Imperatorum Theodosij veteris & Valentiniani iunioris habuerunt ibi ritus describitur se-

 pulturæ

pulturæ cum cereis. Theodoret. & Socrates in historia pompam receptionis cadaueris sancti Chrysostomi in vrbe Constantinop. describentes, *lucebat*, inquiunt, *via longo ordine flammarum*. Luminaribus his protestamur immortalitatem animæ, vtpote lucentem cum Deo, & lumine diuino inuestiendam: protestamur etiam Christianam fidem quam professa fuerat apud nos de qua dicitur in scriptura quòd sit lux, & quod Christiani sint filij lucis.

Sexto aqua benedicta aspergitur cadauer ne dæmones accedant ad ipsum, quos ex institutione sua abigit,& propellit,solent enim diaboli in mortua desæuire corpora, & quod non potuerunt in vita, sæpe faciunt post mortem. Coronus in sua instit. scribit aspergi cadauer in testimonium quod reflorescet, vti plantæ, in die resurrectionis, quod futile omnino mihi videtur, & præter irrorantium intentionem.

In Tractatu de Aqua lustrali intelliges aspersionem illam esse genus quoddam symbolicum deprecationis, qua remissionem venialium peccatorum defuncto imploramus: hanc enim Sacramentalia conferre possunt ex instituto Ecclesiæ, iisque vtentes hanc eliciunt, vnde aspergentes defunctum applicare dicuntur mortuo quod ex benedictione Aquæ lustralis ipsi accepturi essent, valet itaque ista irroratio ad refrigerium defunctorum, seu diminutionem pœnæ, pro peccatis in Purgatorio luendæ, annuo quidem Aquam hanc valere ad abigendos dæmones, sed cùm cadauer est in Ecclesia, vel in tumulo, nunquid præsentia corporis Christi in Sacramento altaris habebit hunc effectum? aut saltem oratio quæ ab Ecclesia impenditur super cadauer? Adde quod Aqua lustralis infunditur tumulis cum cadauera iamdudum resoluta sunt in primam eorum materiam, quid ibi aduersi molitentur dæmones?cum nihil residuum hic extet de corpore defuncti.

Septimo adhiberi solet incensatio thuris idque ad honorem, vel vt notat Baronius anno Christi 34.num. 313. Ex actis Synodi Chalcedon. fiunt incensationes vt innuatur defunctum se obtulisse Deo in odorem bonorum operum, & bonæ famæ, vel vt assistentes intelligant quod Oratio defunctis prosit, quam Dauid vocat incensum Psalm.140. dici potest adhiberi incensationes ad pellendum odorem malum defunctorum. Denique tam incensum quam aspersio aquæ adhiberi solet ab Ecclesia in signum societatis, & communionis Sacramentorum quam nobiscum habuerunt defuncti dum viuerent, vnde ex Dionys. tradit quod antiquitus viui mortuos osculabantur in signum vnitatis quam cum eis habuerunt. Vel in ordine ad Deum talia Deo in defunctis exhibemus, nam credimus eorum membra fuisse templa, & habitaculum Spiritus Sancti iuxta Apostolum 1.Cor.6.

Meletius Episcopus Antiochenus,moritur in Conc Oecumenico Constantinopolitano anno 381. quem tunc Greg. Nyssen. laudauit, & funus eius celeberrimum cum Psalmis, luminaribus, incenso ab vniuersa Synodo, ipsoque imperatore cum tota ciuitate curatum descripsit; translatum est corpus eius Antiochiam cum celebri pompa & Psalmodia, vt scribit Sozomen. lib.7. hist. cap. 10. & iuxta loculum sancti Babylæ Episcopi,& Martyris conditum.

Octauo sacrificium Missæ offertur, ita pariter offerebatur olim vt testantur Tertull.lib. de corona militis Cyprian. lib.1. epist.9. August. 9.confess. cap.12. Ambros orat.de Valentiniani obitu. Omnia loca quæ faciunt pro Purgatorio huc relata vim habent,& non solùm cum sepeliuntur, sed etiam die anniuersaria persoluitur pro defuncto Officium vt patet apud Tertull. lib. de Monog. Nazianz. orat in Cæsarium fratrem, *Quoniam*, ait August. *nescimus qualiter sit defunctis in alia vita, & melius est vt eis supersit beneficium nostrum, quàm desit*, & scimus ex multis reuelationibus, & apparitionibus authenticis animas sanctorum non obstantibus suffragiis Ecclesiæ diu detentas in igne expiatorio. Plerique Nouennam obseruant vt per officium hoc liberentur à pœnis defuncti &ordinibus Angelorum quos sancti restituturi sunt associentur. Alij longiori tempore parentant. Multi Trentenarium S. Gregorij obseruant.

Nota autem in Missa, & Exequiis defunctorum assumi colorem nigrum in paramentis vtpote luctui conuenientem, & ea omnia quæ solemnitatem habent omitti, quare non dicitur in Missa Psalmus. *Iudica me*, nec *Gloria*, nec datur pax vnde, & omittitur Oratio de pace. *Domine Iesu Christe*, nec datur benedictio in fine. Alcuin. cap. de Exequiis, Amalar. lib.3. cap.44. excludunt à mortuorum Missa omnem lætitiæ, & suauitatis significationem docentque fieri ad imitationem officiorum quæ aguntur in morte Domini. ita Hugo Victor. Durand. nam cantica, & alia quæ lætitiam redolent non conueniunt dolentibus de proximi morte. Olim quidem circa 3. & 4. sæculum vsitatum fuisse alleluya,in funere defunctorum notat Hieronym. epist. ad Aletium, sed iam interdicitur nec aqua calici infundenda benedicitur, nec dicitur *Credo* nec petitur benedictio ad Euangelium, nec in fine osculandus est liber ex o dinatione Missalis Pij V.

Nono eriguntur tituli. hoc Iacob. Gen. 35. fecit super tumulum Rachelis,& Simon Machabeus super sepulchrum 1. Mach.13. qui & statuit 7 pyramides. In Euangelio Matth. cap. 23. legitur. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum*, ibi de secundo, seu de occisione arguuntur, non autem de erectione sepulchrorum Tum hæc monumenta sunt monimenta ad omnes futuræ, & impendentis mortis, vel protestatio immortalitatis animæ cuius corpori talis defertur honos, vel excitatio viatorum ad impendenda suffragia

Decimo erogantur eleemosynæ pauperibus ex Chrysostom. hom. 32. in Matth. sicque faciendum docuerat Tobias 4 *Panem tuum, & vinum super sepulturam iusti constitue*, species hæ sunt suffragiorum quæ animabus applicatæ prosunt ad expiationem, seu satisfactionem pœnarum exoluendarum. Hinc inoleuerat olim mos deferendi epulas ad sepulchra quod Ambrosius anno 384. Mediolani sustulit, cuius exemplum docente Augustino epist. 64. Africana Ecclesia secuta est, & Oriens antea idipsum didicerat à Concil. Laodiceno. Quod autem

autem Concil. Carthag. III. prohibuerit cap. 30. *Vt nullus in Ecclesia conuiuetur*, id quidem ex suasione Augustini factum videtur, quippe qui iam ante commouisset Aurelium Episcopum, Chartaginen. vt exemplo Ecclesiarum transmarinarum auferendas eas curaret epulas ob prauum illarum vsum. Cum autem Aurelius huiusmodi ambitiosas commessationes quæ non solum in memoriis Martyrum, sed etiam in defunctorum sepulchris exhiberi solent, abstulisset (quod tamen Augustinus suasit vt nihilominus consulium vellet piis oblationibus pro animabus defunctorum, nempe vt quæ ad eorum sepulchra statuebantur erogarentur ad pauperes) ex eoque accidisset anno 397. vt ab omni pro defunctis piorum officiorum frequentatione cessaretur. Ideirco visum est postea Africanis Patribus in Concil. Chartag. IV. cap 95. excommunicationis pœna populum compellere. *Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt tanquam egentium necatores excommunicentur*, tanti enim æstimarunt retinere populum in antiquo pietatis officio. Hæc omnia supra dicta obseruantur ex Traditione, vel Apostolica, vel Ecclesiastica quæ præualere debet futilibus. Nouatorum tedargutionibus. Et licet sepulturæ pompa per se, non sit ad subsidium defunctorum, sed ad commendationem familiæ & solatium viuorum, tamen in ea multa includuntur quæ per se prosunt defunctis, vt eleemosynæ, sacrificia, &c. quæ reperiuntur non ex diffidentia sed ex feruore, & quia status defuncti est nobis incognitus. Quod autem Concil. Elibertin. reprehenderit vsum cereorum in cæmeteriis per diem ardentium, id fuit quia tunc, id est, tempore Syluestri Papæ nondum erat extir patus paganismus, vnde tres primi Canones Concilij agunt de Gentilium Sacerdotibus, & de idolis, prohibetur ergo hæc cæremonia quia ex superstitione Gentilium fiebat, qui putabant corpora mortuorum sentire aliquid. Nunc verò extincto illo errore non est malum vti ea cæremonia in alium finem, scilicet ad significandum animas viuere, corporáque earum suo tempore illustranda. Quod autem hic dicitur, *non esse inquietandos spiritus defunctorum*, non significat reuera eos inquietari, cùm fortè ignotent quid isthic fiat, sed displicere illis eiusmodi errorem: quomodo Ambros. dicit lib. 2. epist. 8. non debere mœstificari lachrymis animam sororis defunctæ, sed orationibus commendandam esse Deo.

QVÆRES, *Vnde ortus vsus nigrarum vestium in cognatis defuncti.*

Respondeo à charitate & comitate vrbana. Ipsi enim per nigredinem volunt videri quasi consepulti mortuo, eique affectu coniuncti, & cogitationibus quas pullata vestis refricat ne memoria eius pereat cum sonitu, cuius suffragiis saltem per annum attendere, & vacare debeant; hocque dicitur, *parentare.*

QVÆRES, *cur in Exequiis celebretur conuiuium inter parentes.*

Respondeo triplici ex causa celebrari inter Christianos conuiuia sacra, vt vocat Greg. Nazianz. de vitæ different. Primò in Natalitiis. Secundo in Connubiis. Tertio in funeribus. De funeralibus habetur mentio apud Origenem lib. 3. in Iob. Chrysost. Paulin. & Hieronym. Inuitat occasio consolandi afflictos propinquiores, vrget redintegratio amicitiæ inter cognatos, *&c.*

Durand in Rationali lib. 7. cap 35. multa habet de Officio mortuorum notátque debere pulsari campanas postquam expirauit homo, vt populus hoc audiens oret pro illo, pro muliere quidem bis, pro viro ter, & pro clerico tot vicibus quot ordines ipse habuit, debent etiam compulsari quando cadauer ducitur ad Ecclesiam, & quando ad tumulum deportatur. Rationem distinctionis istius non refero, quia non satisfacit, sed potiùs ab vsu petenda est, ad significandum audientibus conditionem defuncti.



DE PROCESSIONIBVS Officio diuino annexis.

PROCESSIO est forma Orationis publicæ in qua Clerus, & Plebs Christiana ordinatè procedunt. Processio enim quasi progressio à procedendo in publicum dicitur, cùm Clerus ab Ecclesia ad aliquod Oratorium, seu locum sacrum, vel terminum territorij ritu deuoto cantans, & supplicans se confert cum populo, vel sine illo ad implorandum auxilium Dei, aut ad referendas de impetrato gratias, vel ad iram eius auertendam, vel ad iubilandum Deo propter magnam eius gloriam, seu misericordiam, si enim licet priuatè orare Deum, cur non & publicè? vt protestemur coram Angelis & hominibus religionem & seruitutem nostram erga Deum, necnon, & immensitatem eius protestemur qui in omni loco dominationis suæ colendus est.

Dauid, & Salomon dederunt exemplum huius ritus Ecclesiæ Christianæ, quando Arcam Dei in tabernaculum, deinde in templum solemniter cum Hymnis & Canticis portauerunt, & sub alis Cherubin. locauerunt religiosè, subsequente tunc maxima frequentia populi ad mandatum Regis conuocati.

Origo Processionum in Ecclesia Catholica, sumitur ex historia Euangelica à Turbis in die palmarum Matth. 21. obuiam Christo cum ramis oliuarum & palmis procedentibus.

Probatur ex SS. Patribus qui harum mentionem faciunt Tertull. lib 2. ad vxorem. *Domi-*

ne certè pro disciplina satisfacere non potest habens in latere diaboli seruum procuratorem Domini sui ad impedienda fidelium studia & officia, vt si statio facienda est maritus de die condicat ad Balneas: si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuium exerceat: si procedendum erit, nunquam magis familia occupatio adueniet. Idem lib. de præscriptione aduersus hæreses cap. 43. *Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta & cura sollicita & subiectio religiosa, & apparitio deuota & processio modesta & Ecclesia vnita, & Dei omnia.* Hieronym. ad Eustoch. epist. 12. *Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo, nunquam deerit causa procedendi, si semper quando necesse erit processura sis.* Idem epist. 22. ad eandem indicat solitos fideles procedere aliquando ad loca martyrum publico conuentu fundentes ad Deum preces.

Concil. Laodicen cap. 17. *In Processionibus,* ait *non connectere, id est, de diuersis versibus, & sensibus libri vnum canticum coniungere non licere, sed singulorum Psalmorum ordinabiliter debere fieri lectionem.*

Has Processiones à Patribus dictas esse Litanias, eò quod expiationis causa vrgente aliqua necessitate publicè consuescerent indici, declarant multa exempla Gregor. Papa lib. 1. Registrorum in principio & lib. 11. cap. 2. & 9. Gregor. Turon. lib. 10. histor. Franciæ cap. 1. Gennadius Massilien. cap. 99. Paulus Diaconus de gestis Longobard. lib. 3. cap. 11. & alij. Easdem vero in Ecclesia Neocæsariensi peragi solitas tempore Greg. Taumaturgi author est Basil. epist. 63. ad Neocæsar. & postmodum in cæteris Orientis Ecclesiis frequentatas fuisse constat adeò vt eas solemniori pompa etiam Arriani fuerint æmulati vt refert Socrates lib. 6. cap. 8. Sozomenus lib. 8. cap. 8. quibus Arcadius Imperator, edicto promulgato prohibuit.

Sed percelebres, & ab vniuersa Ecclesia receptæ sunt illæ quas postea Mamertus Episcopus Viennensis in Gallia instituit, siue restituit anno 475. temporibus Valentiniani III. Imp. quæ & *Rogationes*, dictæ sunt. Vide de ieiunio Rogationum. Hæ habent Litanias maiores, & minores: maiores quidem in Festo S. Marci etiamsi festum cum eiusdem Missa contingat transferri quas instituit S. Gregor. Papa non simpliciter, sed ad S. Petrum vt ait Baronius in notis Martyrologij die 25. Aprilis, erant enim annuæ ante Gregorium. Processionem septiformem instituit Gregorius, id est, distributam in septem ordines ad certas Ecclesias Clericorum, Religiosorum, Monialium, puerorum, adolescentium, Viduarum, & Continentium, & Coniugatorum.

Hæ Processiones dictæ sunt, *Nigra* quia in signum mœroris, & pœnitentiæ homines vestibus nigris induti procedebant, Cruces, & altaria nigris coloribus velabantur. Septiformem Gregorius instituit Letaniam propter imminentem cœlestis iræ mucronem, ait ordo Romanus, hoc est pestem inguinariam qua obibant multi etiam oscitando, & sternutando morte repentina, vnde & oscitantes formabant super os digito signum crucis, & sternutantibus dicebatur Deus te adiuuet qui mores vsque ad nos peruenerunt, hæc Durand. sed Baronius sumit à Plinio lib. 28. hist. naturalis ritum salutandi prædicto modo sternutantes, Tiberius Cæsar salutationem hanc exigebat cum sternutaret, etsi currui suo insederet, additque Plinius solitum exprimi nomen sternutantis.

Præter Rogationes ordinantur in Rituali quatuor processiones solemnes, in Purificatione B. Mariæ Virginis: in Ramis palmarum & illa quæ quolibet die Dominico in Cathedralibus, seu parrochialibus Ecclesiis obseruatur. Prima introducta est vt occurramus spiritualiter Christo venienti in templum pro nostra salute, vnde à Græcis dicitur ὑπαντὴ, id est, obuiatio. Festum autem hoc occasione magnæ mortalitatis Constantinopolim, deuastantis tempore Iustiniani Imperatoribus, constitutum est in reuerentiam Mariæ & filij: antiquiùs tamen hoc scribit Azor vtpote à Discipulis Apostolorum introductum ad recolendam processionem illam quam B Virgo, & Ioseph ad templum offerentes Iesum fecerunt: & vt ritum Gentilium in meliorem commutaret religio Christiana, hac fuit intentio Sergij Papæ subrogantis circa annum 690. hoc festum in mense Februario quo Gentiles Romani Diis, infernalibus pro animabus antecessorum suorum sacrificabant tota nocte eorum Laudibus cum cereis, & facibus accensis vigilantes, mulieres singulariter in principio Februarij festum luminum exercebant, & de nocte Vrbem lustrabant cum facibus ardentibus in memoriam inquisitionis quam per syluas cum cereis accensis multo tempore fecerant parentes Proserpinæ Ceres eius mater, & alij quam Pluto eius amore & specie captus rapuerat, deàmque fecisse superstitiosè, & vanè credebant Gentiles fabulis intenti.

Secunda Processio introducta fuit in repræsentationem illius vltimæ quæ exhibita fuit Christo à Iudæorum turbis cum ramis palmarum quando insidens asinæ venit Hierosolymam.

Tertia Processio introducta fuit in repræsentationem processionis quam Discipuli post Christum in die Ascensionis eius in cœlum fecerunt euntes cum eo ad montem Olíueti vnde assumptus est.

Quarta quæ fit singulis Dominicis est ex institutione Agapiti Papæ anno 531. qui solemnitatem solitam fieri in die Iouis in memoriam Ascensionis primis illis temporibus, & videns iam multiplicatas festiuitates transtulit in diem Dominicam processionem diei Iouis, vt à populo tunc maximè conueniente ad Ecclesiam, & simul & solemnius coli posset.

Aliæ indici solent extraordinariæ processiones authoritate Episcoporum varias ob causas occurrentes.

Vrbanus IV. celeberrimam instituit anno 1262. in solemnitate Corporis Christi, quam Eugenius IV. confirmauit 1433. hæc fieri solet maxima cum solemnitate in paramentis albis defertur sub Baldachino sanctissimum Sacramentum manibus celebrantis: sacra rituum Congregatio declarauit anno 1618. absolutè abusum esse deferre humeris Sacerdotum SS. Eucharistiæ tabernaculum nonobstante quauis contraria consuetudine.

In Processione Clerus debet immediatè præce-

præcedere celebrantem & cereos accenſos geſtare: Cæteri ſiue Confratres, ſiue Regulares ante Clerum procedant, cereóſque geſtent omnes ea manu, quæ cuique extima, eſt altera pectori admota. Decantentur Hymni alternatim, qui à celebrante cum miniſtris, ſi velit, dici poterunt ſubmiſſi voce.

Qui introductus eſt mos ornandi parietes viarum, per quas eſt tranſeundum tapetibus, aulæis, & ſacris Imaginibus, & Myſteria ſacra repræſentandi in compitis, deuotionem Catholicam plenè ſapit, & reuerentiam quam fideles Chriſto exhibere tenentur.

Crux in Proceſſionibus quaſi regale vexillum, & ſignum triumphale præmitti ſolet cum luminibus: hoc induxit Sanctus anno 398. vt referunt Socrates & Sozomenus citati à Cæſare Franciotto in obſeruationibus circa Myſteria totius anni. Crux autem à Regularibus defertur cum velo pendente, ſeu pallio ex decreto ſacræ rituum Congregationis decimo-quarto Ianuarij anni 1617. ad indicandam, ait Gauantus, ſubjectionem & inferioritatem reſpectu Cleri ſæcularis, eadem ratione qua baculo Abbatiali appenditur velum, ſeu ſudarium nodo eiuſdem ad differentiam baculi Epiſcopalis: quod in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis de ſupellectilibus Eccleſiæ libro 2. notatur. Sic enim mulieri datur velamen ſupra caput, indicium ſubjectionis ſub viro 1. Cor. 11.

Cùm defertur Crux, Imago Chriſti debet vertere terga Clero ſequenti, quaſi Chriſtus præire videatur, niſi ſit Archiepiſcopalis, vel Papalis, in qua imago Crucifixi reſpicit Archiepiſcopum, vel Papam, quaſi ex illius aſpectu in ſumma animarum cura ij recreentur. Crux ergo defertur, Primò, *Vt fugiant qui oderunt eum à facie eius.* Pſalm. 67. Eſt enim ſignum victoriæ Chriſti & Aſcenſionis eius, qui magna cum præda è limbis educta *captiuam ducens captiuitatem*, aſcendit ad Cœlos.

Ritus iſte inductus eſt à Conſtantino Imperatore, qui cùm in ſomnis vidiſſet ſignum Crucis, eique dictum fuiſſet, *In hoc ſigno vince.* iuſſit Crucem in bellicis vexillis inſigniri, & præferri in exercitu, quod rationabiliùs fit in Proceſſionibus, quæ exercitum Eccleſiæ militantis repræſentant.

Officians pluuiale tunc defert; nam proceſſio eſt quædam cum populo itineraria conuerſatio & hoc paramentum deſignat formam ſanctæ conuerſationis, quod aliter dicitur *Cappa*, habétque in ſupremo Caputium, oblongáque & talaris eſt, & ante aperta. Itaque Cappa, ſeu Pluuiale extra Eccleſiam adhibetur in proceſſionibus, vt per caputium tegat Sacerdotis caput ſi fortè plueret.

Campanæ interdum in proceſſionibus pulſantur; nam ſicut Rex terrenus habet in exercitu ſuo regalia inſignia, tubas & tympana: ſic Eccleſia campanas pro tubis & cymbalis.

Panni & flores ſæpè protenduntur vel ſternuntur ad honorem Religionis, vel Cleri, vel Reliquiarum, quæ vt plurimùm deferuntur, cum facibus & cereis in proteſtationem ſplendoris, quo Deus animas Sanctorum illorum illuſtrauit, quas reueremur cultu eis debito.

Et hinc eſt quòd olim Leuitæ ſupponebant humeros Arcæ: & in Eccleſia Chriſtiana Clerus ipſe non grauatur capſas Reliquiarum portare.

Imò ipſi Epiſcopi leguntur hoc ſæpè feciſſe vti decretum fuit in Concilio Bracarenſi canon. 5 *In feſtis*, ait, *quibuſque Arcam Domini cum reliquiis non Epiſcopi, ſed Leuitæ in humeris geſtent: quod ſi Epiſcopus per ſe reliquias portare elegerit, non vehatur ipſe à Diaconibus in ſella, ſed potius pedeſtri eo vna cum populis progreſſione procedente ad Eccleſias per eundem ſanctæ Dei Reliquiæ portabuntur.* Id decretum fuit tempore Vitaliani Papæ anno 660. Sed iamdudum obſeruatum lego. Auguſtinus 22. ciuitat. capit. 8. ſcribit Lucillum Epiſcopum reliquias Sancti Stephani, quæ in caſtello Syniceſi erant portaſſe proceſſionaliter præcedente populo atque ſequente, & pia illius ſarcinæ vectatione à fiſtula grauiſſima ſanatum fuiſſe.

De ſolemni Reliquiarum tranſlatione, aut portatione plura habentur exempla. Ruffinus libro 2. hiſtor. cap. 31. ſcribit, quod Theodoſius Imperator præparans ſe ad bellum circuibat cum Sacerdotibus & populo omnia Orationum loca ante thecas Apoſtolorum & Martyrum proſtratus iacebat, & cilicio ad carnem indutus auxilium diuinum interceſſione Sanctorum poſcebat. Iuſtinianus Imperator in authentica 132. *Pœnam mortis ſtatuit in eos qui ſacra miniſteria conturbauerint, aut celebrare prohibuerint: hoc ipſo obſeruando in Litaniis, in quibus Epiſcopi & Clerici reperiuntur, & ſi quidem iniuriam ſolum fecerit is verberibus exiliéque tradatur.*

DE

DE CANTV ECCLESIASTICO.



RADITIO hæc Diuina & Apostolica, ne dum Ecclesiastica dici debet, imò & Angelica, cùm Angeli Christo nato dulcissimis vocibus occinentes, & Hymnum *Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* suauiter depromentes (quæ verba Angelorum Canticum nominari cœperunt, vt notat Vvalfridus. Strabo de rebus Ecclesiasticis cap.22. totum autem quod sequitur addidit Sanctus Hilarius Pictauensis Episcopus) exemplum Christianis dederint cantum vsurpandi in laudem Christi, & obsequium Dei. Tum Sanctus Ignatius discipulus Sancti Ioannis Euangelistæ, Successor in Episcopatu Antiochiæ Sancto Euodio quem Sanctus Petrus sibi subrogarat, audiuit Angelos alternatim Deo canentes, vnde ipsum cantum induxit in sua Ecclesia, ex qua in omnes dimanauit, Choro vno primum incipiente, & alio vnanimiter succinente, sed altior & certior huius rei fides habetur, cùm de Seraphin stantibus ante Thronum Dei, atque alternis vicibus canentibus singularis facta est manifestatio Prophetæ Esaiæ 6.

Habentur etiam exempla Patrum veteris Testamenti, ac præsertim Regis & Prophetæ Dauid, qui non solùm Psalmos plurimos composuit & Choros cantorum instituit, sed etiam hortatur in Psalm.150. vt instrumentis musicis Dominum laudemus.

Diuinum habemus exemplum ex approbatione Christi; nam cum turbæ venirent ei obuiam, & magnis vocibus occinerent *Benedictus qui venit in nomine Domini Osanna in excelsis*, non solùm eas non prohibuit, sed Pharisæos & Scribas oppugnantes, & prohibere volentes compescuit. Præualet insuper exemplum ipsius Christi, qui vt Matth.26. dicitur. *Post Cœnam exiit cum Apostolis in montem Oliueti Hymno dicto.* Græcè legitur ὑμνήσαντες, id est cantantes, non simpliciter recitantes, sed modulatè canentes, vt explicat Concilium IV. Toletanum circa annum 626. habitum sub Honorio I. & habetur ex Augustino, qui in titulum Psalmi 72. scribit ita esse proprium Hymnorum, vt cantentur, quod si non canantur nequeant propriè vocari Hymni, & in Epistola 119. cap.18. ad hunc locum aspiciens dicit de canendis Hymnis nos habere Saluatoris & Apostolorum exemplum, & quidem Apostoli Pauli, nec-non & Silæ, qui vt Lucas testatur media nocte orantes decantabant Hymnos, id enim significat illud προσευχόμενοι ὕμνουν. Clara autem, atque elata voce illos cecinisse perspicuum est, ex eo quod audiebantur ab aliis qui in custodia erant.

Habemus præterea præceptum Apostoli ad Ephesios 5. & ad Coloss. 3. vbi monet Christianos, *vt in Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus se exerceant.* Sic probatur & stabilitur Cantus ex ipso Dei verbo.

Probatur ex Sanctis Patribus, Dionysius c. 7. hier. Eccles. Meminit cantus quo vtebatur Ecclesia illius temporis in sepeliendis mortuis. Tertullianus in Apologetico cap. 2. refert ex Epistola Plinij ad Traianum, consuetudinem primorum Christianorum, qui horis antelucanis conueniebant ad sacros Hymnos Deo canendos. Idem etiam meminit cantus Ecclesiastici in eodem Apologetico cap.39. & in libro 2. ad vxorem.

Similia refert ex Philone Eusebius libro 2. hist. capit 17. Primi enim Christiani, quos Marcus Euangelista in Ægypto docuerat, in canendis Deo Psalmis & Hymnis die noctúque se exercebant: de quorum vita, vt planè admiranda, ac propè Angelica librum scripsit Philo. Basilius Epistola 63. *Illucescente iam die pariter omnes velut ore vno ac corde confessionis Psalmum Deo offerunt. Horum gratia si nos fugitis, fugietis simul Ægyptios, Thebeaos, Palestinos, &c. & omnes apud quos vigiliæ, communésque psalmodiæ in pretio sunt.* Hilarius in com. psalmi 65. meminit cantus. *Audiat*, inquit, *orantis populi consistens quis extra Ecclesiam vocem: spectet celebres Hymnorum sonitus.* Chrysostomus homilia 56. in Matthæum, & 59. ad populum Antiochenum. Meminit cantus Ecclesiastici, húncque auxit & ornauit, ait Socrates libro 6. cap. 8. Augustinus libro 9. Confessionum cap.7. scribit ab Ambrosio, primùm institutum fuisse, vt iuxta morem Orientis, Psalmi atque Hymni in Mediolanensi Ecclesia canerentur, atque hunc vsum inde ad alias Occidentis Ecclesias dimanasse, eundémque vsum idem Augustinus probat, tum loco notato, tum etiam libro 10. cap.33. Sed quod ait ab Ambrosio id primum institutum non videtur, ita accipiendum quasi cantus Ecclesiasticus in Occidente ante Ambrosij tempora planè ignotus fuerit.

Contrarium enim testantur quæ paulò ante ex Tertulliano & Hilario citaui, sed fortasse loquitur Augustinus: non de cantu absolutè, sed de cantu totius populi. Antea siquidem Psalmum cantabat vnus tantum audientibus cæteris. Vnde est illud Hieronymi in Epistola ad Rusticum: *Dicas Psalmum in ordine tuo*, fortasse etiam soli Clerici, vt nunc fieri videmus canebant. Ambrosius autem ad leniendum mœrorem populi in persecutione Iustinæ instituit, vt totus populus caneret. Quod etiam fecit Chrysostomus in simili occasione apud Constantinopolim, vt refert Socrates libro 6. hist. capit. 8. Quicquid sit patet ex SS. Patrib. ritum canendi in Ecclesia antiquissimum esse.

Probatur ex Conciliis Laodiceno anno 364. vbi statuitùr, *Vt nulli alij in Ecclesia Psalmos canant, præter eos qui cantorum officio funguntur.* Gregorius 1. in Concilio Romano statuit,

Ut Diaconi non canant in Ecclesia, nisi Euangelium, Lectiones ceteras, vt etiam Hymnos, & Psalmos ab inferioribus Clericis decantari sinant. Concilium Chartaginense IV. Can.10. Toletanum IV. capit. 21. Agathense capit. 21. Aquisgranen. cap. 132. & 133. vbi monentur cantores Ecclesiæ, *Vt ædificationem non adulationem populi quærant, dum sacras Lectiones, & Psalmos atque Hymnos modulatis vocibus canunt.*

Illud autem Laodicenum decretum inde manauit, quia olim non solùm extra Ecclesiam ab omni hominum genere artificum, rusticorum, nautarum, viatorum & aliorum eiusmodi priuatim cantari solitas animi causa Deo laudes, sed & publicè in Ecclesiis promiscuè vnà cum Clericis vniuersum cantasse populum, simúlque Sacerdotibus orationem dantibus vel colligentibus respondere consueuisse *Amen*, testantur antiqui, & ab iis Hieronymus in præfat. Epistolæ ad Galat. libro 2. *Ad similitudinem cœlestis tonitrui. Amen reboat* Ausonius in Ephemeride. *Responsuris ferit aëra vocibus. Amen*, sed quoniam imperitia canentium sæpius accidebat, vt harmoniam illam Ecclesiasticæ dignitati congruentem & cantui requisitam sono incomposito vocum corrumperent, in quos iure declamat Chrysostomus homilia 1. in cap. 8. Isaiæ, necessariò Ecclesiasticis legibus & decreto hoc Laodiceno prouisum est, *Ne præter canonicos psaltes, id est, qui regulariter cantores existunt, quique pulpitum ascendunt, & de codice legunt, liceat alteri cuilibet in Ecclesia psallere.*

Magnam enim Sanctos Patres adhibuisse diligentiam, vt ad pietatem omninò compositus esset cantus in Ecclesia fieri solitus, vel ex eo facilè colligi potest, quòd constet & in ipsorum Christianorum conuiuiis, non nisi per quàm modestos & graues Hymnos concini consueuisse, vt testantur Clemens Alexandrinus libro 2. pædag. capit. 4. Tertullianus capit. 39. Apolog. Cyprianus ad Donatum. Sed & Gentiles ipsi qui rectè saperent, damnarunt illos canendi modos, qui mollibus fractísque vocum inflexibus animos itidem molles fractósque redderent. Vide apud Ciceronem libro 2. de legibus. Plutarchus de Musica. Quemadmodum aduersùs corrumpentes Canticorum modestiam est vehemens obiurgatio Hieronymi in comm. Ephes. 5.

Institutio cantus non vacat rationibus, quas produco in gratiam beneuoli Lectoris. Prima est vtilitas quæ percipitur ex cantu; nam si ad pietatem musici modi compositi sunt, nihil vtilius nec gratius audiri potest: accendunt pia Cantica non parum audientium animos, cuius rei vel vnum Augustinum testem adhibuisse sat erit, sic enim ipse loquitur in libro 9. Confess. cap. 6. *Quantum*, inquit, *fleui in Hymnis & Canticis tuis suaue sonantibus Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter, voces illæ influebant auribus meis & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis & currebant lachrymæ, & benè mihi erat in eis, &c.* & in epistola 119. cap. 18.

Altera ratio in eo posita est, quod facilius & libentius Deo laudes persoluuntur, quando Officium diuinum alioqui prolixum & graue quadam cantus iucunditate conditur.

Carriere in Professionem Fidei.

Tertia, quòd hac ratione testamur Ethnicis & Hæreticis non erubescere nos fidem nostram quandoquidem fidei dogmata quæ ab iis irridentur nos cantu ac versibus celebrare non dubitamus.

Quarta, sic Christiani testantur legem diuinam non esse sibi molestam & grauem, sed iucundam & suauem, seque eam non ex timore, sed ex amore seruare, iuxta illud Psalm. 118. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.*

Adde, quod sic perfectum Deo reddimus omni ex parte obsequium, dum & animo ardentissimo & corporea clarissima voce laudes eius celebrare contendimus.

Non ignorandum tamen, licet in vniuerso Christiano orbe semper viguerit in Ecclesia canendi vsus, tamen non vbique eundem non esse seruatum modum, si quidem Augustinus libro 10. Confessionum cap. 33. ait Athanasium in Ecclesia Alexandrina, tam modico flexu vocis fecisse sonare Lectorem Psalmi, vt pronuntianti vicinior esset, quàm canenti. In Oriente verò (vnde & Mediolanensem Ecclesiam sub Ambrosio Ecclesiastici cantus formam accepisse tradit Augustinus libro 9. Confessionum cap. 7.) suauiori vocum concentu, qui audientium animos quantumlibet tristes mulcere posset cantari consueuisse.

Non sic autem Romana Ecclesia (vt aliquis deceptus commentitiis scriptis sub nomine Damasi peruulgatis existimauit) ab Orientali mutuata est modum psallendi, cum iam ab ipso institutæ sedis exordio Psalmorum cantus in ea coaluisset; nam Damasus non canendi ritum, sed psalterium ex translatione Septuaginta Interpretum ex Oriente, nempe ex Hieronymo Hierosolymis agente accepit. Quantum autem colligere licet ex antiquis monumentis, eadem Romana Ecclesia mediam secuta viam, nec simplicitatem Alexandrinam, nec Orientales compositos numeros in omnibus amplexata, sic temperauit vtrumque, vt mitam quandam cum suauitate adjunxerit grauitatem, & Africanæ Ecclesiæ ritus Romano atque Alexandrino similior quàm Orientali fuisse videtur.

Execrata est pariter Ecclesia Catholica modos illos musicos atque cantus, qui à Gentilibus suis ipsorum ritibus adhiberi consueuerant; sed & illos homines, qui relictis Dauidicis Psalmis concinerent Hymnos proprio ingenio editos, & ad compositos nouos modulos, cuiusmodi erant Harmonij filij Bardesanis, Syri, Pauli Samosateni, Hieracis, Arrianorum, Meletianorum, Donatistarum, Apollinaris, & aliorum eiusmodi hæreticorum, qui in hunc modum aureo calice Babylonis malæ doctrinæ venenatum poculum suis sectariis, tum etiam fidelibus propinarent. Cæterùm nouos piósque conscribere, atque cantare sacros Hymnos ad modos Ecclesiasticos attemperatos, quibus ad pietatem homines instituerentur, non crimini, sed laudi datum est à maioribus nostris, ab Apostolorum ipsis temporibus: sicut eo nomine laudat Dionysius libro de hierachia Ecclesiæ, Hierotheum illum magnum, aliósque. Philo de vita contemplatiua. Et Sanctus Ephrem contrarios Harmonio scribens tradidit Syris canendos, sicut & Gregorius Nanzianzenus cygnæo planè cantu silere fecit Apollinarem stridentem, Itemque

que in Occidente Hymnos compositos à Damaso Papa, Ambrosio, Prudentio, Paulino, Venantio, Fortunato, & aliis in celebriorem vsum recepit Ecclesia: Arrianis tantummodo reclamantibus in Ambrosium, quasi populum seduxisset suis Hymnis, quippe qui etiam in omnibus à se editis & populo canendis traditis ad finem cuiusque in odium Arrianæ hæresis addidisset conglorificationem Sanctissimæ Trinitatis.

De instrumentis musicis.

Ecclesiastici cantus partem accessoriam plerique agnoscunt & faciunt instrumenta musica, quæ miram suauitatem ei conferunt, suáque hilaritate & dulcedine fideles ad Ecclesiastica officia addienda sæpius aduocant, Clericósque ipsa persoluentes ex canonica obligatione facit in Domino delectare.

Quòd autem ea instrumenta legitimè & piè adhiberi possint in Officio diuino publico, quod nomine totius Ecclesiæ persoluitur, ad quod populus liberè & publicè confluit deuotionis & consolationis causa.

Annuit Scriptura ipsa Numer. capit. 10. *Si quando habebitis epulum & dies festos & calendas, canetis tubis super holocaustis & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri: Ego Dominus Deus vester.* Psalm. 150. *Laudate Dominum in sono tubæ, in psalterio, cythara, tympano & choro, in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.* Dauid non solùm cantum & Cantorum choros instituit, sed etiam hortatur, vt instrumentis musicis Dominum laudemus, quod & ipse faciebat, vt ex 1. Regum 19. Psallebat Dauid manu sua, & aliis ex locis constat.

Dices, instrumenta musica pertinere ad cæremonias Iudæorum, & ideò non magis conuenire Christianis, quàm Circumcisio, Sabbata, Neomeniæque conueniunt.

Respondeo cæremonias Iudaïcas alias fuisse proprias veteris Testamenti, eas videlicet, quæ res futuras significabant, vt Circumcisio, Sabbathum, & similes: alias communes vtrique Testamento, quæ non ad significandas res futuras, sed ad colendum simpliciter Deum referebantur, vt flectere genua ad orationem, tundere pectus, colere festos dies, & alia id genus multa, priores cæremonias non conuenire, Christianis fatemur, posteriores autem non minus ad nos, quàm ad Iudæos pertinere contendimus. Huius generis esse instrumenta musica intelligi potest, ex eo quod Hebræi non vtebantur eiusmodi instrumentis ad Mysterium aliquod significandum, sed ad excitandum animos ad laudem Dei, & ad tædium remouendum, quod ex prolixitate Psalmorum atque Hymnorum oriri solet, quæ ratio locum habet etiam in Ecclesia noui Testamenti, in qua multi sunt infirmi & tepidi, imò & rudes qui eiusmodi fomentis sunt curandi, & ad laudes Dei audiendas alliciendi.

Denique nulla ratio reddi potest, cur cantus quo vtebantur Hebræi, & quo nunc vtuntur etiam Caluinistæ, non sit cæremonia propriè Iudaïca, & sonus organi alicuius, sit cæremonia Iudæorum propria, atque adeò interdicta Christianis.

Dices, commendari in Euangelio orare volentibus silentium, aut animi seu cordis attentionem, vt Matth. 6. & Ephes. 5. vnde Hieronymus, nec-non & alij Patres dicunt: *Deo non voce, sed corde canendum, nec in tragædorum modum,* ait Hieronymus in Ephes. 5. *Guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica.* Multique post Clementem Alexandrinum libro 2. Pædagogi capit. 4. sic approbant canendi vsum, vt instrumenta quæ Iudæis volunt propter imperfectionem ipsorum concessa in Christiano Officio reprobent.

Respondeo, exigi singulariter recessum in oratione priuata, aut silentium & cordis attentionem, quia in illa porrigitur Deo secreta petitio quam omnibus patere non expedit, tum vnus alteri clamosa voce obesset. At qui publicas preces, & Dei laudes persoluunt in Ecclesia petitiones communes faciunt, quæ omnibus conueniunt & manifestari debent. Patres, qui carpere videntur vsum musices & instrumentorum, si attentè legantur, inuehuntur in abusum, qui sensim omnia vitiat, esto autem instrumenta musica non ita conueniant perfectis, & imperfectis, tamen si piè exerceantur in vtrisque pietatem promouent. Constat quidem Aug. testimonio Psalm. 32. concion. 2. proscriptam fuisse cytharam ab Ecclesiæ modulatione, & instrumenta alia non fuisse antiquitus recepta indicat author quæstionum apud Iustinum Martyrem quæst. 107. cuius illa ratio videtur adscribi, quod eiusmodi musica instrumenta à Gentilibus adhiberi consueuissent turpibus ac sordidis theatrorum, conuiuiorum, ac sacrificiorum vsibus. Sed quòd post multa sæcula vsu receptum sit, vt in Ecclesia adhiberentur Organica instrumenta, non iure quis poterit improbare, cùm omnem in sono præ se ferant cum grauitate & suauitate modestiam. Vitaliano Papæ ordinatio cantus Ecclesiastici ad Organorum consonantiam tribuitur circa annum 658. Organa tamen in Ecclesiis Galliæ non fuerunt audita vsque ad tempus Ludouici Pij filij Caroli magni, id est, post annum 826. sub Eugenio II. Papa, vt refert Amonius de gestis Franc. lib. 4. cap. 114. Concilium Tridentinum arcet ab Ecclesiis eas musicas, vbi siue organo, siue cantu, lasciuum aut impurum aliquid miscetur.

DE

DE VSV, LVMINIS IN Ecclesia.



LAMPADVM, Cereorum, seu luminis vsum non simpliciter ad tenebras expellendas, sed ad celebritatem, ad lætitiam, & ad Religionem, tam Iudæos quàm Gentiles communem habuisse non ignorant qui in euoluenda antiquitate nonnihil temporis, aut luminis seu candelarum insumpserunt. Quare non mirum si in Ecclesiam Catholicam facile dimanarit. A quibus autem mutuatus fuerit, siue Iudæis, siue Gentilibus (vt calumniantur cum Vigilantio, & Caluin. Nouatores) quid inde. *Propè ritum Gentilium videmus sub prætextu Religionis introductum in Ecclesias sole fulgente moles cereorum accendi, &c.* ait Vigilant. mordacior est Caluinus in suo Catechismo Ecclesiæ Geneuensis. *Sensim eò progressa est superstitio vt in pretio maiori atque honore haberentur, inductiones Ecclesiæ, quam ipsum Christi institutum*, de quibus inductionibus, seu Traditionibus scribens Beza epist. 8. sic loquitur. *Quæ omnia si velim persequi, quis tandem erit histronicarum potius ineptiarum quam Christianorum rituum finis?* Sic in lucem inuehuntur Andabatæ, & in vsum sacrum religioni ab ipsomet Deo inductum tenebras offundere conantur filij tenebrarum. Esto autem ritus iste luminis in pleno sole à præputiato, aut circumciso descendat quid inde? nunquid vasa Ægypti vero Deo consecrauit Israël? quid quæso absurdi si quæ olim in cultu idolorum fierent (quæ ex se mala non sunt) eadem postea in honorem veri Dei, vel Martyrum eius religiosè conuersa fuerint, ait S. Hieronymus? vel quæ in Natalitiis aliisque celebritatibus Principum factitari solerent, eadem ad Natalitia ac celebritates Sanctorum fuerint translata? *Nos scimus*, ait Ioann 1. cap. 3. *Quoniam translati sumus de morte ad vitam*, quidni, & Gentilismi vsus ad nostros transferemus, & vnà nobiscum Deo omnia sanctificanti dicabimus? Si quæ diebus Sabbathis lucernæ accenderentur in templis, *non quod*, vt ait Seneca epist 6. *Dij egerent lumine, sed pietatis ergo*, eædem in Dei Genitricis honorem sint commutatæ? si qui in Saturnalibus erogabantur cerei, vt refert Macrob. Saturn. 7. conuersi fuerint in solemnitate occursus Domini, & sanctissimæ genitricis eius? si vetus Ægypriorum anniuersaria solemnitas dicta. *Accensio Lucernarum*. vt testis est Herodot. in Euterpe, qua noctu circa domos suas frequentes lucernas accendere consueuerant: eadem in festiuitatem Dominicæ Ascensionis permutata fuerit.

Imò vero quòd faciles admodum essent complures Christiani vt hæc olim more Gentilium præstando inciderent in idololatriam (cuius rei certam fidem facit Tertull. de idol. cap. 4. dum exprobrat plures inueniri fores Ethnicorum sine lucernis quàm Christianorum. Ex his abundè colligitur quàm bene consultum fuerit, & sicut necessariò ita & piè effectum vt luminum sacer vsus à superstitione Gentilium vindicatus veri Dei religioso cultui fuerit consecratus.

Sed enim quamuis olim Gentiles templa sua, & domos festis frondibus ornare consueuissent: idque ea ratione sibi nefas esse plerique Christiani ducerent vt refert Tertull. lib. de cor. mil. cap. 43. & lib. de idolo. cap. 15. quòd tamen nonnulli non facile eiusmodi contineri possent disciplina consulto postea introductum videtur, vt eadem impéderentur in cultum veræ religionis, siquidem inter alios laudatur à Hieronymo Nepotianus quòd Ecclesias Martyrum diuersis floribus, arborum comis, vitiúmque pampinis ornaret. Eodémque modo, & alias apud Gentiles insolitas consuetudines à quibus eos quamuis Christianos effectos penitus diuelli posse impossibile videretur, in veri Dei cultum laudabiliter esse translatas notaui in discursu de Ordinatione per impositionem manus quam apud Gentiles fuisse in vsu refert Liuius lib. 1.

Apud Christianos qui filij lucis dicuntur quia Christus venit illuminare omnes qui in eum credunt, vsus luminis, cereorum, lampadum, multa mystica habet, & nihil omnino superstitionis, ad quam omnino explodendam Concilium Trident. sess. 22. remouet ab Ecclesia quarumdam Missarum, & Candelarum, certum numerum, quem magis à superstitioso cultu quàm à vera religione inuentum esse dicit.

Porrò religionis esse accendere luminaria Deus ipse docuit Exod. 25. *Facies, & candelabrum ductile de auro purissimo, & pones lucernas septem & pones eas super candelabrum vt luceant ex aduerso.* Exod. 27. *præcipe filiis Israël vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum piloque contusum vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij.* Leuit. 6. *Ignis autem in altari semper ardebit.*

Id intelligentes Iudæi solebant ad stolam Pontificiam in turre Antonia accendere quotidie lucernam vt refert Iosephus lib. 18. antiq. cap. 6. vt religionis causa vestem hanc sacram, & venerabilem indicarent.

Non minus ergo digne de Religione sapientes antiqui Patres qui arcana ab Apostolis edocti erant, vsum luminis in præcipuis Christianismi mysteriis ad maiorem eorum reuerentiam adiunxerunt, nam & per totius Orientis Ecclesias quando legendum esset Euangelium accendi solita luminaria iam sole rutilante Hieronymus testatur.

Idemque ad Martyrum Reliquias in iisdem Orientis partibus fieri solitum æquè insinuat Epiphanius epist. ad Ioannem Episcopum Hierosolymorum ac pariter Athanasius deplorans cereos à Fidelibus oblatos, ab Arianis sublatos esse,& idolis incensos.

Quomodo autem Catholica Ecclesia lumine,& cereis non vteretur in celebritatibus, & Officiis suis, quæ ab ipso rerum Christianarum initio Ceroferariorũ, qui & Acolythi dicebantur, Ordinem singularem stabilierit, quorum muneris erat ad sacram mysteriorum pompam ferre accensos cereos? vide in Articulo de Sacramentis, quæ de Ordine diximus. Etsi enim materia Acolytatus sint vrceoli, qui ordinato traduntur, tamen candelabra, seu ceroferaria possunt aliquo modo censeri materia istius non sacri, seu minoris Ordinis; quia per cereos accensos Acolythus accedit ex officio ad Missæ Sacrificium. Vnde in Concilio Carthaginensi IV. dicitur cap. 6. Acolythus cum ordinatur accipiat ab Archidiacono ceroferarium cum cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Quod intellige principaliter in Missæ Sacrificio.

Probatur vsus luminis ex praxi primitiuæ Ecclesiæ.

Tomo 1 Conciliorum in vita Siluestri ex Pontificali Damas. vbi agit de munificentia Constantini. *Ornamenta in Basilica Pharum cantharum ex auro purissimo ante Altare in quo ardeat oleum nardinum pisticum, hoc vocatur hodie Opobalsamum magni omninò pretij.* Euseb. vitæ Constantini libro 4. cap. 66. *Milites arreptum cadauer Constantini aurea capsula includunt, & vndique purpurea veste contectum Constantinopolim perducunt. Ibi tum in omnium magnificentissimus Imperatoris ædibus celso, atque edito loco deponunt, luminibúsque circumfusis aurea super candelabra accensis admirabile spectaculum intuentibus præbebant.*

Cyrillus Hierosolymitanus oratione in occursu Domini. *Læti hodie lampades ornemus, tanquam filij lucis, ceras vera luci Christo offeramus; quoniam lumen ad reuelationem gentium apparuit, ideò lumina ex homine suprà niuem resplendeamus.* Gregorius Nanzianzenus oratione 40. quæ est in sanctum baptisma. *Lampades quas accendis illius luminum gestationis figuram gerunt cum qua splendide, & virgines animæ splendidis fidei lampadibus Christo sponso obuiam prodibimus.*

Gregorius Nyssenus epistola ad Olympium Monachum de obitu sororis Macrinæ. *Ex vtraque autem parte procedebat non exiguus Diaconorum ministrorúmque numerus, qui omnes ordine progredientes accensos cereos manibus gestabant.* Sozomenus libro 8. histor. cap 8. scribit Chrysostomi ordine solita gestari in Processionibus argentea crucis signa, quæ faces accensæ præcedebant, *& Eunuchus*, ait, *coniugis Imperatoris in hoc prafectus erat, vt sumptus necessarios procuraret.* Hieronymus aduersùs Vigilantium cap. 1. *Per totas Orientis Ecclesias quando legendum est Euangelium accenduntur luminaria iam sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: vnde & virgines illæ Euangelicæ semper habent accensas lampades suas, & ad Apostolos dicitur, sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & de Ioanne Baptista, erat lucerna ardens, & lucens, vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Psalterio legimus lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meæ.* Aug. in Psalm. 63. *Propterea in Sacramentis, & in catechizando adhibetur prius ignis; nam vnde plerumque immundi spiritus clamant! Ardeo si ille ignis non est! post ignem autem exorcismi venitur ad Baptismum, vt ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium.* Gregorius Turonensis libro 5. hist. Franc. cap. 11. de Baptismo quorumdam Iudæorum. *Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota ciuitas de grege candidato.* Idem libro 8. cap. 10. de translatione cadaueris Clodouæi, seu Clouis. *Conuocato igitur Episcopo ciuitatis cum Clero & populo, ac cereorum innumerabilium ornatu ad Basilicam Sancti Vincentij detulis tumulandum.* Gregorius Magnus libro 12. epistola 9. *Vtile iudicamus eandem massam, quæ ad aquas saluias nuncupatur cum omnibus fundis suis deputare luminaribus Ecclesiæ Sancti Pauli.*

Probatur legitimus luminarium vsus ex multis in eius confirmationem editis à Deo stupendis miraculis. Abbas Vrspergensis affert ex relatione Hermani Presbyteri apud Gretserum libro 2. de Cruce sequens miraculum istud. Anno, inquit, 1011. die sacratissimi Sabbathi, quo secundùm antiquæ misericordiæ Domini paraclesim baptismate iam consecrato lumen de cælo in Ecclesia Hierosolymitana sancto sepulchro consecrata expectabamus, vsque ad vesperam orationibus solitis institimus: at propter peccata nostra dono cœlesti, quod ante nos etiam in conspectu Gentium Christiani semper suscipere solebant, frustrati, absque omni festiuæ synaxis officio noctem illam Dominicæ lugendo transegimus, sed summo manè cum Litaniis à sepulchro Domini nudi pedes processimus, ingressique sumus ante Templum Domini in monte Moria in eo loco & area, vbi Dauid in tribulatione pestis auditus fuit, & eos qui deuoto corde orarent, exaudiendos Dominus promisit: mox ergo post preces & lachrymas vix inde egressi eramus, & ecce concrepantia signa & laudes altisonas in occursum nobis ab his qui remanserant reboantes audiuimus, intrantes ergo Ecclesiam sepulchri, *Lampades duas cælitus accensas*, summo gaudio conspeximus. Nobis verò egressis finita Missa nostra, in Missa Syrorum, qui post nos in eodem choro psallere solent, lampades aliæ diuinitus accenduntur: sic contigit, vt pauci intra Hierusalem, vel Pagani tam euidentem Dei potentiam non cernerent.

Quis quæso litteratorum ignoret miracula, quæ referunt probatissimi Authores de cereo Paschali, cuius cera dæmones fugat, fascinationes auertit, & incendia sæpius extinxit. Huius vsum & benedictionem Durandus in Rationali lib. 6. cap. 80. tribuit Zosimo Papæ sedenti anno 416. & benedictionis formam quam in Sabbatho sancto decantare solet Diaconus vult à B Ambrosio dictatam, sed antiquiorem fuisse in Ecclesia Paschalis cerei vsum & benedictionem docet Prudentius, qui de eo Hymnum cecinit, vt notat Spondan. in annum Christi 418. Zozimus concessit, vt idem cereus, qui

in maioribus dumtaxat Basilicis incendi solerêt, æquè singulis parrochiis permitteretur.

Quin imò ipso etiam oleo lampadum, necnon cera è candelabris sumpta complura peragi consueuisse miracula vsque in hodiernam diem testatum faciunt vitæ Sanctorum.

In vrbe Atrebatensi cereus miraculis illustris asseruatur, quem Deipara Virgo de cœlo detulit, ac inter manus Lamberti Episcopi deposuit, is à quingentis iam annis frequenter accenditur, eiúsque stillæ in aquam ad ægrorum sanitatem distillantur, nec tamen diminutus est, quin potius auctus videtur, ex defluentibus siquidem guttis tantum ceræ collectum est; quantum pluribus aliis cereis efformandis sufficeret, qui varia in loca transmissi, ob parem vim & efficaciam in depulsione morborum pari in honore habentur: etiam nunc in sacello videre est massam ceream, quæ ex iisdem stillis in dies accrescit.

Valentiolæ propè Almagrum in Hispania cerei festo die Sancti Augustini accensi non patiuntur iacturam diminuri ponderis, vt indeficiens doctrinæ lumen per tantum Doctorem affulgere in Ecclesia intelligamus.

Sed quid longiùs quæram, quod propè me habeo, vbi hæc elucubro.

Anno Domini 1323. deportabatur corpus Beati Elzearij tumulandum in Ecclesia Minoritana Aptensi, comitatur penè totus populus insulanus sacrum pignus cum cereis accensis, qui ardentes toto itinere vnius diei nullo modo diminuti inuenti sunt in regressu ad vrbem insulam.

Extractû de processu canonizationis refero. Huc facit miraculum lampadis appensæ coram reliquiis Sanctæ Annæ Matris Deiparæ Virginis, in eadem eiusdem patriæ meæ Cathedrali Ecclesia, quæ vt ex Breuiario, & fideli temporum Chronologia constat, accensa durauit per 630. annos, & ampliùs, quibus sacratissimum hoc pignus omnibus planè hominibus latuit, ardénsque post inuentionem Reliquiarum aliquamdiu durauit.

Iacobus Mercantius in coronide sui Candelabri Mystici, singulares affert historias, quibus conuincit placere Deo, vt coram imaginibus suis, siue Sanctorum, aut Reliquiis eorum lampades accendantur. & candelæ offerantur, & refert ex B. Petro Damian. Cadaloum Antipapam colapho cæsum fuisse à B. Petro, vnde repentina morte obierit, quia possessionem quam Sedes Apostolica habebat in Babyloniæ partibus vnde tantum reditum annuatim capiebat quantum sufficiebat lampadi nutriendæ, quæ ante Altare D. Petri rutilabat appensa, distraxit pecunia accepta, canonémque aromatis quem accipere solebat extinxit, hic cum aliquando oraret ante Altare illud, apparuit grandæuus senex barbirasus, qui elato brachio colaphum ipsi vehementer incussit, & ait, *Tu extinxisti lucernam meam ante me: & ego extinguam lucernam tuam ante Dominum.* Ille verò protinus corruit, & paulò post diem clausit extremum. Quo exemplo terrentur procul dubio, qui per iniustitiam, vel auaritiam, aut iniuriam priuant honorifico um ine loca sacra.

Dices, contra quemlibet vsum luminis in Ecclesia. Ad quid nimis multa candelarum consumptio in Altari, vel in exequiis defunctorum, esto ad cultum & honorem spectet ignis ardens, quia non videt profusionem hanc comparare vanam gloriam diuitibus & inuidiam pauperibus? vera lux quam Deo offerendam iubet Christus, ipse est Fides, *Credite in lucem*, ait, *vt filij lucis sitis.* Quid in Sacramentorum administratione operatur candela accensa sole affulgente: quid sanctis confert superstitiosa candelarum fumigantium oblatio, quam non rarò Clericorum auaritia insolenter exigit, num religiosius & pietati Christianæ conuenientiùs in pauperes effunderentur hi sumptus, quos non commendat Verbum Dei.

Resp. sufficere Catholico, sic visum esse superis, seu Pastorib. animarum, quos audire in obseruatione Traditionum, & Mandatorum Ecclesiasticorum tenetur ex Verbo Dei expresso. *Qui vos audit, me audit.* Cæterum non sine causa lampas accensa coram tabernaculo Domini, habetur in omnibus Ecclesiis. Hæc enim illucens ingredientibus Templum Domini monet & mouet subito ad præsentiam Dei & Corporis Christi Sacro-sancto Eucharistiæ Sacramento concipiendam & timendam & venerandam: Fidem, Spem & Charitatem in animo excitat. Quare posita consuetudine antiquissima à Concilio Niceno, id est, anno 325. deducta, vt docet Conc. Trid. sess. 13. c. 6. asseruandi in sacrario Sacrosanctam Eucharistiam ritè statutum fuit fouendam esse lampadem iugiter coram sacro tabernaculo beneficij, vel Parrochianorum sumptibus, idque in speciale signum honoris, quem supremo omnium Regi præsenti deferunt Christiani. Certum siquidem est ex historia Regibus & Imperatoribus in signum majestatis præferri solitas olim faces, ac lampades. Vide Sueton. de Iulio Cæs. c. 37. Herodian. lib. 1. de Martia; imò liber Iudith c. 3. Holofernem exceptum à populis cum lampadibus & coronis in signum majestatis & honoris expressè docet. Faces & lampades Regibus prælatæ designabant eorum splendorem, dignitatem & sapientiam & prouidentiam, quæ porrò videt in subditorum subsidium, quid ni ergo Regi Regum Christo coram eius tabernaculo lampadem, & in Altari eius dum celebramus seruitutis nostræ pensum in publico Officio cereos & faces accendemus: consumitur oleum, aut cereus in Altari, hincque intelligunt fideles se totos impendendos, & consumendos vel uti holocaustum spiritale in obsequium Dei. Sicque veram se habere in eum fidem demonstrant.

In exequiis præferuntur faces pro deuotione & liberalitate, aut testamentaria executione voluntatis defunctorum, non ad vanam gloriam. Sic palam & publicè fidem immortalitatis animæ rationalis, nec-non & communionem cum Ecclesia Catholica protestantur Catholici, & de residua cera continuatur & propagatur in Ecclesiis solemnitas Officiorum diuinorum. At inquies, pauperibus vtilius esset inde subsidium.

Resp. causabantur quondam Apostoli quòd periret vnguentum, sed Domini voce correpti sunt, neque enim, ait Hier. aduersùs Vigilant. Domini pedes indigebant vnguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, deuotióque mentis eius recipitur: & quicumque accendunt cereos secundùm fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo, *Vnusquisque in suo sensu abundet.*

DE THVRIFICATIONE.

SINGVLARIS Traditio & ceremonia in Officio Ecclesiæ Catholicæ est suffitus aromatum, seu thurificatio, quam à Iudæis proculdubio traduxerunt Apostoli ipsi, cùm in canone 4. ipsorum sic legamus. *Offerri non liceat aliquid ad altare præter nouas spicas, & vuas & oleum ad luminaria, & thymiama, id est, incensum tempore quo sancta celebratur oblatio.* Quàm expressa autem, & sacra fuerit apud Hebræos incensio thymiamatis, seu thuris per ignem suffumigatio, videre est Exod. 30. vbi Deus ipse Moysi præcipit, *Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis Setim.* Altare illud vocatur à Paulo Heb. 9. thuribulum, quia magni thuribuli instar erat nec habebat alium vsum quàm thuribulum, videlicet vt contineret ignem, & incensum: in eo autem quotidie Sacerdos qui erat in ordine ministrandi debebat adolere thymiama vt constat Lucæ 1. de Zacharia Patre Ioannis Baptistæ qui erat de vice Abia quæ erat octaua sors Sacerdotum, vnde infero istud altare non fuisse intra Sanctum Sanctorum cuius ingressus soli summo Sacerdoti licitus erat, sed extra, inter quod & altare positum erat tentorium, seu velum. Multis in locis scripturæ veteris fit mentio thurificationis Leuit. 16. hæc præscribitur Aaroni vti summo legis scriptæ Pontifici cùm ingredietur sanctuarium, *vt* inquit textus, *positis super ignem aromatibus nebula eorum, & vapor operiat oraculum quòd est supra testimonium, & non moriatur.* Numerorum 16. Aaron plagam incendij quæ in rebellione Core Datan & Abiron Sacerdotium ambientium iam quatuordecim millia hominum, & septingentos consumpserat, thurificatione & deprecatione inter mortuos oblata compescuit. Lucæ 1. Zacharias *hora incensi*, habet visionem Gabrielis Archangeli, & sanctæ prolis scilicet filij qui futurus est Messiæ præcursor promissionem.

Hinc apparet quàm gratus, & suauis sit Deo odor aromatum, seu thurificatio religiosè facta: quam non terminandam in Iudæis, sed in Ecclesiam Christi transferendam prædicit Propheta Malachias cap. 1. *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Septuaginta vertunt in omni loco *incensum* offertur mihi, & sacrificium mundum. Textus Arabicus exprimit *incensa*, Syrus etiam, necnon & Tigurina versio. Hebr. enim, *muctar* est participium passiuum coniugationis Hophal quod proinde vel vt nomen, significans *thymiama*, incensum, suffitum, vel vt verbum, aut potius verbale significans *adoletur*, incenditur, sacrificatur, accipi potest, vt nomen acceperunt Septuag. vt verbale noster.

In vim ergo huius prophetiæ sancti Apostoli suffitum thymiamatis, seu thurificationem Officio diuino adiunxerunt.

Probatur ex Liturgiis ipsorum, in Liturgia, S. Petri sic orat Sacerdos thurificando. *Sicut Zachariæ suffitum thymiamatis suscepisti, sic de manibus nostris peccatorum hanc suscipe thurificationem in odorem suauitatis.* In Missa B. Iacobi ex oratione qua thus benedicitur, & offertur in ingressu & principio. *Præsentem hunc ex nobis inutilibus seruis tuis suffitum recipe in odorem suauitatis.* In Liturgia S. Marci priusquam Sacerdos Euangelium recitet, incensum offert ad *εὐοδίαν*, seu munus honorarium. In Liturgia Æthiopum Diaconus in Diuorum, & defunctorum memoriam effundit incensum, & deinde circum circa incensando dicit, *&c.*

Probatur ex SS. Patribus Dionys. cap 3. Hierarch. Eccles. describens ritum celebrandi sacrificij Eucharistiæ meminit etiam thuris. *Pontifex quidem perfecto precum Sacro ad Dei altare cum ab eo incendendi odores initium fecit sacrum obit locum.* Basil. in Missa, *inuio adolens incensum super oblationes hanc Sacerdos dicat orationem: Domine Deus, &c.* Chrysost. in Missa, *Diaconus accipiens thuribulum, & incensum dicit.* Sacerdoti, Benedic Domine incensum istud: & dicit Sacerdos. *Incensum tibi offerimus Christe Deus in odorem suauitatis spiritalis, mitte nobis gratiam Spiritus sancti nunc & semper Amen.*

Euagrius hist. Eccles. lib. 4. cap. 7. refert Zosimum Papam incensasse chorum, *thuribulum postulat, & toto choro in quo simul constiterunt thuris incensi nidore perfuso se prosternit humi precibus, & orationibus Deum placaturus.* Damasus in vita Soteris, & Syluestri Pontificum inter alia sacra vasa Ecclesiæ numerat thuribula, seu thymiamateria.

Gregorius Constantinopolitanus, in rerum ecclesiasticarum theoria hæc docet, *thuribulum subindicat humanitatem Christi: ignis diuinitatem: & flagrans fumus indicat illum bonum odorem Sancti spiritus, nam thymiama est flagrantissima lætitia si interpretari velis,* tres catenulæ thuribuli denotant tres vniones in Christo quibus diuinitas, & humanitas iunguntur scilicet vnionem carnis ad animam, diuinitatis ad carnem, & eiusdem ad animam, quarta catenula deitatis ad compositum sic Innocent. III. lib 2. c. 17.

Incensum Deo oblatum S. Ioann. Apoc. 8. interpretatur orationes Sanctorum. Alij dicunt gloriam Dei repræsentare, Deus enim in nebula solebat se ostendere in veteri testamento.

Porrò vnum certissimum mihi est, incensum non parum conferre ad maiestatem, & celebritatem Officij diuini, non ergo sine rationabili causa incensatio vsurpatur in Ecclesia Catholica mane in sacrificio altaris. & vespere ad Canticum B. Virginis. Cæremonia hæc est ex dictamine naturæ.

Reges Orientis obtulerunt Domino thus quo Christum Deum, & Sacerdotem professi sunt

sunt vt canit Ecclesia in Officio Epiphaniæ.

Thus sacrificio, & cultui religioso congruum Gentiles ipsi ex dictamine naturæ semper habuerunt. *Primi homines*, ait Porphyrius, *ex combustis odoratis arboribus vaporationem, & suffitum diis impendere solebant.* Vnde Grammatici deriuant *Thus ἀπὸ τῦ θυοῦν.*

Quia Pagani communiter sacrificia sua thure adolebant.

Incensum Hebræorum ex variis aromatum confectum hoc profectò mirum ex compositione sua habebat, quòd vapor eius rectà in cœlum tenderet, indéque fumus Thymiamatis Kétorech vocabatur, & ita apud Gentiles inualuerat vsus thuris in sacrificio; quòd Christianos quos omnibus modis ad euitationem Christianismi prouocabant, ab eo defecisse, & Apostatas crederent, si summis digitis parum thuris in thuribulum alicui ex Diis Gentilibus apparatum iniecissent, talésque paganisantes Christiani vocabantur *Mittentes*, ait Cyprian. lib. 3. cap. 4. sicut ij qui thurificabant idolis dicebantur *Thurificuli*, idque satis erat ipsis ad euitandum Martyrium.

DIces si thurificatio assumitur in officio Ecclesiastico tanquam cæremonia diuini cultus, & vt loquitur in sua liturgia S. Marcus *vt munus honorarium Deo offertur*, cur ipsi Ecclesiæ ministri Officiantes, Prælati, Canonici. Principes sæculares Domini Pagorum imò, & populus ipse incensatur? cur quæ sunt Dei, Deo soli non reseruantur?

Respondeo vnum, & eundem ritum diuersimodè intentionatum posse Deo, & creaturis offerri, vt in Tractatu de Veneratione Reliquiarum, necnon in Articulo de imaginibus enucleatur: v. g. in adoratione Dei flectitur genu, procumbitur, humiliatur homo: idem sine culpa præstatur erga Angelum, erga Deatum, erga Principem aut Prælatum, erga Deum inquam ob supremam eius maiestatem, erga creaturas ob singularem ipsis à Deo collatam præcellentiam. Sic incensatio exhibetur ab Ecclesia in odorem suauitatis, in testimonium supremi, & absoluti dominij quod habet ex se in homines. Prælatis autem tanquam Dei ministris ad honorem non latreuticum, sed vel mysticum vt per thurificationem discant esse *Christi bonus odor Deo*, vel spiritaliter odoriferas Deo preces offerre, quod & ad populum spectare potest, vel ad cultum religiosum, illo modo quo scriptura docet exhibitum esse Angelis, Regibus, *&c.* id est, longè inferiori quàm exhibeatur Deo, certum enim, est honorem pendere ab intentione honorantis actúmque externum specificari ab interiori, & ab ipso pendere, quare incensum Deo ipsi vt cultus latreuticus, Sanctis vt dulicus B. Virgini vt hyperdulicus, Prælatis vt relatiuus ad Deum cuius personam sustinent, vel ciuiliter honoratius & populo coadunato in domo Dei vt membris Christi sincera intentione, & modo prorsus Catholico offerri potest sine periculo idololatriæ; *qua* vt ait August. epistol. 99. ad Deograt. *sacrificia, lampades, & thymiamata Idolis exhibebat.*



DE COELIBATV LAICO.



COELIBATVM Clericorum traditione Apostolica, legibus Ecclesiasticis, & perpetua vniuersalis Ecclesiæ praxi comprobatum vidimus, firmatum in Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi, Nicæno, Oecumenico, Chartaginensi generali; modum quem obseruant Græci intelleximus.

Hunc generaliter apud Christianos laudabilem, & ab Apostolis commendatum restat demonstrare, quò constet virtutem hanc Christianam plures apud perfectos habere cultores quàm aduersarios inter Lutheri gregales. Et quidem facile condonatur Hermeti Trismegesto quod scripto tradiderit lib. 9. *Maxima in vita, & piissima cura est prudentibus filiorum procreatio: & maximum infortunium, & impietas sine filiis aliquem ex hominibus excedere, & pœnas iste dat post mortem dæmonibus.*

Plato Reipub. institutor. non incommodè excusatur quod 6. de legibus statuerit. *Quod si quis in cælibe vita ad annum trigesimum quintum*, vsque perdurauerit, damnis, & mulcta quotannis plectitor, si de maximo censu est, drachmis centum, si de secundo, sexaginta, si de tertio 60. si de quarto 30. si quis singulis annis mulctam non soluerit decuplum debeto, omnino honorem nullum iuuenes ei debent.

Augustus Cæsar pari ratione commendari potius debet quam argui quod vt refert Dion. lib. 52. & 56. *Innuptis grauiorem mulctam imposuit, nuptiis præmia constituit*, cæcutiebant omnes isti in tenebris & vmbra Gentilismi, nondum apparuerat Messias illuminans omnem hominem, eúmque doctrina supernaturali ad cœlestia dirigens, & immaculatum virginitatis florem verbo, & exemplo commendatissimum & odoratissimum in terris faciens. Vnde Schola eius Euangelica cœpit eum maximo habere in pretio, & cultores eius honorare quare Cœlibatum extollit Ecclesia: licet nuptias non deprimat.

Hunc ergo inter Apostolicas Traditiones recensendum existimaui, liberum tamen, & ad arbitratum cuiusque pro tempore amplectendum, aut initio legitimo coniugio soluendum.

Probatur commendatio cœlibatus ex scriptura Matth. 19. *Quicumque dimiserit vxorem nisi ob fornic. &c. si ita est non expedit nubere, dicunt discipuli, sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, qui potest capere capiat*, hæc Christi verba sunt hortantis & animantis ad cœlibatum ait, S. Hieron. & Chrysost. ac proinde significant illum à Christo consuli, Paul. 1. Corinth. 7. *Volo enim omnes esse sicut meipsum*, quod cœlibatum scilicet,

&c.

& continentiam. Non illud *volo*, id est, vellem si commodè fieri posset, verba enim Hebræa subinde actum inchoatum, subinde perfectum significant, patet hic significare actum volendi inchoatum, & imperfectum, nam hoc, *volo* corrigens Apostolus subdit, *sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo*. Et vers. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo consilium autem do*, versu item 38. *qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit melius facit*. Istud melius repræsentatur in Apoc. 14. vbi Ioannes dicit. *Et audiui vocem de cœlo tanquam citharœdorum, & cantabant quasi canticum nouum ante sedem agni, & nemo poterat illud dicere nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra: hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.*

Probatur ex SS. Patribus Ignatio epist. ad Philadelphios. *Fraar vestra sanctimonia vt Iesu filij Naue, vt Melchisedech, vt Elisai, vt Ioannis Baptistæ, vt dilecti illius discipuli, vt Timothei, vt Titi, vt Euodij vt Clementis, qui in puritate hanc vitam exegerunt.*

In legenda S. Matthæi habetur quod propagarit Euangelium in Æthiopia, & Regis Filiam Iphigeniam suaserit Deo vouere virginitatem. S. Martialis epist. ad Tholosanos cap. 8. induxit, vt ipse testatur, Valeriam sponsam regis terrestris vt virginitatem mentis, & corporis Deo deuoueret. Idem primò præstiterat. S. Clemens cum velum dedit Romæ Flauiæ Domitillæ. Origen. lib. 7. contra Celsum, *Apud Christianos non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias non propter gloriolas viget virginitatis studium.* Tertull. lib. 1. ad vxorem cap. 3. *Prohiberi nuptias nusquam omnino legimus vt bonum scilicet: Quid tamen bono isto melius sit accipimus ab Apostolo permittente quidem nubere sed abstinentiam præferente.*

Cyprian. Ambros. Hieron. August. effusi notantur in cœlibatus commendatione, & licet August. super Psalm. 29. dicat, *Melius esse humile coniugium quàm superbam virginitatem*, tamen passim hæc habet, *bona pudicitia coniugalis sed melior continentia virginalis, vel vidualis.*

Constantinus imbutus hac doctrina sanctionem edidit quâ leges Iuliam, & Papiam aduersus cœlibatum statutas (quibus cœlibes à successione suorum repellebantur, ingensque inde thesaurus in ærarium inferebatur) abrogatas voluit: siquidem illæ iure olim sancitæ leges aduersus fictum, sterilem, & turpem cœlibatum, iniustè à Gentilibus conuersæ essent contra verum sanctum Christianorum cœlibatum Domini sententia comprobatum, & Apostolica authoritate firmiter stabilitum, cæterum hæc Constantini lex ponitur in Codice Theodosiano data pridie Calendas Februarij anno Christi 320. Sardicæ, publicata vero Romæ vno post mense, addit autem Sozomenus lib. 2. cap. 19. Constantinum maioribus priuilegiis donasse eos qui virginitati se consecrassent, nimirum vt tam masculi quàm fœminæ, etiamsi adhuc impuberes essent, testamenta condere possent: cùm & ob hanc causam veteres quoque Romani lege permisissent vt Virgines Vestales etiam ad sextum ætatis annum testamentum facerent. Certè Eusebius in vita Constantini lib. 4 c. 28. declarat Constantinum coluisse plurimùm sanctas Dei Virgines, easque ex publico aluisse Theodoret. lib. 1. cap. 11. est author. & Ruffin. lib. 1. hist. cap. 8. refert Helenam Constantini matrem Virgines quas in Hierusalem Deo sacratas reperit inuitasse ad prandium, & tanta eas deuotione curasse vt indignum crederet si famularum vterentur officiis, sed ipsa manibus suis famulæ habitu succincta cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina orbis ac mater imperij famularum Christi se famulam reputaret.

Dices ex Pseudomonacho Iouiniano qui anno 382. dogmatizans Romæ Virgines, Viduas & maritatas eiusdem esse meriti: sanctimoniales aliquas vt refert S. August. lib. 2. Retract. cap. 22. deiecit in nuptias, sed accessus S. Hieron. Romæ hoc ann compescuit illum eiusque prædecessorem Heluidium: dices inquam Cœlibatus repugnat ipsi naturæ, quæ frustra sexuum diuersitatem, & vim generatiuam molita erit in homine si melius est cœlibem esse quàm coniugatum: hoc idem obiicit Luther. in serm. de matrim.

Respond. sexuum diuersitatem, & vim non esse frustra, licet permulti ea non vtantur, ea siquidem quæ propter bonum speciei instituta sunt non dicuntur frustra si à quibusdam indiuiduis exerceantur, etiamsi à multis aliis non exerceantur; alioquin omnes herbæ, & omnia poma quæ cum seminibus nascuntur & paucissima seruntur, frustra esse dices.

Instabis propensio ad gignendam prolem est naturalis & bona, quippe quæ in natura erat ante peccatum estque in omni animali, at impedire naturalem, & à Deo inditam propensionem, peccatum est; ergo non licet cœlibatum colere iis saltem qui propensionem ad generationem sentiunt, hoc enim est Deo reluctari.

Respond. duplicem esse hominis inclinationem naturalem, vnam in rem absolutè & secundùm se consideratam, alteram in rem consideratam cum omnibus circumstantiis, nam si consideres morbum secundùm se, ieiunium atque alia id genus, naturaliter abhorrebis. At si spectes morbum, & similia vt materiam, patientiæ, vt viam ad cœlum, vt occasionem glorificandi Deum, iam incipies affici & appetere. Quia verò posterior propensio sola est vere ac propriè humana, quia est secundùm rectum iudicium rationis, ideo contra illam facere est peccatum, hoc enim est pugnare cum ratione atque ideo cum ipso iure naturæ eiusque authore Deo.

Porrò cœlibatus etsi est contra priorem inclinationem, non tamen contra posteriorem, imò conformis est posteriori illi inclinationi, quia est medium ad puriùs, & feruentiùs amandum Deum, quamuis enim virginitas absolutè considerata vt solùm dicit negationem quandam coniugij non sit virtus, tamen vt est perfecta quædam refrænatio concupiscentiæ & proinde medium ad seruiendum Deo puriùs, virtus est & temperantiæ & fortitudinis, quæ semper virescit, & floret, & fructum gloriæ singularis aureolæ parit. Qui poterit capere capiat, & qui non se continent nubant. Sic habet Traditio de Cœlibatu laico.

DE CORONA CLERICALI.



TRADITIONI Apostolicæ, aut Ecclesiasticæ ritus omnes, qui obseruantur in Ecclesia Catholica inniti constat, rationéque inductionis non vacare: sola autem Majorum Traditio legem facere potest, cum Spiritu-Sancto dictante: sic Patres egerint in moribus & docuerint; non enim minus in actione quam in doctrina præerat eis spiritus Dei.

Vsus Coronæ Clericalis deriuatur à Petro Apostolo, vt scribit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in theorica Ecclesiæ. Is enim missus prædicare Euangelium apud exteras nationes, Antiochiæ tonsus fuit ab inimicis Euangelij derisionis & ignominiæ causa. Beda autem libro 9 de gestis Apostolorum cap. 22. putat Petrum hanc portasse coronam in capite: & ad eius imitationem Clericos & Monachos idem suscepisse in memoriam coronæ spineæ Christi: docétque vitam Ecclesiasticorum debere esse singularem repræsentationem vitæ Christi, vt enim Christiani signo Crucis communiter communiuntur & ornantur Clerici & Monachi, qui patientem Christum specialiùs imitari volunt, speciali signo ornari debet, additque inter omnes quas in Ecclesia, vel in vniuerso genere hominum reperimus tonsuras, nullam magis sequendam, amplectendámque, eâ quam in capite suo gestabat ille cui se confitenti Dominus, ait, *Tu es Petrus, & super hanc, &c.*

Alij censent coronam ex capillorum vertici s rasura inductam ad publicum, & patens Symbolum, seu notam dignitatis & professionis Ecclesiasticæ. Alij in signum perfectionis; quia figura sphærica inter omnes capacior probatur.

Alij cum Augustino libro 3. de contemptu sæculi tenent tonsuram significare objectionem & depositionem terrenarum cogitationum, nec-non & bonorum temporalium contemptum.

Alij scribunt hunc rasuræ vsum mutuatum à Iudæis, vnde Christiana manauit religio: inter ipsos siquidem Nazaræatus erat specialis viri, vel mulieris consecratio cultui diuino, seu religiosus ritus certis diebus obseruandus, vt Numer. 6. præscribitur, quem Paulum expleuisse legimus Act. 21. Huius Officij lex, inter alias, erat capillos deponere finito tempore, seu capita radenda in Templo offerre. Isidorus itaque libro de diuinis Officiis docet, ex huiusmodi sacro ritu Nazaræorum, qui cæteris Iudæis sanctiores haberentur Apostolica Traditione deriuatum, vt qui à communi vita hominum recederent, & exquisitius vitæ genus affectantes per omnia se se diuino cultui manciparent æquè *raderent capita sua*. Vultque citatus author id mystica aliqua præferre, vt eo signo & religione vitia resecentur & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, atque inde innouatis sensibus, vt comis rudibus enitescamus: eam verò renouationem in mente oportere fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. Quod autem detonso superiùs capite inferius circuli corona relinquitur; eo signo regale Ecclesiæ sacerdotium demonstrari ait, sed quod non integra Clericorum, vel Monachorum capita raderentur, illa etiam causa suppeditari posset, ne scilicet Iudaïzare viderentur cum Nazaræis, & tum Gentilibus superstitionem sectari, Isidis, Serapidis & aliorum eiusmodi Sacerdotum, qui omnes corporis pilos & capillos capitis penitus abradebant, vt notant Hieronymus in cap. 40. Ezechiel. Ambrosius epistola 30. ad Sabinum. Itemque, vt vitæ semel diuino cultui per capillorum rasuram, aut detonsionem mancipatæ eo signo sæpius iterato assiduè meminissent.

Quicquid sit antiquus est vsus Tonsuræ Clericalis, neque alio ipsum fonte fluxisse visus est Orbis vniuersus pari consensione testari, dum nulla vnquam prouincia Christi nomen accepit, quæ non æquè eandem *Clericalis Tonsuræ* obseruationem susceperit. Quonam alio quæso, quam Apostolorum præconio; præsertim nullo præcedente Majorum exemplo? Nam si Iudæos spectemus apud quos primordia Christianismi cœperunt diuina lege, Leuit. 21. Prohibiti sunt Sacerdotes radere caput ac barbam, & communiter omnes Leuit. 19. Vetiti radere comam in rotundum.

Gentilium verò Sacerdotum abrasionem planè diuersam à nostra fuisse notaui. Certè adeò peruulgata fuit in Orbe eiusmodi Christianorum obseruatio, vt nec Scriptores Ethnici de ea tacuerint. Siquidem Ammianus Marcellinus libro 22. scribit temporibus Iuliani Apostatæ, nimirum 362. apud Alexandriam, Diodorum quemdam Ecclesiæ ædificandæ præfectum ab Ethnicis fuisse supplicio affectum: *Quod cirros puerorum libentiùs detonderet.* Nihil aliud significans, nisi pœnas dedisse eo prætextu, quod complures pueros in Clericos coaptaret; Capillorum enim tonsura Clericos initiari, (vt etiam modo fit) antiquitùs consueuisse satis exploratum est. Habemus enim Epistolam Sancti Aniceti Papæ & Martyris, anno 153. ad Gallos scriptam, in qua iubet Clericorum radi caput in modum Sphæræ, & Conciliorum Charthaginen. IV. Agatens. & Tolet. IV. in quibus edicitur: *Ne Clerici comam nutriant, sed tondeant.* Canon Toletani 40. sic habet. *Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Leuitæ & Sacerdotes detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant. Non sicut hucusque in Gallicia partibus facere Lectores videntur, qui prolixis (vt Laici) comis in solo capitis apice modicum circulum tondunt. Ritus enim iste in Hispaniis* hucusque

hucvsque hæreticorum fuit, vnde oportet, ut pro amputando ab Ecclesiis scandalo hoc signum dedecoris auferatur. Qui secus fecerit Fidei Catholicæ reus erit.

Hinc vides modum tonsuræ antiquæ Clericis impositum quandam subire ex temporis iniuria variationem, vt hæreticorum Hispanorum causa eandem cum Catholicis coronam vsurpantium, notabilem dilatationem.

Cæterùm distinctam fuisse Tonsuram Monachorum ab ea quæ est Clericorum certum est, cùm illi non tantùm verticem capitis, sicut Clerici, sed totum ferè caput cute tenus tondere consueuissent; nempè vt sic, quod esset vitæ illorum studium, nimirum peccata lugere declararent. Dionysius capite 6. Hierarchiæ Ecclesiæ notat hoc inductum, vt nudatione illa capitis depositio omnium temporalium significetur, vnde forsan factum videmus, quod Clericus sæcularis non raditur in toto capite; quia sine sæcularibus curis in administratione bonorum, quibus vt plurimum abundat, vitam præsentem ducere non potest, aut vix quidem.

Regulares autem, nimirum Benedictini, Carthusiani, Cœlestini, &c. qui votum paupertatis emiserunt, licet in communi aliqua possideant, nihil tamen habent proprium, sicque nudum animum sicut & caput tonsum, aut rasum habent. Addo denudationem, aut rasuram hanc esse hieroglyphicum hominis mœrentis, vel pœnitentis, eóque spectat, quod synodus Toletana 4. capite 12. statuit. *Quicumque ab Episcopo, vel Presbytero sanus, vel infirmus pœnitentiam*, publicam intellige, *postulat, id ante omnia Episcopus seruet, & Presbyter prius eum tondeat.*

Porrò tonsuræ Sanctimonialium rationem eandem afferre licet, quanquam certum sit id etiam fieri ad contemptum mundi demonstrandum; solent enim fœminæ capillos plurimi facere. Hieronymus in Epistola ad Sabinianum scribit, harum tonsuram inductam; quia non lauabant vnquam, nec vngebant caput, & periculum erat, ne à paruis animalibus, quæ ex poris cutis enasci & pilis adhærere solent, aut ex concretis sordibus, quas humores fuliginosi cerebri suggerunt opprimerentur.

Denique quæ Petro facta est rasio capitis ad illusionem & infamiam, si Germano credimus, aut quam ipse assumpsit in memoriam spineæ magistri sui; si Bedæ assentimur, mutatam videmus in Clero, cuius Hierarcha Petrus agnoscitur, in honorem & gloriam, & in Symbolum regalis sacerdotij; vndè est, quod olim per coronam suam Sacerdotes adiurabantur, vt supplicibus petitionibus inclinarentur, specialiter tamen Episcopus cùm ab eo quis enixiùs aliquid peteret, per coronam ipsius obtestari solebat, sic consuetus loquendi vsus inualuerat, vt docent Augustinus Epistola 147. ad Procul. Sidon. 6. Epistola 3. Episcopalis corona verticalis amplior esse solet Sacerdotali, ad eminentiam dignitatis ostendendam. Concilium enim Palentinum sub Vrbano VI. 1379. definiuit coronam Sacerdotis debere esse ad mensuram maioris hostiæ, quam Gauantus notat, olim à Concilio Toletano 4. reductam ad minoris hostiæ. Sicque hodie fertur, vt plurimum Episcopalis tamen maior est, ob reuerentiam Chrismatis, quo vertex Antistitis delibutus fuit in Consecratu.


His igitur adeò manifestè ex Traditione Apostolica & obseruatione vniuersali à toto Clero obseruata, quid est, quod Nouatores objiciant.

DIces, ex Leuit. 19. *Non augurabimini, neque obseruabitis somnia, neque in rotundum comam attondebitis, neque radetis barbam*, & similia alibi.

Respondeo primò, præceptum hoc esse cæremoniale, ideóque non magis obligare, quàm Circumcisio, Sacrificia, &c.

Respondeo secundò, Iudæorum Sacerdotibus rasuram prohibitam fuisse, non quod in se mala sit, sed ne viderentur similes Sacerdotibus Gentilium, in quorum vicinia habitabant, qui toto capite raso Idolis sacrificabant; quod ex se mala non sit patet; quia Ezechiel, qui Sacerdos erat, iubetur à Deo radi capit. 5. & Numer. 6. Nazaræus completo tempore radebatur. Idem dico de Barbæ rasione, vel tonsione, vtraque enim pro locorum consuetudine & moribus populorum licitè vsurpatur, meritoriè verò à Clero vtrauis assumitur, cùm sic iubet Prælatus.

DE



DE CAMPANARVM INTRODVCTIONE & Benedictione.



AMPANÆ non fuerunt auditæ in Ecclesia cùm primùm Apostolorum, qui Christi fidem vbique Gentium prædicarunt, sonus exiuit: quousque enim Dei Ecclesia sub Gentium Regibus vndique quasi fluctibus obsessa permansit, non fuit liberum patenti aliquo signo fideles ad sinaxim conuocare. Et quamuis ad eam certi dies statuti essent, vrgente tamen persecutione necesse erat frequenter mutare loca, eadémque secreta, paucis nota nec inuentu facilia. Quare priuatim Episcopi, seu Presbyteri vel Diaconi monitu vocari opus erat; vnde est Ignatij ad Polycarpum Episcopum, & ad Heronem Diaconum admonitio, vt ad synaxim omnes fideles nominatim requirant Epistola 11. & 13. Non enim assentior Amalario scribenti in suo libro de officio Ecclesiastico, cap. 21. tempore persecutionis Christianos vocari solitos ad synaxim sonitu lignorum (vt fit hodie tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ) instrumento ad hoc aptato, Gallicè dicto, *Cresserelles de bois*, aliter *vn tracquet*; nam nec ratio patitur, vt cùm hæc illi secretiùs agenda curarent, tanto lignorum strepitu Gentilium aures & oculos in se conuerterent, nec eius rei aliquod reperitur vetus monumentum, nec denique verum fuisse apparet, solitum esse olim (vt nunc fit, ea fit ratione tribus illis diebus) mœstitiæ tantum tempore ad populum conuocandum ligna pulsari. Nam in secunda Nicæna Synodo actione 4. ex libello ei oblato de miraculis Martyris Anastasij expressum habetur, in maxima etiam ac publica lætitia solita pulsari ligna. Et non memini legisse apud aliquem exceptis dictis tribus, aliquando Ecclesiam consueuisse conuocare populum pulsatione lignorum; sed tantum cœnobiorum Monachos: quod & hodie apud Regulares obseruatur; quamuis in his etiam diuersa esset consuetudo, dum alibi sigillatim fores singulorum Monachorum signo mallei pulsari, & alibi voce Alleluia altiùs decantata Moniales ad synaxim vocari solitæ reperiuntur, quod Hieronymus Epistola 77. de monasterio S. Paulæ refert.

At post redditam Ecclesiæ pacem (quo tamen id fieri cœptum sit anno est mihi incompertum) ex edito loco *Tintinabulorum* sonitu, quæ postea à prouincia vbi primo cœperunt fieri grandiora Campanæ sunt appellatæ, vti docet Vualfridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 5. populus ad Ecclesiam vocari consueuit, sicut & Gentiles sonitu Tintinabuli ad thermas, & operas conuocasse homines certum est, ex Martial. libro 14. Epigram. Iuuenale Satyra 6. Luciano de mercede conduct. Seneca epistola 95. & de breuitate vitæ. Et excubiarum præfectos secum ferre solitos tintinabula ad explorandos vigiles, vt iis auditis responderent, testatur Suidas, verbo *κωδωνοφορῶν*.

Qui verò primus tintinabula ad ianuas poni solita in editiori loco Iouis Capitolini posuerit apud Suetonium in Octauian. cap. 91. Augustus fuisse legitur, & apud Syros quoque in sacris adhibita tintinabula, *Lucianus de mercede cond.* est author. At verò Iudæos ex eminenti turri sonitu *Tubæ* populo sabbata indicare consueuisse constat, *ex Numer.* 10. *& ex Iosepho libro 5. de bello cap. 9.*

Vsus Campanarum quæ sunt vasa ænea, (in Nola ciuitate Prouinciæ Campaniæ in Italia primo grandiora fusa) tribuitur Sancto Paulino coæuo Sancti Hieronymi, lego enim *apud Hieronymum*, qui floruit anno 380. campanæ nomen *in Regulis Sanctimon.* vnde patet ritum antiquiorem esse Sabiniano Papa sedente anno 604. cui Ciacon & Genebrard. & Polydor. Virg. tribuunt inductionem vsus, neutri scilicet Episcopo Nolæ, vel isti, danda inuentio; nam Gentiles ante Christum campanis vsi sunt, *ex Angelo Rocca de campanis.* Statuto singulari edixit Sabinian. pulsandas esse Campanas ad sacrum Missæ, & ad horas Canonicas, sicque author earum in sacris agnoscitur, vnde post eius sæculum mentio Campanarum apertiùs apud Scriptores habetur. Audoënus in vita S. Eligij libro 2. cap. 21. anno Christi 650. miraculum refert de campana, quæ ad iussionem Episcopi siluit, nec sonum aliquem reddidit, vt reprimeretur temeritas cuiusdam Sacerdotis discoli, qui contra mandatum eius perstabat in trahendo restim campanæ. Beda scribens in septimo sæculo distinctionem pulsationis Campanæ, qua ad orationes excitari & conuocari solebant fideles affert ab illa cum quis eorum de sæculo fuisset euocatus. Alcuinus de diuino offic. c. 17. de cœna Domini rationem reddit cur fileant campanæ in hebdomada maiori. Quia ordo prædicatorum tempore Passionis siluit, reticetur sonus signorum atque campanarum. Baron. ad annum 616. ostendit vsum Campanarum in Occidente frequentem, meminítque Senonensis Campanæ prægrandis quæ ad septimum milliarium audiebatur, cuius sonitu S. Lupus Episcopus conterruit hostes ciuitatem aggredientes

dientes, & in fugam vertit, cuius sonum Clotarius Rex gratissimum habens iussit transferri Parisios, quo delato Campana omnem amisit sonum, iussit ergo Rex restitui, & cùm ad pontem Senonicum peruenisset, rediit illi pristinus sonus.

Ex eodem Baronio intelligitur tardiùs assumptum in Oriente vsum Campanarum, quem notat cœpisse per eas quas ad Michaëlem Imperatorem Dux Venetiæ Vrsus Patriciacus misit anno 865.

De Benedictione, quam plebs ignorans vocat impropriissimè Baptismum, sciendum est, hanc simplicem & nudam impositionem nominis esse certo orationum ritu datam. Cùm enim sanctitudo in omnibus deceat domum Dei, Campanæ benedicuntur ab Episcopo, vt per orationem Ecclesiæ & benedictionem Pontificis sacro deputentur vsui, & per eam habeant effectus quos à Deo implorat, benedictio scilicet excitationem plebis Christianæ ad Dei seruitium, compressionem aëreארum potestatum, sedationem procellarum, turbinum, tonitruum, grandinum, solemnitatum Ecclesiæ monitionem, conuocationem populi ad Ecclesiam: succedere enim dicuntur Campanæ tubis argenteis ductilibus, quas iussu Dei fecerat Moyses Numer. 10. *Ad dies festos & kalendas conclamandas, & ad conuocandam multitudinem quando erant mouenda castra.* Vnde non mirum, si Dæmones tubas audientes Regis Christi, qui eos deuicit fugiant, & à tempestatum concitatione quiescant. Sonus ergo Campanarum ad multa vtilis comprobatur: addere mihi liceat, quod & ad pulsationem earum aduocantur Tutelares Angeli ad impendendum auxilium & deuastationem terræ auertendam hæc vis est consecrationis, seu benedictionis his æneis vasis impensæ. Alcuinus meminit benedictionis Campanarum in lib. de diuin. Offic. quem anno 731. edidit. Ioannes Papa huius nominis XIII. anno 968. primatiam Ecclesiæ Lateranensis campanam miræ magnitudinis recens ære fusam sacris ritibus Deo consecrauit, atque Ioannis nomine (cuius Ecclesiæ esset vsui) nuncupauit, & inde fecit super campanile eleuari, qui sacer ritus in Ecclesia perseuerauit, vt eo modo Campanæ in Ecclesiis collocandæ Deo primùm imposito eis nomine dicarentur: quod testantur veteres Codices Rituales.

Benedictio Campanarum vocari solet ab imperita plebe Baptismus; quia ex errore vtitur vocibus pro arbitrio, non autem pro genuino significatu: est enim simplex impositio nominis, vel ad distinctionem plurium quæ solent haberi, vel ad inuocationem Sancti, cuius nomen assumitur, vt dignetur orare pro ipsa Ecclesia, vel plebe, quando talis Campana pulsabitur. Hoc idem in benedictione Nauis fieri solet.

Cœremonia benedictionis fundatur in Scriptura, exemplo Patriarchæ Iacobi Gen. 28. *Surgens Iacob tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper, appellauitque nomen verbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur*, & in Epistola 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est, sanctificatur enim per verbum Dei, & Orationem.* Vnde non dubium quin Benedictio Episcopalis vim spiritalem conferat Campanis.

Porrò ritus sanctificandi, seu benedicendi Campanam plures habet cœremonias, quæ me ipsum in admirationem tantæ introductionis commouent.

Primò, benedicitur sal more expresso in Missali, deinde aqua miscentur cum oleo Catechumenorum, & ad hæc Chorus sex decantat Psalmos selectos laudem Dei specialiter exprimentes qui incipiunt per Laudate Dominum: quibus additur Antiphona, *in Cymbalis benè sonantibus laudate Dominum.* Qua innuitur sonum & harmoniam Campanarum placere Deo.

Intus & extra aspergitur vas æneum aqua benedicta: cum hac benedictionis formula. Assistat super illud virtus Spiritus-Sancti, vt cum hoc vasculum ad inuitandos filios Ecclesiæ præparatum tinctum fuerit crescat in eis deuotionis augmentum, &c. *Postea orat Pontifex, vt vas sanctificetur à Spiritu-Sancto*, non quidem ad eius gratiam, cuius incapax est suscipiendam, sed ad instrumentariam aptitudinem eleuandi animas Catholicas ad Deum, & sicut sonus eius concipitur signum rei ex instituto hominum, ita præterea per benedictionem vim acquirat desuper ad augendam in fidelibus deuotionem fidei.

Detergit cantando, Vox Domini super aquas *illinit Chrismate trina vnctione in suprema parte & quaterna intus*, qua septiformi vnctione virtus Sancti-Spiritus in Psalm. 28. sub varietate vocum exprimitur, vox Domini super aquas confringentis cedros intercidentis flammam, præparantis ceruos.

Suffumigatur incenso, & cantantur sex versus Psalmi 67. *Deus in sancto via tua*, & Gloria Patri additur, vt septenarius numerus compleatur.

Dicitur vltima oratio, qua imploratur trinus effectus de scopo benedictionis.

1. Vt ante sonitum illius semper fugiat inimicus. 2. Vt inuitetur ad fidem populus Christianus. 3. Vt confortetur in Domino, per eum euocatus, & per eius sonitum mentes & corpora seruet protectio sempiterna.

Patrini manum imponunt Campanæ & aliquo nomine donant, idque non vt ipsa sensum aliquem aut responsionem præbeat, cum sit insensibilis, sed ad significandum posteris, quod sicut susceptorum in baptizato impositio manus, & nominis, sunt testimonia regenerationis pueri baptizati ad vitam æternã, sic hoc ritu significatur vas illud, quod ex se erat vulgare dumtaxat metallum, benedictione & vnctione factum sit vas consecratum Dei gloriæ & saluti fidelium. Ideò *Batello singuli feriunt Campanam.*

Denique mundo lineo velo obuoluitur ad reuerentiam Chrismatis sacri, & ad figurandam puritatem & sanctificationem præfatis cœremoniis ipsi à Deo concessam.

Campanulæ pulsandæ in Missa decretum fuit Greg. PP. XI. ann. 1240. *apud Naucler. gener.* 42. Huius ritus meminit, Iuo Carnot ep. 167. sicut in V. T. Leuit. tempore sacrificij clangebant tubas argenteas, quarum sonitu populus prouocabatur ad adorandum. Honorio. III. adscribit ritum hunc Abbas Vrsperg. cum Schulting. tom. 1. p. 1. c. 18.

In Missa solemni, seu Parrochiali pulsari solet cum Campanis maioribus ad eleuationem Corporis Christi, signo dato cum campanula ab Acolytho, hincque absentes ab Ecclesia ad adorationem excitantur. Sicque vsus & Traditio de Campanis vtilissima comprobatur.

DE

DE EROGATIONE Panis Benedicti.



ERSEVERAVIT in Ecclesia temporibus Apostolum, & Discipulorum eorum laudatissimæ rei vsus, vt (quod Christus vltimâ cœnâ fecerat, ac in sui memoriam vt facerent suos monuerat) Christiani conuenientes in Ecclesiam, & assistentes Sacrificio Missæ, simul sacratissimam post osculum pacis, & vnionis Christianæ perciperent Eucharistiam Verùm aucti numero Christiani, zelo, & affectu erga Sacramentum Eucharisticum deferbuisse probati sunt: satque habuere in principalibus Anni festis communicare & ex his ad Pascha semel in anno idque ex præcepto Ecclesiæ, maiori ex parte deuotionem suam terminarunt. Vt tepiditati Christianorum suppleretur introductus est panis fermentatus diebus Dominicis fidelibus in Symbolum vnionis distribuendus. Balsamon vocat illum. *Antidori distributionem pro iis qui non possunt sanctorum, & viuificorum mysteriorum esse participes.*

Ac primo fuisse eiusmodi Fermentum vnionis Symbolum satis declarare videntur ea quæ habet Innocentius epist. 1. ad Decentium cap. 5. dum ait diebus Dominicis diuersorum Titulorum, seu Ecclesiarum Presbyteros, quòd illis diebus singuli in suis Titulis Synaxim agerent, atque adeo cum ipso Pontifice conuenire non possint ab eodem per Acolythos missum accipere solitos Fermentum ab ipso confectum, hoc est consecratum siue benedictum) quo significaretur eos cum illo esse fide, & charitate coniunctos, sumpto plane vt videtur, exemplo ab Euangelica parabola Matth. 13. quâ regnum cœlorum fermento comparatur.

Quisnam vero eius rei vsus soleret esse non aliunde opportuniùs intelligi potest quàm ex Oblationibus panum à populo fieri, vel à Presbyteris de proprio subministrari solitis in Ecclesia, de quibus extat antiquus Canon Pij Papæ sedentis anno 142. & martyrio coronati sub Imperat. Antonino constituens vt de illis à Presbytero benedictis, & in frusta sectis post Missarum solemnia qui communicare non fuerint parati, *Eulogias omni die Dominico, & in diebus festis accipiant.* Habetur in tomo 1. Concil. sub Pio ex codice quinque librorum lib. 2. cap. 117. Quapropter vt eiusmodi panem fermentatum singulorum Titulorum Presbyteri acciperent ab Episcopo à Melchiade sedente anno 315. institutum fuisse apparet: siquidem eiusmodi Fermentum idem esse quod Oblationem eius decreti verba satis ostendunt. Verùm id non tantùm Romæ, & in Ecclesia Occidentali, sed & in Orientali fuisse seruatum Concilium Laodicenum declarasse videtur cum decreuit can. 14. sanctas Oblationes ad vicem Eulogiarum per festiuitatem Paschalem ad alias Parrochias mitti non oportere: idcircò puto, quòd eâ die nequaquam Eulogiis, sed Eucharistia populus communicare deberet.

Ex his igitur aliisque eiusmodi antiquorum testimoniis constat nihil aliud fuisse Fermentum, quàm fermentatum panem benedictum; quo ob communicationis symbolum ab Episcopo impertirentur cuncti parrochiales Presbyteri, qui eundem certis diebus distribuerent Fidelibus sub se constitutis. Hunc panem diuersis nominibus appellatum reperio, putà *Fermentum*, ad distinctionem azymi ex quo confici soleret Eucharistia: item *Eulogia*, seu *Benedictio*, quòd ab Episcopis benedici ac signari soleret: ac Denique *Sacramentum* ob sacræ rei signum nempe Catholicæ vnionis; quo nomine appellatur ab Innocentio cit. sicut & S. August. lib. 2. de pecc. mer. & remiss. capit. 26. æquè nominat Sacramentum panem benedictum Catechumenis impertiri solitum.

Itaque Panis benedictus introductus est primo, vel secundo sæculo, ad geminam significationem. Prima est vt oblatio illius sit quasi munus totius Parrochiæ Deo oblatum ad excipiendam ministri eius Sacerdotis benedictionem, hinc aliquis à parrochia circulatim eligitur qui hunc offerat nomine totius communitatis. Secunda iam notata est vt sit, *pro Communionis Eucharistica Symbolo*. Hinc à Durand. lib. 4. cap. 53. vocatur Panis benedictus sanctæ Communionis vicarius. Intellige ergo panem illum esse, *Donum* respectu parrochiæ quæ per aliquem ex suis offert illum, *Oblationem* verò esse respectu Dei qui per illum benedictionem suam, & communicationem gratiarum, ex Eucharistia emanantium impartitur. *Sanctus* itaque est panis iste, eo quod fuerit templo dedicatus & oblatus ait Cabasilas in exposit. Liturg. cap. vlt. Sanctificatus dicitur ab Origene quia vt docet Paulus 1. Timoth. 4. *Sanctificatur creatura per verbum Dei, & orationem.* Addo tertiam vt sit pro Symbolo vnitatis fidei, & vnanimitatis, seu fraternæ dilectionis hoc in vsu panis istius edocetur populus, *multi enim* ex Paulo Roman. 12. *Vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra in Christo Iesu Domino nostro.* Et ideo in vim impressæ benedictionis & istius significationis panis iste multa contulisse beneficia, & sanitatês iis qui Catholico ritu assumebant, & comedebant illum.

In Primariis Galliæ locis circulatim indicitur familiarum capitibus in Missa maiori offerendus die Dominica, & à celebrante benedicendus. Inde conuiuium domi apparatur aduocantur parentes, & amici, festiuè bibitur in honorem Eulogiæ, seu panis benedicti: sicque

fouetur societas, & coadunantur fide & charitate Parentes, & propinqui vna cum Parrocho qui ordinariè præest, aut est de conuiuatum numero vt vidi agens in Normania post aduentum quem Caudebeci prædicaueram. Traditio ergo Ecclesiastica est, & opus Catholicum offerre panem in Missa benedicendum, eiusque frusta distribuere fidelibus, & amicis, illaque ritu Catholico tanquam Symbolum prædictorum edere.

DE VESTIBVS SACRIS.

RELIGIONEM diuinam in suis Ministris diuersum ab vsu communi habitum, seu vestitum exigere (maximè dum sacras obeunt functiones) probari potest ex dictamine rectæ rationis & ex communi populorum obseruantia. Christiana autem quò sanctiora habet mysteria eò sanctiùs pertractari debent, vt facile colligi potest ex differentia legis Mosaicæ quæ tot vestimenta singularia à Deo præscripta Exod. 28. habebat, *quibus vtentur*, ait textus, *Aaron, & Filij eius in officio ministerij*.

Licet autem Lex sit antiquata, nec amplius obliget in ceremonialibus, & iudiciariis rebus, tamen identitate rationis, quæ est anima legum, inferre debemus æquum esse necnon, & diuinæ voluntati consonum, vt in sacro ministerio sacris vtamur vestibus distinctis à profanis, seu communibus: idque tam ad indicandam distinctionem ministerij, & functionum; quàm ad excitandam reuerentiam, & deuotionem populi adstantis, & in ipsis Ministris, & Sacerdotibus totius Cleri promouendam attentionem, vt sancta sanctè, nouumque hominem induant Christum, scilicet, affectu pietate & imitatione, cùm domum eius quam decet sanctitudo ministraturi ingrediuntur. Si enim prima perizomata, seu vestes pelliceæ à Creatore protoplastis post lapsum data ipsos de mortalitate ob peccatum incursa monebant: ita sacræ vestes, & ornatus Sacerdotalis clericos, & altaris ministros sensibiliter monet de altitudine, & sanctitate ministerij quo funguntur.

Id sanè intellexerunt Apostoli qui licet in Euangelij introductione, & fidei Christianæ propagatione non quærerent quæ cultum externum Religionis magis decebant, aut ornare poterant, ea enim ob Iudaïsmi, & Paganismi contradictionem, & diras persecutiones non potuissent assequi; anno tamen quo Dominus noster Iesus Christus consummato redemptionis opere cœlos ascendit, cùm credentium in eum numerus augeretur in dies, inter cætera quæ ad coagmentandam nascentem Ecclesiam sunt ab Apostolis salubriter instituta, Iacobus Alphæi, cognomento iustus, & frater Domini dictus, à Petro totius Orbis Magistro, inquit Chrysost. hom. 87. in Ioan. præpositus est Episcopus Hierosolymorum Ecclesiæ ipsiúsque ordinationis mysterium (quod vsitatiori vocabulo Consecrationem dicere consueuimus) à eodem Petro vnà cum Ioanne, & Iacobo fratribus consummatum est, vt docet epistola quæ dicitur Anacleti ad Episcopos. Italiæ, quà etiam traditur datam à Petro esse formam, vt non minus quàm à tribus Episcopis electus Antistes consecraretur.

Porrò insignia quædam Episcopatus Iacobi non tantum memoriâ, sed & vsu ad posteros esse delapsa veterum Scriptorum authoritate exploratum habetur. Ipsam enim eius cathedram ligneam Eusebius ad sua vsque tempora seruatam, & permagni habitam scribit lib. 7. hist. cap. 14 Consueuerunt enim Maiores tanti beneficij memores, quòd Apostolica prædicatione è tenebris in lucem fidei Christianæ educti essent, etiam ipsas sedes ligneas quibus insedissent primi eorum institutores summa diligentia custoditas in veneratione habere. Porrò Episcopales sedes sublimiores fieri solebant quas Aug. ep. 203. *Appellat sedes gradatas*, sicut etiam quòd velis ornari consueuerant, *velatas*, nominat: Pacianus autem *Linteatas*, qua de re egregium est exemplum apud Pontium in Martyrio S. Cypriani. *Primæ sedes Episcopales venerabiles habitæ sunt.*

Insuper ad Episcopale ornamentum dignitatis eundem Iacobum gestare in capite consueuisse laminam, seu bracteam auream ex Clemente Alexand. & eodem Eusebio testatur Epiphanius hæres. 29. & 78 Hieronym. de Scriptor. Eccles. in Iacobo, & in cap. 2. ad Galat. ac cæteri penè omnes Scriptores. Illud autem ornamentum in signum regalis Sacerdotij vt ipsum vocat Petrus 1. cap 2 gestari consueuisse à Pontificibus legis Christianæ satis declarat idem Epiphan. dum eius rei hanc affert rationem, quòd Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, & Rex ex semine Dauid in Ecclesiam suam ac eius Pontifices, tum Sacerdotium, tum thronum Dauid, ipsam regiam dignitatem vnà cum Pontificio in æternum, permansuram transtulit: Non enim Iacobo, tantùm eiusmodi regiæ dignitatis insigne peculiare fuisse, sed & cæteris Apostolis commune, par est credere, cùm eodem æquè vsum esse Ioannem Euangelistam, ex ipsa Polycarpi Ephesiorum Episcopi ad Victorem Papam tradant Eusebius lib. 5. cap. 23. Hieronym. de Script. Eccles. in Polycrate. Porrò eius origo deducta est ex lege Moysis in qua cùm cæteris Sacerdotibus concessum esset vti *cidari*, seu *mitra* solius tamen summi Sacerdotis, seu Pontificis erat laminam auream superaddere: hanc legimus in cap. 45. Ecclesiast. vocari *coronam*, & Iosephus lib. 3. antiq. cap. 8. describens ornamentum capitis summi Sacerdotis monstrat non tantùm laminâ sed & coronâ aureâ triplici ordine ductâ mitram ornatam fuisse: eo verò ornatu *Mitra Episcopalis inductio.*

ornatu significari diadema regium insigne potestatis mirificæ declarat Philo de profug. nec prætermittam dicere de Brachmanis Sacerdotibus quo testatur Philostrat. vit. Apoll. lib. 2. & 3. vti consueuisse mitrâ gemmis ornatâ, sicut & summum Sacerdotem Deæ Syriæ auream tyaram gestare solitum Lucian. scribit & Pontificis antiquæ Romanæ superstitionis Ornamentum fuisse coronam auream Prudentiùs affirmat in Romano Martyre, sunt & alia plura de his exempla.

Vt verò de nostris agamus. Hieronym. epist. 128. scribens de indumentis Sacerdotij Mosaïcæ legis docet omnia perfectiùs esse consummata in Christo : certum autem est ex dictis Apostolos instituisse vsum mitræ ab Episcopis gestandæ quòd regali fungantur Sacerdotio. Hanc autem pretiosam, & maximi pretij assumi solitam & in modum coronæ factam satis demonstrat Ammonius lib. 29. dum agit de Firmo tyranno in Africa, qui à Theodosio duce profligatus vt eum sibi conciliaret *militaria*, inquit, *signa & sacerdotalem coronam restituit cum ceteris qua interceperat.* Quemadmodum & de mitra S. Ambrosij gemmis ornata meminit Ennodius in Epigrammate de ipso scripto, & Greg. Nazianz. de Cidari capiti suo imposita cum ordinatus est Episcopus; aliique de aliis licet autem eodẽ nomine eiusmodi capitis ornamentum *mitra*, seu *Cidaris* tam apud Sacerdotes antiquæ legis quàm nouæ appellaretur, tamen fuisse diuerso modo concinnatum, & sicut pristina forma quid mysticum præferebat ; ita & nouam alia mysteria repræsentare, docent qui agunt de Ecclesiasticis Officiis ac Ritibus. Pars mitræ S. Syluestri asseruatur Romæ in Ecclesia S. Martini in montibus, quæ acutam formam præfert, non altiorem palmo communis manus : serico & auro contexta est, coloris cærulei cum imagine Beatæ Virginis, & pueruli Iesu inter duos Angelos stantes Diaconali veste indutos. Valentiæ quoque visitur Mitra S. Augustini altioris formæ, & item acutæ, qui lib. 2. ciuit. *Apicem* vocauit, serica est & alba, quam cingit & diuidit à cuspide linea cærulea serico & auro texta, testatur eandem esse Martinus V. in sermone de S. Monica. Similis habetur Bononiæ in Ecclesia S. Stephani quæ erat S. Isidori Hispalensis, cuius corpus ibidem quiescit. Ex quibus probatur antiquitas formæ in nostra Mitra.

Mitræ significatio mystica.

Durand. lib 3. cap. 13. dicit mitram designare in Episcopo scientiam vtriusque testamenti, duo namque illius cornua sunt duo testamenta anterius, nouum, posterius, vetus, quæ duo Episcopus memoriter scire debet, & illis tanquam duplici cornu ferire inimicos. Episcopus videri debet subditis cornutus sicut & Moyses descendens de monte Sinaï à consortio Dei Exod. 34. duæ vero fimbriæ posterius dependentes, Littera sunt, & Spiritus. Per duas quoque fimbrias, seu lingulas notatur quod paratus esse debet tam in mystico quàm in historico intellectu in quarum summitatibus fimbriæ rubei coloris pendent denotantes eius promptitudinem ad fidei, & Scripturæ defensionem etiam vsque ad sanguinis effusionem, quæ super scapulas extenduntur ad designandum quod opere ostendere debet quod ore prædicat, quia scapulis nulla pars altior est ad opus, siue ad onus ferendum, ideo per eas rectè intelligitur opus. Circulus aureus qui posteriorem, & anteriorem mitræ partem amplectitur, indicat quod omnis scriba doctus in regno cœlorum, seu Ecclesia militante proferre de thesauro suo paratus esse debet, vt dicitur Matth. 13. Non incongruè etiam mitra quæ in altum de sui forma producitur altitudinem sapientiæ designat, debet enim Episcopus sic subditos scientia excellere, vt ipsius comparatione cæteri meritò grex dicantur, *distinct. 25. §. nunc autem quæst. 2. vilissimus, & quæst. 7. conuenientibus.* Duæ pendulæ posteriùs, duplicem designant, memoriam actuum scilicet, diuinorum, ne celebrando eam contemnens puniatur, vel repellatur vt indignus, & memoriam peccatorum suorum de quibus compungatur.

Quod verò rursum pertinet ad vestimenta, S. Iacobi ; quod ipse sindone tantum simplici vteretur inde factum est vt ad eius imitationem atque in ipsius Domini Hierosolymis crucifixi memoriam successores Hierosolymitani Episcopi non circumspectè induti incederent, sed simplici candida veste, licet eiusdem Ecclesiæ Clerici sericis etiam atque splendidis vterentur : sicut inter alia testimonia constat ex narratione Cyrilli Monachi in rebus gestis S. Euthymij Abbatis, vbi agit de Anastasio eius Ecclesiæ Episcopo. Ac denique Poderem, & Superhumerale, seu Pontificalem stolam eiusdem S. Apostoli diutissimè conseruatam esse eàque in Sacris ministeriis vti solitos ipsius successores Episcopos docet epistola Theodosij eiusdem ciuitatis Antistitis scripta post multa sæcula tempore octauæ Oecumenicæ synodi ad sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum quâ profitetur se eandem ipsam ei dono cum aliis sacris muneribus mittere.

Syluester constituit vt Diaconi in Ecclesia ministrantes vterentur Dalmaticis, & pallâ linostimâ læua eorum tegeretur. Dalmatica, seu colobium est tunica sine manicis, constituit etiam quod Sacerdos celebrans indueretur relâ albâ.

Nota, vestes Sacerdotales per incrementa ad eum quem nunc habent ornatum auctæ sunt, nam primis temporibus communi indumento vestiti Missas agebant vt notat Vvalfrid. de diu. Off. cap. 24 B. Clemens inquit Gemma lib. 1. cap. 89. tradente B. Petro vsum sacrarum vestium decreuit attendens profecto ad mandatum Dei in lege Exod. 28. *Facies Aaron fratri tuo vt Sacerdotio fungatur mihi, vestem sanctam in gloriam, & decorem,* gloriam inquam Sacerdotum, & Sacerdotalium munerum, eadem ergo de causa Petrus Apostolus diuino numine afflatus ornamenta sacerdotalia pro temporis opportunitate apparanda iussit. Nam vt rectè argumentatur B. Iuo Carnatensis epist. 124. si in lege veteri ita ornatus fuit Sacerdos; ergo multo magis in lege noua oportuit Sacerdotem vti sacris vestibus ad diuinum cultum, ac præsertim ad consecrandum corpus & sanguinem Domini, hoc enim postulat decentia, æquitas, & reuerentia naturalis & secus facere esset inciuile, profanum, rusticum, & barbatum & hodie post decreta Pontificum esset omnino scandalosum, & peccatum mortale ob inobedientiam in re grauissima. Varia præscribit Ordo Romanus indumenta, seu ornamenra celebraturo

Sacerdoti, pluráque Episcopo, vtpote expressiùs sustinenti personam Christi totius Ecclesiæ capitis, quæ sacrata esse debent, & honesta, vt edixit Stephanus Papa & Martyr, anno 250. *Vestimenta*, inquit epistola 1. ad Hilarium, *Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultúsque diuinus omni cum honorificentia à Sacerdotibus celebratur, & sacrata esse debent & honesta.* Origenes, qui hunc Pontificem præcessit tempore, cùm anno 204. iam ætatis 17. ageret hæc scribit homilia 11. in cap. 20. Leuitici. *Inuenimus vasa ministerij sancta vocitata, & vestimenta sancta dici.*

Primum indumentum Cleri cuilibet eius Ordini commune, est superpelliceus albus ex lino, symbolum puritatis vitæ, specialiter autem castitatis in Ecclesiastico requisitæ.

In primordiis Ecclesiæ, Clerus assumpsit vestem pelliceam, quam Canonici *Almutiam* vocant, eámque super brachium pendulam gestant, diuerso certè modo ab institutione quæ capiti impositam præferebat in symbolum pœnitentiæ & satisfactionis voluntariè Deo impendendæ pro peccato; nam vita Christiana perpetua est pœnitentia, ait Concilium Tridentinum. *cap. de Sacros. Extrema Vnct.* quam Clerus tenetur annuntiare populo. *Sic oportebat Christum pati, & prædicari in nomine eius pœnitentiam.* Luc. 24. initiatur Christianus à Baptismo, quem præire debet pœnitentia, vt docet Petrus Act. 29. instruens Hierosolymitanos. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Pœnitentia ad perfectionem Christianam recta ducit. Hac via Paulus Iudæo-Christianos incedere docuit Hebr. 5. *Ad perfectionem feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.* Hácque pariter via Clerus ducendam habet plebem, cui ipse pœnitendo præire debet, idque ex Almutio ob oculos ei significatur: pelles enim ex quibus confecta est tunica protoplastorum peccati, & mortalitatis, ex eo inductæ indicium esse quis ignoret? *Oportebat*, ait Origenes homilia 6. in Leuit. *Tunicis pelliceis indui peccatorem, quæ essent mortalitatis quam primo peccato acceperat & fragilitatis, quæ ex carnis corruptione veniebat indicium.* Non ergo assumpta est à Clero almutia ad ornatum & dignitatis symbolum, sed ad pœnitentiæ & verecundiæ stimulum, & ad mortis memoriam excitandam. Sic *Helias Zona pellicea accinctus renibus.* 4. Reg. 1. & *Ioannes Baptista vestitus pilis Cameli & Zona pellicea circa lumbos eius.* Marc. 1. Vt exemplaria pœnitentiæ proponuntur, ad quorum crediderim, imitationem, Almutiam de pellibus Clerus assumpserit Alexandriæ, primum sub Marco Euangelista, vt suspicor, qui primus Canonicorum institutor perhibetur.

Hæc sunt paramenta Sacerdotis accedentis ad Altare sacrificaturi. *Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casula, seu Planeta.* Quæ in se, & in ipsomet numero senario non vacant mystica significatione, si spectentur per ordinem ad Deum, vel Christum, cuius passionis Mysteria aliquo modo referunt, vel per ordinem ad mores Sacerdotis, qui inde reformationem vitæ symbolicè suscipere docetur.

Amictus, ab amiciendo dicitur Raban. 1. Institut. Cleric. cap. 15. vocat Ephod.bat, & esse ab Hebræis ad nos deductum scribit, quo vsos Apostolos infert Paulus Ephes. 6. videtur illud exprimere per *galeam* salutis, quo nomine donatur Amictus in oratione vestitionis.

Caput amictu cooperitur eóque cingitur collum, dorsum & pectus, per vittas seu duas cordulas sub brachiis circumductas. Sanctus Bonauentura in expositione Miss. sic interpretatur *Humerale*, sic & vocatur, caput cooperiens significat, quod Christus, qui est caput Ecclesiæ diuinitatem in humanitate abscondit. Bernard. referens ad Sacerdotem, *cælestis sapientia est Ephod, & caput cooperit.* Discretum silentium & sobrietatem locutionis in Sacerdote, inde discimus illo dorsum & pectus cinguntur, vt innuatur vis & robur quo resistere peccato & virtutes operari tenetur Clericus: duæ cordulæ sinceram intentionem & bonum opus in Sacerdote annectendas pro forma & exemplo ad populum, iuxta præceptum Pauli. *Labora sicut bonus miles Christi*, mysticè repræsentant.

Ex Rubrica, Sacerdos accipiens amictum osculatur in medio vbi est Crux. Cruces in vestibus Sacerdotalibus adhibitas esse à tempore Sancti Marci Papæ tradit Baronius anno 336. Hodie in amictu manipulo & Stola cruces adesse solent ad recolendam Christi Passionem.

Alba, quæ à Gregorio Nanzianzeno orat. 3. vocatur *Poderis*; quia Græci vocant pedes *podas*, & hæc vestis ad pedes demittitur. Camisia ab Amalar. cap. 18. *Tunica linea* ab Iuone, Rabano, & Ordine Romano. Vbi etiam & absolutè *Linea*; quia ex lino. Denique *Supparus* ab Alcuino. Alba totum inuoluit corpus, vt perseuerantiam sanctitatis inducat *Poderis*, ait Bernardus, *Est perseuerans iustitia & totum corpus operit*: quia totus Clerus splendidam in puritate conuersationem populo demonstrare debeat. Hincque vt notat Hieronymus. *Episcopus & Presbyter, & Diaconus & reliquus Ordo Ecclesiasticus in administratione Sacramentorum candida veste procedunt. Alba*, seu *tunica linea* Iudaïci Sacerdotis quam Iosephus byssinam vocat, stricta notatur Exodi 28. nullas habens rugas, nullos sinus. Christiana verò latissima & amplissima fieri solet, illa stricta, *propter spiritum seruitutis*: hæc diffusa, *propter spiritum adoptionis in libertate, qua nos Christus liberauit.* Candor Albæ gratiam & munditiem mentis figurat, per quam accessum ad Deum habemus, in cuius symbolum Christus in Transfiguratione, *Vestimenta effecit alba sicut nix.* Imperatores & Reges, & Sacerdotes Gentilium Albis indutos incessisse, & ministrasse leguntur, idque ad majestatem. Vnde Tertullianus de præscript. loquens de Flaminibus seu Sacerdotibus Romanorum. *In Sacerdotalibus officiis, insignibus priuilegiis manifestè Iudææ morositates Numa imitatus* est, apud Romanos *Alba*, nuncupabatur *Pura & religiosa vestis, candida plerumque intextilis tela nonnunquam ex purpura & auro.*

Cingulum, apud alios *Zona*. Raban *Balteum*, significat continentiam. Vnde Beda & Raban. *Sacerdotes accinguntur baltheo, ne ipsa castitas sit remissa & negligens.* & Innocentius III. *Circa lumbos debet accingi, vt restringat concupiscentiam, ne in illo diffluat vita spiritalis.* Quasi dicat vitam Clerici consistere in castitate.

Consonat

Consonat oratio præcinge me Domine cingulo puritatis, &c.

Leo IV. in Epistola ad Episcopos non meminit cinguli (quia non est vestis) inter vestes Sacerdotales.

Manipulus, hunc ordo Rom. *mappulam* vocat, qua pituita oculorum narium & oris detergebatur, inquit Alcuinus cap. *Quid significent vestimenta*, qui *Sudarium*, quo sudor abstergitur, & post eum Amalarius cap. 17. nuncupat. *Phanonem* & *Mantile* Raban. libro 1. de inst. Cler. cap. 18. Græcè φάνων est locus quo purgamenta reijciebantur. Alij vocant, *Mappam paruam, linteum cincticulum sacerdotale*. Ita Hesychius apud Bulenger. libro 1. cap. 42. *Manipuli* nomen legitur apud Rupert. libro 1. c. 33 & Hugon. Vict. in speculo cap. 6. Nomina notantur decem, sed res eadem est apud authores, tum ex fine ad tergendam pituitam & sudorem, tum ex eo quia in læua secundùm omnes portabatur; commodiùs enim dextra manu tergebantur oculi & os mappula pendente à læua, sicque brachium dextrum liberius ad ministrandum restabat. Fimbrias additas manipulo describit Rupert. qui primus inter Scriptores eum manipulum appellauit. Significationem affert Stephanus Episcopus Augustod. libro de Sacram. Altaris cap. 2. *Mappula stillicidia oculorum siccat & excitat nos ad vigilandum in bonis operibus*. Bonauentura vul. designari Christi humilitatem in hac vita, *Qua pugnam subijt pro iustitia*: communiter funes, quibus in Horto manus eius satellites constrinxere repræsentari intelligitur, consonátque oratio. *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, &c.*

Stola, Ordo Romanus vocat eam Orarium; quia Oratorum, hoc est, Prædicatorum habitus est ex Alcuino supra, quare non datur nisi Presbyteris & Diaconibus, quorum dumtaxat proprium est munus concionandi. Beda deducit ab oratione; quia in oratione, & in ministerio Sacramentorum frequens est vsus stolæ. Stola dicta est etiam in Ordine Romano, à Græco στολὴν, id est indumentum, vel à στέλλω, id est orno. Ad genua tendit ex Amal. lib. 2. c. 20. Nam licet stola esset vestis candida pertingens ad talos vsque, vt ait Gemma libro 1. cap. 204. Tamen introducta Alba, seu Camisia sacerdotali, mutata est stola in torquem, vt ibidem, & apud Durandum *libro 3. cap. 5*. Rupert. eam describit cum fimbriis. Stolæ vsus habetur *in Actis Sancti Clementis Metensis, patrui Sancti Clementis Papæ*, qui stola sua cinxit draconem. Sed & Cedrenus apud Bulenger libro 1. cap. 38. scribit, stolas Apostolorum fuisse repertas Augustæ. Stola assumitur, inquit Raban. libro 1. institut. Cler. cap. 19. in Symbolum dignitatis & authoritatis, quam habet Sacerdos: *Per quod plebi sibi commissa indicium salutare conspiciens ad meditationem legis diuinæ conuertitur*. Hincque in altari & in administratione Sacramentorum stolam ferre debet: Torques enim est Ordinis sacerdotalis. Ducitur ante pectus in modum Crucis ex Concilio Bracarensi, & habetur 23. capit. *Ecclesiastica*. Quia ait Bonauentura, *Passionem Christi designat, quam meditatione peruigili in corde Sacerdos debet habere*. Communiter dicitur stolam, quæ collo superimposita crucem facit in pectore, repræsentare obedientiam: hinc Episcopus ordinans, & stolam proferens dicit, *Accipite iugum Domini*, Stola pendet ab vtroque humero, vt fortitudinem sine qua cæteræ virtutes facilè expugnantur repræsentet, deosculatur autem eam Sacerdos, vt voluntaria crucis mortificatio assumpta designetur, partes verò stolæ extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo iungi iubet Rubrica; quia virtutes virtutibus adunari debent, ne tentationis impulsu moueantur. Vulgo stola, funes quibus columnæ ligatus fuit in flagellatione repræsentare dicitur. In oratione autem stolam immortalitatis amissam in Adæ præuaricatione per Christi sacrificium recuperandam commemorat.

Planeta, quam & Casulam, id est, paruam casam dicit Ordo Roman. Infulam Hugo Vict. in speculo Ecclesiast. cap. 6. Phelonium Acta Eccles. Mediolan. part. 4. lib. 2. Planeta errorem sonat & limbus Planetæ sacerdotalis errabundus erat vtrimque & subleuabatur, inquit Honorius apud Gemma libro 1. cap. 207. Planetæ Sancti Petri meminit, Hugo Cluniac. in vita Sancti Hugonis Abbatis, quæ asseruatur Parisiis; ergo ab Apostolis ortum habet. Casula, seu Casibula Iacobi Apostoli Episcopi Hierosol. vocabatur *Colobium* vestis breuis sine manicis. Erant Planetæ totæ clausæ, Sacerdotem omninò inuoluentes, ideóque Charitatem repræsentantes, *quæ operit multitudinē peccatorum*. Quæ virtutes sublimat. *Maior horum est Charitas*. Post tempora Ruperti, id est, 1120. diuisæ sunt: olim cum cruce etiam in parte posteriori nunc cum columnæ potius specie recentiori vsu, quæ & ad Passionem Domini spectat: quasi Sacerdos sit inter columnam & crucem Christi. Casulæ Æthiopum apertæ sunt ante & retro: nostræ verò à lateribus, vt manuum Christi extensionem in cruce notent. Superhumerali Aaronico hæc dicitur respondere, crucémque ipsam Christi, quam baiulauit, & in qua crucifixus emisit spiritum patenter denotat; vnde in Oratione iugum, & onus Christi, quo gratia consequenda sit nuncupatur.

De vestibus Episcopo propriis.

PRæter sex sacerdotalia indumenta, quibus Sacerdos Missam celebrans ornatur, Pontifex celebraturus habet ista quæ Innocent. III. Epistola decret. ad Patriarch. Constantinop. vocat, *Pontificalia ornamenta*. Caligas & sandalia, Crucem pectoralem reliquiis Sanctorum refertam, Tunicellam, Chirotecas, Mitram, & Annulum, quæ singula suam habent in missali orationem recitandam, dum assumuntur, & quia in assumendo Baculo, seu Virga Pastorali nullam Episcopus recitat orationem, hinc est quod missale nihil de baculo habet. Regula tamen est, Mitram & baculum in Episcopis esse correlatiua, vt dicitur *in Cæremon. Episc. lib. 1. cap. 17*.

Caligæ, *Sandalia* apud Sanctum Hieronym. in Isai. lib. 5. cap. 20. sunt idem, idque forsan; quia Act. 12. dum dicitur Petro, *calcea te caligas tuas*, vt habet vulgata versio Pagnin & Tigurina legunt, ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, id est, subliga sandalia tua. Iam sandalia esse tibialia censet Ioannes Ferdinandus in Thesauro Sanctæ Scrip. verbo *calceus*. Verum alij passim censent sandalia esse calceos, seu munimenta pedum,

non tibiarum vel crurum. Idque ita esse patet. Primò ex verbo *calcea*, calceamus enim pedes calceis non tibias tibialibus. Secundò quia veteres Hebræi, Græci & Romani non vtebantur tibialibus, imò nec femoralibus, sed tibiis, & genibus nudis incedebant vnde Iulius Cæsar, & milites eius notantur in columna Trajani quæ est Romæ exsculpti nudis tibiis, sed exprefsè textum explicat S. Marc. cap. 6. *Dum* ait, *præcepit ne quid tollerent in via nisi virgam tantùm, &c. sed calceatos sandaliis.* Noster autem interpres vertit *caligas*, quia olim caliga Latinis significabat calceum vt intelligitur Genes. 14. vers. 23. vbi Abraham ait, Regi Sodomæ, *à filo tegminis vsque ad corrigiam caligæ*, id est calcei, hic enim habet corrigiam non tibiale, *non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Caligæ autem & Sandalia distinguuntur iu habitu Episcopali ex Innocent. III. lib. 1. cap. 48. nam Caligæ primùm induuntur vsque ad genua, & Sandalia generis fœmini, seu Sandalium apud alios, pedes tantùm contegunt, Episcopus calceatus vim verbi diuini per quam obmutescere faciat Hæreticos, & conteratur aduersarius, vel decentiam & honestatem exemplarem Pontificis demonstrat, vel promptitudinem requisitam ad opus bonum: nisi denique dixeris ad maiorem decentiam, & solemnitatem Episcopum habere speciales, & pretiosos calceos ob reuerentiam sacrificij: siquidem Agnus Paschalis cum calceamentis edi debebat Exod. 13. Vnde Ordo Rom. hæc habet. Non licet Presbyterum, Diaconum, vel Acolythum ad Altare ministrare per nudos pedes, quod præceptum esse volunt Syluerius, verbo Missa & Sotus in 4. dist. 13. qu. 2. sed non nisi ad maiorem honestatem, & decentiam hoc præscribi notat Suarez 3. p. disp. 82. sect. 3.

Crux quàm Innocent. III. appellat pectoralem, quia pectus ornat, Nicephorus verò Episcop. Constantinop. ad Leonem III. vocat *Encolpium*, & Gregor. Papa lib. 12. epist. 7. *Philacteria*, seu *filacteria*, eò quòd filo suspendi soleret, ait Vicecom. eam laminæ Hebreæ suffectam esse tradit Innocent. vt quid enim Imperatores, & Reges mirificam & insuperabilem vim signi crucis agnoscentes gemmatam, & ornatam vellent in coronis, & Diadematibus suis prælucere, hanc autem Episcopus qui crucis memoriam, & mortificationem in corpore habere tenetur, eam non gestaret? & in ea non gloriaretur? cum ab ipsa in omnibus muniatur, vt exprimit oratio designata cùm assumitur.

Tunicella quæ differt à Dalmatica, vtraque autem datur Episcopo, quia in eo eminenter omnium Sacrorum ordinum sunt gradus: ambæ aliquando dictæ fuerunt Dalmatica maior, & minor, quia altera latior, altera strictior, S. Gregor. lib. 7. epist. 113. ad Aregium indicat Episcopos non induisse Dalmaticas sine Papæ licentia idque habetur can. communis filius distinct. 23. primumque à Syluestro concessa est Episcopis Dalmatica vt notat Durand. lib. 3. cap. 11. hoc est aliquibus: sed sicuti ea quæ in Ordin. Rom. lanea erat, serica deinde fuit ex Eduensi cap. 11. ita quæ aliquorum erat omnium deinde Episcoporum facta est communis. Pontifex Aaronicus duas habebat tunicas purpureas: vnam rubeam, aliam violaceam, Episcopus Catholicus binas habere potest, prima lætitiam mundo factam per Incarnationem designare potest vt infero ex Oratione. *Tunica iucunditatis & indumento lætitiæ induas me Dominus.* Dalmatica vero quæ latior est Diaconali, abundantiam sapientiæ, & beneficentiam Episcopi innuit ex Innocent. III. *Manicarum latitudo largitatem & hilaritatem, datoris demonstrat*, vel laxam Christi misericordiam innuit, cuius dispensator æquus Episcopus pœnitentibus impertiri debet, Oratio hanc de iustitia quæ Pontificem circumuallare debet, exponit.

Chirotheeæ in Ord. Rom. *Manicæ* quia manuum sunt ornamenta, dantur Episcopo, quia conuenit vt quælibet pars eius ornatior appareat, hæ opera designant, manus autem operiunt ne ex bonis operibus ansam vanæ gloriæ concipiat, hincque *chiroteca* ait, Innoc. *Vt cautela humilitatis*, in Oratione munditia noui hominis exquiritur vt per oblationem faciendam in altari benedictio paterna conferatur Pontifici, sicut Iacob pellieulis hædorum manus habens opertas, & patri Isaaco proferens cibum, eam habuit Gen. 27.

Mitra, seu *Apex* ex August. 2. ciuit. 15. seu *Sertum cum gemmis*, ex Ennodio de mitra S. Ambrosij, seu *Corona Sacerdotalis* ex Ammiano Marcellino lib. 29. seu *Corona Gloriæ*, ex Euseb. Cæsar. lib. 10. hist. cap. 4. seu *Pileum* in neutro genere, vel *Galea*, vel *Tyara* ex Isidoro lib 9. Origene cap. 21. seu *Infula*, ex Hugon. Victor. seu *Cidaris* ex Alcuin. seu *Phrygium* ex Nicephor. lib. 14. cap. 34. quod imposuit capiti S. Syluestri Constantinus Imper. seu *Lorum* ex Balsamone apud Buleng. lib. 1. cap. 6. seu Auriphrygium circulare ex Innocent. III. in serm. de S. Syluestro (nomina multa eadem res) ab Apostolis ortum habet vt notaui ex Baron. & inter Episcopi insignia numeratur ad ornandum illius caput, & erudiendum Episcopum, vt supra ex Durando; hanc deponit Episcopus versus ad Deum & adorans, aut Orationes recitans, quia ex Paulo 1. Corinth 11. *Omnis vir orans, aut prophetans capite velato deturpat caput suum*, modum autem orandi populus ab Episcopo discit, versus autem ad populum mitram gestat ad authoritatem dignitatis ostendendam. Pontifex versus ad Deum se nudato capite ouem, & hominem peccatorem profitetur: versus vero ad populum cum corona seu insula vicariatum Dei se præferre ostendit.

Abbates aliqui mitrati sunt non ratione dignitatis, sed benedictione Apostolicæ Sedis, cap. *vt Apostolicæ de Priuilegio.* Syluester II. mitram dicitur concessisse Abbati S. Sauini Placentiæ: multi docent vt vixit autem Syluest. qui primo Remensis Episcopus fuit ann 998. à Leone IX. data mitra Abbati S. Iustinæ Patauinæ anno 1049. extant diplomata Pontificia. Vrbanus II. eam concessit anno circiter 1092. S. Petro Cauensi Abbati Cluniacensis Ordinis qui & eandem vt sibi minus congruentem recusauit, ex Actor. Concil. Beneuent. In pluribus Capitulis Canonici gaudent hoc priuilegio vt singulariter videre est in solemni officio quod persoluitur in Ecclesia Metropolitana Lugdunensi, omnes enim altari assistentes notaui mitratos.

Baculus,

Baculus, *Virga pastoralis*, *Pedum*, *Ferula*, *& Caputta*, sunt Synonyma ex Iuone Carnot. epist. 8. Ordo Rom. Cambuttam vocat à Cambura voce Barbara, quæ significat baculum retortum. Baculus iste tres habet partes, summam retortam, vt pedum pastorum recuruum ad colligendas, *vt ait Festus* oues, mediam rectam, imam acutam, talis est S. Saturnini Apostolorum discipuli qui Tolosæ eum imagine sancti antiquissima habetur, & Valentiæ S. Augustini baculus qui est eburneus, & rotundus, & item. S. Isidori quem Bononiæ videre licet. Innocent III. affert hoc carmen.

Collige sustenta stimula vaga morbida lenta, id est, collige vagos, sustenta debiles & punge pigros. Baculus pastoralis est insigne dignitatis pastoralis, & symbolum correctionis vt Episcopus in corrigendis vitiis sit piè sæuiens: seu virga correctionis malorum, & erectionis, seu sustentationis bonorum. Hunc Marinus Legatus à latere Adriani Papæ III. in VIII. Synodo Constantinop. abstulit Photio intruso in sedem Patriarchalem, vt enim eum in consessu Patrum vidit cum baculo hæc publicè effatus est, *baculus signum est Pastoralis dignitatis quem hic habere non debet*, *quia lupus est non Pastor*. Baculus est vltimum Episcopi ornamentum ait Innocent. III. quem gestat ille manu sinistra, quæ cordis esse dicitur, & partem curuam populo vertit, *carem Episcop. lib. 2. cap. 8.* Nec ornatur sudario, seu velo pendente quod conuenit Abbatiali ad differentiam Episcopalis. Virga est ipsi Prælato symbolum curæ quam Deus imposuit ipsi de grege pascendo, vt Michææ 7. Propheta Deum ipsum orat, *pasce populum tuum in virga tua*, scilicet prouidentiâ tuâ, & potestate: quam curam Deus Christo resignauit & Christus Petro totius orbis Episcopo vniuersali, Petrus vero singulis Episcopis. Subalternatio hæc Hierarchica Ecclesiæ Catholicæ notatur in Virgæ pastoralis differentia. Papa habet triplicem crucem quam crucifer ipsi præferre solet: hæc est virga regni sui spiritualis, *virga* ait Propheta regius Psalm. 44. *Directionis virga regni tui*, triplex autem summo Pontifici datur ad supremam etiam in subalternes Pontifices præeminentiam, & authoritatem demonstrandam, vnde & Patriarcha duplicem præfert crucem, quia præeminet in Clero, & præest nationi integræ & notabili orbis Catholici Prouinciæ, aut regno: Archiepiscopus Crucem præfert, quia Pater est & Pastor omnium Ecclesiarum quæ metropoli suæ subsunt: Episcopus vero Pedum habet seu virgam qua se Pastorem animarum, & Principem in Ecclesia Dei pro salute Diœcesis suæ constitutum nouerit eúmque vt talem Diœcesani habeant, & venerentur.

Annulus datur Episcopo qui aureus esse debet, & benedictus, de quo *Optat Mileuit. lib. 1. contra Parmenidem & Ordo Rom.* Datur inquam ad honorem, & significationem quòd Ecclesiam suam desponsauit: regulariter quidem in digito indice manus dextræ defertur; neque in gemma sculptum quid esse debet, *ex Durand. lib. 2. de Rit. cap. 9.* sed in missa Pontificali iubetur Episcopus gestare annulum in digito annulari dextræ manus, cui & in eodem digito in consecratione datur concelebraturo cum consecrante.

Alij caueant ne vnquam Annulum gestent in Missa, qui expresse fuit prohibitus Protonotariis non participantibus, & quibuscumque Doctoribus, à Sacra Rituum Congregatione die 11. Februarij 1623. & item Canonicis Cathedralium Ecclesiarum, qui se maiores æstimabant Protonotariis die 20. Nouemb. 1628. Canonicorum verò nomine hac in re intelliguntur dignitates siue sint, siue non sint de gremio Capituli.

Manipulus vltima vestis, est Episcopi; hunc enim brachio sinistro eius immittit Subdiaconus coram altari confessionem iam facturo, quem Ritum Durand. declarat lib. 4. cap. 7. Primò vt ab inferiore ministro accipiens ornamentum ordinis inferioris, id est, subdiacono, cuius propria vestis est manipulus, humilietur Episcopus coram Deo. Secundò ad designandum quod non sufficit oris confessio nisi, & boni operis fructus per manipulum ad brachium ligatum significatus sequatur. Tertiò Pontifex postquam ad altare peruenit manipulum recipit ad notandum quod tunc demum bonorum operum præmium effectiuum percipiemus cùm ad æterni Dei altare seu thronum Iudicis peruenerimus: hoc innuit Oratio. *Merear portare manipulum fletus vt recipiam mercedem laboris.*

Hæc sunt vestimenta, & Ornamenta Episcopi accedentis ad altare, cum autem Officium ad Horas, vel Vesperas facit, aut Processiones vti debet Pluuiali seu Cappa.

Pluuiale, seu Cappa idem sunt, & vsus similis. Honorius in Gemma lib. 1. cap. 227. dicit esse propriam vestem Cantorum: hancque sic describit. In supremo Caputium retro, habet, ad pedes illa pertingit, fimbrias habet, & ante aperta manet, diciturque *Cappa*, quia totum capit & inuoluit hominem. Pluuialis autem nomen adepta est, quia adhiberi seu gestari solet in Processionibus extra Ecclesiam, & si tunc pluere contigerit eius caputio tegitur Sacerdotis caput. Hæc vestis, ait Gemma, conuersationem denotat, caputium verò supernum gaudium quod est caput conuersationis, dicente Apostolo, *nostra conuersatio in cœlis est.* Ad pedes pertingit ob perseuerantiam: aperta manet ante, quia sanctè conuersantibus æterna vita patet, in fimbriis labor designatur. Cappa ait Durand. lib. 2. cap 9. designat immortalitatem corporum vnde illa vtimur in Festis maioribus, & Cantores in Psalmodio ambulant per Chorum modo versi ad Altare, *Aspicientes in futurum resurrectionem*, modo versi ad populum inuitando ipsum, *vt deposita carne induat gloriam*, *& fortitudinem*, amplitudo Cappæ amplitudinem beatitudinis designat quæ in cor hominis non ascendit, & comprehendi nequit. Vniformitas vestis sine manicis quæ quasi vnus pannus est integritatem fœlicitatis quæ dissolui non potest, prædocet: patent autem anteriores Cappæ partes, quia corpora facta spiritualia nullis animam obturabunt angustiis.

His Episcopalibus ornamentis adiungenda superest, *Cathedra Episcopalis*, quæ duplicem habet emphasim. Rex, Iudex, & Sacerdos, authoritatem, & præeminentiam dignitatis suæ ostendunt ex cathedra. At Sacerdotalis, Cathedra interruptionem successionis ab institutione

primaria innuit, vt Matth 23. Christus ipse docuit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Et præterea eminentiam charitatis, & qualitatis Episcopi, seu Præfecturæ sacræ manifestat; vnde in Cathedralibus Ecclesiis supereminet Cathedra Pontificis, quæ ornari solet velis, & per gradus ad eam ascenditur, vnde Absidem gradatam vocari vidimus supra, vt *superintendat*, ait Durandus, *& populum custodiat.*

Restat informare Lectorem studiosum de coloribus vestium seu Ornamentorum quæ vt dicit Rubrica debent esse coloris conuenientis Officio, & Missæ diei secundùm vsum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus vti consueuit. *Albo*, *Rubeo*, *Viridi*, *Violaceo*, *& Nigro.* Innocent. III. totidem numerat lib.1. cap.65. quamuis nigrum confundere videatur cum Violaceo, quatuor principales faciens colores quatuor coloribus vestium legalium respondentes, Byssi, Purpuræ, Hyacinthi, & Cocci Exod. 28. Certum est autem quòd post Syluestrum varius color fuit in vsu, si fortè antea lino vel lanâ tantùm vtebantur, nam Machario donata fuit stola à Constantino Magno, filis aureis texta. *Theodoretus lib.2. histor. cap.27.* Planeta Sancti Gordiani Patris S. Gregorij erat coloris castanei, ex Ioan. Diacono lib.4. cap.83. fortè est idem color qui viridis obscurus.

Albus color in Sacrificiis adhibitus significat gloriam, gaudium, & innocentiam ex Hieron. in Ezech. & aliis Patribus. Hinc albo colore vtitur Ecclesia diebus in Ordinario notatis.

Rubeus color, seu purpureus indicat dignitatis gradum aliis excellentiorem, humano sanguini similis est, igneam præfert naturam, ex quibus patet ritus assumendi eum in Pentecoste & Martyrum Officio.

Viridis color, medius est inter colores ait Innocent. & ideo vsurpatur in diebus ferialibus, & communibus, cuiusmodi sunt dies ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam, & Octaua Pentecostes vsque ad Aduentum in Officio de tempore. Dies etiam Dominici minus solemnes sunt his temporibus, & communes vocantur ab Innocent. comparatiuè ad alias Dominicas, & solemnitates anni.

Violaceus color, assumptus dicitur à tempore Innocentij III. Niger enim adhibebatur ante iis diebus quibus vtimur violaceo, scilicet ab Aduentu vsque ad Natalem Domini, & à Septuagesima vsque ad Pascha. In quatuor Temporibus & Vigiliis: in diebus afflictionis & luctus.

Niger color, propriissimus est mortis, & ideo Feria 6. in Parasceue & in omnibus Officiis, & Missis Defunctorum illo vtitur Ecclesia.


Regula autem in mutandis coloribus ea est vt mutatio fiat in primis Vesperis Festi, & color altaris sequatur Officium.

Ex his omnibus patet quàm antiquus, & solemnis sit ritus vestium Sacerdotalium; antiquus inquam, cùm ab Apostolis descendat, & eorum discipulis: solemnis, quia per maiestatem quam hæ inducunt in diuinis Officiis, & splendorem quem ministerio, & ministris conferunt (quod nemo sanæ mentis negare potest) religiosiùs inde erga Deum se habet populus, imò & ipse Clerus; quod intelligentes viri cordatiores inter Aduersarios, ingenuè fatentur nimis ieiunè, & nudè res sacras obiri apud Caluinistas qui in veste communi, & laïca baptismum, & cœnam Domini ministrant, & verbum Dei prædicant, *&c.*

Gregorius Magnus, ex confessione Caluini legitimus Petri successor in Pontificatu Romano, audiens Angliam pronam ad susceptionem fidei Christianæ, misit in has oras cooperatores ac verbi ministros, & per eos vniuersa quæ ad cultum erant ac ministerium Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, vestimenta altarium, ornamenta quoque Ecclesiarum, & sacerdotalia, vel clericalia indumenta, sanctorum etiam Apostolorum ac Martyrum reliquias, nec non & codices plurimos. Hæc singulariter scribit Beda lib.1. cap.29. hist. Eccl. Anglorum.

DE

DE
PALLIO ARCHIEPISCOPALI.



NTER vestes Pontificias habetur singulariter *Pallium Patriarchale, seu Archiepiscopale*. Sicut enim olim in sacerdotio *Superhumerale* erat insigne summi Sacerdotis, quo nefas esset aliquem alium Sacerdotum indui: ita in Christianæ Religionis sacerdotio Pallium illud Summi Romani Pontificis dumtaxat vsui cessit; ab eo tamen Metropolitanis cōcedi solitum. In libro de Romanis Pontificibus, legitur Marcum Papam, qui Syluestro successit, anno 336. constituisse, vt Episcopus Ostiensis, qui ex antiquo vsu Papam consecrat, tunc Pallio vteretur. Primò autem hic mentio in rebus gestis Romanorum Pontificum habetur de Pallio summi honoris & plenitudinis potestatis indice: quod cur fuerit ita appellatum, cum veteris Pallij forma longè diuersa esset & amplior, id coniicio accidisse, quod inhæreret dum Pontifex sacra ageret indumento illi quod Pallij præ se ferebat imaginem, nos autem *Planetam*, seu Casulam dicimus: cùm alioqui Pallij nomine omne operimentum in rebus sacris significari soleret: quemadmodum Venantius Fortunatus libro 2. Epigrammatum 3. de sancta cruce vela oblata sanctæ Cruci pallia appellat, quæ & ipsa crucium imaginibus essent contexta.

Pallium istud est ab Apostolica Sede institutum in symbolum plenitudinis Pontificalis Officij, illúdque à Sancto Lino coadiutore Sancti Petri institutum testantur. Sanctus Maximus homilia de veste sacerdotali. & Eusebius Cæsariensis sermone de Epiphania. *In Lege gratiæ*, ait Maximus, *antiquum est illud nostrum Ephod, id est Pallium, quod nostri Patriarchæ arbitrantur à Lino post Petrum secundo Romano Pontifice institutum, & in singulare potestatis priuilegium nostris Deo plenis Præsulibus datum.* Eusebius sic loquitur. *Nihil antiquius veste illa sacerdotali Præsulis nostri, qua in signum plenissimæ potestatis primus Linus amictus est, cui & typum dedit & nomen, vt à veteribus accepimus Sacerdotibus, quam appellauit & Pallium.*

Itaque Pallium est proprium Papæ, Patriarcharum, Primatum & Metropolitanorum, vt per illud discernantur à cæteris Episcopis, & priuilegiata eorum dignitas agnoscatur. Hinc est, quod Metropolitanus antequam eo decoretur, non debet conuocare concilium, Chrisma conficere, ordinare Clericos, consecrare Pontifices, aut Ecclesias dedicare, vel se Archiepiscopum nominare, *Extra de electione, quia sicut dicitur.*

Tamen extra Prouinciam suam inuitatus posset ordines conferre, tanquam simplex Episcopus: quare ipsis iniunctum est requirendi à Papa, pallium sexto ab eorum consecratu mense. Sanctus Gregorius rescribens ad Brunichildem Reginam Francorum inter, alia excusauit, cur non miserit Pallium Siagrio Episcopo Augustodunensi, nimirum quod non esset ab eo enixè petitum. *Cùm prisca*, inquit, *consuetudo obtinuisset, vt honor Pallij, non nisi exigentibus meritis, & fortiter postulantibus dari non deberet.* Quod enixè postea petens anno 599. Siagrius hanc cum pallio habuit à Papa epistolam. *Quia dignum profectò te esse credimus, vt cum mentis grauitate, qua Deo propitio te pollere credimus, ita habitus quoque exterioris clarior in te cultus accrescet, præsertim cum te hunc non ad superflua elationis pompam, sed pro genio & honore tuæ arbitramur Ecclesiæ petiuisse.*

Ex eodem Sancto Gregorio intelligimus, cùm Pallium ad Virgilium Archiepiscopum Arelatensem misit anno 595. quantæ sit illud dignitatis symbolum, cùm vices Romani Pontificis in causis Episcoporum, nec-non & Inquisitionis in rebus fidei conferat. *Quod in tuis*, ait, *litteris iuxta antiquum morem vsum Pallij, ac vices Sedis Apostolicæ postulasti, absit, ne aut transitoriæ potestatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum in vicibus nostris, ac Pallio te quæsisse suspicer.*

Pallium istud ex lana, non ex lino contextum esse, & Pontificum humeris imponi consueuisse docet Isidorus Pelusiota Sancti Chrysostomi discipulus, eo quòd ouis illius quam aberrantem Dominus quæsiuit, inuentámque suis sustulit humeris, pellem designet. Pontifex enim qui Christi typum gerit, & ipsius munere fungitur, debet in ipso etiam habitu illud omnibus ostendere, se boni illius ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

Lana ad texturam Pallij sumitur ex vellere duorum Agnorum candidorum, qui annuatim à Religiosis sanctæ Agnetis in festo & altari eiusdem offeruntur, quos duo Canonici Sancti Ioannis Lateranensis recipiunt, & nutriendos vsque ad tonsionem tradunt Subdiaconis Papæ. Lana hæc alteri pariter candidæ commiscenda materiam palliorum præbet. Pallium in modum fasciæ quatuor digitorum latitudinis facit circulum humeros constringentem, & duas lineas habet ab vtraque parte, videlicet ante & retro pendentes, à sinistris est duplex, à dextris simplex, habet quatuor Cruces, scilicet ante & retro, à sinistris & à dextris pallio infiguntur tres acus aureæ lapidem pretiosum habentes in capite, scilicet ante pectus, & super sinistrum humerum, & post tergum, non ad pungendum, sed ad illud planetæ adnectendum: sicque Pallium humeros, & pectus Archiepiscoporum tegit; in fimbriis autem paruæ laminæ plumbi

cum filo nigro serico iunctæ notantur, sic elaborata Pallia Subdiaconi Papæ tradunt ea Canonicis Sancti Petri, qui ipsa per noctem integram supra corpus Sancti Petri in vigilia alicuius solemnitatis reponunt, ipsáque reddunt Subdiaconis custodienda, donec ad instantiam Metropolitani cuiusdam per Consistorij Oratores instanter pallium expostulantis Papa, requisito Eminentissimorum Cardinalium suffragio illud cum litteris Apostolicis ad Metropolitanum mittendum Priori Cardinalium Diaconorum tradat. Hic autem Prior Archiepiscopum, si adsit vel Procuratorem eius genuflexum ante altare Sancti Petri pallio induit hæc recitans.

Ad honorem Omnipotentis Dei & Beatæ Mariæ semper Virginis, atque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nec-non Ecclesiæ N. tibi commissæ tradimus tibi Pallium de corpore Beatri Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officij cum Patriarchalis, vel Archiepiscopalis, vt vtaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in priuilegiis ab Apostolica Sede concessis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti; quo dicto Cardinalis osculatur Patriarcham, vel Archiepiscopum. Procurator autem hoc suscipiens osculatur manum Cardinalis.

Aliquando Papa ipse confert Pallium. Sixtus IV. tradidit illud Hieronymo Laudo Patriarchæ Constantinopolitano.

Illo autem ornatur Papa cum celebrat Missam; Metropolitani verò certis tantum diebus expressis in diplomate, nequaquam in Exequiis defunctorum, vel in benedictionibus nubentium, nisi hoc in priuilegio contineatur expressum: *extra eo cap. si.*

Metropolitanus palliatus ad aliam Ecclesiam translatus non potest ibi vti pallio in prima Ecclesia obtento, sed secundum obtinere debet; illud enim non datur tantum ratione personæ, verum etiam loci, hincque est, quod non potest eo vti extra Prouinciam sibi decretam, extra de vsu Pallij, cum nuper & cap. tuarum, neque extra Ecclesiam, vnde si fortè processionaliter, vel ad prædicandum, vel ad quid simile eum Ecclesia exire contigerit, cum pallio non exibit: extra eodem capite primo, distinctione prima. pallium & capit. semper. si quis renuntiauerit Archiepiscopatui, non potest vti pallio, & cum ipso defunctus Archiepiscopus inhumari debet.

Porrò Sanctus Gregorius statuit anno 595. vt Archiepiscopi pro vsu Pallij aut diuersis Officiis Ecclesiæ nil soluerent, quod & sanxit Leo II. anno 683. quod hodie non est in vsu.


Nota Episcopos aliquos ex priuilegio speciali gaudere vsu Pallij, vt Aniciensis, quo ornatum vidi cum verbum Dei in cathedrali eius Ecclesia prædicatem, & alij plerique, imò Episcopi totius Græciæ vtuntur palliis. Anno siquidem 934. Albericus tyrannidem Romæ exercens corruptus ab Imperatore Constantino octauo Porphyrogenito dicto coëgit Ioannem XI. Papam, quem inclusum tenebat concedere Patriarchæ Constantinopolitano, & successoribus in perpetuum, vt absque Romani Pontificis permissu vterentur Palliis, ex quo turpi commercio addit Luitprandus mos inoleuit, vt non solùm Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ Palliis vtantur, ad quod obtinendum Metropolitani Angliæ tenebantur se Romam conferre, quod & fecit Lantfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, & habuit ab Alexandro II. anno 1061. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis 1095. id facere designarat, nisi Guilelmus Angliæ Rex, qui Vrbanum II. non agnoscebat, interdixisset. Hoc tamen præstitit Richardus Archiepiscopus Cantuariensis, anno 1172. vt ab Alexandro Papa III. consecraretur, & Pallium obtineret.

Negligentes in expostulatione Pallij Metropolitanos arguit Sedes Apostolica, vt videre est in Epistola Gregorij VII. ad Rotomagensem Archiepiscopum 1076. anno.

Nisi nos Apostolica mansuetudo detineret profectò seuerius in te animaduersum sensisses, quod hucusque præclarius tuæ dignitatis insigne videlicet Pallium ab Apostolica Sede pro more acquirere proposuisti. Te ipsum namque ignorare non putamus, quam districtè Sanctorum Patrum censura in eos iudicandum statuerit, qui post consecrationem suam per tres continuos menses Pallium quod sui sit officij obtinere renuerint. Proinde Apostolica tibi præcipimus authoritate, vt qui Sanctorum Patrum statuta parui pendisti: nullum deinceps Sacerdotem, vel Episcopum, seu Ecclesias consecrare præsumas, donec honoris tui supplementum, Pallij scilicet vsum ab hac Sede impetraueris.

DE

DE VASIS ET VTENSILIBVS Sacris.



QVÆ suprà enumerauimus ornamenta Sacerdotum & Pontificum Ecclesiæ Catholicæ, supponunt ornatum & paramenta Altaris, & Templi, in quo diuinum persoluendum est Officium: talis autem ornatus exigit vasa & vtensilia non pauca, qualia ab initio Ecclesiæ, in libertatem vindicatæ per Constantinum Imperatorem apparata, oblata & addicta legimus, idque ad imitationem ritus & supellectilis sacræ, quam Deus ipse pro cultu suo (quem Euangelium non antiquauit, sed ad perfectum adduxit) instituisse legitur. Exodi 25. *Parabis acetabula, phialas, thuribula, cyathos ex auro purissimo, & candelabrum ductile de auro mundissimo, &c.* & filios Leui super tabernaculum fœderis constituerat. *Ipsi portabunt Tabernaculum, & omnia vtensilia eius.*

Quod probe intelligentes primarij cultores fidei studuere, quantum tempora eorum permittebant decentiæ & maiestati celebrationis Mysteriorum. Hinc Sixtus VI. Pontifex anno Christi 129. *Constituit sacra Mysteria, & Ministeria, id est, sacrata vasa non tangi, nisi à Ministris sacratis.*

Damasus Papa loquens de Sancto Vrbano Papa & Martyre sub Alexandro Imperatore, circa annum 230. meminit ipsum fecisse ministeria sacrata, omnia argentea, & apposuisse patenas argenteas viginti-quinque. Sanctus Laurentius primarius Diaconorum Ecclesiæ Romanæ intelligens emanasse decretum à Valeriano Imperatore, vt Christianæ Ecclesiæ spoliarentur, ipsisque Christianis facultates adimerentur, thesaurum Ecclesiæ, cuius dispensationi præerat, in pauperes erogauit, anno 260. in necessitate enim vasa Ecclesiæ indigentibus dare licet.

Quis quæso recenseat, quæ imperialis munificentia Constantini donauit Ecclesiæ Romanæ, quot Calices, Scyphos, patenas, candelabra ex argento & auro? quæ omnia vbi Deo dicata fuere. Syluester Papa in Concilio Romano II. decreuit ne à Lectoribus, vel Ostiariis contingerentur.

Certum est, quod peritè omninò declarat Augustinus in Psalmo 113. conc. 2. *Sed & nos, inquit, pleraque instrumenta, & vasa ex huiusmodi materia, vel metallo, auro, argento habemus in vsum celebrandorum Sacramentorum, quæ in ipso ministerio consecrata sancta dicuntur in eius honorem, cui pro salute nostra inde seruitur.*

Habemus itaque ex ære, stanno, argento, auro, & lapidibus pretiosis, sacra vasa pretiosa, nimirum Ciboria, in quibus custoditur sanctissimum Christi Corpus, quæ olim in forma columbæ efformari solebant & appendebantur Altari. Cruces, Calices, patenas, Scyphos, Ampullas, seu Amulas, Vrceos, Reliquaria, Candelabra, Lampades, Thuribula, &c. Vt taceam vestimenta serica, & auriphrygiata Altarium. Cæteráque ornamenta, quæ in Sacristiis asseruantur ad solemnitates Festorum. *Quid doceo?* ait Chrysostomus homilia 51. in Matthæum. *an non vides vasa abluta, adeò nitida, & splendida, his longè mundiores oportet esse animas, his sanctiores ac splendidiores.*

Habes itaque, Beneuole Doctor, quid Aduersariis respondeas garrientibus de pretiosa Ecclesiarum nostrarum supellectile. *Et cuius erunt optima quaque in Israël?* dixit Samuël Saüli sollicito de asinis. *Nonne tibi* in Regem designato, *& omni domui patris tui?* Nunquid ergo Deo & Christo Regi, eiúsq; domui, quæ Basilica, id est, domus regia dicitur optimam, & pretiosissimam supellectilem apparare curæ fidelium erit! & ex ipsius splendore & munditie sanctitatis studium & reuerentiam in Deum elicere: sic linguas & ora Hæreticorum compescemus, sicque horrorem animis ipsorum ingeremus de profanatione, direptione, expilatione & demolitione Ecclesiarum, omnísque earum supellectilis, quam ad imitationem Arrianorum, Donatistarum, Vaudensium, Albigensium, fecit Caluinismus in Galliis, & vbicumque præualuit eius efferata & inhumana prorsus sæuitia.

DE INSTITVTIONE Patriarchatuum.



AIORES in instituendis Sedibus Episcopalibus, & Metropolitanis, specialiter vero in determinandis primis Patriarchalibus rationem habuisse Ciuitatum, & Prouinciarum, iuxta diuisionem Prouinciarum, & prærogatiuas à Romanis stabilitas plurima sunt exempla: Et ideò, vt primò de Patriarchalibus loquar, quantumuis Hierosolymorum Ecclesia & origine temporis, & nobilitate rerum in ea consummatarum, cæteris præferenda videatur: tamen non tantùm Antiochæ fuit subiecta, tanquam suæ Patriarchali, sed ipsi etiam Cæsareæ vrbi maritimæ, vt suæ Metropolitanæ, vt ex canone 7. Concilij Nicæni constat qui talis est.

Quoniam mos antiquus obtinuit, & vetusta Traditio, vt Eliæ Hierosolymorum Episcopo honor deferatur, habeat consequenter honorem, manente tamen Metropolitanæ ciuitatis propria dignitate.

Sancti Augustini tempore, seu quarto sæculo erant tantum tres Sedes Patriarchales, id est, iurisdictione Patriarchali inuestitæ. Roma, Alexandria, Antiochia, Hierusalem enim cœpit ius illud obtinere in Concilio Chalcedonensi sub Leone I. anno 451. Priùs enim erat tantum Episcopatus subjectus in prima instantia Cæsareæ, & per appellationem Patriarchæ Antiocheno: honorariè tamen Episcopus vocabatur Patriarcha; ad hoc dumtaxat, vt consessum in Synodis & conuentibus post tres primarios, & veros Patriarchas immediatè haberet: nullatenus verò ad iurisdictionem in territorio Patriarchali extra confinium Diœcesis Hierosolymitanæ exercendam.

Iuuenalis ergo Episcopus Hierosolymitanus habuit à Synodo generali pro territorio Patriarchali tres Palæstinas & annumeratus est Actione septima inter veros Patriarchas. Quod actione decima sexta concessum fuit Anatolio Archiepiscopo Constantinopolis noua Roma nuncupatæ, concessum inquam, habere potestatem ordinandi Metropolitanas Sedes in Asiana & Pontica, & Thracia Diœcesibus, hoc modo, vt electi à Clericis, cuiuscumque Metropolis Episcopi referantur ab eligentibus Archiepiscopo Constantinopolitano, vt penes eum sit (si velit) hunc qui electus est confirmare, vel repudiare. Hoc est ius, vel erat olim Patriarcharum.

Inter alias hæc erat etiam differentia, quod ius sessionis, seu præcedentia adhærebat Sedi Patriarchali; nec vllo modo variabatur anteriotate aut posterioritate promotionis, nec vnquam Patriarcha præcedebatur à Metropolitanis, & Primatibus antianitate prioribus.

Ad hæc non ignorandum Patriarchæ nomen esse antiquissimum, quod tam in Scriptura habetur 1. Paralipomenon. 8. Tobiæ 6. Act. 2. Hebr. 7. & à Iudæis recentioribus retentum, quam à Gentilibus susceptum notatur; nam qui Ægyptiis sacris præessent Patriarchas dictos esse, & Herodotus docet, & Adrianus Imperator confirmat Epistolam ad Seruium Cons. apud Flau Vop. in Saturn. Illud autem sicut alia multa in Ecclesiam fœliciter transiit.

Anacletus anno 112. Papa & Martyr seriem ponit in tertia eius epistola Sedium Patriarchalium, trium scilicet à Beato Petro institutarum, id est, Romanæ, Antiochenæ, & Alexandrinæ, quibus ob reuerentiam Domini per Concilium Nicenum, vt dixi adiuncta est Patriarchalis Sedes Hierosolymitana, & postea Constantinopolis, non ex eodem fundamento, ex quo tres primæ, in quibus Sanctus Petrus egerat Episcopum personaliter, vt Antiochiæ, & Romæ; & per filium suum spiritualem Marcum Alexandriæ; nec ob reuerentiam Domini, vt Hierosolym. sed fauore Principum, vt loquitur Nicolaus I. ad Consultationem Bulgar. c. 92. Qui secundum denique locum, ei Ecclesiæ, inducta in ordine posteriorum Sedium Patriarchalium magna varietate (vt monstrat Couarruuias 4. variar. capit. 14.) in totius Orientis exitium extorsere.

Propriè ergo & in rigore ij tantum Patriarchæ dici possunt, qui obtinent aliquam è Sedibus quas aliquando tenuit Princeps Apostolorum Petrus.

Postea tamen laxato semel rigore vocis abusio inducta est, qua quilibet Primatus dicti sunt Patriarchæ, sic Socrates histor. Ecclesiast. libro 5. capite 8. Primatiam Ponti, & illam quæ erat Asiæ minoris annumerat inter Patriarchatus Imperij Orientis, quod analogicè non autem vniuocè vsurpatur, nimirum vt qui sub se alios haberet Metropolitanos, vel Episcopos ex vocis significatione Princeps Patrum, & Græco nomine *Patriarcha* appellaretur.

Eadem relaxatione, vel abusione nominis Cassiodorus libro 6. Epistola 15. ipse vocat Primates & Metropolitanos Italiæ, *Patriarchas*. Et similiter Gregorius Turonensis lib. 5. histor. Franc. cap. 20. S. Nicetium Archiepiscopum Lugdunensem nuncupat *Patriarcham*, quo item titulo honestatur Priscus eiusdem Ecclesiæ Episcopus in secundo Concilio Matisconensi, & Petrus Lugdunensis à Petro venerabili libro 2. Epistola 2. Nimirum ob primatum in quatuor Metropoles, Lugdunensem, Rothomagensem, Senonensem ac Turonensem: quod antiquum eius Sedis ius firmasse Sancto

Gebuino

Gebuino legitur Gregorius VII. anno 1079. Ex Arrianorum vero vsu quosuis primarios Episcopos dictos esse Patriarchas obseruat Baronius anno 570.

Quibus omnibus nonobstantibus certum est Patriarchæ nomen tribus primo institutis, aut quinque, si accedant duo adiuncti propriè & singulariter congruere, vt appositè notauit Cuias Paratial. in lib. 1. Codic. tit. de Sacro-sanct. Eccles. *Lex imperialis separat priuilegium Patriarchicum & priuilegium Metropolicum.* Quod & apertè intelligitur ex sexta Synodo œcumenica, in qua Patres Act. 6. supplicant sapientiam imperialem Constantini Pogonati, vt decreta ad quinque Thronos Patriarchales mittantur.

Tres primi Patriarchatus aliquando dicuntur vna Petri Sedes, sic lego locutos Gregorium libro 6. Epistola 36. ad Eulogium Patriarcham Alexandr. *Etsi plures sint Apostoli sola Petri Sedes obtinuit principatum, qui in tribus locis vnius est Principis Apostolorum; Sedem enim exaltauit, in qua dignatus est consistere, & vitam finire, ornauit Sedem, cui præfixit Euangelistam discipulum suum, Sedem fundauit, quam septennio tenuit, licet ab ea recessurus esset.* Idem postea scripsit Hincmarus in op. 55. capitul. cap. 16. *Sedes Ecclesiarum Romana, Alexandrina, & Antiochena sunt vna eadem Sedes magni Apostolorum Principis Petri.* Nec prætermittam Leonis IX. epistola ad Petrum Antioch. verba. *Sedes Antiochena*, inquir, *Sedes est Apostolica.*

Ratio istius ternarij Patriarchatus nō est prætereunda. Petrus prætendens, dum viueret prima fundamenta Ecclesiasticæ iurisdictionis iacere ad futura sæcula obseruandæ à Fidelibus post Apostolorum obitum, prouidè & rectè iudicauit collocanda præcipua Tribunalia, vbi temporalis iurisdictionis Primaria erant, idque ob consonantiam & relationem inferiorum Vrbium ad illa. Tunc autem tres primariæ & Metropolitanæ ciuitates natæ erant ab vnione Imperij Occidentalis, id est Monarchiæ Alexandri, & Successorum eius cum Occidentis Imperio Vrbs Antiochia, quam Ioseph l. 3. de bell. Iud. capit. 3. vocat tertiam vrbem Orbis Romani, quamque Chrysost. hom. 5. ad pop. vocat caput & matrem vrbium Orientalium, quæ caput erat Imperij particularis Orientis Asiatici, posthac in Syriæ præfectura, & alias Prouincias Orientales adiacentes conuersi. Vrbs Alexandria, quam Dion. Chrys. orat. 32. vocat secundam sub sole vrbem, quæ Sedes erat Imperij Ægyptij & adjacentium Regionum, exinde in Præfecturam Ægypti commutati Vrbs Roma, quæ Occidentalis Imperij caput erat, ideóque ab Hebræis dicta, *Imperium Edom*, alludendo ad Idumæam, quæ Occidentalis erat ad Iudæam meridionalem, vnde & Titum, qui Hierosolymam diruit nuncupabant Titum Idumæum.

Nam diuiso Regno Alexandri in duo capita, seu Imperia, quorum vnum Ægypti dictum ad posteros Ptolomæi filij Lagi caput Alexandriam habebat; aliud Asiæ Imperium dictum, quod Seleuci successores habuerunt, qui deuicto Demetrio Rege Asiæ ex duobus Regnis Syriæ, & Asiæ vnicum fecit Imperium, cuius caput erat Antiochia, quando hæc bina imperia annexa fuere Reipublicæ Romanæ, quæ iamdudum præerat Imperio Occidentali, tunc in Imperio tres fuere primariæ & metropoles ciuitates, duæ subalternæ, nimirum Alexandria caput Imperij meridionalis, seu Ægyptij, & Antiochia caput Orientalis, seu Asiatici Imperij. Et supereminens Roma caput singulare Occidentis, & præfecta prædictis ciuitatibus; taceo enim Charraginem, quæ iamdudum coaluerat in membrum Imperij Occidentis.

His de causis, quando Ecclesia radices sumeret in Asia, Petrus Sedem Episcopalem fixit Antiochiæ, quæ caput erat Orientis, & ibidem septennium commoratus est, & successorem fundauit caput & Patriarcham iurisdictionis Ecclesiasticæ in Asia Orientali.

Hinc Romam venit, quæ caput erat Imperij Occidentalis, & Sedem Episcopalem, per viginti-quinque annos, vsque ad extremum vitæ diē fixit, id eleganter describit S. Leo serm. 1. de SS. Apost. Petro & Paulo. *Iam fundaueras Ecclesiam Antiochiæ, in qua nomen Christiani ortum habuit, iam Pontum, Galaciam, Cappadociam, Asiam, & Bythiniam legibus prædicationis Euangelicæ repleueras.*

Denique Petrus stabilita Antiochiæ præeminentia Ecclesiæ Orientalis & Romæ Occidentalis, considerans superesse vnam capitalem ciuitatem Imperij, nimirum Alexandriam, quæ caput erat Imperij Ægypti designauit & constituit in ea filium suum spiritualem prædilectum Marcum Euangelistam, quem suo nomine Episcopatum, & Sedem Patriarchalem ibi fundare præcepit.

Hinc ergo ortæ sunt tres illæ Patriarchales Sedes respondentes tribus imperialibus, sub quibus generalis vnio Imperij facta erat. Primatum tamen earum Sedium, consequenter & omnium Roma semper habuit, vnde Iustin. & Greg. vocant eam *Caput Ecclesiarum*, & cum agebatur de rebus, quæ iurisdictionem Patriarchalem, seu territorij Patriarchatus excedebant nimirum de iis quæ ad vniuersalem spectabant Ecclesiam, vt sunt dogmata fidei, & Ritus vniuersalis Ecclesiæ, aut depositiones Episcoporum, vel examen sententiarum à Patriarchis emanatarum res tota deuoluebatur ad Episcopum Romanum, quem Conc. Chalced. act. 3. & in acclamationibus ad Leonem vocat, *Patriarcham vniuersalem.*

Anno 570. Istriæ & Liguriæ Episcopi desciuerunt à Pontifice Romano Ioanne III. ob quæstionem de tribus Capitulis, cúmque Paulinus Aquileïensis Episcopus, his omnibus præemineret, placuit iisdem schismaticis illum sibi loco Romani Pontificis, à quo desciuissent constituere supremum Antistitem, quem & Patriarcham nuncupauere. Hinc origo Patriarchatus Aquileïensis, quod nomen eiusdem Ecclesiæ Episcopis retinere bono pacis permissum, postea à Romanis Pontificibus fuisse videtur Patriarchatus recentiùs erecti, in Occidente Venetus, Foroiuliensis, Gradensis, quorum inter duos vltimo nominatos exortam dissensionem anno 719. definiuit Gregorius II. vt videre est apud Baronium.

DE HIERARCHIA Ecclesiastica.

TRADITIO hæc de Hierarchia Ecclesiastica Appendix est Sacramenti Ordinis, quod non tantum facit discriminationem illorum hominum qui pro tota sorte, & hæreditatis suæ parte se totos Dei seruitio & officio voluntariè manciparunt (qui Clerici dicuntur à voce κλῆρος, id est, sors, sicque à populo qui λαὸς vocatur, separati noscuntur, sed & illos qui coaptantur per susceptionem Ordinis in Ecclesiasticorum numerum, ita distinguit, vt sacrum Principatum, seu Hierarchiam quæ definitur, *subordinatio multitudinis ordinata ad vnum principem*, omnes simul faciat, & constituat.

Sicut enim olim non tantùm apud Iudæos sed & apud Gentiles, inter sacra & profana, & inter sacros & non sacros, viros distinctio semper est habita, ita & in Ecclesia Christi idem naturali & diuino iure probatus vsus permansit, Christi Domini imprimis auctoritate stabilitus, dum è fideli populo Apostolos duodecim & discipulos septuaginta duos electos sacris functionibus addixit; & ab Apostolis in vsum receptus, dum ordinarunt. *Episcopos, Presbyteros, Diaconos*, & alios de quibus licet expresśè non meminerit scriptura noui Testamenti institutos ab Apostolis, tamen institutos esse ministros nullus certè negare poterit qui S. Ignatij (vt de Dionysio Areopagita, & Clemente successore Petri taceam) ab omnibus receptas epistolas legerit, quarum vnâ ad Antiochen. mentio habetur. *Presbyterorum Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Cantorum, Ianitorum, Laborantium, & Exorcistarum.* Epiphan. in comp. *Laborantes* illos esse docet quorum officium erat corpora fidelium defunctorum obuoluere, & sepelire qui & *Fossarij*, dicti reperiuntur epist ad Rust. Narbon. apud Hieronym. tom.9. cùm enim eodem tempore quo Apostoli ipsum vixisse constet, quas recenset institutiones Ecclesiasticas non ab aliis quàm ab ipsis Apostolis traditas esse nemo iure inficiabitur, de eorum autem hierarchica subordinatione ita loquitur epist. ad Smirnenses. *Laici Diaconis subyciuntur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri, Episcopis, Episcopus Christo, vt ipse Patri.* Ordinem hierarchicum à Diaconatu auspicatur, quoniam cæterorum inferiorum etsi certum officium, nullum tamen in subiectos erat ius atque potestas, cùm alioqui reliquorum etiam omnium vt vidimus, excepto Acolythorum, meminerit, quem tamen ordinem Gelasius & longè ante ipsum Cornelius Papa apud Euseb. lib.6. hist. cap 33. & Cyprian. epistol.55. recensent.

Præterea nemo ambigit statum Deo singulariter addictum perfectissimi regiminis esse qualis vulgò effertur monarchicus in quo quælibet dignitas ab vno Principe, seu monarcha pendet, & ad ipsum refertur: sicut autem Ecclesia Romana mater est, & Magistra omnium Christianitatis Ecclesiarum, vt singulari Articulo Professionis, 36. habetur, ita Pontifex Romanus Alexander VII. hodie in cathedra Petri legitima electione sedens Pater est Patrum Ecclesiæ, & supremus in spiritualibus quemadmodum Imperator in temporalibus.

Patriarchæ & Eminentissimi Cardinales coniudices orbis terrarum vt nominat eos creans Papa, & successores Apostolorum, circa Thronum eius sedent, sicuti Reges Catholici à latere sunt Imperatoris. Primates quibus subesse solent tres Metropolitæ, repræsentant Principes, seu Pares, vt dicitur Franciæ, Archiepiscopi haberi debent pro Ducibus. Episcopi pro Comitibus Decani, pro Baronibus, Presbyteri, pro nobilibus.

Quantum vero ad forum, seu Tribunal Ecclesiasticum Episcopus est ex officio præsidens ius dicens, & sententiam in causis ferens, cui pro vicegerente adstat Officialis, pro Exquisitore, seu Referendario Archidiaconus, pro Promotore Procurator Fiscalis, cui iurium Ecclesiasticorum, & Sacrorum Canonum obseruantia procuranda incumbit. Denique pro Consiliariis, & Assessoribus præsto sunt Episcopo Rectores, Plebani seu Curati, & ad splendorem Canonici, Dignitates & Personatus Capituli Cathedralis.

Et quidem in Ecclesiast. Christiana nihil augustius, & excellentius Episcopatu, consequenter nemo inter ministros eius dignior, & sublimior Episcopo, qui gregi sibi commisso intendere & prouidere debet; licet enim nomen Episcopi in Ecclesiam inductum sit à Spiritu Sancto vt Actorum 20. Paulus nominat Ecclesiarum Prouinciæ Ephesiæ, pastores quos ipse præfecerat dum per hanc transiret prædicans regnum Dei. *Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Inductum inquam ad curam, & onus quod græcum vocabulum à quo deducitur non obscurè declarat ἐπὶ super σκοπὸς intentio Episcopus ergo est *superintentor* vt vertit D. August. in Psalm. 126. consequenter nomen operis, curæ, & sollicitudinis, tamen cum Christus post filiationem diuinam qua æqualis est Deo, à cura, & redemptione animarum dictus sit Pastor, & Episcopus nomenque quod est super omne nomen dederit ei Pater nomen Iesu, in quod omne genu flectitur, quod interpretatur Saluator, *venit Iesus peccatores saluos facere*, quod Princeps Apostolorum 1. sua epistola exponit Pastor, & Episcopus, *sed conuersi estis nunc ad Episcopum, & Pastorem animarum vestrarum,*

rum, consequenter hoc vocabulo Episcopi nominantur etiam propter dignitatem potestatis quam singulariter acceperunt, quâ maior in Ecclesia haberi nequit, hincque successor ipse Petri qui communi vocabulo Papa dicitur de se loquens nomen aliud non sibi vendicat quàm Episcopi vt videre est in Bullis Apostolicis. *Alexander Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, &c.* Et idipsum præ cæteris titulis Concilia Oecumenica, prætulere. Concil. Ephesinum Cœlestino I. *Episcopus Sedis Apostolicæ sanctus & cum adoratione vocatus.* Concilium Chalced. actione I. Leon. *Sanctissimus Episcopus Romanæ Ecclesiæ*, & Actor 3. *Sanctissimus Romanæ Sedis magnæ Romæ Episcopus Leo.*

Hierarchiæ ergo Ecclesiasticæ sublimior, illustrior, & magis venerabilis persona est Episcopus, quod sanè intelligi potest ex tot, & tantis consecrationis eius ceremoniis, & cum ipse inuigilet, & superintendat animabus, dignum, & iustum est vt subalternæ dignitates ad Episcopatum referantur, & omnes Episcopi supremo eorum seu Episcopo Episcoporum Romano scilicet Pontifici. His ergo ita constitutis Papa præest, adstant à latere Episcopi, his subsunt Presbyteri, Presbyteris Diaconi, his Hypodiaconi, & sic de cæteris; perstátque Sacer Ecclesiæ (quæ Cant. 4. *Castrorum acies ordinata* 1. Corinth. 12. *Vnum corpus multa habens membra, & diuisiones ministrationum*, dicitur) principatus à Christo & Apostolis ordinatus.

DIces: Papa præfert Cardinales quos Eminentissimi nomine donauit ipsis Episcopis; Ergo dignitas Episcopalis minor est Cardinalitia vel confunditur Hierarchia.

Respondeo, non semper eatenus illuxisse splendorem Cardinalium sed Episcopatui sat inferiorem fuisse, & forte ea est ratio cur Papa Episcopos vocat fratres venerabiles? Cardinales autem filios dilectos: ratione enim Ordinis & potestatis spiritualis Episcopus maior est Cardinale non Episcopo, nam Episcopus ordinat Presbyteros, confirmat baptizatos, aliáque id genus facit, quæ Cardinales Presbyteri, vel Diaconi facere nequeunt. At si spectetur regimen Ecclesiæ vniuersalis Episcopo supremo nimirum Papæ commissum, Cardinales qui ab ipso sibi cooperatores coniudicésque assumpti sunt, quique electionem summi Pontificis faciunt, iure optimo vt sic, Episcopis prælucent, in quorum admissione, & creatione vota consistorialiter vocati à Papa dare solent. Vide de Cardin.

DIces nomina Apostolorum, Episcoporum, & Presbyterorum indiscriminatim & confusè accipiuntur in scriptura, & vnum pro altero indifferenter ponitur; Ergo Episcopus non est maior Presbytero, neque Apostolus maior Episcopo, consequenter nec Papa qui Petri in Apostolatu Vicarius præsupponitur, præferendus est alteri Episcopo.

Antecedens patet, primò ex Act. 1. vbi Petrus quod in Psalm. 108. scriptum erat de Episcopatu, *& Episcopatum eius accipiat alter*, hoc ad Iudæ Apostolatum esse referendum intulit, vnde planè constat Mathiam qui in Iudæ Episcopatum subrogatus est, æquè esse dictum Episcopum sicuti Apostolum; eodemque modo & cæteros Apostolos; quòd vna esset omnium dignitas atque potestas: ac tunc præsertim cùm ipsi alicuius ciuitatis Ecclesiam, in qua functiones Episcopales exercerent administrandam susciperent; quemadmodum & Iacobum Apostolum statim post Ascensionem Domini ordinatum esse Hierosolymorum Episcopum legimus.

Sicut autem Apostoli reperiuntur dicti Episcopi; ita qui Ecclesiis præficiebantur Episcopi, eosdem nominatos esse Apostolos non solùm extant in sacris litteris exempla de Epaphrodito Philippens. 2. vers. 25. *Necessarium existimaui Epaphroditum fratrem, & cooperatorem & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum mittere ad vos*, Apostolum, id est, Episcopum inquit Theodoret. & Baronius de Andronico & Iunica Rom. 10. *Qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo*, & aliis, sed etiam frequentia exempla in scriptis SS. Patrum. Et secundùm eandem analogiam, quòd & Presbyteri præfecti essent Fidelium curæ, iidem etiam ex parte dicti reperiuntur Episcopi: itémque quòd Episcopi eligerentur ex Presbyterorum collegio, iidem nominati sunt Presbyteri: ac denique quod & ipsi Apostoli æquè essent Presbyteri & Diaconi, eâdem quoque appellatione sunt aliquando nuncupati, vt de iis omnibus constat cæterùm reipsâ distinctos fuisse omnino Presbyteros & Diaconos ab ipsis Apostolis Lucas Actor. 6. 15. & 16. satis superque declarat dum sæpius Seniores distinctè coniungit Apostolis, & Diaconos separatim ab ipsis Apostolis consecratos esse scribit. Porrò quos *Seniores*, dicit eosdem fuisse Presbyteros, non tantum nomen sed & res ipsa demonstrat.

Quòd igitur par esset (quantùm ad Sacerdotium spectat) Apostolorum eorumdémque Episcoporum, atque Presbyterorum ordinatio, pariterque isti cum illis Concilio considerent, quodque communicatio nominum inter eos videretur esse communis, factum est (vt ait Hieronym. in epist. ad Tit. 1.) vt eo perseuerante ordine ante oborta schismata communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernarentur. Postea verò illud venisse subdit consuetudine potius quàm dispositione Dominica vt in administrandis rebus Ecclesiasticis Presbyteri subiecti essent Episcopis, quibus solis cessisset illarum cura præcipua; nec presbyteri ampliùs ad communem consessum, vbi de rebus grauioribus vniuersæ Ecclesiæ ageretur essent admissi, sed illi soli qui ex Presbyterorum collegio in Episcopos essent assumpti. Verùm, & hæc ipsa consuetudo ipsis Apostolorum cœpit temporibus, & eorum est authoritate firmata. Nam cùm Paulus primo Timotheus quinto. Timotheum creatum Episcopum Ephesinum, moneat ne aduersus presbyterum accusationem recipiat, nisi sub duobus aut tribus testibus; planè euidenter demonstrat Timothei Episcopi fuisse munus presbyteros iudicare ac proinde illis authoritate ac dignitate præstitisse; cum par in parem non habere imperium, vulgatum sit omnibus. Qua etiam ratione in hac ipsa de qua agimus Epistola ad Titum cap. 3. Paulus admonet Titum Cretensem Episco-

pum constituere per ciuitates Presbyteros; quos appellat sicut & aliis locis vt 1. Timot. 3. Episcopos: Ac denique Ignatius qui Apostolorum temporibus administrabat Ecclesiam, Antiochenam, nec aliud scripsit, quàm quæ essent ab illis in Ecclesia Catholica, ordinata dum hierarchicum Ecclesiæ Ordinem sæpe commemorat, presbyteros esse subiectos Episcopis absque aliqua dubitatione testatur; magnámque insuper vtriusque status, & gradus differentiam esse demonstrat, dum Episcopum Christo, Presbyteros verò Apostolis comparat vide epist. ad Tursen. Philadelphos, Smyrn. Ad hæc multa ex aliorum SS. Patrum sententia, & ex Conciliorum decretis addenda essent, sed hæc ad obiectionem de Presbyterorum & Episcoporum æqualitate, & promiscua appellatione sufficiant.

Dices contra supremum principis titulum à Romano Pontifice prætenum Petrus cuius ipse successor dicitur, missus est ab Apostolis Act. 8. ad Samaritanos vt conuersis manus imponeret, & sic Spiritum Sanctum acciperent. Sed qui mittitur, mittente inferior censetur, aut certè non superior.

Respond. in diuinis Filium mitti à Patre, dicere autem eo minorem esse, hæresis est Arriana, cum symbolum consubstantialem ipsi esse asserat. Insuper constat ex scripturæ diuinæ, nec non & profanæ exemplis, ad ea quæ maximi visa sunt momenti, missos Legatos qui inter cæteros primatum gererent; cùm ipsi non sic quidem mitti dicerentur, quasi à maioribus minores, & vt à Domino subditi; sed quòd rogarentur ob salutem omnium hanc suscipere functionem, quos ob authoritatem quâ cunctis præpollerent cunctorum deceret gerere curam. Idem hodie quotidianus vbique notatur vsus. In casu autem qui obiicitur notatur præeminentia Petri, quia Samaritanorum causa non ita facilis credebatur vt alij cuipiam quàm Apostolorum Principi crederetur, videlicet vt cui potissimùm Claues essent traditæ, ipse primus Samaritis sicut & postea fecit Gentibus, Ecclesiæ ostium reseraret, quippe de vtrisque præceptum Dominus dederat Matth. 10. *In viam Gentium & in ciuitates Samaritanorum ne intrarent.* Quod tamen sic intelligendum est, non vt omnino non irent (sed quod continuò subditur) vt *potius* hoc est priùs irent, *ad oues quæ perierant domus Israël.*

His itaque constitutis stat Traditio Apostolica de subordinatione Ministrorum Cleri, in quibus est, & prælatio dignitatis & inferioritas seu ad primam subiectio. Et hoc facit Hierarchiam Ecclesiasticam. Vnde est Canon. 6. sess. 23. Conc. Trident. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris anathema sit.*



DE COELIBATV Clericorum.

Ecclesiastico iure nequaquam autem diuino, annexum esse Cœlibatum Sacris ordinibus ita vt Clerici in sacris, nec vxores ducere nec antea ductis liceat eis vti post ordinationem, non incompertum est Catholico iuris canonici non penitùs ignato.

Id autem ita statuit Ecclesia, quia sic faciendum insinuauit Apostolica Traditio: licet enim aliquot annis post Apostolos admissi sint ad Ordines sacros viri coniugati, & quidem non promiscuè verum selecti qui vnam dumtaxat duxissent vxorem vt verba Pauli 1. Timot. 3. & ad Tit. 1. *Vnius vxoris vir* ferre volunt Expositores, qui communiter de Monogamo interpretantur sicut eum desidua dixit, *vnius viri vxor*, id factum est, non vt in posterum seruaretur in Ecclesia, sed ob inopiam, & raritatem eorum qui tunc vitam cœlibem agebant; castitas enim passim erat ignota ante Christi aduentum; Iudæis in contemptum & opprobrium; Gentilibus criminosa; nam Lex imperij Romani pro reparatione hominum extinctorum in bellis ciuilibus pœnam decernebat in eos qui prætergressi essent annum vigesimum quintum extra nuptias, & priuilegia dabat iis qui plures filios habebant, lexque particularis Cretæ vbi Titus ad quem Paulus scribebat de ordinandis presbyteris, commorabatur statuebat vt in vigesimo anno vir vxorem duceret. Hinc est quod Ecclesia tunc cogebatur, acceptare vxoratos, si tamen monogami, quos contigit etiam cœlibibus aliquando præpositos ob eorum spectatissimos mores, ea tamen lege, vt quantumlibet necessitate cogente assumerentur consentiente primùm vxore, sic electi desinerent prorsus vsu coniugij esse viri, *nec posset omnino*, vt ait Hieronymus lib. 1. aduers. Iouin. & epist. 50. ad Pammach. *esse Episcopus, qui in Episcopatu filios faceret.* Anno 355. Hilarius prouecta ætate factus Christianus, aliquo temporis interlapso spatio defuncto Pictauiensis ciuitatis cuius ipse ciuis erat Episcopo, miro vniuersorum consensu fuit eius Sedis electus Antistes, quantumlibet vt scribit Fortunat. in eius vita coniugatus esset, & filiam vnam Apram nomine haberet, desiisse autem tunc esse maritum quis dubitet? cum ex epist. eius ad filiam constet expetiisse virginem Deo dicare. At ex quo Constantinus Imperator concessit priuilegia non vxoratis, aut vitam cœlibem profitentibus, quæ Romanæ leges dabant iis qui sexdecim filios habebant, Ecclesia inueniens multò plures qui cœlibes erant potuit omittere vxoratos

S. Hilarius factus Episcopus Pictauiensis viuente vxore.

vxoratos & eligere cœlibes, vel si quos eorum vsurpabat, potuit eos ad Canonum rigorem circa abstinentiam ab vxore, obligare.

Rationes introducendi Cœlibatus Ecclesiastici hæ inter alias notantur Exemplum & Traditio Apostorum. De primo Paulus adducitur qui 1. Corinth. 7. ait *Volo omnes vos esse sicut meipsum*, tum Apostoli dicunt Matth. 9. se reliquisse omnia, & Christus respondet etiam de vxoribus, *qui reliquerit domum, patrem vel vxorem, aut filios propter me centuplum accipiet, & vitam æternum possidebit*, certè qui ex Apostolis vxores habebant, continentiam seruasse illis relictis constat. Traditio exprimitur in Canone 27. Apostolorum. *In nuptiis autem qui ad Clerum prouecti sunt præcipimus vt si voluerint accipiant vxores, sed Lectores Cantoresque tantummodò*, qui Canon. refertur à S.Clemente lib. 6. Const. Apost. cap. 17. Quotquot autem post Apostolos Concilia statuerunt de vita & moribus sacerdotum idem tanquam acceptum ab Apostolis tradiderunt: nec quisquam est Patrum Catholicorum qui totis mille, & quingentis annis aliter, vel scripsisse, vel sensisse legatur: quin potiùs hæreseos damnati qui secus affirmare ausi fuissent. Huius Canonis authoritate Patres Trullani, & Chartaginenses prohibuerunt hypodiaconis matrimonia, quam legem 6. Paphnutius in Synodo Nicæna, vt refert Sozomenus lib. 1. cap. 3. appellauit, *antiquam Ecclesiæ Traditionem*, in cuius Traditionis vim Syluester Papa in Conc. Romano vno anno ante Nicænum cum ducentis septuaginta quinque Episcopis & Constantino Imp. præsente decreuit cap. 8. vt nullus subdiaconus ad nuptias transeat.

Et quamuis Ancyrana Synodus 17. annis ante Nicænam facta, hoc est anno Christi 308. confirmans legem de cœlibatu omni ab æuo in Ecclesia obseruatam exemisset nihilominus Diaconos ab illa, illos scilicet qui cum ordinarentur inuiti fuissent contestati se non posse continentes viuere, tamen non diù post maxima illa 318. Episcoporum, & sanctissima Synodus Oecumenica Nicæna prima omnibus indistinctè sacris ministris omnimodum vsum vxorum, & consortium prohibuit, etiam earum quas ante ordines habuissent, vt quid enim aliter fecisset? quæ intelligebat Romanum Concilium à Syluestro Papa 284. Episcoporum collectum, & præsente Constantino recèns conuerso ad Christianismum celebratum statuisse anno præcedenti, id est 324. *vt nullus subdiaconus ad nuptias transiret*: quare canone sancito Nicæna Synodus sic habet. *Omnibus modis interdixit sancta Synodus neque Episcopo neque Presbytero neque Diacono, neque vlli Clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam nisi fortè mater, aut soror, aut auia amita vel matertera sit. In his namque solis personis, & harum similibus omnis quæ ex mulieribus est suspicio declinatur. Qui autem præter hæc agit periclitatur de Clero.*

Quod autem quinquaginta annis post hæc tempora Socrates lib. 2. hist. cap. 8. & Sozomenus lib. 1. cap. 22. scripserunt, Paphnutium Episcopum celeberrimum in Ægypto intercessisse vt clerici qui ante ordinationem coniugati erant, suis possent vti vxoribus, eiusque sententiæ Synodum acquieuisse: hæc quomodo iidem authores dicere possunt, si ea ipsi Concilij canoni aduersari sit perspicuum? certè enim cum expressæ in eo habeantur fœminæ quibuscum permittantur Clerici habitare, nec inter eas recenseatur vxor, planè & ipsa exclusa esse conspicitur. Cæterùm si velimus Socratem, & Sozomenum non esse mentitos, de illis dumtaxat illam controuersiam agitatam dicemus, qui cum ordinarentur inuiti, contestarentur se non posse continere, quibus in Concilio Ancyrano fuerat non diu ante prospectum.

Omnia vbique terrarum Concilia Nicænum consequentia cœlibatum impetant, idem decernunt summi Pontifices.

Postmodum Iustinianus Imperator agnoscens se illarum rerum Ecclesiasticarum executorem, quæ à Conciliis Episcoporum institutæ essent, sanciuit circa annum 535. legibus suis pœnas Diaconis & Subdiaconis qui vxores duxissent.

Cæterùm quia posterioribus sæculis quæ est malitia hominum, plerique Sacerdotes, aut Subdiaconi eo quòd dicerent sibi de voto continentiæ nihil in mentem venisse, cùm ad sacros ordines promouerentur, putarunt sibi impunè tutàq; conscientia permitti vxores, necessarium fuit Ecclesiam præter votum quod Apostoli ordinibus sacris adiungendum duxerant, iisdem adimere habilitatem, & ius contrahendi matrimonium, vt quacumque tandem mente suscepti essent Ordines sacri, semper irrita haberentur matrimonia quæ Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi iniuissent, sicut eiusdem Ecclesiæ authoritate ea nulla sunt quæ inter consanguineos, vel affines contrahuntur. Extat apud Gratian. decretum Calixti Papæ anno 1120. *Presbyteris Diaconis, & Subdiaconis & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus: contracta quoque ab huiusmodi personis disiungi & personas ad pœnitentiam redigi iuxta sacrorum Canonum definitionem iudicamus.*

Ex voto annexo Ordinibus sacris resultat necessaria eius obseruatio, nam de his qui vota violare ausi fuerint Paulus scribit 1. Timoth. 5. *Habentes damnationem qui primam fidem irritam fecerunt.* Ex hac obligatione obseruandi votum sequitur Sacerdotem grauiùs peccare si contrahat matrimonium quàm si fornicetur, aut concubinam domi foueat, licet grauissimo se obstringat sacrilegio: sicut grauius est peccatum si quis vxore dimissa aliam sibi publico matrimonio iungat, quàm si neglecta vxore maritatus vagâ libidine se polluat, vel cum stabili scorto adulteret, nam grauitas huius peccati cernitur in hoc primò quòd fiat iniuria primo matrimonio, secundò quòd vxor per insuperinductam grauiùs læditur: Tertiò quia per publicum hunc cum adultera contractum inuerecundiùs maiorique cum ostentatione & scandalo peccatur; Quartò quia publica ista fides & promissio indicat animum in peccato obfirmatum, qui non per imbecillitatem, sed deliberatè scelus committit. Pari modo Sacerdotes qui nuptias ineunt, primò iniuriam faciunt voto castitatis quod Deo nuncuparunt, secundò grauiùs Ecclesiam vulnerant cum qua tanquam sponsi sunt copulati. Tertiò

inuerecundiùs scortantur cum ea quam pro sua volunt haberi. Quartò hæretici habentur, vel sunt habendi, eò quòd arbitrentur esse nuptias quæ nuptiæ non sunt, sed omnibus adulteriis peiora sacrilegia.

Hæc lex Ecclesiastica de Cœlibatu semper viguit in Ecclesia Occidentali nisi quòd aliquantulum neglecta fuit in aliquibus locis. Non tamen viguit in Ecclesia Orientali, nam Græci tametsi post susceptos Ordines non soliti sint vxores ducere, tamen si antea duxerint, possunt Ordines suscipere, & simul vxores retinere, nec tenentur ab earum consortio abstinere nisi tempore vicis suæ, sicut in veteri Testamento factum legimus Canon. 6. Concilij vt fertur sexti generalis, sic habet. *Decernimus vt deinceps nulli Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem coniugium contrahere liceat. Si autem hoc facere ausus fuerit deponatur. Si quis autem eorum qui in clerum accedunt velit lege matrimonij mulieri coniungi antequam hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, hoc faciat*, nihil hic de Episcopis agitur quia canon. 12. *Iubet omnino antistites postquam sunt ordinati à propriis vxoribus secedere*, non tantùm vetat dormire cum illis seu actum coniugalem exercere, sed manere, & conuersari ait Zonaras. Græci ergo in vim constitutionis istius vtuntur vxoribus prius ductis, hodie vero nullus ad Episcopatum admittitur qui vota monastices non emiserit, & sit religiosus priúsque cœlibatum vouerit. Basiliani instituti pene omnes sunt.

Nota sextam Synodum Constantinop. absolutam fuisse indictione decima inchoante seu anno 681. illámque nullos edidisse Canones, sed decem post annis hoc est 692. initum est à Callinico Constantinop. Episcopo Conciliabulum 22. Patrum in Trullo seu regij Palatij parte sic dicta, in quo, nomine sextæ Synodi sanciti sunt 103. Canones; quot nunquam hactenus in aliquo Concilio Oecumenico conditi reperiuntur. Conciliabulum dixi seu vt Sergius Papa vocauit, *erraticam Synodum*, huic enim Papa nec per se nec per legatos interfuit; quomodo autem generalis dici potest ad quam ne vnus quidem Latinorum vocatus est, vbi multa contra iugem Ecclesiæ Catholicæ traditionem, & SS. Patrum doctrinam decreta fuere, quæ authoritas Apostolica sæpius tentata, & ab Imper. Iustiniano iuniore à Sergio Papa minaciter requisita, non tantum non approbauit, sed reijcienda esse decreuit, quæque tres sedes Patriarchales Antiochena, Alex. Hierosolym. nusquam admittere noluerunt. Vnde quàm falsò. *Quini-sextam*, quasi repleuerit quod quintæ, & sextæ Synodo deerat, vocari voluerint Græci hanc pseudosynodum sat superque constat, verum quamuis eadem S. R. Ecclesia eos canones semper auersata sit vtpote quos Traditionibus Patrum, & antiquorum Conciliorum decretis contrarios in plurimis esse nouit; tolerauit tamen multa in Græcis putà connubia Clericorum, & alia eiusmodi, quamdiu Catholicæ fidei, & Ecclesiæ vnitati non sunt aduersari. Sed qui tantâ procaciâ inter alia mala confregêre iugum à Patribus custoditum Ecclesiastici cœlibatus, iidem, & in reliquis sunt in deterius prolapsi hæresim, vel schisma, quibus ab Ecclesia Catholica & Orthodoxa sunt diuisi. Hæc ad plenam Lectoris informationem notanda erant, cui quas omitto alias inducendi cœlibatus rationes suggeret litteratura, si interea perpendat Clericum debere vacare Lectioni, Ecclesiastica bona administrare, Auaritiam deuitare, quæ omnia si filios habeat non attendet, imò nec secretum confessionis seruabit vxore requirente, vt patet in Samsone Iudith. 16. qui Dalilæ cum periculo vitæ cessit.

Dices matrimonium est Sacramentum conferens gratiam, non igitur negandum est Sacerdotibus, eo maximè quòd à Paulo vocetur Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.*

Respondeo non prohiberi Ecclesiasticis matrimonium quia sanctum est, nouæque legis Sacramentum, etsi tale non admittant Nouatores, sed propter aliud quod est illi annexum, coniunctionem inquam carnalem quæ ex se tam fœda est vt sanctitate Sacramenti egeat, quâ sanctificetur, & animum hominis ad inferiora deprimit, vt minùs idoneus sit cœlestia meditari atque tractare, vnde Deus Israëli continentiam præscripsit pro dispositione congrua ad legem recipiendam, *estote parati in diem tertium & ne appropinquetis vxoribus vestris.* ait Moses nuntius Dei Exod. 19. Illud autem Pauli, *in omnibus* non intelligitur de personis vt exponunt Lutherus & Beza sic enim sequeretur etiam inter fratres & sorores matres, & filios patres, & filios honorabile esse connubium.

Theophylact. placet expositio *in omnibus*, supple, legitimè coniunctis quicumque illi sint siue senes siue iuuenes, diuites, vel pauperes, Græci siue Iudæi, vel audi Chrysost. exponentem *est* imperatiuè *sit*, est enim præceptum quod datur coniugibus q.d. *in omnibus*, id est in omni re seruate honestatem, decus, & honorem conjugij vestri, *vt thorus sit immaculatus*, & hoc enim præceptum dari coniugatis conuincunt verba sequentia, *fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus*; fornicationis meminit Apostolus, quia plerique licitam eam putabant vnde ab Apostolis expressè prohiberi debuit Act. 15. v. 20. & hic Heb. 13. tum matrimonio annexa est sollicitudo & diuisio mentis vt docet Paulus, quare ineptum est Sacerdoti. Addo, talis est Lex Ecclesiastica non quidem reprobans nuptias quasi sint malæ ex se, quas sanctas esse docet, sed damnat eas in illis qui sponte sua sibi ademerunt, facultatem nubendi.

Dices 1. Cor. 9. nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini, & Cephas, ergo Clerici possunt habere consortium mulierum.

Respond. constare ex ipso textu agi de mulieribus quæ Apostolis ministrabant necessaria ad vitam, vsus ille communis erat Apostolis solus Paulus cum Barnaba iis non vtebatur. Sic respondet Hieronym. aduersus Iouinian. Sic Christo ministrauerunt, *mulieres quæ sequebantur.*

Instabis Canon Apostolorum 6. ita habet, *Episcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam*

quaquam sub obtentu religionis obÿciat: si verò reiecerit excommunicetur; sed si perseuerauerit deÿciatur.

Respondeo nihil hic de ineundo à Sacerdotibus matrimonio dici, sed quia primis temporibus vxorati assumpti fuerunt, illis præcipitur non vsus maritalis sed cura & prouidentia erga iam ductam vxorem, cui etsi dimissæ Sacerdos de alimentis & aliis ad vitam necessariis prouidere tenetur. B. Leo Papa videtur ad hunc canonem respexisse cum ita scribit Rustico Episcopo Narbonensi epist. 92. *Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris; qui cum essent Laici, siue Lectores, licitè, & vxores ducere & filios procreare potuerunt. Sed cum ad predictos peruenerint gradus, cæpit iis non licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat spirituale coniugium oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant, sic habere, quò & salua sit charitas coniugiorum, & cessent opera nuptiarum.*

Instabis in veteri Test. permissũ erat Sacerdotibus matrimonia inire & filios procreare; Ergo idem licitum esse debet in nouo Test ne videamur imponere onus grauius quàm fuerit lex Mosaica, & lapis offensionis opponatur Clerico; vnusquisque enim tentatur à concupiscentia, constàtque multos ob Cœlibatus institutum, vel cecidisse, vel à statu clericatus abstinuisse, imò & abhorruisse. Primum probatur in primo sæculo ex miserabili casu Nicolai Antiocheni, vno ex septem primis Diaconis, qui vt referunt Irenæus lib. 1. cap. 27. Tertull. de præscript. Hilar. in Matth. 25. Epiph. hæres. 25. & complures alij cum post susceptum Diaconatum, ad imitationem eorum quos Deo addictos videbat, ab vxore, quam formosam habebat se continuisset, & à concupiscentia superatus eam iterum superinduxisset, eáque de re argueretur ab Apostolis, mox sordidissimam hæresim excogitauit qua asserebat necessarium esse ad salutem consequendam quotidie inquinari luxuriis. Vnde orta est secta Nicolaitarum quæ in Gnosticos quæsito specioso nomine à sapientia conuersa est. Scio equidem probatos authores vindicare ab hæresi Nicolaum quem Episcopum Samaritanorum ab Apostolis factum virumque probatissimum scribunt: vnum tamen indubium est vxorem superinduxisse. Quot Ecclesiastici & Monachi apostatarunt à fide propter incontinentiam, cui pro remedio indictum erat matrimonium. Andreas Carlostadius intimus Luthero Archidiaconus Vvitembergi in Saxia publicè matrimonium iniit, & vnde Vvitemburgenses Lutherani in laudem illius tunc primum vxorati Missam ediderunt cuius hæc est Collecta, *Deus qui post longam & tam impiam Sacerdotum cecitatem beatum Andream Carlostadium ea gratia donare dignatus es, vt primus nulla habita Papastici iuris ratione vxorẽ ducere ausus fuerit: da quæsumus vt omnes Sacerdotes recepta sana mente huius vestigia sequentes eiectis concubinis, aut ÿsdem ductis ad legitimi consortium thori conuertantur.* Certè cœlibatus seu reiectio matrimonij à Deo in remedium concupiscentiæ hominibus dati frequentia parit in Ecclesia scandala.

Respondeo magnum esse discrimen inter Mosaicos Sacerdotes & Euangelicos. Primò illi ad certam tribum alligati debebant initis matrimoniis progignere successores, nostrum Sacerdotium non carnali propagatione, sed diuina consecratione transmittitur ad posteros. Secundò illi immolabant belluinas carnes, nostri offerunt diuinum corpus & sanguinem, vnigeniti filij Dei. Tertiò illi rariùs ad sanctificandum accedebant, tempore nimirum vicis suæ, & tunc tamen congressu vxorum, & potione vini abstinendum fuit: nostri quotidie sacris mysteriis sacrificiorum, orationum, & Sacramentorum peragendis incumbunt. Denique lex illa rudior fuit: nostra lex spiritualis. Quocirca non est incommodum si in lege Euangelica sint præcepta quædam carni molesta, quæ spiritui grata sunt & leuia, & hæc enim dici non debent molesta & grauia, quia & animum hominis mira suauitate quando implentur perfundant, & vt perferantur non deest vberrima gratia & auxilium Dei qui apud Oseam 11. ita promisit. *Ego quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Homini onusto, si ipse portetur minus grauis est sarcina: si vero etiam ab alio sustentetur vel nihil, vel parum molestiæ adferet baiulo.

Scandala quæ in dies occurrunt non sunt imputanda legi de obseruando Cœlibatu, sed dissolutioni, & relaxationi hominum. Adde quod non minora ab vxoratis perpetrantur, inter quos & ex quibus effrænatæ impudicitiæ frequentiora, notantur exempla: vni viro legitimæ vxoris consortium plerumque libidinis æstum non extinguit, qui post alienas initiare non cohibetur vt legimus de viro alioquin probatissimo Dauide, qui adulterio, raptuque & homicidio contaminatus legitur: trecentæ Reginæ Salomonem ab illegitimis amplexibus, & septingentarum concubinarum grege non arcuerunt, vsu augetur venus, nisi gratia Sacramenti matrimonialis obstet. Non me latet continentiam esse singulare Dei donum vt Sapient. 8. dicitur. At licitè vouetur confidendo de promisso auxilio diuino, nec arguendi sunt vouentes præsumptionis, fidelis est enim Deus qui non patitur supra modum seruos suos tentari, sicut autem filius in regione peregrina destitutus subsidiis & opibus mutuum accipit, & soluere promittit confisus de Patris sui amantissimi, & opulentissimi liberalitate; Ita Christianus specialiter verò clericus, confisus de misericordia eius quem scit castitate delectari, & piorum in se fiducia gaudere, votum nuncupat cum gratia adimplendum ad quod inuitus nemo inducitur.

DE

DE VESTITV CLERICORVM.



Estis Clericorum antiquitùs erat talaris, vnde & Caracalla erat dicta, teste Beda de gestis Anglorum libro. 1. cap. 7. Baronius notat Christianos, vt plurimum candidis vsos vestimentis: postea pullas, seu nigras assumpsisse, & ideò Sanctus Antonius martyrij cupidus vestimenta alba induit, vt cognosceretur esse Christianus. Ita scribit Sanctus Athanasius in eius vita. Tamen Hieronymus Epistola 3. ad Nepotianum scribens de vita Clericorum. Monet Clericos vestes pullas æquè deuitare, vt candidas, vnde & admoneri videmur Clericorum dignum tunc habitum fuisse coloris castanei & violacei, qui vltimus retentus est vsque hodie ab eis, qui familiæ sunt Romani Pontificis, & quibusdam aliis, vt omittamus Episcopos, illis exceptis, qui ab Ordine religioso assumpti sunt, cuius colorem dimittere non debent. Irrepsisse verò color niger, (quem Monachorum fuisse ab initio constat ex Hieronymo Epistola 2. ad Marcellum, & libro aduersùs Iouinianum.) in Clerum videtur, quando Monachismus admissus est à Clericis in Ecclesiis & ex Monachis Episcopi creati sunt anno 328. Cæterùm omnes vbique Christianos tempore Baptismi candidis amiciri solitos vestimentis, cùm innumera Patrum testimonia de his suppetunt, tum Libri Rituales antiqui apertissimè docent. Hodie color niger videtur reseruatus Ecclesiasticis ob modestiam, quam præ se ferre notatur, & ob grauitatem vestis assumitur talaris, licet in Clericis peregrinis & rusticanis tolerandæ sint vestes breuiores, non tamen supra medium crus, vt notat Homobonus tractat. 4. quæst. 145. Vestis autem & tonsura sunt sibi inuicem correlata, vestis maximè, quæ distinctionem à Laïco ostendit, quæ iure naturali, & diuino inducta est & iniuncta Clericis, quos professio discriminat à populo. Extat Bulla Sixti Papæ V. contra non ferentes habitum & tonsuram adhibitis grauissimis pœnis, licet autem ij qui sola prima tonsura sunt initiati dispensentur ex vsu communi inducto his nouissimis temporibus à veste clericali, eáque fusca, tamen certum est Clericos beneficia obtinentes, aut sacris Ordinibus initiatos obligari ad coronam, & habitum Clericalem, vt exprimitur in Concilio Tridentino sessione 14. capite 6. Quod suspensionis pœnam decernit in contrafacientes, hincque Doctores docent incurri peccatum mortale, si notabili tempore tonsura, aut habitus non feratur. Breuis autem vestis itineris causa gestari potest, verbi gratia, sotanella, hac enim sufficienter distinguitur Clericus à Laïco, accedente præsertim Tonsura.

DE

DE VARIO RITV Orandi Deum.



TABILITIS iam penè omnibus, quæ Traditio Apostolica, vel Ecclesiastica exigit, aut parat, & obseruat in Templis, vel Oratoriis ad diuinum Officium publicè à Clericis nomine totius Ecclesiæ ritè persoluendum, vel ad precationem priuatam more Catholico faciendam; restat hîc varios Ritus in ea solitos obseruari, & antiquitate testatos afferre, sicùt enim distincta sunt à Patribus tempora pro ratione diuinorum Mysteriorum, ità distincti fuere in Ecclesia *Precandi Ritus*.

Iam notaui in Traditione de Ecclesiis penes antiquos Christianos inuiolabiliter obseruatum, vt ad Orientem conuersi funderent Deo preces quod ipsis traditum esse ab Apostolis complurium antiquorum Patrum testimonio comprobatur. Tertullian. Apologetic. capit. 16. Iustin. quæst. 118. Origenes homilia 5. in Numeros. Athanasius libro 9. quæst 14. Cùm vero istius ritus occasione in nonnullos clanculum superstitio quædam irrepsisset; ne quid ea in re commune cum Gentilibus aut Priscillinistis, qui Solem Orientem adorare consueuerant Fideles haberent Sanctus Leo Papa sermone 7. de Natiuitate ab eo ritu abstinere iussit. Iam de vario situ corporis aliquid profero

Præsupposita Theologorum doctrina, quod attentio mentis & reuerentia, quæ in Scriptura *timor & tremor* in conspectu Dei necessariò exigatur. *Psallam spiritu psallam & mente*, ait Apostolus 1. Corinth. 14. *Seruite Domino in timore & tremore*, ait Regius Propheta Psal. 2. & Psalm. 5. *Adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo*, vt totus homo impendatur, & humilietur coram Deo, varij eius situs in oratione notantur in Scriptura, & pro temporis opportunitate & orantis dispositione, & affectu acceptabiles notantur in Scriptura.

Sedendo orare, probatur ex Scriptura, Deuteronom. 6. *Meditaberis sedens in domo tua.* Interpres Psalmi 136. notat hanc positionem corporis aptam esse contemplationi *ad rerum cælestium meditationem*, inquit, *debemus sedere*, vt Israëlitæ super flumina Babylonis, de quibus loquens Ieremias cap. 2. *Sederunt in terra, conticuerunt senes.* Beata Virgo & Apostoli expectantes aduentum Spiritus-Sancti, *erant sedentes*: Quod exponitur orantes sedendo, sic Paulus cum discipulis suis Antiochiæ *ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt.* Act. 13.

Sessio attentioni plurimum confert; corpus enim quod aggrauat animam, nisi sit in commodo situ cito defatigatur, & mentem auertit, hinc ad Orationem, ad Lectiones, & ad verbi diuini prædicationem sedere moris est, idcóque sedilibus Chorus Canonicorum instructus vbique Ecclesiarum & Oratoriorum notatur.

Stando orare, præscribit Scriptura, Numerorum 4. *Stent Leuitæ & ministrent in tabernaculo fœderis.* Sicque orabat & ministrabat Zacharias, cùm *apparuit illi Angelus Domini à dextris altaris incensi.* Luc. 1. Deus ipse hunc situm in colloquio quod cum Mose habuit, præscripsit Deuteronom. 5. *Tu vero hic sta mecum, & loquar tibi mandata mea.* Apocalyp. 7. & 9. *Angeli sunt stantes ante thronum Dei*: Stare siquidem coram Deo, aut superiore, singulare habetur reuerentiæ iudicium. sic 1. Regum 16. *Venit Dauid ad Saül, & stetit coram eo.*

Ritus iste singulariter obseruatur ab Ecclesi. die Dominico, quòd ille Resurrectioni Domini sit consecratus; vnde ex antiqua Traditione à Pascha vsque ad Pentecostem orare, stando solitum est, quam ab Apostolis emanasse testes sunt Tertullianus de corona militari capite 3. & Author quæstionum apud Iustinum quæstione 111.

Flexis genibus orare, & adorare consueuerunt Iudæi, nec non & Gentiles primum intelligo ex Paulo, qui Mileti & Tyri patrio ritu positis genibus adorauit. 1. Corinthior. 11. Secundum constat ex adoratione quam Reges Orientis Christo nato exhibuerunt. *Venimus adorare, & procidentes adorauerunt eum*, *Matth.* 2. Id autem sic in oratione faciendum prædixerat Esaias cap. 45. *Mihi curuabitur omne genu.* quod & Paulus ad Philippens. 2. iubet. *In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum.* Flectere genu corporis est infirmitatem & subjectionem, nec non & dependentiam propriam declarare, & profiteri, quod palam, & in occulto orantes Christiani facere consueuerunt ad exemplum Pauli qui Ephes. 3. dicit. *Flecto genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi*, obsequentes Ecclesiæ, quæ sæpius in altari intonat. *Flectamus genua.* Antequam Collectam, seu petitionem exponat Deo Sacerdos orans pro populo, & certè nihil magis inclinat Deum ad propitiationem & clementiam quam humilitas mentis, & genuflexio, cuius olim apprimè sciens Rex Manasses efficaciam, sic loquitur, *Flecto genua cordis mei.* Intellige & corporis, *precans à te bonitatem, Domine peccaui, Domine peccaui.*

Prostrati, oratio commendatur à Scriptura iunctis, vel etiam aliquando expansis manibus, & in altum elatis. Iudith. 7. *Filij Israël, cum Holophernes Bethuliam obsideret, prostrauerunt se super terram orantes, vt Deus Israël misericordiam suam ostenderet.* Idem Iudith faciebat capite 9. *Posuit cinerem super* caput

caput suum, & prosternens se Domino clamabat ad Dominum. Tobias & familia eius post quædam ab Angelo Raphaële reuelata Mysteria, *Prostrati per horas tres in faciem benedixerunt Deum.* Daniel orans, & videns visionem, *Iacebat consternatus super faciem suam* capite 10. His omnibus præualet exemplum Christi, in horto Getsemani orantis. Marc. decimo-quarto. *Procidit super terram, & orabat.*

Ritum hunc imitatur Ecclesia, quæ in Parasceue, cum ostenditur populo crucifixus, & Sacerdos dicit. *Ecce lignum Crucis, venite adoremus.* Omnes se prosternunt, quod & priùs obseruatum est, cùm Sacerdos legens passionem ad hæc peruenit verba. *Et inclinato capite emisit spiritum.* Tunc enim celebrans, & assistentes procumbunt toto corpore. Sic orabant Prophetæ, ait Origenes homilia in Euangelia. *Erant Ioseph, & Maria Propheta,* inquit, *quando augustius aliquid contemplabantur, cadebant in facies suas, vt peccata per ruinam corporis plenius purgarentur.* Huic prostrationi, vel etiam genuflexioni adjungitur communiter *Tunsio pectoris*, quæ pœnitudinis animi signum esse reputatur, exemplo Publicani à Christo singulariter commendati, & eorum, qui post Christi Passionem. *Percutientes pectora sua reuertebantur,* Lucæ 23. Quod imitatur Ecclesia, cum Sacerdos in Missa dicit. *Agnus Dei*, dextra enim percutit sibi pectus ter. Iterúmque tribus vicibus, cùm dicit. *Domine non sum dignus*, idémque ad eadem verba faciunt fideles, cum à Sacerdote profertur eis Eucharistia sumenda: nulla maior humiliatio externa vsurpari potest ipsa prostratione, & consternatione: sic enim terræ adhærentes nos cinerem & nihilum profitemur, & de peccato verecundamur, quod tunsione pectoris, quasi à corde quod illud concepit & patrauit, veluti expellere nitimur, sicque Deum nobis propitium facere, scientes quod Oratio humiliantis se penetrat cœlos. Tunsio pectoris, ait Augustinus enarratione secunda in Psalm. 31. obtritio est cordis, *Quid significat tunsio illa pectoris*, inquit idem in Psalm. 136. *Nisi fortè putamus ossa nostra aliquid peccasse, cum cadimus, & tundimus pectus, significamus nos cor conterere, vt à Domino dirigatur:* ea de causa in confessione, quam facit in introitu Missæ Sacerdos, ter tundit pectus: quod Sanctus Gregorius Nanzianzenus oratione decima-quinta, non prætermisit *diu noctúque*, ait, *inter gradus, & Altare pectora tundimus.*



DE

DE BENEDICTIONIBVS, ET VNCTIONIBVS ECCLESIAE.



PECIALIS orandi Ritus computari potest Benedictionum & Vnctionum vsus, qui frequentatur in Ecclesia Catholica. Sic enim Dei minister Sacerdos indutus Alba, vel superpelliceo cum stola circa collum, diuinum numen apprecari solet, vt creaturis seruitio eius mancipandis, & à communi vsu separandis, vel Fidelium vsui fructuosiùs impendendis, benedictionem suam (quæ malitiam dæmonis iisdem ad hominum perniciem sæpius abutentis comprimit) impertiri dignetur.

In calce Missalis nouem exprimuntur benedictiones; salis & aquæ, Agni Paschalis comedendi post quadragesimam, panis, nouorum fructuum, cuiuscumque comestibilis. Candelarum, domus nouæ Thalami, nouæ nauis. Sacerdotalium indumentorum, quæ omnes extra Officium diuinum, quouis tempore fieri solent.

Officij autem celebrationi annexas lego Benedictionem Candelarum in festo Purificationis Beatæ Virginis, & Benedictionem Sabbatho sancto Ignis, Luminis, Thuris, Cerei Paschalis, & exinde Fontis baptismalis, cui infunditur de oleo Catechumenorum, & de Chrismate singillatim, & postea de commistione vtriusque, *Vt sanctificetur, & fœcundetur fons ille*, orat Sacerdos, *oleo salutis renascentibus ex eo in vitam æternam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti.*

Loca, Personæ, paramenta Ecclesiastica, Ignis, Aqua, Panis, Vinum, Cerei, Oleum, Chrisma, Incensum, Campanæ, &c. vouentur & offeruntur Deo, aut vsui Fidelium assignantur per Orationes, Benedictiones, & Vnctiones Ecclesiasticas à Sacerdote, vel Episcopo faciendas, vt Sancta Sanctis sint omnia. Idque fundatur in Scriptura Genes. 28. Iacob Patriarcha. *Fudit oleum super lapidem, quem capiti suo supposuerat.* Cùm vidit scalam & Angelos, in signum scilicet consecrationis, ait Tostatus, quia res consecratæ oleo vnguntur. Moyses, Domino iubente, sancti olei vnctione Tabernaculum perlininit, ait Felix Papa, *de consecratione distinct.* 1. Sic Ecclesia Catholica per suos Sacerdotes applicat Benedictiones & Vnctione personis, vti Episcopis & Sacerdotibus, Regibus, nec non & infirmis. Locis nimirum, Ecclesiis, Altaribus, Cœmeteriis. creaturis homini necessariis, pani, vino, fructibus, ceræ, indumentis Ecclesiasticis, &c.

Personis ritè dispositis, benedictio & vnctio gratiam augent; nam benedictionis oratio est impetratoria, & oleum sanctum est fidei signum, cuius inuisibilis effectus est animæ purificatio & sanctificatio nec-non & spiritualis illuminatio; nam *sicut oleum visibile in signo, sic oleum inuisibile*, id est gratia, *in Sacramento.*

Quare Benedictiones & Vnctiones Ecclesiæ Catholicæ tanto magis nobilitant & sanctificant Christianos præ Iudæis, quanto Moyses inferior fuit Messiæ, præeminétque Ecclesia Christiana Synagogæ, & Euangelium Legi Mosaïcæ; nam vt docet Philosophus. *Causa nobilioris nobilior est effectus*; & Dei filius hominem assumpsit, vt eius sublimaret naturam, cui thesauros suos diuinos & spirituales per vnctiones confert visibiles & corporeas. Sic docet Tertullianus libro de Resurrectione carnis. *Caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt anima muniatur.* Addo ego, caro benedicitur, vt fomes peccati in ea minuatur: cui consonat dictum Sancti Augustini. *Detrahe verbum*, scilicet benedictionis, vel formæ Baptismi. Quid est aqua, nisi aqua? Sicque ratiocinatur Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Mystagog. 3. de oleo. *Post benedictionem*, quæ prece fit & oratione, *non amplius est vnguentum nudum, sed est Chrisma Christi, quod aduentu Spiritus-Sancti per ipsius diuinitatem energiam habet.* Ita & Gregorius Nyssenus. *De lapide lapis natura communis benedictionem accipit, mensa sancta & altare immaculatum est.* Idem planè credendum est de ornamentis, aliisque rebus, quæ ex instituto Ecclesiæ benedictione sacerdotali sanctificatæ fuere, non sanctificatione remissionis peccati, aut immunditiæ alicuius purificatione; nam vti creaturæ Dei bonæ sunt, sed sanctificatione dedicationis ad cultum Dei, vel specialis vtilitatis ad vsum fidelium: & ideò impertita rebus istis sacra benedictione vel vnctione desinunt esse communes & prophanæ, & pro sacris habentur & reuerenter tractantur.

Benedictionis sacerdotalis, aut Pontificiæ, inductio est à Deo ipso in Veteri Testamento. Numer. 6. Præscribitur enim antiquis Sacerdotibus hic benedictionis ritus. *Loquere Aaron, & filiis eius: sic benedicetis filiis Israël. Benedicat tibi Dominus & custodiat te: Ostendat tibi Dominus faciem suam & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Vbi notat Rabanus in hac Sacerdotum benedictione tripliciter formata tertiò repetitum esse nomen *Dominus*, vt Sancta Trinitas, ex qua, per quam, & in qua sunt

omnia ſignificetur. Hinc etiam apud Chriſtianos fit expreſſa Trinitatis inuocatio & benedictio dari ſolet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti. Promiſit autem Deus effectum huius benedictionis ſacerdotalis, dum ibidem ait. *Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis*, hoc eſt fructum illius benedictionis eos experiri faciam.

Si in veteri Lege Sacerdotalis benedictio multiplicem fructum pariebat, quanto magis in noua, quæ gratia cœleſti eſt vberior, & maximè dum ex præſcripto Eccleſiæ res aliqua benedicitur & ſanctificatur, per Verbum Dei, per Aquæ benedictæ irrorationem & interdum per olei ſancti inunctionem.

Huic ritui benedictionis Aaronicæ adiunctam extenſionem manus eius declarat Scriptura. Leuit. 9. *Et extendens manus ad populum benedixit ei.* Euangelica, ſeu Chriſtiana, & Catholica benedictio Signo Crucis obfirmatur ex imitatione Apoſtolorum, qui ſic faciendum tradiderunt, tum vt imitarentur Chriſtum, qui aſcenſurus ad cœlos, *Benedixit eis, eleuatis manibus*, & Signum Crucis proculdubio expreſſit (licet hoc taceat Textus, ſed aſſerunt Patres non pauci) vide quæ de Signo Crucis ſuo loco notaui, tum vt ex merito Paſſionis Chriſti omnia bona nobis obuenire demonſtrarent.

Quid ni & ſi ſacra vnctio adiungatur huic Benedictioni, non ſperemus à Deo & Chriſto eius, cum *Vnctio*, ait Cyprianus ſermone de Chriſmate, *dignitatem Chriſtiani confirmet, qui balſami ſpiritalis odore flagrat.* Conſequenter Vnctio, rei cui applicabitur ſanctificationem, & conſeruationem faciet, & oſtendet, quare merito Benedictio, & Vnctio inter Apoſtolicas & Eccleſiaſticas Traditiones recenſentur.


DIces, in Benedictionibus & Vnctionibus aſſumi certum loquendi modum, quo expreſſis verbis petitur, vt diaboli vis ac poteſtas à creaturis expellatur, & per benedictionem & conſecrationem hoc accipiant, vt ſint ſanitas mentis & corporis. Ergo Eccleſia Romana ſentit creaturas Dei, per ſe, quando ita non benedicuntur, aut ſanctificantur, vel conſecrantur, à poteſtate diaboli infectas inquinare, & corpus, & animam, niſi diabolus his exorciſmis, benedictionibus, & vnctionibus expellatur. Quod eſt profiteri Manichæiſmum dogmatizantem creaturas ex propria natura malas & malignas eſſe, & à malo Deo, quem binum conſtituebat, creatas.

Reſpondeo. Exorcizatio dæmonum, quæ in aquæ potiſſimum benedictione adhibetur, non eo referrur, quaſi putemus, aquam à Diabolo inquinari, vt ea iam vti non liceat, niſi benedicatur. Sed quoniam experientia docet diabolum ſæpè vti Dei bonis in noſtram perniciem, ideò & ſigno crucis munimus creaturas, quibus vti volumus, & Deum precatur Eccleſiæ miniſter, vt non ſinat res illas à diabolo conuerti nobis in malum, ſed præter inſitam & naturalem earum, vim aliquid conferat in vim Orationis, Benedictionis, vel Vnctionis Eccleſiaſticæ, ad vtilitatem fidelium, Nunquid habemus Geneſis 1. & 2. Deum benedixiſſe creaturas, quas iam valde bonas viderat, approbarat, & laudarat, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, Nunquid diei ſeptimo, *benedixit, & ſanctificauit illum.* Viden ergo bonitati naturali creaturarum benedictionem & ſanctificationem ſuperadditam.

Hincque emanauit vſus omnibus Fidelibus ſolemnis benedicendi cibos pro prandio, vel cœna apparatos in menſa. Intelligunt enim Verbum Dei & Signum Crucis vim aliquam ex inſtituto Chriſti imprimere, cibis & rebus hominis ſeruitio deſtinatis. Non ergo benedicimus, quaſi reputemus creaturas à diabolo infectas, vel ex ſe malas & pernicioſas, ſed ad ſanctificationem, & gratiarum actionem.

DE

DE DISTINCTIONE Diœceseon.



SANCTVS Anicetus decimus Papa à Petro, anno Christi 153. Primus legitur ordinasse aliqua ab Episcopis & Archiepiscopis obseruanda, inter quæ non immeritò recenseri potest limitatio Parrochiarum & Diœceseon diuisio; nam Baronius ad annum 270. agens de Dionysio, qui aliquando vitam Monasticam in solitudine egerat, substituto in locum Xisti II. martyrio coronati, refert ipsum dedisse Epistolam ad Seuerum Episcopum Cordubensem, de Parrochiarum diuisione: sicut & libro de Romanis Pontificibus traditur, ipsum Presbyteris diuisisse Ecclesias & cœmeteria, Parrochiásque & Diœceses constituisse. Verum, ait Baronius, cum iam ab aliis antecessoribus Romanis Pontificibus id repetiebatur factum, intelligendum est, quod in persecutione Valeriani auulsi essent ab Ecclesiis Presbyteri, & Cœmeteria prohibita, & à Galieno Imperatore restituta pace, Dionysium easdem Parrochias & cœmeteria iterum recta ratione aliis Presbyteris assignasse.

Vnum certum & indubitatum est, quod Ecclesiæ Christianæ data generali pace, & paganismo iam penè ad extinctionem vergente, Christianismus erexerit caput & Episcopi dignitate sua fulgente de ampliatione iurisdictionis & limitum suorum extensione concertarint. Quare Concilium Nicænum anno 325. Canon. 6. multa dissidia ex hac conditione suborta composuit, quod ex istis verbis infero. *Apud Antiochiam, caterásque Prouinciar honor suus vnicuique seruetur Ecclesiæ.* Postmodum Concilium Constantinopolitanum anno 381. sub Damaso statuit canon. 2. vt Episcopi suam Diœcesim gubernent, nec ad alias accedant, iuxta vetus Nicæni Concilij decretum de distinctione Diœceseon.

Constitutio autem Sedium Episcopalium, non sine delectu facta intelligitur ex Epistola Zachariæ Papæ ad Bonifacium, circa annum 750. *Memineris*, ait, *quod in sacris Canonibus præcipimur obseruare, ne minimè in villulas, vel in modicas ciuitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi, statuimus per authoritatem Apostolicam Episcopales illic Sedes, quæ per successionem Episcopos mereantur, & populis præsint, vtque in quibus verbum prædicationis subiectis insinuetur: Et nulli posthac liceat, quæ à nobis sancita sunt quoquo modo violare, quæ authoritate Beati Petri Apostoli firma esse decernimus.*

Vides ergo Sedem Apostolicam consuli de constitutione Sedium, penes enim eam est, eas instituere, limitare, determinare & abrogare; sic à principio Christianismi, per Pontifices Romanos propagata est Fides Christiana, dum per institutionem Pastorum, seu Episcoporum populi ad professionem Christianismi inducti fuere, & ciuitates eorum ad ipsum redactæ.

In singulis Breuiarii Romani mensibus, excepto Februario aliqui celebrantur Pontifices Romani Martyres, vel Confessores, numero vt notaui accuratè 37. qui variis in locis crearunt sexcentos & octoginta Episcopos, vt ex collectione Lectionum cum Platina resultat. Qui numerum Ecclesiarum Cathedralium Orbis Christiani nosse voluerit, legat Prouinciale Rebuffi, quod ex libro Cancellariæ Apostolicæ excerpsit, ibi recensentur Metropoles cum suis Suffraganeis. Proprius est hic locus recolendi Maiorum nostrorum ad Episcopos primo institutos reuerentiam; memores enim beneficij, quod Apostolica prædicatione è tenebris in lucem Euangelij educti essent, ipsas Sedes ligneas, quibus illi docendo, vel mysteria celebrando insedissent summa diligentia custoditas, singulari prosequuti sunt veneratione, quam Deus multis miraculis approbauit: sicut & de Cathedra Petri, Romæ & Antiochiæ, nec-non & Marci Alexandriæ factum esse ad nostra vsque tempora videmus. Dies enim quo Petrus sedit Antiochiæ, & is quo facta cessione Ecclesiæ Antiochenæ subrogato Euodio, Romam Sede Pontificia decorauit, consueuerat antiquitus celebrari ab vniuersa Ecclesia, vt cum vetera martyrologia & Sanctorum Patrum tum solitæ haberi conciones testantur, nec-non assignatus in Breuiario Romano dies festus Cathedræ Sancti Petri Romæ die 18. Ianuarij & Cathedra eiusdem Apostoli Antiochiæ die 22. Februarij Romana asseruatur in Basilica vaticana, & magno populi ipsa die concursu visitatur, vt ego ipse vidi.

Porrò Sedes illæ Episcopales sublimiores fieri solebant, quas Augustinus Epistola 203. *Apsides gradatas* appellat, quæ velis & linteis ornari consuerant, vt notaui supra de vestib. sacris.



DE VNCTIONE REGIS Francorum.



CLODOVEVS expulsis Romanorum reliquiis è finibus Franciæ, cœpit regnare Parisiis anno Christi 484. & florentissimæ vsque hodie, id est, duodecim sæculorum Monarchiæ firma posuit fundamenta, quam Deum Optimum Maximum in singularem suam adsciuisse tutelam, non hæc sola diuturna stabilitas, sed plura alia cœlitus ipsi collata beneficia abundè testantur: nam vt nobilissimi Historici Hincmari verbis vtar, Almus pater, & Baptista Francorum Remigius singulari priuilegio Regnum Franciæ in fide Catholica plus cæteris adauxit & sublimauit, dum sanctissimam Ampullam sacro Chrismate repletam impetrauit, quo scilicet inunxit Clodoueum, & lauacro vitæ regeneratum, dono, vt ipse dixit, septiformis Spiritus consignauit, & & in eius persona Reges successores, vt sint virtute Spiritus-Sancti in iudicio, & iustitia confirmati & corroborati. Quæ Sancti Rhemensis Episcopi verba, vt plenum sortiantur effectum, eodem cœlesti Chrismate *inunguntur, & consecrantur posteri signis*, ait Sanctus Thomas, *& portentis, cum exinde solo manuum contactu sanent ægrotos.* Piaculum ergo fuisset religioso Christianissimi Regis Ecclesiastæ vnctionem miraculosam prætermittere, aut eam ab Ecclesiasticis Traditionibus separare. Cœremonia ergo consecrationis Regis Francorum sic perficitur, ordinariè quidem in Ecclesia Rhemensi ab eiusdem Archiepiscopo. Rex tamen non tenetur ibi consecrationem, seu coronationem suscipere, vt constat ex multis Regibus alibi consecratis, & docetur per Epistolam Cleri Gallicani conuocati in ciuitate Aureliana pro Ludouico Grosso sacrando ab Archiepiscopo Senonensi, anno 1106. Henricus IV iunctus fuit & coronatus in Templo Sanctæ Mariæ Carnutensi: ibi autem delata fuit sacra Ampulla Monasterij Majoris, Gallicè, *Marmoustier*, olim ab Angelo data ad sanandum Beatum Martinum, & conseruatur religiosè ad instar Ampullæ Rhemensis; hoc autem sacrum celebrauit Archiepiscopus Rhemensis; quia eius ciuitas non parebat Regi, sed stabat à ligna. Vbicumque ergo fieri destinatum sit hoc inunctionis Officium Episcopis aliquot adiectis Clerus vrbis cũ ipsis paratis venit ad Ecclesiã manè, Rex verò militaribus indutus deducitur ante mediũ altaris, vbi Consecrator in faldistorio sedet, adstant vtrimque regi duo Episcopi, quorum prior Regem præsentat dicens, Reuerendissime Pater postulat Sancta Mater Ecclesia, vt præsentem egregium militem ad Regiam dignitatem subleuetis. Scitis illum dignum esse, & vtilem ad hanc dignitatem. Respondent, & nouimus & credimus, C. Deo gratias. Rex post medius sedet, & C. Regem instruit de agendis, post R. detecto capite genuflectit, osculata eius manu, facit hanc professionem.

Ego N. Deo annuente futurus Rex profiteor, & promitto coram Deo & Angelis eius, deinceps iustitiam, & pacem Ecclesiæ Dei, populóque mihi subiecto pro posse & nosse facere, atque seruare, saluo condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero inuenire, Pontificibus quoque Ecclesiarum Dei condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea quæ ab Imperatoribus, & Regibus Ecclesiis collata & reddita sunt inuiolabiliter obseruare, Abbatibus, Comitibus, & vasallis meis congruum honorem, secundùm consilium fidelium meorum præstare. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Tunc tactis Euangeliis vtraque manu, iurat solemniter. His expeditis C. Surgit, & deposita mitra, dicit Orationem, similiter omnes Pontifices parati, dicunt omnia voce submissa, quæ benedictionem & consecrationem spectant. C. in omnibus obseruantes & imitantes, interim Corona, Ensis, Calcaria, Sceptrum aureum, Manus, seu Virga iustitiæ eburnea, Serica hyacinthina liliata, Dalmatica, Pallium regale imponuntur Altari, vt intelligatur Regem, qui iis ornandus est profiteri se insignia hæc à Deo omnis sublimitatis authore habere.

Dum C. Orationes dicit, Rex militaribus vestibus exuitur, quem sandaliis calceat magnus Franciæ *Chambellan*, & calcaribus Decanus Parium Laïcorum, hæcque mox aufert. Benedicitur ensis, quo Regem C. præcingit. *Accipe hunc gladium cum Dei benedictione tibi collatum*, quem ad finem vsque orationis habet Rex. Moxque genuflexus eam Deo offert super Altare, quem C. resumit, Regique humiliter, tanquam de manu Dei recipienti præbet, Réxque Seneschallo magno tradit, qui vsque ad finem totius Ritus nudum & eleuatum tenet.

C. Sacram aperit Ampullam, & aliquantum Chrismatis cœlestis extrahit cum acu aureo illúdque immiscet super patenam Calicis aurei Sancti Rhemigij Chrismati Ecclesiastico, quo Episcopi inunguntur, cantante Choro, *Gentem Francorum inclytam simul cum Rege nobili, &c.* Cui C. Orationem adiungit, qua finita procumbit ante Altare, Rex, & alij assistentes Pontifices, qui Litaniam incipiunt: ad versum, vt obsequium seruitutis nostræ rationabile accipias surgit. C. Térque hæc super Regem dicit, *Vt hunc præsentem famulum tuum Ludouicum in Regem exornandum benedicere digneris.*

gneris. Tertia vero vice addit, *sublimare, & consecrare*, térque idem repetit Chorus C. Sedet, cui Rex genuflexus sistitur, cúmque inungit. Primo, in capite. Secundò, in corde. Tertiò, inter spatulas. Quartò, in spatulis. Quintò, in cubitis & brachiorum iuncturis in qualibet Vnctione, dicens. *Vngo te in Regem de oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti.* Clerus & comitatus respondent, *Amen.* Choro canente, *Vnxerunt Salomonem Sadoch Sacerdos, &c.* C. orat Deum pro fœlicitate istius ritus, & regiam vestem inducit super vnctiones, quibus recipiendis apertura relictæ fuerant. Magnus.

Dalmatica regali regem induit, & C. inungit eius manus, *Vngantur manus istæ de oleo sanctificato.* Deinde chirotecas benedicit, quibus ob Chrisma manus eius induit, benedicit annulum, & immittens digito. *Accipe,* ait, *annulum signaculum fidei sanctæ, soliditatem regni, argumentum potentiæ, per quam scias triumphali potentia hostes repellere, hæreses destruere, subditos coadunare, & Catholicæ fidei perseuerabilitati connecti.* Sceptrum manui dextræ & virgam eburneam in modum manus effictam sinistræ infert. *Accipe sceptrum Regiæ dignitatis insigne, &c. Accipe virgam virtutis, atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, terrere reprobos.* C. aut Cancellarius nominatim vocat Pares primò Laïcos, deinde Ecclesiasticos. C. de Altari profert coronam, hàneque super caput Regis eleuans dicit. *Coronet te Deus corona gloriæ, atque iustitiæ honore, & opere fortitudinis, vt per officium nostræ benedictionis, &c.* hàneque capiti Regis solus imponit, dúmque dicit. *Accipe coronam Regni in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti.* Pares hanc manu tangunt, plures hic interserit orationes, benedictionum apprecatorias, quibus dictis Regem manu deducit ad thronum in cornu dextro Altaris inferiùs, dicitque. *Sta & retine à modo statum, quem paterna successione tenuisti hæreditario tibi iure delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, & per præsentem Traditionem nostram omnium scilicet Episcoporum, cæterorúmque Dei seruorum. Et quanto Clerum propinquiorem sacris Altaribus prospicis, tanto ei potiorem in locis congruentibus honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei & hominum te mediatorem Cleri & plebis* (hic in throno constituit Regem. C. *in hoc regni solio confirmet, &c.* Deinde intonat. *Te Deum laudamus*, cui finito adiicit Orationem, deinde sine mitra humiliter Regem salutat & deosculatur dicens, *Viuat Rex in æternum.* Sicque consequenter Pares Regni in ordine suo, Ecclesiasticis præcedentibus.

Hinc C. accedit ad Altare celebraturus. In Euangelio stat Rex, & coronam demittit, quam in offertorio gestat in capite, & offert tredecim aureos. Huicque C. benedicit antequam pacem, seu patenam deosculandam exhibeat, benedicit & vexillum regium dat suo tempore C. adstanti primo Metropolitano osculum pacis, hincque osculatur iste Regem, & subsequenter omnes Archiepiscopi, & Episcopi præsentes. Confessus Rex communicat sub vtraque specie, pro veteri more omnium Franciæ Regum, vt intelligat Rex, ait vetus Author, dignitatem suam Presbyteralem, simúlque Regiam esse, solus enim Sacerdos disparatè sanguinem sumit. Post Missam regio amictu exuitur Rex, & ad reuerentiam Chrismatis interula eius igne absumitur. C. corona magna sublata, paruam, seu leuiorem imponit Regi, cum qua pompaticè tendit ad Palatium, in quo pro Rege admittitur & honoratur ab vrbe Rhemensi, sicque ex hæreditario iure per consecrationem transmisso Christianissimi cognomen accipit, quod prædecessores Carolus-Magnus, & Ludouicus Mansuetus adepti sunt, licet in memoriis suis Tilletus ad Carolum Caluum hoc glorioso titulo Christianissimi insignitum referat, anno 869.

Ex indulto Clementis VI. Franciæ Reges communicare possunt in vtraque specie quandocumque libuerit eis, qua facultate vtuntur in die inaugurationis, & in articulo mortis.

DE COMPVTO Ecclesiastico.



NTIQVISSIMA Ecclesiæ Christianæ Traditio est Computus Ecclesiasticus, qui ipso Deo instituiore apud Hebræos celeberrimus ante fuerat, vt festum Paschale, reliquíque solemnes dies nullo negotio inueniri possent iuxta præscriptum Moſaïcæ legis. Postmodum inualescentibus Quarta decimanis hæreticis, qui eodem cum Iudæis die peragendum esse Paschale festum contendebant, inualuit apud primos Christianos vsus, vt de ipso die, quo exactissimè celebrandum esset festum Paschale Alexandrinus Episcopus, ac Patriarcha Ægypti, (quibus in regionibus floruit semper Astronomiæ studium) consuleretur etiam ab ipso Pontifice Romano, donec in Nicæna Synodo prima certa constitueretur regula Ecclesiastica, ad quam exigerentur imposterum omnia festa venturis sæculis celebranda. Dum fœliciter Petri Sedem occupante Gregorio XIII. qui error in Kalendarium ab eo tempore irrepserat, allaborantibus callentissimis Mathematicarum scientiarum Professoribus, ac præcipuè Christophoro Clauio Bambergensi è Societate IESV, ea methodus inita est, qua imposterum annorum series, computúsque Ecclesiasticus sine erroris periculo bellè procederet.

Insurrexerunt in eam emendationem illico hæretici Lutherani ac Caluinistæ, Mæstlinus Scaliger, nostróque tempore Sethus Caluisius, studio partium potius ac Pontificis Romani odio, à quo hæc Kalendarij correctio emanauerat, quam veritatis amore, quorum Antesignanos iusto volumine refutauit, illorúmque retudit ictus, Chrystophorus Clauius, qui vnus præcipuè petebatur. Nonnulli etiam Catholici ad hæreticorum sententiam æmulationis inuidiæque agitari stimulis accesserunt, vt videre est in eruditissimi viri Francisci Victæ Fontenæensis objectionibus, & explicatione veri Kalendarij Gregoriani, in quo aliam planè init emendandi Kalendarij viam, quàm quæ à Clauio, cæterísque Gregorianis tenebatur, sed profecto nisi contradicendi libido eos Authores occupasset, auscultassent Doctissimo Astronomorum Corypheo Tyconi Brahæo, qui in præfatione ad Rudolphum Imperatorem libri de stellis inerrantibus, fatetur rectè factam à Papa Gregorio emendationem, quamuis sit ipse Danus, atque adeò Lutheranæ hæresi implicitus, cuius verba ipsa non piget hic attexere.

In vacuum itaque laborant, qui ex Copernicers, & Pontenicis numeris anni restitutionem eruere laborant, frustráque neotericam illam Gregorianam reformationem inde oppugnant; cùm hæc longè propriùs cœlesti norma accedat, nec summa in his præcisio (præsertim inconsulto ipso cælo) facilè datur, aut etiam admodùm necessaria est. Sed hæc fortè nunc citra rem, nisi quatenus iuxta Copernicum fixarum motiones Solis reuolutionibus quodammodo sunt analogæ; alibi dabitur, fauente numine, commodior occasio hac de re disserendi, & anni metas accuratiùs examinandi, Gregorianámque nouiter introductam, & latè stabilitam rationem (Cùm non adeò, vti à quibusdam, qui affectibus nimirum indulgere videntur, insimulatur, deuia sit) confirmandi quemadmodum ex hoc ex primo capite nostrorum progymnasmatum, & motu solis istic accurate ex obseruationibus restituto colligi poterit, vbi quoque ea, quæ de affixis sy deribus iam præmonuimus ex secundo eius capite vberiùs, & particulariùs, vnà cum plerisque aliis huc facientibus constabunt.

Vt autem originem & progressum Romani Christianíque Kalendarij à Patribus per manus nobis tradit facilius intelligamus, placet hic pauca ex authoribus delibare, quæ hoc argumentum quantum satis sit ad institutum, enucleare valeant.

Kalendarium institutum est, vt populi Festa nundinas, Comitia & cæteras ciuiles obseruationes quotannis statis temporibus celebrare possint; quare nulla expeditior via fuit, quam luminaris vtriusque cursu moderari annum ciuilem, hoc est, periodo Solari & Lunari, quæ binæ periodi cum non omninò inter se conueniant, variæ sunt excogitatæ rationes ab Legislatoribus & Astronomis, quibus vtriusque syderis cursus inter se æquare aliqua ratione possent; quod cum exactè succedere non posset, plébsque inepta esset ad exactum calculum Astronomicum: Annus non *Astronomicus* vsui fuit hominum multitudini, sed annus *Ciuilis*. Astronomicus ille est, qui exactè numeratur à puncto, quo Sol incipit ab vno tropico, donec ad idem tropici punctum redeat; Annus ciuilis ille est quo circum circa cum differentia aliquorum minutorum aut horarum, Sol vel Luna redeunt ad idem punctum non exactè, sed quantum satis est ad exequenda humana negogotia.

Primum quidem Romulus, qui decem tantum anno menses tribuerat, tam longè discesserat à cœlesti siue Astronomico, in assignando anno ciuili, vt breui eius in regno successor Numa Pompilius opus habuerit emendare Romuli Kalendarium, & vt ait Ouidius in Fastis duos menses ad Romulum addere, vt annus Romanus duodecim mensium foret; Secutus hac in parte Græco quorum fuerat discipulus quanquam plus illis viderit constituens annum 355. dierum cum illi 354. tantum anno suo assignassent. Verum hic annus Lunaris erat, eúmque decem ipsis diebus solaris annus superabat, aut etiam vndecim; quare ad

æquandum

æquandum annum solarem lunari, tertio quoque anno vnum mensem embolismalem intercalarunt ex decem diebus, qui ter repetiti hoc est semel singulis annis intra triennium 30. dies constituebant; quod tamen non ita processit, vt planè cum solari lunaris annus deinceps concurreret, sed ad Metonis cyclum decemnouennalem, seu Enneadecateridem, de qua infrà, recurrendum fuit.

Iam vt redeamus ad annum Iulianum, sciendum est Cæsarem adeptum Imperium ac summum Pontificatum nihil antiquius habuisse, quàm vt vrbem omnésque reipublicæ partes ordinaret. Præsertim vero ad confusionem illam Calendarij Authore Sosigene Mathematico corrigendam adjecit animum, statimq; peruidit solarem annum humanis vsibus longè lunari commodiorem. Quare placuit 365. diebus addere quadrantem anni siue sex horas quas neglexerant aut ignorauerant antiquiores; Ex quibus 6. horis quater repetitis consurgeret dies vnus quarto quoque anno, qui dies intercalaretur ad Februarij finem, annúsque talis, quod bis sexto Calendas Ianuarij diceretur, hoc est, die intercalari & die Regifugij diceebatur annus bissextilis. Porrò eruditissimè Prouinciæ nostræ decus Petrus Gassendus initio sui Romani Calendarij prosequitur istius Traditionis initia & progressus. Nobis sufficiet explicare hoc loco, quid sit Epacta, quid cyclus decemnouennalis, seu Aureus numerus, quid circulus vigintioctennalis litterarum Dominicalium quáque ratione festa mobilia nunc maturè, nunc tardiùs celebrentur: si priùs obseruaueris necessitatem anni corrigendi à Gregorio XIII. inde profectam, quòd cum horæ sex præcisè numerarentur, quæ post annos quatuor diem integrum conficerent, non sit habita ratio vndecim scrupulorum, quibus minor est verus annus Tropicus Iuliano: non enim horas 6. sed horas quinque continet annus tropicus cum scrupulis siue minutis 49. oportebat autem 60. vt adæquaret horam vnam. Hæc minuta seu scrupuli collecti tempore Gregor. XIII. dies decem impleuerunt, qui prætermittendi fuerunt, vt res ad suum statum pristinum à quo desciuerat à tempore Nicænæ Synodi redigeretur.

Altero ex capite necessaria fuerat emendatio Calendarij nimirum; quia cum supponerentur in cyclo decemnouennali redire nouilunia ad eundem diem solarem, non præcisè tamen redirent ad eandem horam, sed anticiparent semper hora 1. minutis 27. Quare post trecentos annos vno die anticipauerant, ac proinde in cyclo illo quæ numerabatur 14. Luna erat reuera 18. quibus auertendis erroribus in posterum prouisum est, ac vernum æquinoctium die 21. Martij constitutum.

Quibus peractis, facilè erit verum diem in quem festum Paschale cadit inuestigare, modo Canones qui Paschales dicti sunt obseruentur. Hi habentur numero sex. I. vt Pascha non celebretur nisi Dominico die. II. Vt Christiani cum Iudæis Christi interfectoribus non concurrant in celebrando Paschate. III. Vt Pascha non celebretur mense 12, cuius plenilunium seu Luna decima quarta ante diem 21 Martij contingit. IV. Vt Pascha cum Quartadecimanis ante Plenilunium non agatur. V. Vt Pascha non reiiciatur in hebdomadam mensis vltimam, hoc est, post Lunam 21. VI. Vt Pascha non reiiciatur in mensem 2. cuius plenilunium post diem April. 18. contingit. Colliges Pascha nō posse celebrari ante 22. Mart. opúsq; esse vt eadem 22. dies sit Domin. alioqui expectanda esset proxima dies Dominica. Colliges 2. Si ipsa 14. Luna siue plenilunium incidat in 21. Martij seu æquinoctium, expectandam proximè secuturam Dominicam. Colliges 3. Lunam Paschalem habere pro citimo termino nouilunij sui 8. Martij & pro remotiss. 5. Aprilis. Colliges 4. non posse Pascha celebrari citiùs die 22 Martij, & tardiùs die 19. Aprilis. Ex quibus reliqua festa mobilia deducuntur, vt patet cuilibet vel mediocriter perito, consulíque possunt instructæ ad hunc vsum tabulæ perpetuæ.

Restat vt aliquid de Epactis Numero aureo, litteris Dominicalibus & Indictione perstringam. Quod planè percipere poteris, præmissa explicatione Lunaris mensis, quam ex Petauij Rationario hic placet adscribere.

Vt anni spatium conuersione Solis, sic menstruum interuallum Lunæ circuitu describitur. Is mensis est duplex. Nam orbem suum Luna peragrat diebus 27, horis 7, 43′ 7″. qui mensis periodicus vocatur. Alter est synodicus, quo Luna ab Sole digressa eundem assequitur. Siquidem eo spatio, quo suum orbem Luna conficit, suopte motu Sol aliquantum progreditur, hoc est gradus ferè 27. quos proinde circulo suo transacto emetiri Luna debet, vt iterum cum Sole iungatur. Quare mensis iste lunaris diebus constat 29, horis 12, 44′, 3″, &c. Sed vt propiùs ad Solis circuitum, id est annum, lunaris motus accederet, duodecies replicatus iste mensis annum efficit dierum 354. hor. 8, 48′ 38″, circiter: qui lunaris annus dicitur. Ac tam menses, quam anni lunares duûm generum esse dicuntur. Alij quippe sunt Astronomici; alij populares. Astronomici sunt, quos exposuimus, qui supra dies, horas aliquot continent, horarúmque scrupula. Dies enim, sine τὸ νυχθήμερον, hoc est spatium lucis atque noctis, *in horas 24: horæ singulæ in 60. scrupula prima: hæc in totidem secunda tribuuntur; atque ita deinceps. Ciuiles autem alternis, dierum sunt 30. & 29. quasi singuli supra dies 29, horas colligant præcisè 12. quòd superest de ratione scrupularia, id in horas collectum, ad diem complendum, certis annis extra ordinem accrescit.*

Plerique autem omnes populi, qui lunarem anni modum amplexi sunt, non eum simplicem adhibuerunt, sed cum solari coniunctum, & communi aliquo velut inclusum orbe, atque constrictum, quem cyclum ac periodum vulgò nominant. Ea, nondum ad plenum comperto Lunæ, Solísue circuitu, variè tentata est, ac multiplici annorum interuallo finita: primum biennij: inde quadriennij, hoc est dieteridis, ac spatio Solis & Lunæ rationes paria facerent. quod rudi sæculo persuasum esse Censorinus affirmat. Post octoaëteris, id est octo annorum orbis, maximè placuit. qui ne ipse quidem satis accuratus esse deprehensus est. Ideò nouemdecim annorum cyclus est inuentus, isque omnium exactissimus habitus est: tanquam eo vertente annorum numero, amborum syderum ab eodem puncto ad idem fiat reuersio. Hic est ille decem-

nouennalis Lunæ cyclus siue enneadecaëteris, cuius author Græcis suis Meto fuisse dicitur: eúmque cæteræ postea nationes asciuerunt; ac præsertim Christiani ad Paschalem celebritatem & sacrorum ordinanda tempora transtulerunt. Eius ratio est eiusmodi.

Annus quilibet Iulianus dies colligis 365. horas 6. summa hæc per 19. ducta dies efficit 6939. horas 18. Anni porrò lunares 19. diebus constant ferè 6732. horis 23, 24, 5″. qui sunt menses Lunares, siue syzygiæ 228. Adduntur ergo septem menses eiusdem generis, qui certis annis simplicibus additi intercalares, Græcis ἐμβολιμαῖοι vocantur. Septem lunares Syzygiæ dies conficiunt 206, horas 17. 8 22″. Ea ad menses 228. addita dant dies 6939, 16, 32, 27. quæ in totum syzygias lunares conficiunt 235. Hæc est lunaris enneadecaëteris, siue cyclus decemnouennalis, qui Iulianis 19. annis minor est hora 1, 27, 32″ circiter. Quocirca annis 19. vertentibus non fit præcisa peræquatio motuum vtriusque syderis; neque luna ad idem dici punctum reuertitur, vnde erat progressa: sed hora 1, 27, 32″ anteuertit pristinam epocham, quod discrimen diu neglectum à Calendarij artificibus paulatim maximam labem in Nouiluniorum, ac Pleniluniorum calculos inuexit. Quippe anno 1582, quo fasti ab Gregorio XIII. correcti sunt, antecessio lunaris deprehensa est quatridui circiter à tempore Nicænæ synodi, in annis 1257. quæ sunt enneadecaëteridas paulò plus 66.

Ex hac doctrina liquido constat, quid sint Epactæ nempe dies, quibus solaris annus lunarem superat, dies scilicet vndecim. Quare primo anno supersunt dies 11. secundo dies 22. tertiò dies 33. ex quo numero abiecto numero 11. Epacta erit 3. tum 14. vnde venari licet cuilibet ætatem Lunæ, &c.

Aureus numerus, siue cyclus decemnouennalis ex reuolutione Epactarũ consurget si per annos nouemdecim rectè fiant intercalationes vnius mensis singulis quibusque tertiis annis. Tunc enim nouilunia ad eundem diem, quanquam, vt suprà dixi non omninò præcisè, cadent, quo ante annos nouemdecim acciderant. quod ita demonstratur. Per annos octodecim sex menses intercalati sunt, hoc est, vnus mensis triginta dierum, tertio quoque anno, sed quia præter triginta dies, qui ex tribus Epactis collecti erant 3. dies superfuerant; (tres enim Epactæ ascendunt ad numerum 33.) per annos 18. tres dies superfuerunt sexies, tot enim factæ sunt intercalationes. Sed dies 18. additi vndecim qui supererunt anno 19. Conficiunt summam 29. dierum: ergo si mensis 29. dierum intercaletur, redierit cyclus lunaris ad diem eundem à quo inceperat.

Hic cyclus à veteribus computistis diu vsurpatus est, dum Gregorij XIII. iussu, quia nouilunia, quod etiam superius notaui. à tempore Nicæni Concilij multum à sua vera meta discesserant, pro cyclo illo decemnouennali substitutus est cyclus triginta Epactarum, de quo qui subtiliter, ac mathematicè institutam disputationem benè longam optauerit, consulat Calendarium Gregorianum Clauij, aut eius Apologiam, vel etiam Petrum Gassendum, qui recèns & elegantissimè versauit idem argumentum libro singulari.

Iam vt de litteris Dominicalibus atque indictione verba faciamus. Littera Dominicalis indicat quo die Pascha, aliæque Dominicæ tali anno sint obuenturæ. Quoniam dies 365. hebdomadas 52. conficiunt, vnúsque superfluus est dies, Annus incipit eodem die, quo deinde finitur, Ideóque si nullus esset annus bissextilis per orbem litteræ Dominicales essent G. F. E. D. C. B. A. sed bissextilis addens nouum diem efficit vt annus non desinat nisi feria sequenti eam qua occæptus fuerat. Hic ergo cyclus est quater septem siue annorum 28. Incipitque more Romanæ Ecclesiæ ab anno bissextili cui assignantur litteræ duæ G. F. ob rationem supra assignatam duorum dierum residuorum post hebdom, 52. tum ordine retrogrado proceditur, assignando litteras duas bissextili, quæ sunt. G, F, B, A, D, C, F, E, A, G &c.

Anno Christi 312. debellato Maxentio celebrata à Constantino quinquinnalia, quo tempore militibus præmia, populis largitiones & congiaria indicebantur, ideóque dictæ indictiones non vt falsò Cedrenus voluit ab ἰνδικτίων, hoc est victoria Actiaca. Horũ quinquennalium & decennalium origo fuit Senatûs ab Augusto conuocatio, cùm orbe terrarum pacato professus est velle se abdicare imperium, quod deinde alij securi imperatores etsi in vitam electi, tamen simulata depositionis voluntate imitati sunt. Sed numerandi ratio seu Epocha profecta præsertim à Constantini temporibus, hac occasione; cum in vicennalibus Constantini 15. annis post quinquennalia celebratum esset Nicenum Concilium: huius memoriæ conseruandæ causa cum annus sequens, fuisset primus post indictionem vicennalium, quæ 25. annis post prima quinquennalia Constantini celebrata sunt, hic annus vocatus est primus. Indictionis Constantinianæ quæ reuera tamen anno Christi 313. incipienda est. Ab eo tempore numerari cœptæ apud Christi annos Indictiones. 15. quoque anno, non attendendo ad numerum indictionum, quota scilicet sit indictio à Constantino, sed quotus sit annus indictionis, in qua res gesta est, v. g. Anno Christi 525. Indictione quarta, exempli gratia non significat Indictionem, sed annum quartum indictionis. Harum Indictionum periodus ducta ab exordio de quo dictum est, quindecim annorum est, quibus absolutis, noua incipit indictio atque hic numerandi modus, etiam cessantibus Imperatoribus perseuerauit in numerandis annis, simúlque cum anno Christi, siue Æra Dionysiana coniunctus est. Atque hæc de toto hoc argumento tractata sufficiant.

ARTICVLVS

ARTICVLVS XIV.

Item Sacram Scripturam iuxta eum ſenſum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto.



INA Deus optimus maximus in primordiis rerum fecit luminaria magna, ſuo ſe ſpendore cunctis animantibus maniſeſtantia: Vnum, vt præeſſet diei, alterum, vt præeſſet nocti. Binos ad directionem vitæ humanæ natura efformauit homini oculos, cælúmque videre aliáque ipſis mediantibus diſcernere dedit vt plenam ſibi conceſſi à Deo dominij in terram, faceret experientiam.

Binas Salomon Regum Sapientiſſimus à Deo edoctus columnas æreas miræ altitudinis ſtatuit in veſtibulo domus Domini, vnam à dextris nomine Iachin, aliam ad læuam, quam vocauit Boos, quæ robur ſonat; vt introitus templi, & facilior & magnificentior appareret.

Bina Chriſtus Dominus in fortitudine ſapientiæ ſuæ appoſuit Eccleſiæ Catholicæ inconcuſſa fundamenta, quæ ſuperimpoſitam Profeſſionis Fidei formam, & ſingulos eius articulos indefectibiliter ſuſtinent, & firmiſſimè continent, quæ non inconcinnè duabus illis Salomonicis columnis comparauero.

Hæc ſunt Traditio, &c. Scriptura Iachin, & Boos ſeu firmitas, & robur Catholiciſmi, illa, viuæ vocis, & narrationis Patrum obſeruantiâ primos orbis incolas, & fidei Patriarchas ſufficienter inſtituiſſe dicitur pluſquam bis mille, & quadringentis annis (nec enim conſtat Enoch aliquid poſteris ſcripto reliquiſſe, ſed propbetaſſe tantùm dicitur.) Vnde Paulus notat. Gentes quæ legem non habebant, feciſſe naturaliter quæ legis erant. *Rom.2. quod tamen de præceptis morum dumtaxat, & non de fidei regulis quæ ſupra naturam ſunt intelligendum eſſe exponunt Doctores.*

Iſta, præueniens natiuam Iſraëlis obliuioſi imbecillitatem robur ei confert; vt mirabilia Dei teſtimonia pleniùs ſcrutetur legendo, relegendo & intelligendo, cùm omnia quæ ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſint, nec ſatisfuit ſupremo magiſtro ſcripſiſſe in cordibus hominum legem ſuam: digito ſuo eam in tabulis lapideis exarauit, & inde ſeruus eius Moyſes ad longum vſque ad minimum apicem ritus, & cæremonias ſcripſit in membranis volubilibus quæ à continua obuolutione volumina dicta ſunt.

Iſta inquam abundantiùs, & firmiùs roborat Chriſtianos quos renatos ex aqua, & Spiritu Sancto conſcios facit myſteriorum quæ Deus per Chriſtum, Chriſtus per Spiritum Sanctum: Spiritus Sanctus per Euangelicos ſcriptores maniſeſtare dignatus eſt Eccleſiæ ſuæ. Hæc autem ſcriptura agnoſcenda, & ex ſpuriis, & ſuppoſititiis diſcernenda eſt, eiúſque ſenſus germanus à Spiritu Sancto

intentus, exquirendus est: quomodo autem, & vnde? hoc opus hic labor, quare multa praeloqui de Sacra scriptura necesse est, quae singula exquisitis quaestionibus perstringo.

QVÆSTIO I.

De origine, & scopo Scripturæ Sacræ.

PEritè omninò S. Ambrof. in epist. ad Romanos; *Principia rerum*, inquit, *quærenda sunt, vt notitia earum possit haberi, tunc demum enim faciliùs poterit causa ratio declarari si eius origo discatur.* Supposito ergo quòd detur Sacra scriptura vti testimonio Christi Ioa. 5. declaratur. *Scrutamini*, inquit, *scripturas quia vos putatis in ipsis vitam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et euidentia rei patet, id est, ipsis quæ manibus nostris terimus monimentis, quæ iussu Dei scripta sunt consignata à SS. Patribus, propagata ad nos diuturnitate temporis, confirmata miraculorum virtute. Quod & iudicio vniuersalis Ecclesiæ conuincitur: Nam vt scribit August. lib. contra Faust. cap. 2. & *scripturam diuinam esse per succedentium Ecclesiarum, & Sanctorum Patrum testimonia declaramus.*

Originem eius indagare, & inuenire arduum non est, ex nomine enim corda sursum habere docemur quem solum per essentiam sanctum, & sanctitatem rebus dare nouimus, ex quo enim scriptura sancta, dicitur eáque tantùm perquiritur, profectò humana quælibet secernitur, eaque sola admittitur quæ Biblia nuncupatur, seu Codex Veteris nouique Testamenti, qui non spiritu humano, sed inspiratione & reuelatione diuina peruenit ad nos.

Licet enim Deus immediatè, & per se Librum illum non exarauerit, seu digito suo non scripserit in membranis, vti legimus Decalogum in tabulis lapideis scripsisset: tamen quia Scriptorum voluntatem mouit, vt ea quæ, vel inspirabat, vel quæ per Angelum dictabat vt Daniel 10. exprimitur Zachariæ 1. Apoc. 1. ipsi fideliter ac sincerè scriberent, ita vt aduersus, aut præter inspirationem, & illuminationem verbum nec adderēt, aut detraherent incogitanter negligēter, aut erroneè (vnde omnia in sacro codice seu Biblia, expressa vsque ad apicem, & iota vnum diuina & inspirata esse constat) Deo soli referenda sunt authori: quia si quæ per alios facimus dicimur nos ipsi facere vt habet regula iuris; à fortiori vbi inspiratio, motio, assistentia specialis, aut actuale diuinæ gratiæ auxilium, vel reuelatio, aut habitus aliquis veritatis, quo dictata percipiuntur vel iudicantur esse vera & scribenda præsupponitur datus; sicuti docent Petrus 2. cap. 1. *Non humana voluntate allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* 2. Timoth. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum.* Imò Deus ipse ante quamlibet scriptionem declarauit; Moysi enim dixit Exod. 4. *Perge itur, & ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* Hierem. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super Gentes, & regna vt euellas & destruas & disperdas & dissipes, & adifices.* Ezech. 3. *fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.*

Euangelium autem sua se luce prodit cum à Verbo incarnatum factum, & reuelatum sit, *nemo enim Christum Dei filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Matth. 11. vti Apostolus reuelauit, *quos non seruos sed amicos,* in ipso Euangelio vocat, quæ ipsis quæ didicit à Patre reuelauit, eáque sunt quæ scripserunt Euangelistæ hinc Paul. Galat. 1 *Euangelium quod est à me euangelizatum, non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.*

Licet autem Angeli perhibeantur loquuti aliqua Scriptoribus Bibliæ, non tamen eorum censendi sunt authores, tum quia hoc vti Dei administri fecerunt, tum quia Heb 1. Deus solus siue prout in se, siue vt incarnatus accipiatur, loquutus multifariàm exprimitur. vnde lex quæ per Angelos promulgata dicitur Act. 7. & Galat. 3. vocatur *Lex Dei*, & non Angelorum. *Diuina ergo est origo scripturæ Sacræ.*

Scopus Dei scripturam promulgantis est, instructio hominis, nam vt docet Hieron ad Demetriadem, *in sacra scriptura prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta.* At inquies Deus hominem absque scripto sola Patrum traditione per bis mille & quadringentos annos instituit, & plenè informauit, vt in confesso est apud omnes Doctores (nec enim constat Enoch aliquid posteris scripto tradidisse, sed tantùm prophetasse dicitur) cur Doctrinam fidei postmodùm mandari litteris, & hominem scriptis doceri voluit? Hoc admirantur studiosi triplici ex causa. Prima equidem quòd Deus ante traditas legis Tabulas nec Patribus antiquis, neque in nouo Testamento Apostolis ipsis aliquid tradiderit scripto, sed olim ipse coram proprio ore fere semper loquutus perhibeatur. Deinde Apostolis se gratiam Spiritus Sancti pro litteris daturum promiserit. Secunda, quod ex Pauli sententia Lex ipsa diuina omnibus hominibus vi quadam naturali indita notetur, Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent*, scilicet scriptam, *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum.* Quod tamen de præceptis morum dumtaxat, & non de fidei Regulis quæ supra dictamen naturæ sunt intelligendum esse docent SS. Patres. Tertia quòd homines præsertim Christianos à Deo doceri constat ex c. 31. Hieremiæ, vbi Deus per Prophetam sic loquitur: *Pangam vobiscum fœdus nouum, dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum superscribam eas, & erunt omnes à Deo docti* Solutio fere vna est Sanctorum Patrum scripturam videlicet in defectum naturæ corruptæ subrogatam: & ideo opportunè inspirauit

Deus

Deus Moysem & mouit ad describenda natalitia mundi, quem in principio, seu ante omnia, ex beneplacito suo creauit. Vsque ad Moysem Lux illa quam Dauid testatur Psalm.4. ab authore naturæ signatam super hominem, radiis suis mentem eius illustrabat, & notitia Creatoris sufficienter à Patribus in posteros transmissa mundum ab erroribus auertebat. At vt obscuratum est cor hominum, & ignorantiæ insipientiæque tenebris obuolutum, necessarium omnino fuit lumen illud renouare, & veritatem ipsam introducere, per multa equidem, sed per longè latéque resonantia elementa, & monimenta litterarum seu Scripturæ.

Occasus autem primæuæ lucis illius notatur accidisse tempore Mosis, cùm filij Israël erroribus Ægyptiorum imbuti cœperunt male sentire de creatione mundi, ipsumque à malo principio productum crediderunt. Error detestabilis, quem Marcion & Manichæus postmodum professi sunt, agnoscentes dæmonem authorem rerum visibilium, quem ideo in scriptura principem dictum huius mundi asserebant.

Suscitari ergo debuit à Deo seruus eius Moyses ad comprimendum, penitúsque extirpandum hunc errorem omnis impietatis, & confusionis seminarium; quod aggressus notatur cum in medio narrationis, & historiæ suæ Deum Creatorem cœli, & terræ authenticè scribit.

Quod autem ad hoc scribendum impulsus fuerit diuinitùs, signa ipsa & prodigia quæ in nomine Dei, cuius describebat & profitebatur dominium, & supremam potentiam, sat supérque probant Deus autem in cuius nomine elementa commouebat, nunquam potest testis esse mendacij vel erroris. Libros autem Mosis pluribus & stupendis miraculis confirmauit, vnde liquidò constat nihil in ipsis erroneum contineri, sed omnia à suprema veritate emanata, & dictata fuisse.

Rationem hanc motiui ad scribendum, & Scopi ipsius Scripturæ afferunt August. Chrysost. & alij communiter. August. lib.1. Doctr. Christi cap.39. *Homo fide, spe & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens non indiget scripturis nisi ad alios instruendos, itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus viuunt.* Chrysost. clariùs loquitur super cap.8. Matth. *Scriptura ad præiudicium peccatorum facta sunt non ad necessitatem sanctorum, quia rectis, & fidelibus scriptura necessaria non sunt, sed iniustis, magistra enim omnis iustitia ipsa est natura hominum.* Et in principio operis imperfecti Comment. in Euang. Matth. ita exorditur. *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio litterarum, sed tam mundam habere vitam, vt librorum vice, gratia Spiritus Sancti suppeteret nostris animabus, & sicut attamen to illi, ita corda nostra inscripta essent à Spiritu: quia vero hanc à nobis excussimus gratiam, age, vel secundam nauigationem amplexemur.* Ante ipsos Origenes super illud Exodi, *Proiecit tabulas, scripsit sacras litteras vocari secundas tabulas, quasi Sacra Scriptura data fuerit hominibus dissipato rationis indita dictamine.*

Placuit ergo diuinæ bonitati hominem obliuiosum, & ab adolescentia pronum ad malum scriptis instruere, dirigere formare & perficere, scriptis inquam è cœlo datis quasi nouâ accessione ad internum conscientiæ dictamen, & Progenitorum traditiones; quia vtriusque modi coniunctio Codicis scilicet sacri, & Traditionum perfectior, & cumulatior est magisque docet, hæret altiùs animo, oculis ipsis patet, sensum tangit, pluribus prodest, dissimulari nequit & Religionem cultumque Dei legitimum inconcussè & inuiolatè conseruat. Nam si Religio in fide, spe, & charitate consistit, Scriptura Sacra proponit mysteria pro fide, promissiones amplissimas habet pro spe concipienda, & singularia iniungit præcepta ad charitatem formandam, & fouendam. Ad hæc autem reuocatur summa totius doctrinæ in Codice sacro reuelatæ vt docet August. in lib. de agone Christiano, in lib. de Catechizandis rudibus & alibi; & hæc tria perficiunt hominem, Deique imaginem in ipso reformant, & ad principium suum à quo culpabiliter declinauerat, fœliciter reducit vt videre est in serie Pentateuchi, ista enim primaria scripta Deum creatorem, gloriæ & honoris zelatorem, peccata hominum punientem, consequenter adorandum, colendum, timendum, demonstrant: cum autem in Exodo Moses legem accepit digito Dei in lapide exaratam, & in Leuitico præscribit modum inseruiendi Deo, & in Numer. Libro dirigit Israëlem in terram promissionis, sanæ Prouidentiam Creatoris erga populum suum specialiter electum confirmat, & replicando legem in Deuteronomio, hominem penitus conuincit de recta in eum fide, spe, & charitate concipiendâ, Nec ab eo Scopo deuiat Bibliæ totius Oeconomia, quam ad perfectum omnino adducit Euangelica noui Testamenti Seraphim institutio.

Nota Bibliam in fœminino singulari passim à me vsurpari, id antiquorum scriptorum more facio, & quia vox hæc sæpius repetenda expeditior mihi videtur, & magis congruere excellentiæ Libri sacri, obseruo enim Virtutes ipsas, & res excellentissimas, genere fœminino donatas, & Codicem sacrum gallico idiomate dici, *la Bible.*

QVÆSTIO II.

Quæ sit Sacra Scriptura.

IN multis magnisque beneficiis quæ per sacra Concilia Deus Ecclesiæ suæ contulit, id in primis numerandum videtur, quòd sacram Scripturam declarauit, & diuersa super hoc decreta ediderit, ad indigitandum fidelibus, qui vitam æternam in scripturis se habere norunt, quæ diuina, sacra, canonica, & nullatenus corrupta, adulterata, & deprauata esset scriptura. Nouissimè omnium Sacrosancta, & Oecumenica & generalis Tridentina Synodus Decretum de Canonicis Libris edidit, & decreto censuit adhibendum Indicem eorum, ne cui dubitatio oriri posset, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti vt videre est in Præfatione Bibliorum vulgatæ editionis Sixti V. Pont. Maximi iussu editorum, & Clementis VIII. authoritate editorum, primò Romæ, deinde ad exemplar istorum, variis in locis cum facultate, & approbatione Superiorum impresso

impressorum. *Testamenti veteris.* Quinque libri Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, Duo Paralipomenon, Esdræ, primus & secundus, qui dicitur Nehémias: Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidicum, centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum primus, & secundus summa 45.

Testamenti noui. Quatuor Euangelia secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti, Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli. Ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli summa 27. conglobata 72. Libri. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgatâ Latinâ Editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit anathema sit.

Catalogus, seu Canon iste non primum à Concilio isto factus est sed iam olim: nam traditus fuit ab Innocentio I. Papa ad Exuperium Episcopum Tholosæ epist. 3. cap. 7. anno Christi 405. Deinde editus à Concil. Carthaginensi 3. cui interfuerunt 218. Episcopi, inter quos subscripsit Augustin. anno Domini 419. Notandum autem quòd more aliorum complectitur Baruch sub Hieremia. Probatus est item in Concil. Romano vt habetur canone, *sancta Romana Ecclesia*, dist. 15. denique à Concil. Florentino.

Huiusmodi ergo libros non plures nec pauciores esse sacros & canonicos creditur ex authoritate Ecclesiæ vtpote sufficientissima, præter quam non sit inuenire aliam ab omni errore liberam Hoc probo scripturæ, SS. Patrum testimoniis, & ratione.

Probatur ex scriptura Deuteron. 17. Deus voluit ab vna Ecclesia exemplar peti Sacrorum Codicum. *Postquam sederit*, inquit, *Rex in solio regni sui describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum.* Vnde Iosias Rex optimus verum librum legis Domini non dubitauit esse quem Helcias Pontifex ac talem esse iudicauit, & quia non dubitauit, mercedem non vulgarem à Deo accepit, *Colligam te*, ait Deus 4. Reg 22. *Ad Patres tuos & colligeris ad sepulchrum tuum in pace vt non videant oculi tui omnia mala quæ introducturus sum super locum istum.* Ioann. 16. promisit ei Christus vt doceatur à Spiritu Sancto omnem veritatem. *Cum venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, fundamentalis autem hæc est assignatio sacrarum litterarum, atque à profanis distinctio Matth. 18. Ecclesiæ iudicio, & definitioni acquiescere tenentur fideles, *si quis Ecclesiam non audierit*, sit tibi sicut Ethnicus, quod est pessimum anathema, inter alias autem definitiones definit, & credi imperat libros quos recensui sacros esse non plures nec pauciores. Nec hic locum habere potest trita illa tergiuersatio, Romanam quidem Ecclesiam id definire, hanc enim solam veram, & legitimam esse ac dici posse constat ex articuli noni declaratione *Credo vnam Eccl.* & euincitur propositio ex confessione Aduersariorum quòd Romana primis quingentis annis pura, & sancta extiterit.

Probatur ex SS. Patrib. primi quingentenarij. Gelasio in decreto librorum Canonicorum, vbi notandum quòd cùm recenset Machabæorum librum vnum, intelligat volumen vnum duos habentem libros: vti vnum dixerat Esdræ librum Alcino Auito tom. 8. Biblioth. Patrum, Cassiod. lib. 1. de diuinarum institutione scripturarum Augustino lib. contra epist. fund. cap. 5. vbi ait se non crediturum Euangelio, nisi ad hoc Ecclesiæ authoritate moueretur, vnde librum à Fausto Manichæo prolatum, ait non esse recipiendum quia illum non recipit Ecclesia.

Probatur ratione, si quid esset ab Ecclesia diuersum cuius beneficio possemus esse certi de libris sacris, vel esset diuina reuelatio, vel priuati alicuius hominis sapientia, vel scriptura ipsa diuina: sed nihil horum dici potest, ergo restat vt certitudinis huius habendæ gratia ad Ecclesiam recurramus. Probatur antecedens ac primùm quo ad reuelationem attinet, via est extraordinaria, quâ proinde iam Deus vti non soleat cùm ait Paul. Rom. 13. *Quæ à Deo sunt ordinata sunt*, adde quod reuelatio huiusmodi librorum, vel fit omnibus, vel vni tantùm, aut aliquibus: non omnibus vt patet, non item vni, aut aliquibus, tum quia non est ratio cur his fiat, & non aliis, cùm omnium æquè intersit libros illos nosse, tum quia meritò suspecta est, tam his quàm aliis, quamdiu non interuenit vllum miraculum (vt certè nullum interuenit nec patratur ab his qui reuelationem iactant) his quidem quia Angelus satanæ transfigurans se in Angelum lucis facilè iis potest illudere, aliis vero quia minus exploratam habent huiusmodi prætextam horum reuelationem.

Quod ad sapientiam priuati hominis, *quiuis mendax est*, *Psalm.* 115. *& vanitati obnoxius Rom.* 8. & in errores multos incidit etiam circa res sensibiles quas habet præ manibus, nec quisquam est tam perfrictæ frontis qui se in multis circumueniri posse abnuat, quo ergo iure credere poterit, se, vel alium suæ relictum prudentiæ, & humanæ perspicacitati quæ altissima sunt pertractando extra erroris periculum iactúmque consistere? Deinde ratio postulat vt quod omnes tangit ab omnibus approbetur, scire porrò certò quinam libri sacri sint spectat ad omnes. non ergo priuati alicuius est id definire, sed totius multitudinis, seu eorum, *quos dedit Deus Pastores & Doctores in Ecclesia ad consummationem sanctorum.* Ephes. 4 qui ita pro Ecclesia supponunt eámque repræsentant.

Dices si priuatos quispiam hanc librorum sacrorum notitiam tam necessariam à

Deo

Deo postulet ille qui dixit, *petite, & accipietis*, certè dabit.

Respondeo promissionem illam cum discretione intelligendam, si de re agitur quæ intersit omnium vt ista de qua agimus omnibus præsto est diuinum lumen quod illam doceat, sed ad priuatos non nisi mediis superioribus deriuandum quia in hoc genere vt dixi quæ à Deo sunt ordinata sunt Rom 3. Ipsamet fides ex auditu est Rom.10. & cœlestis doctrina vnguento similis in capite Aaron *Quod descendit in barbam, & in oram vestimenti eius.* Psalm. 132. Si de alia etiam tunc sæpe numero requirit Deus interpositam personam cum Paulo interroganti. Act.9. *Domine quid me vis facere*, responsum fit, *surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Alias personam quidem non requirit, debitam tamen exigit animi præparationem suspensurus dona sua si ea desit, quo spectat illud Iacob.4. *Petitis, & non accipitis eo quod male petatis* Quis porrò certo scit, aut iure gloriabitur nihil à se prætermissum quod ad dispositionem illam sufficientem sit necessarium? quis sine præsumptione liberum se ab omni culpa credit? *Quis autem dicere potest mundum est cor meum, purus sum à peccato*? Prouerb.20. quis item delicta intelligit? *ab occultis meis munda me*, aiebat vir sanctissimus.

Sed neque à scriptura certum istud indicium peti potest, quia vel vna eademque à seipsa testimonium accipit vel ab alia vt Psalterium ab Euangelio si primum testimonium hoc per se insufficientissimum est, & suspectum, cum tale sibi arrogent quàm plurimi nefandi libri, vt Alcoranus Mahumeti, & libelli Pseudoprophetarum semper in ore habentium. *Hæc dicit Dominus.* Præterquam quod, si Prophetias excipias, vix vlla sacri pars eloquij vocat se verbum Dei. Si secundum erit progressus in infinitum, quia pars illa quæ diuinam alteri conciliabit authoritatem, non poterit ab illa testimoniũ accipere, ne ignotũ probetur per ignotius, ergo accipere debebit ab alia, & rursus ab alia & sic deinceps. Sed excipit Caluinus, & ait, *Tanta est Scripturæ Sacræ simplicitas, tanta veritas eã præterea vbique spirat oletque sanctitatem vt nemini qui non planè obstupescat dubium sinat obrepere quin sit verè sacra.* Tu potiùs es Caluine qui scribendo ista mirè obstupescis, & ineptè colligis. Planè inest scripturæ simplicitas, sed cuius occasione plurimi eam ludibrio habuerunt. Vnus Lutherus vt cæteros prætercam, ex natiuis Iob Prophetæ sententiis, tantam offensionem accepit, vt eas continua quædam ægri somnia reputare non erubuerit. Inest & veritas sed quàm altè immersa. Ea non in littera est, sed in sensu quem intendit Spiritus Sanctus ipsóque obscurissimo, vt patet ex continuo litigio inter Orthodoxos & Hæreticos, & multiplici, vt constat ex varia vnius textus Doctorum versione, & interpretatione.

QVÆSTIO III.

Quomodo factus sit catalogus librorum canonicorum.

RESpondeo Ecclesiam tam in veteri quàm in nouo Testamento post quam cœpit habere libros diuinos non statim eorum omnium simul habuisse Canonem sed successiuè quod patet, quia in vtroque Testamento alij aliis priùs scripti fuerunt, multis enim sæculis ante Prophetarum v. g. Isaiæ, & Malachiæ libros extiterunt scripta Moysis. Et in nouo Testamento ante Pauli epistolas ad Corinthios ad Timotheum, &c. ante Apocalypsim fuit S. Matthæi Euangelium.

Quamuis autem aliqui simul extiterint, non tamen eodem tempore de ijs edixit Ecclesia declarans eos canonicos. Nam ipsa circa libros de quorum authoritate quæritur, triplici modo se habere potest; Primo vt actum faciat quem vocant positiuum, idque dupliciter, approbando scilicet librũ, testificando de sanctitate, & diuinitate eius; vel positiuè improbando, seu testificando eum non esse canonicum 3. suspendendo huiusmodi actum. Quod profecto diu fecit circa libros de quibus aliquando anceps fuit inter Catholicos sententia; Et hinc est quod in Concilio Laodiceno cap. 59. cuius titulus est. *Quæ legere, vel psallere in Ecclesia conueniat*, nulla fit mentio de Libris Tobiæ, Iudith, Sapientiæ Ecclesiastici, Machabæorum, & Apocalypsis. Vel quia dubium aliquod fuerit de illis; vel quia SS. Patres iudicium de re tam graui in aliud tempus differre voluerint, vel singulari ex causa Concilium hoc quod erat prouinciale omisit eos Libros qui non erant de Canone Hebræorum: non quod quicquam de illis iudicauerit, sed non numerauit inter eos qui in Ecclesia essent legendi; idque præsertim, propter Iudæos ad fidem conuersos & adhuc iudaizantes quibus Phrygia abundabat ab Apostolorum temporibus: Hos nimirum sancti illi Episcopi irritare noluerunt iis libris Veteris Testamenti legendis in Ecclesia quos in Canone Hebræorum non habebant.

Cæterùm hi Libri à sequentibus Conciliis, & paulò pòst totius Ecclesiæ consensu approbati & repetiti fuerunt inter scripta canonica, vt videre est in scriptis Doctorum. Concil. Carthag. tertium tempore Syricij Papæ habitum anno Christi 397. hos recenset, & recipit vti canonicos, capit. 47. vt videre est tomo 1. Concil. Innocentius I. eundem Canonem Librorum habet in epist. ad Exuperium Episcop. Tholosatem & Gelasius coadunatis 70. Episcopis anno 490. idem decreuit. Alcinus Auitus anno 500. tomo 8. Biblioth. Patrũ, hos omnes recenset. subinde & Cassidorus, Isidorus, Rabanus, &c.

Hinc est quod Libri tam Veteris quàm Noui Testamenti duobus inter se ordinibus solent à multis distingui, quorum alter prior est, alter posterior, prior inquam, non authoritate, certitudine, aut dignitate, (nam vterque præstantiam suam ac maiestatem ab eodem Spiritu Sancto authore accipit) sed cognitione ac tempore

tempore quibus duabus rebus fit vt ordo alter præcedat alter sequatur.

Canonici primi Ordinis quos Protocanonicos vocat Sixtus Senensis sunt indubitatæ fidei Libri, id est de quorum authoritate nulla vnquam in Ecclesia fuit dubitatio, aut controuersia, sed statim ab initio nascentis Ecclesiæ communi omnium Orthodoxorum Patrum, consensu recepti fuerunt ad firmandam, probandamque fidem assumpti: Quales sunt in Veteri Testamento quinque Libri Moysis,& in nouo quotuor Euangelia, & alij his similes.

Canonici secundi Ordinis, seu Deuterocanonici, olim Ecclesiastici tantùm dicti sunt illi de quibus non statim sub illis Apostolorum temporibus, sed longè post, ad notitiam totius Ecclesiæ peruenerunt, & de quibus anceps aliquando fuit sententia inter Catholicos: veluti sunt in Veteri Testamento Libri Esther, Tobiæ, Iudith, Baruc, Epistola Ieremiæ, Sapientia, Ecclesiasticus, Oratio Asariæ, Hymnus trium puerorum, Susannæ,& Belis historia, Liber primus & secundus Machabæorum. Similiter & in nouo Testamento cap. 16. seu vltimum Marci, historia Lucæ de Christi sudore sanguineo,& apparitione Angeli in horto Getsemani, Ioannis historia de muliere adultera, Pauli Epistola ad Hebræos. Iacobi Epistola, Petri secunda, Ioannis secunda & tertia, Iudæ Epistola, & Apocalypsis Ioannis, quos olim prisci Patres tanquam apocryphos & non canonicos habuerunt, eósque apud solos Catechumenos nondum capaces lectionis canonicæ (vt in Synopsi testatur Athanas.) primùm legi permiserunt, deinde procedente tempore apud omnes fideles legi & recitari concesserunt, vt scribit Ruffin. in Symbolo, non tamen ad dogmatum confirmationē, sed ad solam instructionem populi, & quia publicè in Ecclesia legerentur, Ecclesiasticos nuncuparunt.

Demùm verò inter Scripturas irrefragabilis authoritatis assumpti sunt, cum scilicet Ecclesia examen addidit, & explorauit, vel Authoris, vel eius à quo Librum accipiebat inspirationem ac sanctitatem, quod à Deo nouit, ideo non ampliùs suum iudicium suspendit, sed testificando de Librorum sanctitate retulit eos in Canonem, de quibus in primis Conciliis, vel nihil ordinatum fuerat, vt in Laodiceno, vel de quibus sententia vniuersalis Concilij quæ autographo examinato, eiúsque authore probè cognito, & approbato, quæ diffinitiua esset expectabatur, vt habetur hodie nouissima post alias Concilij Tridentini.

Ecclesia autem vti obligare potuit fideles ad Protocanonicos admittendos ita, & ad Deuterocanonicos: sic enim loquitur August. tomo 6. contra epist. fundamenti Manichæorum cap. 5. *Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas*, & serm. 191. de temp. *Nouum & Vetus Testamentum recipimus in illorum librorum numero quem sanctæ Ecclesiæ Catholicæ tradit authoritas.*

Dices licuit aliàs dubitare de authoritate horum Librorum Estheris Machab. *&c.* ergo & hodie ipsimet controuerti possunt.

Respondeo intercessisse determinationem Ecclesiæ quâ positâ ambigendi non datur locus, sed obediendi, alioquin dicerem identitate paralogismi dubium aliquando fuit an Pagani qui fidem suscipiebant circumcidendi essent, An Lex obligaret ad Sabbathum: ergo & hoc hodie in dubio erit.

Certum esto, multa esse de quibus anceps, & libera potuit esse disputatio,& opinio, sicuti exempli gratia, de Baptismo Hæreticorum, *an validum esset*, tempore S. Cypriani, de Gratia, & Libero arbitrio tempore Pelagianorum, de visione beatifica Animarum à separatione, ante decisionem Bonifacij Papæ VIII. *&* Conc. Florentini, Sed post definitionem, & determinationem Ecclesiæ, quæ maximè in Conciliis habetur, quòd priùs error tantùm erat, fit hæresis, nemini enim licet contradicere, aut aliter sentire: aliàs incurritur pœna eorum de quibus Matth. 12. Christus dixit, *Qui non est mecum contra me est*,& Matth. 18. *Qui non audierit Ecclesiam sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*, fixus ergo & inconcussus stat Canon, seu Catalogus Sacræ scripturæ quem maximo cum examine fecerunt Concilia generalia. Centuriatores Magdeburg. hanc tantùm Canonicam admittunt scripturam quæ in Canone Hebræorum recensetur. Confessio Lutherana, sic habet Sacram scripturam vocamus, eos canonicos libros veteris, & noui Testamenti de quorum authoritate nunquam in Ecclesia dubitatum est. Quasi verò Ecclesia Catholica non illustretur hodie à Spiritu Sancto qui doceat eam omnem veritatem, & à conceptis dubiis eximat? dubitauit Thomas de Christi resurrectione; num in hac sua dubitatione permanere nihilominus debuit? etiam, postquam suas illi cicatrices Christus ostendit? sed sicut dubitatum est à Thoma ne dubitaretur à nobis: sic etiam de quibusdam Canonicæ scripturæ Libris dubitatum aliquando fuit, vt per eorum quorum intererat, præsertim verò Patrum in Concilio congregatorum sententiam dubitationi quandoque finis imponeretur. Ad hoc enim Concilia congregantur, vt quibus de rebus dubitatur, de iis quid pro certò teneri debeat, decernatur.

Dices singulariter contra primum, & secundum librum Machabæorum quod non legantur in Canone Hebræorum.

Respondeo, nec potuisse, cùm Machabæi extiterint trecentis annis post Esdram, scilicet anno creationis 3838. Esdras autem, vt habent certiora chronica viuebat anno 3583. quo tempore vnà cùm Primoribus Synagogæ instituit Canonem, qui primus seu Antiquus nuncupatur, ad numerum litterarum Alphabeti hebraici, & habet viginti duos libros veteris Testamenti. Alter Canon editus fuit longè post per Iudæos, cui liber Ecclesiastici, & Machabæorum inserti fuere, vt testatur Iosephus qui ab Eccles. textum allegat cap. 42 *Melior est iniquitas viri quàm mulier bene faciens*, lib. 2. contra Apionem, quod quidem ad Canonem Esdræ nequaquam referri potest, cum nondum suo tempore compilatus esset Ecclesiasticus; quod à fortiori intelligi & dici debet de Libris Machabæorum.

Instabis. Machabæos non haberi in vers. 70. Interpretum.

Respondeo illos extitisse 117. annis ante Machabæos sub Ptolomeo Philadelpho, circa annum

annorum circiter 3721. quare notitiam non potuerunt habere primi Machabæorum libri hebraice editi, nec secundi græcè conscripti, & vtriusque à diuersis authoribus.

Instabis authorem Machabæorum anonimum, & incognitum esse.

Respondeo hoc idem constare de Libro Iudicum, Regum saltem de Paralip. quod tamen non obstat quin communiter ab omnibus canonici reputentur.

Dices authorem veniam petere à Lectore, quod non potest competere Libro à Spiritu S. dictato.

Respondeo id versari circa locutionem; seu scriptionem, quam politiorem expetiisset scriptor: licet autem daremus excusationem exquiri ipso dictante Spiritu Sancto, nihil inde habetur contra fidem canonicam eorum quæ scribi mandauit, solet enim Spiritus Sanctus attemperare se instrumento quo vtitur, ita vt eleganter loquatur per scribam, aut oratorem excultum, & impolitiùs per impolitum. Sic & Paulus 2. Corinth. 11. ait. *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia*, nemo autem exinde controuertit inspirationem Paulinam, imò sicut verbum increatum Patris æterni homo factum veritatem diuinæ suæ naturæ retinuit, nonobstante vnione mortalitatis & fragilitatis humanæ; sic Spiritus Sanctus veritatem essentialem rerum retinuit, & conseruauit eorum quæ pro beneplacito suo reuelare dignatus est nobis, nonobstantibus circumstantiis imbecillitatis naturalis illorum quibus afflabat, aut dictabat verbum suum.

Reliqua quæ obijci solent contra hos libros discussa habes in Speculo nostro Bibliorum in præfatione Machabæorum, hæc autem hic digerere placuit, quia dogma Purgatorij, Machab. maximè confirmatur.

QVÆRES, *An Canon iste Scriptura possit augeri.*

Respondeo affirmatiuè, quia posset ab ipsa Ecclesia Christiana examinari aliquis eorum Librorum qui non sunt positiuè improbati, & diuinus seu canonicus reperiri.

Tum multi Libri de veteri Testamento periere, vel temporum iniuriâ, & ob frequentia Gentis hebrææ excidia: vnde Chrysostom. in cap 2. primæ Corinth. hom. 7. ait. *Liber Deuteronomij vix tandem repertus in ruderibus: siquidem magna Librorum copia perijt, & pauca ex priori captiuitate volumina superfuerunt, quod ex reliquijs planè constat, & quid ego captiuitatem memoro? Nam ante captiuitatem multa abolita sunt volumina, cum Iudæi in vltimam prolapsi sunt impietatem, quod in calce quarti Regum manifestè deprehenditur.* Vel ob eiusdem Gentis inuidiam in populum Christianum: vel quod crediderim libentiùs quòd ad Ecclesiastici regni gubernationem, & animarum salutem necessarij non essent. Si ergo quis eorum reperiretur, nunquid in Canone collocandus esset? cùm in præfatis Canonicis plures qui interciderunt legamus memorari, & testimonium habere. Viginti quinque notantur de quibus fit mentio.

Liber bellorum Domini, de quo fit mentio Num. cap. 21.

Liber iustorum de quo Iosue 10.

Liber verborum dierum Salomonis 2. Regum 1.

Liber verborum Regum Israël qui citatur 3. Reg. 14.

Liber Regum Iuda & Israël 3. Reg. 15.

Liber Asarij filij Obed ad Regem Asa, & omnem Iudam & Benjamin 2. Paral. 15.

Liber Anani ad eundem 2. Paral. 16.

Liber Michææ filij Zemla ad Achab Regem Israël, & Iosaphat Regem Iuda 3. Regum 28.

Liber Iasielis filij Zachariæ ad eundem Iosaphat 2. Paral. 28.

Elieser filij Dodan ad vniuersum Israël 3. Reg. 12.

Obed ad Roboam Regem Iuda 4 Reg. 14.

Semeïæ contra eundem.

Vriæ contra Hierusalem, & terram Iuda. Hieremiæ 26.

Samuëlis videntis, id est, Prophetæ.

Nathan Prophetæ.

Gad videntis 1. Paral. vltimo.

Achias Silonites.

Ado, qui scripserunt historiam Salomonis 1. Paral. 29. & 2. 29.

Osaï Prophetia 2. Paral. 33.

Ionadæ Rechabitæ statuta. Hierem. 35. & 4. Reg 8.

Iehu filij Anani historia Iosaphat 2. Paralip. 20.

Osiæ regis Iudæ historia ab Isaia filio Amos scripta 2 Paral. 26.

Descriptiones Ieremiæ Prophetæ 2. Machabæor. 2.

Ioannis Hircani liber dierum 1. Machab. vltimo.

De his autem libris qui in vetere illo statu Ecclesiæ citantur nec reperiuntur in Bibliis nostris sic scribit Origenes hom. 1. in Cant. *Operosum est si velimus nunc inquirere quàm multorum Librorum fiat commemoratio in scripturis diuinis, quorum lectio nulla nobis omnino est tradita, sed neque apud Iudæos quidem vsum reperimus lectionum: quæ siue propterea quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui Sancto ferre de medio, siue quod essent de scripturis quæ vocantur apocryphæ, pro eo quod multa in eis corrupta, & contra fidem veram inueniuntur à maioribus tradita non placuit eis dare locum, nec admitti ad authoritatem supra nos est pronuntiare de talibus. Illud tamen palam est multa, vel ab Apostolis, vel ab Euangelistis exempla esse prolata, & nouo Testamento inserta quæ in his scripturis quas canonicas habemus, nunquam legimus: in apocryphis tamen inueniuntur, & ex ipsis ostenduntur assumpta.*

QVÆSTIO IV.

An editio Hebraica Mosis, & Prophetarum extet vel quam habemus sit reparatio Esdræ.

Respondeo aliquos cum Basilio in epist ad Chilonem sensisse vniuersam scripturam, periisse tempore captiuitatis Babylonicæ, quando

do Hierusalem euersa, & templum incensum fuit: ac deinde ab Esdra rursum reparatam, seu rescriptam fuisse, suggerente, & dictante ei Spiritu Sancto sicut antea legebatur. Quidam aiunt Tertullianum & Clementem Alexand. sic sensisse. At hoc apud illos non lego, fundamentum huius opinionis est testimonium libri quarti Esdræ apocryphi cap. 14. vbi disertè habetur Esdram totis 40. diebus dictasse ex afflatu diuino quinque viris qui quæ ab eo summa celeritate dicebantur, excipiebant vers. 44. dicitur. *Scripti sunt autem per 40. dies libri ducenti quatuor de quibus septuaginta reseruari voluit altissimus, vt sapientibus de populo tantum traderentur.* Factum est hoc in campo ad quem à Domino accitus fuit Esdras. Sed hic liber non modo apocryphus est, & ab Ecclesia nunquam receptus, sed etiam in multis locis redolet fabulas iudaicas, & in fine capitis 14. non aliter loquitur de istis 70. libris, quàm omnes Thalmudistæ faciant de sua cabala. *In his est vena intellectus, & sapientia fons & scientia flumen* Quare potius testimonium huius libri detrahit fidem quàm afferat huic sententiæ. Ex libris autem canonicis nihil tale colligitur.

Quod autem quidam dicunt id colligi ex libro secundo Esdræ cap. 8. tantum abest vt sit verum, vt potiùs contrarium inde colligatur. Sic enim legimus. *Dixerunt Esdræ scribæ vt adferret librum legis Mosis Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine.* Non dicunt vt rursus componeret librum legis, sed vt afferret, quia sciebant adhuc inueniri. Præterea etsi scriptura quæ publicè seruabatur in templo cremata fuerit, & perierit, tamen incredibile est, non fuisse etiam aliqua exemplaria, vel certè partes eorum, apud priuatos homines, & præcipuè apud Ezechielem, Danielem, Ieremiam, Aggæum, Zachariam, Mardocheum, & ipsummet Esdram, qui tunc viuebant, & quibus Lex Domini curæ fuit singularis.

Est ergo altera sententia fuisse quidem Esdram librorum sacrorum restauratorem non dictando iterum omnia, sed colligendo, & ordinando scripturas in vnum corpus, quarum partes variis in locis inuenerat: & etiam emendando, si quædam deprauata erant negligentiâ Scribarum, cùm toto tempore captiuitatis Lex negligenter seruata sit, cùm non haberent Iudæi templum, & tabernaculum.

Ista sensisse videntur grauissimi Authores, nam Chrysost. hom. 8. in epist. ad Hebræos docet Esdram ex reliquiis scripturæ iterum eam composuisse. Hilarius præfat. in Psalmos ait Esdram omnes Psalmos collegisse, & ex eis vnum librum confecisse. Theodoret. præfat. in Psalm. ait scripturam veterem deprauatam fuisse tempore captiuitatis, & ab Esdra reparatam, Quod idem mihi significare videtur Irenæus lib. 3 cap. 25. Tertull. lib. de habitu mulierum, & Clemens lib. 1. Stromatum dicunt Esdram recensuisse, & instaurasse libros omnes veteris Testamenti, sed non addunt memoriter. Nec meminerunt historiæ quæ habetur in lib. 4. Esdræ. Hieronymus in Prologo galeato dicit Esdram inuenisse nouas litteras hebaicas, & antiquas quidem reliquisse Samaritanis, nouas autem tradidisse Iudæis, quibus etiam nunc vtimur, nam vt testatur capite nono Ezechielis littera postrema Alphabeti hebraici antiqui similis erat. T. Græcorum & figuram crucis referebat, *quoniam finis legis Christus crucifixus est.* Nunc postrema littera Alphabeti nullam videtur habere similitudinem crucis: proinde sine dubio nouas habemus litteras. De noua autem Librorum sacrorum editione per Esdram facta nihil dicit Hieronymus, cùm tamen ibi maximè esset locus, dicendi.

Denique si Esdras libros sanctos iterum dictasset, verisimile est eum id facturum fuisse non linguâ Hebræâ, sed Chaldæa, vel mixtâ ex Hebræa & Chaldæa quæ tunc erat in vsu, & qua videmus scriptos esse libros Esdræ & Danielis. At certum est sanctos Libros præter prædictos esse linguâ hebraicâ scriptos, & illâ ipsâ quâ Adam & Patriarchæ loquuti sunt. Quod patet ex nominum propriorum ethymologia, quæ sæpe non inuenitur in vlla alia lingua: Cum ergo planum sit libros Esdræ plenos esse Chaldaicis vocibus, Libros autem legis & Prophetarum puto hebræo idiomate, inferendum est Legis Prophetarum libros non ab Esdra, sed ab antiquis Prophetis conscriptos nos habere.

An hebraica editio corrupta sit non inquiro, cum Ecclesia det nobis vulgatam Editionem omnino emendatam, si qui irrepserint errores quos exactè viderit, & correxerit Hieronymus quatuor primarum linguarum peritissimus, tum alij quos summi Pontifices reuisioni addixerunt, si post Hieronymi, & Augustini, tempora aliqui textus deprauati fuerint.

Vetus Testamentum habet pro autographo textum hebraicum, si forte Ecclesiastici Librum, & Machabæorum excipias, quos Græcè tantùm habemus nec reijcienda est eorum sententia qui Syriacâ descriptum lingua censent quæ vulgaris & materna fuit Hebræis à captiuitate Babylonica, quæque ex Hebraica, & Chaldæa coaluit & nata est. Hebræi siquidem traducti cœperunt obliuisci linguam propriam, & addiscere Chaldaicam, quia tamen eam perfectè pronuntiare non poterant, & aliquid semper ex hebræa retinebant, factum est vt lingua quædam tertia nasceretur mixta ex Hebræa, & Chaldaica. Atque ea est quam pro vulgari ac materna deinceps Hebræi habuerunt; Quæ quidem Syriaca dicta est à regione vbi maximè eius vsus viget, sicut Hierosolymitana, à præcipua Hebræorum ciuitate sicuti lingua Chaldaica quæ hoc nomen habet à regione Chaldæa vocata est etiam Babylonica à ciuitate Chaldeæ nobilissima.

Porrò distinguuntur hæ duæ linguæ, caracteribus, coniugationibus, verborum affixis, punctorum notationibus, sono vocalium, idiotismis, ac totâ ferè linguæ structurâ, & multis etiam propriis dictionibus.

Christus Syriacè est loquutus, & Apostoli, quæ enim hebræa lingua dicebatur, quia vulgaris Hebræorum erat vt passim in euangelio dictum esse aliquid hebraicè legimus, quod tamen constat vulgari linguâ, id est Syriacâ dictum; quale est illud Ioannis 19. *Exiuit in eum Caluariæ locum hebraicè autem Golgotha*, probabile inde est Euangelium S. Matthæi, & Epistolam S. Pauli ad Hebræos Syriacâ linguâ descripta esse.

Textuum Hebraicum, vel Syriacum non vacare aliquo errore credi potest, qui partim irrepserit, vel ignorantia Librariorum præsertim cum in Hebræo facile sit errare ob litteras quasdam simillimas ב & כ ר & ך ה & ח י & ו partim ignorantiâ Rabbinorum qui addiderunt puncta. Cum enim dictiones hebraicæ possent variis modis legi, si punctis careant, mirum non est si aliquando ipsi quoque in annotatione punctorum aberrauerint à vero: potest etiam fieri vt ex prauo affectu & odio in Christum ea lectio interdum ipsis magis probata sit quæ minùs fauebat Christianis.

Nouum testamentum originaliter scriptum est Græcè, dempto Euangelio Matthæi, & forte S. Marci, & epist. ad Hebræos, quorum eodem tempore productæ fuerunt versiones Græcæ cum autographo Latino, aut hebraico ait Hieron. præfat in Euang.

De Græcis Editionibus seu Traductionibus Veteris Testamenti lego vsque ad decem extitisse.

Prima notatur quæ Platoni ante Macedonum Monarchiam occurrit, de qua Clemens Alex. lib. 1. Stromat. cap. 14. *Plato Philosophus à Mose in legibus ferendis adiutus.*

Secunda est septuaginta duorum interpretum tempore Ptolomei Philadelphi.

Tertia edita est anno 12. Adriani Imper. ab Aquila Pontico de Paganismo ad Christianismum conuerso, exinde Iudæo, quia ob professionem Astronomiæ iudiciariæ expulsus fuerat ab Ecclesia, de quo Epiphan. lib. de mensuris. *Aquila expulsus est rursus ab Ecclesia velut inutilis ad salutem, ex quo facto amarulentiam velut ignominia affectus mente concepit, & abnegato Christianismo proselytus fit, & circumciditur Iudaeus. Atque tunc laborioso studio tradidit seipsum ad discendam Hebraeorum linguam. Vbi vero hanc summè didicisset interpretatus est non recta ratione ratione vsus sed quo aliqua ex receptis libris peruerteret irruens in 72 interpretationem vt testimonia de Christo in scripturis prolata aliter ederet, propter confusionem quam sustinuit ob temerariam suam excusationem: Atque hoc modo fit secunda huius interpretatio post numerum tantorum temporum velut supra scripsimus.*

Quarta fuit Theodotionis cuiusdam Pontici ex sectatoribus Marcionis Heresiarchæ qui & ad Iudaismum declinans, ac circumcisus & hebraicè edoctus, interpretationem edidit, & pleraque ait Epiphan. cit. cum septuaginta consonanter.

Quintam edidit Symmachus quidam Samarita ex numero sapientum apud ipsos qui cum non reperisset fidem apud propriam gentem, principatus studio ægrotans, & contra propriam tribum indignatus, accedit ad Iudæos ac fit proselytus & circumciditur secundâ circumcisione, & tempore Seueri fecit interpretationem Samaritanâ fideliorem ita Epiph. cit. qui & narrat.

Sextam in doliis Hietico occultatam inuentam fuisse anno 8. imperij Caracallæ qui Seuero successit habet Epiphan.

Septimam tradit Epiphan. cit. repertam in doliis occultatam Nicopoli ad Orientem sita tempore Alexand. Imper. filij Mammææ.

Octaua est Origenis qui versionem Theodotionis cum traductione 72. ita miscuit radens & addens & immutans verba vt nonobstante asterico distinctiuo inter vtramque versionem, noua emerserit quæ Bibliothecas mox impleuit & vulgaris exinde dicta est vt scribit Hieron. ad August. epist. 89. quæ vndecima est ad August.

Nona agnoscitur Luciani Presbyteri sub Diocletiano, & Maximiano Martyris de quo Athanas. in Synopsi. *Septima*, inquit, *& postrema versio S. Luciani Magni Religiosi, & Martyris est, qui & ipse cum in prædictas versiones, & Hebraicos Libros incidisset, & diligenter quæ, vel veritati deerant, vel superflua aderant inspexisset, ac suis quæque locis correxisset, versionem hanc Christianis fratribus edidit, quæ sanè post ipsius certamen, & martyrium quod sub Diocletiano, & Maximiano tyrannis sustinuit libro videlicet propria manu scripto comprehensa Nicomedia sub Constantino Rege magno apud Iudæos in parietis armario calce circumlito quo custodia gratia posita fuerat inuenta est.* Ita & refert Eusebius lib 9. cap. 16.

Decima fuit Hesychij, qui iterum correxit versionem 72. celebrisque fuit in Ægypto vti Luciana Constantinopoli & Antiochiæ, & Origenea in Palestina.

Harum decem potissima, cæterisque longè præferenda est Traductio septuaginta duorum Interpretum, idque duabus de causis, singularem scilicet ob illorum notitiam vtriusque linguæ, nec-non & specialem assistentiam Spiritus-Sancti. Quod vt plenè agnoscatur historiam refero.

Ptolomæus, Philadelphus Rex Ægypti Bibliothecam copiosissimam instruxerat Alexandriæ, & libros vndique conquisierat, cúmque fama, & specialiter relatu Demetrij Phalerei, qui proscriptus ab Athenis venerat Alexandriam, nouisset diuinam apud Iudæos haberi Scripturam, voluit illam habere, cœpitque in eos perhumanus haberi, & quos pater Lagus malè diuexauerat, iste captiuos propè innumerabiles libertate donauit, & in Templum Hierosolymæ donaria plurima misit cum amplissima legatione ad Eleazarum summum Pontificem, vt Libros eorum transmitteret cum Interpretibus. Aristæus vnus de Legatis istis regiis hæc scribit. Sanctus Epiphanius libro de ponderibus refert Philadelphum bis petiisse interpretes idémque videtur innuere August. lib. 8. ciu. cap. 11. sed alij authores vtramque hanc petitionem quasi idem regis negotium coniunxerunt & vnius tantum petitionis meminerunt. Eleazarus ergo senos de qualibet tribu è senioribus populi vtriusque linguæ peritissimos misit qui numerum septuaginta duorum faciunt, (licet communiter, breuitatis in loquendo gratiâ & rotunditatis in numero) 70. dicantur. Nec numerum è tribubus selectum quidam Scioli cum Scaligero irrideant, quasi tunc duodecim tribus non extarent quarum decem tempore Ezechiæ deportatas in Mediam ignoremus, Iudæâ & Benjaminâ eo tempore residuis. Respondeo siquidem aliquos semper remansisse in patria, tempore captiuitatis vt colligitur ex lib. Iudith cap. 2. Deinde etiam ex omnibus tribubus redière aliqui, solutâ captiuitate Babylonicâ cum remeantibus Iudaicis & Benjamitis. Imò qui

Babylonica Perside ac Media habitabant, & qui Iudæam rursus incolebant soliti fuerunt vltrò citróque commeare vt patere potest ex Iudaicarum Academiarum Rectoribus ac discipulis in libro Rabbi Abrahæ qui Kabbala vocatur, & constat ex Rabbino primo cap. 20. Accedit S. Lucas cap. 1. dum ait Aman, ex tribu Aser fuisse. Imò Picus Mirandulanus Comes in epist. ad ignotum, ait plures Iudæos sibi asseuerasse falsum esse decem tribus non rediisse. Septuaginta duo ergo missi sunt vt ad numerum quem Deus olim præceperat Moysi accederetur. Ita Epiphan.

An autem Alexandriæ singuli in cellulis seorsim inclusi quisque suam fecerit versionem vt vult Iustin. quem Ireneus, Cyrillus, Clemens Alexand. Secuti sunt, qui se domuncularum istarum reliquias vidisse testatur: vel ann. 72. Interpretes in eadem Basilica sedentes & inter se conferentes scripturam transtulerint, res est adhuc dubia Hieronymus in Pentateuchum ridet hanc cellularum historiam. *Nescio*, inquit quis primus author 70. cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, & asserit eos conferendo simul singulis diebus vsque ad horam nonam, hanc versionem 72. diebus tandem absoluisse; quod probat testimonio Aristæi præfecti regiæ bibliothecæ, qui negotio interfuit, qui narrat sic. Tum notat Iosephum lib. 12. antiq. narrantem hanc historiam, ne meminisse quidem cellularum. Nec Eusebium hæc describentem lib. 8. de præpar. Euang. cap. 1. Adde Philonem, Tertull. Chrysost. qui cum narrent quæ in hac versione miracula contigerunt, nunquam de cellulis siluissent, quod erat præcipuum, si eas verè extitisse credidissent.

Cum autem absoluta fuit versio lecta fuit coram Philadelpho rege, & magno conuentu Iudæorum, qui tunc Alexandriæ agebant, qui omnes eam vt diuinam laudarunt, cuius, & exemplar 72. Seniores miserunt Hierosolymam populo Iudaico, vt testantur Aristæus testis oculatus, & Iustinus antiquissimus Pater tantáque fuit translationis veneratio ait Philo lib. 2. de vita Mosis vt plerique Iudæorum consueuerint singulis annis in insulam Pharum traijcere, vt locum in quo primum edita esset legis diuinæ interpretatio honorarent, imò festum anniuersarium institutum dicit. Tanta autem fuit huius versionis authoritas, vt Hieronymus præfat. 1. in Paralip. scripserit, *Si versio 72. integra haberetur vt ab eis edita fuit, frustra se laboraturum in transferendis Bibliis*; & præfat. 2. dicit LXX. interpretes Spiritu S. plenos, quæ vera sunt transtulisse: in Apolog. quoque contra Ruffin. lib. 2. affirmat, se 70. interpretibus nunquam detrahere voluisse. Ex quo intelligimus eum cùm reprehendit hanc versionem, non arguere ipsam, sed quæ postea irrepsere in eam vitia, negligentiâ, aut malitiâ, aut etiam ignorantiâ aliorum.

Quod autem ait interpretes illos nequaquam Vates fuisse, non pugnat cum eo quod alij passim dicunt, Prophetas potiùs eos fuisse, quàm interpretes. Nam nec ij eos propriè Prophetas fuisse contendunt, sed tantum Spiritu Sancto singulariter afflatos: quod non negat Hieronymus.

Accedit quod Apostoli frequenter vtuntur hac versione vt ex eorum citationibus patet, & testantur Irenæus lib. 3. cap. 25. & Hieronym. in præfat. Euangel. ad Damasum. Postmodum Ecclesia Catholica multis sæculis eandem secuta est, vt idem Hieron. præfat. 1. in Paralipom. scribit.

Hodie autem esse vitiatam multis & variis modis testatur Hieron. non semel. Probatur autem ex multis sententiis, quæ nullo modo cohærent cum veritate quale est illud de supputatione annorum Mathusalem Genes. 5. nam secundùm Græcam editionem inuenitur ipsum vixisse 14 annis post diluuium, cum tamen non fuerit in Arca, nam octo tantum animæ saluæ factæ sunt, Noë, Sem, Cham, Iaphet, & vxores eorum Genes. 6. & 1. Petri 3. quem nodum non aliter soluere potuerunt Hieron. in quæst. Hebraicis August. lib. 15. ciuit. cap. 13. Eucherius & alij, nisi admittendo errorem in codicibus græcis, quem non adscribunt LXX. senioribus sed iis qui primi descripserunt libros ex Bibliotheca Regis Ptolomæi. Idem Ionæ 3. nam LXX. legunt 3. *dies*, cum hebraici & nostri codices habeant *adhuc* 40. *dies* vbi Hieronym. dicit non posse vllo modo defendi lectionem LXX. & Aug fatetur Ionam scripsisse 40. Tum Iustin. in dialogo cum Tryphone affirmat editionem LXX. corruptam fuisse à Iudæis in multis locis: item eandem sæpius emendatam fuisse constat ab Origene, Luciano, Hesichio, Hieronymo, nihil autem emendatur nisi priùs vitiatum sit.

Porrò pura hæc versio absoluta fuit Olympiade 124. ante Christum annis 350. Philadelphici regni 7. magnâ equidem Dei prouidentiâ, vt sic sensim via inciperet sterni Gentilibus ad fidem Christianam: lingua enim græca iis temporibus quàm latissimè patebat, vt indicat Cicero pro Archia, tum vt faciliùs Christiani conuincerent Iudæos de veritate incarnationis per proprias scripturas. Epiphanius lib. de mensuris & ponderibus. Hieron. in præfat. in Pentateuch. August. lib. 18. ciuit. cap. 42. & 44. scribunt Interpretes omisisse quædam de industria, quædam addidisse, & quædam aliter à textu vertisse quia sic dictabat Spiritus S.

Sed Bellarmin. dicit istos Patres piè quærere excusandi rationes, & defendendi versionem illam quâ tunc Ecclesia vtebatur. Nec enim hoc de originaria versione dici potest, cum Aristæus referat, omnes qui eam initio viderunt acclamasse, singula bene & fideliter versa esse, quomodo non admirati fuissent tam multa detracta, addita & contrario sensu reddita.

Rabbini notant tredecim loca in quibus dissenserint non inter se, sed à textu; Catholici vero plura supputant.

Archetypa Septuaginta duorum Interpretum perierunt, vel tempore Iulij Cæsaris quando illo Alexandriam occupante Serapeum, seu minor vt ait Epiphan. Alexandriæ Bibliotheca, filiáque primæ quæ Bruchium dicebatur, conflagrauit: vel vt scribit Ruffin. lib. 2. c. 23. cùm tempore Theodosij senioris dirutum fuit à Christianis templum Serapidis. Licet autem multa ἀπόγραφα, seu exemplaria facta fuerint, certè mendosa vtplurimùm fuere, cùm in omni Bibliorum textu tam hebræo quàm alio exscribendo, semper aliquod ab ammanuensibus, & Librariis admitti possit erratum.

QVÆ

QVÆSTIO V.

De Authentica Scripturæ Sacræ Editione.

SAnctus Hieronymus testatur innumerabiles extitisse suo tempore versiones scripturæ apud Latinos, quæ fieri cœperunt non ex hebræo immediatè, sed è græco contextu 72. interpretum, dicitque tot penè fuisse exemplaria, quot codices, nam vt notat August. lib. 2. de doct. Christiana cap. 11. *vt cuique primis fidei temporibus venit in manus codex græcus, & aliquantulum facultatis sibimet vtriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.*

Vna tamen versio omnium fuit præstantissima, quæ interdum dicebatur Itala de qua August. cit. cap. 15. *In ipsis autem interpretationibus Itala cæteris præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ*, ideóque de hac potissimùm loqui existimandus in sua cum Pascentio altercatione epist. 178. cum ait. *Scripturas omnes à Mose, Prophetis, Apostolis, Euangelistis, hebræo aut græco scriptas eloquio, quas postea viri probati, ac disertissimi in omnibus periti linguis de hebræo primitus in græco, de græco in Latino stylo edisserere cum labore nimio maturarunt.*

Est autem hæc Itala versio quam à principio acceperat ac retinuerat Ecclesia Romana, interdum etiam dicebatur *vulgata*, Hieronymi epist. 14. & 19. Eucherij tractatu in libros Reg. nuncupatur *vetus*, quod & animaduertunt Gregor. præfat. in cap. 5. Iob & Cassian. collect. 8. cap. 10.

Nunc à tempore S. Hieronymi Ecclesia vititur noua versione quam Synodus Tridentina sess. 4. vocat *vulgatam*, quæ eiusdem Hieronymi est quam iussu Damasi Papæ per totum triennium Romæ anno 382. elaborauit. Vetus quidem Testamentum vertendo non quidem è græca 72. interpretum versione, sed ex hebræo in Latinum transferendo (excipe Librum Sapientiæ, Ecclesiasticum Baruc, & Epistolam Hieremiæ, & Machabæos,) quod probatur, quia nunquam hos libros commemorat à se conuersos, cùm tamen hoc in aliis libris facere consueuerit, credibile est autem hos non vertisse, quia canonicos non putauit. Psalterium vulgatæ Editionis est ex editione S. Luciani quod Hieronym. emendauit.

Nouum Testamentum non è græco Latinè conuertit, sed solùm recognouit & ad græcam veritatem emendauit, vnde ipse ad Aug. epist. 11. *Si me*, inquit, *vt dicis in noui Testamenti emendationem suscipis*, emendationem non nouam translationem nominat.

Cum autem in hanc Translationem, & emendationem totius scripturæ mendæ aliquot sensim post Hieronymi tempora irrepsissent, imò ipsius Hierónymi ætate vt ex præfat. in Psalterium quæ incipit *Psalterium Romæ*, constare potest: sicuti hebræus & græcus textus à mendis, Librariorum scilicet incuriâ vel transpositione immunes non fuerunt magno quinque Pontificum Pij IV. Pij V. Sixti V. Gregorij XIV. & Clementis VIII. conatu & industria facta est correctio.

Habemus itaque ex Vaticanâ Typographiâ veterem ac vulgatam S. Scripturæ Editionem quantâ fieri potuit diligentiâ castigatam & ad Codices manuscriptos, Hebræos, græcósque fontes, ipsáque veterum Patrum commentaria magno cum doctissimorum accitorum vndequaque virorum studio recognitam, & emendatam.

Hæcque declarata est à Concil. Tridentino AVTHENTICA, quam nemo reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat, sed retinere & sequi in publicis Lectionibus, disputationibus, Conferentiis, & Prædicationibus.

Quare vulgatam hanc Editionem iure optimo vocauero, *Oraculum Christianorum*, cùm ad ipsam tanquam ad Lydium lapidem, dogmata fidei Catholicæ, necnon Christianismi documenta, examinanda, & probanda habeamus. Per hanc sublatis erroribus puritas ipsa Euangelij in Ecclesia conseruatur, vt habet Concil. Trident. decretum de Canone Librorum quos suscipit, præfixum Bibliis Sixtinis. Per hanc eximuntur studiosi ab importuna Hebræorum Græcorumque codicum peruolutatione & profunda perscrutatione. Hoc siquidem nauiter fecerunt plerique Theologi, Louanienses maximè, & ij quibus in vim Decreti Concilij Trident. de emendatione Bibliæ Pontifices subsequentes correctionem demandarunt. Prosunt equidem hebræi, græcique fontes, seu ad Librariorum Latinorum emendandos errores, seu ad variarum Lectionum indagandam veritatem: ad ambiguorum verborum inuestigandam sententiam; nec non & ad verborum quorumcumq; vim ac energiam accuratè perspiciendam: si tamen puri ij sint & emendati, quod quàm difficile sit inuenire norunt exercitatiores in linguis.

Sat ergo scripturæ Sacræ studioso, & interpreti Bibliam Sextinam legere vt legitimum, & purum habeat textum, citra quem nihil rimari aut indagare habeat, siquidem Authentica ea præfertur & declaratur. Talem autem esse versionem aliquam nihil aliud est, quàm eam esse omnino in sententia conformem scripturæ originali, seu dictamini Spiritus Sancti. Non immerito ergo multi docent S. Hieronymum linguarum peritissimum, fideliter ita interpretatum ex speciali auxilio, & illustratione diuina, vt errare non potuerit, saltem in rebus fidem spectantibus, licet in aliquibus verbis potuisset aliter, & clariùs vertere, vt fatetur ipse qui, & aliqua loca emendauit, & id non dissimularunt Moderni Interpretes.

Quod tamen sine culpa Hieronymi euenire potuit ex varia significatione vocabulorum: interdum enim possunt duo significare, & ipse modo vnam, modo aliam secutus est significationem. Ecclesiastem bis vertit & cap. 2. vbi primâ vice transtulit, *cogitaui trahere carnem meam in vinum*, in secunda posuit *abstrahere à vino*, nam verbum hebræum potest significare *in vino* seu *in vinum*, & etiam *de vino* siue *à vino*. Imò Hieronymus aliqua loca sua correxit. Isaiæ 11. dicit non debere legi, *flos de radice eius ascendet*, sed *Nazareus*, & 70. malè hoc nomen prætermisisse, & hunc locum citari à Matthæo cap. 2. vbi dicit, *vt impleretur quod scriptum est per Prophetas quoniam Nazaræus vocabitur.*

At ipse idem postea vertit sicut LXX. verterant scilicet, *flos*. Pari ratione lib. 5. Comment. in Isaiam fatetur male se vertisse cap.19. *Erit terra Iuda Ægypto*, in festiuitatem eum potiùs verti debuerit, *in pauorem*, sicque iam est in vulgata dici tamen potest Hieronymum non tam reprehendere istam versionem, quàm explicare quæ sit vis Hebrææ vocis, vt cum in quæstionib. hebraicis dicit cap.1. Genes. pro eo quod habetur, *spiritus ferebatur* esse in hebræo *incubabat*, seu fouebat more auis.

In locis quæ aliter verti poterant, & clariùs habeo 2. Reg. cap. 8. *Filij David erant Sacerdotes*, nam totum caput decurrit historicè & conclusio mendacium ad litteram intellecta includit, cum ipsi non essent de tribu Leui saltem addere debebat particulam similitudinis *quasi*, *vel*, *vt* licet enim ad exprimendum hominem principem & honoratum, dicatur prouerbialiter, eum esse sacerdotem, hic tamen simpliciter nomen hoc positum, excruciat lectorem. LXX. legunt *aula principes* & 1. Paralip. cap. 18. *primi ad manum Regis*.

QVÆSTIO VI.

De Partitione Scripturæ in Libros, capita, & versus.

IN Præfatione Vaticanæ Editionis, seu repurgatæ versionis dicitur, *nihil non canonicum, nihil ascititium nihil extraneum*, visum fuisse apponere vnde ea fuerit causa, cur in ea Editione omissa sint hæc septem. Tertius & quartus liber Esdræ, Oratio Regis Manasse, Concordantiæ ad marginem, Notæ, Variæ lectiones, Præfationes, Argumenta Librorum, non prohibet autem Apostolica sedes ait hæc Præfatio, quin ex illis septem quæ omissa, & iam enumerata sunt adijciantur in posterum in hac ipsa Vaticana editione. Tertium, quartum, sextum, & septimum, sed alio genere caracteris.

Præfatio tamen hæc non habet authoritatem Pontificiam, nec Synodicam, nec vim decreti aut mandati, sed solam emendatæ editionis commendationem continet, licet apposita sit annuente Pontifice, non tamen iubente, & approbante, cùm ergo Præfatio illa non dicat Editionem hanc correctam, à Pontifice omninò quo ad singula approbari ac imperari, sed tantummodò annui.

Præfatio hæc quasi Prologus sine authoris nomine præfixa est, quem tamen vnum vel plures ex iis quibus recognitio bibliæ demandata fuerit, agnoscere non est difficile, cùm continuè loquatur de recta functione Concilij Tridentini corrigendæ scripturæ, & hanc emendationem maximè commendet.

Hinc deducitur non esse canonica ea quæ non sunt de textu, licet ea apponi & adijci permittat sedes Apostolica, qualia sunt, Summaria Capitum, Librorum Argumenta. Capitúmque in distinctos versus Partitionem. Hic autem examinare introductionem Partitionis & Diuisionis Biblicæ necessarium iudico.

Certum ergo habeas studiose Lector, Scriptores sacrorum Librorum nullis ipsos distinxisse capitibus, nam primò ea non inueniuntur in vetustissimis exemplaribus, cuiusmodi optimum ex Affligem: Cœnobio laudat Arias Montanus in cap. 14. Isaiæ. Secundò Elias Leuites in præfat. Libri Masoreth asserit ex Rabbinorum sententia totam legem fuisse olim quasi *Pasuc vnum*, id est, absque intersectione & distinctione vllâ; siue sententiam vnam in qua cohærebant omnia, sine vlla versuum distinctione. Tertio cùm scripturas citant scripturæ aliæ, v. g. cum è veteri Testamento nouum citat aliquam sententiam, nunquam vllius capitis est mentio. Quartò nec vetustiores Patres Græci & Latini cum ex iisdem scripturis afferunt aliquid, vllum vnquam aliquo cum numero caput citant, sed allegationes particularium historiarum afferunt; ideoque S. Aug. cum lib. 2. retract. cap. 24. dicere vellet se vsque ad cap. tertium Geneseos vti iam nos citamus scripsisse, habet, *à principio Geneseos vsque ad expulsionem primorum parentum de Paradiso*. Et S. Gregorius in prologo libri primi Regum ait se exposuisse, *a principio libri Regum vsque ad Regis vnctionem*, quod nunc dicimus prima quindecim capita.

Nequaquam igitur à principio fuit hodierna ista Capitum sectio. Quemadmodum verò bellum Næuij punicum vno volumine & continente scriptura initio scriptum fuit: id verò postea in septem Libros Grammaticos diuisit Octauius & Ennij Annales Vargunterius distinxit, vti libro de Grammaticis cap. 2. refert Suetonius. Ita & Bibliæ Libros in Capita diuiserunt ad commodum & docentium & discentium Doctores non obscuri etsi nobis obscuri & ignoti. Genebrardus videtur tribuere hanc sectionem in Capita Musæco Massiliensis Ecclesiæ Presbytero, quia Gennadius hæc de illo dicit in Catalogo, *excerpsit ex scripturis Lectiones totius anni festiuis diebus aptas, Responsoria etiam Psalmorum, Capitula tempori & Lectionibus congruentia*, sed liquet eum de capitulis huiusmodi loqui quæ è Psalmis etiamnum hodie canuntur, & recitantur in precum canonicarum vsu quàm plurima: nam alioqui Psalmos iam olim suis fuisse distinctos numeris ex ipso planum est nouo Testamento Actor. 13. versu 33. ex Hilario præfat. in Psalmos & Patribus qui Psalmorum numerum indicant.

Orthodoxi alioqui Patres priùs in Titulos, & Capita breuiora plenis assignata historiis, vt constat ex multis manuscriptis exemplaribus, & olim quidem apud Græcos dicebantur κεφαλαῖα, eo quòd singulis capitulis certus titulus in quo κεφαλαιωδῶς, seu summatim res tota continetur, nam rerum quarundam summa κεφάλαιον, est, vti monet Suidas.

Hodie vero in plerisque Bibliis nulla eiusmodi summa præponitur imò è correctis Latinis eiectæ sunt omnes, quia è cuiusque arbitrio factæ in dies vel augescebant, vel variè mutabantur. Capita tamen vocantur quia certa rerum, & sacrorum verborum & sententiarum summa in iis est.

Capitum hodiernam distinctionem multi referunt illustrissimo Domino Layton Cardinali & Archiepiscopo Cantuariensi. Genebrardus verò Hugoni de sancto Caro Burgundo ex

ex Ordine Dominicanorum primo Cardinali, circa annum 1264. attribuit Concordantiarum in Bibliam inuentionem, quibus edendis Bzouius notat mutuatam fuisse operam quingentorum fratrum in distinguenda versione Latina per singula verba, ad Studiosorum leuamen.

Distinctionem Noui Testamenti in versus vti iam vetus fuerat, Genebrardus assignat Augustino Iustiniano circa ann. 1516.

Hanc distinctionem in capita Laytonis plerique Doctores non tanti faciunt, quanti antiquiorem Librorum partitionem quæ erat in titulos, vt videre est in Ambrosio qui Euangelium exponens, illud in 64. dispertit. Hilario qui Euangelium S. Matthæi in Canones 33. Beda Lucæ in cap. 93. quia ista hodierna capitum distinctio in medias sæpe incidit historias: sæpe eas parum antequam instituta finiatur narratio, abrumpit. Sed illa prior vix inueniri potest, saltem quæ in vetus Testamentum elaborata erat.

In nouo autem Testamento illa ipsa antiquorum partitio in titulos & capita partim ex Eusebij Cæsariensis canonibus latinitate donatis à S. Hieronymo, partim ex græcis latinisque exemplaribus est iam græcè edita per Doctores non mediocris eruditionis, & diligentiæ.

Post capitum distributionem, olim in singulis fiebat portio quadrimembris per litteras, A. B. C. D. distincta & in citatione notabatur littera, quod videre est adhuc, in indicibus Concordantiarum recentiùs Impressis.

Hodie verò videmus singulis biblicorum capitum periodis adscriptos numeros per quos illorum diuisio significatur, & hos aliqui simpliciter vocant numeros, vt dum aiunt, hoc capite, tali numero.

Ex his omnibus sequitur capitum, versuumque diuisiones non esse canonicas, quia ait Serrarius, factæ non sunt à Scriptoribus canonicis, neque semper extiterunt, sed earum quædam prout hodie notantur, admodum recentes sunt, nec in correctis Bibliis collocatæ sunt, vt Canonicæ habeantur. Quod & de summariis capitum intellige. Hinc Salmeronus dicit, quod si ratio hoc ferat, potest interdum verbum capitis superioris connecti cum sequentis capitis verbis. Neque dispar est ratio circa versus capitum.

SYNOPSIS
Analytica Bibliæ.



OTIUS Scripturæ Sacræ (quæ 72. Libris in vniuersum constat 45. scilicet veteris Testamenti, & 27. Noui, in quibus omnibus habentur capita distincta 1334. *necnon &* 150. *Psalmi Dauidis,) scopus, & Argumentum Generale, est Deus, & Christus eius, cuius infinita bonitas, sapientia atque potentia, in duobus summis capitibus operum eius, enarratur in eadẽ scriptura.* In opere videlicet naturæ, seu Creationis, & in opere Gratiæ, seu Redemptionis, *vt inde discamus agnoscere, honorare & diligere Deum. Propter opus Creationis totius vniuersi, quæ est productio creaturarum ex nihilo, sine præiacente materia: quod opus etsi passim per omnes scripturæ libros magnificè insinuetur, distinctè tamen, & ex proposito plenissiméque narratur in duobus primis Capitibus Geneseos. Propter opus Redemptionis quo genus humanum in miseriam prolapsum, Bonitas Dei per vnigenitum Patris cooperante Spiritu Sancto ad pristinæ fœlicitatis iùs, & possessionem reuocauit. Ostenditur autem in scriptura huius operis tum necessitas & occasio orta ex inuidia diaboli, & miserrimo protoplastorum lapsu Adami, & Euæ. Lapsus autem describitur à Moyse Genesis cap. 3. Tum promissio & præparatio in toto reliquo veteri testamento, partim generalis pertinens ad omnes nationes sub tribus Patriarchis Seth filio Adami, Noë post diluuium reparatore orbis, & Abrahamo capite omnium credentium tam in præputio quàm in circumcisione: nam vt notat Augustinus sermone 54. de tempore.* Beatus Abraham, Pater multarum gentium à Domino dictus

est,

est, omnes enim gentes quæ in Christum credunt, & credituræ sunt filij sunt Abrahæ, imitando fidem, non nascendo per carnem, *& vt habet tract.49. in Ioannem,* hic secundùm meritum filius est Abrahæ, qui fidem sequitur, per quam dignus Deo extitit Abraham. *Horum autem trium Patriarcharum traditur à cap.4. Geneseos vsque ad 25. Partim specialis ad Synagogam fidelium Iudæorum præcipuè spectans.*

Præparationis huius tres sunt gradus, nempe Synagogæ propagatio per Isaac, & Iacob, necnon & duodecim Patriarchas Iacobi filios, in toto libro reliquo Geneseos. Secundus gradus est separatio Synagogæ ab omnibus nationibus idololatris, in duobus primis capitibus Exodi Tertius gradus est institutio & quasi pædagogia, qua paulatim erudiebatur ad Christum suscipiendum, idque per legem Moysis, cuius describitur promulgatio, in qua

Est spectanda fusa narratio & stabilitio legum moralium, & iudicialium vsque ad cap. 24. Exodi, Cæremonialium spectantium tum ad cultum diuinum quantum ad locum, in quo præcipuè debebat exerceri, nempe Tabernaculum, in reliquis Exodi capitibus. Quantum ad modum ipsum seu ritus sacrorum & obseruantiarum legalium, in toto libro Leuitici. Quantum ad conuictum ciuilem seu mutuum in populo Dei, in toto libro Numerorum...... spectanda etiam succincta & compendiaria repetitio legis in Deuteronomio........ In Synagoga considerandus status ac duratio sub triplici forma Reipublicæ, nimirum sub iudicibus à Deo suscitatis, qui populum libertate gaudentem, vel in ipsam terræ sanctæ possessionem inferebant, quod narratur in lib. Iosue, vel in eadem possessione contra insurgentes tuebantur, quod scriptum est in lib. Iudicum.

Sub Regibus à populo ante captiuitatem Babylonicam postulatis, quorum historia vsque ad captiuitatem Babylonicam texitur, quoad statum regni vniti & vnici, sub Saule, Dauide, & Salomone in 1. & 2. lib. Regum, quorum quasi Proœmium est historia Ruth. Diuisi, in Iudaicum & Israëliticum seu decem tribuum in 3. & 4. regum, qui Melachim vocantur ab Hebræis; ne autem in aliquo mathematica esset hæc Regum historia, adiuncti sunt duo Libri Paralipomenon, vt supplerentur nonnulla omissa quæ ex libris annalium seu Chronicorum Regum deducta sunt.

Sub Ducibus post Transmigrationem Babylonis diuinitus excitatis quorum res gestæ continentur in duobus libris Esdræ & Nehemiæ, vltra quos non progreditur historia descripta Synagogæ.

Quæ Erudiebatur

Per exempla illustrium personarum quibus prouocantur fideles ad officia pietatis erga Parentes, vxores, liberos, & familiam in libro Tobiæ.

Ad diffidentiam sui, fiduciam autem in Dei auxilio in aduersis in lib. Iudith. Ad charitatem, & compassionem erga contribules domesticos fidei in lib. Esther, ad fortitudinem in perpetiendis propugnandisque persecutionum grauaminibus in causam fidei, & religionis in duobus Libris.... Machabæorum ad patientiam, & resignationem in afflictionibus, & tentationibus siue à Deo siue ab hominibus, siue etiam à dæmone inferantur, in Libro Iob.

Erudiebatur

Per consilia prudentiæ diuinitus infusæ, de modo deuotæ Orationis, & Precationum cum laudibus dulciter ad Deum fundendarum. In Psalterio.

De modo sanctæ Conuersationis in Libris Salomonis qui consilia dat incipientibus

pientibus vt fugiant vitia, & virtutes sectentur quod fit in Prouerbiis. Proficientibus, vt sensu quodam experimentali spiritus agnoscant vanitatem creaturæ, & maiestatem Creatoris, quod docetur in Ecclesiaste. Perfectis, & exercitatis in dilectione diuinæ charitatis & pulchritudinis, in Canticorum libro; & exercitatis in contemplatione diuinæ iustitiæ & misericordiæ, quod habetur in Libro. Sapientiæ

Erudiebatur

In libris IESV filij Syrach partim Sacris consiliis, partim laudibus sanctorum recensendis, vnde legentes ad sanctitatem mouentur. Id habet Ecclesiasticus.

Erudiebatur

Per Prophetias quæ licet agant de variis euentibus, omnia tamen referuntur ad res gestas Messiæ, suntque maiorum voluminum quartum Esaias, Hieremias cum, Threnis, & libro Baruch, Ezechiel, Daniel. Minorum voluminum duodecim, sub templo Salomonis priore, nouem. Osee, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, sub templo reparato post captiuitatem Babylonis, tres, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Operis Redemptionis exhibitio reipsa in noui testamenti libris narratur facta per ipsum Christum Iesum Dominum, & redemptorem, cuius humanæ naturæ veritatem præcipuè ostendit Matthæus. Regalem maiestatem, & potentiam describit Marcus.... Sacerdotalem prærogatiuam & sanctitatem docet Lucas... diuinitatem Patri & Spiritui Sancto consubstantialem effatur Ioannes.

Promulgata ipsa exhibitio vniuersum orbem post ipsius gloriosam Resurrectionem ab ipsius Apostolis, atque discipulis tum prædicationibus, miraculis ac passionibus, in Actibus Apostolorum qui propterea vocantur Liber historialis Euangelij.

Tum scriptis partim Epistolis ob varias quæstiones, & negotia datis, tum Pauli ad Ecclesias integras, & populos Gentilium, vt sunt Epistolæ ad Romanos, Corinthios duæ, Galatas, Ephesios, Philippenses, Coloss. Thessal. duæ & Hebræos. Ad personas singulares Timoth. duæ, ad Titum, Philemonem. Tum aliorum Apostolorum Iacobi vnica Petri 2. Ioan. 3. Iudæ vna.

Promulgata Redemptionis exhibitio tum prædicationibus & prophetiis de futuro Ecclesiæ statu, vsque ad consummationem sæculi, in Apocalypsi quæ dicitur liber prophetalis noui Testamenti.

DIVISIO GENERALIS Librorum Sacræ ſcripturæ.



VM intentum Dei Optimi Maximi in proferenda hominibus Sacra ſcriptura ſit eorum inſtructio vt iam declarauit Synopſis Analytica Bibliæ, non ingratum erit Lectori Beneuolo hanc habere diuiſionem generalem Communiter ergo ex ſententia Latinorum Theologorum Canon Scripturæ, ita diuiditur in Libros

LEGALES quorum nomine appellant quinque Libros Moyſi, ſeu Pentateuchum.

Geneſim. *Quibus in nouo teſtamento reſpondent quatuor Euangelia.* Matthæi.
Exodum. Marci.
Leuiticum. Lucæ.
Numeros. Ioannis.
Deuteronomium.

Hiſtoriales. *Sub quorum appellatione comprehendunt libros decem, & ſeptem.*
Ioſue.
Iudicum.
Ruth.
Regum quatuor.
Paralipomenon duos. *Quibus reſpondent.* Acta Apoſtolorum.
Eſdræ cum Nehémia.
Tobiæ.
Iudith.
Eſther.
Iob.
Machabæorum libros duos.

Sapientiales. *Quales ſunt.* Pauli quatuordecim.
Pſalterium.
Prouerbia Salomonis.
Cantica Canticorum. *Quibus reſpondent.*
Eccleſiaſtes. *Epiſtolæ.* Canonicæ ſeptem.
Sapientia.
Eccleſiaſticus.

Prophetales faciunt ſexdecim.
Eſaiam.
Hieremiam cum Baruch. *Quibus reſpondet.* Apocalypſis.
Ezechielem.
Danielem.
Duodecim Prophetas minores.

PARTICVLAREM, & auream Petri Aureoli, Minoritæ Cardinalis Archiepiſcopíque Aquenſis, Scriptori Aptenſi fas eſſet prætermittere

tere Diuisionem quæ sic scripturam Sacram in octo partes principales seu Libros distinguit.

IN

POLITICOS. in Pentateucho.

HISTORICOS. Iosue, Iudices, Ruth, Regum 4. Paralipom. 2. Esdræ 2. Tobiam, Iudith, Esther, Machabæorum duos.

DIALECTICOS. Iob. Ecclesiastem.

POETICOS. Psalterium. Canticum. Threnos.

ETHICOS. Prouerbia, Sapientiam, Ecclesiasticum.

PROPHETICOS. Esaiam, Hierem. Baruch, Ezechielem, Danielem. 12. minores.

TESTIMONIALES. Quatuor Euangelia.

EPISTOLARES. Acta Apostolorum, qui Liber quasi epistola missus fuit ad Theophilum. Epistolæ Pauli 14. Canonicæ 7. Apocalypsis missa septem Ecclesiis.

Hæc diuisio complectitur diuersam rationem docendi. Deus enim docet his modis propositis quos Isaias cap. 2. & Michæas cap. 4. *Vias Domini rectas appellant, qua docentur in monte Domini, & domo Dei Iacob.* Vnde Gregor. exponens illud Iob 33. *Semel locutus est Deus, & idipsum non repetit,* de scriptura diuina pronuntiat & dicit. *Deus singulorum vocibus non respondet, quia tale constituit eloquium, per quod cunctorum quæstionibus satisfacit; in scriptura quidem eius eloquio nobis omnibus in eo quod specialiter patimur, communiter respondetur, ibique vita præcedentium fit forma sequentium. Atque in his quæ per scripturam Sacram ad patres nostros protulit Dominus, nos erudire curauit: vnde cogitationibus vel tentationibus singulorum, non iam passim per Prophetarum voces ac Angelorum officia satisfacit, quia quicquid potest euenire singulis, in Sacra scriptura communiter comprehendit.* Hieronymus in illud Psalm. 147. *Et adipe frumenti satiat te,* sic commentatur. *Pinguissimus est sermo diuinus, & omnes in se habens delicias, quicquid volueris ex sermone diuino nascitur, sicut tradunt Iudæi, quoniam manna quando comedebant secundum voluntatem vniuscuiusque, sic sapiebat in ore.* Chrysostom. in 1. cap. Genes. *Meritò,* inquit, *thesauro cuipiam confertur diuinarum scripturarum lectio, nam sicut ex illo quisquis, vel paruum frustum capere valet, multas sibi parat delicias, ita & in Sacra scriptura, etiam in breui dictione, variam sententiarum vim & indicibiles diuitias inuenire licet. Et non solùm thesauro similia sunt diuina eloquia, sed fonti quoque largo perennibusque scaturienti fluentis.*

DIces si scriptura Sacra data est ad singularem eruditionem, & instructionem hominis qui ratiocinari solet de omnibus, cur explo ditur, aut saltem nulla affertur ratio in probationem eorum quæ habet, & refert.

Respondeo primò partem Bibliæ historicam esse, quæ probatione non constat sed facto, & exhibitione rei. Discursus seu relatio rei alicuius non innititur rationi, sed veritati rei. Secundò opera quæ Moses proponit non sunt humana sed diuina, quæ humanæ probationi non innituntur, sed fidem tantùm exigunt audientis. Tertiò Moses agebat cum populo rudi, & illiterato, apud quem non sine causa vicarius ipsius Dei habebatur, cùm prodigia, & miracula passim ederet in testimonium delegationis suæ.

Denique mysteria quæ Codex biblicus proponit, fidem tantùm requirunt vt ipsi meritum maneat illæsum, quod vt notat S. Gregor. rationis experimentum euacuaret, aut saltem minueret. Adde id ita ordinatum à Deo vt captiuetur intellectus humanus & humilia sapiat, is enim in altum fertur, & inflatus nonnunquam solis lucem obtenebrare, résque sole clariores obruere nititur ad ostentationem, & incerta pro certis subrogat. Quare simplici, & humili stilo Deus dictauit, & expressit scripturam, ne euanesceret homo in disputatione, & ventilatione credendorum, quæ Dei dictantis simpliciter, aut singulariter inspirantis solâ stabiliuntur authoritate.

Duplex docendi modus vulgò notatur apud homines, vnus ratione, & allegatorum probatione conuincitur: Alter verò sola dicentis, & magistri authoritate firmatur. Primum vsurpauit Aristoteles. Secundum verò Plato, qui ideo diuinus nuncupatur, multa enim affert in Timeo de rerum creatione, & mundi generatione, quorum tamen nullam dat rationem. Sic Moses historiographus Dei, quæ scribit, plano scribit stylo, ingenuè & simpliciter. *In principio,* inquit, *creauit Deus cælum & terram:* sicuti ergo duplici modo proponi solet doctrina, vel probationibus confirmata, vel simpliciter proposita: ita duplici modo disponitur homo ad fidem, vel vi rationis, vel simplici authoritate dicentis: Quia autem in rebus arduis homo homini non consentit nisi conuincatur intellectus verisimilitudine rationis, aut efficaciâ probationum, ideo demonstrationibus, aut saltem syllogismis, dilemmis, enthymematibus, & apparentiis agendum est ad insinuandam aliquam propositionem.

At cum Deus non tantùm verax sed & ipsamet essentialis veritas agnoscatur profectò præualet eius summa authoritas rationi ipsi.

Hinc est quod Prophetæ satis habent ista verba præfari. *Hæc dicit Dominus*, quod ponderans Chrysost. in epist. ad Galat. super illud. *Si ego aut Angelus de cœlo* ait, *plus fidei scripturis adhibendum esse quàm Angelis, & mortuis reuiuiscentibus.*

DIces scriptura quæ memorat de naturalibus plenè elucidare, eorumque proprietates declarare, & exprimere deberet ad plenariam hominis instructionem.

Respondeo Philosophum, & Theologum considerare creaturas diuerso modo, & respectu, sufficit enim Theologo creatoris sapientiam, & potentiam in illis admirari ad instar Regij Prophetæ Psalm. 103. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine*, tum modum creationis illarum ex nihilo considerando, timorem,& reuerentiam concipit & mente reuoluit cum eodem Propheta, qui Deum dicit, *terribilem esse in consiliis super filios hominum.* In œconomia tandem Prouidentiæ quæ, *attingit à fine vsque ad finem fortiter*, in administrandis rebus naturalibus, *& suauiter* in moralibus Bonitatem infinitam contemplatur, vnde ignescit in corde eius Charitas, & amor diuinus quo super omnia, & semetipsum Deum diligere & colere incipit. Philosophus autem non sic respicit creaturas, nec enim eas formaliter considerat vt habent esse à Deo, aut vt ab eo reguntur, vel vt ad eius gloriam referuntur: sed simpliciter naturam earum attendit & qualitates resultantes perscrutatur: v. g. ignem considerat cum innatâ vrendi, & sursum agi proprietate, Theologus instar Aquilæ primo obtutu solem aspicit, ignem vt à Deo productum ipsique omninò etiam contra innatam & naturalem inclinationem subiectum, considerat, vnde ad libitum proprios ipsi effectus suspendat, vt in fornace Babylonis factum refert scriptura.

Nullus ergo includitur defectus in scriptura, etsi animantium vegetabilium, metallorum aliarúmque rerum sileat qualitates. De his enim non agit vti sunt naturalia, sed vt Deo præpotenti omnimodè subiecta & supposita sunt.

Quis autem nesciat varia esse obiecta formalia & respectus considerationis scientiarum, quæ vnum & idem habent obiectum materiale. Sic Philosophus, & Medicus diuersimodè intuentur, & considerant corpus humanum. Physiologus de linea agit, Geometer itidem non tamen sub eodem respectu. Ita Theologus & Philosophus, creaturas attendunt non tamen sub eadem formalitate. Et hinc appositæ sunt nonnunquam Conclusiones seu illationes vtriusque: Philosophus argumentatur ex visceribus causæ per proprias rerum naturalium causas, Theologus autem pro Præmissis argumentorum suorum Potentiam Dei infinitam & absolutam ponit,& hinc oppositas Philosopho eruit conclusiones.

QVÆSTIO VII.

De multiplici sensu Sacræ scripturæ.

HIs prælibatis, & digestis quæ sunt de Bibliorum codice, seu scriptura Sacra in genere, cuius Originem, finem, numerum Librorum, versiones & distinctionem vidimus: examinandus est multiplex eius sensus, cuilibet periodo ferè ita proprius, vt communiter dicatur scripturam non consistere in littera, sed sensu: nam vt rectè docuit S. Gregor. in Prologo Moral. *Scriptura Sacra omnes scientias locutionis sua more transcendit: quia in vno eodemque sermone dum narrat gestum, prodit mysterium, & sicut mysteriis sapientes exercet, sic superficie simplices refouet: habet enim in publico vnde paruulos nutriat, & seruat in secreto, vnde mentes sublimium admiratione suspendat.* Rationem huius fœcunditatis sensuum ab authore suo habet verbum Dei scriptum.

Certum enim est, & cuique notum Deum solum esse authorem scripturæ Sacræ: quod prædictiones multis sæculis ante euentum datæ,& punctualiter adimpletæ in tempore præfixo, quibus referta est, apertè testificantur. Deus autem quia omnia simul suo comprehendit intellectu,habet in potestate sua vt non solùm voces ad significandum accommodet (quod homo facere potest) sed etiam res ipsas: & ideo cum in omnibus scientiis voces significent: Scriptura habet hoc proprium,quòd ipsæ res significatæ per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo significatio prima, qua voces significant pertinet ad primum sensum qui est sensus historicus seu litteralis, vel vt alij dicunt grammaticus, quando,v.g. verba sic accipiuntur vt sonant, veluti si dictio *fermentum*, accipiatur pro temperamento,quo miscetur panis, vt eo fiat sapidior, veluti si vox illa Hierusalem, iuxta grammaticam interpretationem significet ciuitatem olim in Iudæa metropolitanam. Illa vero significatio quâ Res significatæ per voces, res alias significant, dicitur spiritualis seu mystica, propter quod sensus spiritualis fundatur super litteram, & eam supponit.

Diuisio hæc sensus in litteralem & spiritualem seu mysticum sumpta est ex S. Dionys. de cœl. hier. cap. 2. August. lib. 1. de gen. ad litt. cap. 2. estque adæquata vt docet S. Thom. 1. part. quæst. 1. artic. 10. aliique Theologi, & probatur, quia omnis scripturæ sensus debet aliquo modo significari per verba Scripturæ, alioquin non esset Scripturæ sensus. Atqui duobus tantùm modis per ea significari potest, nimirum vel immediatè, & tunc est sensus litteralis, vel mediatè, seu mediantibus rebus per verba immediatè significatis, & tunc est sensus spiritualis, v. g. quando Exodi 12. refert historiam agni Paschalis, verba immediatè significant hanc historiam, qui sensus litteralis est: mediatè vero per hanc historiam significant Christum in ara crucis immolandum, qui spiritualis sensus est, idem dic de Genes. 22. quando memoratur historia Isaaci per patrem immolati, sensus litteralis est ipsa historia: spiritualis

tualis autem seu mysticus, est Christus in cruce mactandus.

Quod autem Scriptura tam veteris quàm noui Testamenti multiplicem sensum contineat probatur ex ipsa scriptura 2.Cor.3. *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti non litterâ sed spiritu, littera enim occidit, Spiritus autem viuificat.* Rom.2. *Qui per litteram & circumcisionem preuaricator legis es?* Matth. 13. *Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini Patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Apoc.5. *Et vidi in dextera sedentis librum scriptum intus & foris signatum sigillis septem.* Ezechiel. 2. *Expandit librum coram me qui erat scriptus intus & foris.* Luc.24. *Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas,* quæ si in sola superficie verborum consisterent Apostoli non indiguissent speciali illustratione eis tunc impertitâ.

Probatur ex SS. Patribus August. epist. ad Volusian. *Tanta est,* inquit, *profunditas Christianarum litterarum vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, in quibus latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat quod eadem scriptura habet.* Ecclesiast.13. *Cum consummauerit homo tunc incipiet.* Idem lib. de vera religione. *Ad dignitatem scripturæ pertinet vt sub vna littera multos sensus contineat: vt sic diuersis intellectibus hominum conueniens vnusquisque miretur se in diuina scriptura posse inuenire veritatem quam mente conceperit, ac per hoc facilius contra infideles defenditur dum si aliquid quod quisque ex Sacra scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium sensum possit recurrere.* Hieronym. super epist. ad Ephes. lib.1. *Non putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Gregor. in hom.5. super Ezech. *Tanta ac talis est diuina Scriptura sublimitas, vt non solum verba quæ à Sanctis vel ab ipso Domino dicta referuntur, sed etiam circumstantia rerum, quæ simpliciter posita videntur, spiritualibus sunt plenæ mysteriis.* Idem passim habent omnes ferè Doctores.

Probatur ratione, si sola verborum significatio sufficiat ad sensum habendum, & intelligentiam exprimendam, profectò multa in Scriptura reperientur, quæ vel parum pius homo, aut rideret, aut abominaretur, quale est illud (vt vnum aut alterum ex multis proferam) *ego dispono vobis mensam sicut disposuit mihi Pater vt edatis & bibatis super mensam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes tribus Israel* Lucæ 22. cui alludere videtur illud Esaiæ 65. cum de retributione iuxta vniuscuiusque opera singulis donanda differens, de his qui in luxu, & fastu vitam hanc transegerunt ait. *Serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore, &c.* Quæ si iuxta solam verborum significationem vt Lutherus interpretatur, accipienda essent, quis non videt, ex hoc ansam dari Cherinto necnon, & Mahometo fouendi suam impiam hæresim, & impietatem, qua aiunt in illa expectata beatitudine futuras esse carnis delicias.

Adde quod flagitiosi homines aberrantes circa corticem, nec ad nucleum penetrantes confirmationem in flagitiis suis habebunt, & patrocinium ex variis eius sententiis; fures, v. g. ex illis verbis Matth.19. *Qui potest capere capiat.* Ebriosi ex Cant.5. *Bibite, & inebriamini charissimi.* Libidinosi ex Genes.1. *Crescite, & multiplicamini.* Libertini ex Eccles.11. *Lætare iuuenis in adolescentia tua,* & Athei ex eiusdem Ecclesiastis cap.3. *Vnus est interitus hominis, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio, & nihil habet homo iumento amplius,* & cap.9. *Mortui nihil nouerunt amplius.*

Præterea eodem spiritu interpretanda & intelligenda est Scriptura, quo loquutus perhibetur Deus, sed ex Paulo Heb.1. multifariàm multisque modis loquutus est Deus Patribus olim in Prophetis: scilicet per Parabolas, figuras, Tropos, Ænigmata: & nouissimè nobis in filio suo loquutus est nobis diuerso modo, quare diuersus est nobis perscrutandus & rimandus scripturæ sensus.

Dices multiplicitas hæc in vno textu parit confusionem & deceptionem, tollitque arguendi firmitatem: vnde ex multiplicibus propositionibus non procedit argumentatio, sed secundùm hoc aliquæ fallaciæ assignantur: Sacra autem scriptura debet esse efficax ad ostendendum veritatem absque omni fallacia Ergo non debent tradi in ea plures sensus sub vna littera.

Respondet S. Thomas quòd diuersitas horum sensuum non facit æquiuocationem, aut aliam speciem multiplicitatis, quia sensus isti non multiplicantur propter hoc quod vna vox seu dictio multa significet, sed quia ipsæ res significatæ per voces, possunt esse signa aliarum rerum: & ita nulla sequitur confusio in Sacra scriptura, cùm omnis sensus fundetur super vnum, scilicet super litteralem ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex his quæ secundum mysticum vel allegoriam dicuntur, vt docet August in epist.48. Contra Vincent. Donatistam. Non tamen ex hoc aliquid deperit S. scripturæ, quia nihil sub spirituali sensu fidei necessarium continetur.

Litterali sensu qui, & historicus dicitur explicato; Mysticus seu spiritualis perscrutandus est. Is autem triplex notatur, & recensetur, scilicet Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus, iuxta triplicem temporis differentiam, præteriti, præsentis, & futuri. Allegoria namque præteritarum in lege veteri vmbrarum ac figurarum prænotationes, & præsagia recenset & manifestat. Tropologia, quæ in scripturis gesta & dicta sint ad præsentis vitæ moralem institutionem conuertit. Anagogia, ad futuræ beatitudinis, & cœlestis gloriæ mysteria animum sustollit.

Vel iuxta numerum virtutum theologicarum fidei, charitatis & spei: Nam res quæ in S. scriptura aliis rebus significantur, vel significant res fidei, seu res credendas & sic sensus dicitur Allegoricus vel res Charitatis, seu res agendas & sensus est Tropologicus seu Moralis, vel denique res Spei seu res sperandas, est-

que Anagogicus sensus. Vel res pertinent ad Ecclesiam militantem, vel ad triumphantem: si ad militantem, sunt res credendæ, aut agendæ, & duo priores existunt sensus, si ad triumphantem sunt res sperandæ, de quibus est sensus Anagogicus.

De his S. scripturæ quatuor sensibus hos habe duos versus.

Littera gesta docet, quod credas Allegoria,

Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Præcipuos horum Expositores nota ex Sixto Senensi.

Historiam ex Hebræis, & Græcis fontibus haustam Hieronymo disces duce. Allegorias Anagogemque recludent Origenes & Ambrosius: de Origene vbi à fidei analogia non discedit dici solet, *vbi bene nemo melius: vbi malè nemo peius.*

In dubiis, altáque locis caligine mersis Aurelius lucem feret.

At breuis & facilis non est spernenda Tyrini Lirensis expositio.

Differunt multipliciter inter se hi quatuor sensus, scilicet quòd Litterarius immediatè significetur verbis ipsis. Mysticus vero mediatè. Quod litterarius sit fundamentum, & basis mystici, sine quo nullus sit mysticus, sic docent Hieronym. in cap. 9. Amos præfatione in Isaiam & cap. 13. Ezechielis 40. Gregor. hom. 4. in Euang. hinc est quod Origenes in capit. 1. Ioann. vocat eum centrum. Quòd eorum alter magis à Deo spectetur, alter minùs: cum enim plures actiones fiunt, non ea semper quæ primò fit, magis quoque spectatur & intenditur: neque è contrario, quæ secundò fit, sed ea magis spectari solet vel intendi, vel propter quam fiunt aliæ, vel ex qua, cum quoad se multo maior & nobilior existat existunt aliæ aliquæ quoad se minores ac ignobiliores.

Quod Litteralis ex vocum significatione depromptus notior & facilior sit, mysticus abstrusior, & magis ignotus. Quòd in omni dogmate fidei atque ad omnia semper è litterario ducatur argumentum, non autem à mystico, de quo non semper constat, an sit à Spiritu Sancto intentus, & depromptus talis, euidens autem est proponi à Deo litteralem. Tum falli potest Doctor, qui eum mysticum excogitat & rimatur, ex quibusdam similitudinibus rerum, solertia & indagatione humani ingenij, quod sæpe decipitur, & crebrò in rebus obscuris fingere solet ea ad quæ animus potissimùm est vel naturâ, vel exercitatione propensior. Si enim v. g. velim adstruere Sacerdotes habere potestatem ligandi ac soluendi à peccatis mysticâ illius sententia Christi ad Apostolos Ioa. 11. *Soluite eum & sinite abire*, expositione, mox respondebit aduersarius, id de solutione linteorum, quibus erat obuolutus Lazarus, & non de solutione peccatorum dictum esse. At si idipsum ostendero ex authoritate & expositione litterali eius sententiæ Christi ad Apostolos Ioann. 20. accipite Spiritum sanctum, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, protinus acquiescit animus & dictis assentiri cogitur. Hieroymus in lib. 2. Comment. super Matthæum pertractans de fermento absconso à muliere in farinæ satis tribus, postquam retulit quorundam expositionem applicantuim parabolam illam ad Trinitatem personarum diuinarum, & vnitatem essentiæ, subiungit hæc verba: *pius quidem sensus sed nunquam Parabola, & dubia ænigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum proficere.*

QVÆRES, *An in omni scriptura textu sit Litterarius sensus.*

Negat Lyranus, qui mysticum agnoscit vbi tropus habetur, quia inquit vbi non est sensus per voces primò significatus, littera non verificatur, sed translatitius tantùm intenditur sensus. Tres autem ad hoc discernendum dat regulas, prima est. Quando proponitur Parabola vt Iudicum 9. *Ierunt ligna vt vngerent super se regem*; ibi intelliguntur Sichimitæ. Secunda quando occurrit metaphora vt Matth. 5. *Si dextera tua scandalizat te abscinde eam*, certum est enim Deum, nec præcipere, nec velle illud vt sonat textus, absurdum est enim oportere manum abscindi, quoties per eam peccatum aliquod committitur. Tertia quando sequitur, vel falsum, vel absurdum, vt in exemplo manus abscindendæ, per quam intelligendus est proximus, quem declinare debemus, & ab illo nos separare, si nobis sit scandalo.

Hanc Lyræ sententiam confirmant Gregor. lib. 4. moral. cap. 1. & 2. Hieronym. lib. aduersus Iouinian. dicit enim circumcisionem quæ Iosue 5. secunda dicitur, non posse quoad litteram intelligi secundam, nec 3. Reg 1. Abisag Sunamitidem talem dici posse Origenes hom. 2. in Genes. adducit exemplum. Prouerb. 26. *Spina nascetur in manu temulenti*, non posse intelligi litteraliter. Hieronym. in 11. Isai. *Habitabit lupus cum agno.* Gregor. lib. 4. moral. cap. 1. *Pereat dies in qua natus sum*, quod litteraliter absurdum ait. Et hinc apud Patres communis est vox. *Vbi deficit littera eundum est ad mysterium*, vt notat Origen. lib. 4. de princip. cap. 2. Et hinc Augus. lib. 3. de Doctrin. Christi cap. 5. Regulam hanc intelligentiæ, & interpretationis assignat. *Cauendum est ne figuratam locutionem, id est, translatam, quasi propriam sequamur, aut propriam quasi figuratam accipiamus.* Ad hoc enim pertinet quod ait, Paul. 2. Corinth. 3. *Littera occidit, spiritus autem viuificat*, quod & cap. 6. August. explicat, *vt si qua dicuntur metaphoricè, capiantur vt sonant ad litteram*, id & ad primariam vim verborum, *vel si qua in lege quasi noua legis typi & figura dicuntur, iam ad litteram seruanda intelligantur.*

Affirmant communiter S. Thom. Bellarmin. Valentia, Vasquez, & Becan. contra Lyram sic arguit. Omnis textus S. scripturæ, immediatè aliquid significat. Ergo omnis sensum habet litteralem. Probatur Antecedens: si enim aliquis locus nihil immediatè per verba significaret, nullum omnino sensum haberet, siquidem omnis sensus spiritualis, in rebus per verba proximè significatis continetur: Atqui absurdum est aliquem textum carere omni sensu. Idque à nemine docetur.

Reclamant etiam August. lib. de vtilit. credendi, Hieron. præfat. in Isai. in Ezech. cap 40. in cap 9. Amos, quia inquiunt sublatâ radice, aut fundamento euulso cadit arbor & ruit ædificium; aliorum autem sensuum radicem, & fundamentum censent litterarium. Sic & Gregor. hom. 2. in Ezech. quem infallibiliter verum esse

esse, neque ei posse subesse falsum docent, quia is est a Spiritu Sancto intentus, qui non potest dicere falsum, cum sit prima veritas, hoc est infinitè sapiens & verax. Nec obstant aliquæ in Scriptura Propositiones falsæ, vt *Dæmonium habes. Reus est mortis*, &c. Nam hæc Spiritus-Sanctus, nec sacer Scriptor asserunt, sed Iudæi quorum verba non est necessarium esse vera, asserit autem dumtaxat Scriptura hæc prolata esse ab hominibus, (quod infallibiliter verum est,) & recitatiuè tantùm illa refert.

Ad hæc dici potest Lyram strictiùs loqui, non esse litteralem, si vbi tropus est ad Mysterium accedat. Nodum hunc soluendum relinquo Minoritis, quorum interest minoritam litteratissimum tueri. Non reluctabor tamen credere cum eo aliquos inueniri textus, qui proprium litteralem sensum non habeant, sed tantùm figuratum, quem fortè Patres mysticum, & Sanctus Thomas artic. 10. quæst. 1. 1. partis vocat parabolicum sub litterali contentum: *Nam per voces, inquit, significatur aliquid propriè, & aliquid figuratiuè, nec est litteralis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratum. Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium est litteralis sensus, quòd in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id quod per membrum significatur, scilicet virtus operatiua.*

Dico litteralem sensum duplicem assignari. Alius est simplex qui consistit in proprietate verborum: Alius est figuratus, seu Parabolicus, quo verba transferuntur à propria & indita seu naturali significatione ad alienam seu metaphoricam: vt cum Dominus Ioann. 10. dicit. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*: Sensus litteralis est, sed figuratus, alios homines præter Iudæos in Ecclesiam congregandos: licet enim propriè per ouem intelligamus animal, quod primò significatur per hoc nomen: Sensus tamen metaphoricus; quia primò est intentus à loquente, qui transfert significatum naturale vocum, dicitur litteralis, & primò intentus: est enim quasi donatio nouæ significationis, vt cùm in communi locutione vocamus voracem aliquem lupi nomine, & astutum quemdam nomine lupi designamus: vel cum in Scriptura Christus dicitur Agnus, Leo, Petra, Vermis, & id genus plura, quæ Christo propriè non conueniunt, sed per similitudinem quandam. Ita Diuus Thomas citatus, Alphonsus à Castro Minorita libro 1. de hær. cap 5. Bellarminus libro 3. de verbo Dei cap. 3. Sixtus Senens. lib. 3. Biblioth. sanctæ.

Nec opponas tropum, seu metaphoram significare proximè rem cui significandæ primo est imposita, deinde autem & remotè rem ad quam transfertur, vt cum Ioann. 15. *Ego sum vitis*, primò vitem significat, secundò Christum, ad quem hoc nomen transfertur, denotat. In omni enim metaphora includitur quædam similitudo, idcóque & duo extrema similia, ita vt ex vno cognito cognosci debeat alterum, cum vnius nomen proprium, detur alteri ob similitudinem non propriè.

Respondeo inesse quidem in metaphora similitudinem, & per consequens duo extrema, sed non ideò necesse est, vt vnum intelligatur priùs & alterum postea.

Quin vero, *Relata simul intelligi communis est Logicorum regula.* Vox ergo metaphorica, primò, & proximè rem ad quam transfertur significat, sed cum respectu ad rem ad quam transfertur, & à qua similitudo ducitur. Quintilianus libro 8. cap. 6. ait. *Metaphora in totum breuior est, quam similitudo, eoque distat, quod illa comparatur rei quam exprimere volumus.* Hæc pro ipsa re sumitur. Comparatio est cum dico fecisse quid hominem, vt Leonem. Translatio, cum dico de homine Leo est.

Notat Serrarius si metaphora significaret, primò id à quo, non id ad quod est translatio, sequi omnes qui metaphoricè loquentur, ipsúmque Deum loquentem, loqui primò falsum quàm verum, priúsque exprimere auditoris menti falsum quam verum.

Dices, veteres quosdam Patres dare sermoni qui constat tropo sententiam spiritualem & allegoricam: Non ergo is sensus reuocandus est ad litteralem.

Respondeo, hoc rarò notari posse, & propter similitudinem quandam cum spirituali sensu, qui quoquo modo lateat indagatur: ita hic volunt latere, quasi rudes aliqui & indocti priùs rem propriè denotatam capiant, secundò translatitiam.

Cur *autem metaphoris vtatur Sacra Scriptura.* explicat Sanctus Bernardus sermone 51. in Cant. Sanctus Thomas citatus artic. 9. Quia nimirum delectatur animus similitudinibus rerum, & spiritualia commodè iis explicantur. Deus autem accommodat se naturæ & inclinationi hominum in eorum sermocinatione. Addi etiam potest causa quam in prophanis etiam tradit Quintilianus libro 8. cap. vlt. necessitatem scilicet, eo quod interdum propria desint vocabula.

Nota aliqua fidei Mysteria metaphoricè, seu tropicè nobis significari, vel ob necessitatem; quia cum à sensibus nostra cognitio pendeat, nisi per res corporeas & sensibiles exponerentur ea non caperemus; iuxta hæc Dionys. cap. 2. cælest. hierarch. ait. *Impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumdatum*, vel ob vtilitatem, quia faciliùs percipiuntur à rudioribus. Ita Sanctus Thomas: vel dic aliqua Mysteria occultè, seu perobscurè nobis significari, vel ad reuerentiam, vt scilicet ab impiorum & rudium irrisionibus vindicentur: iuxta hæc, *Nolite sanctum dare canibus*, vel ad Studiosorum exercitationem, iuxta hæc Eccles. 3. *Mundum tradidit disputationi eorum.*

Qværes, *an sub iisdem verbis plures sint aliquando litterarij sensus.*

Affirmant Augustinus libro 3. de doctrina Christiana cap. 27. Diuus Thomas citatus, & quæstione 4. de potentia artic. 11. Bellarminus, Salmeron. Valent. Vasquez, etsi repugnent Albertus, Henricus, Alensis, Medina, rationem affert Sanctus Thomas. Deus omnia simul comprehendit intellectu suo; ergo & iisdem verbis plura potest significare. Augustinus citatus sic loquitur. *Author ille in eisdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsan vidit, & certè Dei spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori, vel auditori sine dubio præuidit; imò vt occurreret; quia & ipsa est veritate subnixa*

nixa prouidit. Nam quid in diuinis eloquiis largiùs & vberiùs potuit diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus diuina contestantia faciant approbari Similia habet libro 12. Confessionum cap. 18. 19. 20. & libro 1. de Trinitate cap. vltim & l b. 11 ciuit. cap 19 & idem sentire videtur Sanctus Bernardus sermone 51. in Cantic. dum ait, *Sicuti aqua pluribus vsibus vtilis est, sic & in pluribus sensibus Scriptura.*

Exemplum multiplex profertur. Psalm. 2. *Generationem eius quis enarrabit*, quod & Isaiæ 57. habetur, litteraliter significat Christi generationem, tum æternam, tum temporalem, imò Paulus Act. 13 vers. 33. exponit de Christi resurrectione.

Ioann. 11. *expedit vt vnus homo moriatur pro populo ne tota gens pereat.* Alium habet litteralem sensum ex mente Caï hæc, quæ significabat Christi mortem esse necessariam Iudæis, ob aliquem finem temporalem. Alium verò ex intentione Spiritus-Sancti, qui mortem necessariam ad hominum redemptionem significabat: politicus hic & Theologicus, seu Propheticus, latet sensus quem ore Caïphæ, sicut per os asinæ Balaam euulgauit Deus, Pontifice eum eum non penetrante. Pluritas hæc intentorum sensuum litteralium, non parum facit ad Majestatem S. Scripturæ.

Dices, esse difficile vt Scriptor canonicus intendat & nouerit plures tales sensus.

Respondeo ex Gillio, Caietano, post Sanctum Thomam, hoc non esse necessarium: nam neque ipsi Prophetæ semper intellexerunt quod prophetarunt; siquidem Ionas hæc verba sua *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Tanquam absolutam propheti m accepit, cum tamen hypothetica solum esset, id est, nisi pœnitentiam ageret, & Daniel de se profitetur cap. 12. *Ego audiui & non intellexi.*

Instabis fallacem futuram inde & ambiguam sanctam Scripturam à qua proinde nequeat efficax argumentum desumi.

Respondeo, licet Scriptura interdum æquiuoca sit, tamen non est fallax, quia Deus loquens vult vtrumque sensum distingui & percipi posse, tunc autem tantùm fallax est oratio, cùm loquens vult vnum tantùm percipi sensum, vt audiens decipiatur. Licet autem oratio æquiuoca sit, efficax tamen dabit argumentum, modo non sumatur æquiuocè, sed determinatè in vno sensu, vt docet Aristoteles libro 14. metaphysicorum, text. 10. *Nihil interest*, inquit, *si plura quis significare dicat terminum aliquem, modo determinatus sit ab vsurpante.*

Qværis, *an sensus mysticus reperiatur in omni S Scripturæ textu.*

Respondeo, quòd non, illud enim Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Deuteronom. 5. & Matth. 23. *Diliges Dominum Deum tuum* 2 Reg 12. Misit Dominus Natham ad Dauid, & similia non habent, nisi vnum sensum litteralem Plures autem eiusdem speciei mysticos in vno litterali textu fundari posse constat ex diuersitate allegoricarum interpretationum.

Qvæstio VIII.

De sensu accommodatitio.

PRæter hos quatuor enarratos Scripturæ sensus, traditur quintus qui accomodatitius, seu transsumptiuus dicitur, qui est quando præter scriptoris alicuius intentum ac scopum, verba eius rebus aliis quas illa neque propinquo, neque remoto significatu indicant, applicantur & accommodantur: vnde & secundùm euentum vocatur ab aliquibus, verbi gratia, si quis vellet interrogare cuiusnam Parrochiæ, aut Parrochi sint hi, quos videt homines, & dicat. *Dic mihi Dumæta cuium pecus?* vel si monere vellet aliquem mali impendentis, & dicat. *Tum tua res agitur paries cum proximus ardet.* Talis autem sensus vsurpatur ab ipsamet Scriptura, & Sanctis Patribus Bernardo specialiter, licet non sit verus Sanctæ Scripturæ sensus: vnde Sanctus Thomas eius non meminit, in quæst. de sensibus Sanctæ Scripturæ: nec-non & ab Ecclesia in Officio diuino. In isto sensu, omnia non sunt exactè examinanda, verbi gratia, in festo Assumptionis Beatæ Virginis ei accommodatur Euangelium de Martha & Magdalena propter vnam conuenientiam de introïtu Christi in earum castellum, reliqua vix quadrare inuenies. Sic & de Psalmis applicatis; stultum autem esset omnia ad litteram sumere, quomodo enim intelligemus pro defunctis verba illa. *Placebo Domino in regione viuorum.* extra quam sunt? & illud, *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* Sic in dedicatione Ecclesiæ legitur Euangelium de Zachæo; quia vltima verba hodie huic domui salus facta est conueniunt. In communi Confessorum Ecclesia, de quouis canit Eccles. 44. *Inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Benedictionem omnium Gentium dedit illi: quorum primum de solo Noe, secundum de solo Abrahamo, tertium de solo Isaaco ibi dicitur. Scriptura ipsa vsurpat hunc sensum: nam quod de Pontifice Iesu, seu Iosue & Zorobabele duce dixerat olim Zacharias cap. 4 id paucis mutatis vt sæpè fit, transfertur ad alios duos Apoc. 11. qui sunt vel Enoch & Elias, vt contendit Maldonatus in capit. 17. Matth. & ab Ecclesia ad Sanctum Ioannem & Paulum 26. Iuni, transfertur.

Contendunt multi sacros Scriptores non vsos fuisse sensu isto accommodatitio; quia sacer Scriptor nunquam vsurpat verba alterius sacri & canonici, nisi in sensu intento per Spiritum-Sanctum; hoc enim dignitas Scriptoris sacri requirit. At iste sensus est adscititius & alienus, nullôque modo genuinus. Ad hæc

Nota primò, Scriptores sacri non semper cognouerunt, nec proinde intenderunt id omne quod Spiritus-Sanctus per eorum verba significabat; vnde non sequitur si aliquis sensus non est intentus à Scriptore canonico, non esse etiam à Spiritu-Sancto intentum. Omnis sensus à Scriptore Canonico, vt sic est etiam intentus à Spiritu-Sancto, non autem è conuerso ait Sanctus Thomas quodlibeto 7. quæst. 6. art. 14.

artic. 14. & quæst. 4. de potentia art. 1. & alij Doctores.

Nota secundò, Spiritus-Sanctus præuidens verba Scriptoris Canonici anterioris vsurpanda esse per recentiorem canonicum in sensu per eum anteriorem non intento, voluit significare per illa verba id quod recentior per ea significare voluit, seu quod idem est intendit sensum per recentiorem illis imponendum, significare, vel quo tempore scriberetur, vel saltem quo tempore à recentiore vsurparetur; quia licet possit fieri, vt canonicus scriptor non cognoscat, & consequenter non intendat aliquem sensum per sua verba à Spiritu-Sancto intentum, fieri tamen non potest, vt Spiritus-Sanctus non intendat sensum à scriptore canonico, vt talis est intentum. Ita Gillius; ex quo concludit Canonicum non posse alterius scriptoris verba vsurpare in accommodatitio sensu: quandoquidem in alieno, seu non intento à Spiritu-Sancto non potest illa vsurpare.

Quoad cæteros qui Canonici non sunt, verba in sensu non intento vsurpant, consequenter & non intento à Spiritu-Sancto: statuit equidem *Spiritus-Sanctus*, ait Gillius, permittere aut inspirare Patribus & Doctoribus, vt significent sensu adscititio, quod ex Scriptura assumunt, non tamen quasi per sermonem suum & verba canonico scriptori inspirata.

Sensus iste vsurpari potest licitè, seruatis seruandis; nam quod commune est aliis libris, tribuendum est seclusa quacumque imperfectione sacro Codici Bibliorum, qui omnibus communis est: imperfectio autem aliorum, hæc est, quòd habeant: vel putari possint habere aliquid falsi, superuacanei, ac inutilis. Tamen è sensu isto nihil necessarium, neque firmum duci potest argumentum ad vllam rem, cùm nec à littera proximè vel remotè, nec à Spiritu-Sancto intendatur, sed ab homine traducatur ad energiam fortè, vel ornatum.

Traductio autem fieri potest benè, vt à multis, & malè, vt à pluribus; malè autem quadrupliciter fit. 1. si ad vitia, facetias & spurcitias traducitur, prout in sess. 4. Trident. synodi notatur & prohibetur. 2. Si quis hunc veluti litterarium, aut mysticum iactet. 3. Si quis impium & falsum attribuat Scripturæ, ideò Caietanus abusiuum vocat. 4. Si quis sensum, qui verè litteralis aut mysticus est accommodatitium & ecbaticum doceat, referendo verbi gratia, quæ de Christo dicuntur κατὰ ἔκβασιν, id est, secundùm euentum pro occurrentia, quod impium vt plurimum est.

Abusus istius sensus accommodatitij, vt plurimum inter vernos ac vulgares homines oritur ex vana Sectariorum præsumptione, nec non & Catholicorum insolentium effrænata libertate interpretandi ad libitum, quod nesciunt: & hinc contemptus Religionis, hinc sectæ, errores, hæreses, Atheismus ipse, vt rectè notauit Sanctus Augustinus in tractatu super Ioan. 18. *Neque enim*, inquit, *nata sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè: & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.*

QVÆSTIO IX.

De obscuritate sacræ Scripturæ.

QVæ hucvsque de Scriptura attulimus, & vel ad leuem intelligentiam Articuli, quem versamus, tractare & examinare opus fuit. Profunditatem & obscuritatem ipsius Scripturæ pronuntiant, quam Litteratiores & in diuinis eloquiis exercitatissimi passim experiuntur, nec dissimulare possunt, quin sæpè sæpius deficiant *in salutare Dei*, & in perscrutandis mirabilibus eius testimonis scripto exaratis penitus hæreant. Vnde Nouatorum Magistri & Ministri, *impudentissimæ temeritatis*, vt loquitur Lutherus ipse, præfat. in Psalm. *conuincuntur, qui audeant profiteri vnum librum Scripturæ à se in omnibus partibus intellectum*: Nunquid ergo obcæcatæ stupiditatis, nec non & execrandæ peruersitatis est, indiscriminatim committere legendam, tractandam & explicandam Scripturam à popularibus, rudibus, illiteratis, qui vix fidei rudimenta tenent: quam ipsimet assidua exercitatione, studio, lectione Patrum, & Patriarcharum suorum ordinaria conquisitione, difficilem, ænigmaticam, profundam, & in sola historia (quæ planior est, & minus videtur habere in recessu) obuolutam, & obscuram velint nolint, quo magis proficiunt & linguarum sunt peritiores, probare non desinunt.

Conquerebatur olim de hac re grauiter Sanctus Hieronymus, qui acriùs procul dubio stomacharetur, si Caluinistarum & Nouatorum, eorum etiam qui de fæce plebis sunt, præsumptionem & verbositatem in proferenda sententia super quouis Scripturæ textu, conspiceret. Dicit enim in Epistola ad Paulinum. *Cum nulla sit ars quam omnes passim sibi vindicent, hanc* (Scripturarū videlicet intelligentiam) *garrula anus, hanc delirus senex hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.* Hæc ille. Quò nihil sanè contingere potest inordinatiùs: nam si nec citharædus, nec figulus quispiam euadere potest, nisi & præeunte Magistro, & industria, & spatio temporis, & assidua exercitatione, nisi denique humiliter se maioribus illius artis subdiderit, quomodo in sola hac arte sanctissima, erunt omnia confusa, & inter docere & doceri nulla differentia? Nullus popularibus, rudibus atque carnalibus erit præfixus terminus? Nulla præ imperitis Magistrorum & Doctorum prærogatiua, aut profectus, iniuriosâ profectò Authoribus ipsis, hæc est in Scripturam sacram generalis interpretandi licentia. Credo equidem (nec me fallit opinio) institutum hoc sub pietatis quadam vmbra à Diabolo esse inuentum, quò facilius homines trahat in errores, vt Magistros sanctos minoris æstiment, & Scripturam sacram Spiritus-Sancti pignus pretiosissimum vilipendio exponant, dum omnia in ipsa contenta & recondita omnibus patula & ad manum esse credunt, & quasi singularem fidei suæ articulum profitentur. Quod quàm fictitium, erroneum, & hæreticum sit declarabit Propositio sequens. *Quod scilicet abstrusa & obscura sit Scriptura sacra* ordine

ordine consulto stabilita. Probatur ex Scriptura Psalm. 118. *Da mihi intellectum*, ait Dauid, *& scrutabor legem tuam, reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.*

In quæ verba Hieronymus in Epistola ad Paulinum. Si tantus Propheta ignorantiæ tenebras confitetur, quas non putas paruulos, & penè lactentes inscitiæ nocte circumdari. Act. 8. Eunuchus Reginæ Æthiopum versabatur in Scripturis, & Isaiam legebat cui Philippus interrogans dixit, *Putásne intelligis quæ legis? & respondit, & quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi.* 2. Petri vlt. Petrus asserit in Epistolis Pauli, *esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant.* Vbi nota non dixisse esse quædam difficilia indoctis & instabilibus, vt hæretici exponunt, sed difficilia absolutè; nam Augustinus, qui certè instabilis & indoctus non erat, fatetur libro de fide & operibus capit. 15. & 16. difficillimum sibi esse locum illum & animaduertenda est vox expressa in autographo στρεβλοῦσιν, quæ significat torquere, detorquere, vox, vt constat gehennæ propria; quasi dicat Scripturam applicari gehennæ & in sensus detortos violenter detorqueri. Notátque Augustinus citatus vnum ex illis à Petro designatis locis obscuris esse hunc 1. Corinth. 3. *Si quis autem superædificat fundamentum, &c.* Nec minus obscurus est ille textus capitis 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, vt quid & baptizantur pro illis.* Non enim facilè est hoc loco explicare quid significet *baptizari*, item quid pro mortuis baptizari, de quo extant apud Bellarminum sex opiniones libro 1. de Purgatorio cap. 4. Idem Paulus ad Corinth. 1. cap. 12. & 2. cap. 3. & ad Roman. cap. 12. docet interpretationem Scripturarum esse speciale donum Spiritus-Sancti, obtusósque fuisse sensus Iudæorum, vt vetus Testamentum quod quotidie legebant non intelligerent, *Vsque in hodiernum diem*, inquit, *velamen in lectione Veteris Testamenti manet non reuelatum.* Vnde Sanctus Stephanus arguit eos de duro & incircumciso corde. Luc. 24. Cleophas & Lucas hac tarditate animi & cordis ad intelligendum duritiè notantur cum Christus eos redarguit. *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Propheta. Túncque aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Item si obscuræ non essent Scripturæ, non dixisset Christus, *scrutamini Scripturas.* Ioann 5. Res enim, quæ scrutinio eget, non est obuia nec clara omnibus. Nec Deus dixisset Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.*

Probatur ex Sanctis Patribus Irenæo lib. 2. aduersùs hæreticos cap. 47. Si in rebus creaturæ quædam quidem earum adjacent Deo, quædam autem in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum quæ in Scripturis continentur quædam quidem absoluamus secundùm gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non solùm in hoc sæculo, sed & in futuro, vt semper quidem Deus doceat; homo autem semper discat à Deo. Hoc scripsit postquam multa in orbe nobis ignota recensuit, verbi gratia, fluxum & refluxum Occeani, flammam phantasticam, regressum auium exterarum, inundationes Nili, effectus tonitrui, compositionem meteororum, coagmentationem metallorum, causam & diuersitatem ventorum. &c. Clemens Alex. lib. 2. Strom. cap. 6. Neque ipse Saluator adeò crassè locutus est ipsa diuina Mysteria, vt ea facilè capi possint à quibuslibet, sed disseruit in parabolis, &c. Origenes libro 7. contra Celsum. Alij quoque cordati viri scrutando Scripturam, intellectum eius inuenire potuerunt, licet reuera multis locis sit obscura & super Cant. Cant. *Necesse est eum qui Scripturas sacras desiderat intelligere, cum labore contendere, vt non iuxta carnem & sanguinem conuersetur, quo possit dignior fieri spiritualium secretorum*, & super primo Psalmo. *Conclusas & obsignatas dicit esse Scripturas diuinas claue Dauid & sigillo ipsius qui ipsas dedit.* Gregorius Nanzianzenus 1. Theol. libro dicit nō omnium esse, etiamsi idiomata calleant de diuinis oraculis disserere, *Sed eorum*, inquit, *qui inter multos habito delectu ad tantum munus videntur idonei.* Qui vero tales sint ipse declarat. *Qui inquam contemplandi acumine cæteros antecellunt, qui iam ante corpus & animam ab affectu purgarunt.* Basilius Epistola de vita solitaria eleganti comparatione hoc ipsum confirmat: *Quemadmodum*, inquit, *in cera quis scribere non potest, nisi caracteres antea impressos deleuerit, sic nec anima diuina dogmata degustare, nisi pristinos ex animo mores penitus destruxerit.* Nec hoc solum docuerunt isti duo viri grauissimi, sed opere ipsum compleuerunt. Legimus enim 12. historiæ tripartitæ libro istos duos sanctos Patres per duodecim annorum spatium in Cœnobio quodam commorantes, euoluisse Scripturas & earum intelligentiam non ex propria præsumptione venatos esse, sed Majorum doctrinam & auctoritatem sequutos fuisse. Epiphanius in compendiaria de fide doctrina, non litteras solum callentibus, sed spiritu abundantibus scrutinium Scripturarum committit. *Consideremus*, inquit, *virtutem Scripturæ, ne fiat nobis littera mors, littera enim occidit; in littera est vita, occidit autem imprudentem ad litteram accedentem, & non habentem spiritum interpretantem, qui litteram aperit & quod in ipsa est reuelat.*

Chrysostom. homilia 21. in Genes. *Nihil hic* inquit, *scriptum est, quod non multas sensuum habeat diuitias quandoquidem diuini Spiritus afflatu Prophetæ locuti sunt, ita vt à spiritu scripta ingentem in se contineant thesaurum.* Et paulò inferius. *Neque enim vel syllaba, ait, vel apiculus est in sacra Scriptura, in cuius profundo non sit nobis quispiam magnus thesaurus. Proinde nobis opus est, vt diuina gratia ducamur, vt Spiritu-Sancto illustrati eloquia diuina adeamus.*

Ecclesiæ Græcæ sunt hi irrefragabiles testes, Consonat Doctorum Ecclesiæ Latinæ Chorus venerandus. Clemens Papa VI. Petri & Pauli discipulus in Epist. vltim. ad Hierosolymitanos. *Diligenter obseruandum est, vt cum Lex Dei legitur non secundùm propriam ingenij intelligentiam legatur & doceatur, sunt enim multa in Scriptura quæ possint ad eam trahi, sed hoc fieri non oportet, ideo necesse est ab eo discere intelligentiam Scripturarum, qui eam à Maioribus secundùm veritatem sibi traditam seruauit.* Tertullianus libro de Pallio capit. 3. *Dehinc*

Adamum

Adamum de originis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitur Orbi vt metallo detur. Sed arcana ista nec omnium nosse. Hilarius Prologo in Psalmos. *Sunt omnes Prophetiæ ad mundialem sensum & prudentiam sæculi clausæ & obsignatæ, secundùm illud Isaiæ, & erant vobis omnia verba hæc tanquam eloquia libri huius signati.* Ambrosius in verba Psalm Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. *Si Propheta intellectum sibi dari postulat, quis profiteatur in sua potestate esse intelligentiam?* Sanctus Hieronymus non vno in loco suorum operum veritati nostræ suffragatur, testimonia duo insigniora produco, primum est super lib. Paralip. *Fateor*, inquit, *mihi Domnion & Rogatiane charissimi, nunquam me in diuinis voluminibus propriis viribus credidisse, neque habuisse opinionem meam, sed etiam de quibus me scire arbitrabar, interrogare me solitum quanto magis de iis de quibus anceps eram.* Et in præfat. Epistolæ ad Ephesios, *Scitis quod ad hoc me explanationum opus inuitum & retractantem compuleritis. Non quo ab adolescentia, aut legere vnquam aut doctos viros ea quæ nesciebam interrogare cessauerim, & meipsum tantùm, vt plerique habuerim magistrum: denique nuper ob hanc, vel maximè causam Alexandriam perrexi, vt viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus quæ habebam dubia sciscitarer.*

Quid de Ambrosio dicam, qui libr. 7. Epistola 44. *Magnum mare vocat scripturam habentem in se abyssum sensuum profundorum, & in quam plurima intrant flumina.* Neque ab his Sanctus Augustinus discedit, imò magnopere huius negotij difficultatem extollit in plerisque suæ doctrinæ locis libr. 12. Confession. cap. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum: quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed mira profunditas: Deus meus mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Præfat. in Psal. 140. *Sunt in Scripturis sanctis profunda Mysteria, quæ ad hoc absconduntur ne vilescant, ad hoc quæruntur, vt exerceant, ad hoc aperiuntur vt pascant.* Gregorius tractans illud Canticorum fons hortorum, &c. *Sciendum*, inquit, *quòd Scriptura diuina in quibusdam manifesta existens, in quibusdam vero locis obscuram se præbens aliquando leniter, sicut fons potatur, aliquando magna inquisitione eget, vt inuenta sumatur.* Isidorus libro 2. de summo bono. *Ratio*, inquit, *per quam fit hæresis, obscuritas est diuinarum Scripturarum, in qua caligantes hæretici, aliud quam se res habeat intelligunt.* Bernardus super Cantic. *Ab imperitis*, ait, *indignè lectio sacra Scripturæ præsumitur ante spretam & abiectam sæculi pompam, ante carnem disciplina studiis edomatam, sicut enim incassum circumfundit lux oculos cæcos, sic animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus Dei, non hæc docet lectio, sed vnctio: non litterá, sed spiritus: non hominis eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei.* Vbi ergo est totius diuinæ Scripturæ claritas, quam prædicant aduersarij? Cum tota istorum sanctorum cohors, & quotquot eius studio & interpretationē toti incumbunt, difficilem, obscuram & penè impenetrabilem asserant?

Probatur ratione, vbi concurrunt omnes obscuritatis causæ, ibi profectò residet obscuritas non parua, sed in sacro Codice per omnes Libros notari possunt obscuritatis causæ. Ergo præcipua petitur ex rebus ipsis, de quibus agit Scriptura sacra, quæ vt plurimum cœlestes, sublimes & sub sensum non cadere, nemo sanæ mentis negabit, atque adeò imbecillitas nostra has non capit, vt locum habeat quod Christus ait, Ioann. 3. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, si dixero vobis cœlestia credetis?* Verbi gratia, Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis Verbi Dei, Prædestinationis hominum, Dispensationis gratiarum, & alia, quæ mens humana capere nequaquam præualet: vtinam firma fide credat ad iustitiam, & ore confessionem eorumdem faciat ad salutem.

Secunda, vtrumque Testamentum agit de rebus longinquitate temporis à nobis distantibus, quæ propterea suam inde difficultatem habent. Talia sunt quæ de creatione mundi & Patriarcharum familiis proponuntur, nec non & ea quæ extremis Antichristi futura temporibus scripta leguntur, multa eorum propter æui illius morum à nostris discrepantiam, aliarúmque circumstantiarum ignorationem difficilia nobis intellectu redduntur.

Tertia, petitur ex modo proponendi & explicandi res ipsas, in Scriptura quæ scatet idiotismis, seu proprietatibus linguæ, qua autographi scripsere, vnde miro modo torquentur Interpretes in eruendo litterario sensu: quid dicam de metaphoris, antiphrasibus, allegoriis, metonymiis, & omni figurarum genere; quo passim vtitur, nunquid modus ille loquendi obscurat, ne facilè intelligantur quæ proponuntur? Obstupesco referre plurima quæ prima fronte videntur contraria sibiipsis, Augustinus ἀντικείμενα, seu antilogias nō paucas collegit, & accuratè componere non omisit, sed ex solis Euangelistis. Plures collegit nouissimè ex vtroque Testamento celeberrimus Minorita Petrus de la Haye, in Biblia magna quam ex coadunatione insigniorum Interpretum protulit in lucem anno 1644. In ea enim habetur singularis Index antilogiarum, seu apparentium contradictionum mille quadragintarum & quinquaginta, quarum tamen intelligentiam reliquit consulendam in propriis locis. Plures ergo notantur antilogiæ & contradictiones apparentes in corpore Bibliæ, quàm sint eius totius capita, quæ 1334. dumtaxat numerantur. Quid apage ad hæc inexpertus Lector? Primum ipsum caput Geneseos acutiores retundit; versu enim 31. dat sex dies operi creationis, & tamen Ecclesiastici 18. habes, *Qui viuit in æternum creauit omnia simul.*

Adde quod notantur pluribus in locis & orationes ambiguæ, vt Ioann 8. petentibus Iudæis, *Tu qui es?* Respondit Christus, *Principium qui & loquor vobis*, & in Græco res adhuc obscurior est, vbi principium est casus Accusatiui τὴν ἀρχὴν. Verba etiam faciunt sensum ex defectu distinctionis, præsertim quando agitur de Deo, de Christo, & de aduentu eius, vel de Ecclesia; nam in Deo potest spectari vel vnitas essentiæ, vel Trinitas Personarum. In Christo vel humana natura, vel diuina. Aduentus eius duplex est, prior in Natiuitate, posterior in die iudicij. Ecclesia similiter, vel est militans in terra, vel triumphans in cœlo. Cum

ergo Scriptura de his loquitur, sæpè dubium & obscurum est quo sensu de illis loquatur.

Ad hoc obscuritatis genus reuocatur, quod quæ in Scriptura dicuntur de Christo, sæpè intelliguntur de capite Ecclesiæ, vt Matth. 28. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem.* aliquando de corpore mystico eius, seu de membris, vt Act. 9. *Saule quid me persequeris?* aliquando de vtroque, vt Psalm. 2. *Astiterunt Reges terræ aduersùs Dominum*, quod in capite olim impletum est, & nunc quotidie impletur in membris.

Præterea sunt multæ orationes præposteræ, vt Genes. 10. *Isti sunt filij Sem secundùm linguas & cognationes suas*, nam continuo sequitur initio capitis 11. *erat terra labij vnius.*

Adde & multos modos loquendi adagiales, qui hodie ignorantur maiori ex parte. Nunquid ignarus illuminabitur spiritu intelligentiæ, quasi nouus Apostolus, vt ad aperturam Bibliæ discernat has difficultates, & verum litteræ sensum eruat?

Quarta obscuritatis causa, est Sensuum diuersitas, quam vna eadémque littera seu textus importat, & quem discernere vix Litteratiores norunt, & hinc tot Commentaria, nec-non & tot Regulæ generales pro eruendo germano sensu.

De ipso autem sensu litterali duabus de causis interdum grauia oriuntur dubia. Prior est verborum ambiguitas qualis cernitur ex illo Matthæi 26. *Bibite ex eo omnes*, illud *Omnes* est ambiguum, nescitur enim, an omnes homines fideles absolutè significet, an omnes Apostolos, vel etiam omnes simpliciter homines. Posterior & grauior oritur ex verborum proprietate. Cum enim vt sensus litteralis modo sit, vt prænotaui, simplex, modò figuratus, dubium est in multis locis, an verus sensus sit simplex an figuratus: illud enim Matthæi 26. *Hoc est Corpus meum.* Catholici volunt accipi simpliciter, secundùm verborum proprietatem. Zuingliani autem & Caluinistæ per figuram. Et ex hac causa multi in grauissimos errores inciderunt. Exemplo sit Origenes qui propterea errauit, quod quæ accipienda erant simpliciter, accepit figuratè, vt de illo notauit Hieronymus in Epistola ad Pammachium; vbi dicit Origenem, sic Paradisum terrestrem allegorizare, vt historiæ veritatem auferat. Dum pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligit, & tunicas pelliceas Adæ & Euæ corpora humana interpretatur, quasi ante peccatum sine corpore vixerint.

Alij è contrario lapsi sunt, quod simpliciter & propriè acceperint quæ figuratè erant accipienda, vt idem Origenes, qui Eunuchismum voluntatis, de quo Christus loquebatur, seu propositum abstinendi ab vxore, intelligens pro recissione virilium, seipsum vt dicitur, castrauit. Papias etiam, & qui eum sequuti sunt Iustin. Irenæus, Tertullianus, Lactantius, aliique qui quæ dicuntur Apoc. 20. de noua Hierusalem & mille annis quibus regnaturi sunt Sancti cum Christo, hic in terris implenda existimarunt, quorum errorem reprehendit Hieronymus libro 18. in Isaiam, & in cap. 36. Ezech. August. 20. ciuit. cap. 7. Quis credet Arrio proferenti quadraginta duos textus, vt iactat, in probationem quòd filius non sit consubstantialis Patri? Quis Donato & Pelagianis manus dabit, qui hinc inde plura è verbo Dei allegabant in errorum suorum confirmationem? Quis Anabaptistas depositarios, seu custodes Testamenti Dei admittet? cum ex Augustino tractatu 18. in Ioannem, & libro 1. de Trinitate cap. 3. sciamus litteram ipsam Scripturæ malè intellectam innumeras generasse hæreses.

Ratio secunda obscuritatis Scripturæ, est ordo prouidentiæ diuinæ, quæ cuncta singulari distinxit ordine, in Ecclesia maximè 1. Corinth. 12. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores: nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* Idem habet Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Non ergo omnium indifferenter est interpretari Scripturam, quam de industria Deus occulto modo tradidit, vt ab ipso intelligentiam petant, ij maximè ad quos ex officio spectat eam legere, docere, & interpretari. Non est hæc obscuritas in Scripturis euentu, aut casu aliquo, sed diuino procurata consilio, ea enim nostra exercetur ignauia, humiliatur superbia, & augetur diligentia: suauiùs capimus quæ venamur, & magis hærent quæ cum labore cognoscuntur: & ex Scripturæ difficultate multas intelligentias pro morum institutione nanciscimur. Ideirco sancti viri qui in enodandis sacris Scripturis egregiam operam nauarunt maxima præparatione spirituali, necnon & singulari studio & diligentia vtebantur, & præterea eximios Duces & Magistros sibi sequendos delegisse nouimus, vt Timothæus, Titus & Lucas, Paulum: Dionysius, Clemens, Linus, Anacletus, Petrum: Ignatius, Polycarpus, Papias, Ioannem: Papiam Tertullianus, Pantenum Origenes: Dionysius Alexandrinus Origenem: Timothæus Dionysium Athenienſem: Diuus Cyprianus Tertullianum: Eusebius Dorothæum Antiochiæ Antistitem: Hieronymus Didymum, & Gregorium Nanzianzenum: Cyrillus Theophilum: Augustinus Ambrosium: Orosius & Primasius Augustinum, terras insuper longinquas lustrabant purgationi vitæ & orationi sedulo instabant sic *Spiritum cœlestem qui omnia scrutatur etiam profunda Dei.* 1. Corinth. 2. aduocarunt sancti Ecclesiæ Doctores, vt officio interpretum fungerentur. Sic B. Gregor. suggerentem Spiritum Sanctum in specie columbæ ad aurem habere meruit, dum Ezechielem interpretabatur, vt testis oculatus Petrus Diaconus refert, sic Sanctus Thomas doctor verè Angelicus approbationem ab ipso Crucifixo, quem orabat meruit scriptorum suorum habere, his auditis verbis: *Benè scripsisti de me Thoma.* Sic orando, legendo, studendo, scribendo, antiquos consulendo, difficultates & obscuritatem Scripturæ superarunt Ecclesiæ Doctores

Contra hanc Scripturæ sacræ obscuritatem multa afferunt & obijciunt Nouatores.

Dices,

Dices, legem Dei passim vocari lucidam, lucem ipsam & lucernam, quæ ex seipsis manifestantur, imò Christus vocat Apostolos lucem mundi.

Respondeo, his locis non agi de vniversis scripturis, sed tantùm de præceptis Domini, non quod hæc facilè intelligantur: quamquam & hoc dici potest & est verum. Quid enim clariùs & faciliùs, quam Diliges Dominum Deum, proximum, &c. Sed quod intellecta & cognita, sint directionis via & lux in operando.

Secundò, dici potest agi quidem de omnibus scripturis, sed has dici lucidas & lucem, non quod facilè intelligantur, sed quod intellectæ cum fuerint mentem dirigant & illustrent: Dauid enim loquutus erat de cognitione Philosophorum, quam ex creaturis assequuti fuerant, cum ait, *Cæli enarrant gloriam Dei.* Postea vt ostenderet eos non peruenisse ad eam lucem, ad quam perueniunt ij quos Deus erudire dignatur, & quibus legem dedit, subiungit, *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Similiter Psalm 118. demonstrare voluit maiorem esse cognitionem quæ habetur ex Verbo Dei, quàm ex creaturis, & postea comparauit Verbum Dei lucernæ, quæ ad noctis dissipandas tenebras vtilior est, quàm omnium stellarum claritas.

Ad Apostolos Respondeo, eos dici lumen ob probitatis morum sanctitatem exemplarem vnde subiicitur, *vt videant opera vestra bona.*

Dices, Christus Matthæi 11. *Confitens Patri; quia abscondisset ea à sapientibus & prudentibus & reuelasset ea paruulis*, significare voluit, non minus inesse gratiæ multitudini imperitæ, quam inflatis Doctoribus, consequenter ij non sunt arcendi ab interpretatione & iudicio scripturarum.

Respondeo, hic non intelligi imperitos, sed humiles, ac nullius rei cognitione tumentes, quales erant Apostoli piscatores quidem & de plebe, non tamen indocti, qui per triennium audierant Patris sapientiam, & intus irradiantem senserant, gaudet igitur Christus, non tumidos legis peritia Pharisæos non inflatos rerum naturalium cognitione Philosophos: sed paruos & contemptibiles piscatores ad Christianam sapientiam. Primò quidem à se ipso ediscendam, deinde verò per ipsos aliis communicandam, fuisse electos. Eo ferè modo Paul. 1. Corinth. 1. *Videte inquam vocationem vestram, quia non multi sapientes secundùm carnem, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Indocti qui Majores & Antiquos Patres pro nihilo putant, & suum iudicium præferunt iudicio totius Ecclesiæ, non sunt in isto paruulorum, de quibus Christus loquitur, sed in turgidorum non dico sapientum, sed sciolorum numero computandi.

Dices, infidelibus & superbis tantum obscuras esse scripturas 2. Cor. 4. *Quod si opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum, in quibus Deus huius sæculi excæcauit oculos, vt non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi.*

Respondeo, Paulum non loqui de scripturarum intelligentia, sed de cognitione & fide in Christum, quem Apostoli prædicabant; dixerat enim cap. superiori hoc esse discrimen inter Vetus Testamentum & Nouum, quod in veteri homines non videbant Mysteria Christi, Incarnationem, Passionem, &c. Nisi per figurarum velamen & vmbrarum, idque significabat velamen illud quo Moyses faciem suam tegebat cum ad populum loqueretur. At in Nouo Testamento figuris omnibus iam expletis reuelata facie gloriam Domini speculamur, & non est anus, nec puer Christianus, qui non sciat Deum incarnatum, passum, &c. Quoniam igitur poterat quis petere, si ita est, cur tam multi post Euangelium annunciatum adhuc non credunt, & nihil vident, præsertim Iudæi, nisi vmbras & figuras: ideò subiungit Paulus quibusdam opertū esse Euangelium, quia oculi eorum interni prauis affectibus excæcati sunt, de qualibus Ioan cap. 5. dixit, *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis.* Nota hic diabolum dici Deum sæculi, id est, infidelium, vt Psalm. 95. *Dij Gentium dæmonia.*

Instabis Christus Ioannis 6. affirmat in Isai. 54. vers. 13. Ierem. 31. vers. 33. *Erunt omnes docibiles Dei*, siue vt Græcè legitur, *τιοδίδακτοι*, hoc est edocti à Deo, nam Isaias ait, *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.* & Ierem. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam, & non docebit vltra vir proximum suum.*

Respondeo, verum esse, quod homines didicerunt Mysteria fidei à Verbo incarnato, & hoc vnì priuilegium Euangelij Prophetæ prænuntiant. At modus est, vt primò Christus instruat Apostolos, ipsi vero alios, & successores Apostolorum, alios.

Instabis ex differentia inter vetus & nouum Testamentum, in primo Liber erat signatus, vt dicitur Isai. 29. *In nouo est apertus.* Apocal. 5. *Agnus occisus est, & aperuit Librum*: in cuius rei argumentum *velum Templi scissum est in morte Christi.* Matthæi 27.

Respondeo, discrimen stare in eo; quòd tunc non solùm sententiæ Scripturarum, sed etiam Mysteria Christi non intelligebantur; quia omnia tecta erant figuris. Et propterea Isaiæ 29. liber dicitur signatus, tam scienti litteras, quàm nescienti.

At in nouo Testamento, quia Christus impleuit figuras & prophetias, etsi multi non intelligant sententias Scripturarum, intelligunt tamen ipsa Mysteria rustici & mulieres ipsæ.

Dices, Biblia est Testamentum Dei pro hominibus in eum & Mysteria ibi proposita credentibus, in quo bona gratiæ & gloriæ cum eis legare certò scitur tanquam filiis dilectis, quos omnes vult saluare. Ergo cum indifferenter omnes vocentur, & ius habeant ad hæreditatem, profectò scripturas tam Veteris, quam noui Testamenti legere & nosse debent; impiúmque est hoc illis subtrahere.

Respondeo consequentiam non esse validam, si omnes filij non intelligant: ideò & lites velitantur super Testamentis: ideò multæ sunt stabilitæ leges pro interpretatione Testantium, & ordinatæ multæ formæ ad validitatem. Sat supérque est illitterato filio scire se factum hæredem, vel in solidum, vel in parte. Fiscus

partes suas agat: sic sufficit plebæis nosse bonam Dei voluntatem, qua gratiæ dona iisque mediantibus eum clausula obseruantiæ mandatorum, gloriæ hæreditatem consequuturi sunt. Hæc legere, penes quemcumque est, cum tenor mandatorum non sit obscurus. Cætera contenta in Codice sacro, sint penes Doctores & Interpretes: omnes autem in Ecclesia non sunt tales. Maximè autem pium & salutare est clausulas Testamenti, quæ fortè vel litigiosæ, vel aunullatoriæ videri possent ignaris, vel non exprimere, vel interpretari, vel Testamentum ipsum legendum non offerre, ob periculum confusionis. Sic sancta mater Ecclesia agit cum ignaris circa Scripturæ sacræ lectionem, quam absolutè nemini interdicit, vt calumniantur Hæretici. Sed facultatem hanc prudentiæ committit Pastoris opportunè concedendam.

Dices, Patres Ecclesiæ primitiuæ legerunt Scripturas sine Commentariis, & consequenter veteres: quorsum ergo nos recurremus ad Patrum scripta?

Respondeo, primos equidem ab Apostolis non legisse Commentaria; quia nulla tunc erant, sed tamen audiuisse viua scripta, id est, Apostolos & eorum discipulos, & non ex proprio ingenio voluisse intelligere scripturas, vt constat ex Magistris quos delegerant discipulos Apostolorum, & in iis præcipuè Panthenum. Deinde Iustin. & Irenæus & alij cœperunt scribere commentaria in Scripturam, vt testatur Hieronymus in libro de viris illustribus in Ioanne, & similiter cœperunt posteriores antiquorum scripta euoluere, quod de Basilio & Gregorio, Alex. scribit Ruffin. lib. 11. hist. cap. 9. & Hieronym. de seipso præfat. commentarij ad Ephesios, & idem de aliis ostendi potest.

Instabis summa totius Scripturæ consistit in præceptis Decalogi, in Symbolo, Oratione Dominica & Sacramentis: hæc autem habet apertissima testimonia in Scriptura: Ergo tota Scriptura facilis est & aperta.

Respondeo, nego consequentiam & antecedens. Conseq. quia etsi omnia reduci possint quodam modo ad illa, tamen illa in se obscurissima sunt, vt patet de vaticiniis Prophetarum, de Canticis Canticorum, de Epistola ad Romanos, & Apocal. &c. Antecedens autem falsum esse constat: si enim tam clara extarent testimonia de singulis articulis Symboli, & omnibus Sacramentis cessassent iam controuersiæ, quæ vigent.

Dices, Majores nostri, & Ecclesiæ Doctores cùm fuerint homines obnoxij erroribus potuerunt errare, & de facto næui aliqui in eorum scriptis interdum notantur. Ergo quicquid illi dixerunt non debet haberi tanquam verum aut oraculum.

Respondeo verum esse singulos tam doctos, quam indoctos errare posse, nec accipiendum esse pro oraculo, quod singuli vel dixerunt, vel scripserunt. Vniuersos tamen simul errare non posse, quia non permittit hoc Deus, qui per Christum Matth. 18. promisit se affuturum Ecclesiæ suæ.

QVÆRES, *cur Sancti Patres citentur & adducantur in confirmationem dogmatum?*

Respondeo, quia ipsi primo certi sunt testes eorum quæ suis temporibus Christiana Ecclesia per vniuersum Orbem credidit. Cùm enim lego Chrysostomum in Græcia Hieronym. in Palæstina: Ambros. in Italia: Augustinum in Africa: Hilarium in Gallia: Orosium & Prudentium in Hispania, eodem sæculo ante 1200 annos eadem prorsus nobiscum sentientes, docentes & scribentes; non debeo dubitare eandem Ecclesiæ fuisse fidem tunc, quæ hodie retinetur à Catholicis. Secundò, quòd viri sanctitate, miraculis, doctrina conspicui fuerint. Quòd solis trecentis tantùm annis distantes fuerint ab Apostolis: proinde nouerint eorum doctrinam. Tertiò, qui ante sæcula nostra vixerunt incorrupti sunt iudices controuersiarum nostrarum.

Ire igitur ad Veteres, nihil est aliud quam inuestigare, vtrùm religionis dogmata pura atque illibata, sicuti ab ipsis tradita fuerunt, sint ad nos delata. Pauca Patrum habemus scripta, primi, secundi, & tertij sæculi, siue ab Apostolis vsque ad Constantinum, idque ob persecutiones Paganismi in Ecclesiam, quæ tunc fundabatur, & extendebatur per orbem.

Ad iudicandum autem de antiquitate doctrinæ Ecclesiæ secundùm Patres Orthodoxos, communiter ascenditur, vsque ad sæculum Martiani Imperatoris, & Leonis Papæ primi, sub quibus anno Christi 451. Concilium Chalcedonense 630. Patrum, habitum fuit, quod est quartum Oecumenicum.

QVÆSTIO X.

An Ecclesia verum Scripturæ sensum habeat?

INstitutio Canonis Librorum sacrorum & decretum de vsurpanda Editione vulgata, satis declarant, verum, genuinum, germanúmque Scripturæ sensum ab Ecclesia secretorum Dei conscia mutuandum esse; Per Ecclesiam obiter hic intelligo (ne nobis obstrepent cùm de hoc nomine superbè & falsò gloriantur aduersarij) fidelium in Christo credentium congregationem in vnitate fidei permanentem: non vt isti sunt in varias sectas super rebus fidei grauissimis malè diuisi, *Sed idipsum dicentes omnes in vna fide sub vno Christo, & in vno baptismate*, sicut docet Paulus, Congregationem inquam visibilem manifestam, quæ à quolibet qui fratrem inordinatè ambulantem velit corrigere, facilè iuxta Christi præscriptum Matth. 18. inueniri possit. Catholicam seu vniuersalem per totum mundum dispersam, prout in Symbolo Nicæno & Constant. dicitur. Quæ à Christo suo capite non diuellitur, sed semper illi adhæret, & inseparabili glutino spiritus legitima sponsa copulatur, vt ex Osea cap. 2. & 1. Corinth. 12. nec-non & 1. 4. & 5. Ephes. dicitur, cui dictum & promissum est ab eo qui fallere nequit sponso eius Christo. *Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, non quæ heri cœpit cum Luthero, Caluino, vel aliis desertoribus.

Quæ Apostolica est, hoc est, non solùm quòd doctrinam Apostolicam tenet: de qua re

Schismatica

schismatica congregatio, quantumuis falso, gloriatur & gloriata est, sed quæ omnem Apostolicam doctrinam, tam in scripturis, quam Traditionibus sanctis commendatam ab Apostolis tenet, prout Paulus iubet 2. Thessalon. 2. & quæ succedit iisdem dogmatibus, iisdem Sacramentis, eadem Episcoporum & Ecclesiarum serie Ecclesiæ illi quæ sub Apostolis, & eorum discipulis aliisque Apostolicis Patribus plantata est: prout docent Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus & alij, vt vidimus in articulo nono. Siquidem hæ sunt veræ Ecclesiæ notæ, quæ reddunt illam adeò perspicuam & manifestam, vt quilibet ad eam possit in dubiis recurrere, & ab illa lumen intelligentiæ mutuari, quam Romanam hanc esse Catholicæ cognomen quo discernitur, satis prodit. Huic ergo Ecclesiæ præter alias dotes pretiosissima & singularissima charismata, quibus Christus verus Deus & Sponsus eius sua magnificentia eam dotauit factæ sunt etiam magnificæ, & absque vlla conditione & restrictione promissiones de doctrina fidei & vero eius sensu per Spiritus-Sancti magisterium, qui non ad horam tantùm, vel per interualla temporum, sed à die desponsationis suæ perpetuo & successione continua vsque ad finem sæculi ei assistit.

Probatur ex Scriptura Psal. 88. qui statum veri Messiæ Redemptoris & Ecclesiæ eius ad litteram describit, hanc Dei habet ad membra Ecclesiæ pollicitationem. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, si autem*, inquit Deus. *dereliquerint filij eius legem meam visitabo in virga iniquitates eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.* Vbi luminis intelligentiæ ad Ecclesiam repromissio à bona aut mala vita minimè dependens exprimitur Isaiæ 54. post multa de statu Ecclesię prædicta, quæ in sensu litterali Paulus in Epistola ad Galatas intelligit ad litteram de Christi Ecclesia. *Montes commouebuntur, misericordia autem mea non recedet à te & fœdus pacis meæ non mouebitur.* Et infrà, *Omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis, hæc est hereditas seruorum Domini.* Rursus capite sequenti. *Hoc fœdus meum cum eis spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, & ore seminis tui amodo vsque in sempiternum.* Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum, sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & sponsabo te mihi in fide.* Vbi vides iudicij iustitiæ & misericordiæ & fidei perpetuæ promissionem, quæ nunquam deerit. Perpetuæ igitur illius sunt dotes, Spiritus-Sancti magisterium, iudicium, iustitia, fides atque authoritas. Bonus enim sponsus & liberalis omnia suæ dilectæ sponsæ communicat, quorum scit sponsam suam habere necesse, & quibus possit nobilitari & condecorari. Eget autem permaximè lumine intelligentiæ & authoritate erga Scripturam & sensum eius. Nam cum necesse sit vt in ea sint scandala, & *oporteat in ea hereses esse*, & suscitari in dies, *vt qui probati sunt manifesti fiant.* Opus habet, vt imperfectos perficiat, simplices imbuat, hæreses coarguat, & proficientes ad finem destinatum deducat huiusmodi lumine & authoritate. Ioann. 16. *Cùm venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* & Ioan. 17. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint.* Quod non tantùm de charitate, sed specialiter de fide intelligendum patet, consequenter Christus impetrat Ecclesiæ verum sensum Scripturæ à quo fides habetur.

Probatur ex Sanctis Patribus, Tertull. lib. de Trinitate versante illud. 2. Corinth. 4. *Habentes eumdem spiritum fidei, vnus ergo*, ait, *& idem spiritus, qui in Prophetis & in Apostolis fuit, nisi quia ibi ad momentum hic vt semper maneret: ibi mediocriter distributus hic totus effusus: ibi parcè datus, hic largè, nec tamen ante Resurrectionem Domini exhibitus, sed post Resurrectionem Christi exhibitus.* Rogabo, inquit Christus, Patrem, &c. & non multo postquam mirabiles Spiritus-Sancti effectus posuit subiunxit. *Hic est qui Prophetas in Ecclesia constituit, magistros erudit, linguas dirigit, virtutes & sanctitates facit, opera mirabilia gerit, discretionem spirituum porrigit, gubernationes contribuit, consilia suggerit, & quæcumque sunt alia charismatum dona componit: & ideò Ecclesiam Domini vndique in omnibus perfectam & consummatam facit.* Et exponens ad quam normam examinari debet doctrinà, ad Ecclesiarum magisterium docet ibi recurrere. *Quod prædicauerunt*, ait, *Apostoli & quod ipsis Christus reuelauit, non aliter probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt ipsis, eis prædicando, tam viua quod aiunt voce quam per epistolas.* Origen. libro. 1. peri-Archon, *Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica Traditione discordat.* Augustinus contra Donatistas Epistola 164. *Hoc*, inquit, *obseruandum est quod obseruat Ecclesia Dei.* Epistola 59. ad quæst. Paulin. *In Scripturis sanctis interpretandis, etsi multa dici possint, quæ improbanda non sunt, tamen in his eligendum, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia.* quæst. 5. Et cum serm. 4. de verbis Apoc. ait, *Hoc habet authoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet canon, contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum, quisquis arietat confringitur*, dubium esse non potest, quin ex illius sententia Ecclesiæ solius sit cum authoritate Scripturas ad verum sensum exponere. Idem probant Patrum pro Traditionibus testimonia.

Probatur rationibus: Ecclesia habet à Deo notitiam Scripturæ canonicæ; ergo & eius genuini sensus: Probatur Consequentia. *Dei perfecta sunt opera*, Deuteronom. 2. Quomodo autem perfecta essent, si Ecclesiam suam litteræ solius custodem fecisset, sensui autem siue interpretationi non etiam præfecisset? Nihilo inutilius est corpus sine anima, quam sine sensu littera: sicut ergo Deus non satis liberalem ac munificum se probaret, si corpore aliquem donaret experte animæ; ita neque si Ecclesiæ priorem illam dumtaxat dedisset potestatem. Nec dubium quin assensuri essent peritissimi quique iuris, si interrogarentur apud quos est receptissimum, *est vno concesso ea simul concessa videri, sine quibus non potest illud consistere, sed relinquitur inutile ac superuacaneum.* Dubium esse poterat in lege veteri, cuiusnam esset dirimere litem altercantibus inter se hominibus de vero sensu ambiguæ legis. Quid ad hæc Dominus? ad vnum summum Sacerdotem remittit.

remittit omnes, eiusdémque iudicio ac definitioni non acquiescentes iubet interfici Deuteronom. 17. In eandem sententiam sic loquitur apud Malachiam cap. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius.* Scientia quæ in eo præsupponitur, requisitionem non ipsius legis ab eo quam à Deo esse constat, sed sensus eius genuini apertè demonstrat.

Ratio altera hæc est: Sensus verus debet esse notus Ecclesiæ, at si ipsa eum non habet, cuiusnam erit alterius? non priuati alicuius hominis. Dicit enim Petrus 2. 1. cap. *Hoc primùm intelligentes quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto.* Tum nullibi facta est homini priuato promissio infallibilitatis, quæ in expositione illa maximè requiritur: tum valde absurdum est à priuato vno pendere, quod omnes respicit & tangit: aut quod ei concessum creditur, non multo magis ipsi toti Ecclesiæ concessum videri. Tum nulla patebit via conuincendi hæreticum, si cuique liceat sacram Scripturam pro suo arbitratu interpretari. Quæ aduersùs propositionem afferri solent, infrà soluentur.

QVÆSTIO XI.

An sola Scriptura sit Regula fidei, & Iudex controuersiarum.

CONuenit inter Catholicos & Aduersarios, quod Scripturæ intelligi debeant, eo spiritu quo factæ sunt, id est, Spiritu-Sancto, vt suprà Petrum dixisse retuli, tota igitur quæstio superiori non absimilis in eo posita est, vbi sit iste spiritus diuinus.

Nouatores docent Scripturam esse Normam, Regulam, & Iudicem, omnésque fidei Controuersias ex sola Scriptura finiri & decidi posse. Quod si opponatur eam pati multiplicem sensum. Respondent Spiritum-Sanctum Interpretem Scripturæ non esse alligatum Episcopis vel vlli hominum generi, nec Papæ, & ideò vnumquemque iudicem debere esse, siue spiritum suum sequendo (si ipse donum interpretationis habeat, siue alicui alteri adhærendo, quem eodem dono præditum viderit, vel iudicauerit, ita Lutherus in præfat. suorum articulorum. Caluin. lib 4. institut. cap. 9. §. 8. 12. 13. Iubet definitiones Conciliorum examinari, etiam Generalium ad amussim Scripturarum, proinde priuatos homines facit iudices in causa fidei, non solùm Patrum, sed etiam Conciliorum, nec vllum omninò relinquit Ecclesiæ commune iudicium.

Catholici distingunt inter iudicem & normam. Iudicem vocant, qui fert iudicium & sententiam inter partes litigantes. Normam dicunt, secundùm quam à Iudice fertur sententia. Posita autem hac distinctione tria asserunt.

Primò, Ecclesiam esse Iudicem controuersiarum.

Secundò, Normam quam sequitur Ecclesia in sententia ferenda non esse Scripturam solam, sed Scripturam & Traditionem simul.

Tertiò, Ecclesiam iuxta hanc normam dupliciter pronuntiare posse sententiam, vel per Pontificem Romanum, qui est Caput & Pastor Ecclesiæ vniuersalis, vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræsentant Ecclesiam: Et vtroque modo infallibilem esse sententiam asserunt: nam neque Papam errare posse in fide cui in Petro dictum est Luc. 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Neque Concilia legitimè celebrata, propter promissionem illam Christi. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

Probatur hæc doctrina ex Scriptura, & primò ex analogia Veteris Testamenti, quia omnia contingebant ipsis in figuris: Certum est autem Exod. 18. quod cum populus Dei cœpit redigi ad quandam formam Ecclesiasticæ Reipublicæ sedebat Moses, tanquam Princeps & caput illius & Pontifex, vnde Psalm 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* & Exod. 28. & 29. exercet omnia munera sacerdotalia, sacrificat, docet Pontifices, Sacerdotes inungit, & & initiat, ipséque respondebat ad omnia dubia circa legem Domini: nec homines remittebat ad spiritum aliquem reuelantem, Deuteron. 17. Lex generalis lata est, vt recurratur ad summum Sacerdotem, & stetur sententiæ eius, sub pœna contradicenti mortis: Nec vrgeas quod ibi dicitur, *& docuerint te secundum legem.* Nam Respondeo illa verba non esse nisi in vulgata Editione, quam Aduersarij non recipiunt, & dico non sonare conditionem, sed assertionem, siue promissionem: non enim voluit dicere, sta iudicio Sacerdotis, si docuerit te secundùm legem: tunc enim magis dubij & perplexi fuissent homines quam antea. Nec opus fuisset ire ad Sacerdotem, si ipsi potuissent ex lege Domini causas suas iudicare: imò tunc Sacerdos non fuisset iudex, sed ipsi, quippe qui iudicaturi erant de senrētia Sacerdotis. Non igitur illa cōditio est, sed promissio, vult enim Dominus securū reddere populū, qui iudicio Sacerdotis acquiescit, quod facit Deus eū affirmat eū iudicaturum secundùm legem suam. Nec dicendum hic agi de dubiis politicis, non religionis, nam lex generalis est de omnibus quæ oriebantur ex lege. Tum idololatria fuit occasio huius legis. Aggæi 2. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum, interroga Sacerdotem legem.* Malach. 2. cit. *quia Angelus Domini est.* Hinc intelligimus non esse priuatorum hominum iudicare de sententia legis Domini, sed Sacerdotis qui nuncius est Domini: accedat liber 2. Paralip. 19. vbi Iosaphat distinguit officium Pontificis à Regno.

QVÆRES, *an Pontifex Veteris Testamenti fuerit infallibilis Iudex in legis controuersiis.*

Respondeo affirmatiuè, idque duplex ratio declarat. Prima, quia Deus volebat, vt controuersiæ ambiguæ, quæ in minori consilio in singulis ciuitatibus constituto resolui non poterant, differrentur ad supremum tribunal, seu maius Concilium, Sanedrin dictum Hierosolymis stabilitum 70. consiliariis compositum, & summo Sacerdote Præsidente, & promittebat Deus ex illo, veritatem iudicij, & ideò sub pœna mortis acquiescendum erat ei. 2. si Pontifex ius dicens falli potuisset litigantes nunquam securi fuissent. At inquies, cur

potius infallibilis erat Pontifex quam alij iudices inferiores fortè ipso Pontifice peritiores.

Respondeo, si spectemus industriam humanam, certum est minores potuisse legem intelligere & interpretari, si autem spectemus assistentiam Spiritus-Sancti, quæ potissimùm spectanda est in isto negotio, ea Pontifici potius fuit communicata quam aliis.

Exemplum habemus in Moyse: nam Deus concessit illi maiorem assistentiam quam septuaginta senioribus, qui illi in hoc officio subseruiebant. Colligitur id ex Numer. capit. 11. *Auferam de spiritu tuo, tradámque eis vt sustentent tecum onus populi.* Vbi per spiritum debet intelligi donum aliquod gratiæ, quod requiritur in iis qui alios rectè gubernare volunt, & eorum controuersias dirimere: est ergo hic sensus *auferam*, id est, dabo eis donum gratiæ, sed infrà illud quod tù habes tibi qui supremus es iudex plus dari oportuit, quam illis qui tibi subditi sunt.

Probatur ex testimoniis noui Testamenti, quæ prouocant Christianos vt ad Ecclesiam vel Caput eius recurrant pro dirimendis eorum de religione dubiis. Matthæi 23. super Cathedram Moysi, &c. quæcumque dixerint seruare, vbi tria notanda habeo. Primum toto illò capite Dominum arguere vitia Scribarum & Pharisæorum, & quia poterant infirmi ex eo colligere non esse credendum Prælatis, qui malè viuunt, ideò initio capitis docet apertè eorum nonobstante praua vita sequendam esse doctrinam. Secundum habeo ex Cypriano libro 4. Epistol a 9. nunquam Dominum, neque Apostolos in tota Scriptura reprehendisse Pontifices & Sacerdotes nominando eos Pontifices aut Sacerdotes, sed solùm sub nomine Pharisæorum & Scribarum, ne videretur reprehendere Cathedram & Sacerdotium, & vt intelligêremus honorem semper deberi Pontificatui & Sacerdotio, etiam si fortè minus proba sit persona, quæ sedet in Cathedra. Tertium est, quod Dominus de Cathedra Moysis dicit, debere à fortiori intelligi de Cathedra Petri, sic enim veteres intellexerunt, & præcipuè Augustinus Epistola 165 *In illum*, inquit, *ordinem Episcoporum, qui ducitur à Petro, vsque ad Anastasium, qui nunc in eadem Cathedra sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset nihil præiudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens ait de Præpositis malis. Quæ dicunt facite: Quæ faciunt nolite facere.*

Secundum testimonium Ioann. 21. *Simon Petre pasce oues meas.* Hic etiam notanda sunt tria, primum quod dicitur Petro dici etiam successoribus, nec enim voluit Christus prouidere Ecclesiæ ad annos 25. tantùm, sed quovsque mundus duraret secundum illud *Pasce* intelligi præcipuè de doctrina, sic enim pascuntur oues rationales, iuxta illud Hierem. 3. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum & pascent vos scientia & doctrina.* Tertium illud, *Oues* significare omnes Christianos, qui enim non vult pasci à Petro non est ouis Christi: Ex his efficitur commissum esse Petro & Successoribus eius, vt doceant omnes Christianos doctrinam fidei, constituendo, scilicet ac decernendo, quid credendum sit: sicque Hieronymus intelligens petiuit à Damaso Papa explicationem cuiusdam dubij circa fidem an dicendum esset tres hypostases esse in Trinitate, *A Pastore*, inquit Epistola ad Damas. *præsidium*, *onis flagito.*

Tertium testimonium Luc. 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ex hoc loco Patres vnanimiter sentiunt Romanum Pontificem ex Cathedra docentem non posse errare, quod inter alios Agatho Papa in Epist. ad Constantinum Imperatorem, quæ lecta est in VI. generali Synodo docens approbatum fuit à toto Concilio: Si ergo Papa docens ex Cathedra errare non potest, certè eius iudicio acquiescendum est, & ipse debet agnosci summus controuersiarum iudex, non autem Scriptura.

Quartum habetur Matthæi 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus.* Nota autem hic agi de iniuriis quas vnus ab alio patitur, sed à fortiori est intelligendum de iniuriis quæ Deo & Ecclesiæ inferuntur per hæresim, qui enim iubet differri adulterum ad Ecclesiæ iudicium, multò magis hæreticum. Non potest autem fieri, vt differantur ad congregationem omnium fidelium, igitur Ecclesiæ nomine debet intelligi Prælatus, vt exponit Chrysostomus, vel vt alij, congregatio Prælatorum, vt enim homo non loquitur, neque audit, nisi per caput, & tamen totus homo dicitur loqui, & audire: ita Ecclesia per suos Prælatos audit, & loquitur: si ergo qui Ecclesiam, id est, Pastores non audit, debet esse vt Ethnicus sequitur Pastorem esse vltimum iudicium ad quod prouocamur.

Quintum est cap. 2. Epistolæ ad Galat. *Ascendi*, ait Paulus, *Hierosolymam cum Barnaba & contuli cum illis* Petro scilicet, Iacobo, Ioanne vt inferius explicat *Euangelium quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Quem locum explicans Tertullianus libro 4. in Marcion. Hieronymus Epistola 89. ad Augustinum, & Augustinus libro 29. contra Faustum cap. 4. disertè affirmant Ecclesiam non esse credituram Paulo, nisi eius Euangelium confirmatum fuisset à Petro. Ergo Petri tunc erat, proinde nunc successores eius iudicare de fidei doctrina.

Sextum 1. Ioann. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt, multi enim pseudo-Prophetæ exierunt in mundum.* Spiritus hominum priuatorum examinandus est an sit ex Deo, multi enim iactant Spiritum Sanctum, qui spiritu vertiginis & mendacij agitantur, vt dicitur 3. Reg. vltim. 2. Paralipomen. 18. Isai. 19. & 29. Igitur priuatus spiritus non potest esse iudex, quomodo enim erit, cum de ipso adhuc iudicandum sit. Quare si quis, verbi gratia, exponat, *Hoc est Corpus meum*, per *significat*, quia fortè sic ei reuelat spiritus, adhuc quæstio non est definita; nam Ioannes monet, vt spiritum illum probemus, an sit à Deo, ne fortè potius sit spiritus vertiginis. Non potest autem probari ex Scriptura, vt ipsi vellent, quia de Scripturæ sententia hoc loco dubitamus. Ergo debet probari ex conformitate ad spiritum eorum, quos constat verum spiritum habere. Tales autem sunt Prælati in Concilio legitimè congre-

gato, legimus enim Act. 15. Concilium dixisse, *Visum est Spiritui-Sancto & nobis.* Talis etiam Papa ex Cathedra docens quem constat ita dirigi à Spiritu-Sancto, vt errare non possit in fide, tales etiam fuere Apostoli & antiqui fideles, quos constat habuisse Spiritum Sanctum. Si enim priuatus spiritus esset bonus, esset idem cum spiritu Apostolorum & primorum fidelium. Sed spiritus illorum non volebat esse iudex, sed currebat ad Petrum, & ad Concilium, vt Act. 15. patet, & acquiescebat sententiæ eius. Igitur spiritus istorum, qui se constituunt iudicem non est spiritus bonus.

Septimum testimonium habetur 1. Cor. 12. *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij interpretatio sermonum, alij Prophetia.* Hic apertè dicitur spiritum interpretationis non dari omnibus fidelibus & præterea constat ex 2. Petri 1. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Non posse Scripturam benè exponi sine spiritu interpretandi. Quid enim faciet qui spiritum non habet? imò quis certus erit se habere hunc spiritum, cum sciamus non dari omnibus, & nesciamus quibus detur. Restat igitur, vt iudicem agnoscamus Ecclesiam, quæ cum *sit columna & firmamentum veritatis.* 1. Timoth. 3. dubium esse non potest, quin habeat hunc spiritum.

Porrò Ecclesia nō loquitur quàm per os Pastorum ac Doctorum, & præcipuè in Concilio generali congregatorum, vel per caput, cui dictum est, *Pasce*, & claues Regni Cœlorum promissæ Matth. 16. Per quos non solùm intelligitur potestas soluendi à peccatis, sed etiam soluendi ab omnibus aliis vinculis & impedimentis, quæ nisi tollantur, non potest intrari in Regnum Cœlorum: siquidem generalis est promissio, nec dicitur quemcumque, sed quodcumque solueris, vt intelligamus nodos omnes seu legum dispensando, seu peccatorum & pœnarum relaxando, seu dogmatum & controuersiarum, explicando posse à Petro, eiúsque successoribus solui.

Dices, Spiritus interpretationis petendus est à Deo, qui eum dabit, vt Luc. 11. promittit, *Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus.* Iacobi 1. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus abundanter.*

Respondeo in his & similibus locis Dominum non loqui de spiritu interpretationis, sed de spiritu fidei, charitatis & sapientiæ necessariæ ad salutem, vt enim docet Augustinus tractatu 73. 81. & 102. in Ioan. oratio non impetrat infallibiliter, nisi id quod est necessarium, vel vtile ad salutem ei qui orat. Porrò donum interpretandi seu linguarum & miraculorum, & alia, ibidem enumerata dona, non semper sunt vtilia ei qui illa habet: sicut ergo non possumus semper impetrare spiritum loquendi linguis, vel faciendi miracula, etiamsi scriptum sit, *dabit spiritum bonum petentibus.* Ita nec spiritum interpretationis. nam alioquin posset fieri, vt totum corpus Ecclesiæ esset vnum membrum, id est, omnes oculi, omnes essent manus, &c. contra Apostol. Roman. 12. & 1. Corinth. 12. Tum dato quod Dominus in illis locis loqueretur de dono interpretandi, adhuc non esset certus quisquis petit, se illud habiturum, quia non est certus an benè petat, est enim scriptum Iacobi 4. *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.* Alioquin cum istum spiritum petant Lutherani, petant Anabaptistæ, petant Zuingliani: vnde est quòd diuersissimos & inter se pugnantes spiritus accipiunt? si omnibus datur ille vnus & verus Spiritus-Sanctus.

Instabis 1. Corinth. 12. Paulus loquens de dono interpretandi & similibus gratiis inquit, *Hæc omnia operatur vnus & idem spiritus diuidens prout vult singulis.* Non est igitur alligatum hoc donum Concilio vel Papæ, sed datur liberè à Deo, cui ipse voluerit: & confirmatur, quia omissis Sacerdotibus & Pontificibus Deus excitauit Prophetas ex populo: nam Amos erat pastor ouium, & tamen factus est Propheta, & Debbora mulier prophetauit.

Respondeo, Paulum loqui de particularibus hominibus & dicere velle non dari passim, & communiter omnibus hominibus donum hoc interpretandi. Neque hinc sequitur non esse in Concilio, vel Pontifice docente ex Cathedra: alia enim est ratio Concilij & Pontificis: alia priuatorum hominum. Priuilegia autem paucorum, non faciunt legem naturalem; quod si prætendant dari omnibus, quia datum est Amos pastori, concludent etiam dari omnibus iumentis, quia datum est asinæ Balaam. Præterea aliud est loqui de nouis relationibus, aliud de explicatione doctrinæ iam acceptæ, nam nouæ reuelationes non sunt alligatæ Pontificibus, nec nunc, nec tunc. In veteri Testamento prophetabant Isaias, Hieremias & similes, non autem Aaron, aut eius Successores. In nouo Testamento Agabus & filiæ Philippi prophetasse leguntur. Pontifices vero Linus, Clemens, &c. non prophetabant. At explicatio doctrinæ acceptæ & iudicium de dogmatibus semper spectauit ad Pontifices, vt probaui? Quare cum Paul. docet 1. Tessalon. 5. *Omnia probate.* Id non dicit omnibus, sed iis ad quos pertinet: sicut si scribatur ad aliquam Academiam, vt aliquem librum examinet, non significatur, vt omnibus illius Academiæ alumnis detur examinandus, sed Doctoribus eius facultatis de qua liber ille tractat.

Dices, si fides nostra pendet à iudicio Ecclesiæ, vel Papæ; Ergo à verbo hominum: Ergo debilissimo nititur fundamento. Tum Scriptura facta est spiritu Dei. Ergo spiritu Dei, non Ecclesiæ intelligenda est.

Respondeo, verbum Ecclesiæ, id est, Concilij vel Pontificis non esse omninò verbum hominis, sed aliquo modo verbum Dei, id est, prolatum assistente & gubernante Spiritu-Sancto promisso, ideò quæ sunt de declaratione vel institutione non scripta, sed tradita non sunt simpliciter de institutione humana, sed de institutione & doctrina illius qui Matth. 10. dixit Apostolis. *Non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

Instabis, si Pontifex iudicat de Scripturis, sequitur Papam, seu Concilium esse supra Scripturam, & si Scripturæ sensus non est sine vtrouis authenticus, sequitur verbum Dei accipere robur & firmitatem à verbo hominum.

Respondeo hoc Argumentum quod tanto-

pere

pere reboant Sectarij, totum versari in æquiuocatione. Vno modo quod iudicet, verúmne sit an falsum quod docent Scripturæ. Altero modo quod posito, vt fundamento certissimo verba Scripturæ esse certissima: nec de illis sit dubium, iudicet quæ sit vera eorum interpretatio. Et quidem si Ecclesia iudicaret primo modo, verè esset suprà Scripturam. Sed hoc non dicimus, quamuis calumnientur Nouatores, nos hoc sentire & dicere, qui passim vociferantur Papistas subijcere Scripturam pedibus Papæ. At Ecclesiam vel Papam iudicare secundo modo, non est Ecclesiam esse supra Scripturam, sed supra iudicia priuatorum hominum interpretantium. Non enim iudicat Ecclesia de veritate Scripturæ, sed de intelligentia tua & mea & aliorum. Neque hinc verbum Dei sumit aliquod robur, non enim verior aut certior existit, quia sic exponitur ab Ecclesia, sed mea sententia est verior & firmior, quando ab Ecclesia confirmatur.

Instabis Ephes. 2. *Estis ciues sanctorum superædificati supra fundamentum Apostolorum.* At si Scripturæ intelligentia penderet à Papa, vel Conciliis, fundamentum nostrum esset super Papa & Conciliis, magis quam super Apostolorum & Prophetarum scriptis.

Respondeo, nos non negare, imò defendere contra negantes verbum Dei ministratum per Prophetas & Apostolos, esse primum fundamentum fidei nostræ, ideò enim credimus, quicquid credimus; quia Deus id per Prophetas & Apostolos reuelauit. Sed addimus præter hoc primum fundamentum requiri aliud secundarium, id est, Ecclesiæ testificationem. Neque enim certò scimus quid reuelauit Deus, nisi ex testimonio Ecclesiæ, & ideò sicut legimus Christum esse lapidem fundamentalem, & primum Ecclesiæ fundamentum: ita legimus de Petro Matth. 6. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Itaque fides nostra adhæret Christo primæ veritati reuelanti Mysteria vt fundamento primo, adhæret etiam Petro, id est Pontifici proponenti & explicanti hæc Mysteria vt fundamento secundario.

QVÆRES, *An omnes & singuli qui sunt in Ecclesia habeant hanc assistentiam, & directionem Spiritus-Sancti, vt non possint errare in fide.*

Respondeo, singulos hanc habere, sed dependenter ab Ecclesia, quamdiu ergo manent coniuncti cum Ecclesia, non possunt errare; si ab ea dissentiunt, iam errant. Quod duplici similitudine declarari potest. Vna sumitur ex proportione corporis humani; nam si quæras, an singula illius membra habeant in se spiritus vitales & sensitiuos, quibus vita conseruatur. Respondendum est singula quidem illos habere, sed dependenter à corde & capite; nam à corde & capite tanquam à duplici principio deriuantur hi spiritus in reliqua membra, vnde si intercipiantur, aut occludantur meatus illi, seu canales, per quos spirituum deriuatio & distributio fit, necesse est reliqua membra destitui spiritibus, & officium suum exercere non posse: si vero pateant res salua est. Sic etiam in Ecclesia singuli fideles qui sunt quasi membra Ecclesiæ, habent quidem assistentiam & directionem Spiritus-Sancti, sed dependenter à Pontifice, qui est veluti caput Ecclesiæ, & à Conciliis, quæ sunt quasi cor Ecclesiæ, quamdiu ergo singuli manent alligati cum doctrina Papæ & Conciliorum, participant de assistentia & gubernatione Spiritus-Sancti, nec in fide errare possunt: si vero per discordiam & pertinaciam discedant à capite & corde, iam occludunt sibi omnes meatus, vt assistentia & directio diuina ad eos deriuari non possit, & sic à veritate abducuntur, & erroribus obnoxij sunt: quod contigit Arrio, Nestorio, Pelagio, & sexcentis aliis.

Altera similitudo sumi potest à grege ouium, quæ optimè repræsentat Ecclesiam Christo ipso attestante Ioann. 10. Nam sicut totus grex in vno stabulo vel caula collectus habet perpetuam assistentiam pastoris, qui furca & canibus defendit illum à ferocia luporum: sic etiam tota fidelium Ecclesia in vna fide & spiritu collecta habet perpetuam assistentiam cœlestis illius pastoris, qui Ioann. 10. dixit. *Ego sum pastor bonus*, & iterum, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Matth. 28. Item sicut singulæ ouiculæ quamdiu manent coniunctæ cum grege sub custodia pastoris immunes sunt à morsu luporum, sic etiam singuli Christiani quamdiu manent coniuncti cum Ecclesia, id est, cum doctrina & consensu Ecclesiæ, immunes sunt ac tuti à periculo erroris & infidelitatis. Denique sicut ouiculæ, quæ aberrant à grege destituuntur protectione pastoris, ac proinde luporum insidiis expositæ sunt; sic Christiani, qui discedunt à communi sensu & doctrina Ecclesiæ destituuntur assistentia Spiritus-Sancti, ideóque erroribus expositos esse, necesse est.

QVÆSTIO XII.

An Scriptura expressè contineat totam doctrinam fidei?

EXpositio præcedentis de Traditionibus Articuli; & superioris quæstionis resolutio, negatiuam istius probant conclusionem, vt videre est apud non ignaros; adhærescant ergo quantum voluerint Sectarij moderni, ad Scripturas taquam ad saxum, & Euangelicos se ab Euangelio vocitent, nihilque præter Scripturam recipiendum, & de fide credendum, pro aris & focis, ore & ferro propugnent, fucosa & euanida mox apparet eorum verbositas ab ipsamet Scriptura, quæ traditiones, verbúmque Dei non scriptum sæpè sæpiùs recipiendum inculcat, & insufficientiam sui ipsius si absolutè exploda- tur traditio, apertè demonstrat.

Probatur ex omnibus Scripturæ locis pro Traductionibus deductis suo loco.

Probatur ex Sanctis Patribus ibidem adductis, quibus addo Epiphanium contra hæreses libro 2. hær. 61. *Vtendum est etiam Traditione; nam omnia non possunt desumi ex Scriptura. Et ideò Apostoli quadam scripto, quadam Traditione dederunt:* Quod sanè restringi nequit ad ea quæ non sunt de fide, & ad salutem necessaria, mox enim addit. *Sancti Dei Apostoli Traditione docuere, peccatum esse*

post votum virginitatis ad nuptias conuolare. Est autem doctrina fidei scire, quid sit peccatum, aut quid tale non sit.

Probatur rationibus, omnia credenda non haberi expresse in Scriptura. Vel totus Canon Scripturæ simul sumptus est sufficiens, vel singuli libri per se sunt sufficientes, si secundum, reliqui essent superflui. Tum videmus Euangelistas non singulos omnia necessaria exarasse, Ioannes nihil scripsit de Annuntiatione, Natiuitate, Circumcisione, Epiphania Domini, & aliis multis rebus. Idem de aliis Euangelistis dici potest. Tum aduersarij fatentur totum Canonem esse necessarium ad hoc, vt sufficiens doctrina habeatur. At neque id de Canone potest affirmari: nam multi libri verè sacri & Canonici perierunt; igitur non habemus, nec habuimus adhuc sufficientem, si sita est tota in Scriptura; Libros periisse Scriptura ipsa testatur, commemorans eos quos non habemus, & docet Chrysostomus homilia 9. in Matth. in illud. *Nazaræus vocabitur: Multa*, inquit, *ex Propheticis periere monumentis, quod de historia Paralip. probare possibile est, desides enim cum essent Iudæi, nec desides modo, sed etiam impij alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt.* Idem docet homilia 7. in primum Corinth. Neque responderi potest illa omnia quæ perierant reparata fuisse per Esdram; nam Chrysostomus vult probare, nunc non extare omnia vaticinia Prophetarum, & probat, quia Iudæi multa amiserunt. Præterea Esdras non reparauit libros perditos, sed collegit & emendauit eos qui extabant. Vbinam sunt enim omnia quæ Nathan, Gad, Ahias, sunt loquuti & quæ scripserunt. Vbi quæso, quinque millia Salomonis carmina?

Respondet Nouator quidam, deperditos libros non derogare perfectioni & sufficientiæ eorum qui restant, sed gratis dictum gratis reiicitur, tum vnde scit quæ restant esse præcisè necessaria ad perfectionem doctrinæ Christianæ, & deperditos vel non fuisse necessarios, aut pro indifferentibus habendos! Quia, inquit Deus, non permisisset vt periissent, si necessarij fuissent. At habemus oraculum viuens scilicet Pontificem, per quem loquitur Deus habemus & Traditionem supplentem.

In nouo Testamento certum est Epistolam Pauli ad Laodicenses periisse, cuius ipse meminit Coloss. vltimo. *Et eam quæ Laodicensium est legatis.* Respondet haberi in Græco, τῆς λαοδικηνᾶς, & non πρὸς λαοδικηνᾶν illa quæ est Laodiceæ, & non ad Laodiceam, dicitque fuisse Epistolam Laodicensium ad Paulum; non autem Pauli ad eos, sed hoc est imponere vulgatæ Editioni, quæ nullo modo reiici potest.

Ratio secunda. Necesse est extare aliquos libros diuinos, quod certè nullo modo haberi potest ex Scriptura; nam etiamsi Scriptura dicat Libros Prophetarum & Apostolorum esse diuinos, non tamen id certo credam, nisi priùs credidero Scripturam, quæ hoc dicit, esse diuinam: nam etiam in Alcorano legimus ipsum à Deo missum de cœlo, & tamen non ei credimus. Itaque hoc dogma tam necessarium, *quod scilicet sit aliqua Scriptura diuina*, non potest sufficienter haberi ex sola Scriptura, proinde cum fides nitatur verbo Dei, nisi habeamus verbum Dei non scriptum, ipsi scripto testificans, nulla nobis erit fides.

Respondet Caluinus lib. 1. instit. cap. 7. §. 1. & 2. Scripturas sacras discerni à non sacris, vt lux à tenebris, dulce ab amaro dignoscitur. Sol, inquit, lumine, ignis calore, nix candore seipsam prodit, sic vt extrinsecam aliam eius coniecturam nihil necesse sit postulare: ita huiusmodi litteras satis esse suo lumine claras, perspicuum est. Viden Lector beneuole nihil superesse, nisi vt tali responso à pueris ipsis rideatur nouus iste Dogmatistes: namque ignis, sol, nix, & similia cum sub sensus cadant, palam est quod qualitates suas vltro prodant, quibus discernantur. Sanctitas vero & Canonicitas Scripturarum; quia commercium nullum habent cum sensibus, ex consequenti nullam talem habent perspicuitatem: & si quadrarent hæ similitudines, quibus abutitur profectò, sicut apud omnes propter euidentiam in confesso semper fuit ignem esse calidum non frigidum & album esse album non nigrum, & quilibet statim ambobus propositis alterum discernit ab altero summa consensione, nulli vnquam in controuersiam venissent Scripturæ, sed omnes in eandem conspirassent sententiam, nihilque cunctantes quæ verè sacræ sunt sacras appellassent, quæ prophanæ, prophanas. Tantum vero abest idem, vt fuerit hac in parte iudicium, vt nullibi fermè si grauius & implacabilius dimicatum. Quod si libri non discernuntur, quomodo verus litteræ sensus habebitur? Exemplum affero discrepantiæ, Luther iudicat Epistolam Beati Iacobi stramineam & Caluinus Apostolicam. Ideò addit Caluinus, non omnibus apparere hanc differentiam Scripturarum, sed solum habentibus spiritum; nam etiam lucem à tenebris non discernit cæcus. At contra: nam is ibidem cap. 9. Contendit Apostolos & primos Ecclesiæ fideles habuisse spiritum discretiuum, sed illi iudicabant librum Sapientiæ esse sacrum, vt testatur Augustinus libro de prædestinatione cap. 14. quem tamen librum Caluin. qui eundem spiritum iactat, vult esse prophanum. Præterea Veteres testantur vno ore, non aliunde nos habere Scripturam esse diuinam, & qui sint libri Canonici, quam ex Traditione non scripta.

Tertia Ratio. Si Scriptura habet omnia ad salutem necessaria.

Vbi nam agit de remedio peccati originalis pro fœminis & pro masculis, qui in octaua Natiuitatis moriebantur?

Vbinam loquitur de salute Gentilium ante datam legem Moysis?

Vbinam exprimitur numerus Euangeliorum, & Epistolarum Apostolicarum?

Vbinam Euangelium Matthæi, & Marci potius commendatur, quàm Nicodemi aut Thomæ?

Vbinam habetur duodecim Articulos fidei ab Apostolis relictos esse Ecclesiæ?

Vbinam scripta sunt quæ loquutus est Christus discipulis de Regno Dei per quadraginta dies post Ascensionem?

Vbinam plura alia quæ per solam Traditionem habemus de Fide.

Ergo à primo ad vltimum sola Scriptura non est sufficiens.

Dices

Dices 2. Timoth. 3. *Omnis Scriptura diuina vtilis est ad erudiendum in iustitia.*

Ergo nihil ampliùs requirendum.

Respondeo, dato antecedente non stare consequentiam, vtilis est aqua, ergo vinum supprimendum, nemo admittet.

Ad hæc nota deprauatum esse à Nouatoribus textum Græcum, in originali est, πᾶσα γραφὴ, illi ponunt articulum, πᾶσα ἡ γραφὴ, & vertunt tota Scriptura diuinitùs est inspirata, & vtilis ad doctrinam. Triplicem animaduerto deprauationem: nam pro *omnis*, vertunt *tota*, magna est differentia inter omnis Scriptura, & tota Scriptura in Syriaco est, vl, omnis. Addunt copulam verbalem *est*, quæ non est in originali post nomen *Scriptura*, vt Scriptura sit subiectum, & *diuinitus inspirata* sit attributum propositionis. Has intrudunt deprauationes, vt facilius *vtilis* pro sufficiens explicetur.

Catholici admittunt quidem Scripturam vtilem, vt habet Paulus ὠφέλιμος.

Bibliorum Codicem librum esse vitæ à Deo Optimo Maximo datum agnoscunt, sed præter ipsum admittunt pro regula altera fidei, Verbum non scriptum à Deo ipso datum, & ore tenus traductum ad posteros. Nec vsum Bibliorum damnant, sed censent satius esse (ob scandalum & periculum subuersionis, quod pati possent idiotæ) vt per os Ecclesiæ interpretata suscipiant, quæ in textu crudè lecta & indigesta nocerent, aut ob apparens criminis patrocinium, vt Genesæos 19. Vbi filiæ patrem inebriarunt, & cum eo dormientes conceperunt. Iudic. 16. Samson digressus ad meretricem non amisit spiritum Dei. Oseæ 1. Præceptum sumendi vxorem fornicationum & generandi filios fornicationum, vel ob apparentiam contradictionum, quibus scatet, & alia multa difficilia.

Et hinc est, quod Vernacula traductio indiscriminatim non conceditur, sed cum delectu & approbatione Pastorum. Hæcque de Scriptura sint satis ad expositionem articuli 14.



ARTICVLI XIV.

NEC EAM VNQVAM NISI IVXTA Vnanimem Patrum Consensum accipiam, & interpretabor.



ROPOSITIO hæc non mihi facit singularem ab exposito de Scriptura Articulum, sed Appendicem dumtaxat expressè obseruandam addit, quæ innuens Ecclesiam eruere, vt plurimum verum & germanum Scripturæ sensum ex vnanimi Sanctorum Patrum sententia, imponat Professori fidei Catholicæ ab ipsorum interpretatione nunquam discedere aut deuiare. Quippe vnus idémque sensus est verbi Dei, quem sequitur Ecclesia, & qui vel à Pontifice Patre Patrum, vel ab Orthodoxis Doctoribus desumitur. Alias nunquam ipsa tanti eos faceret nunquam tanto studio in eorum lectionem incumberet, nec tam liberè ad eorum definitionem prouocaret.

Ad hæc, eadem nunc est Ecclesia, quæ primitus; Vnam enim credimus sæcula omnia decurrentem, sicut ergo primis illis temporibus, non aliud definiebat, aut credendum proponebat, siue de Scripturæ sensu ageretur, siue de obseruantia aliqua circa mores quæstio esset, siue de capite alio inquireretur, quàm quòd vnanimi consensione decernebat Synodus ex præpositis illis collecta, à quibus regebatur & repræsentabatur, ita neque hoc tempore.

Consensũ exprimit Appendix *vnanimẽ*, quia nequaquã eadẽ facta est singulis à Christo, quæ multis promissio? De singulis scriptum est, Psalm. 115. *Omnis homo mendax.* Et Rom. 8. *Vanitati subiecta est creatura.* De multis autem Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quocirca idem Dominus, qui absenti Thomæ non apparuit congregatis cæteris se videndum præbuit. *Stetit*, inquit Ioannes cap. 20. *in medio Discipulorum suorum.* Secundum Iurisperitos *Maior semper est in pluribus, quam in paucioribus veritatis præsumptio*, secundùm Opticos autem *plus vident oculi, quam oculus.*

Ex Sanctis Patribus etiam aliqui interdum in propriis sententiis lapsi sunt; non enim omnia omnes callent, & procliue est opere in longo obrepere somnum: Vnde Augustinus in lege Domini exercitatissimus in multis Scripturæ locis hæret, ac veluti diuinando, suam sententiam profert. Quid dico, diuinando, imò multa se in scripturis nescire apertè, & absque vllo fuco ingenuè fatetur, vis scire quo in loco? in Epistola 119 ad Ianuarium, vbi ipsum acriter reprehendit, eo quòd in Epistola ad Augustinum nihil veritatis latere dixerat: super quo inconsiderato verbo vide quam ægrè tulerit falsam & immodicam laudem vir Dei: *Nihil*, inquit, *in Epistola tua legi tristius, quod & apertissimè falsum est, non solùm in aliis innumerabilibus me latent multa veritates, sed in scripturis multo plura nescio quam scio.* Idem de alio quouis Doctore singillatim sumpto dici & probari potest, *si enim in viridi, quid in arido?* Non enim omnes Augustini.

Cognoscendus ergo est consensus Episcoporum & Patrum Ecclesiæ, & ad ipsum tanquam ad centrum dirigenda & concinnanda litteratura & interpretatio nostra, quod quam iustum, imò necessarium sit, ostendo.

Probatur ex Scriptura; ad Patres enim nos remittit Spiritus-Sanctus Deuteron. cap. 32. *Interroga maiores tuos, & dicent tibi.* Eccles. 8. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Prouerb. 22. *Fili mi ne transgrediaris terminos, quos posuerunt Patres tui.* Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores & Doctores.* 1. Cor. 12. *Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Doctores.* Act. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus-Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hoc autem specialiter fit exponendo Scripturam ad sensum genuinum, ad ipsos ergo qui ex officio hoc faciunt recurrendum est, eorúmque consensio exploranda, & imitanda est.

Probatur ex Sanctis Patribus, Origene in procemio libro 1. peri-Archon, *Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica Traditione discordant.* Augustinus libro 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 1. *Quis mediocriter sanus*, inquit, *non intelliget Scripturarum expositionem ab his petendam esse*, qui earum Doctores se esse profitentur: fierique posse, imò id semper accidere, vt multa indoctis videantur absurda, quæ cum à Doctoribus exponuntur, eo laudanda videantur clariùs, quo abiectiùs aspernanda videbantur, & eo accipiantur aperta dulciùs quo clausa difficiliùs aperiebantur? Conuincit obseruantia Patrum erga suos maiores, quos vti magistros colebant, vt notaui in secunda ratione obscuritatis Scripturæ.

Probatur ratione, quia nulla patet via conuincendi hæreticum magis plausibilis & facilior, quam ad Patrum primæuæ ætatis prouocando consensionem in rebus fidei, & in expositione Scripturæ, ipsos ergo sequi debemus in pari casu. Tum ex cap. 7. Ioan. scimus Christum declarasse. *Si quis voluerit voluntatem Patris facere cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit.* Sancti autem Patres ob sanctitatem

(quæ

(quæ omnes penè complectitur virtutes, & in Patris cœlestis adimplenda voluntate consistit) cognouere de doctrina Dei: Ergo ipsi sequendi sunt. Addo ipsos à Deo datos Ecclesiæ, tanquam lux & lucerna pedibus fidelium, idque maximè ob notitiam Scripturarum, quæ fidei dogmata habent: vnanimis ergo eorum illustratio & consensus in interpretatione, iure merito nobis imponitur, ne erremus aut in viam Gentium, id est, erroris & infidelitatis abeamus. nam vt ait Augustinus libro 1. contra Crescentium cap. 23. *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ quam ipsa Scripturarum commendat authoritas, vt quoniam sacra Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de ipsa consulat, quam sine vlla ambiguitate Scriptura demonstrat.* Et Vincentius Lirinensis commonit. 1. contra hæreses cap. 7. *Qui Pastores & Doctores Ecclesiæ in vnitatem fidei consentientes contemnit, Deum & homines contemnit.*

Regulæ duæ proponuntur ad cognoscendum consensum Patrum.

Prima, quando celebriores cujusque nationis conueniunt in affirmatione alicuius rei, nec Orthodoxus aliquis eorum eis contradicit, sic Augustin. vndecim Patres citat contra Donatistas. Sic Concilium Ephesinum præcedentis Ecclesiæ consensum credidit expressisse ex productione decem Patrum.

Secunda, quando Patres loquuntur non vti Doctores, nec scribunt sic, vel sic credendum esse, sed se habent, vt testes eorum quæ se vidisse scribunt, eámque fuisse Ecclesiæ vniuersalis praxim testantur; tunc fides est ipsis adhibenda, & talis eorum depositio probare debet vnanimem Ecclesiæ consensum.

Præterea negari non potest Concilia generalia esse vocem repræsentatiuam Ecclesiæ, hoc ex se patet, & habes infrà in articulo de Conciliis.

Nota tamen ex Bellarmino libro 1. de matrimonio cap. 5. vt vera sit Concilij sententia, non est necesse, vt omnes Patres, & omnia Concilia disertis verbis habeant aliquid de quo est quæstio, sed satis est, si aliqui Patres & aliqua concilia illud habeant, & nulli Patres, nullaque Concilia contrarium aliquando docuerint, vel si fortè quis contrarium senserit, eius opinio reprobata fuisse communi iudicio monstretur.

Decretum sessionis quartæ Concilij Tridentini.

Præterea ad coërcenda petulantia ingenia, sacrosancta Synodus decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum iudicare, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.

Consensum hunc requiri iam edixerat Concilium Mileuitanum capite secundo habitum sub Innocentio primo, anno Christi quadringentesimo-decimo.

NOMINA

NOMINA, TEMPVS, ET Qualitates Sanctorum Patrum, primi Quingentenarij, quorum imitanda est interpretatio.

PRIMI SÆCVLI.



RÆPOSITIS Fundatoribus Ecclesiæ Catholicæ Apostolis, eorúmque discipulis & Scriptoribus sacris primi sæculi hos recenseo, quorum primus est,

DIONYSIVS Areopagita, à Paulo Athenis ad Christianismum conuersus, Parisiorum Episcopus, vbi cum sociis Eleutherio, & Rustico martyrij coronam adeptus obiit.

CLEMENS Romanus, Pauli coadiutor dictus Philippen. cap. 4. Petri in Pontificatu adscitus successor, qui plures ordinauit diuersis in locis Episcopos, & ipse Martyr.

IGNATIVS, discipulus Ioannis Euangelistæ, Patriarcha Antiochiæ Martyr.

MARTIALIS, Episcopus Lemouicensis Apostolus Galliarum ad quos Petrus eum delegauit, vbi mira multa operatus est & plures populos ad fidem adduxit Polycarpus, æqualis Ignatij.

ABDIAS, vnus ex Christi discipulis, primus Babyloniæ Episcopus.

Presbyteri Achaïæ, qui martyrium vti testes oculati Andreæ Apostoli scripserunt.

HEMES, Pij Papæ frater, qui librum Pastor inscriptum antiquis notissimum edidit.

SECVNDI SÆCVLI.

IVSTINVS, Samaritanus Philosophus Christianus, pro fide Christiana Apologias duas Pio Papæ, ipsisque Cæsaribus Marco Aurelio & Lucio Vero obtulit, & Martyr obiit anno 165.

EGESIPPVS, qui quinque libros historiæ Ecclesiasticæ à Christi Passione, vsque ad Anicetum Papam scripsit.

ATHENAGORAS, Philosophus Christianus, qui Apologiam pro Christianismo edidit.

Theophilus, Episcopus Antiochenus.

PAPIAS, Episcopus Hierapoleos discipulus Ioannis Euangelistæ cum Polycarpo Episcopo Smyrnæ.

IRENEVS, Episcopus Lugdunensis, plures aduersùs hæreticos scripsit Græcè libros quos Traditionibus Apostolicis & successione Romanorum Pontificum maximè vrget, hunc Tertullianus scientiarum Exploratorem obseruantissimum vocat, Martyr occubuit vna cum ferè toto populo Lugdunensi in persecutione Seueri.

VICTOR, Papa Latinorum secundus scriptor Ecclesiasticus à Genebrardo, & tertius à Tertulliano dictus.

PANTÆNVS, Theologorum primas, Clementis Alexandrini præceptor, qui publicam Christianæ doctrinæ scholam habuit Alexandriæ.

TERTVLLIANVS, Carthaginensis, quem omnium scientiarum peritissimum, cunctorúmque eius temporis Latinorum disertissimum omnes prædicant, quod innumerarum ipsius lucubrationum lectio satis conuincit, anno 197. egregium illum Commentarium aduersùs hæreticos *de Præscriptione* edidit.

His adde Euaristum, Alexandrum, Sixtum, Telesphorum Romanos Pontifices Martyres.

TERTII SÆCVLI.

CLEMENS Alexandrinus Sancti Pantæni in schola successor, ideò Alexandrinus dictus Atheniensis origine, qui inter alios octo Stromatum libros eruditissimos varietate argumenti contextos scripsit: hunc Cassiodorus recenset inter eos qui à principio vsque ad finem explanarunt diuinas Scripturas.

HIPPOLITVS Episcopus & Martyr discipulus Clementis celeberrimus inter Scriptores Ecclesiasticos, vt testantur Eusebius ex Hieronymo.

AMMONIVS Philosophus Christianus, præceptor Origenis, qui Alexandriæ scholam tenens Philosophiæ, habuit inter alios Ethnicos, auditorem Plotinum Ægyptum; harmoniam Euangelicam contexuit.

ORIGENES, aliàs ADAMANTIVS discipulus Clementis Alexandrini, filius Leonidis Martyris Alexandræ, anno ætatis 18. cœpit profiteri diuinarum litterarum interpretationem, ídque tam fœliciter, vt multos fidei, nec-non & martyrio pepererit, qui

multis

multis exantlatis laboribus in scribendo, & docendo obiit anno 308.

MINVTIVS FELIX celebris Iuriſconſultus Romanus dialogum pro Christianiſmo, quem Octauium inſcribit, & pleroſque alios libros elucubrauit.

GREGORIVS NEOCÆSARIENSIS Episcopus vulgò Taumaturgus Origenis diſcipulus diuinitus accepit Regulam fidei quam accuratiſſimo commentario explicauit.

CYPRIANVS Rhetor & Senator Chartaginenſis ex neophyto & vxorato creatus iam ſenex eius vrbis Epiſcopus, de cuius laboribus, virtutibus & ſcriptis multa habet Baronius, obloquutus in Stephanum Papam, qui baptiſmum hæreticorum approbabat reſipuit, multáque aduersùs Gentiles pro Chriſtianis ſcripſit, exulat pro fide tandémque martyrium capitis obtruncatione ſubit ſub Valeriano anno 261.

HIPPOLITVS Epiſcopus & Martyr Diſcipulus Clementis celeberrimus inter Scriptores Eccleſiaſticos, vt teſtantur Euſebius & Hieron.

METHODIVS Epiſcopus Tyri, qui inter alia monumenta doctrinæ ſuæ libros aduersùs Origenem, & Porphyrium reliquit.

PIERIVS Sacerdos Alexandrinus ex ſingulari peritia Origenes iunior nuncupatus.

LVCIANVS Martyr Presbyter Antiochenus, ſingularis doctrinæ & facundiæ.

His adde Epiſcopos Romanos, Pontianum, Fabianum, Dionyſium, Cornelium, Felicem.

QVARTI SÆCVLI.

ATHANASIVS Alexandrinus Patriarcha, inuictus fidei Athleta Arrianorum infenſiſſimus, Symbolum Romæ Latino ſermone compoſuit, cùm à Iulio Papa citatus anno 340 iudicandus eſſet de fide, quam mitificè ſcriptis ſuis propagauit.

ARNOBIVS Africanus Rhetor in maxima Eccleſiæ perſequutione fidem ſuſcipit, & aduersùs Gentiles ſcribit, anno 302.

LACTANTIVS Firmianus inſignis Rhetor, Arnobij diſcipulus multa ſcripſit, & Criſpi Cæſaris filij Conſtantini in Galliis directionem habuit. 302.

HILARIVS Pictauienſis Epiſcopus doctrina infuſa inſignis anno 356.

EPHREM Diaconus Edeſſæ tanti ab antiquis facta eſſe eius ſcripta conſtat, vt poſt lectionem Scripturarum publicè in quibuſdam Eccleſiis recitarentur, quæ ex Syro ſermone originali Græca, & Latina Eccleſia mox traducta habuerunt. 378.

OPTATVS Mileui. in Numidia Epiſcopus eruditione ac morum ſanctitate clariſſimus, hunc inter præclaros Eccleſiaſticos Tractatores Hieronymus annumerat. 3.

BASILIVS, Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia, quem Caſſiodorus recenſet inter eos Scriptores Græcos, qui à principio ad finem vſque diuinam Scripturam ſunt interpretati 365.

GREGORIVS dictus Theologus, Epiſcopus Nazianzenus Hieronymi in ſcriptura Magiſter, & Baſilio magna neceſſitudine coniunctus anno 380.

GREGORIVS Nyſſenus, Epiſcopus frater Baſilij magni.

GREGORIVS Presbyter Cæſarienſis, qui ſcripſit orationem de Patribus Nicæni Concilij & citatur ſæpius.

OSIVS Epiſcopus Cordubenſis, qui præfuit Concilio Nicæno nomine Siluestri Papæ, fuitque præcipuus Catholicæ fidei formulæ, id eſt Symboli, Architectus, qua omnia hæreſis Arrianæ capita truncantur, quem Athanaſius ſancto fine in Catholica communione quieuiſſe teſtatur, reuocata ſcilicet in morte communicatione, quam in Conciliabulo Syrmienſi coactus fuerat habere & ſubſcribere cum Arrianis Epiſcopis, Vrſacio & Valente.

EPIPHANIVS Salaminæ in Cypro Epiſcopus ſcripſit Ancoratum & Panarium libros de Gemmis, de Menſuris & Ponderibus, nec-non & de vita & obitu ſanctorum Prophetarum: meminitque Caſſiodorus Commentarij ab eodem in Cantica Canticorum editi.

CYRILLVS Patriarcha Hieroſolymitanus, qui ſingulares ſcripſit Tractatus & Catecheſes obiitque anno 384.

PACIANVS Epiſcopus Barcinoniæ; ſpecimen eloquentiæ & caſtitatis.

GAVDENTIVS Epiſcopus Brixianus; doctrina atque virtutibus præſtans, anno 386.

AMBROSIVS Epiſcopus Mediolanenſis inuictus libertatis Eccleſiaſticæ aſſertor, ſingularis Doctor Eccleſiæ, qui pluſquam ſexagenarius obiit anno 397.

HIERONYMVS linguarum peritiſſimus in exponendis ſacris ſcripturis Doctor maximus, infracti roboris & vehementis in inſectandis hæreticis, quod hieroglyficè leonis effigies eius imagini antiquitùs addicta, declarat. Auguſtinus, nec non & Orbis oraculum, multa, præter ea quæ periiſſe dolendum eſt, ſcriptorum monumenta reliquit.

Quibus adde Damaſum Papam, quem Hieronymus ſcriptorem habet Eccleſiaſticum.

QVINTI SÆCVLI.

INNOCENTIVS primus Papa, qui de rebus Eccleſiaſticis ſcripſit obiit anno 417.

IOANNES CHRYSOSTOMVS Patriarcha Conſtantinopolitanus, vniuerſam Scripturam commentariis illuſtrauit: teſtantur Caſſiodorus & Suidas, quorum plurima in conflagratione Patriarchij Conſtantinopolitani igne conſumpta, ſcribunt Theophanes & Cedrenus. Hunc habuiſſe in ſacris litteris Paulum Apoſtolum Doctorem & colloquentem, tradit Sanctus Proclus ſucceſſor eius & teſtis oculatus.

AVGVSTINVS Ambroſij opera baptiſmo

prismo initiatus; Hypponensis ordinatus Episcopus tam multa piè, subtiliter & copiosè scripsit, vt Christianam doctrinam maximè illustrarit, obiit autem octogenarius anno Christi 430.

PAVLINVS Episcopus Nolæ, discipulus Ausonij, Augustino familiaris, charitate in proximum & doctrina conspicuus. anno 431.

CYRILLVS Patriarcha Alexandrinus, ob singularem doctrinam à Cœlestino Papa Vicaria donatus præfectura ad extinguendum Nestorianismum.

IOANNES CASSIANVS, Scytha discipulus Sancti Chrysostomi, Collationes Patrum Monachus existens in Ægypto scripsit, deinde factus Presbyter Massiliæ de verbi Incarnatione aduersùs Nestor. Librum emisit.

THEODORETVS Cyri Episcopus historiam Ecclesiasticam scripsit. anno 450.

PROSPER Aquitanus Regiensis Episcopus in Gallia Narbonensi Pelagianismi in Occidente reuiuiscentis extinctor, & Scriptorum Augustini defensor 466.

SOZOMENVS & SOCRATES celebres historiographi ad annum vsque 439. sumpto ab Eusebiana exordio.

EVCHERIVS ex Senatore Monachus Lirinensis, inde Lugdunensis Episcopus plures concinnauit homilias.

VINCENTIVS Lirinensis, Gallus summa industria disertissimum sub nomine *Peregrini* elucubrauit commentarium pro defensione antiquæ Patrum fidei aduersùs quoscumque Nouatores à Gennadio & Eucherio laudatissimum 440.

PETRVS CHRYSOLOGVS Episcopus Rauennas micæ eloquentiæ & doctrinæ 449.

SIDONIVS APOLLINARIS Episcopus Claromontanus, insignis Orator & Poëta.

LEO Papa cognomento magnus ob ingentia eius facta & scripta sanctitate conspicua. Et plures alij apud Historiographos consulendi, tam istius quingentenarij quam subsequentium quos ob doctrinam & sanctitatem Catholica celebrat Ecclesia. *Ad vnanimem eorum consensum interpretari tenemur Scripturam.*

Dato autem Indice Sanctorum Patrum examinandus restat modus scribendi & docendi eorum: Nec ignorandum an spuria & supposititia proponantur scripta, Quod & de Conciliis non est prætereundum.

Itaque sciendum est, Patres sæpè producere aliqua ex aliorum mente, non ex proprio & assertiuo sensu: quod & in sacra Scriptura plerumque occurrit. Hinc Hieronymus apologia pro libris contra Iouinian. cap. 4. ait. *Veteres interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est dicunt aduersùs ea quæ dicunt Gentiles.*

Rursus aliud est γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς. Idem testatur Odo Frisigensis lib. 4. cap. 18. *Considerandum secundùm quid loquantur Authores, quid opinando, quid asserendo, quid ex magnitudine doloris semel consolando*

Notandum secundò, quod Veteres dum vnum errorem destruere satagunt, in contrarium decidunt, vel decidisse videntur, Agricolarum more, qui incuruum teneræ arboris stipitem corrigere vel erigere volentes, immodica nonnunquam attractione, modum excedunt, plantámque in contrariam diuersámque deducunt formam: Hoc videre est in Augustino, qui pro diuersitate hæreseon quas oppugnabat, flectebatur & sæpè ab vna confutanda ad aliam stare videtur in disputatione de Gratia.

Notandum tertiò, non omnia quæ magni nominis authores scripserunt esse vndique perfecta: nam & labuntur aliquando, & oneri difficultatum cedunt teste Anselm. in comment. super secundam Epistolam Corinth. In Libris, ait Sanctorum Patrum, quos authenticè legit Ecclesia, nonnunquam inueniuntur praua & hæretica, non tamen pro his, Libri vel Authores damnantur. Ratio est, quia vel nondum definierat Ecclesia & animo semper fuere submittendi se definitioni eius; vnde materiali tantùm hæresi notari possunt, non autem formali, quæ peruicaciam contra decretum fidei includit. Idem testatur Sixtus Senensis præfat. libri quinti Bibliothecæ. Hinc est quòd posteriores Patres interdum reiiciunt sententias priorum. Sic Augustinus apertè refellit quod docuerunt Irenæus, Iustin. Clem. Alex. Tertull. Gentes sine Christo sola lege naturæ saluatas esse.

Notandum quartò, Patres aliquando oratoriè loquutos. Vnde Thodoret. 3. dialogor. sic scribit. Non ego dogmatum & decretorum Regulam eam duco, quæ in Ecclesia panegyricè & declamatoriè dicuntur.

Quantum ad notitiam germani partus Doctorum & Indicem Librorum, quos proprio marte & ingenio dedere in lucem, impensissimi laboris est, veros à falsis & deprauatis discernere. Sat sit admittere quos approbat & producit Ecclesia Catholica. Idem esto indicium de veris & legitimis Conciliis, eorúmque Canonibus seu Regulis. Alioquin nostra passim nutabit fides: si suspectos habemus Doctores aut eorum scripta, ad quæ sæpius prouocare cogimur, vel pro Scripturæ sensu, vel pro consensu Patrum, quem sequi & amplecti tenemur, ne schismata sint in nobis, & vt omnes vnum & idem dicamus & sentiamus.

Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis fatetur multa affingi Patribus, & circumferri, quæ historia temporis & vsurpatio nominum tunc incognitorum conficta declarant. Idem censendum de vitis Sanctorum à Metaphraste & aliis incertæ fidei authoribus descriptis: multa enim ibi addita ex proprio ingenio Scriptorum, non vt res gestæ fuerunt, sed vel vt geri potuerunt, vel vt vulgò circumferebantur, liquet ex censura Baronij, & emendatione hodierna.

ARTICVLVS

ARTICVLVS XV.

Profiteor quoque ſeptem eſſe Sacramenta verè & propriè nouæ legis à Chriſto Domino inſtituta ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria: Scilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Extremam-Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium. Illáque Gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.



X analytica Scripturæ Synopſi, & duodecim principalium quæſtionum reſolutione, manifeſtè conſtat, eam eſſe ſanctitatis, & ſalutis diſciplinam; cum Scriptura, *vt ait Auguſt. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap.* 10. non præcipiat niſi charitatem, nec culpet niſi cupiditatem, & eo modo informet mores hominum. *At hoc littera ſola non præſtat, nec in hoc ſolo dictamine ſtat ſumma Religionis aut virtus Redemptoris:* Qui venit vt homines vitam habeant & abundantiùs habeant. *Habet præterea Chriſtiana Religio à Chriſto ſuo Ieſu media ſingularia quæ Chriſtianum conſecrant, ſanctificant, plenáque Dei Opt. Max. fruitione dignum efficiunt: Hæc ſunt Sacramenta, ſeu Symbola Sacra, & ſigna ſenſibilia gratiæ ſanctificantis, quæ Dominus Ieſus:* Cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, *inſtituit, & Eccleſiæ ſuæ fidelibus participanda reliquit ad conſummationem ſanctitatis, & plenitudinem Sanctorum; ſiquidem per ea omnis vera iuſtitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur. Hæc ſunt vaſa illa ſacra, quæ vt declarat Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 6. diuinum illum gratiæ ſanantis, & iuſtificantis liquorem in ſe continent, & ex ſe diffundunt: Hi ſunt fontes illi Saluatoris, ex quibus haurire poſſumus, in gaudio aquam viuam, quæ fiat in nobis.* Fons aquæ ſalientis in vitam æternam, *vt prædixit Iſaias cap.* 11. *Hæc ſunt potiora fidei noſtræ myſteria ſub rebus ſenſibilibus abſcondita, quæ diuinæ in nos charitatis exuberantiam, profuſique in cruce Chriſti ſanguinis meritum, & efficaciam mirabiliter inuoluentia, ſui participes filios Dei faciunt. Quare ſi tanti theſauri & bonorum illorum quæ deſurſum ſunt, quæque à Patre luminum & filio eius, qui lux eſt de luce, deſcendunt, iuſti ſumus æſtimatores, Sacramenta hæc ſeptem numero vt habet Articulus fidei, religioſo in primis ſuſcipiemus, cultu tum peculiari ſtudio; diligentia & affectu perdiſcendæ, & profitendæ huic de ipſis doctrinæ incumbere ſatagemus; non ij ſolùm quos miniſtros ſuos ac diſpenſatores myſteriorum Chriſtus Dominus conſtituere voluit, & à quibus diſpenſationis illius rationem ſe aliquando exacturum conteſtatus eſt, ſed omnes & ſinguli qui Chriſtiana religione cenſentur quibus vniuerſis Tractatum de Sacramentis in genere profero ſubſequente ſingulari de quolibet in ſpecie iuxta tenorem propoſiti Articuli.*

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine, & definitione Sacramenti.

EX doctrina sancti Thom. 1 3. p. quæst. 60. art. 1. duo patent. Primum, Sacramentum à Sacro dici. Secundum, multipliciter vsurpari. Ratio posterioris hæc est. Quæcumque habent ordinem ad aliquod vnum, ab eo, diuersimodè licèt, denominari possunt: sic animal diæta, vrina, denominantur sana ab eadem sanitate, licèt non eodem modo; nam animal dicitur sanum, tanquam subiectum sanitatis, diæta, tanquam causa sanitatis, vrina, tanquam signum eiusdem; sic etiam, inquit, S. Thomas cum Sacramentum dicatur à sacro, & ad rem sacram ordinetur, variè sumi & denominari potest, vel quia rei sacræ, seu sanctitatis causa est effectiua, vel subiectiua, vel significatiua, quo postremo modo concludit vsurpari Sacramentum à se & à Theologis, quando agitur de nostris Sacramentis, scilicet pro signo rei sacræ.

Rursus quia signum rei sacræ non vno, & eodem modo vsurpatur, hinc fit, vt adhuc Sacramentum quod dictum est rei sacræ signum, diuersimodè sumatur. Quod vt explicetur commodiùs.

Nota primò, ex August. lib. 2. de doctrinà Christiana cap. 1. Signum in communi id esse, *quod præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in notitiam venire.* Sic hædera foribus appensa est signum, quia præter speciem quam ingerit oculo, vt cognoscatur esse hædera, deducit intellectum in cognitionem alicuius alterius, scilicet vini vendibilis. Hinc habetur quod signum, vt signum, imperfectiùs sit re illâ quam significat.

Nota secundò, (vt quod Sacramentum signum sit distinctè percipiatur) vel potiùs ex dialectica sumendum in libro de Interpretatione, signum esse duplex, naturale, & ex instituto. Naturale, vt gemitus doloris, risus lætitiæ, fumus ignis; nam hæc vt res significent, non indigent institutione, sed eas ex sua natura significant: hoc modo Sacramentum non potest dici signum rei sacræ, quia sublata institutione Dei, nunquam Sacramentum significaret id quod significat, nempe gratiam Dei, licèt tamen habeat cum ea aliquam analogiam & proportionem cum ablutione peccati, quæ fit per introductionem gratiæ, & internam animæ renouationem quam significat. Signum verò ex instituto, est illud quod rem quidem significat, sed ex institutione hominum. Sic sonus campanæ dicitur signum sacræ concionis, quia ad eam significandam instituta est: Non aliter hoc pacto Sacramentum dicitur signum rei sacræ, nempe gratiæ, quia institutum est à Deo ad ipsam significandam.

Potiò nondum satis expressa videtur vera Sacramenti acceptio, vt hic accipitur, dicitur enim tantùm signum rei sacræ, quod imaginibus conuenire potest, quæ nobis res sacratissimas significant, Deum, eius bonitatem, sapientiam Christum, &c. Ideò adiungunt Theologi Sacramentum esse signum rei sacræ, intelligi debere de gratia formaliter iustificante. Et ita totam Sacramenti essentiam explicant hac definitione: *Sacramentum est signum visibile inuisibilis gratiæ formaliter hominem iustificantis,* vel vt loquitur S. Thom. art. 2. Signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines. Vel vt alij docent, signum non solùm significans, sed etiam infallibiliter efficiens rem sacram sanctificantem homines, quantum scilicet ex se est, & nisi ponatur obex. Definitio Catechismi Concilij Tridentini hæc est: *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Et à quibusdam dici solet signum tripliciter rememoratiuè, demonstratiuè, & prognosticè, rememoratiuum passionis Christi, demonstratiuum gratiæ, prognosticum gloriæ, ita S. Thom. Victoria, Sayrus, Tolet. Coninch. de Sacramentis.

Non me latet controuerti apud Theologos possitne Sacramentum propriè definiri. Ratio difficultatis est, quia Sacramentum vel est aggregatum quoddam per accidens cum constet ex rebus & verbis, vnde est illud Aug. tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum:* Vel est ens rationis, si consideretur formaliter, vt signum ex arbitraria institutione significans. Non possunt autem propriè definiri, nisi entia realia, & quæ sunt vnum per se. Scot. in 4. sent. vult quidem esse ens rationis, tamen esse vnum per se: proinde definiri posse; tametsi enim multa sint in Sacramentis, quæ significant, tamen significatio vna est, ex variis illis rebus consurgens, quemadmodum vna est forma domus, licèt multa sint quæ ad faciendam domum concurrunt, & ideo licèt Sacramentum fiat ex pluribus, non ideo est indefinibile, quia pluralitas cadit supra connotatum; & non supra formalitatem consistentem in relatione rationis signi ad signatum connotando species de quibus denominatiuè dicitur.

Dic cum Bellarm. Sacramenta bifariam considerari posse, Physicè vel moraliter quemadmodum etiam homo aliter consideratur à Physico, aliter à Politico, & quidem secundum Physicam considerationem vix definiri potest. Primò, quia ad rationem Sacramenti non pertinet sola significatio, sed etiam res ipsa sensibilis, quæ substantia quædam est, & cum adiuncta significatione ens per accidens constituit; nam si in sola significatione consisteret essentia Sacramenti, res ipsa sensibilis nihil esset nisi subiectum Sacramenti. At longè aliud nos docet Ecclesia cum in Concilio Florent. & scriptis Doctorum affirmat Sacramenta constare ex rebus & verbis, & illas esse materiam, ista formam. Quomodo enim ad essentiam Sacramenti non pertinent ea, quæ materia & forma Sacramenti dicuntur, & sunt?

Secundò Sacramentum, vt Sacramentum non solùm significat, sed etiam sanctificat; at significare, res sunt diuersorum prædicamentorum, nimirum relationis & actionis, non ergo vnum per se facere possunt, tum quomodo esse potest vnum per se id ad cuius essentiam pertinet ens reale, & ens rationis!

At verò si Sacramentum consideremus moraliter, vt verè à Theologo considerari debet, est ens reale, & suo modo vnum, atque eo modo definiri potest. Vt enim apud morales Philosophos definitur regnum, ciuitas, familia & de his omnibus passiones demonstrantur, licet illa omnia

omnia sint entia per aggregationem si physicè spectentur: ita etiam Theologi definiunt Ecclesiam, Concilium Sacramentum, & alia id genus, licèt physicè ista definiri nequeant.

Porrò Sacramẽtum moraliter ideo est vnum, quia est vnum medium seu instrumentum ad iustificandos homines. Etsi enim aqua & verba, agere & significare, sint res in se diuersissimæ, tamen vt faciunt vnum instrumentum iustificationis vnum sunt: atque hoc vnum ex genere & differentia componi dicitur, vt rursum ex materia & forma, ob similitudinem compositi Metaphysici & Physici, quam habet genus est *signum*, differentia est, *sanctificans ex institutione.*

Hinc deducitur sacrificium non esse, vt sic, Sacramentum, cum ipsi non conueniat ratio & definitio Sacramenti. Sacrificium enim, vt sic est institutum ad diuinam excellentiam indicandam seu protestandam, non verò ad sanctificandum sacrificantem. Quamquam fieri potest, vt sacrificium materialiter sumptum, vt est nostrum Missæ sacrificium sit Sacramentum, cùm eius hostia sit verum Sacramentum & conferat gratiam suscipienti. Sic docet Ægidius Coninchus 3. part. quæst 60. & alij.

QVÆSTIO II.

De numero Sacramentorum nouæ legis.

DE fide est, Sacramenta nouæ legis septem esse, nec plura, nec pauciora: Baptismum scilicet, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, ita Concil. Florentin. sub Eugenio IV. Constantiense sess. 14. & Tridentinum sess. 1. can. 1.

Licèt autem hic numerus ab institutoris Christi voluntate pendeat absolutè, cuius testis est Ecclesiæ traditio, nec possit certis demonstrationibus declarari, oportuisse in tali numero Sacramenta institui, non desunt tamen rationes probabiles, quæ numerum hunc septenarium congruè introductum asserant.

S. Thomas ex duobus modis hunc colligit quæst. 65. 3. partis art. 1. In corpore Ecclesiæ Sacramenta sunt instituta propter duo. Primum, vt perficiant hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei. Secundum, vt remedium ipsi præbeant contra defectum per peccatum inductum; ad hoc autem vtrumque ponuntur rectè septem Sacramenta. Vita spiritalis ait S. Th. habet aliquam conformitatem cum vita corporali: in vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur, primo modo quatenus est priuatus, secundo modo quatenus cum aliis iungitur vinculo communitatis. Respectu sui ipsius quintupliciter perficitur in vita corporali. Primò per generationem, per quam homo incipit esse, & viuere. Secundò, per augmentationem qua in ampliorem excrescit magnitudinem, vt possit operari. Tertiò, per nutritionem, qua vita & virtus operandi conseruatur. Proportione horum trium tria primò ponuntur Sacramenta, Baptismus quo anima vita spiritali, seu gratia incipit viuere, cum antea mortua esset peccato: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, Ioan. 3.* Confirmatio, in qua datur spiritus ad augendas vires, & præbendam firmitatem iuxta illud quod dicitur discipulis iam baptizatis, Luc. vlt. *Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto*, & Eucharistia quę conseruat vitam in gratia, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Rursus cum natura hominis sit variis infirmitatibus obnoxia, duobus modis ab eis liberatur. Primò per promptam aliquam medicinam, quæ sanitatem restituit. Secundò, per diætam aliquam & quæ reliquias morbi pellat: consentaneè duo alia statuuntur Sacramenta, Pœnitentia quà remittuntur peccata. *Ego dixi aduersum me iniquitatem meam, & tu remisisti omnia peccata mea*, Psalm. 31. Et restituit sanitatem, *sana animam meam, quia peccaui tibi*, Psalm 40. Et Extrema-Vnctio quæ tanquam saluberrima diæta expellit omnes peccatorum reliquias, & hominem reddit expeditum ad iter faciendum in cœlestem Hierusalem, & gloriam finalem capessendum.

Hæc quinque Sacramenta respiciunt hominem, vt priuatam personam in vita spiritali, sicut quinque allata, generatio, accretio, nutritio, medicina fortis & prompta, & diæta, ad eundem spectant in vita corporali. Iam verò idem homo cum societate, & communitate cõparatus duobus modis se habet, vel vt potestatem habens regendi alios, vel societatem propagatione prolis conseruans & amplificans. Ad primum ponitur ordo per quem Episcopi, Presbyteri, & alij ordinantur ad regendam Christi plebem & pascendas animas. Ad secundum ponitur Matrimonium, quo noui filij redduntur Ecclesiæ pro iis qui morte tolluntur.

Hic primus modus colligendi septenarium Sacramentorum numerum, qua parte homo perficitur ad cultum Dei.

Secundus modus habetur apud eundem D. Thom. ex defectu per peccatum inducto, contra carentiam vitæ spiritalis, quam adducit peccatum instituitur Baptismus, Confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis seu baptizatis reperitur; Eucharistia facit contra labilitatem, & propensionem animi ad peccandum. Pœnitentia tollit peccatum actuale post baptisma commissum: Extrema-Vnctio pellit reliquias peccatorum, quæ vel ex ignorantia vel negligentia re manserunt: Ordo facit contra dissolutionem, & confusionem multitudinis. Matrimonium denique datur in remedium contra concupiscentiam personalem, & contrà defectum multitudinis, qui per mortem accidit.

Tertius colligendi modus aptissimè sumi potest ex comparatione militiæ iuxta illud Iob 11. *Militia est vita hominis super terram.* In militia septem fiunt, primò accipiuntur, & scribuntur nomina eorum, qui eam volunt ingredi. Secundò leguntur nomina, retinentur milites, & eis arma conceduntur. Tertiò accipiunt singuli milites viaticum suum, ne tempore belli deficiant. Quartò, pro infirmis habentur medicinæ & remedia. Quintò, eligũtur Medici, qui congrua morbis medicamenta constituant. Sextò, postquam boni milites bonum certamen certarunt cursũmque consummarunt, illis danda est arrha quædam futuræ retributionis. Tandem cùm militum numerus, morte quo

quorundam minuitur, prouidendum, vt alij in locum eorum subrogentur. In militia spiritali, & in vita Christiana hæc septem facilè occurrunt. Primò enim milites per Baptismum nomen suum dant Christianæ militiæ; in Confirmatione retinentur, & eis dantur arma, robur scilicet ad pugnandum & expellendas diaboli tentationes: in Eucharistia habent viaticum animarum suarum. Pœnitentiæ Sacramentum saluberrimas exhibet medicinas pro infirmis pristinæ valetudini restituendis: Ordo statuit Medicos scilicet Sacerdores, qui pœnitentibus propria remedia præscribant. Extrema-Vnctio tradit arrham futuræ mercedis scilicet beatitudinis. Matrimonium denique habet pro fine propagare hominum genus, vt aliis morte sublatis alij in eorum locum sufficiantur, & sic nunquam deserta maneat Christi militia. Hac facili methodo colligitur septenarius Sacramentorum numerus. Quartus colligendi modus fit per respectum ad septem virtutes Fidem, Spem, Charitatem, Fortitudinem, Iustitiam, Prudentiam, Temperantiam. Fides respondet Baptismo, quia in eo primùm infunditur. Spei Extrema-vnctio; nam accipit homo Sacramentum istud tanquam arrham futuræ retributionis. Eucharistia correspondet Charitati, quia est Sacramentum amoris teste S. Hilario lib. 3. de Trinitate. Fortitudini correspondet Confirmatio, quia dat robur ad pugnam contra salutis hostes. Pœnitentia correspondet iustitiæ, quia complectitur satisfactionem pro delictis, quod est munus iustitiæ. Ordo correspondet Prudentiæ, dat enim potestatem docendi, regendique, quæ ad prudentiam spectant. Temperantiæ denique respondet Matrimonium, quia datur ad frænandum intemperatam carnis libidinem.

Quintus colligendi modus est per oppositionem cum septem peccatis mortalibus, Baptismus notat superbiam humilians hominem ad communissimum aquæ elementum recipiendum, quo fiat gratiæ particeps. Eucharistia curat inuidiam, quia est Sacramentum pacis & concordiæ, & amoris, quibus inuidia repugnat. Confirmatio curat pigritiam, quia datur ad pugnandum & certandum. Extrema-vnctio curat iram; nam lenitatis symbolum est, vt ex ipsa eius materia nempe oleo deprehendi facilè potest. Ordo curat auaritiam, qui enim ordinatur, profitetur se habere solum Deum tanquam portionem, & partem hæreditatis suæ, & non aliquid mundanum. Matrimonium denique curat luxuriam, quia in eius remedium institutum est. His quinque modis conuenienter colligitur numerus septenarius Sacramentorum.

Probatur numerus septenarius ex scripturis, quæ quidem non numerant Sacramenta, tamen reipsa omnia ista septem Sacramenta vera, & propria esse testantur.

Nota 1. Numeri expressionem non debere exigi ex Scriptura: nam nec Aduersarij, qui varias abeunt in vias, numerum quem statuunt binarij, ternarij, vel quaternarij ostendere possunt: Scriptura enim, imò nec Patres non scripserunt Catechismum, vt modo facimus propter hæreseon multitudinem, sed tantùm tradunt res ipsas variis in locis. Neque hoc est singulare in doctrina, Sacramentorum, sed commune multis aliis rebus. Nam Scriptura refert Christi miracula, & nunquam numerat quot sint: tradit articulos fidei, & nusquam dicit quot sint. Apostoli postea ediderunt Symbolum duodecim articulorum certis de causis, quas adduxi in tract. de fide. Sic etiam ex Scriptura non potest sciri quot sint libri Canonici: sed Concilia postea ediderunt Canonem, & certum numerum quem ex traditione didicerant.

Nota 2. non debere etiam Aduersarios petere, vt ostendamus in scripturis nomen Sacramenti attributum Confessioni, aut Ordinationi, & similibus; nam non est quæstio de nomine, sed de re. Et nec ipsi ostenderent hoc nomen tributum Baptismo, aut Eucharistiæ, sed soli Matrimonio, quod tamen ferè omnes hæretici negant esse verum Sacramentum.

Et contra inuenimus nomen Sacramenti in Scripturis tribui multis rebus, quæ omnium consensu non sunt Sacramenta, de quibus agit Articulus iste, vt Ephes. 1. Propositum vocandi gentiles ad fidem dicitur Sacramentum voluntatis Dei, & 1. Timoth. 3. Incarnatio dicitur Sacramentum pietatis, & Apoc. 17. Signum quoddam impressum in fronte mulieris, quæ Babyloniam repræsentabat, dicitur Sacramentum mulieris.

Nota 3. id omnino sufficere si ostendamus ex Scripturis & Patribus definitionem Sacramenti conuenire ritibus non paucioribus, nec pluribus quàm septem. Licèt autem non conueniamus in explicanda definitione Sacramenti, tamen conuenimus in definitione quadam generali; nimirum quod Sacramenta sint ritus seu signa externa & sensibilia, quæ ex diuina institutione annexam habeant promissionem gratiæ iustificantis.

Quod Baptismus sit Sacramentum.

De Baptismo nulla est quæstio, est enim ritus expressus: *Lauacrum aquæ in verbo vitæ*. Ephes. 5. Et institutio ac mandatum, Ioan. 3. *Nisi quis renatus*, & Marc. vltimo. *Baptizantes eos*. Et promissio gratiæ, Matth. vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit*, & Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum.

Probatur ex SS. Patribus Iustino in Apologia ad Antoninum. *Remissionem ante commissorum peccatorum consequimur in aqua*. Et prius dixerat neminem adduci ad Baptismum nisi antea crediderit, similia habet in dialogo cum Triphone. Clem. Alexand. lib. 1. Pædagog. cap. 6. *Multis modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, & lauacrum: Lauacrum quidem per quod peccata abstergimus, gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur, illuminatio autem per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur, perfectum autem dicimus cui nihil deest, quid enim ei desit, qui Deum nouit*, Origene hom. 14. in cap. 2. Lucæ. *Et quia per Baptismi Sacramentum natiuitatis sordes deponuntur, propterea & paruuli baptizantur*. Cyrill. in præfat. Catecheseon. *Magnum est sanè propositum hoc Baptisma captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, animæ regeneratio, currus ad cœlum*, &c.

Tertull. lib. de Resurrect. carnis probat corpus resurrecturum, quia Sacramenta corpori adhibeantur

adhibentur, vt ad animam transeat eorum effectus. *Caro*, inquit, *abluitur vt anima emaculetur; caro vngitur, vt anima consecretur, caro signatur, vt anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, vt anima spiritu illuminetur, caro corpore Christi & sanguine vescitur, vt anima de Deo saginetur*: Vbi Tertull. enumerat varios effectus Sacramentorum, Ambros. lib. 1. de Sacram 2. & 3. lib. 9. super Luc. Hieron. Epist. 83. ad Occanum August. lib. 4. de Bapt. cap. 22. *Inuenio*, inquit, *non tantùm passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionémque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustijs temporum succurri non potest.* Leone PP. serm. 5. de natali Domini. *Originem quam sumpsit in vtero Virginis posuit in fonte baptismatis; dedit aqua quod dedit matri. Virtus enim Altissimi & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, eadem fecit vt regeneret vnda credentem.*

Quod Confirmatio sit Sacramentum.

DE Confirmatione habemus ritum externum, manuum impositionem, Actor. 8. & 19 habemus effectum gratiæ, ibid. *Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum.* Vbi nota verba ista non posse, nec debere intelligi de impositione manuum, quæ fiebat supra singulos Ecclesiæ ministros cum ordinabantur, sed de quadam alia, ad quam omnes cuiusque sexus admittebantur, promiscuè siquidem applicabatur Samaritanis omnibus, vt docet indefinita illa sententia: *Imponebant illis manus*, & quæ mox sequitur, *& accipiebant Spiritum sanctum*; illa rursum Simonis magi postulatio, *date mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum.* En Ritus, Institutio & mandatum non habetur expressè in scriptura, tamen colligitur euidenter ex locis citatis. Nunquam enim Apostoli, ita confidenter & ordinariè manus imposuissent ad gratiam Spiritus sancti communicandam, nisi Dominus id præcepisset, non enim ignorabant non posse vllum hominem instituere cæremoniam ad quam sequeretur gratia Dei, proinde oportet vel Apostolos fuisse temerarios, quod nemo diceret, vel habuisse Christi mandatum. Impositio hæc manus coniuncta erat cum vnctione & signo crucis, fuisse autem cæremoniam illam ordinariam & necessariam, & non satis fuisse orare Deum pro aduentu Spiritus sancti ex eo colligitur, quòd Apostoli primarij Petrus & Ioannes, tantùm laboris & itineris susceperunt, vt irent ex Hierosolyma Samariam ad imponendas manus iis quos Philippus Diaconus baptizauerat; nam orare poterant pro illis, manentes Hierosolymæ.

Probatur ex SS. Patribus Clement. Epist. 4. ad Iulium, & Iulianum. *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est septiformem gratiam Spiritus sancti percipere. Cum autem regeneratus fuerit per aquam postmodum septiformi spiritus gratia ab Episcopo confirmetur; quia aliter perfectus Christianus nequaquàm esse poterit.* Et ne quis existimet Clementis esse inuentum subiungit. *Vt à Petro Apostolo accepimus & cæteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt.* Vrbano martyre. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur, quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.* Eusebio martyre manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest nisi à summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quàm ab ipsis Apostolis legitur & scitur esse peractum. Dionysius lib. de Eccl. Hier. cap. 2. meminit apertè Chrismatis in hoc Sacramento Tertull. suprà, *caro vngitur.* Cyprian. lib. 1. Epist 12. & lib. 2. Epist. 1. Modò vocat vnctionem, modò manus impositionem & apertè Sacramentum dicit. *Tunc*, ait, *plenè sanctificari, & esse filij Dei possunt si Sacramento vtroque nascantur.* August. lib. 2 contra Petilian. cap. 104 *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est sicut ipse baptismus.* Hieron. contra Luciferianos signans locum vnde descenderit iste ritus sacer. Sic docet: Si imponit manum Episcopus, his imponit qui rectâ fide baptizati sunt. Quod si quæris quare baptizatus in Ecclesia non nisi per manus Episcopi accipiat Spiritum sanctum: Disce hanc obseruationem ex ea authoritate descendere, quòd post ascensionem Domini Spiritus sancti ad Apostolos descendit, constat autem Spiritus sancti descensum authoritatem esse diuinam. Fabianus Apost. & Martyr. Epist. ad Orientales Episcopos loquens de die Cœnæ & Chrismatis confectione, ait. In illa die Dominus Iesus, postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes sicut in sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt nobísque reliquerunt Chrisma conficere docuit, ipsa enim lauatio pedum nostrum baptisma significat, quod sancti Chrismatis vnctione perficitur. Vbi duo vides ab hoc sancto martyre affirmari: alterum quod Chrismatis confectio, traditio diuina est, alterum verò quod ad perficiendum Christianum sit instituta vnctio.

Nec importat quod mentio nulla fiat Chrismatis in Scriptura, huius enim satis meminit cum nos iubet acquiescere traditioni Apostolicæ & Ecclesiæ à quibus illud eiúsque vsum accepimus. Sic enim August. lib. 1. cap. 33. contra Crescon. scripturis niti demonstrat Baptismum paruulorum, quia nititur authoritate praxíque Ecclesiæ, quam diuinæ commendant litteræ. Nec visibilis Spiritus sancti datio in vnctione expetenda est hodie, qualis olim notabatur; nam vt ait Aug. tract. 6. in Epist. 1. Ioan. *Cessarunt linguæ & sensibilia miracula, quæ ad rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda dabantur, sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari.* Cyprian. rectè dicit: *Adest veritas signo & spiritus Sacramento.*

Quæres quo tempore Christus instituerit Sacramentum Confirmationis.

Respondent aliqui, tempus institutionis fuisse cum paruuli Christo oblati sunt, Matth 19. vt ipsis manus imponeret & pro ipsis oraret, sed hoc nullo stabilitur fundamento, cum enim ibi nulla facta fuerit promissio Spiritus sancti, nec etiam vlla designata materia, sine quibus non potest

poteſt eſſe Sacramentum profectò gratis dicitur eo tempore inſtitutum, tum Confirm. ſupponit Baptiſmum quo initiati non erant paruuli. Aliorum eſt ſententia inſtitutionem huius Sacramenti fuiſſe tantùm ipſo die Pentecoſtes, cum Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos & acceperunt poteſtatem imponendi manus aliis vt ipſum Spiritum ſanctum reciperent. Hæc ſententia mihi non probatur non enim credibile eſt Chriſtum reliquiſſe Eccleſiam ſuam quantum ad præſentiam viſibilem, antequam eam perfectè fundaſſet, & ſecundùm præcipua fundamenta, qualia ſunt omnia Sacramenta.

Confirmationis Sacramentum fuit inſtitutum in die vltimæ Cœnæ, quoad materiam & formam, tunc enim Chriſtus conſecrauit Chriſma, ſeu oleum balſamo mixtum, quamobrem hoc tempore ad imitationem Chriſti conficitur Chriſma ab Epiſcopis, & completa fuit inſtitutio cum Chriſtus dedit Apoſtolis poſt reſurrectionem plenam poteſtatem ordinationis Sacerdotalis & Epiſcopalis ſub his verbis, Ioan 20. Sicut miſit me viuens pater. Ita & ego mitto vos: tunc enim primùm Epiſcopi creati fuerunt, ac proinde eo tantùm tempore potuerunt conferre Confirmationem.

Quod Pœnitentia ſit Sacramentum.

POEnitentiæ ritus externus & ſenſibilis, cuilibet Sacramento neceſſariò adiunctus complectitur tam pœnitentis actum, v. g. tunſionem pectoris, & alia contritionis indicia, itémque confeſſionem ſeu propriorum delictorum manifeſtationem, quàm verbalem Sacerdotis abſolutionem. Vnde definiri ſolet Sacramentum conſiſtens in actibus pœnitentis & abſoluentis inſtitutum à Chriſto per modum iudicij emendatiui ad remiſſionem peccatorum; cum Ioan. 20. Chriſtus dixit: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Hic habemus, primò ritum, nimirum externum pœnitentis actum & iudicialem abſolutionem, quæ eſt ſignum interioris, quæ fit à Deo dum verbum externum miniſterialiter hoc facere dicitur. Secundò habemus promiſſionem gratiæ. *Remittuntur eis.* Tertiò habemus mandatum, ibid. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos.* Vnde Paul. 2. Cor. 5. *Deus dedit nobis miniſterium reconciliationis,* & infrà, *pro Chriſto legatione fungimur.*

Probatur ex SS. Patribus Ambroſ. lib. 1. de pœnitentia, cap. 7. *Quid intereſt vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius ſibi datum Sacerdotes vendicent? Vnum in vtroque miniſterium eſt.* Sed dices quia in lauacro operatur myſteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? nonne nomen Dei operatur? Cyrillo comparante reconciliationem pœnitentium cum baptiſmo, lib. 12. in Ioan. cap. 56. Auguſtinus lib. 5. de baptiſmo, cap. 20. numerat cum bapt. Euchar. & Confirm. etiam reconciliationem per manus impoſitionem & in illud Pſalm. 146 *Qui alligat contritiones eorum*, diſertè appellat Sacramentum reconciliationem pœnitentium. *Quæ ſunt iſta alligamenta? temporalia Sacramenta alligamenta medicinalia ſunt contritionis noſtræ, Sacramenta interim temporalia quibus habemus conſolationem.*

Quod Euchariſtia ſit Sacramentum.

DE Euchariſtia nulla eſt difficultas, habetur enim ritus, Matth 26. & 1. Cor. 11. *Accepit panem, & gratias agens fregit,* &c. Et inſtitutio ac mandatum. *Hoc facite*, & Ioan. 6. *niſi manducaueritis carnem filij hominis*, & promiſſio gratiæ, Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Probatur ex SS. Patribus Auguſt. de Eccleſ. dogmatib. *Hoc Sacramentum non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur Creatoris: nec bonorum diſpenſatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur.* Ambr. lib. de Sacramentis. *Qui vulnus habet medicinam requirit, vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus, medicina eſt, cæleſte & venerabile Sacramentum.* Bernard. in Epiſt. *Sacramentum Dei altiſſimum ſuſcipiendum eſt non diſcutiendum, venerandum, non dijudicandum*, &c.

Quod extrema-Vnctio ſit Sacramentum.

IAcobi 5. habemus ritum. *Orent ſuper infirmum vngentes oleo in nomine Domini*, item promiſſionem, *& alleuiabit eum Dominus & ſi in peccatis fuerit dimittentur ei.* Denique mandatum colligitur euidenter ex eo quod Apoſtolus non auderet ita abſolutè promittere tantum effectum, niſi à Domino id accepiſſet.

Probatur ex SS. Patribus Innocentio I. in Epiſt. ad Decentium cap. 8. pœnitentibus oleum infirmorum infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur concedi? Auguſt. ſerm. 215. de tempore. *Quoties aliqua, infirmitas ſuperuenerit corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat, oleúmque benedictum humiliter à presbyteris accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngat, vt illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo: infirmatur quis in vobis*, &c. Bernardo qui in vita S. Malachiæ, qui refert eum reuocaſſe ad vitam mulierem, quæ ante vnctionem expirauerat: *Vnxit eam ſciens in hoc Sacramento remitti peccata.*

Quod Ordo ſit Sacramentum.

HAbemus ritum externum, manus impoſitionem 1. Timoth. 4. item promiſſionem gratiæ, ibid. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, cum impoſitione manuum presbyterij*, & 2. Timoth. 1. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Denique inſtitutio & mandatum, Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores.* Vnde autem ſciebat Paulus impoſitionem manus contuliſſe gratiam, ſi à Deo non didicerat eo ſigno de ſe inutili ad effectum ſupernaturalem conferri gratiam, ipſumque aſſumendum eſſe in inaugurandis Eccleſiæ Catholicæ miniſtris.

Probatur ex SS. Patribus, Auguſt. lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani cap. 13. loquente de Baptiſmo & Ordinatione. *Vtrumque Sacramentum eſt, & quadam conſecratione homini datur, illud cum baptizatur, illud cum ordinatur.* Gregor. lib. 4. comment. in Reges, cap. 5. *Is,* inquit,

inquit, *qui promouetur bene foris vngitur, si intus virtute Sacramenti roboratur.*

Quod Matrimonium sit Sacramentum.

HAbemus nomen ipsum Sacramenti, Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est.* Item ritum externum id est, contractum visibilem inter virum, & fœminam, de hoc enim Apostolus dicit, quod sit magnum Sacramentum, vt exponit Chrysost. & Hieronymus, in hunc locum, habemus etiam institutionem diuinam, Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Denique gratiam annexam colligimus ex loco Pauli Ephes. 5. *Viri diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Et 1. Cor. 11. *Viri caput Christus est, caput autem mulieris vir.* Quæ significatio siue repræsentatio ne sit mendax necesse est confiteri gratiam coniugibus dispositis, qua auxiliante possint mutuos Christi & Ecclesiæ mores imitari. Ante nouam legem fuit institutum in officium naturæ, & remedium concupiscentiæ, quando Deus dixit protoplastis. *Crescite & multiplicamini.* At in lege noua contractus ciuilis fuit per Christum eleuatus, vt sit signum sacrum & Sacramentum.

Probatur ex SS. Patribus Augustino lib. de bono coniugali, cap. 18. *In nostrorum nuptijs, plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri.* Et lib. de fide & operibus, cap. 7. *In monte sancto eius,* inquit, *hoc est in Ecclesia non solùm vinculum nuptiarum, sed etiam Sacramentum ita commendatur, vt non liceat viro, vxorem suam alteri tradere.* Ambros. in cap. 5. Ephes. *Qui alterius nuptam duxerit, peccat in Deum cuius legem violat, gratiam soluit, & ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.*

Probatur iam Numerus Septenarius Ratione.

Cui conuenit definitio conuenit & definitum. Atqui definitio Sacramenti conuenit illis septem Sacramentis. Ergo sunt vera Sacramenta. Minor sola est probanda. Definitio Sacramenti est, vt *sit signum visibile gratiæ inuisibilis formaliter hominem iustificantis,* vt suprà notaui. Atqui hæc definitio conuenit illis septem, quia nullum est, quod non sit signum aliquod externum & sensibile, & nullum quod non significet productionem gratiæ in anima hominis.

DIces scripturam nusquam tradere hunc numerum, imo potius binarium; nam Ioan. 19 *Ex latere Christi fluxerunt sanguis & aqua:* Id est, Baptismus & Eucharistia, vt exponunt Chrysost. Cyrill. Theophyl. Damascen. lib. 4. de fide, August. tract. 9. in Ioan.

Resp. scripturam neque duo aut tria, vel septem nusquam numerare. Quod si illa duo fluxisse dicuntur à Christo, intellige vti principalia & non ad cæterorum exclusionem: sicut etiam Heb. 6. Paulus duo tantùm Sacramenta ponit Baptisma & Confirm. *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum Baptismatum doctrinæ impositionem quoque manuum,* per quam Chrysost. Theodor. Theoph. Confirmationem intelligunt, quæ dabatur post baptisma, neque meminit Eucharistiæ quæ simul dabatur, vt etiam modo datur cum baptizantur adulti cum baptismo & Confirmatione. Addo interpretationem hanc Græcorum non esse necessariam; nam Cyrill. Catech. 3. Hieron. in Epistola 83. ad Oceanum intelligunt duo baptismata, martyrij scilicet & aquæ. Alij cum Ambros. August. & Beda hic, intelligunt per sanguinem redemptionis pretium, per aquam, baptismum, qui omnem suam vim habet à Christi sanguine; nam ideo non dixit exiuit aqua, & sanguis, vt ordo postulabat, si ageretur de baptismo & Eucharistia, cum baptismus eam præcedat.

QVÆSTIO III.

De Ordine & Comparatione Sacramentorum nouæ legis inter se.

COncilium Florent. & Professio fidei ordinem seruant quem præfixi in Articulo, qui vocatur ordo enumerationis, & non dignitatis: ibi quinque prima Sacramenta, quæ ad omnes pertinent ad spiritualem vniuscuiusque hominis in seipso perfectionem ordinata sunt recensentur, vltima duo quæ non sunt omnibus communia, sed ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinantur, posteriùs recensentur; & quidem in quinque primis seruatur ordo temporis, quo ex natura sua sumi debent. Primò enim datur Baptismus. Secundò, Confirmatio. Tertiò, Eucharistia, hic enim ordo seruatur cùm baptizantur adulti, & est ordo naturalis. Quartò, datur Pœnitentia, si contingat peccare post Baptismum. Quintò, Extrema-vnctio in fine vitæ, in aliis duobus quæ ad Rempub. spectant non seruatur ordo temporis, sed dignitatis, vnde primò ponitur ordo qui excellentior creditur Matrimonio.

Quantum ad dignitatis ordinem certum est, imò de fide septem Sacramenta non esse paria inter se seu eiusdem dignitatis; nam Conc. Trident. sess. 7. can. 3. sic habet. *Si quis Sacramenta nouæ legis,* quæ in 1. can. *septem esse diximus, paria facit, ita vt non sit vnum alio dignius, anathema sit.* Sacramenta licèt sint eiusdem generis & proinde omnia verè, & propriè Sacramenta differunt tamen specie & secundum varias rationes nullum est, quod alicui alteri non præstet.

Baptismus excellit omnibus quoad effectum remittendi peccata, remittit enim originale quod nullo alio Sacramento remittitur, item omnia actualia & omnem pœnam eis debitam, quod non faciunt cætera Sacramenta.

Confirmatio excellit quoad effectum gratiæ actualis ad benè operandum; nam in eo Sacramento confertur plenitudo Spiritus sancti, estque perfectio & consummatio Baptismi, præsupponit enim totum eius effectum, & superaddit gratiam copiosiorem, vnde Apostolis dicitur, Luc. vlt. *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Et ante Confirmationis effectum quem acceperunt in die Pentecostes, licet baptizati essent, timidissimi erant, ita vt in Passione omnes fugerent, postea verò accepto Spiritu sancto, facti sunt robustissimi. Quare Cyprian. lib. 2. Epist. 1. & Cornel. in Epist. ad Fabium

Fabium apud Euseb. lib. 6. Rest. cap. 33. non timuerunt dicere non esse plenè sanctificatos, nec perfectos Christianos, qui carent Sacramento Chrismatis.

Eucharistia excellit omnibus quoad ipsam substantiam Sacramenti; nam cætera constant ex re sensibili & virtute quadam agendi sibi à Deo communicata per motum; at Eucharistia authorem virtutis illius habet.

Pœnitentia excellit omnibus necessitate, solo baptismo excepto.

Extrema-vnctio excellit aliquo modo effectum Pœnitentiæ; nam copiosiorem gratiam superaddit, quæ non solum posset delere omnia peccata si adessent, sed & reliquias tollit. Ordo excellit omnibus excepta Confirmatione ratione ministri; nam à solo Episcopo confertur, & ex dispensatione aliquando confirmarunt simplices Sacerdotes. Tum Ordo constituit homines in sublimiori gradu quàm sint cæteri Christiani.

Matrimonium excellit significatione, quia significat vnionem Christi cum Ecclesia, vnde Ephes. 5. *Magnum Sacramentum*, appellatur.

Simpliciter loquendo Eucharistia excellit omnibus; nam continet fontem sanctitatis aliorum Sacramentorum, & alia ad ipsam ordinantur tanquam ad finem; nam Ordo ordinatur ad confectionem Eucharistiæ, Baptism. ad susceptionem, Confirm. ad publicam frequentationem sine timore & verecundia Pœnitent. & Vnctio extrema ad dignam susceptionem. Matrim. ratione significationis, quia significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam Euchar. perficit. Nec obstat quod Extrema-vnctio ex vi institutionis sit vltimum quo ad vsum, ordinatur enim ad Euchar. aliquo modo ratione effectus & perfectæ munditiei, quæ est dispositio ad Eucharistiam, vnde si quis eam post Extremam-vnctionem sumere vellet, tunc maximè esset ad illam dispositus. Ita Caietanus.

QVÆSTIO IV.
An Sacramenta constent essentialiter rebus & verbis, vt materia & forma.

EX definitione Sacramenti iam explicata intelligi potest vtcumque essentia eius; nam cùm dicitur, *signum efficax*, seu practicum, *gratiæ iustificantis*, habemus quòd non tantùm significet, sed & producat gratiam, & quòd non sit tantùm Symbolum externæ beneuolentiæ Dei, sed & gratiæ realis intrinsecæ inhærentis animæ.

Quia autem essentia rei sensibilis constat materiâ & formâ, seu Physicâ, seu Metaphysicâ Doctores quærunt vtrum Sacram. verè constent rebus & verbis. Et concludunt affirmatiuè de omnibus: idque definitum est de fide in Concilio Florentino in institutione Armenorum, quæ facta est ipso approbante Concilio. *Hæc*, inquit, *septem Sacramenta nouæ legis tribus perficiuntur videlicet rebus tanquam materia verbis tanquam formâ & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit non perficitur Sacramentum.*

Nota Sacramentum propriè non esse compositum aliquod Physicum, neque artificiosum, sed cum vtroque habere similitudinem quandam. Et quidem, si conferatur cum composito artificioso, tum sine dubio forma eius partim est significatio, partim virtus operatiua, materia verò sunt res ipsæ, & verba in quibus residet significatio, & virtus illa operatiua. Vt enim in composito artificioso tota substantia dicitur materia, forma verò est quoddam accidens: ita Sacramentum, vt signum formaliter dicit significationem; vt causa dicit vim operatiuam. Reliqua omnia ad materiam seu subiectum pertinent.

Potest etiam Sacramentum considerari, vt simile composito Physico. Nam, vt in composito Physico materia præcedit, forma accedit, ita in Sacramento verbum accedit ad elementum. Item, vt in illo materia est indeterminata, sed coarctatur à forma, ita in Sacramento verbum determinat indifferentiam elementi, denique in composito Physico, materia est imperfecta forma est perfecta & dat esse rei: ita in Sacramento verba sunt rebus perfectiora cum sint signa multò clariora & perfectiora.

Et hoc modo verbum cum sua significatione est forma, & totum elementum cum sua significatione, est materia. Id quod probatur, primò, quia ita loquitur Concil. Florent. & veteres Theologi. Nam ipsi dicunt Sacramentum constitui ex re & verbo, vt ex materia, & forma. At remota significatione, nulla est compositio ex re & verbo, non enim est alia coniunctio rerum & verborum nisi quatenus rei significatio indeterminata, determinatur per significationem verbi. Non igitur Concilium & Theologi volunt solum subiectum significationis constitui ex rebus & verbis, sed totum ipsum Sacramentum etiam vt signum est formaliter. Prætereа compositio ex re sensibili & significatione, non est compositio ex materia & forma, vt partibus essentialibus, sed est compositio ex subiecto & accidente. At Concilium & Theologi dicunt Sacramenta constare ex materia & forma, non ex subiecto & accidente: sæpè etiam addunt non posse ab Ecclesia mutari materiam aut formam Sacramentorum, quia sunt de essentia seu substantia.

Secundò probatur ratione; nam significatio Sacramenti non est vna significatio simplex. sed duæ partiales ex quibus vna totalis componitur. Ergo ipsa etiam significatio ex materia & forma constitui, dici potest, proinde totum Sacramentum ex materia & forma componetur, vt ex partibus essentialibus. Antecedens probatur dupliciter. Primò: Antequam fiat coniunctio elementi & verbi vtrumque habet suam significationem: sed ex coniunctione non perit vlla significatio: Non enim potest verbum tollere significationem elementi, quæ est naturalis, sed solùm eam determinare, nimirum, vt cum aqua, v. g. naturaliter significare possit quamlibet purgationem determinetur à verbo ad significandam purgationem à peccatis, manet igitur vtraque significatio, sed coniunguntur inter se, ita vt ex duabus partialibus fiat vna integra & totalis. Secundò, tam verbum quàm elementum in Sacramentis significant aliquid, sed verbum non communicat eleméto suam significationem neque verbo elementum:

elementum: duæ sunt igitur, non vna. Assumptio probatur, quia elementi significatio naturalis est, vt notat S.Thomas 3. part. quæst.60. art.3. Verbi autem voluntaria, non ergo significatio elementi communicatur verbo, quia tunc naturalis esset, nec verbi datur elemento quia tunc elementi significatio esset merè voluntaria, & nullo modo naturalis.

Nota, vt Sacramenta constare dicantur rebus & verbis, non est necesse, vt res non sint verbi, & verba non sint res, sed sat est si aliquid fungatur vice rei, aliud vice verbi. Idque probat Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap.18. quia in Sacramento Pœnitentiæ potest fieri, vt nulla sint alia signa præter verba, ex communi enim consensu Theologorum in Sacram. Pœnit. forma est absolutio, materia remota sunt peccata, materia proxima sunt actus pœnitentis, id est contritio, confessio & satisfactio, quatenus signo externo produntur. Potest etiam fieri, vt non ostendat signa contritionis, confessionis & satisfactionis nisi verbis. Non enim est de essentia Sacramenti, vt pœnitens suspiret, ploret, &c. Sed si tantum verbo dicat peccata sua & dicat se esse contritum, & velle satisfacere potest absolui. Quare materia etiam proxima tunc erunt verba. Verè tamen dicuntur esse in eo Sacramento res & verba, quia peccatum verbo commissum, est materia confessionis, non vt verbum, sed vt peccatum est: peccatum autem formaliter non est verbum, sed res à verbi ratione valde distincta. Sic etiam confessio non est propriè materia Sacramenti, vt oratio quædam, sed vt actio pœnitentis.

Idem de forma ostenditur; nam in Matrimonio loco verborum sufficiunt nutus, aut litteræ, modo sufficienter exprimatur consensus vtriusque partis.

Benè ergo Bonacina disput.1. quæst.2. dicit nomine rerum intelligi id quo posito nondum est completa significatio Sacramenti, siue res illa sit quid permanens, siue sit actio, siue sint aliqua verba: Nomine verborum dicit intelligi id quod complet & perficit significationem, siue sint nutus, siue scriptura, siue verba.

Ex quo fit, vt ablutio aquæ in Baptismo dicatur materia baptismi, seu res baptismi, quia posita ablutione sola nondum completa est significatio baptismi; nam ea sola posita non apparet ipsam adhiberi ad lotionem spiritualem animæ, accidentibus verò verbis, satis constat ad quid adhibeatur ablutio, consequenter verba dicuntur forma Baptismi.

Idem asserendum est de aliis Sacramentis, vt de Matrimonio in quo traditio corporum est loco materiæ, seu rerum acceptatio est loco formæ, seu verborum. Et de Pœnitentia, in qua confessio peccatorum est loco materiæ, seu rerum; nam posita manifestatione peccatorum nondum apparet ad quem finem ea manifestatio fiat: cum fieri possit etiam ad iactantiam & gloriandum, &c. Absolutio verò est loco formæ, seu verborum, quia ea accedente completur significatio, & satis apparet ad quid confessio dirigatur. Ita communiter DD. qui docent non esse necessarium, vt in omni Sacramento res & verba ita coniungantur, vt partes essentiales eiusdem rei; nam Sacramentum non est reuera compositum naturale, & ideo omnes proprietates materiæ & formæ non sunt requirendæ, v. g. verba non iunguntur vti forma, cum pane & vino, quæ sunt materia, in Eucharistia; quare largo modo dicitur materiam & formam esse in Sacramentis. Et hinc facilè soluuntur, quæ contra obiici solent.

Dices contra constitutionem ex rebus & verbis in Sacram. Re sola existente sine verbis potest esse integrum Sacramentum, vt patet in Eucharistia, quæ post prolationem verborum, *hoc est corpus meum*, remanente re sensibili perseuerat: è contra verò solis verbis existentibus & non re, integrum est Sacramentum, vt videre est in baptismo, vel Pœnitentia, quia fieri potest, vt aliquo tempore post ablutionem vel confessionem peccatorum Sacerdos proferat verba Sacramentalia. *Ego te baptizo. Ego te absoluo.*

Respondeo, sex esse Sacramenta, quæ consistunt in vsu, quodam scilicet motu successiuo, seu operatione transeunte & in iis materia, & forma, si non physicè saltem moraliter coniuncta esse debent, ita vt si vnum præcesserit, non sit tam longo tempore, vt moraliter abesse videatur. Eucharistia hoc singulare habet quod consistat in re permanenti, vtpote speciei panis aut vini consecrari, ideo Conc. Florent. non dicit verba Eucharistiæ esse formam Sacramenti, sed formam consecrationis.

Quæres, *cur Christus instituerit Sacramenta in rebus & verbis.*

Resp. id congruum visum Christo, quia verbum iunctum erat carni visibili, ita in Sacr. rebus sensibilibus iunguntur verba. Cum hoc exigebat conditio hominis, qui est ex anima & corpore compositus; nam materia sensibilis Sacramenti corpus tangit, verba verò afficiunt animam ad credendum, iuxta illud August. tract. 80. in Ioan. *Vnde est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur.* Tertia ratio petitur ex significatione Sacramenti; nam cùm rerum non sit determinata significatio, sicut vocum, eadem dum aqua in caput iniecta potest significare refrigerium propter frigiditatem suam, & humectationem propter humiditatem suam. Sic per verba accipiunt res determinatam significationem, vt aqua in caput pueri inuersa per hæc verba. *Ego te baptizo*, determinatur ad significandam spiritualem ablutionem & emundationem à peccato, & hoc est quod vno verbo voluit dicere, Aug. cit. *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.* Per hæc verba dicens ex rebus & verbis simul fieri integram significationem Sacramenti. Quia nec res solæ, v. g. aqua, nec verba sola, v.g. *Ego te baptizo*, adæquatè significant effectum Sacramenti, ablutionem scilicet à peccato, sed res & verba simul iuncta: res quidem vtpote indifferentes, sortiuntur rationem materiæ, quæ ex se & natura sua indifferens est ad varias formas. Verba verò vtpotè res ipsas determinantia, habent rationem formæ, cuius proprium est materiam determinare, vt docent Philosophi.

QVÆSTIO V.

De determinatione rerum & verborum in Sacramentis.

SVpponuntur res pro materia & verba pro forma, vt dixi, & de vtraque quæritur, vtrùm sit determinata, quod antequam resoluatur.

Nota materiam Sacramentorum duplicem esse, proximam scilicet & remotam, vt patet inductione. In Baptismo materia remota est Aqua. In Confirmatione Chrisma ex oleo & balsamo confectum. In Eucharistia panis & vinum. In pœnitentia sunt ipsa peccata. In extrema vnctione est oleum benedictum. In Ordinatione Sacerdotali est Calix cum vino, & patena cum hostia. In Matrimonio ipsæmet personæ contrahentes.

Materia verò proxima Sacramentorum in Baptismo, est ablutio. In Confirmatione & Extrema-vnctione est vnctio. In Eucharistia sunt species panis & vini. In Pœnitentia sunt actus pœnitentis. In Ordinatione sacerdotali est porrectio Calicis cum vino & patenæ cum hostia. In Matrimonio est traditio corporum. Hæc autem materia est à Christo Institutore Sacramentorum determinata in specie, non autem in indiuiduo, vt per se patet cum Sacerdos hanc vel illam hostiam adhibeat ad conficiendam Eucharistiam, & sic de cæteris. Hanc non potest Ecclesia mutare; quia non est suprà Christum, sed ipse caput eius est. Nec obstat quod Ecclesia facit vt Matrimonium celebratum coram Parrocho & duobus testibus sit validum: sine Parrocho verò & testibus sit inualidum in locis in quibus Tridentinum Concilium viget. nam hoc non est mutare materiam: cùm enim Christus eleuauerit contractum matrimonialem in Sacramentum & Ecclesia non substituat aliquid loco contractus, sed adhuc vtatur contractu in celebratione matrimonij, sequitur non dici ab Ecclesia mutari materiam, aut substitui aliam ab ea quam Christus instituit. Contractus est res ciuilis existés in potestate Ecclesiæ; ideò potest cum aliqua ratione variare, vel irritare nisi obseruentur in eo conditiones quas apposuerit. Materia aliorum Sacramentorum non est in potestate Ecclesiæ, quæ non potest facere, vt id quod erat panis, vel aqua, non sit tale, consequenter hanc non potest directè vel remotè variare. Qui corrumperet naturam panis, non ob id diceretur mutare materiam Sacramenti Eucharistiæ. Ita Ecclesia reddendo irritum contractum non dicitur mutare materiam matrimonij, vt benè obseruant Didacus Nugnus 3. part. quæst.60. & Henriquez.

Verba seu forma determinationem habent ab institutione, ita vt si substantialiter varientur Sacramenta non subsistant; quia forma variata non est illa quam Christus instituit; forma autem dicitur dare esse rei, dico *substantialiter*, notandum enim est duplicem formæ integritatem: vnam substantialem: alteram accidentalem. substantialis consistit in solo sensu, seu significatione verborum, non autem in sono, vel idiomate, vel numero syllabarum. Quare vtcunque varientur verba, addendo, detrahendo, transponendo, mutando, interrumpendo semper manet integritas substantialis, dum manet idem sensus: & contra minima etiam variatio destruit integritatem substantialem, si pereat sensus: vt si quis dicat vna sola littera mutata, Ego te baptizo in nomine Matris, & Filij & Spiritus-Sancti non habet formam substantialem. Accidentalis verò integritas consistit in cæteris omnibus, id est in integro sono, ordine & numero syllabarum.

Eadem distinctio consideranda est in materia quæ determinata est quo ad illa accidentia cum quibus inseruire potest confectioni Sacramenti, vt patet in Baptismô, cuius aqua naturalis est materia apta, si sit fluxibilis, ita vt inseruire possit ablutioni; vnde excluditur glacies, quod vero sit calida vel frigida nihil interest; quia accidentarium id est aquæ.

QVÆRES. *An verba Sacramentorum sint concionalia vel consecratoria.*

Hæretici falso innixi fundamento dixerunt verba cõsecratoria seu ritualia, nõ esse ad Sacramentum necessaria, sed tantum concionatoria, quia tenent Sacramenta instituta tantum esse ad excitandam fidem circa promissiones Dei, quæ quidem fides æquè benè recolitur per verba concionalia, ac per consecratoria & ritualia: vnde in celebratione Cœnæ post absolutam concionem,& generalem precationem,non alia vtuntur cœremonia, nec aliis verbis, Minister sumit primus panem, dein dat aliis vna cum vino, porrigénsque panem, hæc profert verba vulgari idiomate. *Prenez, mangez, vous souuenans que le Corps du Fils de Dieu a esté liuré en l arbre de la Croix pour vous:* in porrectione vini: *Esleuez vos cœurs en haut, vous ressouuenans que le precieux Sang du Fils de Dieu a esté respandu en l'arbre de la Croix.* Caluin. explicans illud capitis 5. ad Ephes. *Mundans eam lauacro aqua in verbo vitæ. Apparet*, inquit, *nullam in Papatu legitimam esse signorum obseruationem, nam verbum quidem per se habere iactant, sed quod sit incantationis vice, quia illud lingua incognita demurmurant, & ita quasi demortuo elemento potiùs quam hominibus destinatum foret; nulla Mysterij explicatio ad populum, quæ sola facit, vt mortuum elementum incipiat esse Sacramentum.*

Hic error vt malo innititur fundamento, quòd scilicet Sacramentum sit tantum institutum ad fidem excitandam, sic pessimus est requirens tantùm verba concionatoria, nulla vero ritualia.

CATHOLICA PROPOSITIO.

REquiritur ad essentiam Sacramenti certa forma verborum, quæ consecret & sanctificet elementum seu materiam, non quæ tantum instruat circumstantes.

Probatur ex Scriptura, nam in Eucharistia Dominus dum panem benedixit, certa verba pronuntiauit, nimirum *Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur*, ac deinde iussit, vt nos idem faceremus: *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.* Luc 22. Debemus igitur & nos certis verbis vti, si facere volumus quod ipse fecit, vt nobis imperauit.

Dicent

Dicent fortasse Christum imperasse, vt faceremus quod ipse fecit, non autem vt diceremus verba quæ ipse dixit, sed respondeo, illud *Hoc facite*, referri ad totam actionem Christi, ita vt comprehendat etiam verba. Id quod discimus ex Traditione & vsu Ecclesiæ Catholicæ, quæ Traditio si non recipiatur, in dubium etiam reuocabitur forma Baptismi. Nam vnde quæso colligitur, dum aqua aspergitur dicenda esse illa verba *Baptizo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus-Sancti.* certè non aliunde quàm ex illis verbis Matth. vlt. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus-Sancti.* At ex hoc loco id non potest certè colligi nisi recipiatur Ecclesiæ Traditio, non enim Dominus ait, dicite Baptizo te in nomine Patris &c. Satis igitur erit, si aspergentes aquam dicamus. *In nomine Patris & Filij & Spiritus-Sancti.* Tum Christus non dixit vt dicamus *in nomine*, sed solum ait, *baptizantes eos in nomine, &c.* quæ verba non cogunt vt dicamus in nomine Patris, &c. sed solum vt baptizemus vt eius ministri, quod potest fieri etiamsi nihil dicamus. id quod ex aliis locis similibus colligi potest: nam Marc. vltim. Christus ait, *in nomine meo dæmonia eyicient super ægros manus imponent & benè habebunt:* & tamen non erat opus vt Apostoli cum aliquem curare volebant dicerent voce, in nomine Domini, sed satis erat si cogitatione, nam Act. 9 Petrus suscitauit Tabitham & Act. 14. Paulus claudum sanauit sine vlla mentione nominis Christi, satis est si fiat authoritate Christi.

Quod igitur in Baptismo dicere debeamus, *Baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, non ex sola Scriptura certò colligi potest, sed ex Scriptura adjuncta explicatione Ecclesiæ & praxi. Quod si in Baptismo recipitur Ecclesiæ authoritas, cur non etiam in Eucharistia & cæteris Sacramentis?

In Confirmatione possunt adhiberi verba. Act. 8. orabant Apostoli imponentes manus, *Petrus & Ioannes orauerunt pro Samaritanis & imponebant manus, &c.*

In Pœnitentiæ Sacramento patet ex Ioan. 20. quorum remiseritis peccata, nec enim id fieri potest sine verbis

In Extrema vnctione Iacobi 5. *orent super eum vngentes oleo.*

In Ordinatione debet exprimi per verba collatio potestatis.

In Matrimonio res est perspicua, cum non possit constare mutua consensio nisi verbis, aut signis æquiualentibus exprimatur.

Probatur ex Sanctis Patribus, qui cum de verbis Sacramentorum loquuntur non instructionis, sed inuocationis mentionem faciunt Dionysius cap. vlt. libri de Eccles. Hier. vocat verba Sacramentorum τὰς τελεστικὰς ἐπικλήσεις, id est consecratorias inuocationes. Basilius libr. de Spiritu Sancto cap 15. *Tribus mersionibus, ac totidem nomenclaturis sine inuocationibus magnum Baptismatis Mysterium perficitur.* Cyprian. serm. de Baptism. *Verborum solemnitas, & sacri inuocatio nominis & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum: rem vero ipsam Spiritus-Sanctus format & efficit & consecrationibus visibilibus inuisibiliter manum totius bonitatis author apponit.*

Probatur ex Conciliorum Traditione, nam Nicænum canon. 19. iubet rebaptizari Paulianistas: quod idem statuit Laodicenum can. 8. de Cataphrygibus. At contra Concilium I. Arelatense eodem tempore celebratum & Syricius Epistola I. cap. 1. iubent Arianos non rebaptizari, cuius differentiæ causa non potest reddi, quam illa quam affert Innocentius I in Epistola 22. cap. 5. quia videlicet Paulianistæ & Cataphryges, non solùm credebant Trinitatem, sed nec baptizabant cum inuocatione Trinitatis: at Arriani licet non crederent Trinitatem vnius essentiæ, tamen baptizabant in nomine Patris, & Filij & Spiritus-Sancti. At certè quantum ad instructionem & explicationem tam errabant circa Trinitatem Ariani quam Paulianistæ & Cataphryges, non igitur instructio, sed inuocatio Baptismum perficit.

Probatur ratione aut verba concionatoria sunt necessaria ad essentiam Sacramenti; aut non. Si prius ostendatur in Scripturis (quas solas ad omnem controuersiam dirimendam admittunt Aduersarij.) Christum præcepisse ministris Sacramentorum concionari pro confectione ipsorum: nullum sanè extat huius institutionis & præcepti vestigium, sed nec apparet huius concionis coniectura probabilis; sæpè enim confertur Sacramentum iis qui sunt concionis incapaces, vt sunt pueri & phrenetici, & si forma Baptismi esset concio paruuli, certè ij baptizandi non essent: non enim debet fieri concio vbi non est qui audiat & intelligat: præterea potest fieri vt minister Sacramenti sit ignarus ad concionem, quiuis autem validè potest conferre Baptismum. Respondet Caluin. lib. 4 institut. cap. 16 §. 20. paruulos non percipere Sacramentum vtiliter pro eo tempore, tamen verum Sacramentum percipere quod postea vtile sit futurum. sed hæc solutio non est sufficiens. Nam si verbi prædicatio est de essentia Baptismi non minus quam aqua, certè debet percipi non minus quam aqua, alioqui non modo inutile, sed etiam nullum erit Sacramentum. Quod si aqua aspergeretur à Ministro, infantem vero non attingeret, nemo diceret illum esse baptizatum; ergo si concio fiat, & non percipiatur ab infante, nemo dicere debet ex Caluinistis illum esse baptizatum. Concio autem non verè percipitur nisi cum intelligitur non enim dicitur percipere concionem, quæ propriè instructio quædam est, qui non instruitur etiamsi sonum quendam audiat. Non ergo infantes percipiunt formam Sacramenti, quare nec Sacramentum. Aut igitur Caluinistæ fiant Anabaptistæ, aut desinant requirere concionem ad essentiam Sacramenti. Alia ratio sumitur ex verbis præscriptis à Christo in Baptismate, quæ non habent formam instructionis, sed inuocationis & benedictionis; non enim ait, docete omnes Gentes nomen Patris & Filij & Spiritus-Sancti. Sed baptizantes eos in nomine Patris, &c. vbi verba illa in nomine Patris, &c. respiciunt actum baptizandi, non actum docendi, proinde sonant inuocationem Trinitatis super aquæ aspersionem, non autem declarationem Mysterij ad auditores. Deinde si verba ista ad instructionem pertinent valdè profecto imperfecta essent: non enim solum instrui debent de Trinitate qui baptizantur, sed etiam de Incarnatione & Passione Domini, & præcipuè

de promissione gratiæ ob Christi meritum, quarum rerum nulla in his verbis mentio fit.

Præterea si forma Baptismi esset concio, varia essent baptismata pro varietate concionum: non enim omnes eodem modo concionantur. At vnum baptisma esse sicut vnus est Deus & vnus Dominus, habet Ephes. 4. & Symbolum Constantinop. Tum quomodo ista cohærent, vt concio sit forma Baptismi, & tamen sine concione verus Baptismus dari possit?


Adde, quòd falsum Baptismum haberent Nouatores, ac proinde rebaptizandi essent, non enim vera potest esse prædicatio hæreticorum. At Ecclesia approbat Baptisma quorumlibet hæreticorum, modo detur verbis præscriptis, id est. *In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti*, etiamsi addunt ipsi peruersissimam concionem & explicationem, vt docet August. lib. 3. de Bapt. cap. 15.

Dices ex August. tract. 80. in Ioan. *Vnde tanta virtus in aqua, vt corpus tangat & cor abluat nisi faciente verbo non quia dicitur, sed quia creditur; nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* Vnde in Actis Apost. fide mundans corda eorum.

Resp. Augustinus susceperat explicare verba illa Ioan 15. *Iam vos mundi estis propter verbum quod loquutus sum vobis.* Dum autem ea exponeret proposuit sibi quæstionem cur Christus non potius dixerit mundi estis propter Baptisma quo loti estis: Nam etiamsi verbum Domini prædicatum mundat quatenus gignit fidem, quæ est initium iustificationis, tamen etiam Baptismus mundat, cum statim abluat sordes omnium peccatorum. Ad hanc quæstionem respondet Christum dixisse. *Mundi estis propter verbum.* Et non dixisse mundi estis propter Baptismum, quia in omni mundatione, siue ea fiat in Sacramento, siue extra, semper vis mundandi oritur ex verbo; nam si fit mundatio extra Sacram. necessariò fit per actualem fidem: *Fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Rom. 10. Si verò mundatio fit in Sacramento, elementum quidem est quod mundat, sed vt mundari possit adiungitur ei verbum consecrationis, semper igitur mundatio oritur ex verbo. Quocirca August. non restringit verba citata ad verbum concionis, sed generatim accipit, & in toto reliquo sermone id vnum probare conatur omnem munditiam fieri per verbum: idcirco promiscuè affert argumenta & testimonia, nunc de verbo sacramentali, nunc de concionali, quia illi perinde est, modo demonstret verbum esse quod mundat, præterea illud, *quia creditur*, vel significat, quia creditur actu, vel quia est obiectum fidei, & proinde res fide perceptibilis: non autem potest significare, quia creditur actu; nulla enim actualis fides est in rigore necessaria ad Baptismum, vt probat August. Epist. 23. ad Bonifacium dicens, verè mundari paruulos etiamsi non valeant corde credere, aut ab infidelibus baptizentur.

Dices nullam esse vim naturalem in verbis ad consecranda elementa.

Respondeo nos non ponere eam in sono, aut numero syllabarum, sed in sensu & significatione, idque ex pacto & institutione Christi.



ARTICVLI XV.

A CHRISTO DOMINO NOSTRO Instituta.

QVÆSTIO VI.

De causa efficiente Sacramentorum.

PArs hæc Articuli causam efficientem declarat Sacramentorum, quam S. Thomas in 3. p. quæst 64. distinguit in principalem & ministerialem, & circa vtramque decem agitat quæstiones. Supposita ergo receptissima distinctione de causa principali & omnino independente seu authoritatiue, quam nemo diffitetur esse Deum omnipotentem, proinde authorem Sacramentorum principalem, quia solus ex authoritate gratiam dare potest, proinde, media, seu signa aut Sacramenta ad hanc vel efficiendam vel infallibiliter significandam instituere.

Est de fide quod Christus sit causa ministerialis effectiua omnium nouæ legis Sacramentorum, seu immediatus institutor eorum, idque vt aiunt aliqui vt homo est, quia vt sic habet vnionem cum diuinitate éstque coniunctum instrumentum, & ideo tribuitur ei quædam potestas ministerialis quidem, quia deriuatur à diuinitate, sed quæ potestas excellentiæ dicitur, quia soli Christo conuenit, potéstque vocari omnipotentia, iuxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Per quam & sine Sacramentis deleuit, seu remisit peccata, vt patet exemplo Magdalenæ & aliorum.

Probatur propositio præcisa. 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Non igitur Apostoli institutores dici possunt. Multorum expressam institutionem refert Euangelium.

Probatur ex SS. Patribus Cypriano in serm. de ablutione pedum. *Ipse*, inquit, *summus Sacerdos*

cerdos sui est Sacramenti institutor & auctor: in cæteris homines Spiritum sanctum habuere Doctorem, quod de ritibus intellige ait Bellarm. Ambrosio lib.4. de Sacram. cap.4. auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus? Aug. lib.3. de doctr. Christi, cap.9. *Quædam pauca pro multis eadémque factu facillima & intellectu augustissima & obseruatione castissima ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina.*

Probatur ex Concilij Tridentini sess.7. can.1. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta*, &c. *anathema sit.* Qui canon non debet ita intelligi quasi Concilium velit Sacramenta instituta esse à Christo immediatè vel mediatè; nam alioqui. Concilium frustra Canonem istum posuisset, cum nemo vnquam dubitauerit, quin saltem mediatè Sacramenta à Deo sint instituta. Præterea idem Concilium sess. 14. can.1. agens de Sacramento Extremæ-vnctionis seipsum explicat cum ait hoc institutum esse à Christo, sed à S. Iacobo promulgatum.

Probatur ratione quam S. Thomas insinuat art.4. quia cum Christus fuerit caput Ecclesiæ, hancque dignitatem nulli alteri communicauerit ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, debuit solus instituere Sacramenta, quæ sunt quasi septem firmissimæ Ecclesiæ columnæ, quibus maximè fulcitur.

Præterea Sacramenta veteris legis à Deo immediatè sunt instituta, à Moyse autem solùm promulgata, vt patet ex libris Exodi & Leuitici. Vbi semper cum aliquid noui instituitur, legimus; loquutus est Dominus ad Moysem, multo magis par erat, vt Sacramenta nouæ legis præstantiora ab ipso Deo incarnato instituerentur.

DIces duorum tantùm Baptismi & Euch. institutionem legi in scriptura. Ergo aut nulla alia sunt, aut à Christo instituta non sunt.

Respondeo Pœnitentiæ & Ordinis exprimi institutionem; aliorum trium non legi in scriptura à Christo factam; sed habemus Ecclesiæ traditionem, quæ institutionem eorum reducit ad Christum.

QVÆRES *An Christus potuerit communicare virtutem instituendi Sacramenta.*

Respondeo distinctione, primaria potestas, instituendi Sacramenta non potest vlli creaturæ competere, quia est incommunicabilis, fierique non potest, vt ponatur aliquod signum externum vi cuius producatur gratia nisi ex beneplacito & promissione Dei, ita S. Thom. qui addit sicut nec diuina essentia communicari nequit. Ministerialis verò & delegata non inuoluit repugnantiam; nam Deus potest inire pactum cum creatura rationali, vt ad aliquem actum internum producat gratiam, ergo potest se sua promissione obstringere, vt ad cultum aliquem externum quem instituet, eandem ipsam gratiam infundat: Ergo creatura illa poterit instituere Sacramenta, S. Thom. dicit, quod Christus potuit excellentiæ suæ potestatem ministris suis conferre dando eis tantam plenitudinem gratiæ, vt eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, vt & ipsi possent Sacramenta instituere; & Gloss. super illud 1. Cor. 1. *Diuisus est Christus*, dicit, *quod potuit eis dare authoritatem Baptismi; quibus contulit ministerium.* Hoc tamen non fecit propter fidelium vtilitatem ne diuersa essent Sacramenta ex quibus diuisio in Ecclesia oriretur, sicut apud illos qui dicebant; 1. Cor. 1. *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cepha*, & ne quis in homine spem poneret, sed in Christo solo glorietur.

QVÆSTIO VII.

De causa ministeriali, seu ministro Sacramentorum.

TRia de ministro, seu de illo qui conficit & ministrat Sacramenta scire debet Catholicus. Primò, quis sit & qualis exigatur & quomodo intendere debeat.

Propositio prima. *Verus minister Sacramentorum* (Baptismo & Matrimonio exceptis) *non est quilibet homo etiam baptizatus, sed is solùm qui ritè in Ecclesia ordinatus est.*

Nota excipi Baptismum, quia propter summam eius necessitatem, semper Ecclesia intellexit posse à quolibet homine conferri. Item excipi matrimonium quoniam cum consistat in contractu mutuo duorum non poterat aliter fieri, quàm vt ipsi contrahentes essent ministri.

Probatur ex scriptura, quæ docet diuersa esse officia in Ecclesia, nec omnia omnibus conuenire, vt Rom. 12. 1. Cor. 12. Ephes.4. *Alios posuit Apostolos, alios Prophetas*, &c. *Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ?* Idem ergo dici potest de Pastoribus & Doctoribus, qui ibidem nominantur. Nec responderi potest hic agi de vsu (vt Lutherani dicunt non de potestate quam omnibus baptizatis communem esse volunt, tametsi ad tollendam confusionem, non oporteat omnes hac vti potestate, sed eos tantùm qui legitimè sunt vocati;) nam certè Apostoli non habebant potestatem Apostolicam, antequam illam à Christo acciperent. Secundò probatur ex Heb. 5. *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Non igitur omnes, qui sunt de populo Dei per baptismum sunt hoc ipso Sacerdotes. Neque potest hic locus intelligi de exercitio tantùm: nam Aaron antequam vocaretur à Deo ad Sacerdotium, non habebat, neque vsum, neque potestatem. Præterea assumere honorem, non est exequi potestatem, sed eam accipere quod etiam confirmatur ex sequentibus. *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret.* Igitur assumere honorem est pontificem fieri, non autem exercere Pontificatum III. Apostoli baptizati sunt & baptizabant ante Christi passionem; nam quod baptizarent, habetur Ioan.4. Quod baptizati fuerunt, docet August. in Epist.108. ad Seleucianum; nec est credibile eos à Christo iussos baptizare, antequam ipsi baptizarentur. At potestatem consecrandi Eucharistiam acceperunt postea, cum Luc.22. audierunt. *Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & absoluendi potestatem acceperunt postea, Ioan. 20. *Quorum remiseritis*, &c. Non igitur acceperant in Baptismo.

Probatur ex SS. Patribus Dionys. lib. de Eccles. Hier. cap.5. multa habet de ritu ordinandi Sacerdotes.

Sacerdotes. Hieron. super Ezech. *Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina si peccant, letamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum.* Chrysost. lib. 2. de dignit. Sacerd. *Sacerdotii aspice dignitatem: agitur in terra, sed officium cœlestibus negotijs continetur. Non enim homo non Archangelus, sed ipse Spiritus sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne mysterio fungi præstitit Angelorum.*

Quæ Patres habent de Sacramento Ordinis probant luculenter hanc veritatem, quòd minister Sacramentorum ille tantùm sit, quem Ecclesia instituit & consecrauit.

Probatur ex Conc. Trident. sess.7. can.10. *Si quis dixerit Christianos omnes, in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem anathema sit.*

Probatur ratione, in lege veteri, vbi imperfectiora erant Sacramenta & ministeria non tamen poterant omnes ea ministrare, sed soli Sacerdotes, à fortiori in Euangelica. Vnde Paulus se & alios Apostolos dispensatores, & ministros nuncupat. 1. Cor.4. *Sic nos existimet homo, vt ministros & dispensatores mysteriorum Dei.*

Nec valet solutio si dicas Christianos esse factos in Baptismo Sacerdotes spirituales; nam etiam Israëlitæ fiebant in Circumcisione spirituales Sacerdotes, & poterant omnes offerre spirituales hostias. Imò quod dixit B. Petrus de omnibus Christianis. *Vos autem genus electum regale Sacerdotium.* 1. Petr.2. idem antea dixerat Moyses, Exod.19. de omnibus Israëlitis. *Si audieritis vocem meam & custodieritis pactum meum eritis mihi in peculium de cunctis populis, & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale & gens sancta.* Et tamen Ozias Rex lepra punitus fuit, quia fungi voluit munere Sacerdotali adolere scilicet incensum, 2.Paral.26. imò Oza morte punitus est, 2. Reg.6. quia extendit manum ad Arcam Dei, quoniam calcitrabant boues: *Percussit eum iratus Dominus super temeritate, & mortuus est ibi iuxta Arcam Dei.* Scilicet solis Leuitis licitum erat Arcam Dei tangere. Aduertant hæc intrusi nouatores, qui sine missione legitima, sine ordinatione ingerunt se sacris functionibus, & Pastorum munus vsurpant euangelizantes, Sacramenta ministrantes, concionantes, &c. Nemo assumat sibi honorem ait Paul.

Dices ex 1. Petri 2. Christianos esse omnes Sacerdotes. *Tanquam lapides superædificamini in Sacerdotium sanctum, vos genus electum regale Sacerdotium, vt annuntietis virtutes eius qui vocauit vos.* Apoc.5. *Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotium.* 20. *Erunt Sacerdotes Dei & Christi eius.*

Respondeo illa loca intelligi de Sacerdotio spirituali quo offerimus hostias spirituales, id est, opera bona ac præcipuè laudes & preces, quod quidem Sacerdotium est commune omnibus piis hominibus. Est & aliud Sacerdotium propriè dictum quo offertur sacrificium propriè dictum, & ad cuius officium pertinet ministrare verbum & Sacramenta populis, id patet ex Petro, qui *hostias spirituales*, specificat; quia autem iungitur ibi regnum cum Sacerdotio, hinc infertur Christianos quoslibet sic esse Sacerdotes vti sunt reges, Nec annuntiatio virtutum intelligitur ibi de publica verbi Dei administratione, sed de gratiarum actione ob beneficia accepta. Petrus enim vult Christianos laudare & magnificare Deum.

Instabis Christus est Sacerdos, Psalm. 109. Sed omnes Christiani sunt fratres Christi, Psalm.121. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et Psalm. 44. vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Ergo omnes Christiani sunt Sacerdotes.

Respondeo nihil concludi; nam Christus non erat Sacerdos Aaronicus, sed *secundum ordinem Melchisedech.* In Sacerdotio Aaronico fratres erant Sacerdotes, quia tribus Leui ad hoc separata & assumpta fuit; at in Meschisedechiano solus primogenitus erat Sacerdos, tum in Aaronico soli fratres naturales non autem adoptiui. Christiani autem sunt adoptiui non naturales Christi fratres. Denique si omnia quæ Christo sunt propria, conuenirent & nobis, cur non omnes prædiceremus futura, faceremus miracula, &c.

Propositio secunda. *Probitas aut fides ministri non requiritur ad collationem validam Sacramentorum.*

Probatur ex scriptura, Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcumque dixerint, vobis, obseruate & facite, secundùm autem opera eorum nolite facere.* 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ioan. 1. *Super quem videris columbam hic est qui baptizat.*

Probatur ex SS. Patribus, August. tract. 5. in Ioan. *Quid in Christo non nouerat Ioannes? Potestatem Baptismi ipsum Dominum sibi habiturum & retenturum, sed ministerium planè transiturum in bonos & malos? Quid tibi facit malus minister vbi bonus est Dominus?* Ambr. in Prologo in libros de Spiritu sancto. *Num mandauit Damasus, non mandauit Petrus, non mandauit Ambrosius, non mandauit Gregorius? Nostra enim sunt seruitia, sed tua Domine sunt Sacramenta, neque enim humanæ opis est diuina conferre, sed tuum Domine, munus est & Patris.* August. lib. 3. in Cresconium, cap.8. *Nihil refert ad efficaciam sementis & plantationis, an lotis manibus, an sordidis id fiat, modo bonum sit semen, & terra fertilis, nec desit calor solis & pluuia de cœlo.* Greg. Nanz. in oratione de Bapt. *Ne dicas, baptizet me Episcopus, atque is quidem Metropolitanus, non enim locorum est gratia, sed spiritus. Nec dicas baptizet me saltem presbyter, qui cœlebs sit qui pietatis aut continentiæ laude floreat: Tibi quiuis ad purgationem satis idoneus est. Est quidem alius alio præstantior, vel inferior, te autem quiuis est superior. Sint duo annuli alter ferreus, aureus alter, ambo eandem Imperatoris imaginem insculptam habeant ac ceræ imprimant. Quid hoc signum ab illo differet, agnosce si potes? Vtrum è duobus signis aureo annulo, vtrum ferreo expressum sit. Sic tibi omnes qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamuis alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen Baptismi vis est.* Eodem modo loquendum de aliis Sacramentis. Vnde Aug. loquens de Eucharistia sic ait. *Intra Catholicam Ecclesiam in ministerio corporis & sanguinis Domini, nihil à bono maius nihil à malo minus perficitur*

citur Sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris & virtute Spiritus sancti.

Probatur ex definitione, Conc. Trid. sess. 7. can. 12. *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Probatur ratione, si ministri, sua virtute conferrent Baptismum, v. g. essent diuersa baptismata alia aliis meliora pro diuersitate meritorum & excellentiæ baptizantium; at vnum est baptisma, Ephes. 4. Item Apostoli nunquam appellarunt Baptismum, suum quem aliis conferebant, cum tamen appellarent Euangelium suum quod prædicabant. Rom. 16. & 2. Tim. 2. *Iuxta Euangelium meum.* Ergo in Baptismo nihil suum agnoscebant, nisi nudum ministerium. Denique æquum fuit, vt Sacramenta non penderent ab humana virtute ne homines in hominibus confidere assuescerent, cum scriptum sit. *Maledictus homo qui confidit in homine.* S. Thomas art. 5. sic concludit cum ministri Ecclesiæ instrumentaliter operentur in Sacramentis, Sacramenta conferre possunt, siue boni, siue mali: ratio suffragatur, quia instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed eius à quo mouetur. Præterea Deus non confert ob peccata potestatem iurisdictionis, vt patet 1. Petr. 2. Vbi iubet Apostolus, vt Christiani obediant Dominis suis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis, & ibidem iubet obediri Regibus aliisque magistratibus gentilium, qui infideles erant, igitur multo minus aufert potestatem ordinis. Nam si potestas auferretur ad puniendum eum, qui illam habet, magis deberet auferri potestas iurisdictionis, quàm ordinis, quia illa magis amatur, vnde & magis puniretur cui illa auferretur, & præterea magis dependet potestas iurisdictionis à probitate vitæ eius in quo est, quàm potestas ordinis. Nam magis dominantur passiones in imperando, quàm in Sacramentis administrandis, vt patet experientia. Adde quod Deus non aufert hominibus potentias naturales ad opera naturalia, ob peccata, vt notum est. Ergo nec auferre debet potestatem naturalem ad opera supernaturalia, in quibus non consistit meritum operantis. Nam non minùs Deus prouidit bono totius Ecclesiæ, quàm bono totius mundi. August. notat Iudam efficaciter baptizasse, quia non legimus rebaptizatos ab eo inundatos.

Nota probitatem, seu statum gratiæ in ministro non esse equidem necessariam ad Sacramenti validitatem, requiri tamen ad licitam & condignam ministrationem. Vnde S. Thomas art. 4. docet ministrum peccare mortaliter, si peccati mortalis conscius nulla vrgente necessitate conferat Sacramenta. Ita D. August. contra Epist. Parmeniani c. 10. *Omnia*, inquit, *Sacramenta cùm obsunt indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Ratio præcipua sumitur ex dignitate Sacramenti, quod reuerenter & non indignè tractari debet. Dixi, *nulla vrgente necessitate*, quia aliàs minister in peccato mortali existens, deberet baptizare, audire confessionem eius, qui periclitatur de vitæ, &c.

Dices contra propositionem; nemo dat quod non habet. Hæretici & impij non habent remissionem peccatorum: igitur non dant ideóque non administrant efficaciter Sacramenta. Idem dicendum de Spiritu sancto ad remissionem peccati necessario.

Respondeo ad minorem, eos non habere formaliter, habere tamen ministerialiter, quomodo famulus, qui sæpè non habet vnum obolum, tamen defert multos aureos à Domino suo ad aliquem alium. Et in rebus naturalibus & artificialibus, effectus non debet esse similis instrumento, sed causæ principali. Calor non habet formam substantialem ignis, nec dolabra formam cathedræ, & tamen eas efficiunt instrumentaliter. Ad Spiritum sanctum, Chrysost. & Cyrill. respondent intelligi potestatem remittendi peccata, potestas autem potest esse sine gratia.

Dices Sacramenta sunt solius Ecclesiæ Catholicæ quam Christus condidit. At hæretici sunt extra Ecclesiam in Synagoga Satanæ.

Respondeo Sacramenta semper esse Ecclesiæ etiamsi interdum extra Ecclesiam reperiantur, quocirca cum baptizati ab hæreticis veniunt ad Ecclesiam, agnoscendum est, quod est Ecclesiæ, id est, baptisma & retinendum, error verò corrigendus. Alioqui etiam Euangelium & alia multa bona, & vera repudianda essent, quæ interdum apud hæreticos inueniuntur.

Errarunt olim Episcopi Asiatici teste Eusebio lib. 7. cap. 6. & Africani teste Augustino lib. 2. de Baptism. cap. 7. In hoc quòd sentiere rata non esse Sacramenta, quæ ab hæreticis & schismaticis dabantur post separationem eorum ab vnitate Catholica. Agrippinus Episcopus Charthaginensis notatur antesignanus huius opinionis cui in cathedra, & hoc errore successit S. Cyprian. sic tamen, vt non propterea se ab Ecclesiæ vnitate separaret, vt patet ex epistolis ad Quintum, ad Pompeium & ad Iubaianum quocirca nunquam habitus est hæreticus. August. testatur in Epist. 48., ad Vincentium, Cyprianum reuocasse sententiam quam cum aliis Episcopis definierat. Hieron. in Dialog. contra Luciferianos permotum scribit authoritate Stephani Romani Pontificis, qui omnes rationes pro hac rebaptizatione, sola allegata consuetudine Ecclesiæ & traditione superauit. Nam cum certum sit consuetudinem vniuersæ Ecclesiæ perpetuam, non posse cùm verbo Dei pugnare, & clarior sit consuetudo ipsa quàm ipsum verbum, rectè iudicauit verbum Dei esse interpretandum ex consuetudine, & non abolendam consuetudinem ob verbum Dei obscurum & ambiguum.

Propositio tertia. *De fide est requiri intentionem in ministro faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit.* Quod antequam modo consueto probem.

Nota quid sit intentio, & quotuplex, & qualis hic requiratur vel sufficiat. Intentio est actus liber voluntaris in finem, vnde actus quo quis determinat ire Romam dicitur intentio, quia est actus voluntatis in finem. Et actus quo quis intendit conficere Sacramentum dicitur intentio, quia est actus liber in talem finem: hinc patet non esse idem intentionem & atten-

tionem; nam intentio est actus voluntatis, quo quis se determinat ad aliquid faciendum. Attentio est actus intellectus considerantis ea, quæ homo facit, siue liberè, siue coactè. Præterea intentio generatim diuiditur in actualem habitualem & virtualem.

Actualis dicitur quando quis actu habet talem intentionem, quæ quidem actualis intentio non requirit, vt dicamus corde aut ore illa formalia verba, intendo aut volo hoc facere, sed tantùm requirit, vt homo sit præsens animo & attentè faciat quod facit, ista enim dicitur intentio in actu exercito, vt loquitur Caietanus, & hæc intentio non requiritur in Sacramentis ad ipsorum validitatem, quia non est in nostra potestate, quin cogitatio nostra sæpè distrahatur etiam dum res sanctissimas agimus. Hæc intentio est perfectissima omnium, sed non est totaliter in nostra potestate, vt testatur Psalmista Psalm. 39. *Cor meum dereliquit me.* Actualis ergo est dum elicitur voluntas faciendi eo tempore quo res exteriùs fit.

Habitualis est illa qua quis ex habitu facit aliquid nulla præcedente intentione, vel si intētio præcessit, nō āplius virtualiter perseuerat in aliquo opere externo cum sit moraliter interrupta, vt si quis dormiens proferat formam consecrationis ex habitu acquisito dicitur habere intentionem habitualem, sicut etiam, ait Bonacina, qui externa die habuit intentionem baptizandi infantem quem hodie baptizat absque noua intentione, dicitur potiùs habere habitualem, quam virtualem intentionem, cum intentio elicita hesterna die fuerit interrupta per somnum, & non dicatur virtualiter perseuerare. Virtualis intentio ea est, quæ postquam actualis præcessit, & non est in præsenti propter aliquam euagationem mentis, adhuc virtualiter durat aliquo opere inchoato virtute actualis intentionis, neq; est moraliter interrupta per oppositam intentionem, aut per longam temporis moram.

Prætereа diuiditur, intentio in absolutam, & conditionatam. Absoluta est illa, qua quis intendit aliquid facere absque vlla conditione, vt si quis baptizando dicat, ego te baptizo. Conditionata est illa, qua quis intendit aliquid facere sub conditione, vt si quis baptizando dicat: Ego baptizo te, si non es baptizatus.

Ad Sacramenta requiri & sufficere intentionem virtualem est communis sententia Doctorum. Quod intentio requiratur probatur ex scriptura. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, ibi exprimitur attentio rei seu consecrationis, quæ non potest attendi quin fiat ex deliberatione, Ioan. 20. *Quorum remiseritis* Id fieri nequit nisi præcedat actus voluntatis ministri, & non determinauit Christus, vt *soluant vel ligent.* Sed relinquit in eorum arbitrio, quod planè conuincit requiri intentionem; quod autem dicitur de vno Sacramento, exigitur & in reliquis. Matth. 24. dicitur. *Quis est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam?* Vbi fidelitas, & prudentia indicant talem esse hunc seruum, vt in eius arbitrio sit facere & non facere: ad hoc enim requiritur fidelitas & prudentia. Tum ideo vocantur Præpositi. Rom. 12. Qui præest in sollicitudine. Hebr. 13. Obedite præpositis.

Probatur ex SS. Patribus.

Probatur definitione Concilij Trid. sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit in ministris dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Quod iam statuerat Florentinum. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit non perficitur Sacramentum.*

Probatur rationibus, qui agit personam ministri debet facere, secundùm institutionem Domini sui & habere eam in intentione, vt si mittam meum procuratorem, vt mihi equum emat, non tantùm debet facere actionem externam emendi, sed debet habere intentionem faciendi prout eam Dominus instituit, scilicet emendi equum mihi, non sibi. Hoc clarum est; sed conficientes Sacramenta non sunt quasi nudi internuncij litteras deferentes, sed tanquam dispensatores vicem Christi & Ecclesiæ gerentes, ex potestate sibi commissa, vt 1. Cor. 4. dicitur. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Matthæi 24. indicatur potestas ministrorum non esse simplex ministerium. *Quis est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam.* Vbi, vt notaui, arbitrium ministri requiri patet. Confirmatur, quia alioquin sequeretur legentem verba consecrationis in mensa, consecrare omnem panem mensæ, aut vinum & si parens aliquis duceret filium ad balnea, & dum puerum immergit more Christiano signaret cruce & diceret, lauo te in nomine Patris, &c Nimirum inuocans Deum, vt bene cedat illa lotio nihil cogitans de Baptismo, tunc ille puer deberet dici baptizatus, si non requiritur intentio baptizandi, sed sufficit materia & forma quomodocumque prolata. Hoc tamen ridiculum est. Ad hæc nota multis modis posse vnum hominem esse instrumentum alterius alicuius agentis. Primò secundum sola membra corporalia, vt si quis vtatur manu alterius ad aliquid capiendum, vel si cogat eum ferre onera id quod potest fieri sine vlla eius voluntate imo eo contranitente. Secundò per membra corporalia & potentias sentientes, vt si quis iubeat seruum legere aliquid, aut alicui quidpiam significare, aut excubare & respicere aliquid, & renunciare quid videat, & ad hoc non requiritur voluntas serui, nisi qua velit actum exteriorem facere. Nam etiamsi non intendat legere significanter, tamen si velit ea proferre, satisfacit muneri suo: quia non vtitur Dominus pro instrumento nisi eius lingua, oculis, &c. Tertiò per membra corporalia potentias, sentientes & etiam rationem, vt cum Rex constituit præsides & iudices in vrbibus, qui nomine suo ius dicant & gubernent populos: in huiusmodi non solùm corpus & sensus, sed etiam prudentia & voluntas sunt instrumenta, non enim Rex determinat actiones particulares, sed relinquit in arbitrio instrumenti. Quare in talibus requiritur necessariò non solùm potestas, sed etiam voluntas & proinde intentio exercendi actiones. Nec verè est absolutus quem iudex absoluit sine intentione, licet exteriùs videatur absolutus, Ministros autem Sacramentorum

totum esse huius tertij generis, patet ex scriptura citata.

Secunda ratio, ad conficienda Sacramenta requiritur intentio, quæ determinet actionem ad esse sacramentale, & tollat indifferentiam verborum & actionum; nam baptizare, v. g. est tingere aquis, tingit autem qui lauat sordes corporis, qui refrigerat, qui lauando medetur, &c. At nihil fingi potest quo determinetur hæc formæ indifferentia, nisi intentio ministri, qui illa verba profert & cuius est tota actio. Ergo, &c. Talis autem est intentio faciendi Sacramentum, aut quod intendit Ecclesia, ita S. Thom. quæst. 64. art. 10 Et pene omnes summistæ. Dices forsan determinari ab intentione suscipientis; at falsum est; nam hic agimus de actione ministri, non de actione suscipientis, non potest autem actio vnius determinari ab actione alterius. Præterea quid fieret cum baptizantur, qui nihil intendere possunt, vt infantes? Num respondebis determinari ab institutione Christi? Sed contra; nam si id faceret, vt verba illa id significarent, modo proferantur exteriùs sine vllo ordine ad intentionem dicentis, quare non esset verum Sacramentum si à Psittaco proferrentur.

Adde quod magnum est discrimen inter verba speculatiua & practica, illa totam suam efficaciam habent in significando, à quocumque dicantur eandem vim habent, idem enim significant verba siue dicantur ab homine sobrio, vel ebrio, vel Psittaco, vel ab asina Balaam, modo non sit ambigua significatio, quia tunc intentio dicentis ea determinare debet. At verba practica, quæ præter significationem habent efficientiam, non sunt efficacia nisi ab eo qui habet potestatem & voluntatem faciendi quod verba significant. Id patet inductione; nam imperia Regum & Iudicum sunt efficacia non imperia priuatorum. Similiter qui habent donum miraculorum efficaciter imperant morbis, & dæmonibus non autem alij, licet iisdem vtantur verbis. Et ratio est, quia cùm verba per se & naturaliter non sint operatiua, necesse est, vt tunc solùm sint efficacia, cum ab eo dicuntur, qui habet potestatem. Idem de voluntate probari potest; nam potestas nunquam exit in actum nisi velit qui eam habet. Quare de potestate prophetandi dicit Paulus 1. Cor. 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt.* Et idem patet experientia; nam si Rex sine intentione, vt somniando, iubeat aliquem occidi, imperium non solet mandari exequutioni, quia non constat an velit, licet possit illud Rex iubere. Sed constat verba Sacramentorum esse verba practica, cum sint instrumenta iustificationis; ergo requirunt potestatem & voluntatem ac proinde intentionem.

Si quis obiiciat verba Sacramentorum habere in se virtutem operatiuam ex Christi institutione, proinde efficaciam eorum non pendere ab intentione, vel potestate ministri. Responderi potest, esse in ministro virtutem operatiuam efficienter & instrumentaliter, vt est in Sacramento, sicque virtus Sacramenti esset dependens à ministro tunc enim solùm illa verba habent virtutem, dum coniunguntur cum virtute, quæ est in ministro, ita Sotus in 4. dist. 1. quæst. 5. Caiet. Ledesma. Alij tamen sentiunt ministrum non habere in se vim vllam efficientem respectu iustificationis, sed solùm eam esse in Sacramento: ministrum autem solùm concurrere applicando Sacramenta, quomodo qui plantat & qui rigat (quibus, 1. Cor. 1. comparantur ministri Ecclesiæ) non producunt efficienter & physicè fructus arborum, sed applicant agentia. Ita videtur sentire S. Thom. art. 1. ad primum dum ait. *Sacerdotes illuminare populum non quidem gratiam infundendo, sed Sacramenta gratiæ tradendo.* Neque inferri debet; ergo ministri secundùm hanc sententiam non verè & propriè consecrant, absoluunt, lauant, reconciliant, &c. Nam hoc interest inter agentia voluntaria & res cæteras, quod res cæteræ non dicuntur propriè agere, quando solùm applicant agentia, non enim propriè dicitur felis incendisse domum si ignem applicuit, sed dicitur domus illa casu combusta. At agentia voluntaria quando de industria applicant agentia, dicuntur propriissimè agere. Nam & medicus propriè curat ægrotum cum adhibet medicinam salutarem; & propriè occidit cum de industria propinat venenum.

Et secundùm hanc sententiam dicendum est verba sacramentalia non habere virtutem, & proinde non esse sacramentalia, nisi quando mouentur à Deo, vt instrumenta; non autem mouentur à Deo, vt instrumenta nisi quando pronunciantur ab eo cui ipse commisit, quare semper verba pendent aliquo modo à ministri potestate & voluntate.

Dices si ab intentione ministri pendet efficacia Sacramenti, nemo potest esse certus se accepisse verum Sacramentum, aut effectum eius, perit ergo consolatio spiritualis, quia nemo potest esse certus de intentione ministri: adde quod Chrysost. homil. 85. in Ioan. ait. *Sacerdos linguam & manus prabet, neque enim iustum est propter alterius malitiam, ad salutem nostram accedentes offendi.* Tum nimis durum videtur vt salus nostra sit in arbitrio impij ministri.

Respondeo hominem non debere quærere in hac vita infallibilem certitudinem de salute sua vel iustificatione, qualis est certitudo fidei diuinæ, hæc enim non conuenit statui, de quo Paul. Philip. 2. ait. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Sufficiat certitudo moralis & æquum iudicium quod debemus facere de legitima ministrorum intentione, illis facillima, nec dubitandum est, nisi aliquo signo exteriori id prodant. Ad Chrysost. Resp. illum concludere de probitate non requisita, non autem de intentione, neque durum id videri debet, alioquin & durum erit quod Deus reliquerit vitas innocentium in manu tyrannorum.

Dices quando princeps transigit contractum aliquem per ministrum, non requiritur intentio ministri ad valorem contractus, sed satis est, vt ipse internam actionem exequatur iussu sui principis, v. g. princeps per famulum suum mihi mittit dono equum, non est necesse, vt is habeat voluntatem donandi equum, sufficit, vt equum tradat. Ergo idem dicendum de ministro.

Respondeo duobus modis fieri posse, vt princeps faciat aliquod negotium per ministrum, primò; vt is sit tantùm internuncius

qui referat voluntatem eius, secundò, vt accipiat tractandi & transigendi negotium, potestatem pro suo arbitrio, nomine principis, priore modo intentio non requiritur, sed secundò, quo dixi Sacerdotem esse ministrum, qui dicitur dispensator, 1. Cor. 4.

DIces Athanasius adhuc puer baptizauit per iocum, ratum autem hunc Baptismum habuit Patriarcha Alexandrinus, vt refert Ruffin. lib. 1. histor. cap. 14. Gentiles ipsi baptizarunt vnum ex suis, vt riderent Christianos. Ado Treuirensis Genesium vocat, qui coram Diocletiano finxit se velle Baptismum.

Respondeo ex Hugone Victorino duobus modis posse per iocum conferri Sacramenta, vno modo, vt qui ludunt intendāt verè conficere ea, sed tamen habeant propositam sibi recreationem tanquam finem externum illius actionis, sicut si Sacerdos verè intendat absoluere pœnitentem, sed ob finem lucrandi pecuniam, hic ludus non impedit veritatem Sacramenti, quia extrinsecus est actioni sacramentali. Secundò, vt is qui confert ludendo non intendat conferre Sacramentum, sed iocari & illudere, quomodo qui Christo illudentes dicebant. *Aue Rex Iudaeorum*, non intendebant eum Regem facere aut cognoscere, sed ei illudere: Hic ludus impedit veritatem Sacramenti, quia hic iocus est intrinsecus actioni. Athanasij ludus notatur prioris generis, quia voluit baptizare tametsi iocando. Alter cum accersitus fuit presbyter mutauit voluntatem & subitò conuersus respondit se petere gratiam Dei, quare etsi Diocletianus crederet fictionem durare verè, tamen sublata fuit, sicque verus fuit Baptismus.

Quod intentio virtualis sufficiat, est communis sententia; nam si actualis esset necessaria Deus obligasset nos ad impossibile, adeò enim lubrica est mens hominis, vt cogitationem in vna re diu tenere nequeat, sicque anxij & pleni scrupulis essent omnes. Hinc sequitur sufficere si minister proposuit actu baptizare, consecrare, absoluere, & ex vi huius propositionis humano more se applicet ad agendum, licèt postea in ipsa actione distrahatur, nec cogitet quid faciat. Hic satis est, vt Sacerdos dum paramenta induit habeat animum consecrandi hostias ad id allatas, & ad hoc coram se positas, licet tempore consecrationis non recordetur nisi illius quam præ manibus habet. Ita Mercantius in Candelabro & summistæ quos consule.

Dubium superest an requiratur intentio faciendi quòd facit Ecclesia Romana.

Respondeo quod non, esto illa sola sit vera Ecclesia, sed sufficit intendere quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani: ista enim in idem recidunt; intendere autem quod Christus instituit, & materialiter intendere quod intendit Ecclesia Romana.

Instabis, quid si minister intendat facere quod facit Ecclesia aliqua particularis & falsa, quam ipse putat veram, vt Genuensis, & intendat non facere quod facit Romana.

Respondeo id etiam sufficere; nam qui intendit, quod Geneuensis Ecclesia, intendit quod facit Ecclesia vniuersalis. Ideo enim illa intendit facere quod facit talis Ecclesia, quia putat illam esse membrum Ecclesiæ vniuersalis, licet fallatur in cognitione veræ Ecclesiæ; non tollit autem efficaciam Sacramenti error ministri circa Ecclesiam, sed defectus intentionis. Atque hinc est quod in Ecclesia Catholica non baptizantur baptizati à Geneuensibus, qui tamen dum baptizant intendunt facere quod facit Ecclesia Geneuensis, & non quòd facit Romana. Adde quod cum Ecclesia vera Romana, & falsa Geneuensis, non dissentiant quoad substantiam Baptismi, sed solùm quoad accidentarias ceremonias, si Catholicus quis intenderet baptizare quomodo ministrant Geneuenses, conferret verum Sacramentum quamuis peccaret, ita Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 27.

QVÆSTIO VIII.

An requiratur intentio in suscipiente.

DIfferentia est inter paruulos & adultos, quo ad valorem Sacramenti, quià paruulus non est capax propriæ intentionis, sufficit illi intentio Christi & Ecclesiæ. Adultus autem debet propriam elicere, seu virtualem, seu habitualem, ita S. Thomas, quæst. 68. art. 7. Qui licet de Baptismo loquatur, tamen de aliis intelligendum paritas suadet rationis.

Propositio affirmatiua probatur ex scriptura, Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*, vult Christus, vt doctrina præcedat Baptismum, quod tamen non esset necessarium, si nulla in adultis requireretur dispositio pro receptione Baptismi. Ergo sicut fides voluntariè recipienda est, ita Baptismus, Rom. 6. *Consepulti sumus Christo per Baptismum, vt quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Et ideo sicut in habente vsum liberi arbitrij requiritur voluntas qua eum pœniteat veteris vitæ, ita requiritur voluntas, quæ intendat vitæ nouitatem, cuius principium est ipsa susceptio Sacramenti. Et ideo ex parte baptizati seu suscipientis Sacramentum requiritur voluntas, siue intentio suscipiendi Sacramentū.

Probatur ex SS. Patribus.

Ionoc. III. *c. Maiores*, de Bapt. ait, *ille qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec caracterem Sacramenti suscipit.*

Probatur ex Conc. Chartag. 3. c. 34. qui dicit habitualem intentionem dicere. *Vt ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum est.*

Hinc patet ait Bonacina validè administrari Sacramenta existenti in articulo mortis si catholicè vixit, sic enim censetur implicitè petiisse Sacramenta, quæ conferri consueuerunt in articulo mortis. Idem dicendum de illis qui actum contritionis elicuerunt.

Probatur ratione, quia qui non intendit & non consentit censetur virtualiter contradicere; cum omnis homo, ita censeatur virtualiter dispositus & affectus, vt nolit in rebus magni momenti implicari sine propria voluntate. Tum, quia non decuit Christianos inuitos imbui Samentis, adde quod sicut voluntariè peccatur, ita voluntariè suscipienda sunt antidota peccati, contrariorum enim contraria est consequentia. Tum certum est in Pœnitentia & Matrimonio, ita

ita exigi consensum, vt sine eo nihil fiat, imò & consummatum matrimonium dissoluatur, si pars coacta reclamet. Hinc sequitur 1. eum qui recipit Eucharistiam ad expellendam dumtaxat famem, aut qui recipit hostiam nesciens esse cõse cratam, non recipere fructum Sacramenti; quia non habet intentionem recipiendi Sacramentũ. 2. eum inualidè recipere qui omninò inuitus Sacramentum recipit; secùs verò si voluntariè mixtè, vt per metum grauem aut leuem. Sic Suarez, & alij 3. eum non recipere Sacramentum, qui habuit voluntatem nunquam recipiendi Sacramenta, & postea suscipit ea in amentia, antequã aliquo modo reuocauerit dictam voluntatem. 4 & ille inualidè suscipit, qui nulla vnquam ratione Sacramentum petiit.

ARTICVLI XV.

Atque ad salutem humani generis licet non omnia singulis necessaria.



FINEM proponit pars hæc Articuli propter quem introducta seu à Christo instituta fuisse Sacramenta credere debet Catholicus, salutem scilicet humani generis; sicut enim Verbum Patris, *propter nos, & propter nostram salutem descendit de cœlis*, vt expressum habetur in Symbolo, ibique exposuimus, ita quicquid in terris operatum est, ad eandem salutem retulit, & præcipuè quicquid ei plurimum confert. Quid autem videri potest plus conducere quam gratia Dei, peccatorúmque remissio? quorum signum & causa asseruntur Sacramenta ex propria definitione, quod vt plenius intelligatur, finem & necessitatem eorum discutio.

QVÆSTIO IX.

De fine & necessitate Sacramentorum.

DEum optimum maximum operatum omnia propter semetipsum declarat Scriptura ipse enim principium & finis, alpha & omega agnoscitur omnium, hinc Christus omnia sua ad Patris gloriam dirigebat consequenter & ad salutem hominum, quos saluos omnes fieri vult, voluntate vt dicunt Theologi antecedente.

Primarius ergo finis Sacramentorum sine dubio est cultus Dei, vnde Sanctus Augustinus lib 19. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen religionis*, inquit, *seu verum seu falsum coagulari possunt homines, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Colitur autem Deus Sacramentis tripliciter.

Primò, quatenus conueniens iis habetur honor & veneratio, velut instrumentis, quibus vtitur ad producendam gratiam.

Secundò, quatenus iis vtentes, magis magisque iustificamur & disponimur ad ei purè seruiendum.

Tertiò, quatenus illorum vsu omnipotentem esse profitemur, qui res ex materia concretas & naturali conditione viles ad tantum opus possit assumere.

Secundarius est vtilitas & salus hominum. Probatur ex Scriptura Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant & abundantiùs habeant.* Conuincunt verba institutoria cuiuslibet Sacramenti, quæ gratiam aut remissionem peccatorum exprimunt.

Probatur ex Sanctis Patribus, qui multas afferunt rationes, tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, tum ex parte Sacramentorum ipsorum cur vtile fuerit Sacramenta, id est sensibilia signa instituere ad iustificandos homines.

Prima est Augustini lib. 2. ciuit. cap. 5. Deum nihil malle quàm vt glorificatus benè nobis faciat, & si quid sibi offerri vult, non tanquam suis vsibus necessarium, & quasi eo indigeat exigere, sed vt acceptum & consecratum nobis idem restituat. *Non solùm*, inquit, *pecore vel qualibet alia re sensibili atque terrena, sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deum egere credendum est, totúmque quod rectè colitur Deus, homini prodesse non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse: si biberit, aut luci si viderit.*

Secundam & ipse supra dedit vt essent notæ quædam & symbola Religionis, vt per sensibilia Sacramenta fideles primò distinguerentur ab infidelibus. Secundò, ipsi fideles inter se sancto quodam vinculo connecterentur. Illi enim qui vtuntur his Sacramentis intelliguntur esse fideles, qui non vtuntur infideles: & sic fideles ab infidelibus distinguuntur. Similiter quod omnes fideles eisdem vtantur Sacramentis, habet vim colligendi illos in hac vnitate participationis Sacramentorum, vnde vnionis inter fideles causa sunt.

Tertiam profert Chrysostom. homil. 6. ad populum & 33. in Matth. *In Baptismate per rem sensibilem aquam donum tibi confertur, intelligibile vero quod perficitur generatio & renouatio est, si enim incorporeus esses nuda & incorporea dedisset tibi dona, sed quoniam anima corpori inserta est in sensibilibus intelligibilia tibi prabet.* quasi dicat Angeli qui toti spiritus sunt, non egent sensibilibus & exterioribus illis symbolis, sed voluit Deus se accommodare naturæ tuæ, vt sublimia illa dona, per exteriora ista symbola melius intelligeres. Attende in singulis, vt quid adhibetur symbolum externum: ablutio verbi gratia, aut immersio in Baptismo, nisi vt cogites inuisibilem animæ lotionem. Vnctio in Confirmatione aut Extrema vnctione, nisi vt consideres interiorem animæ per Spiritus-Sancti gratiam vnctionem? Quid aliud significat absolutio sacramentalis, quam dissolui vincula peccatorum, quibus anima tenetur rea pœnarum æternarum? Quid communio, quam pacem & incorporationem cum Christo & membris eius? Quid Confirmatio in fronte, qui locus est pudoris, quàm audaciam & constantiam, quam habere debemus ad profitendam fidem vsque ad mortem?

Quartam dat Ambrosius, vt non solùm detur homini cognitio eorum quæ occulta Dei virtute in hominibus perficiuntur, sed etiam vt illa tanquam remedia atque Euangelici Samaritani medicamenta ad animarum sanitatem

vel recuperandam vel tuendam præstò essent, quæ ex Christi sanguine vim habent ad vulnera sananda, iis enim fructus Passionis nobis applicantur.

Quinta huic annectitur causa, vt fideles faciant actum fidei exteriorem per Sacramenta. cùm enim fides non tantum debebat esse in corde, sed etiam in ore conueniens fuit, vt populo fidei darentur aliqua signa per quæ fidem interiorem exterius significarent: talia autem sunt Sacramenta. Cum enim quis suscipit Baptismum, palam testatur quod sacramentali ablutione credit se obtinere spiritualem animæ purgationem, quod est facere actum fidei exteriorem.

Catechismus Romanus sextam addit, vt per Sacramenta inter fideles charitas accendatur & inflammetur: cum enim omnes fideles communicent iisdem Sacramentis: & per hanc communionem arctissimo vinculo ita colligentur, vt vnius corporis & sub vno capite membra fiant: per hanc colligationem debet fieri amor & vnio similis illi quem membra eiusdem corporis inter se habent.

Hugo Victor. lib. 4. de Sacrament part. 9. & S. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 56. alias afferunt institutionis huius causas, hanc seligo, scilicet, vt clarius appareret gratiam quæ datur per Sacramenta à solo Deo esse. Si enim daretur per actiones aliquas spirituales suspicari potuissent homines, vi propria illius actionis iustificari peccatores, nunc autem cùm per res corporales & abjectas detur tam excellens & dispar donum, nullus relinquitur locus eius suspicionis. Qua etiam de causa Christus Ioan. 9. cæcum illuminauit sputo & luto, non aliquo pretioso collyrio.

Addo septimam: vt Sacramenta superbiam mentis humanæ comprimant & edoment. In iis enim subiicitur homo sensibilibus elementis, vt Deo obediat, & ideò sicut per corporalia defecerat à Deo superbiendo, ita decebat, vt humiliando se per illa ad Deum rediret: admirabilis, hic vtique elucet Dei sapientia, dum sensibilia & vilia elegit elementa, vt opus nostræ redemptionis, iustificationis, glorificationis operetur. dicit Paul. 1. Corinth. 1. *Quia in Dei sapientia mundus non cognouit Deum, placuit per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, prædicando scilicet crucis Mysterium Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam.* Similiter & nos dicimus per opera Dei magnifica homo non cognouit Deum, elegit egena elementa, quibus salutem nostram operetur, & quibus subdatur homo, vt ab eis salutem exposcat, vtque sub illis homo superbus se humiliet. An non vides quotidie in Sacramento Pœnitentes Reges, Imperatores, ipsúmque Papam denudato capite ad pedes Sacerdotis aduolui, & sententiam absolutionis petere, num guttula aquæ & olei consecrati diabolicas superat potestates, & hominem ex se contra ipsos infirmum victorem & inexpugnabilem reddit, qui antea dæmonis præda & ludibrium erat. Sic per Sacramentorum elementa dæmon ipse & homo humiliantur.

Necessitas Sacramentorum ex præfatis satis innuitur non esse absolutam, sed ad bene esse: vt autem doctrina hæc plenius intelligatur.

Nota necessarium dupliciter dici, primò absolutè, & ex natura rei, quo prætermisso salus non potest obtineri, neque per absolutam Dei potentiam. Secundò ex suppositione, id est supposita Christi institutione.

Rursus necessarium ex suppositione duplex est. Primum dicitur necessarium necessitate medij. Secundum dicitur necessitate præcepti: primum est quo prætermisso etiamsi ex obliuione aut ignorantia prætermittatur salus, non obtinetur iuxta legem Dei ordinariam. Necessarium necessitate præcepti dicitur illud quod opportunitate oblata necessariò præstandum est ad salutem obtinendam, nisi fortè prætermittatur ex ignorantia inuincibili, vel impotentia, vel obliuione. nam quod sic prætermittitur, non imputatur ad culpam, consequenter non impedit gloriæ consecutionem, modo necessarium sit tantummodo necessitate præcepti: his positis, patet Sacramenta non esse absolutè, & ex natura rei necessaria ad salutem. Ratio est, quia virtus Dei non est alligata Sacramentis: Deus enim liberè ea instituit, & potuisset alia media ad nostram salutem instituere, nósque sine Sacramentis iustificare & glorificare. Ita Doctores, neque de hoc vlla controuersia est. Sicut nec de Propositione, quod *Omnia Sacramenta necessaria sunt necessitate præcepti, licet non singulis.*

Propositio. *Supposita Christi institutione Sacramenta sunt necessaria, Baptismus & Pœnitentia necessitate medij simpliciter, Baptismus quidem omnibus. Pœnitentia iis qui post Baptismum mortaliter peccauerunt.*

Probatur ex Scriptura Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto non potest intrare in regnum Dei.* Luc 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.*

Eucharistia, Confirmatio, Extrema-vnctio necessaria sunt necessitate præcepti ad benè esse. Verba institutionis eorum hoc satis indicant, imò & rationes à Sanctis Patribus depromptæ idem innuunt.

Probatur ex Concilio Tridentino sess. 7. Canon. 4. Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua & sine eis aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci; licet non omnia singulis necessaria non sint, anathema sit. Aduersarij fatentur quidem Sacramenta esse necessaria quia præcepta, & etiam necessaria vt media vtilia: non tamen agnoscunt vllum Sacramentum simpliciter necessarium vt medium. Ratio eorum est; quia cum fides sola iustificet, Sacramenta solùm adhibentur, vt fidem excitent aut nutriant. Atqui sine Sacramentis per solum verbum potest fides gigni, nutriri, augeri, non ergo simpliciter necessaria sunt Sacramenta.

Ordinis Sacramentum necessarium est Ecclesiæ; *quia vbi non est gubernator*, ait Sap. Prouerb. 11. *populus corruet.* Matrimonium Ecclesiæ multitudinem per propagationem corporalem conseruat, sicque vt ad commune bonum ordinatur, est necessarium. Eucharistia vero necessaria est ad perficiendum hominem spiritualiter, vt docet Dionys. cap. 3. Eccles. Hierarch. *Non contingit aliquem perfici perfectione hierarchica, nisi per diuinissimam Eucharistiam.*

ARTICVLI XV.

ILLAQVE GRATIAM CONFERRE.

QVÆSTIO X.

De effectibus Sacramentorum Gratia & charactere.

NOMEN & definitio ipsa Sacramenti effectus eius aperiunt, crediderim enim sic dictum, quia sacram mentem faciat, quod sine gratia non fit. Definitio exprimit *iustitiæ significandæ & efficiendæ illud habere vim*, quod & finis institutionis iam declarauit.

Duplex itaque notatur effectus Sacramentorum, Primarius & Secundarius. Primarius est gratia habitualis, quæ est qualitas supernaturalis; qua homo formaliter iustificatur. Nomine verò secundarij effectus hoc loco intelligo caractérem, seu signaculum aliquod animæ per actionem Sacramenti impressum, quod deleri nunquam potest, eique perpetuò adhæret. quo fit, vt ea quæ imprimunt non sint iteranda.

Nota primò, principalem quæstionem in doctrina de Sacramentis hanc esse de efficacia eorum, quia modus causationis plerumque quæritur & vix intelligitur ob quæstiones inuolutas & agitatas inter Doctores scholasticos. verbi gratia, An Sacramenta sint causæ phisicè attingentes productionem gratiæ; an moraliter tantum; & si physicè. An per aliquam qualitatem inhærentem, an per solam Dei motionem, sed ista non pertinent ad fidem, nec ad expositionem partis Articuli nostri: sed solum generatim. An Sacramenta sint veræ & propriæ causæ instrumentales iustificationis vt verè ex eo quod quis suscipit aliquod Sacramentum gratiam suscipiat aut augmentum eius. Et in hoc conueniunt omnes Catholici, idque sufficit ad fidem & ad legitimum vsum Sacramentorum; quomodo in miraculis Christi non requirebatur, vt qui curandi essent, scirent in quo genere causæ fimbria Christi vel vox eius sanaret, satis erat si scirent & crederent tactum illius fimbriæ vel imperium eius afferre sanitatem & facere opus insuetum. Neque opus erat vt ipsi Apostoli qui manus imponendo curabant, scirent quomodo id fieret. Ita quoque non est necesse vt conferentes aut suscipientes Sacramenta, sciant, quomodo hæc sint causa iustificationis.

Adde quod hoc est commune multis Mysteriis fidei, vt tantùm habeamus ex Scripturis esse aliquid, & tamen ignoremus modum, vt Deum esse trinum & vnum, Christum esse Deum & hominem resurgere, corpora eadem numero, Christum totum esse in Eucharistia, &c.

Ita quoque in hac re satis est probari ex fide Scripturarum Sacramenta esse causas gratiæ: quomodo id fiat difficillimum est intelligere, ne dum explicare. Neque id mirum est, nam si de rebus naturalibus, quas Deus fecit quanquam sub sensum cadunt, non potest homo reddere rationem, vt ait Salomon Eccles. 8. quantò magis exacta ratio reddi non poterit de rebus supernaturalibus. Disputant tamen Scholastici de iis rebus non inutiliter, vt ostendant variis modis posse defendi id quod fides docet, & probabiliter multa dicunt, cæterùm ea ad fidem non pertinent.

Nota secundò, gratiam dupliciter conferri posse. Primò, ex opere operantis, quod idem est, atque conferri intuitu meriti vel dispositionis, vel conficientis, vel suscipientis. Secundò, ex opere operato gratiam conferri est produci vi ipsius operis, id est facti, prout iuxta institutionem diuinam factum est, id est citra meritum conferentis aut suscipientis, ex ipsa efficacia rei, modo non ponatur obex his positis.

PROPOSITIO CATHOLICA. & de Fide.

OMnia Sacramenta nouæ Legis conferunt gratiam ex opere operato. Probatur ex Scriptura.

De Baptismo ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Nemo autem saluus fieri potest sine receptione gratiæ. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto, &c.* quibus regeneratio spiritualis quæ per gratiam fit, tribuitur aquæ Baptismali tanquam causæ & aliis pluribus locis Marc. vlt.

De Pœnitentia Ioan. 10. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: quibus significatur, (vt declarat Concil. Trident. Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ per absolutionem verè peccata remittere, ac proinde gratiam conferre.

De Eucharistia Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*, vita scilicet gratiæ.

De Confirmatione Act. 8. *Cùm vidisset Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus-Sanctus.*

De Ordine 2. Timoth. 1. *Admoneo te vt resuscites gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

De Extrema-vnctione Iacob. 5. *Vngentes oleo, & si in peccatis sit remittentur ei.*

De Matrimonio Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*, quod sine gratia nequaquam esset.

Probatur ex Sanctis Patribus Iustino in Apologia ad Antonium. *Remissionem ante commissorum*

missorum consequimur in aqua. Clemens Alexandrinus libro 2. pedagog. cap. 6. *Multis modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum & lauacrum: lauacrum quidem per quod peccata abstergimus, gratia autem qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur, illuminatio autem per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur, perfectum, autem dicimus cui nihil deest. Quid enim ei desit qui Deum nouit.* Gregorius Nyssenus in libro de Baptismo. *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renouationis & regenerationis causa.* Ambrosius libro 2. de pœnitentia cap. 2. *Impossibile videbatur vt peccatum ablueret aqua. Et Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit: sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile, qui tantam nobis donauit gratiam.* Chrysostomus homilia 60 ad populum. *Deus per visibilia signa inuisibilem largitur virtutem.* Augustinus libro 19. contra Faustum cap. 11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimū, & ideò contempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.* Leone Papa in serm. 4. de natali Domini. *Omni homini renascenti aqua Baptismatis instar est vteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem qui repleuit & virginem, vt peccatum quod ibi vacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.* & serm. 5. *Originem quam sumpsit in vtero Virginis, posuit in fonte Baptismatis, dedit Aquæ quod dedit matri, virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus-Sancti quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, eadem fecit vt vnda regeneret credentem.*

Probatur Conciliis Constantinop. 1. in Symbolo. *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.* Arausiceno 11. can. 25. *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo adiuuante & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint adimplere.* Florentino in Armenorum instructione, & Tridentino canon. 6. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus anathema sit.* & canon. 7 *Semper dari gratiam*, & canon. 8. *Ex opere operato gratiam & non fidem solam dari docet.*

Probatur Ratione, si Sacramenta solum operarentur significando nihil interesset inter nostra & veteris Legis; nam illa etiam significabant Christi gratiam & remissionem peccatorum & excitare poterant fidem.

Ad hæc Nota duplicia esse verba & signa. Quædam enim sunt non ad alium finem instituta, quam ad significandum, quæ quidem theorica signa dici possunt. Quædam instituta sunt ad significandum & efficiendum aliquid, quæ ob id practica dici possunt; differunt autem quod priora nihil immediatè & vi sua operentur, sed solùm repræsentant obiectum, & si fortè sequitur effectus aliquis, non sequitur ex vi illius signi, sed aliunde. Posteriora immediatè operantur, & sua quadam virtute, verbi gratia, signum hospitij non mouet immediatè ad currendum ad illud, sed apprehensio rerum quibus indigemus quas illud signum repræsentat, proinde signum illud non est practicum. Practicum vocamus illud, quod præter significationem, habet efficientiam, quomodo sigillum est verè signum practicum; quia non tantùm repræsentat imaginem, sed etiam imprimit in cera.

Cognoscuntur autem hæc varia signa ex alio discrimine. Nam verba & signa theorica non adhibentur nisi intelligentibus: cum enim non operentur, nisi repræsentando aliquid menti, stultum esset ea adhibere vbi non est vsus mentis. At signa & verba practica possunt adhiberi etiam rebus inanimis, & non modo non intelligentibus, sed ne sentientibus quidem, quomodo Iosue 10 imperauit Soli & Lunæ, Dominus imperauit mari & ventis Matth. 8. mortuis. Ioan. 11. & Petrus dixit Act. 9. *Thabita surge.* Et Moses Exod. 17. Percussit petram vt daret aquas, & Dominus misit digitos in auriculam surdi & muti & tetigit linguam eius vt curaret eum.

Nouatores faciunt Sacramenta signa theorica, dum affirmant ea non iustificare nisi excitando in nobis fidem. Catholici asserunt esse signa practica.

Probatur. Sacramenta rectè adhibentur non intelligentibus, nam ritè baptizantur surdi, amentes, pueri, dormientes. Adde quod Concilium Carthaginense quartum can. 76. Arausic. 1. can. 12. August. lib. de adulterinis coniugiis cap. 26. & 28. & Leo Epistola 91. ad Theodorum docent Sacramenta Baptismi & Absolutionis posse conferri etiam iis qui in periculo vitæ sunt, licet vi morbi oppressi non habeant vsum rationis vel sensuum, modo constet eos antea desiderasse eiusmodi Sacramenta. Ergo sunt signa practica & verè iustificant, non excitando fidem more concionis, sed immediatè efficiendo sanctitatem, istis enim ineptissimè fieret concio aut signa adhiberentur ad excitandam fidem, qui nec iudicare, aut percipere possunt.

Præterea. Sacramenta instituta sunt, vt nos reddant certos remissionis peccatorum & gratiæ Dei. Ergo non solùm operantur objectiuè repræsentando more concionis, sed efficiendo re ipsa quod significant Antec. admittitur ab Aduersariis, & Catholici docent gigni in nobis moralem quandam certitudinem remissionis peccatorum ex Sacramentis, non tamen in allibilem. Tametsi enim Sacramenta ex se infallibiliter efficacia sint, tamen potest fieri, vt in nobis non sint efficacia ob nostram indispositionem. Probatur consequentia. nam si operantur tantùm significando & excitando fidem, nullam afferent certitudinem, penderet enim Sacramentum tunc, à nostra fide & non ab institutione Christi, quod est tollere veram certitudinem efficaciæ Sacramenti, nec dicas ea infallibiliter afferre certitudinem; quia infallibiliter excitent fidem quæ infallibiliter iustificat, si quidem experimento contrarium didicimus. Quot enim sunt qui baptizantur & tamen non credunt? & si concio quæ teste ipso Luthero in lib. contra Cochlæum efficacior est Sacramentis, non excitat fidem infallibiliter, vt experimur: quanto minus Sacramenta infallibiliter fidem excitabunt? Ergo si vllam certitudinem Sacramenta afferunt, id est,

quia

quia ex opere operato efficiunt quod significant.

Quartam adiungo. Dum Minister baptizat, ac dicit. *Ego te baptizo*, non vult dicere ego te abluo à peccatis, sed vt Luther. & Caluin. 4. instit. cap. 15. § 15. exponunt. Ego testificor tibi remitti tua peccata, porrò hæc testificatio non prodest ei qui baptizatur, nisi quia interim cogitat & credit Deum sibi esse propitium per Christum, vt ipsimet fatentur. Possunt autem omnes qui adsunt idem cogitare & credere, si quidem promissio est communis, & quod vni dicitur omnibus conuenit. Non enim ideò illi qui baptizatur Deus est propitius; quia baptizatur (ex Lutheranorum sententia) sed ideo vera est testificatio Baptismi; quia Deus est illi propitius, modo per fidem apprehendat hanc Dei beneuolentiam.

Dices, *Iustus ex fide viuit*. Abacuc. 2. Roman. 1. Hebr. 10. non dicit Scriptura ex Sacramentis; ergo Sacramenta non iustificant, nisi excitando fidem. Confirmatur ex similibus, vt Rom. 4. & 10. *Corde creditur ad iustitiam*. Non addit Paulus & corpore suscipitur Sacramentum.

Respondeo, non dici, sola, proinde relinquitur suus locus Sacramentis, alioquin non solùm Sacramenta, sed etiam Deus & Christi meritum & alia excluderentur, quæ neque Lutherani ipsi excludi volunt: non enim dicit Scriptura Iustus ex Deo viuit, aut ex Christi merito. Adde quod si Scriptura non dicit his verbis, ex Sacramentis iustum viuere, tamen dicit aliis verbis, nam cum ait hominem regenerari per Baptismum Ioan. 3. & ad Tit. 3. Nonne dicit Baptismum dare vitam?

Instabis ex Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Ibi tota vis Baptismi tribuitur verbo, verbum autem operatur excitando fidem; nam *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Rom. 10.

Respondeo, per verbum vitæ non intelligi concionem, cuius effectus est fides, sed formam Sacramenti, id est verbum consecratorium & practicum, non concionale.

Dices ex Marc. vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur*; vnde sic efficitur argumentum. Qui credit & baptizatur saluus est, qui non credit damnatur, etiamsi baptizaretur. Ergo non Baptismus, sed Fides saluat.

Respondeo ex illo antecedente solùm colligi posse; ergo non solus Baptismus saluat, non autem; Ergo Baptismus non saluat, alioquin ex eo quod 1. Corinth. 13. Paulus dicit fidem nihil prodesse sine charitate, possemus colligere, Ergo fides nihil prodest.

Dices ex Tertulliano in libr. de Pœnitent. Basilio libr. 3. de Spiritu-Sancto capit. 12. Baptismum vocari fidei obsignationem.

Respondeo, vocari sigillum fidei, non quia excitet fidem, sed quia per Baptismum testatur is qui baptizatur, se credere, & etiam Ecclesia baptizans dat illi publicum testimonium ipsius fidei, sed quanquam Patres id verè tribuant Baptismo, non tamen negare habere etiam alios effectus præstantiores, quos & asserunt.

Dices, in omni Sacramento requiritur verbum promissionis: at vbi est promissio, ibi necessariò exigitur fides, quæ promissionem accipiat; ergo fides est quæ immediatè operatur & iustificat. Confirm. quia multi per fidem saluantur sine Sacramento, vt qui non habent à quo baptizentur: & contra, qui Sacramentum habent sine fide, damnantur. Igitur in Sacramento fides est quæ iustificat, non Sacramentum.

Respondeo, promissionis verbum requiri quidem in institutione, non autem in vsu; nam qui baptizant, verbi gratia, non dicunt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit*. quæ est promissio, sed dicunt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti*. Et qui consecrant, non dicunt. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*: Sed, *Hoc est Corpus meum*. Et qui absoluunt, non dicunt, *Quorum remiseritis peccata*; sed *Ego absoluo te*. Porro hic agitur de vsu Sacramenti non de institutione; agimus enim de effectu Sacramenti: operatur autem Sacramentum dum eo vtimur. Quare argumentum non est ad propositum & falsum assumit. Tum licet in vsu semper requireretur promissio, & consequenter fides, non inde posset concludi fidem esse, quæ immediatè iustificat: dicam enim fidem requiri, vt conditionem, & vt quæ applicaret homini Sacramentum. Sicut autem Medico offerente Pharmacum & promittente sanitatem requiritur in ægroto fides, quæ accipiat seriò illam promissionem & assentiatur Medico; non tamen est ea fides, quæ sanat ægrotum, sed Pharmacum, licet sine fide Pharmacum acceptum non fuisset. Tum esto fides requiratur, non tamen ea sola agit in Sacramento, sed vtrumque. Vide Bellarminum libro 1. de Sacr. cap. 11.

Qværes, *An Sacramenta physicè vel moraliter tantùm producant gratiam?*

Grauis hæc est controuersia inter Scholasticos (quam monui non esse de fide) sed ad satisfactionem Lectoris hanc refero, quem notare oportet discrimen quod intercedit inter causam moralem & moraliter tantùm agentem, & causam physicam seu physicè agentem. (Nota autem hic agi tantùm de causa instrumentali) quod causa moralis & moraliter agens, non attingat de facto productionem effectus, sed ille ab alio, nempe à Deo in Sacramentis producatur gratia ad causæ moralis præsentiam: E contra vero causa physica etiam instrumentalis & physicè operans attingit per virtutem aliquam sibi inhærentem productionem effectus, saltem tanquam causa partialis, sicut intellectus per vim connaturalem & intrinsecam influit in visionem beatificam, eámque vt causa principalis vnà cum lumine gloriæ producit.

Hic sunt duæ oppositæ sententiæ. Prior est ad quam adducitur Sanctus Thomas quæst. 62. artic. 4. Sacramenta verè physicè tanquam instrumenta attingere productionem gratiæ, seu per actionem, lotionem, verbi gratia, vel sonum verborum quæ proferuntur, vt *Ego te absoluo* in Sacramento Pœnitentiæ. Suarez 1. tom. 3. partis disput. 31. hanc tuetur post Caietanum, Alanum Cardinales, & plures alios, & Sancti Patres ex hac parte stare videntur, cùm modum illum quo Sacramenta gratiam produ-

cunt, admirabilem aut inexplicabilem esse dicunt: vt Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem, vbi de Sacramentorum effectu loquens. *Quomodo autem*, inquit, *id fiat nec mente intelligere, nec lingua docere possumus, sed silentio atque firma fide suscipimus.* Augustinus tractatu 80. in Ioannem. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat?* Atqui virtus illa Sacramentorum, nec tanta esset, nec infallibilis, aut incomprehensibilis dici deberet, si moraliter tantùm gratiam produceret: cum hæc moralis efficientia facilè intelligi & explicari possit, nihil enim aliud est Sacramenta moraliter operari in productionem gratiæ, quàm Deum ad præsentiam Sacramentorum nullo posito obice gratiam creando infundere, quod Deum statuisse infallibiliter ait secunda sententia, ita vt gratia per quandam tantùm concomitantiam sequatur.

Probatur Opinio physicæ operationis instrumentalis, ex Script. Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, instrumentum propriè illud est per quod aliquis operatur.

Probatur ex Sanctis Patribus adductis. Beda tractatu 80. in homilia octauæ Epiphaniæ dicit *Quòd Dominus tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis.* & Leo Papa sermone 5. de Natiuitate asserit, *Virtutem Altissimi, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem facere quoque vt regeneret vnda credentem.* Atqui Beata Virgo, non solùm moraliter, sed physicè ad Incarnationem Domini concurrit. Ergo &c. Syluester Papa cum Constantinum baptizaret, ita locutus refertur ex Nicephoro libro 7 histor. cap. 33. *Hæc aqua diuina virtute per inuocationem Trinitatis concepta, sicut extra corpus abluit, ita animum intra à sorde & inquinamento mundans splendidiorem radiis solaribus efficit.* Hieronymus Epistola 83. ad Oceanum. *Quantam vim habeat Baptisma & aqua in Christo sanctificata gratiam paulò post docebo.*

Probatur ratione: hæc sententia propugnanda est, quæ magis effert excellentiam Sacramentorum nouæ Legis, maioremque eis ex propria dignitate conciliat venerationem, at si signa tantùm illa facimus, quibus positis totum effectum Deus causet nulla erit differentia à veteribus Sacramentis, nec tanti æstimabimus.

Secundò, nulla ferè erit differentia inter Sacramenta & signa, quæ dæmon vsurpat ad incantationes & mala facienda; inito enim cum magis pacto ad tale positum signum & obmurmurata verba adest ipse & operatur. Tum quia tunc non esset homo minister Dei in ipsa actione sacramentali, sed homo præberet signum sua actione, & Deus alia actione viso eo signo infunderet gratiam, vt eum vnus ostendit syngrapham mercatori, & ille dat pecunias. At Scripturæ docent Deum esse qui baptizat per hominem. Ioan. 1. *Hic est qui baptizat.* Esto autem in hac opinione multæ occurrant difficultates, verbi gratia, quæ sit virtus illa per quam Sacramenta producant gratiam, quando eueniat, quando desinat esse, & cùm sine dubio materialis sit, quia quicquid recipitur per modum recipientis, recipitur, quomodo potest attingere productionem gratiæ, quæ est qualitas supernaturalis, possem respondere cum Augustino libro 3. de peccatorum meritis & remissione cap. 14. *Ego*, inquit loquens de argumentis contra traductionem peccati originalis, *etiamsi istorum argumenta soluere non valeam, video tamen inhærendum esse diuinis litteris.* Et in Epistola 29. ad Hieronymum dicit se cum interrogatur, quomodo peccatum Adæ propagetur in posteros respondere solitum. *Hoc vt alia multa me ignorare confiteor.* Et tamen non propterea deerat defensioni fidei; imò acerrimè propugnabat peccatum Adæ propagari, licet modum ignoraret. Cæremoniæ Ecclesiasticæ ad sanctificanda elementa Sacramentorum, videntur declarare sic ea disponi vt possint attingere gratiam, eamque aliquo modo continere, non quidem sicut in subiecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi, quomodo Ezech. 9. dicitur. *vnusquisque vas interfectionis habet in manu.*

Ad hæc dici debet virtutem Sacramentorum nihil aliud esse quam obedientialem potentiam per quam res quæcumque etsi improportionatæ possint vt instrumenta assumi ad quoscumque effectus supernaturales, & hæc potentia non est nisi ipsa rei entitas vt Deo subjecta, extenditur autem ad omne quod non implicat, cùm enim instrumentariè agat, mensuranda est à virtute principalis agentis. Tum dici debet gratiam educi de potentia obedientiali animæ, & non creari, nec existere posse sine subjecto cum formaliter sit accidens. Tum in instrumentis non requiri præuiam formam qua operentur; quia non operantur naturaliter, requiritur enim tantùm vt influant in effectum vti eleuata per concursum supernaturalem.

Contraria sententia est Scoti, Durandi, Richardi, Ochã, &c. qui docent Sacramenta verè iustificare, & tamen volunt Deum solum producere gratiam ad præsentiam Sacramentorum, ita vt Sacramenta non sint causæ physicæ, nisi sine quibus non fieret effectus.

Quicquid sit de modo productionis gratiæ per Sacramenta, Vnum tantum est de fide, eam de facto produci, Scoti moralis modus, fateor, faciliùs defenditur, & à recentioribus Cano. Ledesma, Vasquez, Molina, Abra de Raconis & aliis suscipitur ex eo maximè quod Suarez cum aliis negant oculum corporeum etiam eleuatum posse ferri in Deum, aut aliam rem spiritualem; quia res corporea non potest attingere objectum incorporeum, quomodo ergo Sacramenta corporea producent rem spiritualem! Nam si ideò hoc nequit oculus; quia eius actio est corporea! an non etiam actio quæ procedit ab illa virtute actiua Sacramenti erit corporea? Eritne alia à sono verborum vel lotione aquæ in Baptismo, v. g. si dicant fore aliam, dicam & ego præter visionem corpoream quæ per oculi virtutem fit, & qua attingitur corpus dari aliam visionem spiritualem, qua attingitur spiritus, sicut præter lotionem corpoream aquæ baptismalis, v. g. qua lauatur corpus, datur alia lotio spiritalis, qua animæ sordes abluuntur. Sanè omnia hic paria inuenio. Addo quod illi, fatentur Sacramenta fictè suscepta, longè postquam transacta sunt, recedente fictione posse gratiam producere: an dicent tunc physicè producere? Ergo producunt tantum moraliter

moraliter. Hinc Scotistæ concludunt Sacramenta esse tantum morales causas gratiæ.

QVÆRES, *Quam gratiam Sacramenta conferant, an primam, vel augmentum?*

Respondeo quædam Sacramenta fuerunt instituta ad primam producendam, alia ad secundam. Baptismus ad delendum peccatum originale consequenter ad producendam gratiam, qua ipsum peccatum originale tollitur. Pœnitentia item ad delendum peccatum actuale, quod tamen non deletur sine infusione gratiæ; hæc ergo duo ordinata sunt ad primam gratiam producendam. Alia verò ex vi institutionis, tanquam ad finem per se præsupposita deletione peccati, & consequenter primæ gratiæ infusione, augmentum gratiæ respiciunt.

Dico ad finem per se, sicut enim Pœnitentia quæ est per se ordinata ad delendum peccatum mortale, & ita primam gratiam producendam, si inueniat deletum, producit solùm augmentum gratiæ non primam gratiam. Ita si Eucharistia, verbi gratia, sumeretur ab aliquo existente in peccato mortali, qui tamen hoc ignoraret, & bona fide accederet, sicque non poneret obicem actualis peccati mortalis, per accidens produceret primam gratiam, & non solùm augmentum gratiæ.

Præter gratiam habitualem sanctificantem animam, singula Sacramenta habent propriam sacramentalem, iuxta diuersos fines ad quos ordinantur, frustra enim esset tanta Sacramentorum varietas, nisi etiam foret diuersus gratiæ effectus per illa collatus, seu auxilium speciale ordinatum ad proprium finem, cuiusque Sacramenti, sic gratia sanctificans cum tali auxilio sibi correspondente in quolibet Sacramento dicitur gratia sacramentalis.

In Baptismo gratia prima datur per modum spiritualis regenerationis, estque gratia prima sacramentalis cum speciali auxilio ad conformandum se Christo & mandata eius obseruandum, aliáque Sacramenta dignè suscipiendum.

In Confirmatione, est augmentum gratiæ cum speciali auxilio ad constanter profitendam fidem, imminente licet persecutione, & mortis periculo.

In Eucharistia, est augmentum gratiæ habitualis cum speciali auxilio ad nutriendam charitatem, ad præseruandum à peccato, & ad ingenerandam deuotionem interiorem, &c.

In Pœnitentia, gratia sacramentalis est gratia non simpliciter prima, sed prima post lapsum ac spiritualem mortem: ideóque non datur per modum regenerationis, sed per modum resurrectionis cuiusdam spiritualis, siue per modum curationis à vulnere lethali, cum speciali auxilio ad detestandum peccatum, & pro illis satisfaciendum.

In Extrema-vnctione, est augmentum gratiæ ad abstergendas reliquias peccatorum, & vincendas tentationes, quæ in articulo mortis occurrunt cum speciali auxilio ad eundem effectum.

In Ordine, gratia sacramentalis est augmentum gratiæ cum auxilio speciali ad sanctè & religiosè exercendas actiones ad quas ordinatur.

In Matrimonio, gratia sacramentalis est illa, quæ datur coniugibus ad mutuum amorem, ad fidem coniugalem, ad piam prolis educationem & ad hæc omnia dantur specialia auxilia, ad hoc Sacramentum ritè dispositis. Ita communiter Doctores.

QVÆRES, *Quo tempore Sacramenta conferant gratiam?*

Respondeo, quando sunt in esse completo Sacramenti, id est, in eo instanti intrinseco, in quo materia & forma habent perfectam significationem, ad quam sunt instituta. Ratio est; quia producunt gratiam in eo instanti quo eam significant. Sacramentum enim est signum sacrum quod significat, & significando producit. Hinc patet Baptismum causare gratiam in eo instanti in quo ablutio & prolatio verborum gignit perfectum sensum. Idem dicendum de reliquis quæ consistunt in vsu: ad differentiam Eucharistiæ quæ cum sit Sacramentum permanens non producit gratiam, quando forma consecrationis est completa, sed in ipsa susceptione.

Auxilia autem specialia tribuuntur opportunè pro occasione necessitatis, & vt conueniens esse iudicat Adjutor in opportunitatibus in tribulatione, vt dicit Psalm. 9. id est pro tempore opportuno iuxta finem & institutionem Sacramenti. Statim enim accepto Sacramento insurgit ius ad sacramentale auxilium accipiendum, quando necessarium fuerit, habétque illud sibi paratum, ita vt infallibiliter illud consequatur, si illo tempore obicem non ponat.

Qui causalitatem physicam tuentur aliquas hic patiuntur difficultates. Ad significandam hanc efficientiam spiritualem donorum ex Sacramentis, Deus olim initio Ecclesiæ miraculosa signa dabat, Spiritus-Sanctus visibiliter descendebat in Christianos, afflabat eos spiritu linguarum, curationum, prophetiæ, constantiæ, &c. vt constat ex Actis, & notauit Chrysost. hom. 12. in Matth. vt etiam idem iam crederetur à Fidelibus cum signa illa cessarent, quæ instituta erant ad firmandam nouellam fidei plantam. Quæ vbi iam coaluit defierunt illa, signa, sicut irrigatio cessat, inquit Sanctus Gregorius, cùm iam planta radicem fixit, non cum nouiter arbusta plantamus, de quouis suscepto Sacramento specialia miracula notantur apud Historias.

QVÆSTIO XI.

De charactere effectu secundario Sacramentorum.

NOmine characteris intelligitur aliquod signum spirituale impressum animæ per aliqua Sacramenta, cuius officium in Christianis triplex notatur. Primò, configurare Christo. Secundò, deputare ad aliquos speciales actus. Tertiò, distinguere ab aliis.

PROPOSITIO CATHOLICA & de Fide.

BAptismus, Confirmatio & Ordo imprimunt characterem.

Probatur ex Scriptura 2. Cor. 1. *Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Hic tres effectus ponuntur Sacramenti Confirmationis in quo propriè

vngimur & signamur tum exterius, tum interius. Primò, vnctio quæ sine dubio fit per gratiam gratum facientem. Secundò, est obsignatio quædam qua consecramur Deo & deputamur ad eius cultum & per hanc intelligimus characterem, quem Patres passim signum & sigillum vocant. Tertiò, pignus spiritus, id est testimonium bonæ conscientiæ quod sequitur iustificationem, & est quasi arrha futuræ gloriæ: hæc enim est pax quæ exuperat omnem sensum. Secundus locus est Ephes. 1. In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis, vbi nota illud (credentes) in Græco esse temporis præteriti, πιστεύσαντες, id est, postquam credidistis, quocirca loquitur de Baptismate, quod datur post fidem, ac dicit in eo dari obsignationem virtutis Spiritus-Sancti, & ita exponunt de signaculo, quod accipitur in Baptismo Græci & Latini Chrysost. Theophil. Hieron. Haymo. Beda, Anselmus. Tertius locus est Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis, hoc est, vt Haymo & Oecumenius notarunt in die quo baptizati estis quando à seruitute satanæ & peccati redempti estis, hæc omnia loca Nouatores exponũt de obsignatione promissionum, quam Deus in cordibus facit, vt fides magis confirmetur. Sed repugnat modus loquendi Apostoli, qui semper dicit nos obsignari: esset enim nimis impropria & inusitata loquutio obsignari hominem, pro eo quod est obsignari promissiones homini factas.

Probatur ex Sanctis Patribus Dionys. de Eccles. hier. cap. 2. de baptizato sic scribit. *Hunc diuina maiestas in sui consortium intus admittit intus, eique lucem suam perinde ac signum aliquod tradit.* Chrysost. hom. 2. in Epist. ad Ephes. *Signati sunt Israëlitæ, sed Circumcisionis nota, vt pecora, nos autem vt filij signati sumus Spiritu- Sancto.* Ambros. lib. 1. de Spiritu-Sancto cap. 6 *Spiritu signamur, vt splendorem atque imaginem eius & gratiam tenere possimus: quod est vtique spiritale signaculum.* Augustin. lib. 6. de Baptism. cap. 1. dicit in Concilio generali hoc approbatum. *Satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ, ouem quæ foris errabat & dominicum caracterem à fallacibus depredatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ vnitatis salutem ab errore corrigi, à captiuitate liberari, characterem tamen dominicum in ea agnosci, potius quam improbari.*

Nota tamen characteris esse vocem Græcam quæ formam seu figuram significat, ante Augustinum Patres nomine signi aut signaculi vtebantur, res tamen eadem est in Scriptura Heb 1. & Apoc. 13. vsurpatur, sed non agitur de Sacramentis in his locis.

Probatur ex Conciliis Florentino & Trid. sess. 7 can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, vnde ea iterari non possunt anathema sit.*

Probatur ratione, quicumque ad aliquid certum deputatur, consueuit ad illud consignari: sicut milites qui ascribebantur ad militiam olim solebant aliquo corporali charactere insigniri, eo quod ad aliquid corporale deputabantur. Sed Sacramenta nouæ Legis ad duo ordinantur, ad remedium contra peccata & ad perficiendum animum in his quæ pertinent ad cultum Dei, secundùm ritum Christianæ vitæ. Ergo conueniens est fideles insigniri per ea aliquo spiritali caractere. Ita Sanctus Thomas quæst. 63. art. 1. vnde August. lib. 2. contra Parmenian. c. 13. *Si militiæ characterem in corpore suo non militans pauidus exhorruerit & impetrata Imperatoris venia cœperit militare: nunquid character repetitur ac non potius agnitus approbatur? an fortè minus hærent Sacramenta Christiana quam corporalis hæc nota?* Secundò, Baptismus non potest repeti si semel fuerit ritè collatus, vt etiam Confirmatio & Ordo: cætera possunt repeti, sed vera causa non potest assignari huius discriminis nisi character: ergo necesse fateri per quædam Sacramenta imprimi. Major communiter admittitur exceptis Anabaptistis. Minor probatur: nam si ponatur character perspicua erit ratio discriminis. Ideò enim quædam repeti nequeunt; quia semel data remanent in suo effectu: alia repetuntur, quia non manent nec in se, nec in suo effectu, gratia quæ est effectus amittitur: præterea etiam si aliquando non amittatur, tamen augeri potest, & sic Sacramentum potest repeti, vt augeatur. At character non potest augeri per iterationem Sacramenti ejusdem. Adde quod gratia non est Sacramentum, sed effectus Sacramenti tantùm, character autem Sacramentum est & effectus illius. Hæc igitur ratio ostendit, cur quædam non repetantur, vt docent citata Concilia.

Nota, quod tria illa Baptismus, Confirmatio & Ordo imprimant nulla dari potest ratio à priori, quàm Institutio Christi nobis per Ecclesiam declarata: Institutionis verò congruentia hæc est minimè despicienda: per Baptismum nascimur spiritualiter, vna autem tantum est spiritalis natiuitas, vt vna est corporalis. Vnde Nicodemus Ioan. 3. *Quomodo potest homo nasci cum sit senex?* Tum per Baptismum ita deputatur homo ad cultum, vt fiat membrum Ecclesiæ Christi, congruum igitur est vt accipiat characterem quo ab aliis qui non sunt membra Christi distinguatur. Nec dicas sufficere fidem ad illam distinctionem: Nam potest fidem amittere, nec tamen desinet isto charactere designatus esse, quia est indelebilis.

Tum character baptismalis non est tantùm signum fidelium ab infidelibus, sed tale signum quo reddantur capaces aliorum Sacramentorum. At fides non est eiusmodi, quia in ipsis erat cathecumenis, qui tamen incapaces erant aliorum Sacramentorum antequam Baptismum recepissent.

Rursus per Confirmationem homo fit miles Christi, & deputatus ad profitendum publicè Christi fidem & propugnandum pro illa, hinc accipit characterem. Denique per Ordinem fit Sacerdos Christi & designatur ad administrationem Sacramentorum, ideò notatur vt à non deputatis ad tale munus seiungatur.

Indelebilem esse characterem definitum est, ratio autem assignari potest, eo quod est quædam participatio Sacerdotij Christi; quæ proinde tandiu debet durare, quandiu sacerdotium quod est perpetuum, Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum.* Hæc ratio petitur ex parte Christi instituentis, alia petitur ex natura characteris

racteris, est enim qualitas incorruptibilis: ergo non est cur pers uerante subjecto in quo est, anima scilicet, deleatur: probatur antecedens, omnis qualitas est corruptibilis, & de facto corrumpitur, vel physicè per contrarium, vel ad destructionem subjecti, vel moraliter & demeritorie per peccatum Deo retrahente concursum conseruationis, pro primo modo nullum habet contrarium, pro secundo anima est incorruptibilis, pro tertio nulla est ratio; quia cum nullam dispositionem requirat; potest enim recipi non obstante peccato vel hæresi, ita per nullam prauam dispositionem potest aboleri.

DIces, voluntas suscipiendi characterem necessaria est vt imprimatur; ergo contraria voluntas subsequens quæ est displicentia de suscepto erit sufficiens vt deleatur.

Resp. 1. negando antec. nam licet aliquis non haberet voluntatem recipiendi characterem qui est effectus Sacramenti, eo tamen ipso quo habet voluntatem recipiendi Sacramentum, ipsum characterem suscipit. Neque enim consentaneum est vt Sacramentum priuetur suo effectu, propter malam voluntatem illius, cùm ad eum producendum nullam prærequirat in subjecto dispositionem: & sicut qui non haberet voluntatem recipiendi rosam, cui rosa adnata est, eo tamen ipso quo haberet voluntatem recipiendi rosam spinæ adnatam, simul & spinam reciperet; ita licet aliquis non haberet voluntatem recipiendi characterem qui imprimitur à Sacramento, eo tamen ipso quo vult recipere Sacramentum, quod naturaliter & nulla habita ratione dispositionis subjecti imprimit, ipsum quoque recipit signaculum.

Resp. 2. negando consequentiam, licet enim ex illa displicentia mereretur illo priuari, imò & in nihilum redigi à Deo, cujus tesseram abhorret, tamen sicut conseruatur in existentia, ita nec charactere priuatur: & sicut qui spontè seruitutis signum suscepit, ex eo quod postea pœniteat, non remouet à se signum illius, sic cum homo voluntariè se statuit Christi seruum & Ecclesiæ membrum, etsi postea eiuret fidem, & ipsum Deum, manet hoc signum aduersùs ipsum pro tota æternitate; in Beatis quidem vt designentur abundantiùs dotati beneficiis Christi; in damnatis ad confusionem & ingratitudinis expressionem. Hinc habes, quod Sacerdos resuscitatus non deberet iterum ordinari, &c Itaque qui voluntariè reiterant imprimentia Sacramenta, sacro characteri Deóque sunt injurij, mórsque potiùs obeunda est.

QVÆRES, *Quid propriè sit character, An qualitas absoluta & quæ?*


Respondeo esse quid absolutum & qualitatem realem, quæ tria officia confert supra allegata, Scotus notat esse relationem realem, quod vix defendi potest ait Bellarm. nam character producitur per actionem sacramentalem; relationes autem non producuntur, sed consurgunt ad productionem fundamenti proximi; prætere a quod esset fundamentum hujus relationis? num anima? at tunc character esset in omnibus hominibus, num fides aut gratia, at sine his character esse potest. At notasse debuit Bellarm. Scotum constituere quoddam genus relationis ad quod actio esse possit. Is ergo in 4. Sent. dist. 6. quæst. 10. problematicus est. Quare censeo esse quid absolutum & probo ex 5. physic. mutatio non est nisi ad formam absolutam, ad characterem est mutatio cum solus ille habetur, vt in ordinato existente in peccato qui gratiam non recipit. 2. Relatio non est actiua; character autem est: nam Baptismi est potentia passiua ad recipienda Sacramenta, Ordinis est ad munia quædam obeunda.

Reponitur in secunda specie qualitatis & dici potest potentia quædam vel dispositio perficiens animam in qua subiectatur, vel potentias eius, ex qua qualitate consurgit relatio similitudinis ad Christum, cui per characterem configuramur. Aliqui ponunt eam in prima specie qualitatis, nempe habitus vel dispositionis conuenientis & perficientis animam ac formaliter perficientem illam sine vllo ordine ad operationes, sicut pulchritudo, vel sanitas est bona corporis constitutio, iuxta quam doctrinam patet non omnem habitum esse operatiuum, sed eum solum qui ponitur in potentiis operatiuis, alios autem inseruire ad ornatum & perfectionem subiecti. Porrò character Sacramentorum dicitur character Christi, quatenus manat à sacerdotio Christi, quo fideles ei configurantur: nam totus ritus religionis Christianæ deriuatur à sacerdotio Christi; fideles autem subijciuntur per characterem Christo vti membra capiti, milites duci, & ministri summo Pontifici.

ARTICVLVS XVI.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

QVÆSTIO PRIMA.
De inſtitutione, neceſſitate & diuerſitate Baptiſmi.



Baptiſmi nomen quod à Græca voce deriuatur, ſignificat ablutionem, ſeu potiùs immerſionem in aquam: dicitur autem immerſio eo quòd Baptiſmus, ordinariè fiat per immerſionem ad repræſentandam Chriſti ſepulturam: iuxta illud ad Coloſſenſes 2. *Conſepulti ei per Baptiſmum.* Dicitur ablutio, quia per illum ſordes peccatorum abluuntur & purgantur. Huic Sacramento alia nomina dari ſolent vt illuminatio, Hebr. 10. & myſterium fidei, ex Auguſt. quia qui illud ſuſcipiunt illuminantur & profitentur fidem, Dionyſ. appellat: *Principium ſanctiſſimorum mandatorum*, quia eſt ianua Eccleſiæ Chriſtianæ.

Baptiſmus hodie ab Eccleſia Catholica vſurpatur ad ſignificandum Sacramentum, in quo per exteriorem corporis ablutionem aquâ naturali factam ſub forma præſcripta verborum confertur gratia, vel ſi velis aliam definitionem Sacramentum regenerationis per aquam in verbo, quia per Baptiſmum homo naſcitur denuo ex aqua in Spiritu ſancto, & fit Filius Dei adoptiuus, iuxta illud Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*

Inſtitutio Baptiſmi facta eſt à Chriſto, cum baptizatus fuit à Ioanne in Iordane, vt docet S. Ambroſ. lib. 2. in Luc. Auguſt. ſerm. 1. Dominicæ infra oct. Epiph. *Ex quo Chriſtus aquis immergitur ex eo omnium peccata abluit aqua*, idem docet S. Thom. quæſt. 66. 3. partis art. 2. Qui ſic ratiocinatur, tunc videtur Sacramentum aliquod inſtitui, quando accipit virtutem producendi ſuum effectum, hanc autem virtutem accepit Baptiſmus, quando Chriſtus baptizatus eſt, quod exprimit Ambr. citat. *Baptizatur Dominus non mundari volens, ſed mundare aquas, vt ablutæ per Chriſti carnem, quæ peccatum non cognouit, baptiſmatis ius haberent.* Inſtitutus ergo fuit Baptiſmus ante paſſionem inſtituentis, ſed ab ipſa paſſione vim & efficientiam accepit, ipſa enim paſſio finis erat omnium Chriſti actionum, quando autem ante paſſionem collatus fuit gratiam contulit ab ipſo Chriſto, vel à paſſione eius quam præfigurabat, aliter tamen quàm Sacramenta legis; nam illa erant figuræ tantùm, Baptiſmus autem ab ipſo Chriſto iuſtificationem dabat, per cuius virtutem & meritum ipſa paſſio fuit ſalutifera.

Qværes, *An Baptiſmus Ioannis eſſet verus Baptiſmus & conferret gratiam?*

Reſpondeo quod non, idque patet ex ſcriptura, quæ ponit hoc diſcrimen inter Chriſtum & Ioannem quod iſte in aqua, ille in aqua & ſpiritu baptizaret, tum legimus Act. 19. rebaptizatos quos baptizarat Ioannes, non autem quos diſcipuli Chriſti, qui per eos dicitur baptizaſſe ante paſſionem, adde quod Ioannes erat præcurſor Chriſti & parare viam miſſus eſt, vnde Baptiſmus eius erat tantum figura, & diſpoſitio ad Chriſtianum, ideóque ipſum Ioannes accepit, Matth. 3. *Ego debeo à te baptizari.* Tum Sacramenta vetera à nouis per hoc diſtingui docent DD. quòd illa non conferebant gratiam iuſtificantem, noſtra verò conferunt. Trident. can. 1. de Bapt. *Si quis dixerit Baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti anathema ſit.* Hoc Ioan. confeſſus eſt. *Non poteſt homo accipere quicquam niſi fuerit ei datum de cælo*, &c.

Neceſſitas & obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum non fuit inducta neceſſitate medij, aut præcepti ante mortem Chriſti & promulgationem Euangelij, quia vſque ad mortem Chriſti lex Moyſis vim ſuam retinuit & Chriſtus eam ſeruauit, & audiendos Scribas & Phariſæos ex cathedra docentes iuſſit; quare illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Non ſignificat à colloquio Chriſti cum Nicodemo Baptiſmi neceſſitatem, ſed futuram & mox inſtantem, cum lex ceſſarit, pronuntiato: *Conſummatum eſt*, vt exponit Bern. Epiſt. 77. ad Hugonem; quod verò dicitur, Luc. 16. *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Non ſignificat tunc ceſſaſſe legis vim & obligationem ſeruandi legalia, ſed quo ad prædicationem, Ioannes enim fuit vltimus Prophetarum; vnde ſubditur. *Ex eo regnum Dei euangelizatur.* Sufficiens promulgatio Euangelij incepiſſe dicitur poſt excidium Hieroſolymæ anno 40. poſt Chriſtum.

Propoſitio Catholica, *Baptiſmus neceſſarius eſt neceſſitate præcepti & medij omnibus cuiuſcumque ætatis ſexus & conditionis hominibus.*

Probatur ex Scriptura, Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei, illud *niſi* importat abſolutam neceſſitatem, vel in re, vel in voto. Ille dicitur habere Baptiſmum in voto, qui facit aliquid in quo continetur votum & propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmi, vt accidit quando aliquis non poteſt actualiter baptizari defectu miniſtri, vel materiæ, vel alterius cauſæ & hic elicit actum contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, talis actus includit propoſitum vitandi omnia peccata & ſeruandi legem Dei, quæ Baptiſmum includit.

Probatur ex SS. Patribus, Auguſt. lib. de origine animæ, cap. 9. *Noli dicere aut docere infantes antequam baptizentur morte præuentos peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum ſi vis eſſe Catholicus.* Et alibi. *Nulla*

ex noſtro arbitrio, præter Baptiſmum Chriſti, ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit ſcriptura humanis omnibus ingenijs præferenda. Ambroſ. explicante id Ioan. 3. *Niſi quis renatus vtique nullum excepit non infantem, non aliqua præuentum neceſſitate*, &c. Idem prius docuere Pontifices, Siricius Epiſt. I. ad Himericum Innoc. I. Leo I.

Probatur authoritate Conciliorum Cartag. & Mileuitani apud Auguſt. Epiſt. 90. & 92. In quibus ex profeſſo damnatur ſententia eorum qui putant paruulos poſſe ſaluari ſine Baptiſmo. Quibus conſonat Trident. ſeſſ. 6. can. 3. & ſeſſ. 7. cap. 5. Vbi profertur anathema in eum qui dixerit Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem.

Probatur ratione, quæ redditur Ioan. 2. Quod natum eſt ex carne caro eſt, & oportet vos naſci denuò: Chriſtus indicat ibi homines naſci carnales peccatores & ſeruos peccati. Ergo neceſſarium eſt remedium contra hoc malum, quod eſt Baptiſmus.

Confirmatur ex praxi Eccleſiæ, non ſepelit illa paruulum vllum ſine Baptiſmo mortuum in loco ſacro, nullam quoque pro eis precem fundit, aut oblationem facit, aut gratiarum actionem, ſignificans nullam ipſis ſpem ſalutis ſupereſſe. Nec dicas durum videri paruulos illos abſque culpa condemnari, cùm nulla eis diligentia potuerit ſubuenire. Non enim ſine culpa perire dicendi ſunt, quos originalis culpa premit & facit filios iræ, & ad perditionis maſsã pertinere. Quæ quidem originalis culpa non tollitur niſi Chriſto per Sacramentum incorporentur, & in ſecundo Adam per lauacrum regenerationis incorporentur. Non poſſumus aliter Scripturam interpretari, aut diuinam amplificare bonitatem, quàm Eccleſia nos docet authoritate ſua & praxi, quod Auguſt. expreſsè notat Epiſt. 20. ad Hieron. *Quiſquis dixerit quod in Chriſto viuificabuntur etiam paruuli qui ſine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit & totam condemnat Eccleſiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis curritur & feſtinatur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto viuificari non poſſe.*

Hæc tamen eſt differentia inter paruulos, & adultos, quòd illis neceſſarius ſit Baptiſmus re ipſa ſuſceptus, his verò vel in re, vel in voto; quod expreſsè declarauit Trident. ſeſſ. 6. Vbi dicit iuſtificationem à peccatis, *poſt Euangelium promulgatum ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poſſe.*

Hinc patet dilationem Baptiſmi in infantibus periculoſam eſſe, quia ſi moritur non perueniet ad vitam æternam, adultis non item, quia ſi habens propoſitum Baptiſmi aliquo moritur caſu, per hoc propoſitum & contritionem ſaluari poteſt.

Nota olim pleroſque ſolitos differre Baptiſma vſque ad finem vitæ, quorum plures in lecto baptizabãtur, vnde & *Clinici* quaſi dicas lectularij dicebantur: id autem faciebant, vt Baptiſmo plenè purgati à culpa & pœna, ſine obſtaculo in cælum euolarent. De quibus in Baptiſmo non repellendis multi extant Canones, Epiphanius Hær. 28. ſic explicat id 1. Corinh. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis.* Id eſt, cum imminet mors & quaſi habentur pro mortuis, tunc enim qui diſtulerant volebant omnino baptizari ob fidem & ſpem reſurrectionis. Extat præceptum Eccleſiæ, quæ dilationem vetat & generatim ſcriptura dicit. *Ne tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem.* Tũ ante Baptiſmũ neceſſe eſt carere vſu omnium Sacramentorum, quod eſt maximo fructu priuari, ipſáque gratiâ cuius ope in poſterum peccata vitare, & iuſtitiam ſectari iuuamur.

Dices paruulos fidelium eſſe ſanctos etiam ſine Baptiſmo & ſi moriantur ſaluari, idque ex vi fœderis Dei cum Abraham, Geneſis 17. *Ero Deus tuus & ſeminis tui.* Nos enim ſucceſſimus per Chriſtum in Abrahæ poſteritatem, qui pater fidei dicitur: hoc docet Caluin. in antidoto Concilij ad ſeſſ. 6. Idem habet Petrus Martyr. in 7. cap. 1. Cor. *Alioquin filij veſtri immundi ſunt, nunc autem ſancti ſunt.* Vbi apertè dicit filios fidelium ſaluari ſine Baptiſmo, ad hoc autem dicit non eſſe faciendam vim in illa copulatiua. *Et* Ioannis 3. vbi aqua & ſpiritus ad Baptiſmum ponuntur, ſed ſatis eſſe ſi ex ſpiritu homines renaſcuntur, quod Rom. 10. *Dicitur corde creditur ad iuſtitiam & ore fit confeſſio ad ſalutem.* Caluin. vero dicit ibi aquam eſſe epithetum ſpiritus & ſenſum eſſe, oportere naſci ex ſpiritu qui purgat ad modum aquæ, vult ergo per aquam intelligi Spiritum ſanctum, ſed hoc eſt ludere in Scripturis, & euertere axioma quo docemur. *Intelligere ſcripturam ſecundum verborum proprietatem, vbi non eſt euidens abſurdum.* Alioquin cogemur deprauare omnia loca, vbi fit mentio aquæ in Baptiſmo, vt Act. 8. Epheſ. 5. imo corruet commune dictum SS. Patrum. *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

Reſpondeo itaque paruulos habere peccatum originis conſequenter non eſſe ſanctos, vt dicit Dauid. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*, Pſalm. 50. & Paulus Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*, ſcilicet Adamo. Ad promiſſionem factam Abrahæ.

Reſpondeo hanc non eſſe remiſſionis peccatorum, ſed ſpecialis gubernationis & protectionis, ſenſu vero quodam myſtico etiam remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, & ad nos pertinere, ſed ad nos deſcendere non per carnalem generationem parentum, ſed per ſpiritualem regenerationem Chriſti; nam Paul. Rom. 4. & 9. Galat. 3. & 4. Docet apertè eos eſſe veros Abrahæ filios non qui ſunt filij carnis, ſed qui ſunt filij fidei, id eſt, qui imitantur fidem Abrahæ; tunc ergo ſecundùm Apoſtolum incipimus eſſe filij Abrahæ, cum incipimus eſſe fideles, quod paruuli non faciunt niſi cum baptizantur, illis enim baptizari eſt credere, vt dicit Auguſt. lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. cap. 27. Et prætereà; ratio idem docet; nam per carnalem generationem non poſſumus fieri filij Abrahæ, cùm parentes noſtri non deſcendant ab Abraham: ſed quia Chriſtus verè fuit filius Abrahæ, tunc & nos incipimus eſſe filij Abrahæ, cum incipimus eſſe Chriſti filij, vel fratres. Id autem certum eſt non fieri niſi per Baptiſmum; vnde Ioan. 1. *Qui non ex ſanguinibus nec ex voluntate carnis*, & 3. *Oportet vos naſci denuo.*

Ad locum Cor. *Filij nunc ſancti ſunt.* Reſpondeo ex Regulis generaliter datis ad eruendum ſenſum ſcripturæ attendendum eſſe ad ſcopum ſcriptoris, Paulus ibi loquitur de quadam

dam ciuili sanctitate, ita vt filij dicantur sancti, quia sunt legitimi, & non spurij, vt Ambrosius S. Thom. & Anselm. hic exponunt. Erat enim quæstio inter Corinthios, qui iam ad fidem conuersi erant an Matrimonium esset legitimum in quo coniux, aut vir esset fidelis & altera pars infidelis; nam vi religionis poterat videri non legitimum ob disparitatem cultus, fidelis enim videtur pollui per cohabitationem cum fideli: respondet Paulus tale Matrimonium esse legitimum, nec pollui fidelem ab infideli, sed è contrario sanctificari per fidelem qui infidelis est, si cum eo consentiat habitare, esse autem legitimum eorum matrimonium, probat ex eo, quia filij eorum non censentur infames & spurij, sed sancti id est, legitimi & liberi à ciuili quadam ignominia. Reiicit hanc expositionem Petrus Martyr, quia filij essent legitimi, licet vterque coniux esset infidelis: & tamen Paul. dicit filios nasci sanctos ex vno fideli, altero infideli, quia sanctificatur infidelis per fidelem, aliqua ergo alia sanctitas hoc loco est agnoscenda, sed malè reiicitur; nam alia est ratio coniugij inter duos infideles, alia inter fidelem & infidelem; nam cum vterque est infidelis sine dubio legitimum habetur matrimonium iure naturæ vti ciuilem & liberum contractum, nec de illo dubitari non poterat, sicut nec de matrimonio inter vtrumque fidelem; at cum alter est infidelis dubium inducebat an legitimum esset.

Respondet Becanus Paulum intelligi posse de sanctitate quadam Christiana inchoata, vt sit sensus, virum infidelem censeri quasi Christianum si cupiat manere cum vxore Christiana, quia spes est conuersionis ad fidem, & pariter filios eorum censeri Christianos, quia more Christiano educantur: colligitur hæc expositio ex ipso contextu vers. 16. *Vnde enim scis mulier si virum saluum facies; aut vnde scis vir si mulierem saluam facies?* Quidquid significetur per hanc filiorum sanctitatem, certum est, ait August. cit. Nullam dari sanctitatem sine conuersione ad Deum, nec dari remissionem peccatorum sine Baptismo.

Dices si Baptismus est absolutè necessarius peribunt sine sua culpa infantes, & ij qui ex inuincibili ignorantia Baptismum & legem Christi non norunt, quod alienum videtur à misericordia Dei.

Respondet August. lib. de bono perseuer. cap. 12. & Prosper. lib. 2. de voc. gent. cap. 8. iudicia Dei esse occulta, cum tot paruulos sinat perire, interim tamen esse iustissima; nam licet sine culpa sua non baptizentur, non tamen sine sua culpa pereunt, cùm habeant peccatum originale. Qui autem fingunt aliud remedium præter Baptismum, pugnant contra Euangelium & Concilia; nam vt ait August. Epist. 28. non alia de causa festinatur in Ecclesia cum infantibus periclitantibus & ad Baptismum curritur, nisi quia constat nullum aliud esse remedium. Cum Deus per Christum edixit Baptismi necessitatem, Ioan. 3. benè sciuit multos eo remedio sine culpa sua priuandos; cui tamen facillimum erat prouidere si vellet, cum cura omnium ad eum spectet. Quidam docuerunt quandoque eos saluari ex speciali misericordia & gratia: puta si cum Baptismus administrari cœpit defectus aliquis essentialis superueniat in materia, vel forma, aut intentione ministri: Imò aliqui addiderunt quando nullus est modus baptizandi, sufficere votum & desiderium parentum, aut oblationem pueri factam Deo signo aliquo exteriori, v. g. signo crucis cum inuocatione Trinitatis, eodemque modo succurri posse existentibus in vtero materno, ita Caiet. in 3. part. quæst. 68. art. 3. cui fauet Gerson; in serm. de Natiuit. Virg. & Gabriel in 4 dist. 4. quæst. 3. Sed Pius V. iussit expungi ex commentariis S. Thomæ in Romana impressione, nam sententia hæc temeraria est, quia secundum legem ordinariam infantes non possunt saluari sine baptismo in re suscepto excepto solo casu martyrij. Nec media quæ infantibus necessaria sunt pendent aliunde quàm ex sola Dei voluntate notificata ex Scriptura aut traditione. Quomodo autem si fides parentum esset medium in necessitate pro infantibus, Ecclesia hoc ignorasset? Adde quod si illa necessitas non esset medij sed præcepti respectu infantium, cùm pueri non sint capaces præcepti, non obligarentur ad baptismum: tum infantes Gentilium saluarentur omnes sine illo. Probatur, nam quicumque habet inuincibilem ignorantiam alicuius præcepti excusatur ab illius obligatione, sed omnes infantes habent inuincibilem ignorantiam præcepti baptismi, ergo excusantur ab obseruatione illius: si ergo non esset alia necessitas baptismi quam præcepti omnes infantes saluarentur. Tum probatur, quia quando est sola necessitas præcepti, si in aliquo casu præceptum obseruari nequit, non est opus suppleri defectum illius. At ex Caiet. suppleri debet per signum crucis, &c. Ergo est necessitas medij. Dices votum baptismi sufficere adultis quidni, & infantibus? Quia non sunt capaces voti. Replicabis votum parentum illis sufficere; nam vt dici solet volũtas patris reputatur volũtas filij. Resp. hoc verum esse in iis in quibus pater est caput filij, non autem in iis in quibus se habet vt priuata persona. In iustificatione autem parentes & filij sunt eiusdem ordinis, nec vnus est caput alterius, sed omnium caput est Christus. *Et omnes inuicem membra*, sub Christo Rom. 12.

Instabis: fides non fuit maioris efficaciæ in lege, in qua sufficiebat parentum filiis per aliquod signum applicata. Respondeo in veteri lege sufficiebat Sacramentum fidei, quod etiam nunc sufficit: Hoc interest quod illud non fuit tunc determinatum ad certum signum externum, nunc autem sit determinatum ad ablutionem aquæ.

Ad ignorantes inuincibiliter legem & notitiam Christi. Resp. saluandos si legem naturæ seruauerint, quia ait Bonac. quæst. 2. puncto 2. credibile est Deum seruanti legem naturæ daturum lumen & speciale auxilium, quo se valeat ad ipsum continere cuius dici posset eum habere fidem implicitam, vt de Cornelio adhuc infideli. *Cuius accepta erant Deo eleemosynæ Act.* 10. docet S. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3.

Diuersitas Baptismi triplex recensetur, *Fluminis* de quo quæ supra sunt dicta, *Flaminis*, & *Sanguinis*. Licet enim vnus sit tantum Baptismus qui est Sacramentum iuxta illud Ephes. 4. *Vnus Dominus vna fides, vnum baptisma,* tamen

tamen ſi metaphoricè & minus propriè loquamur triplex eſt, vt recenſui, quorum quilibet Baptiſmus vocatur, aquæ; quia reuera eſt, flaminis & ſanguinis; quia primi vices ſupplent, licet non ſint Sacramenta.

Baptiſmus flaminis, eſt Baptiſmus in voto, ſeu deſiderio, vel pœnitentia ſeu dolor perfectus de peccatis ob amorem Dei, hic autem dolor dicitur Baptiſmus, eo quod aliquando ſuppleat defectum Baptiſmi aquæ: nam qui nequit realiter ſuſcipere Baptiſmum obtinet remiſſionem peccatorum, non ſolùm actualium, ſed & originalis, ſi eliciat actum pœnitentiæ & contritionis cum propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum, vt colligitur ex Luc.3. vbi Baptiſta dicitur, *Prædicans Baptiſmum in remiſſionem peccatorum*, tum ex Cornelio Act.10. qui ante Baptiſmum iuſtificatus fuit. Ita Sanctus Chryſoſtomus homilia 24. in eum locum Hieronym. Auguſtin. Ambroſ. verò orat. de obitu Valentiniani, ſic ait. *Quem eram regeneraturus amiſi, ſed ille gratiam quam ſperauerat non amiſit, imò habuit gratiam Baptiſmatis, quia popoſcit.*

Baptiſmus Sanguinis eſt martyrium, *Quod ſupplet Baptiſmum aquæ etiam in paruulis*, hócque nomine compellatur, exemplo Chriſti, qui Marci 10. ſic vocauit. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, & Baptiſmo quo ego baptizor baptizari.*

Probatur ex Scriptura Matth. 16. *Qui perdiderit animam ſuam propter me inueniet eam.* Hinc Dauid dixit Pſalm. 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.*

Probatur ex Sanctis Patribus, Tertulliano in librum de Baptiſmo loquente de martyrio. *Hic*, inquit, *eſt Baptiſmus qui lauacrum regenerationis non acceptum refert, vel perditum reddit.* Cypriano Epiſtola 37. *Nunquid poteſt vis Baptiſmi eſſe maior aut potior quàm confeſſio? quam paſſio? vt quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur?* Auguſtino libro 13. ciuit. cap.7. *Qui dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto, etiam dixit, qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & qui perdiderit animam ſuam propter me inueniet eam, hinc ſcriptum eſt: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius, ſi pro pietate & iuſtitia pendatur mors fit gloria renaſcentis, & cum ſit mors peccati retributio aliquando impetrat, vt nihil retribuatur peccato.* Ambroſio in Pſalm. 118. ſerm. 3. Tria Baptiſmata diſtinguit, vnum aquæ, alterum ſanguinis, tertium purgatorij in alia vita.

Hoc ipſum Eccleſia docet colens vt Martyres Catechumenos, necdum baptizatos pro Chriſto tamen mortuos. Sic colit ſanctam Emerentianam vt videre eſt in Breuiario 23. ianuarij. Hinc tanquam Martyres coluntur innocentes quadraginta quatuor mille pro Chriſto occiſi quos Eccleſia vocat flores Martyrum, ſicque verum eſt illud Proſperi.

Et quicquid ſacri fert myſtica forma lauacri
Id totum impleuit gloria martyrij.

Probatur ratione; quia martyrium conuenit cum Baptiſmo aquæ in tribus effectibus, nimirum quod Primò configurat hominem Chriſti Paſſioni & morti. Secundò, remittit peccatum originale. Tertiò, remittit omnem pœnam peccato debitam tam æternam quam temporalem. Id quod patet vel ex eo quod Eccleſia nunquam orat pro animabus Martyrum, ſed illis potius ſe commendat, vnde Auguſtinus ſerm. 17. de verbis Apoſtolorum: & Innocentius cap. cum Marthæ extra de celebratione Miſſarum, aiunt. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

QVÆRES, *Quid ſit martyrium, & quid ad ipſum requiratur?*

Reſpondeo eſſe paſſionem ſeu cruciatum lethalem ſuſceptum pro Chriſti fide, aut pro vera virtute, vnde ad perfectam martyrij rationem, vel vt definit Sanctus Thomas 2. 2. quæſt.124. eſt actus virtutis, ſeu fortitudinis, quo tormenta quamuis grauia atque mors ipſa ad fidei veritatem teſtandam, aliarúmque virtutum dignitatem tuendam prompto præſentique animo ſuſcipitur, vnde ad perfectam martyrij rationem ſpectat vt mors ſuſtineatur; Martyr enim dicitur quaſi teſtis fidei Chriſtianæ, per quam nobis viſibilia pro inuiſibilibus contemnenda proponuntur. Hebr.11. quamdiu autem remanet homini vita nondum oſtendit ſe omnia deſpicere, quod autem virtutes vt ad Deum referuntur poſſint eſſe cauſæ martyrij, conſtat ex Matth.5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Vnde Baptiſta Martyr celebratur, qui non pro neganda fide, ſed pro reprehenſione adulterij occiſus eſt.

Martyrium dicitur conferre gratiam ex opere operato ob ſpeciale priuilegium & promiſſionem factam Matth.10. qui perdiderit animam, &c. probátque Sanctus Thomas: nam gratia quæ datur Martyri remiſſionis omnium pœnarum non poteſt eſſe ex operantis opere, vel enim eſſet ex ipſa tolerantia pœnæ, vel ex feruore charitatis: non ex primo; quia multi Martyres fuerunt antea ſceleſtiſſimi, qui centies promeriti fuerant mortem; mors autem leuiſſima, vt abſciſſio capitis non erat ſufficiens ſatisfactio, & tamen ſi verè Martyres ſunt dimittuntur eis omnes pœnæ; multi etiam Confeſſores plura ſæpè patiuntur quàm Martyres, & tamen non ſemper remittitur eis tota pœna. Non etiam id tribui poteſt merito charitatis; nam multi Confeſſores majorem habuerunt charitatem multis Martyribus, & tamen non habuerunt indulgentiam omnium pœnarum. Martyres autem etiamſi vnum gradum tantum haberent charitatis, hoc ipſo quod Martyres ſunt remiſſionem habent pœnarum omnium, fatendum ergo eſt conferre gratiam ex pacto & inſtitutione Chriſti, ſeu ex opere operato, Quod ſi ſic eam confert, conferet primam; hoc enim ſolum obſtare videbatur, quod non haberet vim ex operato. Secundò, Eccleſia vt aliquem colat, vt ſanctum Martyrem nunquam examinat, an antea fuerit in gratia, ſed indifferenter omnes honorat, quos pro Chriſti fide occiſos conſtat.

Nota tamen martyrium non eſſe Sacramentum; quia illius eſſentiam non habet; in eo enim nulla eſt forma verborum, neque ſignum ſenſibile quod neceſſariò requiratur. Secundò, Sacramenta ſunt remedia contra peccatum ordinaria & ſemper conuenientia. At martyrium tale non eſt, nec omni tempore poteſt haberi. Tertiò, Sacramenta ſunt cauſa gratiæ, vt actiones Dei per ſuos miniſtros: at Martyris occiſio non

non eſt actio Dei per ſuum miniſtrum, ſed actio Dei per ſuum ſatellitem, vt autem eſt paſſio concurrit ad iuſtificationem diſpoſitiuè tantum, ſicut & conuerſio ad Deum in Baptiſmo flaminis. Tum Sacramenta ſunt cæremoniæ piæ, martyrium impia & ſacrilega quatenus à tyranno eſt.

Hæreticus non fit Martyr, licèt pro tuendo aliquo fidei articulo moriatur; quia cum voluntariè maneat extra Eccleſiam non meretur, vt recipiatur in triumphantem tum non habet veram fidem, aſſenſus cuius eſt propter ſummam Dei veritatem; conſequenter in omnia quæ proponit. Vide tract. de Fide.

QVÆSTIO II.

De materia Baptiſmi.

MAteria Baptiſmi, ſiue elementum huius Sacramenti eſt omne naturalis aquæ genus, patet ex Scripturæ locis Matth. 3. quando Chriſtus baptizatus eſt in Iordane, tum ex Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* Epheſ. 5. mundans eam lauacro aquæ. Probatur ex definitione Florentini Concilij in decreto Eugenij, & Lateranen. cap. *firmiter* de ſumma Trinitate, & Trident. ſeſſ 7. canon 2. Ibi autem notanda eſt ſingularis bonitas Dei in homines, quæ ad Sacramentum tantæ neceſſitatis & vtilitatis conficiendum, materiam illam delegerit, quæ ſemper præſto eſt, atque ab omnibus vbique facilè parari poteſt. etſi accidentaliter ſit immutata aqua; ergo eſt materia quam vocan' remot.

Proxima vero eſt ablutio, vt conſtat ex Matthæo vltim. baptizantes eos, &c. Epheſ. 5. mundans eam. Tum quia Sacramenta quæ conſiſtunt in vſu habent pro materia propinqua rem aliquam ſignificantem id quod efficit. Sed Aqua per ſe ſumpta vt ſic, non ſignificat gratiam & regenerationem ſpiritualem, ſicut ſignificat ablutio; ergo ablutio eſt materia proxima. Ita Doctores.

Ablutio autem eſt applicatio materiæ remotæ, vnde Sanctus Thomas quæſt. 66. dicit fieri Sacramentum non in ipſo elemento, ſed in homine cui adhibetur aqua per ablutionis vſum.

QVÆRES primò, *Qualis ablutio ad Baptiſmum requiratur?*

Reſpondeo, quod quamuis olim Baptiſmus vt plurimum fieret per immerſionem, eſt tamen certum per effuſionem quoque aut aſperſionem aquæ validè conferri, vt vſus ab Apoſtolis inceptus declarat. Act. 2. & 4. vbi dicuntur vno die tria hominum millia baptizaſſe, quod non niſi per aſperſionem factum eſt.

Cæterùm nihil ad validitatem Sacramenti refert, vtrùm vnica vel trina ablutio vel immerſio fiat, vt obſeruat Concilium Tridentin. & olim declarauit Sanctus Gregorius libro 1. Epiſtola 41. ad Leand. Retinendum tamen vſum Eccleſiæ particularis docet Catechiſmus.

QVÆRES, *Quanta Ablutio ſit neceſſaria ad Baptiſmum?*

Reſpondeo, tantam requiri quæ ſecundùm communem loquendi morem verè ablutio dici poſſit, ad quod vna gutta ſufficere non cenſetur, ſed ea quantitate opus eſt, vt is qui baptizatur verè dicatur ablui. Obſeruat tamen Iſambertus, ſufficere poſſe guttas aliquot quæ corpus tangant cum aliqua ſui diuiſione & partium ſucceſſione, ſi aliquid aliud extra carnem tangeret, inualidus eſſet Baptiſmus. Hebr. 10. *Abluti corpus aqua munda.* Et cum anima tota ſit in toto, & qualibet corporis parte, ſufficit intingere, quamuis partem licet in ſolemni adminiſtratione intingi debeat caput. Vide Summiſtas.

QVÆSTIO III.

De Forma Baptiſmi.

CHriſtus hanc tradidit Matth. 28. vnde Concilium Florentinum & Tridentinum definierunt eſſe, *Ego te baptizo in nomine Patris, & filij & Spiritus-Sancti*; eſt autem in ea ita neceſſaria inuocatio SS. Trinitatis, vt aliter Sacramentum ſit nullum.

Probatur ex Sanctis Patribus, Zacharia Papa Epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum, quæ refertur cap. *in Synodo* de conſecratione, diſt. 4. vbi dicitur, quod ſi lotus in fonte baptiſmatis, quis fuerit ſine inuocatione Trinitatis perfectus Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris, & Filij & Spiritus-Sancti fuerit baptizatus. Quod ſimiliter ante illum docuerant Sanctus Cyprianus, Epiſtola 63. ad Iubaian. Leo Epiſtola 4. Auguſtinus libro 3. contra Maxim. Arrianum cap. 32. Ambroſius libro de his qui initiantur capit. 4. *Catechumenus*, inquit, *niſi batiZatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti, non poteſt accipere remiſſionem, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.*

Probatur ratione, Baptiſmus noſter eſt imitatio Baptiſmi Chriſti, ſed in illo declarata eſt Sanctiſſima Trinitas: apparuit Pater in voce, Filius in perſona, Spiritus-Sanctus in ſpecie columbæ: Ergo Baptiſmus debet confici in nomine trium perſonarum, quæ exprimi debent; quare nomen Trinitatis aut Dei non ſufficeret. Confirmo ex Act. cap. 19. vbi cum aliquos interrogaſſet Paulus, an Spiritum-Sanctum accepiſſent credentes reſponderunt illi, *Neque ſi Spiritus-Sanctus ſit audiuimus*, ſubjungit Paulus, *in quo ergo baptizati eſtis?* quæ interrogatio ſupponit illos non potuiſſe baptizari, non audito nomine Spiritus-Sancti, qui in forma expreſsè nominabatur.

DIces, referri Act. 8. quod in nomine Chriſti Apoſtoli adminiſtrabant Baptiſmum.

Reſpondent aliqui id ex ſpeciali reuelatione & diſpenſatione initio naſcentis Eccleſiæ Apoſtolos feciſſe, vt nomen Chriſti quod erat odioſum Iudæis & Gentilibus, paulatim amabile redderetur, ejúſque diuina & eximia poteſtas magis celebraretur.

Reſpondeo probabilius videri Apoſtolos nunquam in ſolius Chriſti nomine baptizaſſe, cum nullus antiquorum Patrum, vt obſeruat Vaſquez diſputat. 143. cap. 2. qui Apoſtolis, aut eorum diſcipulis contemporanei fuerint illius

illius reuelationis aut diſpenſationis fecerit mentionem: imò Sanctus Clemens libro 2. Conſt. Apoſt. cap. 25. Dionyſ. capit. 3. Hierar. chiæ Eccleſiaſticæ. Iuſtin. Apolog. 2. pro forma Baptiſmi trium perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis expreſſionem diuino præcepto ſeruandam eſſe declarant, quod etiam in canon. 48. & 49. Apoſtolorum præſcribitur.

Quare quod dicitur Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti intelligendum eſt authoritate, ac poteſtate ipſius Chriſti, quo ſenſu de credentibus in ſe dixit Chriſtus in nomine meo dæmonia eijcient. Dici poteſt Lucam qui Acta ſcripſit ſignificare illos fuiſſe baptizatos baptiſmo Chriſti, ſiue à Chriſto inſtituto & non fuiſſe ſolùm baptizatos Baptiſmo Ioannis, hoc loquendi modo vtitur Paulus ad Galatas 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. In Chriſto vocat baptizatos, qui Chriſti Baptiſmo, & in Chriſti fide baptizati ſunt, forma tamen communi à Chriſto inſtituta. Ego te baptizo, &c. Illi ergo de quibus Acta loquuntur hac communi baptizabantur: ſcio Baſilium libro de Spiritu-Sancto cap. 12 Ambroſium libro de eodem cap. 3. hæc habere, Chriſti inuocatio totius Trinitatis eſt profeſſio, quippe quæ ſimul declaret Deum, qui vnxit Filium, qui vnctus eſt & Spiritum-Sanctum, qui vnctio eſt, vnde illi & quidam alij validum exiſtimarunt Baptiſmum in nomine Chriſti, ſed cum illa ſignificatio valde implicata ſit non ſufficit, vbi expreſſa inuocatio Trinitatis requiritur, alioqui is qui in ſolo nomine Spiritus-Sancti baptizaret, diceretur validè baptizare, qui eodem atteſtante Ambroſio. *Si Spiritum-Sanctum dicas, & Patrem à quo procedit Spiritus, & Filium cuius quoque Spiritus eſt nuncupaſti.* Nemo tamen validum tenebit Baptiſmum, ſi ſolùm ſpiritus nomen inuocetur, etſi in proceſſione ſua Patrem & Filium ſpirantes habeat. Græci vtuntur verbo paſſiuo, & dicunt. Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij & Spiritus-Sancti. Concilium Florentinum declarauit ſic formam eſſe legitimam; quia ipſa ablutio ſignificatur, aut dicendo baptizaris tu vel baptizatur iſte, vel baptizetur hic. Ita Suarez diſp. 21. vbi oſtendit non eſſe de neceſſitate formæ, vt actus baptizandi exprimatur per verbum actiuum aut paſſiuum, aut per modum indicatiui, ſed ſufficere quouis modo exprimatur, modo tali modo adhibeatur, quo ſignificetur actus exercitus baptizandi, denique quæ ſenſum non deſtruunt, vt omiſſio, *ego*, *in*, *Amen*, non ſunt de eſſentia formæ, plura habent Doctores.

QVÆSTIO IV.

De Miniſtro Baptiſmi & ſuſcipiente.

QVilibet homo viator, ſiue fidelis, ſiue mulier, ſiue infidelis poteſt validè conferre Baptiſmum modo poſſit & ſciat debitam formam quouis idiomate proferre, & aquam applicare. Ita vnanimiter Doctores, & conſtat ex Concilio Lateranenſe & Florentino, iſtud in inſtruct. Armen. ſic habet, Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In caſu autem neceſſitatis non ſolùm Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam laïcus & mulier; imò etiam paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſeruet Eccleſiæ & facere intendat, quod facit Eccleſia. Ratio eſt; quia cum Baptiſmus ſit Sacramentum ſummæ neceſſitatis, Chriſtus iure optimo voluit pro miniſtro conſtituere quemlibet hominem rationis vſum habentem, iure, inquam, optimo, quia Chriſtus eſt qui principaliter baptizat, iuxta illud Ioan. 1. *Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem, hic eſt qui baptizat.* In Chriſto autem Coloſſ. 3. non eſt maſculus & fœmina; & ideò ſicut maſculus laïcus poteſt baptizare, quaſi miniſtet Chriſti, ita etiam & fœmina. Nec dicas de Pagano eum non poſſe dare Baptiſmum, quem non habet, nec eſſe miniſtrum Eccleſiæ, cum ad ipſam non pertineat. Reſpondit iam ad primum Nicolaus Papa ad conſultationem Bulgarorum, & habetur de conſecrat. diſt. 4. non baptizatum adhibere tantummodo miniſterium exterius. Sed Chriſtus eſt qui interius baptizat, qui poteſt vti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit: quamuis autem infidelis non pertineat ad Eccleſiam re vel Sacramento, poteſt tamen ad eam pertinere ait Sanctus Thomas articulo 5. intentione & ſimilitudine actus, in quantum ſcilicet intendit facere, quod facit Eccleſia. Et ſic operatur vt miniſter Chriſti, qui virtutem ſuam non alligauit baptizatis, nec etiam Sacramentis.

Ad ſolemniter baptizandum legitimus miniſter eſt Parœcus, vel alius Sacerdos à Parœco, vel ab Epiſcopo loci delegatus, vnde etiam, vt obſeruat Ioan. Fileſacus, Eccleſiæ Paræciales olim vocabantur *Eccleſiæ baptiſmales*.

Suſcipiens, ſeu ſubjectum Baptiſmi eſt quilibet homo natus exiſtens in hoc mortali corpore, vir, fœmina, infans, adultus, probatur ex Scriptura Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, verba hæc ſunt vniuerſalia & neminem excludunt, ex quibus Auguſt. Epiſtola 57. ad Dardanum, infert nondum natum, ſeu exiſtentem in vtero non poſſe baptizari, quia nemo renaſcitur, niſi primò naſcatur. Matth. vlt. euntes docete omnes Gentes baptizantes eos, hinc omnes adultos baptizari poſſe liquet.

De infantibus nondum aſſecutis vſum rationis negant Anabaptiſtæ, ideóque infantes iam baptizatos cum ad ætatem adultam peruenerunt, iterum baptizant, vnde & Anabaptiſtarum nomen ſortiti ſunt. Affirmat Eccleſia & ſemper docuit.

Probatur ex Scriptura Primò, à figura Veteris Teſtamenti: nam Circumciſio erat figura Baptiſmi adeò manifeſta, vt Baptiſmus à Paulo dicatur Circumciſio. Coloſſ. 2. At Circumciſio dabatur infantibus Geneſ. 17. Cur igitur non etiam Baptiſmus? Anabaptiſtæ eluderent iſtud, ſi à Luthero vel Caluiniſt. proponeretur, qui volunt formam Baptiſmi eſſe concionem, quod de Circumciſione dicere non poſſunt.

Secundò, ex duobus locis Euangelij ſimul junctis. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Quo patet infantes ſine Baptiſmo perire in æternum, ſed nondum inde habemus poſſe infantes baptizari, eos enim perire dicent Anabap. eo quod vnici remedij capaces non ſint. At

quod paruuli non pereant Chriſtus docet Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18. *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum.* Vbi etiam Dominus complexus notatur paruulos, eiſque benedixiſſe; quod non faceret, ſi ſalui eſſe non poſſunt. Reſpondebis benedictos paruulos non ætate, ſed innocentia & humilitate, vnde non dixit, *Horum*, ſed *talium eſt regnum.* Vnde Auguſtinus libro 1. Confeſſionum cap. 19. *Humilitatis ſignum in ſtatura pueri commendaſti, Rex noſter cum aiſti: Talium eſt enim regnum cælorum.* Sed eſto ſit hoc, tamen ſimul etiam indicauit ætatem infantilem non eſſet alienam à regno & ſalute: nam cum dixit. *Sinite paruulos venire ad me*, ad litteram, & hiſtoricè loquitur de veris paruulis, quos multi offerebant, vt eis benediceret, complexus ergo ille & benedictio data, ſignificat apertè paruulos poſſe pertinere ad Chriſti ſocietatem & regnum.

Itaque ſicut Iſaac & Iſmaël ſunt allegoricè duo teſtamenta apud Paulum Galat. 4. & tamen hiſtoricè duo veri homines fuerunt, ſic etiam ætas infantilis typus eſt humilitatis, & tamen reipſa idonea eſt ad regnum cœlorum. Reſpondebis Euangelia loqui de pueris, qui iam vſu rationis vtuntur, vt enim Tertullianus notat libro de Baptiſmo, ideò Chriſtus ait. *Sinite paruulos venire ad me*: non enim veniunt niſi grandiores, infantes enim portari poſſunt venire nequaquam. Sed attende Lucam exprimere vtroſque. *Afferebant autem ad ipſum & infantes*: igitur illa vox *venire* accipitur largo modo, pro eo quod eſt accedere & appropinquare.

Tertium argumentum colligitur ex locis, vbi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, vt Act. 16. dicitur: *Lydia baptizata & domus eius*, & de cuſtode carceris. *Baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuò.* 1. Corinthior. 1. *Baptizans*, inquit Paulus, *Stephana domum.* At certè in integris domibus rarum eſt, vt non ſint infantes aliqui.

Probatur ex Concilio Meleuitano canon. 2. ex Viennenſi ſub Clemente V. Tridentino ſeſſion 5. can. 4. Denique ex Auguſtino, qui libro 10. de Gen. ad litt. cap. 25. dicit hanc baptizandorum infantium conſuetudinem eſſe Traditionem Apoſtolicam, quod iam declarauerat Dionyſius cap vlt. Eccleſiaſticæ Hierarch. Diuini noſtri duces, ſcilicet Apoſtoli probauerunt infantes recipi ad Baptiſmum.

Probatur rationibus, Paruuli ſalui eſſe poſſunt: ſed extra Eccleſiam non eſt ſalus, ergo neceſſe eſt vt intrent Eccleſiam, cujus porta eſt Baptiſmus. Major patet ex Matthæo 19. *Talium eſt enim regnum cælorum*: tum exemplo ſanctorum Innocentium, quos colit Eccleſia, inter quos multi erant Gentilium inter Iudæos habitantium, quare de his non poteſt dici, quod circumciſi fuerint, ideóque ſaluati; tum etiam, quia ſi poſſunt paruuli participes eſſe peccati Adami: cur non etiam gratiæ Chriſti? alioquin plus poſſet peccatum quam gratia, cujus contrarium docet Paulus ad Romanos 6. Minor patet, nam Matth. 12. *Qui non eſt mecum contra me eſt.* Et ideò in Symbolo conjungimus cum Eccleſia, *remiſſionem peccatorum.* Ideò Eccleſia comparatur Arcæ Noë; quia ſicut regnante diluuio, qui in Arca non fuit periit, ita & nunc pereunt, qui in Eccleſia non ſunt.

Dices, Matth. 28. *Ite, docete baptizantes.* Priùs iubemur docere, infantes autem doceri nequeunt ex defectu vſus rationis: Ergo nec baptizari, nec credere poſſunt, quod prærequiritur Act. 8. *Si credis, licet*, ait Philippus Eunucho poſtulanti.

Reſpondeo, Chriſtum dare Apoſtolis ordinem ſeruandum in conuerſione Gentium, vt prius inſtruerent; deinde baptizarent, poſtremo monerent non ſufficere fidem & Baptiſma, niſi poſtea adderent legis obedientiam & opera bona. Qui ordo ſeruatur ab Eccleſia cum adulti, qui huius capaces ſunt, veniunt ad fidem.

At ſi vel propter incapacitatem hominum, vel propter defectum aquæ, non poſſint ſeruari omnia, vel non eodem ordine, certè præſtat aliquid ſeruare, quàm nihil. Si quis enim in deſerto eſſet cum Gentili iam moriente, & non eſſet aqua, poſſet illum docere & inſtruere, vt crederet, nec peccaret contra Chriſti præceptum: *docete baptizantes*; quia id intelligitur cum fieri poteſt. Quia igitur infantes non ſunt capaces doctrinæ, & capaces ſunt Baptiſmi, mutatur in eis ordo, vt priùs baptizentur, ne fortè pereant, ſine hoc vnico præſidio, ac deinceps cum adoleuerint doceantur. Quemadmodum ſi adultus ad fidem veniat, & iuſta de cauſa differendus ſit Baptiſmus, tamen docendus erit & monendus, vt legem Dei obſeruet. Et ſtolidus ſanè eſſet, qui diceret Catechumenos non debere legem Dei ſeruare & benè viuere; quia Dominus poſt Baptiſmum poſuit, vt moneantur de obedientia legi præſtanda.

Ad fidem prærequiſitam dico in adultis exigi, infanti verò ſufficere fidem alienam, ſicut ei obfuit peccatum alienum. Id reſpondet Auguſtinus libro 4. de Baptiſmo, cap. 24. *Neque enim*, ait, *dubitare licet, quin fidei Sacramentum accipiant paruuli cum abluuntur; non quia mentis ſue aſſenſione credant, ſed quia parentum fide, ſi parentes fideles fuerint: ſin minus vniuerſæ ſocietatis Sanctorum fide muniuntur.* Adde quod Apoſtoli docuerunt infantes ſaluari per Baptiſmum, etiamſi corde non credant, nec ore confiteantur. Itaque in neceſſitate Sacramentum ſupplet fidei actualis & propriæ defectum, ſicut è contrario fides in bono latrone ſuppleuit ipſum Sacramentum, quod non habuit. Vide Bellarminum cap. 19. multa ſoluentem argumenta & nota infantem credere non actu proprio, ſed alieno, vt enim loquitur Auguſtinus ſerm. 10. de verbis Apoſtoli. *Accommodat mater Eccleſia infantibus aliorum pedes, vt veniant, aliorum cor, vt credant, aliorum linguam vt confiteantur.*

In adultis baptizandis requiritur, ſaltem triplex diſpoſitio.

Prima, eius conſenſus, ſeu intentio actualis, aut virtualis recipiendi Baptiſmum, vt conſtat ex cap. *Maiores*, & cap. de Iudæis diſtinct. 54. & ex Auguſtino libro 2. contra Petilian. cap. 35. & libro de Catecheſ. rudibus capit. 17. Vnde quando quis ſeriò vult percipere Baptiſmum, quamuis neque fidem neque dolorem de peccatis habeat, verè ipſius Baptiſmi characterem recipit. Accedit ratio, qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te, id eſt, niſi conſentias & intendas. Adde quod baptizatus ſumit per Baptiſmum multas obligationes, æquitas autem non patitur, vt qui præditus eſt vſu rationis

adſtringatur

adſtringatur ad has obligationes, niſi conſentiat & intendat eas ſubire ſuſcipiendo Baptiſmum voluntariè: quare ſi quis baptizaretur & non haberet intentionem ſuſcipiendi Sacramentum, *id eſt*, id quod à ſancta Eccleſia adminiſtratur, non teneret Sacramentum, & ſi poſteaconſentiret poſſet iterum baptizari. Ita Sanctus Thomas quæſt.68. artic.7. ad 2.

Secunda eſt attritio ad recipiendum cum fructu, vt conſtat de fide, tum ex Concilio Carthaginen.cap.83. Tridentino ſeſſion.6. canon.7. Tum ex Act.2. vbi dicitur. *Pœnitentiam agite, & baptizemini vnuſquiſque veſtrum.* Non eſt tamen neceſſaria confeſſio ſacramentalis, cum Baptiſmus ſit ianua omnium Sacramentorum, vt benè docet Sanctus Thomas articul.6. Sed ſoli Deo baptizandus confiteri debet peccata ſua ea mente cogitando & deflendo.

Tertia diſpoſitio eſt fides ſupernaturalis ad quam obtinendam dicitur Matth.vltim. *Docete Gentes baptizantes eos.* & Marc.11. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui non crediderit condemnabitur.* Fieri tamen poteſt, vt aliquis non habeat fidem infuſam, & nihilominus recipiat verum Baptiſma & characterem; quamuis non recipiat fidem & gratiam, vt ſi detur caſus vt aliquis inſtructus ab hæretico habeat intentionem recipiendi quod fuit inſtitutum à Chriſto quicquid illud ſit, hic enim recipiendo Baptiſmum validè illum recipit, alioquin eſſet rebaptizandus, non gratiam, quia non habet fidem. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* Quod neque recipiat fidem infuſam patet; quia non eſt ſufficienter diſpoſitus ad illam recipiendam. Ita S.Thom. articulo 8. Reginaldus, Valentia & alij. Licet autem fides requiratur ex parte gratiæ, quam quis per Baptiſmum conſequitur, non eſt tamen neceſſaria ex parte characteris; non enim ait Sanctus Thomas, Sacramentum perficitur per iuſtitiam hominis dantis vel ſuſcipientis Baptiſmum, ſed per virtutem Dei.

De Patrinis dictum eſt in titulo de ritibus Baptiſmi: hos quidam tenent introductos à Teleſphoro Papa, circa annum 138. Sed ab Apoſtolis declarat Dionyſius & regula Sancti Auguſtini qua ad eos refertur omne id cuius primus inſtitutor non dignoſcitur, & ante Theleſphorum Dionyſius horum meminit, ſub nomine Suſceptorum, ſeu Sponſorum, ſeu fideiuſſorum; quia ipſi ſunt tanquam patres baptizati, & nomine illius promittunt; vnde officium eorum eſt, vt ſint pædagogi & cuſtodes baptizati, quamdiu opera & præſidio illius in fidei inſtructione eget. Solent etiam Patrini nomen imponere baptizando, vt olim in Circumciſione fiebat.

QVÆSTIO V.

De effectibus Baptiſmi.

Effectus Baptiſmi ſaluberrimi ſunt & complures à Sanctis Patribus enumerantur, quos Catechiſmus Romanus ad octo ſupputat. Primò, omne peccatum, ſiue originale, ſiue actuale quantumuis nefarium Baptiſmo obtinet remiſſionem.

Secundò, per Baptiſmum homo liberatur non ſolùm à tota culpa, ſed etiam à tota pœna.

Tertiò, gratia diuina confertur, qua homo iuſtificatur animáque, vt dicit Gregorius Nanzianzenus, fit pulchra, ſplendens Deo, dilecta, &c.

Quartò, hanc gratiam ſequitur nobiliſſimus virtutum influxus à Chriſto capite, vt loquitur S.Thom.quæſt.69.art.6. conceſſus.

Quintò, homo Chriſto capiti tanquam membrum copulatur & connectitur.

Sextò, indelebili charactere inſignitur, ex cuius vi & natura definitum eſt ab Eccleſia Baptiſmum iterari non poſſe.

Septimò, per ipſum cœli ianua aperitur in quantum amouet impedimentum introeundi, quod eſt culpa & reatus pœnæ.

Octauò, magna animi voluptas & lætitia baptizato confertur, poterat & adiungi ſanitas, quam aliquando impertitur, vt patet de lepra Conſtantini, & ablatio irregularitatis ſeu infamiæ cuiuſcumque prouenientis ex delicto; quam tolli per Baptiſmum; quia hæc ſequitur peccatum, tenent communiter Caſuiſtæ, Syluester, Angelus, &c.

Porrò Aduerſarij alios quinque effectus Baptiſmi enumerant.

Primum, quod baptizatus non poſſit damnari, etiam ſi velit, niſi nolit credere.

Secundum, quod Baptiſmus liberet ab obedientia diuinæ legis.

Tertium, quod liberet ab humanarum legum obſeruatione.

Quartum, quod liberet ab omnibus votis.

Quintum, quod ſola memoria Baptiſmi iuſtificet à peccatis quæ fiunt poſt Baptiſma, qui certè non tam ſunt Baptiſmi effectus, quam Lutheranorum errores totidem canonibus à Concilio Tridentino ſeſſion.7. damnati. Catholicos Baptiſmi effectus tres præcipuos expendo, ad quos reuocantur ſupra recenſiti, qui ſunt

Remiſſio omnis culpæ & pœnæ, collatio gratiæ ex opere operato, impreſſio characteris.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Baptiſmus remittit omnem culpam peccati originalis, & omnium actualium ante commiſſorum, & pœnam ipſis debitam.

Probatur ex Scriptura, quæ dicit verè tolli, & non imputari tantùm vel tegi, vt errant Hæretici, ex eo quod concupiſcentiam verè eſſe peccatum doceant, quam certum eſt manere in baptizatis vſque ad mortem. Ezech.36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Pſalm. 50. *Dele iniquitatem, amplius laua me.* Micheæ 7. *Auferſ iniquitatem.* Ioan.1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Iſai. 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata.* At certè mũdatio & lauatio aufert maculas & radius Solis diſſoluit; ita nebulas calore ſuo, vt nihil remaneat tenebrarum, ſed cœlum verè ſerenum appareat. Roman. 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi.* At illi verè

conſtituuntur

constituuntur peccatores, & verè iustitiam amittunt non sola imputatione. Coloss. 2. *Cum essemus mortui propter delicta conuiuificauit nos Christo.* At certè noua ista generatio, de qua 1. Petri 2. *Quasi modo geniti infantes*, & vita requirit veram mortem peccatorum & veram mutationem interiorem: non autem solam imputationem, quomodo enim verè viuificati & regeniti sumus, si adhuc mors in nobis manet. Roman, 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, & postea concludit, ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo, ex quo patet, quod per Baptismum homo moritur vetustati peccati, & incipit viuere nouitati gratiæ: omne autem peccatum pertinet ad pristinam vetustatem; vnde consequens est, quod tollatur omne peccatum.

Probatur ex Sanctis Patribus, Augustinus in Enchiridio capite. 64. *Baptismatis munus contra originale peccatum donatum est, vt quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur, & tamen actiua quoque peccata quacumque ore, corde, opere commissa inuenerit, tollit & in hac magna indulgentia, vnde incipit hominis renouatio, soluitur omnis reatus & ingeneratus, & additus.* & libro 1. de peccatorum meritis capit. 15. *Generante carne, tantùm contrahitur peccatum originale, regenerante autem spiritu, non solùm originalium, sed & voluntariorum peccatorum fit remissio.* Gregorius libro 9. Epistola 39. *Qui dicit peccata in Baptismate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Basilius in Psalm. 1. *Ex Adam via mortis & interitus, regenerati sumus in Christo, viuimus vita eius, & manemus, sic vsque ad tempus liberi arbitrij.* Chrysostomus homilia de Adamo & Eua. *Ideò prædicat Ecclesia Catholica vbique diffusa debere paruulos baptizari propter originale peccatum; quia ipsa conceptio sine carnis cupiditate non fit, & transgressione peccati venio in originale cupiditatis, vt Baptismus paruulorum abluat omne peccatum.*

Probatur ex Conciliis, Carthaginensi 4. capite 1. cui subscripsit Augustinus inter præcipua in eo fidei dogmata, quæ Episcopus consecrandus profiteri debet reponitur remissio peccatorum per Baptismum. Florentino in decretis Eugenij. Tridentino sessione 5. canon. 5.

Probatur ratione, Non minus verè ac solidè Deus purgat homines à peccatis per Baptismum, quàm infecit primus parens, imò ad eius gloriam spectat, vt vbi abundauit delictum superabundet gratia, & melius aliquid nobis medendo restituat, quam ablatum fuerit per vulnus illatum. Hinc Iobo afflicto à Satana reddidit duplicia. Sed primus parens verè nos infecit (vt agnoscunt Aduersarij) verè nobis inhæret macula quæ animam deturpat. Ergo ex aduerso Christus verè nos purgat per Baptismum Non ergo per solam peccati non imputationem quandoquidem hæc duo inter se non cohærent, peccatum verè aboleri, & hoc tantùm sensu aboleri, quòd dissimuletur, reuera autem inhæreat animæ.

Adde quod 1. Ioan. 3. venit filius hominis vt dissoluat opera diaboli, id est peccatum, quod si tantùm tegitur, reipsa non dissoluitur, atque ita Christus id non facit ad quod faciendum venit.

Secundò, si in Baptismo non alio modo tollitur peccatum, quàm quod tegitur, duo sequentur absurda. primum non rectè respondere huic effectui exteriorem aquæ ablutionem, quæ reipsa eluit vel saltem eluere potest sordes corporis, decuisset potiùs legem ferri à Christo, vt candida veste operiretur paruulus, vestis enim candida facit solùm, vt non appareant, atque ita effectui Baptismi assignato à Caluinistis est conformior. Alterum subesse falsum verbo Dei, quippe quod plerisque in locis præ se fert indicatque verè peccatum destrui quod remitti dicitur. *Lauabis me & super niuem dealbabor*, Psalm. 50. & Isai. 1. *Si fuerint peccata, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus velut lana alba erunt.* Quis niuem dicat, aut lanam albam hoc tantum nomine albam quod nigrorem tegat? Imò quis vel tantillum nigroris in ea suspicetur, siue occultum, siue manifestum? Concludat Greg. Epist. 39. infideles vocans eos, *Qui dicunt peccata in baptismate non verè, sed superficie tenus dimitti.*

Dices ex Psalm. 31. *Beati quorum tecta sunt peccata, beatus cui non imputauit Dominus peccatum.* Ergo in Baptismo, ita condonatur, vt maneat peccatum.

Respondeo tegi & non imputari esse remitti & aboleri penitus, saltem apud Deum, quia licet sordes animi reipsa non ablatæ, dici possint tectæ & non imputari, nec puniri ab hominibus quorum non est illas videre aut vindicare, non tamen respectu Dei, cui omnia intuenti nihil quod reuera existat potest esse tectum, quamuis sit tectum hominibus. Similiter contingere potest, vt homo non imputet alicui peccatum verè commissum, vel interpretando factum eius dubium, & obscurum in meliorem partem, vel in illud non animaduertendo iurisdictionis defectu: Hoc Deo euenire non potest, cuius oculis omnes actus humani penitissimé patent, & suo librantur pondere, cuius item iustitia nullam relinquit culpam pœnæ vacuam. Itaque cum apud Deum tecta dicuntur peccata, hoc ipso realiter, veréque remissa significantur.

Pœnæ remissio per Baptismum probatur ex scriptura, Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio*, vbi Ambros. dicit. *Gratia Dei Baptismo gratis omnia condonat.* Estque de fide definitum in Florent. & Trident. sess. 6. cap. 14. Vbi dicitur in Sacramento Pœnitentiæ temporalem pœnam non totam semper, *vt in Baptismo fit dimitti.* Id etiam confirmari potest ex vniuersali Ecclesiæ praxi, quæ nulla vnquam satisfactionis opera pro peccatis præteritis imponere solet baptizatis, sicut imponit sacramentaliter confessis, imo Catechismus docet, ita plenè remitti pœnam temporalem & purgatorij, vt erraret qui baptizato imponeret satisfactionem maximámque Baptismo iniuriam faceret.

Hinc sequitur eum qui recipit Baptismum absque vllo impedimento, & obice statim in cœlum euolare, & immediatè ad gloriam recipi, efficacissimè enim applicari voluit Christus Passionis

Paſſionis ſuæ meritum in hoc Sacramento, vt renouet perfectè animam ab omni culpa & pœna tanquam regeneratio purum eſſe tribuens, hoc proteſtatur Eccleſia in oratione defuncti paruuli ſepeliendi, quæ & Miſſam Angelorum pro defunctis non adultis celebrat, ſignificans illorum conſortio adſcriptos eſſe. Quod & docuere Sancti Patres, inter quos Auguſtinus libro de peccatorum meritis cap 20. *Si percepto Baptiſmate infantes de hac vita migrauerint, ſoluto reatu quo originaliter erant obnoxij, perficientur in lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum iuſtificatos præſentia corporu illuminat.*

QVÆRES, *Vtrùm Baptiſmus auferat pœnas ciuiles & pœnalitates huius vitæ?*

Reſpondeo ad primum negatiuè, alioquin iniuſti eſſent Magiſtratus ſuſpendentes furem, aut homicidam ob crimina ante Baptiſmum commiſſa. Ratio eſt; quia in pœnis quæ iudicio humano, ſeu rigore legum & diſciplina politica ſtatuuntur, non attenditur qua pœna dignus ſit homo quo ad Deum tantùm, ſed etiam in quo ſit obligatus quo ad homines, qui læſi & ſcandalizati ſunt per peccatum alicuius. Et ideò licet homicida liberetur per Baptiſmum à reatu pœnæ, quo ad Deum, remanet tamen obligatus, quo ad homines quos iuſtum eſt ædificari de vindicta culpæ, quæ eos ſcandalizauit, tum multi peccarent effrænatè ante Baptiſmum, ſi per ipſum ab omni pœna ciuili eximerentur; imò multi fictè ipſum ſuſciperent, vt euaderent ſupplicium. Piè tamen, ac religiosè agerent Principes, remittendo pœnas ciuiles, vt Dei gloria in ſuis Sacramentis illuſtrior fieret.

Ad ſecundum Reſpondeo, manifeſtum eſſe non auferri illud *Graue iugum quod*, vt ait Eccleſ. capite 40. *eſt ſuper filios Adæ à die exitus ventris, vſque in diem ſepulturæ.* Hoc iugum trahimus per varios dolores, miſerias, morbos, & anguſtias, quibus etſi immunis eſſet homo, ſola concupiſcentia inordinata intolerabilem probatiſſimis hominibus faceſſit pœnam, vt teſtatur Paulus experimento ſuo.

Rationabiliter autem Chriſtus noluit in prima reſurrectione, ſeu regeneratione ſpirituali, quæ fit in Baptiſmo tollere has pœnalitates, quanquam Sacramentum iſtud habeat vim eas auferendi, vt docet Sanctus Thomas, & auferre reſpectu iuſtorum in reſurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem; quia per Baptiſmum homo incorporatur Chriſto, fitque membrum eius, & ideò conueniens eſt, vt id agatur in membro incorporato, quod actum eſt in capite. Chriſtus autem habuit à conceptu ſuo corpus paſſibile in laboribus continuis; ſub capite ſpinoſo membra non debent eſſe delicata. Secundò, homo debet ſemper ferre ſecum teſtimonium lapſus Adæ, & totius naturæ, vt intelligat quantum Deus ſuperbos odio habeat, vt dicunt Sanctus Thomas, Suarez, Reginaldus, & vt ſemper addit Auguſtinus libro Confeſſionum cap. 1. appareat gratia Saluatoris, dum videmus quantum ſuo pondere in malum procliuis ſit vitioſa natura, & quantam opem requirat. Tum conueniens eſt non tolli pœnalitates propter exercitium & luctam, vt ſcilicet homo pugnans in hac vita, cum tot difficultatibus coronam referat, ſi cum merito fidei vincat. Adde quod homo non debebat accedere ad Baptiſmum, propter commoda, aut impaſſibilitatem præſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ; vnde 1. Corinth. 15. *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*

DIces, remota cauſa remouetur effectus, ſed cauſa pœnalitatum eſt peccatum originale, quod tollitur per Baptiſmum.

Reſpondeo, maiorem eſſe veram in phyſicis, non autem in moralibus, vt hic vbi tota ratio facti eſt voluntas facientis, & licet donum Dei ſit potentius peccato Adæ, tamen pœnalitates non tollet, niſi poſt reſurrectionem

Secundus effectus Baptiſmi, eſt gratia ſanctificans, ſeu qua homo iuſtificatur, & dona & virtutes infuſæ, quæ illam comitantur.

Probatur ex Scriptura Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Regeneratio ſpiritualis fit tantum per gratiam. Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus-Sancti, quem effudit in nobis abundè*, id eſt, ad remiſſionem peccatorum, & copiam virtutum, vt Gloſſa ibi exponit.

Gratiam iuſtificantem Primò conſequitur gratia ſacramentalis, ſeu characteriſtica, hoc eſt, ſpecifica & propria Baptiſmi, quæ in quolibet Sacramento ad proprium finem conferri ſolet, hæcque eſt vnio baptizati, tanquam membrum cum Chriſto capite, quæ illum ſpeciali modo ad ſeruandam diuinam legem, Sacramenta dignè ſuſcipienda, aliáque religionis & pietatis officia debitè exequenda habilem reddit, quam ſacramentalem Deus dat, cum infuſione virtutum & habituum, licet ex impedimento corporali pueri ſint ad actus earum inhabiles, ſicut etiam adulti dormientes impediuntur ab actibus habituum acquiſitorum ob ligationem ſenſuum per ſomnum.

Probatur ex Catechiſmo Concilij Tridentini. *Huius Sacramenti virtute, non ſolùm à malis, quæ verè mala ſunt dicenda, liberamur.* Puta peccato originali in pueris, & etiam actualium in adultis. *Verum etiam eximiis donis & muneribus augemur; animus enim noſter diuina gratia repletur, qua iuſti & Filij Dei effecti æternæ quoque ſalutis hæredes inſtituimur, &c. Eſt autem gratia, non ſolùm per quam peccatorum fit remiſſio, ſed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam & lux, quæ animas noſtras pulchriores & ſplendidiores reddat, huic verò gratiæ additur nobiliſſimus virtutum comitatus, quæ in animam cum gratiâ diuinitus infunduntur.*

Probatur ex Sanctis Patribus, Dionyſius capite 2. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, illuminationem attribuit Baptiſmo. Auguſtinus libro 1. de Baptiſmo capite 26. *Ad hoc Baptiſmus valet, vt baptizati Chriſto incorporentur, vt membra eius.* Caſſiodorus ſuper illud Pſalmi 22. Super aquas refectionis educauit me. *Per augmentum virtutis & bonæ operationis educauit in Baptiſmo.* & ſuper Pſalm. 2. dicit. *In Baptiſmo ſic omnia & originalia delicta, & perperam commiſſa mūdatur, vt illi nos reſtituat puritati, in qua Adam noſcitur eſſe procreatus.*

Probatur ratione, natura in generatione humidum radicale, & calorem natiuum præbet puero

puero actiuissima ad functiones naturales, à fortiori Baptismus qui est regeneratio suppeditabit virtutes necessarias ad actus Christianos, tum Baptismus vnit Christo capiti; ab illo autem gratiæ & virtutis plenitudo deriuatur, iuxta illud Ioan. 1. de plenitudine eius nos omnes accepimus: Ergo per Baptismum consequimur gratiam & virtutes.

Tertius effectus Baptismi, est character indelebiliter impressus animæ, propter quem Baptismus non potest iterari, quamuis collatus sit ab hæretico vel Pagano; *Quia Christus ipse est qui baptizat.* ait Augustinus.

Probatur impressio ex Scriptura Ephes. 1. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostra*, & aduerte fideles in Scripturis frequenter vocari signatos, siue sigillatos Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum-Sanctum, in quo signati estis in die redemptionis*, id est, interprete Oecumenio in die quo baptizati sumus, qnando redemptio Christi applicata nobis fuit. 2. Corinthior. 1. *Qui confirmat nos, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Characterem imprimendum per Christi Sacramenta prophetarat Isaias cap. 66. *Ponam in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint ad Gentes in mare in Africam & Lydiam, in Italiam & Græciam ad eos, qui non audierunt de me.* Loquitur enim de nouis Christianis, qui signati charactere Christi in Sacramentis accepto in vniuersum orbem detulerunt fidem.

Probatur ex Patribus allatis in quæstione vndecima de Sacramentis, quibus addo Beatæ Agnetis, cùm ad fidem curandam vrgeretur, & ad nuptias cum filio Præfecti incundas testimonium singulare, illa respondit fidem suam oppigneraſſe Christo in Baptismo, in quo dona spiritualia acceperat, & inter illa: *Posuit*, ait, *signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.* Hæc obsignatio baptizati, licet dici possit fieri per gratiam, tamen propriè per characterem fieri dicitur, cuius proprium munus est signare, & ad quosdam actus deputare & distinguere ab illis, qui Christo non sunt incorporati.

Probatur ex Concilio Florentino in Armen. instructione Tridentin. session. 4. canon. 9. Signaculum spirituale & indelebile vocantibus. Vbi aduertenda est differentia inter characterem & alia dona Dei, Fidem, Spem, Charitatem, Gratiam sanctificantem, & similia: hæc enim licet destrui nequeant à nulla causa creata, vti qualitates spirituales, quæ physicis agentibus non subiacent, quorumque subiectum est spirituale & incorruptibile, anima scilicet rationalis, tamen demeritoriè per peccatum quodlibet mortale deperduntur. Est enim in libero animæ arbitrio hanc gratiam & charitatem deserere per prauæ voluntatis actum, sicut & fidem, & spem per actus fidei, speique contrarios.

At nō est in potestate animæ vllo etiam infidelitatis aut desperationis peccato hunc characterem deserere aut expungere. Sic nec in eius potestate est, dum voluntariè suscipit Sacramenta dicti characteris impressionem impedire; etsi crederet illum esse figmentum aut Sacramentum non habere vim imprimendi talem characterem. Manet ergo hoc signum indelebile testimonium ferens aduersùs desertores fidei. In Beatis autem vt designentur ij quibus abundantiùs datum est frui diuitiis Christi. In damnatis verò ad maiorem confusionem & ignominiam, vt notior sit ingratitudo eorum, qui gratiam hic acceptam neglexerunt.

Itaque generaliter loquendo quicumque voluntariè reiterant Baptismum, aut Confirmationem, aut Ordinem, sacro characteri, Deóque iniurij sunt. Ideò olim veri Catholici maluerunt subire mortem, quàm in se pati Baptismi iterationem, qui ideò occisi ab Hunnerico Rege Arriano Martyres habiti sunt, vide Victorem Vticensem hoc. lib. 3. Vandal. persecutionis referentem, & inde secuta miracula.

Fictitij effectus Hæreticorum reprobantur.

Primus, quod Baptismus faciat hominem impeccabilem, hoc eludit Scriptura, Rom. 1. *Tu fide stas noli altum sapere, sed time.* Heb. 6. *impossibile est eos, qui semel illuminati sunt & postea prolapsi sunt.* 2. Petr. 2. *Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quàm retrorsum conuerti.*

Item probatur exemplo Simonis magi quem constat credidisse & baptizatum fuisse, & postea peccauisse, Act. 8.

Dices 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo non peccat, quoniam semen ipsius in eo manet & non potest peccare; quia ex Deo natus est*, & cap. 5. *Qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conseruat eum & malignus non tangit illum.* Iouinianus in iis fundabat errorem suum & si quem peccantem apprehendisset dicebat non fuisse tinctum nisi ex aqua.

Respondeo Ioannem intelligendum esse in sensu composito, sicuti, & Matth. 7. non potest arbor bona malos fructus facere, nimirum dum bona manserit, solùm enim vult Ioannes ostendere veram iustitiam & charitatem, non posse consistere cum peccato mortali, proinde non esse iustum, qui malè agit, ita exponunt Aug. tract. 5. in Epist. Ioan. Hieron. lib. 2. in Iouini. & colligitur ex cap. 3. vers. 6. *Omnis qui in eo manet non peccat.*

Probatur & ratione, quia Pœnitentiæ Sacramentum necessarium est ad tollenda peccata post Baptismum commissa; ergo necessariò sequitur peccati post Baptismum, nec sufficere memoriam Baptismi, 1. Timoth. 1. *Quidam circa fidem naufragarunt.* Ergo Baptizati possunt damnari etiam si credant; ergo Baptismus non facit impeccabilem.]

Secundus, & Tertius, quod Baptismus eximat ab obseruatione Legis diuinæ & humanæ, quod duobus modis intelligi potest. Vel quod facere contra legem non sit iniustum, nec peccatum, quasi lex abrogata esset, & hoc modo non docent Aduersarij, quippe qui volunt omnia opera iustorum esse peccata; quia nunquam implent legem vt oportet. Vel vt facere contra legem, sit quidem peccatum, non tamen imputetur iis, qui fidem habent, nec pendeat iustificatio, aut salus ab impletione legis, sed à sola misericordia, quæ per fidem apprehenditur, & in hoc sensu Lutherani docent Christianum non obligari ad legem diuinam, sed solùm ad fidem: imò in hoc consti-

tuunt Summam libertatis Euangelicæ, quod pia conſcientia ſit libera ab omnibus operibus non quidem faciendis (volunt enim ea fieri, vt fructus fidei) ſed accuſantibus & defendentibus; quia nulla opera ſunt tam mala, quæ credentem accuſare valeant & damnare, nulla tam bona, quæ eum defendere & iuſtificare queant.

Luther in commentario ſecundi capitis ad Galatas ſic habet, ſi conſcientia dictat, peccaſti, reſponde peccaui: ergo Deus puniet, & damnabit, Non, at lex Dei hoc dicit, ſed nihil mihi cum lege; quare, quia habeo libertatem. Idem docet Caluinus libro 3. Inſtitution. cap. 19. § 2. 4. & 7.

Contrarium tenet Eccleſia ex Scripturis, quæ docent ſolam fidem non ſufficere ad ſalutem, aut ad gratiam acquirendam & conſeruandam. Nam obſeruatio mandatorum neceſſaria eſt: imò cùm adulti recipiunt Baptiſmum addicuntur ſeruituti Dei. Matth. 28. *Baptizate docentes eos ſeruare quecumque mandaui.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Roman. 2. *Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores.* Iacob. 2. Si quis fidem & non opera habeat, quid prodeſt? De lege humana, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ciuili probatur non eximi per Baptiſmum. Roman. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, & infrà, *Subditi eſtote, non propter iram, ſed propter conſcientiam.* Hebr. 13. *Obedite Prepoſitis veſtris, & ſubiacete illis.* Epheſ. 6. *Serui obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore ſicut Chriſto.* Coloſſ. 3. *Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus, ſed in ſimplicitate cordis ti mentes Deum.*

Dices, hominem addici ſeruituti Dei per Baptiſmum, conſequenter liberari ab aliis vinculis, vt 1. Corinth. 7. dicitur. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.* Coloſſ. 2. Ezechiel. 10. Matth. 15. *Fruſtra colunt me mandatis hominum.*

Reſpondeo addici Deo, & proinde liberari à ſeruitute contraria. Obedientia autem, & ſeruitus, quæ præſtatur hominibus non eſt contraria, ſed ſeruitus diaboli & peccati; illa enim ſola impedit ne ſeruiamus Deo, vnde Roman. 6. dicitur. *liberati à peccato*, non ab hominibus. *Serui autem facti Deo.* Et idem Apoſtolus paſſim imperat obedientiam quibuſlibet ſuperioribus. De Eccleſiaſticis Chriſtus dixit, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.*

Dices, Iacobi 4. *Vnus eſt Legiſlator, qui poteſt perdere & ſaluare.* Vnde Nouatores inferunt, non poſſe Papam, aut vllum hominum quicquam ſtatuere, quod conſcientiam obliget.

Reſpondeo negando conſequentiam; imò & antecedens, quod præcisè intelligitur de Legiſlatore independente qualis eſt Deus ſolus; non autem quod nullus alius ſit cum Prouerbio 8. *Reges & Legum conditores per Deum iuſta decernant.* Matth. 23. Vnus eſt pater veſter, magiſter, &c. Et tamen Paulus vocat ſe patrem, & 1. Corinth. 4. & magiſtrum 2. Timoth. 1. Conſequentia verò non valet; quia eſto Deus ſolus poſſit, ita perdere, aut ſaluare, vt à nullo impediri nequeat, & abſolutum damnare, aut damnatum abſoluere, hinc non infertur, quod Prælati, quos Deus iuſſit audiri, non queant obſtringere conſcientiam ad mandata ſua, cum iuriſdictio eorum à diuina deriuetur.

Quartus, quòd Baptiſmus irritet vota quælibet eum præcedentia vel ſubſequentia, excepto illo quod fit ſuſcipiendo Baptiſmum de Legis obſeruatione.

Negat fides Catholica, quia repugnat Scripturæ Pſalm. 75. *Vouete & reddite.* Eccleſ. 5. *Si quid vouiſti Domino, ne moreris reddere; diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio, &c.* 1. Timoth. 5. *Viduas deuita adoleſcentiores; cum enim luxuriata fuerint in Chriſto, nubere volunt habentes damnationem; quia primam fidem*, ſcilicet votum continentiæ, *irritam fecerunt.* Tum legis naturæ & diuinæ eſt obligatio voti: neutram autem ſoluit Baptiſmus; imò potiùs confirmat, quia promiſimus ſeruare legem Dei, ſeu omnia mandata, quorum vnum eſt vt vota impleamus.

Dices, in veteri Teſtamento Deus diſpoſuit de votis, quomodo fierent, quando & de quibus; at in nouo Chriſtus nec Apoſtoli nihil præſcripſerunt.

Reſpondeo, Iudæos quaſi paruulos punctualiter docendos cum præſcriptione faciendorum, Lex erat ei vt pædagogus: Charitas autem diffuſa eſt in Chriſtianos per Spiritum-Sanctum, quos vnctio docet, quæ poſſunt voueri, at votum implere eſt iuris naturæ.

Inſtabis, vel volumus vouere res à Deo præceptas, aut non præceptas, ſi primum, fruſtra id facimus, cum in Baptiſmo vouerimus omnia præcepta: ſi ſecundum iam pugnamus cum Baptiſmo, qui nos liberauit ab omnibus inuentionibus humanis, ipſique iniuriam facimus, quaſi votum in eo factum non ſit ſufficiens, adde quod plus vouemus in Baptiſmo, quàm implere valeamus.

Reſpondeo, nos poſſe vouere res præceptas, modo ſint bonæ, & conducant ad ſalutem: neque id pugnat cum Baptiſmo, qui non liberat nos à ſalutaribus, ſed à malis. Tum falſum eſt votum eſſe humanam inuentionem, cum ſit iuris diuini & naturalis: neque fruſtra eas vouemus; nam inſurgit duplex obligatio, vnde magis incitamur ad obſeruantiam, tum præſtantius eſt facere aliquid ex duplici virtute religionis, ſcilicet & obedientia, quàm ex vna tantùm. Neque putamus promiſſionem in Baptiſmo factam inſufficientem eſſe, ſufficiens enim eſt ad ſuum finem, id eſt, ad ſaluandum hominem, licet addi poſſit, aliquid vt faciliùs vel excellentiùs aliquis ſaluetur: quomodo non ideo Baptiſmus eſt inſufficiens, licet ſit melius baptizari & Euchariſtiam ſumere, quàm baptizari tantùm. In Circumciſione Iudæi pollicebantur Legis obſeruantiam, & tamen multa vouebant præter ipſam. Ad exceſſum voti.

Reſpondeo, eſſe blaſphemiam cum Matth. 11. dicatur. *Iugum meum ſuaue eſt*, & Pauli Philipp. 4. Omnia poſſum in eo qui me confortat.

Quintus error, quod ſola memoria Baptiſmi dimitti faciat peccata & iuſtificet ſubijciendo ante oculos promiſſionem Dei, & eodem modo excitando, quæ ſola iuſtificat.

Reprobatur ab Eccleſia, quæ docet. Primò, dimitti peccata in Baptiſmo ex opere operato, ſeu vi Sacramenti: vnde elicitur ea tantum, remitti, quæ inuenit in homine, cum Baptiſmum ſuſcipit. Memoria autem eius vtilis quidem dicitur ad agendas Deo gratias, & vt ſit velut frænum ad non peccandum, ſed nullo modo ſufficit ad iuſtificationem.

Secundò, amiſſam gratiam Baptiſmi non poſſe iterum recuperari per Baptiſmum, ſed quærendum eſſe aliud remedium magis arduum & difficile, id eſt Sacramentum Pœnitentiæ, poſt quod remanet luenda pœna pro ſatisfactione; & inde conſequitur Indulgentiarum vtilitas, & Purgatorij neceſſitas, & appoſitè data denominatio Pœnitentiæ, ſecunda poſt naufragium tabula; quia qui pœnitentiam agunt, non redeunt ad nauim Baptiſmi, ſed magno cum labore ſulcant æquor, vt ij qui arrepta tabula poſt naufragium in ea vehuntur.

Dices, Matth. 28. qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; hæc promiſſio ſemper manet, & ſemper vera eſt, quare qui peccando receſſit à fide & fœdere Baptiſmi, ſi iterum incipiat credere & amplecti fœdus Baptiſmi, certè ſaluus erit.

Reſpondeo, argumentum nihil concludere; quia licet veritas promiſſionis ſit perpetua, tamen conditionata eſt, non abſoluta, alioquin omnes Apoſtatæ ſaluarentur, de illis enim verum eſt dicere, crediderunt & baptizati ſunt. Itaque intelligitur conditio, ſi permanſerit in fide & fœdere, ſin minus non ſaluabitur hoc remedio, ſed aliud quærere debet, qui enim ſemel excidit per peccatum mortale à fœdere Baptiſmi, non poteſt iterum ad illud redire per ſolam cogitationem aut memoriam, patet exemplo fidei, & aliarum rerum, non enim dicitur redire ad fidem, qui cogitat ſe aliquando credidiſſe, ſed qui iterum incipit actu credere; Baptiſmus autem non poteſt iterari, vt dictum eſt.

Dices, in Baptiſmo communicatur nobis Chriſti puritas, ſed illa ſemper viget: ergo ſemper manet virtus Baptiſmi nobis collati, & ſemper ad eum redire poſſumus.

Reſpondeo, Chriſti puritatem & iuſtitiam ſemper manere, non autem noſtram, quæ data erat in Baptiſmo, aboletur enim cum peccamus. argumentum nititur falſo fundamento, quòd iuſtificemur iuſtitia Chriſti nobis imputata.



ARTICVLVS

ARTICVLVS XVII.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine, existentia, & necessitate Sacramenti Confirmationis.



ONFIRMATIONIS nomine intelligitur ritus ille quo Episcopus frontem baptizati, sub certa verborum forma sacro Chrismate vngit: qui ritus à S. Clemente Epist.4. vocatur. *Consignatio*, à S Cypriano Epist 73. ad Iubaian. *signaculum dominicum*, quo *Christiani consummentur*, vt qui antea erant fideles iam fiant milites, athletæ & pugiles Christi à S. Vrbano Papa: *Plenitudo Christiani*, in Epist. Decret. *Omnes*, inquit, *fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur*. Quocirca S. Cornelius Papa Epist. ad Fabian. Antioch. apud Euseb. lib.6. hist.c.33. agens de Nouato. *Non fuit*, inquit, *signaculo Chrismatis consummatus, vnde hec Spiritum sanctum potuit promereri*, & S. Dionys. cap.2. Eccl. Hierar. *Perficiens*, inquit, *illa vnctio facit perfectum*. à S. August. lib. 2. contra Petilian. cap. 104. dicitur. *Sacramentum Chrismatis*, & aliter ab aliis.

Sed omnium vsitatissimum vocabulum quod sumitur ab effectu huius Sacramenti est Confirmatio, quod nomen vsurpatum reperitur à S. Melchiade, qui vices Petri agebat anno Christi 311. in Epist. sua Decretali ad Episcopos Hispaniæ. *In Baptismo*, inquit, *regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam*. Hinc patet differentia inter Baptismum & Confirmationem desumpta à fine & effectu, illius enim est natiuitas spiritualis, istius, augmentum & perfectio talis vitæ: effectus Baptismi est gratia baptizatum in fide illustrans, effectus Confirm. est gratia confirmans illum ne vllo pœnarum mortisve metu à veræ fidei confessione deterreatur, alias differentias à materia & forma, & ministro exponam.

Existentia, seu *an Confirmatio sit Sacramentum*, controuertitur; nam Hæretici eodem perpetuò ducti animo euertendi quod sapienter ab Ecclesia institutum est, cum negare non possint ceremoniam illam in vetere Ecclesia confirmandi, fassi sunt eam esse institutam, sed mordicus negauerunt esse Sacramentum inter quos acriter agit Caluin. in antidoto Concil. Trid. & iniuriosè contra Melchiadem Papam, & Martyrem inuehitur. *Tu ne*, inquit, *pinguedinem fœtore tantum anhelitus tui inquinatam, & verborum murmure incantatam audes, Christi Sacramento opponere & conferre cum aqua verbo Dei sanctificata*. Sic improbus Hæresiarcha memoriam polluit sancti Pontificis, quem S. August. Epist. 162. *Virum optimum filium Christianæ pacis Patrem Christianæ plebis, laudabiliter compellat*.

Probatur ex Scriptura Confirmationem esse Sacramentum, Act.8. *Tunc imponebant*, Apostoli, *manus super illos*, scilicet Samaritanos iam baptizatos. *Et accipiebant Spiritum sanctum*, ex quo loco constat Spiritum sanctum, id est, gratiam collatam fuisse per ritum quendam externum. *Qui*, vt dicitur in Concil. Senon. Decreto 10. *tunc impositionis manuum nunc Confirmationis appellatum est Sacramentum*. Et eodem sensu hunc locum explicat Cyprian. cit. & Hieron. in Dialogo aduersus Luciferianos. Respondet Caluin. illam impositionem manuum fuisse tantum oblationem quandam baptizatorum Deo: At Scriptura dicit per illam continuo sequi effusionem Spiritus sancti, prætera offerre Deo non est, quid maius quam baptizare præsertim secundum Caluinum, qui nihil subesse vult mysterij, in hac cæremonia; ergo poterant illimet baptizantes offerre Deo; at contrarium docet textus; nam Philippus discipulus baptizat, & tamen non potest manus imponere, sed veniunt ad hoc faciendum Petrus & Ioannes, & Act.19. Paulo præsente baptizantur duodecim viri, & non exprimitur à quo, quia quilibet poterat id facere; at baptizatis Paulus manus imponit. Denique quid opus erat noua oblatione, cum hoc ipso quod quis baptizatur, offerat se Deo eiusque legi subiiciat? Respondet Brentius, Deum initio Ecclesiæ dati solitum per manus Apostolorum dona quædam visibilia Spiritus sancti, vt donum linguarum, miraculorum, & similia ex quo sequitur illam impositionem non fuisse Sacramentum, quia non dabat gratiam iustificationis. Et confirmatur ex similibus; nam vmbrâ Petri curabantur homines, Act.5. & per Sudarium Pauli, Act. 19. tamen inde non facimus Sacramenta. Non valet; nam primò falsum est, quod hæc impositio daret duntaxat gratuita illa dona. Sed ipsum Spiritum sanctum, dona autem hæc non dicuntur simpliciter Spiritus sancti; nec ipse dicitur habitare in eo in quo non sunt nisi illa dona; quin potius è contrario. *Spiritus sanctus effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Sapien. I. dona autem illa gratis data etiam in peccatoribus interdum reperiuntur, vt patet Matth.7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus?* Et in nomine *tuo dæmonia eiecimus & virtutes multas fecimus!* At per manus impositionem dabatur Spiritus sanctus, Actor.8. & 19. Non igitur solum dona illa gratis data. Secundò, id dabatur per manus impositionem quod promiserat Dominus, Ioan.14.15. 16. & Lucæ vlt. At quod pro-

miserat erat gratia roborans & confirmans in fide, dona illa erant additamentum quoddam quod non erat commune omnibus, vt patet ex Rom. 12. *Nunquid omnes prophetant, aut loquuntur linguis?* At Spiritus sanctus per manus impositionem dabatur omnibus. Tertiò, si nihil aliud conferret impositio quam illa dona, primarij Apostolorum non descédissent ex Hierusalem in Samariam. vbi Philippus multa miracula operabatur. Hoc idem allata exempla ostendunt, non enim legimus vmbram, aut sudarium dedisse Spiritum sanctú, sed solùm sanitatem corporis. Respondet Kimnitius in Apostolis priuilegium singulare fuisse, vt Spiritum sanctum darent per manus impositionem: habuerunt enim illi peculiare mandatum & promissionem de hac re. At nos non habemus eiusmodi mandatum & promissionem; ergo temere imitamur. Confirmatur ex euentu; nam ad eorum manus impositionem sequebatur effectus, ad nostram nihil sequitur; imponatur millies manus, non descendunt linguæ igneæ, cessauit igitur donum illud, proinde otiosa & inanis cæremonia remansit. Nec ista responsio valet, quia nusquam inuenietur Dominum Apostolis mandasse, vt manus imponerent ad dandum Spiritum sanctum, legimus quidem Marci vltimo. *Super agros manus imponent & bene habebunt.* Sed illa dicuntur omnibus fidelibus non autem solis Apostolis, hæcque impositio est ad morbos pellendos, non ad Spiritum aduocandum. Sic Paulo manus imposuit ad cæcitatem depellendam, Act. 9. ideoque facta est ante Baptismum. Neque ostendetur promissio particularis facta Apostolis, vt cui imponerent manus daretur Spiritus sanctus, promisit quidem Christus Spiritum sanctú Apostolis, quem in Pentecoste acceperunt: At vt ipsi aliis darent nusquam legimus, & tamen dabant, & ordinariè; non igitur requirebatur promissio peculiaris. Adde quod promissio generalis est non solis Apostolis, sed toti Ecclesiæ facta. Ergo & cæremonia qua applicatur promissio generalis esse debet & perpetua, neque enim Dominus prouidere voluit ad aliquod sæculum, sed perpetuo quando Ecclesia suo indiget auxilio; nec dicas promissionem esse quidem generalem, sed organum quo illa applicatur non esse impositionem manus, sed alia instrumenta, nimirum Baptismum & Eucharistiam; nam hoc temere & contra verbum Dei est, fingere organa applicationis promissionum diuinarum; nam si Bapt. & Euchar. applicabant promissionem prædictam, cur Apostoli vtebantur manus impositione? Tum ex allegato, Actor. 8. loco Samaritani baptizati erant & tamen Lucas exprimit non venisse in quempiam illorum Spiritum sanctum, nisi post manus impositionem Apostolorum. Denique cum scriptura apertè doceat medium ad recipiendú hoc donum esse manus impositionem, quanta temeritas est hoc medium reiicere & alia confingere!

At inquiunt cessauit effectus ille qui sequebatur ad impositionem manuum.

Respondeo cessauit quo ad visibilia symbola, non quo ad inuisibilem gratiam. Nam posse dari etiam inuisibiliter Spiritum sanctum, constat ex facto Christi, Ioan. 20. vbi insufflauit & dixit. Accipite Spiritum sanctum, debuisse autem dari semper saltem inuisibiliter, infert promissio infallibilis, tunc autem initio necessaria erant hæc miracula. *Ad Ecclesia*, ait August. lib. 3. de Bapt. cap. 16. *primordia dilatanda.* Idem patet ex similibus; nam initio qui credebant faciebant miracula, iuxta id Marc. vlt. *Signa eos qui crediderint hæc sequentur*, &c. Nunc cessauit iste effectus fidei, nec tamen est fides otiosa & inanis, quia habet effectum suum principalem, qui est viuificare. *Iustus ex fide viuit*, Hebr. 10.

Probatur existentia Sacramenti ex SS. Patribus iam in nomine adductis, S. Eusebio Papa in Epist. 3. *Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alio perfici non potest nisi à summis Sacerdotibus.* Damaso Epist. 4. Leone Epist. 86. Ioanne 3. in Epist. ad Episcop. Germaniæ, qui reddit rationem, cur Chorepiscopis non liceret confirmare. *Quia*, inquit in Actis, cap. 8. *Soli Apostoli dabant Spiritum sanctum per manus impositionem.* Iustino quæst. 137. Orthodoxorum scribente. *Peractis mysteriis Baptismi consignari fideles sacro vnguento.* Origen. hom. 8. in Leuitic. *Sic ergo conuersis à peccato purificatio quidem per omnia illa datur, quæ superius diximus: donum autem gratiæ spiritus per olei imaginem designatur, vt non solùm purgationem consequi possit is qui conuertitur à peccato, sed & Spiritu sancto repleri.* Cyrill. Hierosol. Catechef. 3. *Quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti Spiritus inuocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi, sic & sanctum hoc vnguentum non amplius est vnguentum nudum, post quam consecratum est, sed est Chrisma Christi quod aduentu Spiritus sancti per ipsius diuinitatem energiam habet, quo frons & alij tui sensus, & corpus quidem isto visibili vnguento perungitur, anima vero sancto ac viuifico spiritu sanctificatur.* Tertull. in lib. de Resurr. carnis. *Caro vngitur, vt anima consecretur, caro signatur, vt anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, vt anima spiritu illuminetur.* Cyprian. lib. 1. Epist. vlt. *Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate esse vnctus Dei & habere in se gratiam possit*, & lib. 2. Epist. 1. *Tunc demum plenè sanctificari & filij Dei esse possunt si vtroque Sacramento nascantur.* Ambr. lib. 3. de Sacram. cap. 2. *Sequitur*, inquit, *spirituale signaculum, quia post fontem sequitur, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Hieron. cit. postquam dixit Episcopos per impositionem manuum dare Spiritum sanctum subiungit. *Exigis vbi scriptum? In actibus Apostolorum, sed etiamsi scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* August. lib. 2. contra Petilian cap. 104. *In hoc vnguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus, sed potest esse in hominibus pessimis*, & infrà: *Discerne igitur visibile sanctum Sacramentum quod esse & in bonis, & in malis potest illis ad præmium, istis ad iudicium ab inuisibili vnctione charitatis, quæ propriè bonorum est.*

Probatur ex Conciliis Arelaten. 2. canon. 17. Laodicæno can. 48. Aurelianensi apud Gratianum de consecr. dist. 5. can. vt ieiuni ad Confirm. veniant, Meldensi apud eundem can. *Vt Episcopi,*

Episcopi, inquit, *nonnisi ieiuni per impositionem manuum, Spiritum sanctum tradant.* Constantinop. 1. can.7. Florent. & Trident. sess.7. can 1. de Confirm.

Probatur ratione, ad rationem Sacramenti tria tantum requiruntur, promissio gratiæ, signum visibile cum verbo coniunctum & mandatum, vt administretur. At tria illa sunt in Confirmatione; ergo est verum Sacramentum. Promissio habetur Luc. vlt. *Sedete hic donec induamini virtute ex alto.* Actor. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vobis, & eritis mihi testes.* Quam promissionem de vberiori gratia recipienda hominibus iam baptizatis factam esse nemo negabit. De signo sensibili iuncto cum verbo ostendetur, ex Actor.8. Vbi cum refertur Apostolos venisse ad orandum adiungitur: *Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum sanctum*, impositio manus signum est sensibile, oratio verbum est, cum eo signo coniunctum. Denique de mandato, demonstratur; quando seruus aliquid agit quod non potest agere nisi iussu & mandato Domini, aut illa agit ex ipso mandato Domini, licet non dicat illud se habere, aut certè stultus est, v. g. si lictores hominem aliquem caperent in medio foro, aut haberent à senatu mandatum accipiendi, licet nihil de ea re dicerent, vel certè stultè in hoc negotio se gererent: ergo cum virtute sua non possint Apostoli imponere baptizatis manus, vt reciperent Spiritum sanctum; sed tantùm virtute & iussu Domini, sequitur aut habuisse mandatum illud imponendi manus baptizatis, licet non dicerent se habere, aut certè stultè in hoc munere se gessisse: quod non potest sine graui crimine dici.

Qværes: *Quo tempore institutum fuerit à Christo hoc Sacramentum.*

Respondeo inchoatam fuisse institutionem in nocte Cœnæ quoad materiam & formam, quod clarè docet Fabianus Papa Epistola 2. ad Orientales, cap.1. *In illa die*, inquit, *Dominus Iesus postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit pedes eorum (sicut à sanctis Apostolis predecessores nostri acceperũt nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit.* Vnde Suarez & alij, notant confici Chrisma ab Episcopis hoc die Cœnæ ad imitationem Christi. Absolutam verò fuisse institutionem post resurrectionem, quod ad ministrum cum Apostolis Ordinis Sacerdotalis plenitudinémque Episcopalis potestatis in corpus mysticum Ecclesiæ suæ concessit dicens illis. *Sicut misit me pater & ego mitto vos*, quod & in successores transiit.

Necessitas Confirmationis non est medij, neque præcepti saltem sub peccato mortali citra contemptum: De exclusione primæ constat, tum quia ex nullis verbis Christi colligitur talis necessitas. Tum quia multi saluantur sine Confirmatione, vt patet in pueris decedentibus ex hac vita ante susceptam, Hugo Vict. lib.3. de Sacram. part.3. cap.3. docet non posse adultum sine peccato mortali omittere istud Sacramentum oblata occasione, ratio eius est, quia imprudenter est exponere se periculo cadendi in fide, quam rationem Cyprian. videtur indicare Epist.54 cum ait contra rationem esse sine armis ad pugnam accedere, cum se ad illam munire licet. Quod verum esse iudico dato casu, quod quis vocatus coram tyranno ad profitendam fidem iudicaret se esse in periculo deficiendi absque illo Sacramento, tunc enim esset voluntaria sui ipsius iniectio in periculum deficiendi.

Præceptum nullum inuenio: si afferatur Decretum Vrbani Papæ, quod habetur de consecr. dist.5. vbi sic loquitur Pontifex. *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum post Baptismum, Spiritum sanctum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* Respondeo hoc Decretum non obligare sub peccato mort. sed tantum ostendit, quod fieri debeat conuenientius, ita vt verè venialiter peccet, qui oblata occasione negligit illud sumere, quia negligit sumere ea; quæ à Christo instituta sunt ad gratiam vberiorem in ipso producendam. Confirmatur, exclusio præcepti, sub pec. mort. quia Ecclesia præscriberet aliquod tempus ad illud suscipiendum, vt facit in Sacramentis, quæ sunt de necessitate, Baptismo, Pœnitentia, & Eucharistia, nullum autem est præscriptum ad sumendum Confirm. sed deuotioni fidelium relinquitur, quia robur & vires quas ad fidem tribuit possunt haberi per alia media, Orationes scilicet, Confessionem, Euchar. Ita S. Thom. q.72. art.3. Suarez disput.38. sect.1. Reginald. q.72. art.8. Nugnus Tolet. Ledesma & alij.

Dices Episcopus notabiliter negligens in conferendo Confirmationis Sacramentum grauiter peccat; ergo & qui non suscipit; ergo inest necessitas præcepti.

Respondeo nego consequentiam ob disparitatem, quia Episcopus facit contra suum officium in re graui, qui verò non suscipit non peccat, quia non facit contra obligationem, ita Suarez, Henriquez, Viualdus.

Qvæstio II.

De materia & forma Confirmationis.

Materia remota Confirmationis est Chrisma, quod confectum est ex oleo oliuarum admixto balsamo cuiuscumque loci sit benedicto ab Episcopo, ita colligitur ex Conc. Florent. & Trident. sess. 7. can. 2. de Confirm. Brachatensi & aliis apud Bellarm. cap.8.

Probatur ex traditione Fabiani Papæ, asserentis Christum instituisse Chrisma dictum Græcè à χρίω, quod est vngo, quod conficeretur ex oleo & balsamo.

Probatur ex SS. Patribus Dionys. c. 2. Eccl. S. Hier. *Baptizatum*, inquit, *indutum alba veste deducunt ad Episcopum: ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signat.* Tertull. cit. *Caro vngitur, vt anima consecretur*, &c. Theodoret. in cap.1. Conc. *Qui initiantur Baptismo post Satanæ abnegationem & confessionem, fidei veluti signo ac notâ regia spiritualis vnguenti Chrismate inuncti sub ea visibili specie vnguenti inuisibilem sanctissimi Spiritus gratiam recipiunt.*

Probatur ratione, per oleum significatur Spiritus sancti plenitudo, quæ in isto Sacramento ad robur confertur & per balsamum fragrantia odoris, quæ redundat ad alios. Homo per Baptismum spiritualiter natus quasi sibi ipsi viuit, sed cum ad adultam peruenit ætatem, incipit

iam communicare actiones suas ad alios, vnde indiget robore & bono odore, hinc conueniens materia Confirmationis est oleum mixtum balsamo, seu Chrisma. *Sic Christi bonus odor sumus Deo.* 2. Cor. 2 S. Thomas quæst. 72. art. 2. aliam affert analogiam Apostoli in die Pentec. receperunt Spiritum sanctum, sub forma ignearum linguarum ad designandam perfectionem gratiæ, & charitatis, qua sibi viuerent, quod ignis denotat, sub forma linguarum ad significandam aliorum veritatem, quam ipsi procurarent. Oleum ergo quod est fomentum ignis & balsamum est materia conueniens.

An autem balsamum necessariò requiratur necessitate medij (nam dubitari non potest de præcepto ob Decretum Eugenij & Innocentij I. & ob praxim) communis est Doctorum sententia paucis exceptis quorum Soto authoritatem opponit Innocentij tertij, cap. *Pastoralis, de Sacramentis*, qui consultus vtrum Sacramentum Confirmationis in eo debeat iterari, qui per errorem fuerit non Chrismate, sed oleo tantùm delinitus respondet, quod *In talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat pretermissum.* Atqui si balsamum esset quid essentiale materiæ Sacramenti deberet iterari Confirmatio, quæ nulla est ex defectu propriæ materiæ. Et certè authores isti facilè respondent ad Florentinum Concilium, recepisse balsamum vti necessarium ex præcepto sicut, verbi gratia, aquæ mistio in vino ad Eucharistiam, quæ de necessitate est præcepti, non autem Sacramenti: Nec inepta est Soti obiectio quòd materia Sacramenti debet esse apertissima, de qua nemo possit dubitare, vt vinum in Eucharistia, & aqua in baptismo; at balsamum valde incertum est, & sæpius adulteratur: Ergo non est absolutè necessarium. Huic do manus habita ratione difficultatis habendi balsamum, quod est species olei, oleum autem oliuarum est communius. Sic Valentia tom. 4. disputatione 5. Nauarr. Philiarchus, Angles, Victoria, Viualdus, Chamerota. An ad substantiam Sacramenti prærequiratur in Chrismate benedictio Episcopi, affirmatio colligitur ex traditione Patrum Dionys. cap 4. Hieronym. Cyrill. Catech. 3. Innocent. I. Epistola ad Decentium Florent. definitione & praxi Ecclesiæ, quæ edocta à Fabiano Damaso I. Gelasio, Innocentio III. vult Chrisma esse confectum anno illo quo vsurpatur Concilium Chartag IV. iubet Parrochis, vt omni anno ante Pascha petant Chrisma ab Episcopo proprio, idque non per Clericos iuniores, sed per seipsos aut illum qui præest sacrario, Concilium Vasense exigit Subdiaconum ad minus pro deferendo Chrismate Theophylus Episcop. Antioch. sextus à Petro in lib. 1. ad Autolinum vocat Chrisma oleum diuinum à quo Christiani denominantur. Ratio autem cur materia huius Sacramenti, sicut & Extremæ-vnctionis debeat necessariò esse benedicta (cum ad validitatem Baptismi quæuis aqua naturalis sit sufficiens) est, quia omnis materia Sacramenti qua Christus vsus non est, consecranda est, antequam ad Sacramenti vsum applicetur, debet enim habere non amplius vulgarem vsum, sed religiosum: illa verò qua Christus vsus est non indiget tali consecratione, quia sanctificata est per contractum Christi, & si qua benedictio ex instituto Ecclesiæ adhibetur, non ad necessitatem, sed ad maiorem reuerentiam Sacramenti pertinet: Atqui Christus non est vsus vnctionibus Chrismatis visibilibus ne fortè, inquit S. Thomas iniuria fieret vnctioni inuisibili. *Qua vnctus est præ consortibus suis*, sicut vsus est aqua qua baptizatus est & pane, quem accepit & consecrauit, vt ex eo faceret corpus suum. Ergo benedictio Chrismatis necessaria est, vt sit materia Confirmationis, benedictio inquam Episcopi, quia prohibitum est Sacerdoti iure diuino scribit Bonac. benedicere Chrisma, vt patet ex Innocent. Papa de Consecrat. distinct. 4. cap. *Presbyteri*, & ex Conciliis. Benedictionis verò formulam non determinauit Christus, sed Ecclesiæ arbitrio reliquit, vnde quælibet ab Episcopo facta, cum debita intentione & Spiritus sancti inuocatione sufficere potest, præscriptam tamen obseruare tenetur. Addo verò ad requisitionem materiæ Sacramentorum præconsecrandæ si scilicet materia est permanens, & capax consecrationis, vt Chrisma, non autem si sit fluens & in vsu consistat, vt in Pœnitentia actus Confessionis, & in Matrimonio expressio consensus, qui non benedicuntur, quia in vsu consistunt & non in re permanenti. Addo etiam non esse absolutè necessarium recens siue vnius anni Chrisma; nam Florent. Concilium requirit tantum Chrisma, quod nec vnius aut alterius anni determinat, primùm exigit Ecclesiæ praxis. Materia proxima Confirmationis est vnctio, sicut in Bapt. est ablutio; & vno verbo in omnibus Sacramentis, quæ in vsu consistunt actualis vsus est materia proxima. Confirmatur illa est propria materia Confirmationis, qua proximè significatur effectus eius; at per vnctionem significatur; ergo. *Caro vngitur, vt anima consecretur*, ait Tertull. idque patet; nam posito solo Chrismate non ponitur Sacramentum, imò nec applicatur forma, antequam vngatur Confirmandus; ergo signum est Chrisma esse tantum materiam remotam, vnctionem verò esse proximam & ob id Sacramentum istud dici solet Chrisma, id est vnctio.

Forma communis & recepta in Ecclesia hæc est. *Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Quam essentialem esse docet sola traditio & praxis Ecclesiæ: posset tamen induci alia æquiualens, verbi gratia, Confirmetur seruus Christi, vel confirmet te Deus, vt in Baptismo Græcorum. Ita Suarez & alijs nec obstat quòd apud antiquos verba ordinariæ formæ non habeantur, satis est, ait Bellarmin. quòd habeatur idem sensus cum vis formæ Sacramentalis posita sit, non in sono, aut numero syllabarum, sed in verborum sensu: vbi etiam monet nemini mirum videri debere quod apud sanctos Patres, neque huius neque aliorum Sacramentorum formas expressas legamus, quia scilicet religionis nostræ mysteria infidelibus patefacere nolebant, ne illis blasphemiæ alicuius aut impietatis occasionem præberent; vnde Innocent. I. de Confirmatione loquens ait. *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.*

Dices

Dices non legi in tota Scriptura Apostolos confirmasse Chrismate, & verbis consuetis, sed tantùm manus imposuisse. Ergo nec materia hæc neque forma est de essentia.

Respondet Sanctus Thomas, quod Christus ex potestate excellentiæ quam habet in Sacramentis contulit Apostolis rem huius Sacramenti, id est, plenitudinem Spiritus-Sancti, sine Sacramento, eo quod ipsi primitias Spiritus-Sancti acceperunt, sicut dicitur Roman. 8. Ideò per solam impositionem hoc Sacramentum ex priuilegio conferebant, Spiritu-Sancto interdum visibilibus & miraculosis signis super fideles descendente.

Communiter tamen chrismate vsos fuisse Traditio declarat, hæcque sola sufficit. Alij cum Thoma Valdensi, Hugone, &c. Respondent impositionem memoratam aliam non fuisse quam vnctionem chrismalem, cum Apostoli non vngerent, nisi imponendo manus: & Sanctum Lucam, vt sæpè fit in aliis Scripturæ locis, ex parte vna rem totam significare voluisse, quod etiam frequens est apud Sanctos Patres, quoties de hoc Sacramento loquuntur, vt apud Cyprianum, qui Epistola vltima libri primi solius vnctionis meminit, & Epistola prima libri secundi, solius manuum impositionis, & Epistola septuagesima-secunda ad Iubaian. impositionis manuum simul & signaculi in fronte facit mentionem.

QVÆSTIO III.

De Ministro Confirmationis.

Minister Sacramenti Confirmationis, regulariter loquendo est Episcopus ordinatus, vt patet ex Concilio Tridentino, sessione septima, canon. 3. & ex capite Presbyteris de consecratione, distinctione 4. deducitúrque ex Act. 8. & 19. Vbi soli Apostoli baptizatos ab aliis confirmabant, soli autem Episcopi sunt simpliciter successores Apostolorum, consequenter Ministri Confirmationis. Quid eo labore opus fuisset, si alius quam Episcopus habuisset potestatem ministrandi hoc Sacramentum, & imponendi manus baptizatis, vt reciperent Spiritum-Sanctum. Act. 19. Cum Ephesij quidam, iubente Paulo ab aliis baptizati essent, ipse mox imposuit eis manus, vt Spiritum-Sanctum reciperent. Accedit determinationi Ecclesiæ praxis.

Ratio autem alia esse non potest, quam institutio Christi ex Traditione declarata, cuius tamen multæ sunt conuenientiæ.

Primò, fideles per hoc Sacramentum perficiuntur, vt docent Sancti Patres. Ergo à constituto in ordine perficientium illud recipere debent, huiusmodi autem solus est Episcopus. Diaconus enim est in ordine purgantium, Presbyter illuminantium ex Dionysio capite secundo Ecclesiasticæ hierarchiæ.

Secunda, Episcopus in Ecclesia est veluti dux: ergo ad eum ex officio debet pertinere, vt milites consignet & armet ad pugnam, quod fit per Confirmationem.

Docet tamen Sanctus Thomas articulo vndecimo. Papam ex plenitudine potestatis, quam habet in Ecclesia posse committere, quæ superiorum sunt ordinum inferioribus; sicut concedit quibusdam Presbyteris conferre minores Ordines (quod pertinet ad potestatem Episcopalem) & ideò Beatum Gregorium rationabiliter concessisse quibusdam Presbyteris Sardiniæ potestatem confirmandi, quod factum legitur libro tertio, Epistola vigesima-sexta ad Ianuarium. Hinc Concilium Tridentinum, Episcopum vocat Ordinarium Ministrum Confirmationis: delegatus autem Sacerdos debet vti chrismate ab Episcopo consecrato, nec dicas si confirmare potest, cur non conficere chrisma?

Respondeo, non valere consequentiam à minori ad maius, in iis quæ dependent ab institutione Christi, sicut non valet dicere Sacerdos potest authoritate ordinaria conficere corpus Christi: ergo etiam potest ordinare, vel conficere chrisma.

Dices, vel collatio Confirmationis pendet essentialiter à charactere Episcopali, vel non. Si primum, nequit Papa dispensare, si non, cur Episcopus constituetur Ordinarius eius Minister, & vt loquitur Conc. Trident. *solus Ordinarius.*

Respondeo, Christum instituisse, vt soli Episcopi haberent potestatem proximam ad conferendum illud Sacramentum: nihilominus dedisse Sacerdotibus potestatem ex vi ordinationis suæ, vt quasi remotis (si scilicet accederet commissio Summi Pontificis) possent illud conferre, id autem ea praxi Ecclesiæ intelligimus, nec ad hoc deest congruentia, multis enim in locis desunt Episcopi: prouidit ergo Christus, vt accedente permissione Papæ Sacerdos possit illud conferre.

QVÆSTIO IV.

De subiecto, & effectibus confirmationis.

Svbiectum, seu susceptor Confirmationis, est omnis homo baptizatus, siue sit infans, siue adultus. Ita Sanctus Thomas, qui dicit characterem Confirmationis ita supponere Baptismi characterem, vt si non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet: & hæc est communissima Theologorum doctrina, non modo Confirmatio, sed & alia nouæ Legis Sacramenta solis baptizatis validè conferri posse. Ratio est; quia sic se habet Confirmatio ad Baptismum, sicut augmentum ad generationem: patet autem neminem posse promoueri in ætatem perfectam nisi sit natus.

In primitiua Ecclesia infantibus dabatur Confirmatio simul cum Baptismo, vt habetur ex Dionysio capite secundo Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Augustino tractatu sexto in prima Epistola Ioannis, & libro de Ecclesiasticis dogmatibus, capite quinquagesimo-secundo, minus

minus tamen expedit fieri antequam habeant vſum rationis; quia inſtituta eſt, non ad ſalutis neceſſitatem, ſed ad pugnam ad quam ante vſum rationis quis aptus non eſt; vnde ſi duodecimus annus expectandus non videtur, certè conuenit vſque ad ſeptimum hoc differre Sacramentum.

Effectus primus eſt gratia habitualis, cum iure ad auxilia diuina pro intrepida fidei Profeſſione, prius conſtat; quia datio Spiritus-Sancti non eſt, niſi cum gratia iuſtificante. Hinc adultus ad ſuſceptionem, etſi non obligetur ad Confeſſionem ſacramentalem; quia nullum extat præceptum debet elicere actum contritionis, ſi ſit in peccato mortali, ſic primam interdum confert gratiam, licet ſit inſtitutum ad eius augmentum.

Secundus eſt character, ita Concilium Florentinum & Tridentinum, & expreſsè traditur in capite *dictum eſt*, de conſecratione, diſtinctione quinta, quia ait Sanctus Thomas, homo ſuſcipit poteſtatem & robur ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei: ideò ſignatur, ſicque à non ſpiritualiter prouectis diſtinguitur.

Tertius effectus eſt patrinorum affinitas; quæ ex ſtatuto Eccleſiæ contrahitur, vide Bullam Pij V. quæ incipit, *Cum illius vicem*.



ARTICVLVS

ARTICVLVS XVII.

De Sacramento Eucharistiæ.



OLIS Articulis sigillatim exponendis Proœmium non inconcinnè præfigere solemus. Huic autem decimi-quinti de septenario Sacramentorum numero parti aliqua prælibare visum est; quia in Forma Professionis fidei grandis habetur sermo de Sacramento Eucharistiæ, & in interpretabilis ad dicendum, quoniam multi, non Hebræi tantùm, de quibus agit Paulus Hebr. 5. *Sed & Christiani imbecilles facti sunt ad audiendum, non minus quàm nos ipsi ad exponendum & scribendum. De Eucharistia expressè profitendum est.*

Quod Faciat verum & proprium Christianismi sacrificium.

Quod Realiter Christum Deum & hominem contineat.

Quod In ea singularis fiat conuersio, quæ nuncupatur Transubstantiatio.

Quod Sub altera tantùm specie totus Christus & Sacramentum sumatur.

Quæ quatuor singularibus articulis distinguntur. Quare ne extra instituti nostri repagula exiliamus, sed ordine præfixo Articulos digeramus.

Hic de Sacramento ipso agemus, atque ea quæ de natura ipsa Sacramenti, déque eius partibus, id est, de materia, forma, vsu, &c. existunt, pro tenuitate mentis nostræ exponemus.

QVÆSTIO PRIMA.

De Institutione Eucharistiæ.

ANno mundi conditi 4084. Olympiadis 202. anno 3. Beatæ Mariæ Virginis matris anno 48. Imperij Tiberij successoris Augusti anno 18. Christus Dominus annum agens 34. à duobus mensibus cum dimidio, præmissis Petro & Ioanne Apostolis eius à monte Olиueti in Hierusalem ad Paschatis celebrandi apparatum venit in ciuitatem sub vesperam decimæ-quartæ Lunæ diei mensis Nisan, seu Martij, qui nostro 24. respondet, *in quo*, ait Lucas, *necesse erat occidi Pascha.* Qui & vocatur dies azymorum; quia ad eius vesperam incipiebat esus azymorum & abdicatio panis fermentati. Et tres fecit cœnas, quarum.

Prima est legalis, ipse enim cum tanquam Pater-familias Agnum Paschalem sacrificasset, ipsum postea assatum comedit cum discipulis eo ritu quem lex præscribebat Exodi 12. scilicet cum lactucis agrestibus, accinctus renibus, calceatus, habens baculum in manibus, comedens festinanter, nec aliquid de agno relinquens.

Post Agni esum surrexit à cœna, & positis vestimentis (si quæ particularia ad legalem assumebantur) lauit pedes discipulorum, in præparationem scilicet Mysterij instituendi & puritatis designandæ, postea accubuit mensæ communi cum Apostolis, quæ succedere solebat legali (nec enim agnus anniculus duodecim hominibus, si tamen ipsi soli assistebant, sufficiebat refectioni. Hæc est secunda cœna communis dicta. *Et cœnantibus illis*, ait Matth. cap. 26. *Manducantibus*, ait Marc. capit. 14. *accepit panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum, similiter & calicem accepit dicens, Bibite ex eo omnes, hic est enim Sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Lucas cap. 22. habet. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.* Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. Quæ Lucas scripsit Græcè, & habet, τῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, de verbo ad verbum sic redditur. *Hic calix nouum Testamentum in sanguine meo pro vobis effundendus.* in participio, quod non refertur sanguini, dixisset enim, ἐκχυνομένῳ, in datiuo, vt adiectiuum cum substantiuo, *sanguine*, concordaret: effundendus ergo refertur calici, qui calix, si vinum tantùm continet, consequenter ad redemptionem non

erit effuſus ſanguis. Et hinc euidenter habetur ſanguinem contineri realiter in calice, qui per metonymiam ponitur pro eo quod continet, nec enim effunditur aut bibitur vas, ſed quod in illo continetur.

Nota autem Chriſtum materna lingua, id eſt, Syriacè loquutum, ſic Honau, Pagri, Dekal, Appecum, Metthoheb, id eſt. *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur.* Honau, demi, dedithako, Chadtho, Dacloph, Saggie, Metheſched, Leſchabekono, Dachatohe, id eſt: *Hic eſt ſanguis meus fœderis noui, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Hinc euincitur realitas Euchariſtiæ, ſeu vera conuerſio panis in corpus, vinique in ſanguinem Chriſti, corporis inquam quale tunc erat integrum diuinitati hypoſtaticè vnitum, vnde licèt ex vi verborum corpus præcisè ponatur ſub ſpecie panis, quia corpus integrum & perfectum eſt, ſanguis per concomitantiam habetur ſub illa ſpecie: idémque eſt ſub ſpecie vini, etſi præcisè ex vi verborum ponatur ſanguis, qui vt conſtat, eſt in corporis venis, ſicque totum eſt, ſub qualibet ſpecie.

Quod autem hæc mutatio, ſeu conuerſio fiat de panis ſubſtantia in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti patet, quia ſpecies viſibiles remanent, & propoſitio Chriſti vera eſſe debet, qui mentiri nec decipere poteſt, & dicit: *Hoc*, quod tenet in manibus, *eſſe corpus ſuum*, & quod eſt in calice, *eſſe ſanguinem ſuum*, quæ mutatio fit, vt ſemper tenuit Eccleſia Catholica, per verba Chriſti, & illammet omnipotentiam, qua vt canit Pſalmiſta, Pſalm. 32. *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Sed probatio huius veritatis nondum eſt proferenda, cùm proprium habeat & faciat articulum; ſat hic communis diſtichi meminiſſe.

Rex ſedet in menſa turba cinctus duodena
Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.

Inſtitutio huius Sacramenti conuenienter facta notatur à S. Thom. art. 5. quæſt. 73. ratione authoris ſui, qui vt dicitur Marci 7. benè omnia fecit, ſed cauſæ & motiua inſtitutionis maximi ponderis eſſe debent, & admirationis apud homines pro quibus datum intelligitur, iis enim relinquere voluit pignus infiniti illius amoris, quo vſque in finem fideles omnes dilligit & dilexit. Conuenienter autem in cœna vltima in qua Chriſtus vltimò, cum ſuis diſcipulis eſt conuerſatus, à quibus diſceſſurus erat Sacramentum hoc omnium maximum fecit, quia erat vltimum præſentiæ ſuæ, & conuerſationis mortalis donum; omniúmque infinitæ liberalitatis maximum, quod continuam ſui præſentiam ſub ſymbolis alimenti ſuggerebat. Subtrahit abſentia ab homine naturaliter obliuioſo memoriam parentum & amicorum; vnde ad præuentionem exhibentur in diſceſſu arrhæ futuri reditus dona quædam ſingularia imaginem præferentes perſonæ, ſed muta, euanida & leuia ſunt hæc, vtpotè ſine ſenſu & motu, quæ vix mouent animum etſi primò obtutu oculum commoueant. At hic datur realis & ſubſtantialis præſentia dilecti, quæ non tantùm ſui copiam facit, ſed & memoriam omnium mirabilium in vita mortali præſtitorum, & in paſſione præſtandorum mirabiliter acuit & refricat; vnde dicitur ſingulariter myſterium fidei, quia ſingula arcana fidei in puncto proponit; quia fidem antiquorum vtpote Chriſtianiſmi figuratiuam euacuat, & terminat vna cum ſacrificiis ſuis, quia continet memoriale quoddam omnium perfectionum Dei, quæ fidei Euangelicæ obiectum agnoſcuntur, quia denique gratiam ſanctificantem vbertimè confert & futuræ gloriæ ad quam viatici vices gerit, certum pignus viatoribus præſtat, vt in cœlorum manſione Angelis conſociet quos in terrarum incolatu Angelorum pane nutriuit, hoc vnum inter alia inſtitutionis Euchariſticæ motiuum mihi recolere liceat, qui Aquis Sextiis 8. ſermonum anno 1635 præambulam Aduentus Quadrageſimæ habui in hæc verba. *Ecce panis Angelorum factus eſt cibus viatorũ.*

QVÆSTIO II.

An Euchariſtia ſit Sacramentum.

SOla hæc reſolutio ſufficienter exponit propoſitionem articuli, quem diſcutimus ſi tamen in Euchariſtia quæcumque ſpectant ad eſſentiam Sacramenti demonſtrauerimus. Supponitur quidem Euchariſtiam eſſe verum, & propriè dictum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, quod nullus negauit Hæreticorum, qui Sacramenta aliqua nouæ legis agnouerunt, ſed hoc præſuppoſito quæritur in quo propriè conſiſtat hoc Sacramentum? Cùm verò in Euchariſtia quatuor præſertim ſpectari poſſint ſcilicet verbum ſeu conſecratio, quæ fit quibuſdam verbis determinatis, & habet rationem formæ. Secundò elementum ad quod accedit, ait Auguſt. Verbum, id eſt, ſpecies panis & vini, verbo conſecratæ & per conſecrationem continentes realiter corpus Chriſti; vnde ipſum corpus eſt tertium hic ſpectandum. Quartò ſumptio ſpecierum conſecratarum: difficultas eſt in quorum iſtorum conſiſtat Sacramentum ex his primum, & tertium, ſcilicet conſecratio & ſumptio ſpecierum conſiſtunt in actione tranſeunte. Secundum verò & tertium, ſcilicet ſpecies conſecratæ & corpus ipſum Chriſti, ſub ſpeciebus ſunt res permanentes Hæretici huius temporis contendunt hoc Sacramentum non in re permanente, ſed in actione tranſeunte conſiſtere, ſcilicet in ſumptione, ſeu vſu & manducatione; vnde ſequitur corpus Chriſti non eſſe ſub illis ſpeciebus quando ſeruantur in pixide, vel quando deferuntur ad ægrotos.

Propoſitio Catholica. ***Sacramentum Euchariſtiæ eſt res aliqua permanens, ſeu ſpecies ritè conſecrata, aut corpus Chriſti, ſub ſpeciebus contentum.***

Probatur ex Scriptura, Matth. 26. Chriſtus dixit. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Hæc autem prius dicta ſunt, quàm fieret actio manducandi & bibendi; ergo ante illam actionem fuit corpus Chriſti præſens in cœna, & proinde Euchariſtiæ confectum Sacramentum.

Probatur ex SS. Patribus tempore ipſo Apoſtolorum Clemente lib. 8. Conſt. cap. 13. iubet peracta communione, quod ſupereſt de corpore Domini reponi à diaconis cum debita reuerentia in Paſtophorio, ſeu thalamo, vbi Præpoſitus habitat. Iuſtino ſecundo ſæculo qui Apolog. 2. ſcribit poſt ſacra peracta in Eccleſia,

Eccleſia, dari conſueuiſſe Euchariſtiam Diaconis deferendam ad abſentes fratres, ex quo ſequitur poſt ipſam actionem totam fuiſſe in Euchariſtia verum Sacramentum, ac verum Chriſti corpus: nam alioqui quorſum ille labor deferendi ad abſentes. Eodem ſæculo Irenæus in Epiſtola ad Victorem Papam, quam refert Euſebius libro 5. hiſtoriarum cap. 24. teſtatur morem fuiſſe illius temporis, vt Papa Euchariſtiam mitteret in ſignum pacis & communionis ad alios Epiſcopos. At quid quæſo mittebat, ſi Euchariſtia non eſt niſi dum manducatur, aut dum peragitur ſacra Cœna? Poſt annum Domini 200. Tertullianus in libro 2. ad vxorem teſtatur, conſueuiſſe ſuo tempore deferre Chriſtianos Euchariſtiam ad ſuas domos, vt ibi eam opportuno tempore ſumerent. *Non ſciet*, inquit, *maritus quid in occulto ante omnem cibum ſumas?* Cyprianus in ſermone de lapſis. *Mulier quædam*, inquit, *cum arcam ſuam in qua ſanctum Domini fuerat, indignis manibus tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt.* At quid obſecro in illa arca includi potuit, ſi Euchariſtia extra actionem Cœnæ, neque corpus Domini eſt, neque Sacramentum? Poſt annum 300. extat inſigne teſtimonium Concilij Nicæni, canon. 14. vbi iubet Synodus, vt in abſentia Presbyterorum Diaconi Euchariſtiam porrigant. Ex quo euidenter colligitur Euchariſtiam ſeruari ſolitam in Eccleſia, vt diſtribui poſſet quouis tempore, etiam quando Cœna non celebratur. Nam loqui Concilium de tempore, quo ſacra Cœna non celebratur, perſpicuum eſt; quia Cœna ſine Presbyteris celebrari non poteſt; Diaconis enim non eſt data authoritas offerendi, vt in eodem canone legimus apud Ruffinum lib. 10. hiſt. cap 6.

In eodem Nicæno canon. 12. habetur, vt antiquæ legis regula obſeruetur, ſcilicet, ne quis recedens ex corpore vitæ ſuæ viatico ſuo, id eſt, communione defraudetur: qui Canon ſæpè poſtea renouatus fuit in Conciliis poſterioribus. Certum autem eſt ægrotos in articulo mortis exiſtentes ad Eccleſiam venire non potuiſſe, nec in ſingulorum ægrotantium cubiculis celebratam Cœnæ actionem, ergo neceſſe eſt, vt pro ægrotis ſeruaretur Euchariſtia conſecrata, vel certè extra actionem Cœnæ publicæ, quam ſolam pro vera Cœna agnoſcunt Aduerſarij, damnantes priuatas Miſſas, Euchariſtia ægrotis præberetur.

Eodem ſæculo Baſilius in Epiſtola ad Cæſariam Patritiam, teſtatur Anachoretas, qui non poterant Eccleſias commodè frequentare conſueuiſſe Euchariſtiam ſecum in eremum deferre.

Eodem ſæculo Gregorius Nanzianzenus, in oratione ad Gorgoniam teſtatur ſanctam illam fœminam nocturno tempore in Eccleſia ad altare procubuiſſe, & partem Euchariſtiæ, quam fortè ſeruauerat de more illius temporis, in conſpectu habuiſſe. Quod etiam teſtimonium clariſſimum eſt, neque enim tunc ſancta Cœna celebrabatur, cum & nocturnum tempus eſſet, & ipſa ſola in templum ad orandum ſe recepiſſet.

Eodem ſæculo Ambroſius in oratione de obitu Satyri fratris ſui cap 7. ſcribit eum in orario Euchariſtiæ particulam in collo ſuſpendiſſe in periculo naufragij, & eo auxilio ſe dejeciſſe in mare ac liberum ad littus euaſiſſe.

Poſt annum 400. Ioannes Chryſoſtomus in Epiſtola ad Innocentium Papam, quæ extat, tum inter opera eiuſdem Chryſoſtomi, tum apud Nicephorum libro 13. cap. 19. ſcribit milites quoſdam Conſtantinopoli ad veſperam magni Sabbathi ingreſſos ſanctuarium excitaſſe tantum tumultum, vt etiam ſacratiſſimus Chriſti ſanguis, qui in ſanctuario erat, in eorum veſtes effunderetur.

Eodem ſæculo Hieronymus in Epiſtola ad Rusticum laudat Sanctum Exuperium Tholoſæ Epiſcopum, quod ob inopiam voluntariam cogeretur Chriſti corpus in caniſtro portare.

Poſt annum 500. Monachi quidam Sancti Gregorij à Conſtantinopoli Romam nauigantes, ſecum deferebant in naui Euchariſtiam, vt in periculo naufragij non ſine Communione diſcederent. Id refert Ioannes Diaconus in vita Sancti Gregorij lib. 2. cap. 33.

Poſt annum 600. ſtatutum fuit in Synodo ſexta generali, quæ quiniſexta vocatur, vt in Quadrageſima ſolum die Sabbathi & Dominico conſecratio fieret, aliis diebus communicarent ex præſanctificatis. Id 289 Epiſcopi ſtatuerunt Conſtantinopoli ſub Agatone Papa, circa annum 680. Itaque ſeruabant Euchariſtiam conſecratam, vt minimum ſex diebus, id eſt à die Dominico vſque ad ſequentem feriam ſextam.

Atque hæc ex Sanctis Patribus ſatis eſſe poſſunt, nam tempora poſteriora addiderunt multa decreta Conciliorum, & ſingularem inuexerunt venerationem erga Euchariſtiam, quam vti rem permanentem & Sacramentum non in ſolo vſu exiſtens, ſed in ſpeciebus conſecratis definierunt.

Probatur prætetea ex Concilio Lateranenſi, cap. *firmiter* de ſumma Trinitate, & ex Concilio Florentino & Tridentino ſeſſione 13. cap. 1. & 2.

Probatur veritas hac ratione. Verba Chriſti mox atque prolata fuerunt, vera fuerunt, ſed prolata ſunt ante illam actionem manducandi atque bibendi; ergo ante illam vera fuerunt; ergo fuit verè corpus Domini, & proinde Sacramentum ante actionem illam confirm. ex immemorabili conſuetudine adorandi Sacramentum ante ſumptionem, quod ſanè conuincit eſſe Sacramentum ante ſumptionem. Neque obſtat dicere Chriſma aſſeruari, quod conſtat non eſſe Sacramentum; nam Chriſma eſt tantòm, materia remota Confirmationis, conſequenter ipſum non adoratur, ſicut adoratur Euchariſtia. Adde axioma Auguſtini tract. 80. in Ioannem Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, ſed ante actionem comeſtionis acceſſit verbum ad panem & dixit Chriſtus, *Hoc eſt Corpus meum.* Ergo ante comeſtionem factum eſt Sacramentum.

Reſpondent Aduerſarij dicta eſſe verba, non ante, ſed inter comedendum, quod ex Matth. 26. colligitur. *Accepit, fregit, & dedit, dicens, accipite & manducate hoc eſt, &c.* Itaque videtur ſimul concurriſſe prolationem verborum Domini, & manducationem, nam ſicut poſt panis diſtributionem ſequuta eſt immediatè prolatio verborum, ita etiam poſt eandem diſtributionem ſequuta eſt immediatè manduca-

tio. Hæc responsio non sufficit; quia in hac re non oportet attendere ordinem verborum, sed sensum & significationem rei; nam Euangelistæ certis de causis sibi notis mutant aliquando ordinem verborum, & quod prius factum est narrant posteriore loco & vicissim. Hoc ex Marci 14. patet, qui sic de calice scribit. *Et accepto calice gratias agens dedit eis & biberunt ex illo omnes, & ait illis, hic est sanguis meus noui Testamenti.* Vbi si spectemus ordinem verborum colligimus illa verba. *Hic est sanguis meus,* dicta esse post actionem bibendi quod nemo admittit; quia tunc nihil demonstraret pronomen *Hic*, & verba essent falsa, vel oporteret post actionem bibendi remansisse aliquam particulam vini consecrati, & de ea dictum esse. *Hic est sanguis meus*, quod apertè pugnaret cum sententia Aduersariorum. Oportet ergo colligere ex verborum sensu & significatione, non ex ordine quo scripta sunt, quid priùs & quid posteriùs in sacra Cœna factum sit. Porrò verborum sensus cogit vt dicamus prius prolata fuisse hæc verba. *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*, quàm dederit discipulis cibum illum & potum. Nam verba continent rationem cur debuerit comedi cibus ille & bibi potus ille, vnde Matth. 26. ponitur particula causalis, cum dicitur *Hic est enim sanguis*: priùs autem debuit illa causa explicari à Christo & percipi ab Apostolis, quam illis daretur panis comedendus, aut vinum bibendum, nimirum vt scirent quid biberent, aut comederent.

Præterea si inuitantur ad edendum; quia est corpus, & ad bibendum quia est sanguis: ergo priùs est corpus & sanguis quam edant aut bibant. Confirm. ex Luc. 21. & Paul. 1. Cor. 11. qui scribunt. *Hic est Calix nouum Testamentum in meo sanguine.* Ergo in calice fuit sanguis, & non solùm in ore sumentium, nam ex calice ad os peruenit, non contra. Adde 1. Corinth. 10. dici *Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Domini est & calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est?* Hic enim Paulus apertè indicat panem priùs consecrari & mutari in corpus Domini quam frangatur & distribuatur; dicit enim id quod frangitur non esse futurum, sed iam esse corpus Domini.

Denique in omnibus Liturgiis verba multò ante pronuntiantur, quàm species seu symbola distribuantur, idque faciunt Aduersarij: vel ergo ipsi putant Christum fieri præsentem, vi verborum, vel vi sumptionis, si primum, ergo ante sumptionem iam præsens est, si vi sumptionis, iam in omni sumptione erit præsens Christus, & centies repetetur eius præsentia in quolibet nimirum communicante, si dicas Christum adesse vi verborum & sumptionis simul; ergo falsa erunt verba cum pronuntiantur ante sumptionem, aut si sunt iam vera, iam præsens est Christus ante sumptionem.

Caluin. 4. institut. cap. 17. §. 37. contendit verba Domini. *Hoc est corpus meum*, non ante impleri & verificari quàm manducatio reipsa exerceatur, licet ante eam sint prolata; quia, inquit, cum aliquid promittitur sub conditione præcepti, tunc non impletur promissio, nisi adimpleatur præceptum. Atqui Christus simul iunxit promissionem & præceptum: promissio fuit, *Hoc est corpus meum*: præceptum. *Accipite & manducate*: ergo promissio non fuit impleta, nisi cum præceptum impleretur: ergo corpus Christi non fuit præsens, nisi cum Apostoli manducarent. Illustrat exemplo, iussit Deus, *inuoca me*, & promissionem adjunxit, *exaudiam te*, exauditio sequitur inuocationem, aut certè comitatur. Itaque accipientibus & manducantibus iuxta Domini mandatum, panis ille fit corpus Christi, sed extra illum vsum non fit; quia non est annexa promissio, nisi tali mandato.

Refellitur, quia promissio exprimitur per futurum, verbi gratia, *exaudiam*, in his autem verbis, *Hoc est*, præsens exprimitur effectus, tum si ista verba continerent promissionem præcepto annexam promissionis impletio non comitaretur actionem manducationis, sed subsequeretur, proinde non haberent corpus Domini dum manducarent, sed postea, atque ita non manducarent corpus Christi, ne in Sacramento quidem quod est absurdissimum. Hoc autem constat; quia in omnibus promissionibus præcedit actio imperata, & tandem sequitur impletio promissionis, ita Baptismus est prior remissione peccatorum.

Dices, Sacram. Euchar. consistit in eo quod Christ. instituit & præcepit fieri, sed Christus præcepit non solũ consecrationẽ, verum etiã sumptionẽ *comedite* & subjunxit, *hoc facite*. Ergo non est Sacramentum ante sumptionem; adde quod reliqua Sacramenta consistunt in vsu seu illo perficiuntur, sicut Baptismus in ablutione. Confirmatio consignatione chrismatis.

Respondeo, negando Eucharistiam consistere in toto eo quod Christus instituit, & præcepit fieri: nam quædam præcepit fieri quæ constat pertinere tantùm ad ritum, cæremoniam, & vsum.

Ad analogiam aliorum Respondeo, Sacramenta nouæ Legis esse eiusdem generis, sed non eiusdem speciei, & quamuis eiusdem essent speciei, adhuc posset vnum in actione, alterum in re permanente consistere, ista enim differentia materialis est, & ad rationem formalem Sacramenti non pertinet, verba autem Christi *manducate*, *bibite*, vsum Sacramenti continent non essentiam, quod patet, nam isti actioni manducationis non conuenit tota ratio Sacramenti; est enim solius suscipientis non Dei aut ministri, At Sacramenta non sunt actiones suscipientis, alioquin essent opera nostra, vnde in Baptismo Sacramentum est ablutio, vt à Deo per ministrum datur. Nec Consecratio ipsa est propriè Sacramentum; nam non est signum neque causa proxima inuisibilis gratiæ, quæ duo requiruntur ad rationem Sacramenti nouæ Legis. Consecratio enim vt verba ipsa sonant, solum significat & efficit corpus Domini ex pane, proinde Sacramentum efficit, non est ipsa Sacramentum.

Rei autem permanenti, id est, pani consecrato rationem totam Sacramenti conuenire constat: nam est signum sensibile & causa internæ gratiæ, atque nutritionis spiritualis, præterea fit à Deo per ministrum ritu ab eo instituto, denique elementum & verbum concurrunt. Neque obstat, quod neutrum maneat in Sacramento iam confecto: nam vtrumque requiritur

tur ad Sacramenti effectionem, & ideò in his Sacramentis quæ in actione conſiſtunt, & quorum idem eſt fieri & eſſe elementum & verbum ſunt principia tum effectionis tum eſſentiæ ipſius Sacramenti. At in hoc Sacramento in quo aliud eſt fieri aliud eſſe principia illa concurrunt propriè ad Sacramenti effectionem, in ipſa autem re effecta manent, ſed alio modo elementum quoad externas ſpecies & verbum manet quoad virtutem, vt aliqui dicunt elementa in mixto manere quoad virtutem tantùm.

QVÆSTIO III.

De nominibus huius Sacramenti.

ADmirabilis dignitas & excellentia huius Sacramenti vno vel paucis vocabulis exponi non poteſt; ideò pluribus nuncupari ſolet: habet autem triplicem ſignificationem, vnam reſpectu præteriti, in quantum ſcilicet eſt commemoratiuum paſſionis dominicæ, quam repræſentat & incruente quaſi repetit, & ſic dicitur *Sacrificium*, imò *Hoſtia*, Chriſtum enim continet qui eſt *Hoſtia ſalutaris*, vt Epheſ. 3. dicitur, qui in Miſſa Deo patri offertur & immolatur. Aliam habet ſignificationem reſpectu præſentis, ſcilicet Chriſtianæ vnitatis, cui homines aggregantur, per hoc Sacramentum vel vnitatis, quæ ſuſcipitur inter communicantem & ipſum Chriſtum primo modo dicitur, *ſacra Synaxis*, propter religioſum conuentum fidelium in ſolemni celebratione huius Sacramenti, ex Damaſceno libro 4. fidei orthodoxæ cap. 14. dicitur etiam *Communio*; quia communiter vniuntur vinculo pacis & charitatis, vel etiam Sacramentum pacis & charitatis, ſic Paulus 1. Corinth. 10. *Calix eſt communicatio*, &c. *Panis eſt participatio corporis Domini*. Reſpectu præſentis vocatur Euchariſtia, hócque nomen vſitatiſſimum eſt, quod ſonat bonam gratiam & gratiarum actionem. Sumitur enim hic non ſolùm gratia, quæ eſt qualitas inhærens animæ, vti fit in ſingulis Sacramentis, ſed author ipſemet gratiæ, per quem gratia facta dicitur, ſaltem meritoriè (ſi creatur à Deo vel educitur de potentia animæ obedientiali) hic etiam gratias agimus Deo pro omnibus datis, vnde Dauid. *Quid retribuam? calicem ſalutaris accipiam.* Habet & ſignificationem reſpectu futuræ fruitionis Dei, quæ erit in patria, cuius hoc Sacramentum dicitur præfiguratiuum, vt vocat Sanctus Thomas quæſtione 73. articulo 4. vel pignus, vt canit Eccleſia, & ſic dicitur Viaticum & morituris miniſtratur, quibus viam parat ad gloriam. Alia recenſentur Epitheta, quæ tempus ingerit, vt *Cœna*, locus, vt *Sacramentum altaris*, vt *panis* ob accidentia quibus tegitur, vel ſingularis excellentia, vnde ſimpliciter dici ſolet, *ſanctiſſimum Sacramentum.* vt plurimum autem *Euchariſtia*, quæ magis exprimit naturam illius, & gratiam præſentem & futuram innuit refectionem, ſcilicet ſpiritualem.

QVÆRES, *Vtrùm hoc Sacramentum ſit Vnum vel Plura?*

Reſpondeo ex Sancto Thoma, quod ſicut dicitur 5. metaph. à textu 9. vſque ad 12. vnum dicitur, non ſolùm quod eſt indiuiſibile, vel quod eſt continuum, ſed etiam quod eſt perfectum: ſicut dicitur vna domus, vnus homo. Eſt autem vnum perfectione ad cuius integritatem concurrunt omnia, quæ ad finem eiuſdem requiruntur, ſicut homo integratur ex pluribus membris neceſſariis ad operationem animæ, & domus ex omnibus partibus, quæ ſunt requiſitæ ad inhabitandum. Sic hoc Sacramentum dicitur vnum ordinatur enim ad refectionem ſpiritualem, quæ corporali conformatur exigenti potum & cibum, hinc ad iſtud duo requirunt cibus & potus ſpiritualis, vnde Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, Sanguis meus verè eſt potus.* Sacramentum ergo eſt vnum formaliter & perfectiuè à re ſignificata ſeu fine licet materialiter ſit plura.

DIces, ſub qualibet ſpecie manducatur & bibitur, ideóque ſub vna fideles communicant: ergo vnitas refectionis non exigit plures ſpecies ſeu ſymbola.

Reſpondeo, id prouenire ex contento ſeu Chriſto qui integer habetur ſub qualibet ſpecie, non autem ex formalitate ſpeciei, dic ſi velis bibi ſub ſpecie panis per concomitantiam, ſicuti ſanguis, verbi gratia, ponitur ſic ſub pane.

DIces, impoſſibile eſt multiplicato genere non multiplicari ſpeciem, ſicut quod vnus homo ſit plura animalia cum igitur in Euchariſtia ſint plura ſigna, & quodlibet propria ſua forma conſecratum: ergo ſunt plura Sacramenta.

Reſpondet Sanctus Thomas eſſe plura materialiter, formaliter verò & perfectiuè vnum in quantum ex eis vna perficitur refectio. Diuerſitas materiæ & formæ facit quidem, vt hoc Sacramentum non ſit indiuiduum, ſeu indiuiſum, ſed non facit quin ex his duabus rebus non fiat vnum Sacramentum, vnde definitur Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini inſtitutum ad ſpiritualem hominis refectionem, ſpecies habent magis rationem Sacramenti vti ſignum ſenſibile.

QVÆSTIO IV.

De materia Euchariſtiæ.

DVplex materia præſcribitur idonea, ſcilicet verus panis & verum vinum ex vite. Id conſtat ex Euangeliſtis qui vnanimiter referunt Chriſtum adhibuiſſe verum panem & verum vinum de vite.

Materia autem duplex eſt; quia ſic conuenit Euchariſtiæ, vt eſt Sacramentum, & Communio, & Sacrificium. Vt Sacramentum debet ſignificare illud quod efficit; effectus autem Euchariſtiæ eſt refectio ſpiritualis, quæ per cibum & potum ſignificatur: vt Communio, quia Euchariſtia non ſolùm habet effectus in animam, ſed etiam in corpus recipientis; & ideò per panem & corpus Chriſti deſignatur refectio corporis, per vinum & ſanguinem refectio animæ quæ in ſanguine eſſe videtur, vt Leuit. 17. dicitur. Ratio hæc eſt Sancti Ambroſij

brosij in cap. 11. ad Corinth adducta à Sancto Thoma quæst 74. art. 1. designatur etiam effectus respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diuersis fidelibus, sicut panis conficitur ex diuersis granis & vinum fluit ex diuersis vuis, vt dicit Gloss. in illud 1. Corinth. 10. *Multi vnum corpus sumus.* Vt sacrificium, quia in passione sanguis est separatus à corpore, & ideò in hoc Sacramento, quod est memoriale Dominicæ passionis seorsum sumitur panis, vt Sacramentum corporis, & vinum vt Sacramentum sanguinis.

Panis ex frumento requiritur ex Apostolica Traditione, ex Ecclesiæ praxi, & ex Scriptura, quæ panē simpliciter dicit; communis autem loquendi vsus panem exprimens intelligit triticeum, & in veteri Testamento panes propositionis ex simila, id est, farina frumenti efficiebantur, tum quia triticeus magis confortat, sicque magis exprimit effectum Sacramenti & magis repræsentat in eo contentum Christum, qui Ioann. 12. se grano frumenti comparat. Non auderem tamen reprobare panem ex siligine, vulgò *pain de segle*, quia creditur non differre specie à tritico, neque panem mixtum ex vtroque. Vide Doctores.

Vinum de vite, exigitur; quia Christus Matth. 26. indicauit tale assumpsisse, *Non bibam à modo de hoc gemmine vitis.*

Quæstio V.

An panis debeat esse azymus vel fermentatus?

Respondent communiter DD. vtrumque panem esse materiam aptam; nam vnus ab alio non differt specie & fermentum non ita corrumpit pastam, vt efficiat panem differre specie ab azymo, consequenter valida est consecratio, siue in azymo, siue in fermentato. Christus autem dicitur accepisse panem; ideò conditio hæc azymi aut fermenti non est de substantia materiæ: Nec arguas hunc panem, vel azymum, vel fermentatum fuisse, proinde vno tantum modo potest assumi ad imitationem Christi, qui dixit *Hoc facite.*

Respondeo enim, non omnia quæ Christus fecit circa aliquod Sacramentum esse de substantia illius, nisi pertineant ad substantiam materiæ vel formæ, vel efficientis, vel finis. Hoc autem sciri potest ex Traditione Apostolorum; Christus enim antequam conficeret Eucharistiam lauit pedes Apostolorum; & post cœnam consecrauit, & eos communicauit, & tamen Apostoli non docuerunt ista esse facienda; imò tradiderunt Eucharistiam debere sumi à ieiunis; lauare autem pedes ante synaxim nunquam fuit in vsu; habes autem in Epistola Leonis IX. Papæ ad Michaëlem Episcopum Constantinopolitanum, quòd Romana Ecclesia didicerit à Petro, qualiter Mysteria diuina celebrari debeant.

Quod autem celebrari debeat Eucharistia in vtrouis pane pendet à quæstione vtrùm Dominus instituerit eam primo die azymorum, quando fermentum inueniri non poterat in omnibus finibus Israël, An verò ante eum diem si enim instituit primo die azymorum certum erit azymo pane vsum fuisse. nam Exod. 12. & 13. præcipitur sub pœna mortis, ne fermentatus panis inueniatur in domibus, aut in vllo alio loco filiorum Israël. Si alio tempore instituit, res non erit omninò certa. Græci contendunt instituisse ante vsum azymi.

Ad hæc obseruandum est apud Hebræos menses omnes numerati à nouilunio, & idem esse apud illos luna prima, vel secunda, quòd primus vel secundus dies, Porrò secundùm legem Exodi 12. die 14. primi mensis, id est à nouilunio post solis occasum incipiebant dies azymorum & durabant septem diebus, id est, vsque ad diem 21. inclusiuè. Qui omnes dies erant Paschales & azymorum dies vocabantur, tamen primus & vltimus, id est, decimus-quintus, & vigesimus-primus soli erant solemnes & festiui, ita vt non liceret eis opera seruilia facere, vt patet Leuit 23.

Præterea obseruandum est aliter dies festos, aliter dies naturales apud Hebræos considerari. Nam dies festi incipiunt ab occasu solis & desinunt in occasum solis, vt patet Leuit. 23. proinde festus dies azymorum continetur nocte sequente diem 14. & die toto artificiali 15. Dies autem naturalis & ordinarius incipit ab ortu solis & desinit in ortu solis, proinde continet diem & noctem artificialem, non autem noctem & diem artificialem. Id patet ex Genesis principio: illud enim *factum est vespere & mane dies primus*, vt exponunt Ambrosius, Basilius & alij significat ex die artificiali, qui terminat in vesperam, & ex nocte sequente, quæ terminatur in mane factum esse primum diem.

Ex quo facilè conciliari possunt verba trium Euangelistarum Matth. Marc. Luc. qui vocant primum diem azymorum diem decimum quartum mensis cum verbis Moysis in Exodo Leuit. Numeris, qui semper primum diem azymorum vocat 15. diem mensis. Nam cum dies primus azymorum, quatenus festiuus, vt diximus contineatur posteriore parte diei 14. & priori parte diei 15. accipiendo dies modo ordinario, seu naturali potest dies azymorum, vt festiuus per intellectionis figuram vocari tam 14. vt vocant Euangelistæ quam 15. vt Moses facit.

In præsenti quæstione sunt quatuor sententiæ, Prima Græcorum, qui affirmant Dominum manducasse suum Pascha & Sacramentum instituisse die 13. seu Luna 13. mensis primi, sequenti autem die post Christi mortem ad occasum solis incœpisse tempus Paschale Iudæorum & fermenti abjectionem sic Euthymius in cap. 26. Matth. & post eum Nicephor. libro 1. hist cap. 28. qui quidem dicunt Christum comedisse suum Pascha legale ritu quem præscribebat lex, id est, cum azymis, &c. tamen ea cœna legali finita dimissis azymis rediisse ad panem communem, quo vesci licebat; quia nondum aduenerant dies azymorum, & proinde in pane communi & fermentato Sacramentum instituisse. Rupert. aliter sentit Hebræos nunquam solitos fuisse celebrare duos dies festos continuos; & ideò quando festum azymorum occurrebat feria sexta, vt anno Passionis solitos ex Patrum Traditione differre in sabbathum sequens, sic tamen vt celebratio Paschæ nunquam

quam mutaretur. Paulus Burgenſis, quem multi ſequuntur, & in iis Caluinus, addit celebrationem Paſchæ, vti & feſtum differri ſolitam, & inde colligit eo anno quo Dominus mortuus eſt Hebræos manducaſſe ſuum Paſcha die veneris ad veſperam. Chriſtum autem die Iouis ad veſperam.

Communis ſententia eſt inſtituiſſe Euchariſtiam illo ipſo tempore, quo ſecundum legem abiiciebatur fermentum 14. ſcilicet menſis ad veſperam, illo enim die ad veſperam inchoabātur dies azymorum & ſequens dies 15. erat dies ſolemnis azymorum.

Propoſitio Eccleſiæ Latinæ.

Chriſtus inſtituit in pane azymo.

Probatur ex Scriptura Matth. 26. *Prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Marc. 14 *Prima autem die azymorum quando Paſcha immolabant.* Luc. 22. *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Hæc loca conuincunt inſtitutionem factam 14. menſis, non autem anticipatè die 13. vt volunt Græci: nam ſi anticipaſſet præuaricatus eſſet legem quæ certum diem & hunc 14. præſcribebat Nec iuuat quod Lucas dixerit, *Venit dies*, id eſt ait Euthymius, imminet, ſeu propinquat; nam refellitur hæc falſa expoſitio ex Matthæo & Marco, qui aiunt primo die azymorum Apoſtolos dixiſſe Chriſto. *Vbi vis paremus comedere Paſcha?* Ioan. 18. Hebræi dicunt Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam*, quod ſignificat non licuiſſe id eis ob feſtum quod tunc agebatur, vt exponunt Chryſoſtomus homilia 82. in Ioannem, & 86. in Matthæum. Cyrillus libro 12. in Ioannem cap. 6. Auguſtinus tractatu 114. in Ioannem. Beda in cap. 18. Ioann. & alij. Nam alioqui licuiſſe eis alio tempore blaſphemos occidere patet ex Act. 7. vbi Stephanum in Concilio iudicatum publicè lapidarunt. & Act. 24. conqueruntur apud Felicem præſidem Syriæ, quod volentibus Paulum ſecundùm ſuam legem interficere, Tribunus Lyſias violenter eum eripuerit de manibus ipſorum. Denique Ioan. 18. Pilatus ait, *Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha: Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum?* Hinc ergo apparet, iam tunc agi cœpiſſe dies Paſchales, & clariùs Matth. 27. vocatur idem dies *ſolemnis*, & Marc. 15. Luc. 23. vocatur apertè *dies feſtus.*

Probatur ex Sanctis Patribus, qui dicunt Chriſtum occiſum fuiſſe ipſo die ſolemni Hebræorum. Clemens Romanus libro 5. Conſt. cap. 14. hoc expreſsè habet Tertullianus in lib. contra Iudæos. Origenes homilia 23. in Num. Theoph. Alexand. in Epiſtola ad Theodoſium, apud Bedam de ratione temporum cap. 57. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 13. Chryſoſtomus homilia 86. in Matthæum. Auguſtinus tractatu 20. in Ioannem. Leo ſermone 7. de Paſchate, Beda in cap. 18. Ioann. Anſelmus in cap. 26. Matth. & Victor Antioch. nuper verſus ex Græco in capit. 14. Marci vbi dicit Hebræos libenter diem feſtum qui occurrebat illis illo anno feria ſexta fuiſſe tranſlaturos in alium diem, ſi per legem id eis licuiſſet, ſcilicet vt ipſi Chriſtum quem videre ex inuidia non poterant interficerent.

Probatur ratione: nam cum Euangeliſtæ dicunt Chriſtum comediſſe Paſcha primo die azymorum, vel loquuntur de primo die azymorum, ſecundùm ordinariam conſuetudinem & Kalendaria Iudæorum, vel non, ſi detur primum tunc refutata manet opinio Burgenſis, nec enim verum erit quod ipſe ait Chriſtum alio die & Hebræos alio comediſſe Paſcha. Adde, quod Rabbi Abeneſra in comment. Leuit. c. 23. affirmat Traditionem illam differendi celebrationem Paſchæ non fuiſſe ab initio ſecundi templi, nec fuiſſe eo tempore quo fiebat Thalmud. in quo Paulus Burgenſis qui & ipſe Rabinus fuerat Hebræorum, cui tanquam in arte ſua perito Moderni Scriptores adhæſerunt errasse notatur, ſi detur ſecundum, repugnabit Marcus, qui ait, *Prima die azymorum, quando Paſcha immolabant*, id enim ſignificat Hebræos eo die Paſcha immolare.

Dices, Ioan. 13 *Ante diem feſtum Paſchæ.* Reſpondeo, loquitur de die artificiali, etſi enim in illa nocte in qua Dominus loquebatur, feſtum Paſchæ inciperet, tamen dies feſtus erat is qui ſequebatur eam noctem, non qui præceſſerat; quemadmodum & nos ſolemus in veſpera Sabbathi ſancti dicere; Cras erit feſtum Paſchæ, licet iam cœperit feſtum celebrari in officio Eccleſiaſtico. Ioannes ergo reſpiciendo ad illud veſpere, prout erat finis Iouis, dixit *Ante feſtum diem.* Alij conſiderantes illud, vt initio diei feſti dixerunt *primo die azymorum.*

Dices, Ioann. 18. *Ipſi non introiërunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha.*

Reſpondeo, omiſſis aliis ſolutionibus, Paſcha vocatur eo loco non agnus Paſchalis, qui ſolum decimo quarto die ad veſperam immolabatur, ſed victimæ paſchales, quæ ex ouibus & bobus quotidie in diebus Paſchæ immolabantur. Deuteron. 16. *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ouibus & bobus in loco quem elegerit.* 2. Paralipomen. 35. *Dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phaſe.* pecora duo millia, & boues ſexcentos; illa ergo victima Paſchalis, quæ edenda erat à Sacerdotibus, erat illud Paſcha de quo loquitur Ioannes, cum ait, *Ipſi non introiërunt, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha.* Nam non licuiſſe Sacerdotibus, niſi purificatis edere Sacrificia, patet Leuit. 22.

Dices, Ioan. 19. *Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta.*

Reſpondeo, Paraſceue non erat apud Hebræos, niſi propter ſabbathum: ſiquidem ante ſabbathum neceſſaria erat Paraſceue, id eſt, præparatio ciborum; quia in Sabbatho parari non poterant, hinc Marc. 15. ait. *Erat Paraſceue, quod eſt ante ſabbathum.* & Lucas cap. 23. inquit. *Erat autem Paraſceue & ſabbathum illuceſcebat.* Illud igitur Paraſceue non ſignificat Paraſceuen ad Paſcha, ſed paraſceuen in Paſchate occurrentem: quomodo ſi nos diceremus erat feria ſexta Paſchæ.

Dices,

Dices, cum Græcis azyma sunt propria Iudæorum: ergo consectare Eucharistiam in azymo est iudaizare.

Respondeo, non est iudaïzare vti iisdem rebus quibus vtebantur Iudæi, sed vti eodem ritu, & ad eundem finem, adde quod ipsi etiam fermentato pane vtebantur in festo Pentecostes sacrificando similam fermentatam Leuit. 23. Quare si vti non licet azymis ne iudaïzemus, eadem de causa nec fermento vti licebit.

Dices, dies Pentecostes celebratur secundùm legem die quinquagesimo à die secundo azymorum ex Leuit. 23. sed eo anno quo Dominus mortuus est dies Pentecostes fuit in Dominica die, vt habet Traditio Ecclesiæ: ergo etiam secundus dies azymorum fuit in Dominica; nam si dies quinquaginta numerentur à secundo die azymorum inclusiuè, vt lex præcipit, necessariò fiet in eodem occurrere Pentecosten. At si dies Dominica fuit dies secundus azymorum. Ergo dies Sabbathi fuit ante diem azymorum, & multo magis dies Cœnæ Domini, atque ita Græci benè sentiunt.

Respondeo ex quæstione tertia de festis, vide ibi Summa responsionis est: dies Pentecostes numerandos esse à primo die prophano post festum primæ diei azymorum: & ideò si secundus dies azymorum sit non festus, vt plerumque accidit ab eo numerari debere dies Pentecostes. Si autem fortè sit dies festus, vt si occurrat in Sabbatho, tunc à tertio die numerandos esse dies Pentecostes. Quia igitur anno Passionis secundus dies azymorum fuit Sabbathum, propterea illo anno à tertio die azymorum, qui fuit die dominico, qui apud Iudæos prophanus est numerari cœperunt dies Pentecostes, & inde factum est, vt in diem dominicum Pentecostes inciderit anno illo. Sic vindicatur panis azymus in institutione Eucharistiæ ad imitationem Christi: vbi non omittam quod notat Sanctus Thomas aliud esse loqui de materia necessaria, aliud de conuenienti. Conueniens autem esse, vt vnusquisque seruet ritum suæ Ecclesiæ, Romana offert azymum panem, ait Gregorius in registro; quia Dominus sine vlla commixtione suscepit carnem, & azymus, vt ait Paulus, sinceritatem requisitam ad communionem repræsentat. *Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* Græca Ecclesia offert fermentatum panem, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ, & eam sublimauit, sicut fermentum eleuat pastam, sapidámque facit, habet prætera vsus ille detestationem hæresis Nazaræorum, qui legalia miscebant Euangelio.

Nota ita strictè præceptum esse in Ecclesia Latina vti azymo pane, vt ne quidem in casu necessitatis liceat vti fermentato, quod probat Isambertus ex capite finali, extra de celebratione Missarum, vbi Sacerdos, qui in fermentato pane consecrauerit, punitur officij depositione & amissione beneficij.

De vino, quæ est materia remota sanguinis posito quod sit de vite, & non sit acetum, quod non est propriè vinum, sed est vinum corruptũ, restat dicendum requiri, quod in eo modica misceatur aqua ante consecrationem, quæ priùs conuertatur in vinum: licet aqua non sit de essentia Sacramenti. Nam Concilium Trident. ait, sessione 22. cap. 7. præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christus ita fecisse credatur, tum quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit, quod recolitur hac mixtione, & cum aquæ in Apoc 17. populi dicantur, ipsius populi cum capite Christo vnio repræsentatur.

Qvæstio VI.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

Rectè S. Thom. quæst. 78. art. 1 notat hoc Sacramentum differre ab aliis in duobus.

Primum est, quòd istud perficitur in consecratione materiæ, alia verò Sacramenta perficiuntur in vsu materiæ, vnde forma illorum importat vsum, puta baptizationem, vel consignationem, forma istius importat solùm consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit.

Secundum quod formæ aliorum proferuntur ex persona ministri, siue per modum exercentis actum, v. g. *Ego te baptizo*, *consigno*, siue per modum imperantis, vt in Ordine. *Accipe potestatem*, siue per modum deprecantis, vt in Extrema. vnctione. *Parcat tibi Deus*, sed forma istius profertur quasi ex persona Christi loquentis, vt intelligi detur ministrum in perfectione Eucharistiæ nihil agere, quàm proferre verba Christi & conuersionem, quæ fit esse à solo Deo. Vel dixerim hic ministrum agere personam Christi longè aliter, quàm in aliis Sacramentis in quibus quidem agit, vt minister, sed loquitur in persona sua cum dicit; *Baptizo*, quomodo præcor licèt sit minister Regis, tamen in sua propria persona loquitur cum sententiam ex tribunali dicit. At hic in consecratione non solùm agit, vt minister Christi, sed induit omnino personam eius & loquitur ac si esset Christus, sicut Exodi 3. Angelus dixit. *Ego sum Deus patris tui.* Et aliquando legati Regum referentes eorum personam admittunt honores, qui Regibus ipsis debentur. Vsque ad Canonem Sacerdos suam agit personam, eo enim vsque vel peccata confitetur, vel orat, vel laudat, à Canone autem ad finem consecrationis agit personam Christi, & ideo recitatiuè, & significatiuè verba pronũtiat, intendit enim recitare, quod Christus egerit & dixerit, & simul omnia imitari in persona Christi ac si per ministerium ipsius iterum Christus omnia faceret ac diceret, sicut reuera inuisibiliter fit: Et hinc est, quod cùm dicit. *Accepit panem*, ipse accipit, cùm ait. *Eleuatis*, eleuat, cùm ait. *Benedixit*, benedicit ipse, & cum dixit. *Hoc est corpus meum*; ita & ipse habens intentionem faciendi quod Christus fecit verba eadem profert.

Propositio Catholica.

Forma consecrationis Panis est: Hoc est corpus meum.

Probatur ex Scriptura, Matth. 26. Luc. 22. & 1. Cor. 11. vbi habetur. *Cœnantibus illis accepit*

cepit Ieſus panem & benedixit ac fregit dedit-que diſcipulis ſuis, & dixit. Accipite & manducate hoc eſt corpus meum; & in fine dixit, *hoc fecite in meam commemorationem.* Quibus verbis ex Eccleſiæ Romanæ conſuetudine à S. Petro deriuata, vt docet S. Thomas art. 2. ad 5. interſeritur hæc coniunctio *enim*, quæ non eſt de formæ huius neceſſitate, ſed tantùm, vt verba conſecrationis faciliori ſenſu cum antecedentibus cohæreant; cuius omiſſio cum ſenſum formæ non variet, non eſt graue peccatum præciſo contemptu præcepti Eccleſiæ, vt docet Suarez diſp. 59. ſect. 9. Coninch. Pitigian. Henriquez & alij

Probatur ex SS. Patribus Tertull. lib. 4. in Marcionem diſertis verbis, ait Chriſtum acceptum panem corpus ſuum effeciſſe dicendo hoc eſt corpus meum. Cyprian. *Manducauerant de eodem pane, & biberant de eodem vino ſecundum formam viſibilem, ſed ante verba illa; Hoc eſt*, &c. *Cibus ille communis nutriendo corpori tantùm commodus erat & vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat, ſed ex quo à Domino dictum eſt, hoc facite in meam commemorationem, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: quotieſcumque his verbis & hac fide actum eſt panis iſte ſubſtantialis & calix benedictione ſolemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutém proficit, ſimul medicamentum, & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens.*

Gregor. Nyſſen. in orat. Catechetica apud Euthymium in Panoplia tit. 2. *Panis ſtatim per verbum in corpus mutatur, vt dictum eſt à Verbo hoc eſt corpus meum.* Ambroſ. lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Cum venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum iam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed ſermonibus vtitur Chriſti*, & cap. 5. explicat illa Domini verba eſſe. *Hoc eſt corpus meum*; & in lib. de initiandis myſteriis, cap. 9. *Ipſe clamat Dominus Ieſus, hoc eſt corpus meum, ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti eſt.* Chryſoſt. in ſerm. de proditione Iudæ, tom. 3. *Hoc eſt*, ait, *corpus meum, hoc verbo propoſita conſecrantur; & ſicut illa vox, quæ dixit. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt; ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante natura; ita & vox illa ſemel dicta eſt; ſed per omnes menſas Eccleſiæ vſque ad hodiernam diem, & vſque ad aduentum eius præſtat ſacrificio firmitatem.*

Auguſt. ſerm. 28. de verbis Domini dixi vobis quod ante verba Chriſti, quod offertur in altari panis dicitur, vbi verba Chriſti deprompta fuerint iam non panis dicitur; ſed corpus appellatur, & apud Gratian. de conſecr. diſt. 2. canon. *Vtrum*, dicit Auguſt. *eandem eſſe Euchariſtiam à bono & malo conſecratam, quia non merito precantis, ſed verbo efficitur Creatoris.*

Damaſcen. lib. 4. de fide, cap. 14. *Dixit*, inquit, *Dominus, hoc eſt corpus meum, & hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius precepto efficitur donec veniat.*

Paſchaſius lib. de corpore Domini, cap. 12. *Virtute ſpiritus ſancti per verbum Chriſti fit ſanguis Domini.*

Probatur ex antiqua & vniuerſali Eccleſiæ praxi, quæ ſtatim poſt prolationem ſupradictorum verborum oſtendit venerabile Sacramentum populo adorandum, vt videre eſt in Canone Miſſæ, quem multis ante ſæculis ab ipſa Eccleſia inſtitutum eſſe, declarat Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 4. Vnde ſequi docet Gamacheus hanc doctrinam eſſe de fide, nec ſine hæreſi non poſſe negari.

Probatur ratione 1. quia Chriſtus iuſſit Apoſtolos idem facere quod fecerat; ergo voluit eadem ſecum formâ conſecrationis vti, ſed Apoſtoli & ſucceſſores non leguntur aliis verbis conſecraſſe; ergo Chriſtus iiſdem verbis. *Hoc eſt corpus meum*, conſecrauit; nec ex Euangelio poteſt colligi alia forma.

Secundò, ſi Dominus alio modo conſecraſſet & alio nos conſecrare vellet, non dixiſſet. *Hoc facite*; deinde Sacerdos in perſona Chriſti conſecrat, & ideo non dicit: Hoc eſt corpus Chriſti, ſed *hoc eſt corpus meum.* Et nihil eſt aliud conſecratio noſtra, quàm repetitio illius primæ, quæ à Chriſto facta eſt, vt Chryſoſt. ſcribit hom. 83. in Matth. At quomodo in perſona Chriſti id facimus, & quomodo iſta eſt illius primæ repetitio ſi Chriſtus alio modo conſecrauit?

Tertiò probatur vi verborum illorum fieri conſecrationem, ſi differretur ab eorum prolatione præſentia Chriſti, verba illa eſſent falſa; nec ſtatim adoranda oſtenderetur hoſtia, quod non ſolùm Latina facit Eccleſia, ſed & Græca: nam mos eſt Græcorum, vt refert Beſſarion Cardinalis Græcus, verba hæc conſecratoria, *Hoc eſt corpus meum*, alta voce proferre; *Et hic eſt ſanguis*, &c. quibus populus reſpondet, *Amen*, ſic & facit Syra, Æthiops, Armenia Eccleſia, vt tradunt Iuſtin. Ambr. Auguſt. vnde Hieron. 2. lib. in epiſt. ad Galat. *Ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui populus reſpondebat, Amen.* Particula, Amen, eſt confirmantis. Innocentius III. dicit Decretum eſſe, vt ſubmiſſa voce dicerentur verba conſecratoria, ne contemnerentur hinc Canon 9. Tridentini. *Si quis dixerit Eccleſiæ Romanæ ritum quo ſummiſſa voce pars canonis, & verba conſecrationis proferuntur damnandum eſſe*, &c. *anathema ſit.* Itaque hæc eſt conſecratio panis, quia Chriſtus hac forma vſus eſt, quam ſemper retinuit Eccleſia, vt infinita Patrum teſtimonia affirmant & Concilia declarant Florent. & Trid. Adde quod ea forma eſt, qua illud ſignificatur quod in hoc Sacramento efficitur, dicta autem verba & non alia ſignificant conuerſionem panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem; ergo verba illa ſunt forma Euchariſtiæ.

Dices ex ſententia Græcorum (qui vltra verba hæc preces quaſdam requirunt quibus conficiatur conſecratio) haberi in Liturgia S. Iacobi & aliorum SS. Patrum verba iſta. *Fiat hic panis corpus Chriſti*, poſt verba hoc eſt corpus meum, ſeu iſta. *Fac Domine panem hunc corpus Chriſti tui.* At Patres iſti non peterent panem mutari in corpus Chriſti ſi verba Domini iam recitata hoc feciſſent.

Reſpondeo non peti abſolutè vt fiat corpus Domini, ſed vt fiat nobis, id eſt; vt panis ille conſecratus, qui reuera iam eſt in ſe corpus Domini fiat per effectum, nutritionis ſpiritualis nobis corpus Domini; idque idem Clementis & Baſilij liturgiæ intendunt, quæ habent non

non *fac* panem iſtum corpus Domini, ſed *oſtende panem iſtum corpus Domini*, oſtende ſcilicet per effectum, ſic Latina habet, *iube hac perferri in altare tuum, &c.* Hanc reſponſionem multi Patres Græci fecerunt Eugenio Papæ in vltima ſeſſione Concilij Florentini interroganti, cur poſt conſecrationem dicerent illas preces quibus videtur peti conſecratio dicentes ſe nihil dubitare quin conſecratio fieret per verba Chriſti, illas autem preces addi vt petatur à Deo nobis vtilitas ex tanto ſacrificio.

DIces, Sacerdos vel profert illa verba narratiuè ſeu recitatiuè tantùm, vel ſignificatiuè, at neutro modo poſſunt eſſe forma Sacramenti: nam ſi primum dicas, ſequeretur, per illud *hoc* demonſtrari panem qui fuit in manibus Chriſti, non iſtum qui eſt in manibus Sacerdotis, ac proinde non conſecraretur, qui conſecrandus proponitur. Si ſecundum illud, hoc eſt corpus meum demonſtraret corpus Sacerdotis non Chriſti, ac dicere oporteret, Hoc eſt corpus Chriſti. Secundò, omnia verba præcedentia clamant non dici ſignificatiuè, ſed recitatiuè, cum legamus, accepit panem in ſanctas, &c. benedixit, &c.

Reſpondeo verba illa dici vtroque modo in actione Miſſæ, in qua Sacerdos aliquando agit perſonam ſuam, vt cum orat, laudat, &c. & aliquando perſonam agit Chriſti. Quare longè alia ratione iſta verba dicuntur extra Miſſam narratiuè dumtaxat in Miſſa, & ſignificatiuè; quia Sacerdos narrat quod dixit & fecit Chriſtus, & intendit facere quod fecit.

DIces, in forma Sacramenti nihil ad verba Chriſti addendum eſt vel detrahendum, quod tamen fit apud Catholicos, qui de forma corporis detrahunt. *Quod pro vobis tradetur*, & in forma ſanguinis addunt. *Noui & æterni Teſtamenti* & *Myſterium fidei*, quæ reliquæ Liturgiæ non habent.

Reſpondeo, & dico duo. Primò, verba quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt ad conſecrationem eſſe illa tantùm. *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt ſanguis meus*; vel *hic eſt calix ſanguinis mei.* Reliqua omnia etſi dici debeant iuxta Canonem ab Eccleſia inſtitutum, non tamen ita eſſe neceſſaria, vt ſine illis conſecratio fieri non poſſit. Quod ex eo probatur primò, quia hæc pauca verba ſufficienter exprimunt effectum conſecrationis. Neque eſt opus vt exprimant actionem miniſtri, vt in aliis Sacramentis fit: nam alia conſiſtunt in actione, hoc autem in re permanente. Secundò, quia hæc habentur in omnibus Liturgiis, & apud Matthæum, Marcum, Lucam, Paulum: non eſt autem dubitandum, quin forma Sacramenti huius ſufficienter expreſſa ſit à quolibet Euangeliſta, alioqui ſequeretur non habuiſſe veram Euchariſtiam eos qui non habuerunt niſi vnum Euangelium & tamen Liturgiæ omnes variant, hinc patet ſi quid additum eſt aut detractum id non pertinere ad eſſentiam eiuſmodi formæ.

Secundò Reſpondeo, non ſine ratione & exemplo detractum eſſe vel additum quicquid in noſtra forma, notatur ſi dicas detractum eſſe. *Quod pro vobis traditur*, vel *frangitur.*

Reſpondeo, hæc verba non haberi apud Matthæum, nec Marcum, nec apud Iuſtin. Apol. 2. Cyrill. catech 4. & Euſebium Emiſſ. ſerm. 5. de Paſchate, cum tamen ij omnes referant formam conſecrationis. Quod ſi hos Authores reprehendere non poſſumus, ita nec Liturgiam noſtram à Petro emanatam, vt docet Sanctus Thomas, quæſt. 78. art. 2. ad 4. & ante eum Leo IX. Epiſtola ad Michaël. cap. 5. & antiquiorem Euangelio Lucæ, & Epiſtolis Pauli, qui addiderunt hæc. *Qui pro vobis frangitur.* Particulæ, *enim*, nec-non *manducate ex eo omnes* additæ ſunt; quia habentur in forma calicis Matth. 26. ex quo intelligitur ea ſubaudiri in conſecratione panis, eadem enim ratio eſt vtriuſque formæ. Quid verò abſurdi eſt ſi exprimatur perſpicuè, id quod alioqui ſubintelligendum eſſet, vnde Ambroſius citatus illa omnia exprimit.

Noui & æterni Teſtamenti, & *Myſterium fidei* addita dicuntur à Sancto Petro, ſi Traditioni credimus, ideò reprehendi non poſſunt cum veriſſima ſint, & ex Scripturis colligantur: nam teſtamentum Chriſti eſſe æternum ad diſtinctionem veteris; patet ex Pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*, & Paulo Hebr. 7. Item Myſterium fidei rectè vocari ſanguinem calicis Domini, dubium eſſe non poteſt, cum hic ſingulariter exercenda ſit fides reclamantibus omnibus ſenſibus.

Nota illa verba, *Accepit panem* non eſſe de forma, quia aliud eſt accipere panem, aliud conſecrare, & ſæpè Chriſtus accepit panem, & illum non conſecrauit. Sic *accipite & manducate*, non ſunt de forma; quia pertinent ad vſum Sacramenti non ad Sacramentum, manducare enim panem non eſt ſubſtantia, vel forma panis ſed vſus illius.

DIces, forma cõſecrationis ea eſt, qua Chriſtus corpus & ſanguinẽ ſuum fecit ex ſpeciebus, ſeu qua cõſecrauit, ſed Chriſtus ante benedixit panem acceptum, deinde dixit, *Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum.* Matt. 26. & ſimiliter fecit de calice: ergo ante pronuntiationem verborum conſecrauerat benedictione, & patet ex 1. Corinth. 11. *Calix benedictionis, cui benedicimus*, id eſt, quem benedicendo conſecramus. Hinc Cyrillus Epiſtola 10. ad Neſtorium vocat conſecrationem *myſticam benedictionem*, & Ambroſius libro de initiatis capit. 9. ſic habet. *Hic eſt panis, quem benedictio conſecrauit, maior eſt vis benedictionis quàm quia benedictione, etiam ipſa natura mutatur.* Matth. 26. ſic refert. *Accepit Ieſus panem, benedixit ac fregit deditque. & ait comedite, hoc eſt, &c.* Marc. 14. *Accepit & benedicens fregit & dedit, & ait ſumite, hoc eſt*, Lucas benedictionem tacet, *accepto pane gratias egit & fregit & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum.*

Reſpondeo illud verbum, *benedixit*, ſignificare conſecrationem, quod ex Marco intelligitur, *benedicens*, ait, *hoc eſt, &c.* vel ita expone, *Benedixit panem dicens*, id eſt, *benedixit his verbis, hoc eſt*, &c. Ita Henriquez libro 3. capit. 16. & alij apud illum, ſicque multæ euacuantur difficultates ſumendo pro eodem benedictionem & conſecrationem. Non me latet ſenſiſſe aliquos Chriſtum ſine verbis conſecraſſe

conſecraſſe ex poteſtate excellentiæ quam habebat in Sacramentis, quæ ſententia (niſi obſtaret decretum Concilij Florentini aſſerentis formam Euchariſtiæ eſſe ea verba quibus Chriſtus confecit) omnibus his difficultatibus obuiaret, quas in ſignificatu propoſitionis, *hoc eſt*, expendunt Theologi. Stat ergo virtus Catholica Chriſtum verbis ordinariis conſecraſſe. Ad hæc nota ex Auguſtino in lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. capit. 10. & 31. & 34. Euangeliſtas non ſemper eundem ordinem in recitando ſeruare, quo res ſunt geſtæ, vnde ait Sanctus Thomas quæſt. 78. artic. 1. ad 1. ſic rei geſtæ ordo exprimi poteſt accipiens panem, *benedixit dicens, Hoc eſt*, &c. nam hoc participium *dicens*, concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt.

Forma conſecrationis vini hæc eſt, *Hic eſt calix ſanguinis mei*. Ita Magiſter in 3. diſtinct. 8. Scot. Suarez & alij, vel iſta. *Hic eſt ſanguis meus*, vt docet Bellarminus, reliqua habentur per Traditionem à Petro, vt iam dixi, quod autem illa ſufficiant probatur quia habentur apud Euangeliſtas, & in Liturgiis; tum illa exprimunt effectum conſecrationis, ſcilicet conuerſionem ſpeciei in ſanguinem, cùm enim ſignificent ibi adeſſe ſanguinem, ſignificant neceſſariò factam eſſe conuerſionem, quia aliter ibi non eſſet. Quæ addunt à Petro ſignificant fructus ſanguinis effuſi in paſſione, quod dicitur, *effundetur pro multis*, ſumptum eſt à Matthæo, & illud *pro vobis* à Luca, quæ Eccleſia ſpiritu Dei inſtructa ſimul coniunxit, non dicitur pro omnibus, quia non omnes ſe reddunt capaces virtutis illius.

Nota in conſecratione calicis fieri mentionem de effectu paſſionis, licet non minus prima ſpecies ſit memoriale paſſionis, vt 1. Corinth. 11. exprimit Paulus. *Quotieſcumque manducabitis, mortem Domini annuntiabitis*, & Lucas expreſſit, *quod pro vobis tradetur*; quia ſanguis ſeorſum conſecratus à corpore, repræſentat expreſſiùs paſſionem, nam ſeparatus fuit in effuſione.

Nota illud *pro multis*, idem eſſe quod pro omnibus quantum eſt ex parte Chriſti, vt explicant Euthymius & Theophilactus, vel *pro multis*, id eſt, pro ſolis prædeſtinatis quantum ad efficaciam. Aduerte etiam *effundetur* in Græco Matth. Luc. Marc. legi in præſenti effunditur. quod ſignificat effundi ſanguinem, id eſt offerri, ſeu libari in ipſo Miſſæ Sacrificio, verſio tamen communis, quæ eſt futuri temporis refertur ad futuram in cruce, quando Chriſtus hæc verba protulit, & hanc Eccleſia retinuit, vt ſignificaret Sacrificium, quod in Altari offertur, & illud quod in cruce oblatum eſt vnum, & idem eſſe, *ſola*, vt loquitur Concilium Tridentin. *offerendi diuerſa ratione*.

QVÆSTIO VII.

De vi & efficacia formæ.

CONſecratio in Euchariſtia, & in aliis Sacramentis multum differt: nam in aliis eſt quædam benedictio materiæ, quæ de non ſacra fit ſacra abſque eo quod in aliquid aliud mutetur. At in Euchariſtia eſt vera & realis conuerſio totius ſubſtantiæ panis & vini in totam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti.

Tria itaque maximè admiranda faciunt verba Chriſti, quibus conſtituitur forma Euchariſtiæ.

Primò, conſtituunt Chriſtum verum Deum & hominem ſub ſpeciebus panis & vini.

Secundò, efficiunt quod nulla in Sacramento illo remanet panis aut vini ſubſtantia, quantumuis id à ſenſibus alienum videatur, ſed tota eorum ſubſtantia conuertitur in corpus Chriſti.

Tertiò, efficiunt quod in Euchariſtia accidentia panis & vini, quæ oculis aliiſque ſenſibus percipiuntur ſine vllo ſubiecto, mirabili quadam atque inexplicabili ratione remanent atque operantur. Conſecratio tribus modis appellatur primò ſic, ſecundò Conuerſio, tertiò Tranſſubſtantiatio, de qua dicendi locus hic foret, ſed quia hæc articulum fidei conſtituit ſuo loco de ea agemus, hic vero hanc ſupponimus.

QVÆRES, *Quomodo conſtituatur Chriſtus in Euchariſtia per verba conſecrationis.*

Reſpondeo primò non ineſſe verbis vim actiuam ſeu qualitatem phyſicam; quia vel eſſet permanens vel ſucceſſiua: ſi permanens non poſſet recipi in ſubiecto ſucceſſiuo, vt eſt prolatio verborum. *Hoc eſt corpus meum*: ſi ſucceſſiua iam non tota ſimul exiſteret, nec tota eſſet actiua, nec haberet partes eiuſdem rationis: Ergo fruſtra poneretur ſecundum ſe tota.

Dicendum eſt ea concurrere *Moraliter* ad conuerſionem ſeu transſubſtantionem. Idem diximus de Sacramentis in genere.

Scriptura rem proponit, ſcilicet conuerſionem ſpecierum in corpus Chriſti, eſtque de fide Matth. 26. & aliis Euangeliſtis, & Paulo. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, quæ verba non poſſunt non eſſe vera, nec aliter explicari, niſi dicamus Chriſtum conſtitui ſub ſpeciebus. At de modo quo fit per verba nihil habet Scriptura, nec importat Catholico hoc ſcire, ſufficit credere factum per virtutem Dei, *apud quam non eſt impoſſibile Verbum*. Modus autem moralis

Probatur ex Sanctis Patribus tribuentibus ſoli Deo hanc conuerſionem Damaſcen. lib. 4. de fide cap. 14. confert verba Euchariſtiæ cum Incarnatione; nam ſicut Incarnatio facta eſt à ſolo Spiritu-Sancto ad præſentiam verborum, quibus Beata Virgo expreſſit ſuum conſenſum: ita hic prolatis à Sacerdote verbis formæ Spiritus-Sanctus operatur conuerſionem panis in corpus Chriſti. Sic etiam habet Ambroſius lib. 4 de Sacrament. cap. 4. Chryſoſtom. hom. 83 in Matthæum.

Probatur ratione, quod verba phyſicè hic non operentur. In hac conuerſione duæ actiones ſpectandæ ſunt: Vna qua expellitur ſubſtantia panis, altera qua adducitur, & præſens fit corpus Chriſti, prior actio eſt illa qua accidentia panis per ſe conſtituuntur extra ſubiectum: nam ex vi illius actionis ſequitur deſitio ſubſtantiæ panis. Poſterior actio, vel eſt adductiua tantùm vel etiam ſubſtantialiter conſeruatiua, vt dicit Suarez. Atqui hæ duæ actiones non poſſunt produci phyſicè ab illis verbis, *Hoc eſt corpus meum.*

Ergo illa verba non concurrunt physicè ad conuersionem panis in corpus Christi. Minor probatur, quia actio conseruatiua non potest physicè pendere, nisi à causa permanente; At prolatio verborum non est causa permanens; ergo ab illa physicè non pendet conseruatio corporis Christi. Secundò, quia actio adductiua recipitur in corpore Christi tanquam in subiecto; At prolatio non potest physicè agere in corpus Christi nisi sit præsens; ergo non potest illud facere præsens per adductionem. Confirmatur, quia prolatio vel supponit corpus Christi præsens, vel absens, si præsens iam non facit illud præsens per actionem adductiuam, si supponit illud absens iam non potest in illud physicè agere.

Sufficit inquies Deum esse præsentem. At quid facit immensitas Dei, cum positione corporis Christi, qui est in cœlo circumscriptiuè, vt recipiat efficientiam verborum istorum, quæ nulla omnino est, quæ attingere possit illud. Tertiò probatur minor, quia illa prolatio, vel secundùm se totam, vel secundum aliquam partem diuisibilem, vel indiuisibilem est causa Physica respectu huius conuersionis, quæ fit in instanti. Non primum, quia nullum datur instans in quo existat illa prolatio secundum se totam non secundum propter eandem causam, quia non datur instans in quo existat pars indiuisibilis secundum successionem. Nec tertium, quia non potest explicari quænam sit pars indiuisibilis in ente successiuo.

Resolutio. Verba concurrunt moraliter ad transubstantiationem quando integrè prolata sunt.

Cum ex Scoto creatura non possit creare, nec attingere productionem gratiæ, quæ est terminus creationis, tamen capiendo instrumentum pro causa instrumentali morali, siue pro dispositione necessitante ad gratiam ex pacto, Sacramenta efficiunt gratiam, quia sunt dispositiones præuiæ ex pacto necessitantes.

Ita in propositio verbi sacramentalia sunt causa instrumentalis qua posita Deus necessitatur ex pacto ad efficiendam transubstantiationem. Et sic, agens creatum scilicet minister est causa instrumentalis effectiua, non physicè, sed moraliter, siue ex pacto diuino huius conuersionis, quia habet actionem propriam humanam præuiam actioni diuinæ, tanquam dispositionem necessariam non simpliciter, sed ex ordinatione Dei paciscentis, cum Ecclesia. Ergo minister est instrumentum Dei ad talem actum proprium Deo scilicet transubstantiationem omnino miraculosam & sine exemplo.

QVÆSTIO VIII.

Quid designetur per hoc & hic in forma.

Enodanda est difficultas hæc satis implexa, quæ varias opiniones generauit, vt notat S. Thom. art. 5. ad verificationem significationis istius particulæ, *hoc*, vel *hic*, in forma consecrationis. Nam vel significat panem, vel accidentia, vel corpus Christi, sed nullum horum videtur posse significare: non enim significat panem, quia falsum est panem esse corpus Christi, & falsum est particulam, *hoc* semper significare panem, alioqui nunquam posset adhiberi ad aliam rem significandam: neque videtur posse significare corpus Christi, quia quando profertur particula, *hoc*, nondum est corpus Christi, sed aduenit in finitione verborum.

Respondet S. Thom. cit. demonstrare substantiam, sed absque determinatione propriæ naturæ, seu demonstrare aliquid commune ad substantiam panis & corporis Christi, sed hæc responsio non caret difficultate; nam id quod dicitur esse commune ad substantiam panis, & corporis Christi, vel est panis, vel corpus Christi, vel quid tertium non panis neque corpus, vt constat, neque quid tertium, cum illud assignari nequeat.

Lutheranorum impanatio fundatur in significatione, quam importare dicunt *hoc*, volunt enim per *hoc*, demonstrari panem ita vt panis sit subiectum propositionis, sic, *hoc*, id est, hic panis. Ratio eorum est particula *hoc* est demonstratiua, cum profertur, sed cum profertur à Christo non demonstrat nisi panem; nam demonstrat quod ipse habet in manibus. Tum quod Dominus accepit, fregit, benedixit, hoc dedit; nam omnia verba regunt eundem accusatiuum, panem, sed accepit, fregit, benedixit panem; ergo illud *hoc*, demonstrat panem.

Nota Catholicos conuenire quidem in asserenda veritate corporis Christi, sub speciebus, dissidere tamen in modo explicandi, quid propriè demonstret pronomen *hoc*, vel *hic*. Aduersarij tam variè & confusè hæc quatuor verba, *Hoc est corpus meum*, explicarunt ad declinandam præsentiam realem Christi & transubstantiationem, quam profitetur Ecclesia Catholica, vt octuaginta quatuor expositiones efficitas referat Claudius Sancteus, cùm tamen vna sit fides & vna veritas, & Christus, Ioan. 14. *Ego sum veritas.*

Refellitur Lutherana interpretatio; nam vel illud *hoc*, accipitur adiectiuè, vel substantiuè, si adiectiuè debet concordare, cum substantiuo, quare non potest demonstrare panem, sed corpus; nam panis est masculini generis tam Græcè, quàm Latinè; at Græcè & Latinè, habetur neutrum τοῦτο, *hoc*, quod conuenit cum corpore, quod Latinè & Græcè est, neutri generis: Similiter in altera specie vinum est Græcè masculini generis, & sanguis est neutri, Christus autem non dixit οὗτος, sed τοῦτο, Latinè autem è contrario vinum est neutri & sanguis masculini, & tamen omnes legunt: *Hic est sanguis*, non hoc, vinum scilicet, est sanguis. Si accipitur substantiuè, tunc sensus erit *hoc*, id est, hæc res est corpus meum, si autem illud *hoc*, siue hæc res de pane dicatur, absurdissima erit propositio, non enim potest dici *hoc* de re, quæ cernitur & cognoscitur, nisi res illa sit generis neutri, nemo enim demonstrato fratre suo diceret, hoc est frater meus, vel demonstrata imagine Cæsaris diceret, hoc est Cæsar. Ergo nec de pane quem discipuli videbant rectè potuit dici: *Hoc est corpus meum.* Addo conuincens argumentum ex Scriptura; si *hoc*, demonstraret panem, ita etiam in consecratione vini *hic*, Latinè, siue *hoc*, Græcè, demonstraret

ret vinum, quod quidem Aduersarij concedunt ad declinandam conuersionem, sed Lucas cap. 22. apertè repugnat, qui sic scripsit, *τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον*, id est, hic calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur, vbi *qui effunditur*, non coniungitur, cum illis verbis in sanguine meo, deberet enim dici, *quod*, non *qui*, sed cum illis hic calix: dicit ergo Lucas calicem effundi pro nobis; at vas aut vinum non est effusum pro nobis, sed verus sanguis; calix igitur non significat calicem vini, sed calicem sanguinis. Hinc necessariò euincitur realitas Sacramenti, seu existentia corporis, seu sanguinis Christi, sub speciebus; nam ex lege Grammatices adiectiuum nominatiuum *ἐκχυνόμενον*, id est, *effusum*, non potest referri ad sanguinem, qui Græcè est neutri generis, sed ad substantiuum nominatiuum *ποτήριον calix* est ergo necessariò dicendum aut sanguinem Christi verè esse & contineri in calice, aut vinum tantùm effusum fuisse pro nobis. Besa hic constrictus arguit solæcismi Scripturam & negat textum esse integrum, sed si hoc admittatur, cur non licebit totam Scripturam negare.

Ad rationem supra positam: Respondeo Christum accepisse panem ac benedixisse, sed non dedisse vulgarem vti acceperat, sed benedictum & benedictione mutatum; nam intercedit inter accepit & dedit *benedixit*, quod facit ne omnia verba regant eundem accusatiuum eodem modo se habentem: neque hoc est inusitatum; nam si quis dicat, quidam percussit Petrum, occidit & sepeliuit non intelliget Petrum fuisse viuum sepultum, licet viuus fuerit percussus: Adde quod Caluinistæ hoc modo coguntur soluere argumentum; nam volunt Christum accepisse vulgarem, tamen dedisse Sacramentalem panem.

Scotus vult pronomine *hoc*, formaliter ac per se demonstrari aliquid commune substantiæ panis & corpori Christi, commune, inquam, non secundùm rem, id enim nihil potest esse, sed secundùm rationem, seu denominationem, scilicet sub ratione contenti, sub accidentibus, ita vt sit sensus, quod sub accidentibus his continetur est corpus Christi. Clariùs explicatur: *Hoc*, demonstrat singulare entis & non per singulare minus vniuersale quàm hoc ens.

Nota 1. quòd oratio est tantùm vera in vltimo prolationis instanti, quia tunc tantùm est integra, quod patet, quia conceptus dictionis habetur in fine prolationis eius, similiter & orationis; nam sicut Syllabæ sunt partes dictionis, ita dictiones sunt partes propositionis, seu enuntiationis; nec dicas significatum orationis haberi ex partium significatione, partes autem significant dum proferuntur; ergo conceptus orationis habetur ante vltimum prolationis.

Respondeo enim aliud esse loqui de partibus in se, aliud vt sunt partes orationis complexæ, primo modo significant dum proferuntur, non secundo. Tum non valet obiectio; nam nec conceptus dictionis habetur nisi tota dictione prolata, quod autem hoc verum sit, & oratio non significet dum profertur, patet; nam ly *hoc*, aut ly *est*, non significat compositionem inter ly *hoc*, & ly *est*, & Christi corpus dum profertur; nam si quis sisteret, propositionem falsificaret.

Nota 2. propositionem propriè acceptam & completam constare tribus terminis, subiecto, verbo, & prædicato, v. g. in hac propositione Petrus est doctus, Petrus dicitur subiectum, quia de ipso prædicatur doctrina, particula *est*, dicitur verbum connectens vtrumque terminum, *Doctus*, dicitur prædicatum, quia prædicatur de subiecto, id est, de Petro; hæc est natura propositionis, vt non habeat completam significationem nisi posito prædicato.

Nota 3. particulam *hoc*, dupliciter considerari posse, primò per se, vt est simplex quidam terminus, & vt sic non habet determinatam significationem, sed vagam & indeterminatam; nam cum profero particulam *hoc*, possum designare substantiam, aut accidens, aut compositum ex vtroque. Secundò potest considerari, vt est terminus & subiectum propositionis cuius significatum determinatur à prædicato & facit vnam integram significationem, cum verbo & prædicato, cùm ante prolationem verbi & prædicati nondum completa sit essentia & significatio propositionis, seu enuntiationis, vt benè cum Aristot. Primò *περὶ ἑρμηνείας*, obseruauit Valentia tom. 4. disp 6 q. 6. punct. 2. nam si dicas Petrus est, constat nondum completam esse significationem si aliquid aliud intendas addere, potes enim dicere albus, sapiens, ignarus, &c. hoc posito.

Ad quæstionem: Respondeo particulam *hoc*, pro corpore, vel *hic*, pro sanguine consecrando non significare contentum sub speciebus pro eo signo & tempore quo ipsa particula profertur, siue illa particula consideretur, vt est simplex terminus, siue vt subiectum propositionis, consequenter non posse pro eo signo quo profertur significare panem, quia tunc non habet significationem determinatam, sed suspensam donec determinetur ad significandum id cui conuenire potest prædicatum, scilicet corpus meum, cum autem id cui prædicatum conuenit sit corpus Christi, quòd continetur sub speciebus, statim prolato prædicato sequitur illam particulam *hoc*, significare corpus Christi & supponere pro corpore Christi, quod continetur sub speciebus, ita vt sit sensus. Quod continetur sub speciebus est corpus Christi.

Idem dicendum est, ad illud: *Bibite ex hoc omnes*, illud enim, *ex hoc*, non significat ex hoc vino, sed ex eo quod continetur in calice, sub speciebus vini, quod quidem licèt fuerit vinum ante consecrationem, tamen finitis verbis consecrationis non vinum, sed sanguis erat, vt Christus testatur subiiciens. *Hic est sanguis meus*.

Hic nota Scotum immeritò argui à Bellarmino, qui reuera si intelligitur coincidit, cum ista sententia, quid enim sonat: *Hoc ens*, nisi quod continetur sub speciebus, seu corpus Christi, non pro eo signo quo *hoc*, profertur; sed quatenus determinatur à prædicato tanquam subiectum propositionis. Vnde elicitur verba quæ proferuntur à Sacerdote esse vera non minus quàm forma aliorum Sacramentorum; nam efficaciter operantur illud quod significant, & ita est in re, sicut per verba significatur, cum significent corpus Christi non

speculatiuè, sed practicè & in actu exercito. Ita DD. multi.

QVÆRES: *Quomodo hæc consecrationis forma vera esse possit.*

Præsuppono verba illa: *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus.* esse practica, quia vi illorum, Christi corpus incipit esse, vbi non erat; Deus enim eundem effectum tribuit eis, quem dedit, cum Christus ea protulit, vel ad eorum prolationem legitimè factam eundem facit effectum, ponens corpus sub speciebus, quia cum Deus, qui mentiri non potest dicit aliquod esse, necesse est, vt illud sit, & si antea non fuerit, necesse est, vt tunc fiat. Certum præterea est ista verba tunc tantùm esse vera quando integrè prolata sunt; nam veritas & significatio propositionis non est perfecta nisi quando duo extrema per copulam, seu verbum connectens vnita sunt, non sunt autem vnita in propositione vocali, nisi quando voce prolata sunt. Nunc superest dubium, an hæc forma faciat conuersionem panis ratione suæ veritatis. Ratio dubitandi est, quia causa effectiua est prior suo effectu; ergo illa verba priùs natura efficiunt, quàm sint vera, quia non sunt vera, nisi corpus præsens sit; nam veritas consistit in conformitate propositionis, cum re significata. In contrarium verò est, quia si illa verba non efficiunt conuersionem quatenus vera; ergo efficiunt quatenus falsa sunt, quod est absurdum; ergo si priùs non conceditur, dandum est posteriùs.

Respondeo formam esse conuersiuam, non vt veram, sed vt talem sequi conuersionem & existentiam corporis sub speciebus, in quod naturâ priùs est conuersiua, quàm vera.

Probatur, quia illa oratio est conuersiua quatenus est signum sensibile institutum à Deo, vt instrumentum ad efficiendam conuersionem in vltimo instanti prolationis eius, sed priùs naturâ est tale signum quàm sit vera; ergo priùs est conuersiua, quàm vera maior constat ex natura Sacramenti; minor ostenditur, quia significatio propositionis est, priùs natura veritate eius, præsertim quando significatio est causa veritatis propositionis. Ergo cum illa propositio sit causa suæ veritatis ratione suæ significationis erit priùs naturâ causa & consequenter conuersiua quàm vera.

Breuiter dico hanc esse differentiam locutionum, quæ vim significatiuam solùm habent, & earum, quæ habent vim effectiuam; quòd illæ supponant rem quàm enuntiant iam esse; hæ verò illam efficiant: vnde ad veritatem formæ consecrationis per quam, v. g. corpus Christi ponitur sub speciebus, sufficit quod eadem duratione reali qua significatio eius completur, res per eam significata & enuntiata talis à parte rei sit, qualis esse significatur & enuntiatur. Quod cum in illa forma reperiatur, hinc sequitur illam veram esse.

QVÆSTIO IX.

De ministro Sacramenti Eucharistiæ.

EXplicatis causis intrinsecis Sacramenti huius, videlicet materia & forma (intacta quæstione de reali præsentia eamque consequentibus mirabilibus, quæ in Articulo de Transubstantiatione discutienda sunt) sequitur, vt de extrinsecis efficiente & fine siue effectu breuiter agam. Minister Consecrationis est solus Sacerdos, seu is qui caracterem habet Sacerdotalem.

PROPOSITIO CATHOLICA.

SOlus nouæ legis Sacerdos ritè ordinatus est proprius & legitimus Eucharistiæ conficiendæ ordinarius & propriùs minister, nec non & aliis dispensandæ.

Probatur primum ex Scriptura, Luc. 22. *Hoc facite*, non est dictum nisi solis Apostolis, qui eo mandato ordinati sunt Sacerdotes. Id autem probatur hoc modo. *Hoc facite*, non solùm significat manducare & bibire, quod conuenit omnibus Christianis, sed significat consecrare, sumite, & aliis distribuite, vt me facere vidistis, ista autem tria non possunt conuenire omnibus; ergo illud mandatum non est datum omnibus, sed solum quibusdam, qui ideo dicuntur Sacerdotes. Ergo cæteri nullo modo possunt Eucharistiam consecrare, & si id tentauerint nihil facient; nam Sacramentum conficitur in persona Christi: quare cui Christus id non commisit, is nihil facere potest.

Probatur maior ex ipso textu Lucæ, Lucas enim qui solus inter Euangel. habet illa verba. *Hoc facite*, non dixerat antea. *Accipite, manducate.* Sed solum dixerat. *Accepit panem benedixit, & dedit dicens: Hoc*, &c. Ergo non retulit Lucas. *Hoc facite*, ad actionem solam manducandi, cùm eius ne meminerit quidem, sed retulit ad actionem benedicendi, & distribuendi, quas expresserat, & simul ad actionem manducandi, quia Dominus etiam manducauit. Secundò nulla est ratio cur, *Hoc facite*, non debeat referri ad omnia, quæ Christus hic fecit. Tertiò, quia nisi referretur ad omnia non haberemus mandatum diuinum in verbo Dei expressum de conficienda Eucharistia.

Minor probatur, si mandatum illud daretur omnibus tenerentur omnes consecrare & distribuere quod absurdissimum est, & contra omnium, etiam hæreticorum consuetudinem.

Probatur ex SS. Patribus Dionys. c. 5. Eccl. Hier. *Nec ipse Sacerdos erit nisi Pontificalibus officijs ad hoc fuerit promotus.* Clemens lib. 2. Const. cap. 31. *Omnis laicus sine Sacerdote aliquid attentans frustra facit.* Et loquitur apertè de sacrificij oblatione, & lib. 8. cap. vlt. dicit. *Christum solis Apostolis dixisse hoc facite & deinde per Apostolos ad alios presbyteros hanc potestatem deriuatam esse.* Idem dicit Iustin. Apolog. 2. Tertull. in lib. de Præs. irridet Marcionistas. *Quòd apud eos aliqui hodie sunt clerici, cras laici, & quòd laicis sacerdotalia munia committantur.* Cyprian. lib. 1. Epist. 2. & 9. & lib. 3. Epist. 15. Non solum docet non posse Eucharistiam conficere nisi Sacerdotes, sed etiam inde colligebat non esse apud hæreticos veram Eucharistiam, cum non sit apud eos verum Sacerdotium. Epiphan. hæresi 79. Collyridianorũ, docet solos Apostolos à Christo ordinatos ministros Eucharistiæ, & deinde ab Apostolis alios Episcopos & Presbyteros: Cæteris autem laicis & maximè fœminis adeò

adeò hoc non licuisse vnquam, vt ne ipsi quidem B. Virgini fuerit concessum, Chrysost. lib. 3. & 6. de Sacerd. scribit ob hanc vnam potestatem consecrandæ Eucharistiæ Angelos à Sacerdotibus superari. Hieron. in Dialog. contra Luciferian. contendit Hilarium quendam schismaticum non potuisse, Euch. conficere, quia solùm Diaconus erat. Ambr. Theodosio Imperatori dixit. *Purpura imperatores facit, non Sacerdotes*, & in lib. de dign. Sacerd. cap. 2. anteponit Sacerdotalem potestatem Regiæ, quod etiam faciunt alij Sancti.

Probatur ex Conc. Lateran. sub Innoc. III. cap. *Firmiter*, in quo statuitur, *neminem nisi Sacerdotem ritè secundum claues Ecclesiæ ordinatum, Sacramentum hoc posse conficere*; quod etiam expressè definitum est, in Trid. sess. 2. cap. 1.

Probatur ratione, quicumque agit aliquid in persona alterius, debet ab eo habere potestatem hoc faciendi, sed solis Sacerdotibus seu Apostolis data est hæc potestas: *Hoc facite*; ergo soli Sacerdotes possunt consecrare. Adde antiquissimos Ecclesiæ ritus; nam primò imperabatur omnibus altaris ministris perpetua continentia, vt habet Conc. Chartag. 2. can. 2. Secundò prohibebantur laici tangere, vel seruare sacra vasa, vbi Euchar. conficitur, vt patet ex Epist. Synod. Alexandrinæ in Apolog. 2. Athanasij contra Arianos, vbi probat calicem quemdam nō fuisse sacrum, quia seruabitur in domo laici hominis. His accedit quod nullum potest proferri exemplum antiquitatis, quo probetur in aliquo casu diaconum, aut laicum consecrasse Eucharistiam, sicut non pauca proferuntur quibus ostenditur in certis casibus Diaconos imò & laicos baptizasse.

Dices laicus iustus vnitus est Christo; ergo in persona Christi hoc potest facere, quod facit. Sacerdos, & magis legitimè quàm malus Sacerdos.

Respondeo laicum esse quidem vnitum Christo per fidem & charitatem, non autem per Sacerdotalem potestatem, quæ sola sacrificium offerre potest, etsi enim Christianus quilibet dici possit spiritualis Sacerdos, vt docet Petrus 1. cap. 2. *Vos genus electum regale Sacerdotium gens sancta populus acquisitionis*. Et possit spirituales hostias offerre de quibus, Psalm. 50 dicitur. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & Rom. 12. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*. Non potest tamen offerre ex defectu potestatis & caracteris singulare Religionis sacrificium.

Instabis consecratio fit prolatione formæ; at verba formæ non mutantur, aut vim habent per differentiam proferentis.

Respondeo quod virtus Sacramenti consistit in pluribus; & partialiter in Sacerdotis potestate, quam accepit in sua ordinatione. Adde quod si Sacramenta sunt causæ morales quibus positis Deus operatur. Deus exigit ministros consecratos & non alios, cum verba Sacramentalia non agunt, excitando solùm fidem, (vt erroneè tenent Lutherani, vnde deducunt indifferenter à quocumque recitari posse, & habere effectum mouendi audientem,) sed agunt conuertendo symbola, vel instrumentaliter, vel moraliter, quare non solùm ob disciplinam & ad euitandam confusionem in Ecclesia necessaria est ordinatio ministrorum, sed etiam ob mandatum Dei, qui distinxit statum laicum à Sacerdotali, vnde sequitur verum non esse Sacramentum, quod ab aliquo non ordinato conficeretur.

Dispensationis Eucharistiæ minister ordinarius est Sacerdos. Primis temporibus ob penuriam Sacerdotum Diaconis commissa hæc dispensatio legitur, apud Iustin. Apolog. 2. Ambros. lib. 1. de officiis, cap. 4. quod tamen tempore consequenti ad solum casum necessitatis redactum fuit, vt declaratur in Concil. Chartag. 4. can. 38. ac demum prorsus exoleuit. Addunt Suarez disp. 3. sect. 3. Coninch quæst. 82. art. 3. Reginald. lib. 29. num. 93. & alij, laicum in articulo mortis (quando non est alius, qui infirmum postulantem viaticum communicare possit) posse ei porrigere Euchar. imò & seipsum communicare posse, sicut & Maria Scotiæ Regina proxima martyrio nuper fecit & laudabiliter: ratio plausibilis est, quia præceptum Ecclesiasticum ob reuerentiam tantùm inductum de non vulgariter tractando Sacramento, cedere debet fructui, & vsui, in tali casu non alio modo eruendo; quidquid in contrarium habeat Bonacina quæst. 5. qui præfert solemnitatem administrationi adiunctam.

QVÆSTIO X.

De suceptore Eucharistiæ & dispositionibus.

Svmptio seu vsus huius Sacramenti duodecim articulorum materiam præbuit Sancto Thomæ quæst. 80. paucis rem perstringo, plura desiderantem ad Summistas remittens. Lectorem itaque præmoneo de diuerso modo manducandi corpus Christi, quem Sanctus Thomas in Sacramentalem & spiritualem distinguit, & Concilium Tridentinum docet tripliciter sumi posse. Primò, sacramentaliter tantùm: Secundò, spiritualiter tantùm. Tertiò, spiritualiter & sacramentaliter. Primo modo tantùm accipiunt, qui accedunt cum peccato mortali. Secundo tantùm modo, qui voto & desiderio tantùm edunt hunc panem cœlestem & sentiunt fructum eius per fidem viuam, quæ per dilectionem operatur. Tertio verò modo ab iis qui ritè dispositi communicant.

Prima despositio est Baptismus, qui est ianua Sacramentorum, quare infidelis non dicitur recipere Eucharistiam sacramentaliter, sed materialiter tantùm.

Secunda est fides recta de Eucharistiæ Sacramento, *Impossibile* enim est *placere Deo*, ait Paulus Hebr. 12 *sine fide, accedentem*, quippe *ad Deum oportet credere*. & ideò, vt rectè obseruauit Sanctus Thomas quæst. 77. artic. 3. & ante illum Iuo Cornotensis Epistola 264. ex peculiari Ecclesiæ instituto seu ex Traditione Petri formæ consecratoriæ interposita sunt verba illa *Mysterium fidei*, vt accedentes ad illum monerentur fidem præsertim ipsis esse necessariam. Quod & confirmari potest ex antiqua Ecclesiæ praxi in illius administratione

tione olim seruari solita teste Sancto Ambrosio libro 4 de Sacramento cap. 4. vbi refert moris suo tempore fuisse vt Sacerdos sacram Eucharistiam sumendam porrigens clara voce diceret: *Corpus Christi*, cui suscipiens respondebat *Amen*, hac voce suæ erga huius Sacramenti veritatem fidei veluti professionem emittens.

Tertia dispositio est munditiei animæ ab omni mortalis peccati macula; cum enim hoc Sacramentum se habeat instar spiritualis alimenti supponit vitam seu statutum gratiæ in suscipiente, hinc Paulus *Probet seipsum*, & Concilium Tridentinum definiuit sess. 13. c. 7. & 11. Nemini licere quem peccati mortalis conscientia stimulet, si Sacerdotis facultas data sit ante sacramentalem confessionem Eucharistiam sumere, etiam si videatur sibi esse contritus, nisi aliqua vrgeat necessitas celebrandi. Vide DD.

Tertia est ieiunium quod vocant naturæ, vt nihil quis comederit aut biberit à dimidiâ antecedentis diei nocte ad punctum vsque communionis, nisi excuset mortalis infirmitas, quæ viaticum postulat, vel etiam mors violenta imminens, in illis enim duobus casibus non requiritur ieiunium, vt dicunt Suarez disput 66 Reginald. & alij.

Tempus quo primum fideles ad perceptionem Eucharistiæ obligantur necessitate saltem præcepti, est ætas discretionis, etsi enim damnanda non sit antiquitas, quæ aliquibus in locis Eucharistiam lactantibus & paruulis administrasse legitur, vt constat ex Sancto Cypriano sermone de lapsis, & Augustino Epistola 107. ad Vitalem & aliis: nam probabilem causam huius facti pro illius temporis ratione; Concilium Tridentinum dicit eam habuisse, tamen quia infantes nesciunt discernere Eucharistiam à pane communi, nec se ad pietatem animi requisitam præparare, hodie talis consuetudo sublata est, siquidem per lauacrum Baptismi regenerati & Christo incorporati adeptam iam filiorum gratiam in illa ætate amittere non possunt.

Secundò, quolibet anno saltem in Paschate. Initio quidem nascentis Ecclesiæ fideles sæpissimè, imò ferè quotidie communicabant: quæ consuetudo cum paulatim intermitti videretur, hanc Sanctus Anacletus Papa aliqua ex parte renouauit epistola 2. præcipiens, vt saltem ministri qui Missæ Sacrificio inseruirent, Eucharistiæ participarent. Charitate postmodum refrigescente Sanctus Fabianus Papa Epistola 1. quæ refertur cap. *Etsi* de consecratione distinct. 2. edixit, vt ter saltem quotannis, scilicet in festis Natalis Domini, Resurrectionis, ac Pentecostes omnes Christi fideles Eucharistiam sumerent. Quod postea in pluribus Conciliis, similiter decretum est, ac præsertim Agathensi I. demum cum sancta illa & salubris præceptio in desuetudinem abiisset, & maximo animarum damno in plures etiam annos corporis Christi communio differretur, constitutum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. capit. *Communis vtriusque sexus*, vt singuli fideles cùm ad annos discretionis peruenerint, Sacramentum hoc saltem semel in anno, tempore Paschatis percipiant: vbi nota declaratum fuisse ab Eugenio Papa intelligi quindenam, scilicet à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, sicque omnes Summistæ docent, idque fiat in propria Parrochia, vt præcepto satisfiat.

Quoties autem percipienda sit communio, vix certa regula definitur, esto enim per se loquendo melius sit frequenter communicare, quam rarò, vt patet, tum ex vberrimis fructibus, qui ex hoc augustissimo Sacramento percipiuntur, tum quia communicare cum debita dispositione est opus per se bonum; abstinere vero est bonum tantùm per accidens, quod autem bonum est per se, melius est quam bonum per accidens, vt docent cum Sancto Thoma 3. part. quæst 80. art. 10. Tamen diuersitas statuum & personarum attendenda est: nam Religioso expedit frequentius communicare quam sæculari. Suarez disput. 59. sect. 4. Reginaldus lib. 29. num. 87. Nugnus quæst. 89. art. 11. & alij consulunt personis sæcularibus, sat esse octauo quoque die communicare, vt maiori cum reuerentia & iudicij maturitate discernant cibum à cibo, peruulgata est Augustini libro de Eccles. dogmatib. cap. 53. sententia. *Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.* sermone 18. de verbis Domini, cum dixisset. *Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit*, subjunxit, *Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Angelica planè est Sancti Thomæ consideratio in 4. distinct. 12. quæst. 4. art. 3. vbi dicit. *In perceptione huius Sacramenti duo requiri: desiderium coniunctionis ad Christum, & reuerentiam Sacramenti, quorum primum inclinat ad sumendum, alterum ad abstinendum: sed quia amor timori præponitur, cæteris paribus laudabilius est sumere, quàm abstinere, dum tamen ex frequenti sumptione amor intendatur, & reuerentia non minuatur.* Quod tamen vix notatur in quotidie communicantibus aut celebrantibus, quorum multi accedunt ad Altare, vti sæcularium venales: in Græcis Liturgiis Diaconus clamat *Sancta Sanctis*. Missæ nomen, si ex Hebræo sumatur sonat oblationem spontaneam *notate verba, signate Mysteria* Stipendiarij.

QVÆSTIO XI.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

VErus modus manducandi Eucharistiam nunquam caret affectu; ideò neque effectu, hic enim bona voluntas & amor prærequiritur, quem amore & donis compensat author Sacramenti. Varij itaque, iique saluberrimi sunt huius Sacramenti effectus, de quo verè dici potest, quod olim de manna dictum est, omnem in illo reperiri omnis saporis suauitatem. Præcipuos hic obseruo.

Primus est augmentum gratiæ sanctificantis, hoc enim est ratio & motiuum institutionis illius, vt in decretis Eugenij Papæ habetur, & satis constat ex dictis in tractatu de Sacramentis in genere. Duo enim dumtaxat sunt Sacramenta mortuorum, seu existentium in peccato mortali, Baptismus, & Pœnitentia? reliqua sunt viuentium, ac proinde supponunt gratiam

gratiam iuſtificantem. Tum Euchariſtia inſtituta eſt ad nutritionem ſpiritualem, quæ vitam ſpiritualem ſupponit; cibus autem non poteſt ſuſcitare mortuum. Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*

DIces, Euchariſtiam videri ex ſe inſtitutam ad tollendum peccatum mortale, & conferendam primam gratiam. Probatur ex verbis formæ. *Hic eſt Sanguis qui effundetur in remiſſionem peccatorum.* Tum Chriſtus ſumitur hic, qui peccata remittit: adde quod non repugnat eandem rem eſſe cibum & pharmacum. Ergo ex vi ſua poteſt prodeſſe iuſt s & peccatoribus. Tum Eccleſia in poſtcommunione ait, *ſit ablutio ſcelerum.* Id ſentire videtur Sanctus Ignatius Epiſtola ad Epheſ. *Frangentes panem qui pharmacum immortalitatis eſt, mortis antidoton, vitámque in Deo concilians per Chriſtum & medicamentum purgans vitia.*

Reſpondeo ex forma colligi duo. Primò, ſanguinem Chriſti effuſum eſſe in cruce in remiſſionem peccatorum. Secundò, eundem ſanguinem poſſe offerri per modum Sacrificij in remiſſionem. Concilia vel Patres aliquando tribuunt remiſſionem peccatorum, ſed abſtrahendo à mortali vel veniali, vel loquuntur de augmento gratiæ.

Ad Chriſtum ibi præſentem reſpondeo, ſi ipſe præciſè ſpectetur, non eſt dubium, quin poſſit peccata remittere: ſi verò ſpectetur quatenus vult mediante hoc Sacramento ex opere operato conferre fructum. Sic non confert primam gratiam & remiſſionem peccati mortalis, ſed augmentum & nutritionem ſpiritualē. Dicātur Pharmacum. Primò, quatenus curat venīalia. Secundò, quatenus præſeruat à mortalibus. Tertiò, quatenus expellit infirmitatem relictam ex mortalibus. Ad orationem Reſpondeo peti vt ſit ablutio eorum quorum conſcientiam, ſeu memoriam non habemus. Pſalm. 18. *Ab occultis meis munda me*, vel vt eorum in nobis perficiatur contritio, aut robur ad vitanda mortalia & venialia.

In aliquo caſu Euchariſtia tollit peccatum mortale, & iuſtificat vt poſt Sanctum Thomam quæſtion. 79. art. 3. communiter cenſent Doctores. Si quis, verbi gratia, bona fide ignorans ſe eſſe in peccato mortali, deuotè ac reuerenter hoc Sacramentum percipiat conſequetur gratiam, quæ contritionem & remiſſionem peccati perficiet.

Luther ex obſeruatione quod Chriſtus in hoc Sacramento venit peccatores vocare non iuſtos, & quod cum peccatoribus conuerſabatur dicit optimam diſpoſitionem ad Euchariſtiam, non niſi eam eſſe qua peſſimè quis diſpoſitus eſt, túncque peſſimè eſſe diſpoſitum illum qui optimè diſpoſitus eſt, ſed errat hæreſiarcha. Nam panis iſte eſt filiorum non mittendus canibus; Chriſtus autem prima vocatione iam vocauit & per fidem filios regenerauit, quæ ſupponitur ad communicandum, ſtatus humanus requirens conuerſationem Chriſti, vt audiretur docens nihil habet commune cum Euchariſtia quæ datur per modum cibi, vnde quemadmodum infectus ſtomachus grauatur magis quàm perficiatur cibo etſi optimo: ita mens in actu peccati grauatur magis perceptione Euchariſtiæ quam perficiatur. *Mors eſt malis.* Secundus effectus eſt præſeruatio à mortalibus, vt patet, tum ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 2. Tum quia Euchariſtia per modum cibi inſtituta eſt, ideóque debet conferre robur ad vitam, & conſequenter præſeruationem à mortalibus. Tum quia Ioan. 9. dicitur. *Hic eſt panis de cælo deſcendens; vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur.* Non mori autem eſt præſeruare à peccato mortali, quod mortem animæ infert. Iſte effectus fit per quædam ſpecialis gratiæ actualis auxilia opportuno tempore vi huius Sacramenti dignè ſuſcepti conferenda, per quæ charitas conſeruatur, roboratur, perficitur, idque animæ ſpiritualiter confertur, quod panis & vinum corpori conferre ſolet, vt expreſsè declaratur in decreto Eugenij, vbi dicitur. *Omnem effectum quem cibus & panis materialis quoad vitam operantur corporalem ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam ſpiritualem operari.* Hic effectus poteſt in plures diſtingui.

Tertius effectus eſt remiſſio venialium (non tamen pœnarum temporalium, quod dicitur eſſe effectus Sacrificij) modo non adſit ipſorum complacentia, aut in ipſa ſuſceptione Sacramenti committantur: nam complacentia venialium impedit ſpiritualem dulcedinem percipiendam, & impoſſibile eſt liberari ab illis peccatis, quæ tunc committuntur. Ita Tridentinum, & habetur capit. *litterarum* de conſecratione diſtinct. 2. cap. 110. Hoc autem fit, ſiue per infuſionem gratiæ præſuppoſita de illis attritione, ſiue per charitatis feruorem, quem Euchariſtia excitat.

Quartus eſt ſingularis quædam & inexplicabilis vnio Chriſti cum dignè ſuſcipiente iuxta eius dictum Ioan. 6. *Qui manducat me in me manet, & ego in eo*, & Pauli 1. Corinth. 10. *Vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus*, nec-non & fidelium inter ſe vnio, vnde Sancti Patres vocant vnitatis Sacramentum, vnde Auguſtinus tractat 26. in Ioannem. Dominus corpus ſuum & ſanguinem in iis rebus commendauit quæ ad vnum rediguntur ex multis. Alios effectus vnctio docet.

QVÆRES, *quando conferantur iſti effectus:*

Reſpondet Bonacina in deglutitione; quia, inquit, Euchariſtiæ applicatio eſt manducatio Ioan. 6. *Qui manducat me ipſe viuet propter me*, tum quia hoc Sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti, ſed cibus nutrit, quando tranſmiſſus eſt ad ſtomachum, & hinc vult eos qui diu retinent hoſtiam in ore, ita vt ſpecies corrumpantur ante deglutionem non recipere fructum Euchariſtiæ; quia non dicuntur Chriſtum manducare, ſi autem vel minima pars eſt deglutita, fructus totus habetur; quia totus Chriſtus eſt in ea.

Reſpondeo ego iſta non eſſe phyſicè & ſtrictè ſumenda, cum Sacramenta moraliter agant aut inſtrumentaliter, & ſuſceptor ex parte ſua ſibi applicarit cum ordine ad deglutitionem, & comedens dicatur ex quo os aperuit, vnde nulla eſt ratio differendæ gratiæ. Tum ægroti qui tranſmittere nequeunt non debent priuari fructu pietatis; nec datur alia gratia poſt traiectionem omnium partium: nam ſumptio ipſa vel vnica pars ſumpta vices gerit vnius conuiuij moralis & vnicæ refectionis, vnde mirum non

non eſt, ſi totus effectus producitur; nam partes ſequentes ordinantur ad primam.

QVÆSTIO XII.

De cultu & veneratione data Euchariſtiæ.

NVllus equidem dubitandi locus relinquetur, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto *Latriæ cultum, qui vero Deo debetur*, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibere debeant, ſi ſic à principio factum reſtetur hiſtoria quod breuiter oſtendo.

Primo Chriſtianiſmi tempore ſecretum hoc ſibi habebant Myſterium fideles, nec Gentilibus aperiebant, vnde toties in concionibus & & libris Patrum legitur. *Norunt fideles, nouit qui Myſteriis imbutus eſt*; Non potuerunt tamen cauere quin ex communi fide aliquid in vulgus emanaret, licet obſcurè, vnde criminabantur Chriſtianos tanquam qui vorarent homines, vt refert Euſebius libro 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vel qui infantes necarent, & crudas eorum ederent carnes, vt legere eſt apud Tertullianum in Apolog. aduersùs Gentes, vel qui ſanguinem libarent, vt refert Prudentius in Hymno de Sancto Laurentio, vel qui in abditis Deum viderent, ſicut obiecit Auguſtino Maximus Madaurenſis Ethnicus Epiſtola 43. inter Auguſtini

Nec conuerſos ad fidem protinus ad communionem Euchariſtiæ admittebant, imò pro Catechumenis ſancitum erat vt exirent de Templo cùm Sacerdos facturus erat oblationem. Tertullianus lib. 2. ad vxorem cap. 5. oſtendit quam ſolerter cælarent Chriſtiani mirabile hoc Sacramentum.

Ad hoc introductus fuit mos deferendi domum panem conſecratum ob perſecutiones ingruentes, quæ conuentus fidelium interdicebant. Baſilius ad Cæſareum Patritium. *Illud autem in perſecutionis temporibus neceſſitate cogi quempiam non præſente Sacerdote aut miniſtro*, communionem propria manu ſumere nequaquam ſuperuacaneum eſt demonſtrare, propterea quod longa conſuetudine hoc ipſo eorum vſu confirmatum eſt. Omnes enim in eremis ſolitariam vitam agentes, vbi non eſt Sacerdos, communionem domi ſeruantes à ſeipſis communicant. In Alexandria verò & in Ægypto vnuſquiſque eorum qui ſunt de populo, vt plurimum habet communionem in domo ſua. Semel enim Sacerdote Sacrificium conſecrante & diſtribuente, merito ipſe participat, & dat partem populo qui accipit eam, qui ſuſcipit cum omni libertate & admouet ori propria manu. Hi ergo partes ſeu micas, quas Tertullianus cap. 11. de monogamia vocat buccellas, Auguſtin. verò & alij particulas accipiebant ex ſynàxi & reuerenter aſſeruatas, vel quotidie ſumebant, vel alioqui cùm periclitabantur de vita. *Non ſciet*, ait Tertullianus ad vxorem, *Maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciuerit, panem non illum eſſe credit, qui dicitur.*

Mos iſte deferendi & conſeruandi Euchariſtiam in priuatis domibus, de quo teſtantur Cyprian. li. de lapſis & de ſpectaculis. Clemens Alexand. lib. 1 ſtromatum. Greg. Nanz. in funere Gorgoniæ ſororis. Hier. Epiſt. 50. & aduersùs Iouinian. durauit in Eccleſia Occidentali vſque ad tempora Hormiſdæ Papæ, quando in Synodo Auguſtæ abrogatus fuit ſub anathemate anno circiter 520. Sic autem loquitur Concilium can. 3. *Euchariſtia gratiam ſi quis probatur acceptam non conſummaſſe in Eccleſia, anathema ſit in perpetuum*, viguit tamen mos iſte in Eccleſia Orientali poſt hæc tempora, ratio autem cur vetitum fuerit aſportari & aſſeruari in priuatis fidelium habitaculis, & decretum vt communicarent in Eccleſia, dicitur enim cap. 14. Toletani primi, *Si quis autem acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit velut ſacrilegus propellatur*; ratio inquam redditur in Conc. Leteran. ſub Innoc. III. cap. 20. *Ne videlicet aliqui abutantur Euchariſtia ad veneficia.*

Sic tempus omnia mutat. In ordine Romano, qui legitur in Bibliotheca Patrum, hæc habentur: virgo poſtquam communicauerit reſeruet de ipſa communione, inde vſque ad diem octauum. Nec dubium quin fideles magna cum deuotione deferrent & aſſeruarent. Hoc teſtantur Origen. hom. 3. in Exod. Auguſt. hom. 26. & 50. & ſerm. 252. de tempore. Gorgonia conſeruabat hoſtiam in theca & ſcrinio pretioſo & nocturno tempore ad eam procumbebat & Chriſtum ibi adorabat. Ambroſ. in orat. de obitu Satyri fratris ſui ſcribit eum adhuc Catechumenum fuiſſe in maximo naufragij periculo in mari, cúmque ibi Chriſtianos vidiſſet, quos ſciuit ſecum aſportare hoſtiam conſecratam, accepit ab eis particulam quam collo appendens ſic dando ſe fluctibus natatu ſaluus euaſit. Tanta fide olim ferebantur Chriſtiani in Euchariſtiam, vt aliquando de ſanguine conſecrato matres diſtillarent in ora lactantium, vel ſuper papillam mammæ, quam pueruli ſuggebant, & multa inde miracula conſpecta fuerint, vt narrat Cyprian. ſerm. de lapſis.

Imò lego ſolitum dari Euchariſtiam moribundis, etiam excommunicatis (ſub cura tamen & probatione Epiſcopi) Canone 12. Nicæno ſub Sylueſtro, *De his qui recedunt ex corpore antiquæ legis regula obſeruabitur etiam nunc ne quis neceſſario vitæ ſuæ viatico defraudetur.*

Addo & mortuis ipſis quod tamen prohibuit Conc generale 6. Conſtantin. ſub Agathone can. 83. Nemo ait cadaueribus mortuorum Euchariſtiam impartiatur; ſcriptum eſt enim, Accipite & comedite, cadauera neutrum poſſunt: ídque priùs in Antiſiodoreuſi interdictum fuerat anno circiter 615. ſub Papa Deuſdedit. Vulgare eſt ſolitas olim dari micas ſeu fragmenta panis conſecrati in ſynaxi pueris redeuntibus è ſchola Conſtantinopoli, vel pueris impuberibus. Euagrius lib. 4. cap. 5. *Vetus fuit conſuetudo Conſtantinopoli, vt ſi quando multa particula corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent, impuberes pueri qui ſcholas frequentabant accerſerentur & eas manducarent.* Vnde Conc. Trid. anſam accepit docendi quod paruuli non ſint obligati ad communionem; quia iam incorporati ſunt Chriſto per Baptiſmum.

Baptiſmum. Neque tamen ideo quod antiquitas dedit eis communionem damnanda eſt. Cardinalis Oſius notat in lib. de Scripturæ authoritate S. Auguſtin.communicaſſe infantes, quod priùs ſenſerant faciendum Innocentius, Zoſim. Dionyſius,Cyprian. & alij in Eccleſia primitiua, vt enim ait Trident. Patres ſui facti probabilem cauſam pro ſui temporis ratione habuerunt, ita certè eos nulla neceſſitate ſalutis id feciſſe certum eſt.

Non ergo mirum ſi primo tempore conuenientes fideles ſinguli communicarent, & tanquam quotidianum panem aſſumerent Euchariſticum cum legamus Sacerdotes detentos in vinculis conſecraſſe in carcere ſuper ſtomachum ſuum. Sic Lucianus Martyr ex onere catenarum iacens conſecrauit & ſociis dedit teſte Nicephor.lib.8.hiſt cap 31.

Nec mirum etiam ſi hoſtia daretur in manibus communicantium, neceſſario enim attrectare & deferre debebant. Poſtmodum tamen reuerentia ducti fideles eam nuda manu tangere noluerunt, vnde eam panno lineo ad hoc parato eam inuoluebant, quod Orale ſeu Dominicale dictum fuit, vnde Conc. Antiſiodorenſe in Hiſpania circa annum 613. edicit can. 89. *Vnaquaque mulier quando communicat, dominicalem ſuum habeat, quod ſi non habuerit vſque in alium diem Dominicum non communicet*, & can.36. *Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam ſumere, nec manus ſuas ad pallas Dominicas mittere*, has ego corporalia intelligo. Sophronius in prato ſpirituali meminit vnius hoſtiæ anno integro aſſeruatæ domi, quæ orario ſeu linteo Dominicali inuoluta erat.

Hæc eſt Temporum diuerſitas quæ Euchariſtiæ Sacramentum debito nuſquam fraudauit honore, vt luculenter probat Traditio & ſcripta Patrum duos hic audire ſufficiat Chryſoſt. hom 61.ad pop.Antioch. *Si pura ſunt veſtimenta*, inquit, *adora & communica*. Vide eundem homil.83.in Matth.homil.24. in 1.ad Cor.Auguſt.in Pſalm.98. *Nemo*, inquit, *illam carnem manducat niſi priùs adorauerit*. Vide eundem Epiſt.118.cap.3.Epiſt 120. cap.27.

Adorationem deberi probatur ex Scriptura Deuter 6.& Matth 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Chriſtus autem vt eſt in Euchariſtia ſiue in vſu, ſiue extra eſt Deus verus, vt omnes fatentur: ergo adorandus eſt cultu latriæ. Reſpondent Caluiniſtæ negando conſequentiam; quia Chriſtus quidem adorandus eſt, ſed vbi ipſe iubet ſe adorari, ſiue vbi eſt vt adoretur. Hic autem eſſe vt manducetur; non enim dixit, *accipite & adorate*, ſed *manducate*. Sed friuola ſunt hæc, nam adoratio non eſt alligata certo loco, vt patet Ioan.4. ex catecheſi Chriſti ad Samaritanam, ſed vbique Chriſtus adorari poteſt, & debet, quando cum eo tractare debemus; non enim conuenit illi adoratio; quia eſt in cælo vel alio in loco, ſed quia Deus eſt. Præterea non erat Chriſtus quondam in præſepi vt adoraretur, ſed vt membra eius requieſcerent, & tamen Magi illum in præſepi adorarunt Matth. 2. ſic etiam cum ambularet in terris, non ambulabat vt adoraretur, ſed vt doceret, & tamen paſſim adorabatur, vt Matth. 8. 9. 14. 15.20. Ioan. 9. Principes non ineunt diuerſa loca, vt ab occurrentibus ſalutentur, tamen nemo illis occurrit, quin eis aſſurgat reuerenter. Ad hoc non requiritur præceptum expreſſum quod natura dictat, & licet hoc Sacramentum non habeat inſtitutionem ſuam, vt Chriſtus ibi adoretur, tamen ratio quædam fuit, vt eum magis præſentem haberemus, & vt præſentem honoraremus, vnde Euſeb.Emiſſen.hom.5.de Paſch.dicit Euchariſtiam inſtitutam, vt iugiter Chriſtus coleretur per Myſterium.

Probatur ex SS. Patribus allegatis & Conc. Trident. quod determinat de fide eſſe, vt cultus, & veneratio huic Sacramento exhibeatur atque in Eccleſia Catholica, ſemper fuiſſe hunc morem præbendi illi cultum, qui vero Deo debetur, ſcilicet latriæ, quia hic præſens eſt vnigenitus filius Dei, quem Pater æternus introducens in mundum adorari voluit, vt Hebr. 1. teſtatur Paul. *Et dixit adorent eum omnes Angeli eius*.

Temporum ratio ſuaſit Honorio tertio, circa annum 1218. monere Paſtores Eccleſiæ ne tantùm Sacramentum debita fraudaretur veneratione, vt ex cap. *Sanè*, de celebratione Miſſarum intelligitur, quam tamen ipſe, non inſtituit. Vrbanus autem quartus Papa Troiæ in Gallia anno 1261. inſtituit primus feſtum corporis Domini & ſolemnem illam proceſſionem, & eius decretum confirmauit Clem. V. cum vniuerſo Concilio Viennenſi, vt habetur in Clementina vnica de reliquiis & veneratione ſanctorum. Ratio autem huius inſtitutionis hæc ſcribitur Papa Oruieti agēte 1264. miraculum contigit in Eccleſia S. Chriſtinæ in pago Bolſenæ ditionis & Diœceſis Vrbeuentanæ, Sacerdos ibi celebrans dubitare cœpit poſt conſecrationem de realitate præſentiæ, ſub hoſtia corporis Chriſti ſtatim ex hoſtia quam manibus tenebat viuus ſanguis manare cæpit, qui ſacrum corporale cruentauit, refertur id Pontifici, iubet ipſe ad ſe deferri corporale ab Epiſcopo loci proceſſionaliter, ipſúmque demirans repoſuit in vrbe Vrbeuetana, móxque deſtinato diplomate ad vniuerſas Eccleſias Feſtum Sacramenti ſanciuit. Officium huius ſolemnitatis compoſuit Sanctus Thomas Lector tunc Theologiæ in Conuentu Vrbeuetano, vt refert Panuinius quod Papa approbauit de hoc feſto agens Conc.Trid. & inductis poſt hac proceſſionibus ait, *æquiſſimum eſt ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies quibus Chriſtiani gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & planè diuino officio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentatur.* Atque ſic quidem oportuit victricem de mendacio & hæreſi veritatem triumphum agere, vt eius Aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & confracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant. Romæ hoc eſt equus albus habens tintinabulum ad collum defert S.Sacramentum ſubſequente Papa cum Clero.

Probatur ratione, Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſignum ſignificans nutritionem ſpiritualem per corpus Chriſti, qui eſt ibi vt cibus fidelium, & vt ſic Sacramentum dicit non Chriſtum præcisè, ſed ſpecies vt vnitas Chriſto, ſicut ergo qui Chriſtum in terris veſtitum adorabant,

bant, non separabant mentis præcisione vestes à corpore eius, sed simpliciter Christum vt tunc se habebat adorabant, tametsi ratio adorandi non erant vestes; imò nec ipsa humanitas, sed sola diuinitas quæ vbique adoranda est. Ita concomitanter adoratur species visibilis Sacramenti, quæ quasi vnum compositum cum Christo facit & apprehenditur, vt quid vnum cum eo, Ambros.lib.3. de Spiritu-Sancto cap 12. exponens quomodo scabellum Dei terra possit citra idololatriæ periculum religiosè adorari hæc habet.

Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi quam hodie quoque in Mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt. August.in Psalm.98. supponens terram scabellum Dei hæc scribit. *Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram, rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus dicit adorate scabellum pedum eius; suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit, inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Idem Epist.120. cap.27. *Diuites terræ veniunt ad mensam, manducant & adorant, non tamen saturantur quia superbi non esuriunt, & sitiunt iustitiam.*

Huic rationi suffragatur honor olim delatus Arcæ, in qua tantum erat lex Dei, huius circumgestatio multa miracula edidit, vrbémque Hierico sine sanguinis Hebræi effusione tradidit Iosue.

Rudolphus comes Hasburgij meruit imperialem dignitatem deriuari in domum Austriacam ob reuerentiam exhibitam huic sanctissimo Sacramento, occurrens enim fortuito Sacerdoti deferenti ad ægrum Christi corpus equo is descendit & Sacerdotem conscendere fecit, quem pedibus frænisque deduxit & ad propriam Ecclesiam reduxit, vbi adorato Deo multa fausta ei apprecatus est Sacerdos. Hinc contendens ad sanctam mulierem in Heluetiæ solitudine Deo famulantem, vbi ea Rudolphum vidit gratias ei reddidit de cultu quem Christo exhibuerat, & imperium in breui assequendum denuntiauit, quod post nouem menses assequutus est, & posteritati eius adhuc conseruatur. Ita Chronicon Sueciæ. Denique Pater æternus introducens filium in orbem dixit, *Et adorent eum omnes Angeli.* ergo hic adorandus est.

Dices, ista adoratio exposita est artolatriæ seu panis cultui, si impius Sacerdos non consecret.

Respondeo, si valeret argumentum omittenda esset communio, tum nullum est periculum idololatriæ, cum adoratio terminetur ad Christum vt ibi præsentem; adoratio autem pendet maximè ab intentione: quare sicut is qui iniuriosè tractaret panem non consecratum putans eum consecratum, grauissimè in Christum peccaret. Sic etiam contra qui panem eundem adorat, eo quod certo credat non esse panem, sed Christum, is propriè adorat Christum non panem.

Instabis circumgestationem Arcæ sine mandato Dei, sed sola bona fide Israëlitarum stragẽ eorum causasse & Arcæ capturam 1.Reg.4.

Respondeo, id euenisse ob peccata præterita Israëlitarum & præcipuè Sacerdotum Ophni & Phinees filiorum Heli, vt Deus ipse testatur 1.Reg.2. & 3.

ARTICVLVS

ARTICVLVS XVIII.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De significatione nominis Pœnitentiæ.

POENITENTIÆ nomen accepit à verbo pœnitere, quod significat pœnam tenere, id est, sibi displicere de aliquo quod aliàs placuerit, nulla habita ratione huius considerationis bonumne an malum id fuerit; sic omnes quandoque pœnitet de multis: hæc autem tristitia, seu displicentia naturalis & secundum sæculum dicitur, non secundum Deum, sicque etiam de scelere admisso, quis pœnitere potest & intimo doloris sensu affligi sine reflexione ad Deum, attenta sola rei deformitate, vel stimulo interno, aut communi hominum auersantium tales actus abominatione.

Alia est Pœnitentia, quæ est specialis virtus moralis infusa, cuius proprius actus est detestari peccatum ac de illo commisso dolere, non modo quatenus rectæ rationi aduersatur, sed præsertim quatenus est offensa quædam & iniuria Deo illata, inclinans hominem ad emendationem & ad reparationem Deo faciendam. Ita post S. Thom. 3. part. q. 85. art. 1. S. Bonau. Suarez & alij.

Dicitur *virtus*, loco generis, cætera stant pro differentia constitutiua & distinctiua ab aliis virtutibus, quod autem sit virtus constat, quia virtus nihil est aliud quàm habitus inclinans ad honestos actus.

Dicitur supernaturalis, quia actus istius virtutis disponit ad gratiam, sed actus disponentes ad gratiam sunt supernaturales, ex Tridentino sess. 6. cap. 6. can. 3. Ergo Pœnitentia est, virtus supernaturalis; nam talis est virtus quales sunt eius actus; nec enim naturalis potest actus supernaturales elicere, estò detur aliqua Pœnitentia naturalis de peccatis ex dictamine luminis naturalis de Deo non offendendo, & post offensam placando; de hac non est hic quæstio, sed de illa, quæ prodest ad vitam æternam & detestatur peccatū propter Deum, de ista frequens mentio reperitur in scripturis, & huius actus fuit in omni lege necessarius omnibus in mortale peccatum lapsis ad gratiam recuperandam nemo enim vnquam iustificatus fuit sine Pœnitentia & displicentia peccati, & sine conuersione animi. Vnde omni tempore verum fuit illud: *Nisi Pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis, si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis vita viuet.*

Tertiò nomen Pœnitentiæ sumitur pro vno ex septem Sacramentis nouæ legis, id est, pro ritu aliquo externo & sensibili diuinitus instituto quosdam hominis pœnitentis & ministri absoluentis actus complectente, quo ab hoc ille Deo reconciliatur, & à peccatis post baptismum commissis absoluitur.

Posteriori hoc modo proponitur hoc Sacramentum, quod vti partem articuli 15. exponimus in forma professionis Catholicæ exprimendum.

Definitur variè à Doctoribus Nauarrus, sic: Pœnitentia est Sacramentum absolutionis, quo Sacerdos sibi subditum peccata sua, cum iusto dolore & proposito satisfaciendi legitimè confitentem absoluit ab iisdem peccatis. Alij sic, Pœnitentia est Sacramentum consistens in actibus pœnitentis & absoluentis institutum à Deo per modum iudicij emendatiui ad remissionem peccatorum. Genus hic & *Sacramentum*, in quo conuenit, cum reliquis differentia est, *consistens in pœnitentis & absoluentis actibus.* Notantur in hac definitione causæ omnes, materialis in actibus pœnitentis, formalis in absolutione, efficiens ministerialis est Sacerdos, principalis verò Deus, qui Sacerdote vtitur, vt visibili ministro, finalis est, remissio peccatorum ob quam institutum est Pœnitentiæ Sacramentum.

Pœnitentiæ Sacramentum, non fuit ante institutionem Christi; nec antiqui habuerunt hanc certitudinem de remissione peccatorum, quam nos habemus virtute Absolutionis, maximè cum nobis sufficiat attritio supernaturalis in ipsis autem requisita fuerit contritio perfecta, quam elicere difficilius est, & de qua magis dubij esse possumus. Virtute ergo Sacramentum voluit Deus suppleri imperfectionem nostræ dispositionis & contritionis, sicque anxietati, & sollicitudini nostræ de remissione peccatorum dignatus est, subuenire quandoquidem per ritum istum nobis applicat merita, & efficaciam sanguinis Christi, sicque signum habemus gratiæ collatæ, & eruimur à periculo damnationis, quapropter scitè admodum Hieronymus ad Demetrium Epist. 8. Pœnitentiam, seu Sacramentum pœnitentiæ vocat *Secundam post naufragium tabulam.*

QVÆSTIO II.

An Pœnitentia sit instituta verum & propriè dictum nouæ legis Sacramentum.

CHristus Dominus eo ipso resurrectionis die (cum iam apparuisset Mariæ Magdalenæ in specie hortulani, & discipulis euntibus

in Emmaus, qui eadem hora regressi Hierosolymam nuntiarunt Apostolis se vidisse Dominum) venit ad Apostolos congregatos absente quidem Thoma, stetit in medio eorum ingressus domum cùm fores essent clausæ, & Apostolis simul ac discipulis missionem impertitus est, & per insufflationis visibile signum Spiritum sanctum largitus est, vna cum potestate dimittendi & retinendi peccata dicens, vt Ioannes cap. 20. scribit. *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Quam potestatem collatam etiam vniuersis, qui iisdem legitima ordinatione in posterum successuri essent vsque ad seculi consummationem nemo negare potest, nisi qui vna cum Apostolis, atque discipulis extinctis funditus Ecclesiam periisse insanè nimis, atque impiè dicere ausus fuerit.

Tunc instituisse Christum singulare nouæ legis Sacramentum Pœnitentiæ, certum ratùmque est, apud SS. Patres & Concilia, Trident. sess. 14. cap. 1. Et cum sit solius Dei proprium peccata remittere hinc euincitur tradita hac facultate Sacerdotibus Euangelicis Dominum hac in parte eos sublimasse super Angelos.

Et cum nequeant Sacerdotes rectè iudicare de peccatis, an remitti debeant, an retineri, consequenter instituit Dominus, vt ij qui peccatorum suorum veniam Deo obtinere cupiunt tali dotatos facultate conueniant, & iis conscientiam suam aperiant, confessionémque distinctam de peccatis singularibus faciant, illisque ipsa tanquam iudicibus subiiciant sententiam vel absolutionis, vel retentionis, seu condemnationis expectantes provt ministri Dei deprehenderint dispositionem in reis se accusantibus.

PROPOSITIO CATHOLICA.

POEnitentia est Sacramentum nouæ legis.

Probatur ex Scriptura, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Ex quibus duo colliguntur, primùm est ritum aliquem externum à Christo institutum esse quo Apostoli eorúmque in Sacerdotio successores de peccatis iuridicè cognoscerent eáque sic cognita, vel remitterent vel retinerent, idque vt fit in iudiciis humanis verbo aliquo manifestarent. Secundum est huic ritui diuinitus instituto adiunctam esse promissionem gratiæ sanctificantis, quod satis indicant verba illa: *Remittuntur eis:* cum hæc peccatorum remissio non nisi per gratiæ sanctificantis infusionem fiat. Vnde patet Pœnitentiam esse ritum externum institutum à Christo, quo gratia conferatur, ac proinde esse Sacramentum; & eo sensu verba illa Christi intellexerunt, S. Cyprian. in serm. de lapsis Basil. Epist. ad Amphilochium Athanas. hom. in illa verba. *Ite in castellum*, S. Thomas in Comment. in cap. 16. Matth. vbi tres errores super illorum verborum explicatione vitandos esse monet. Primus est eorum, qui opinati sunt Sacerdotes posse quemlibet pro arbitrio soluere aut ligare, peccata remittere, aut retinere quod falsum est, his enim verbis Christus vices suas tantummodo demandauit Sacerdotibus, vt facerent, quod ipse facturus esset, si visibilis in terra manere voluisset, proindéque, vt peccata remitterent aut retinerent, non pro libito, sed provt ipse remisisset, aut retinuisset; quod ab Ecclesiæ sensu discere debent.

Secundus error est soluere, aut ligare nihil aliud esse quam pœnitentem solutum, aut ligatum declarare: verum si hoc ita esset, Christus debuisset potiùs dicere: *Quæcumque soluta erant in cælo soluetis super terram*; cum è contrario dixerit: *Quæcumque super terram soluta erunt in cælo.* Et hic error proscriptus etiam fuit in Conc. Trident. sess. 14. can. 9.

Tertius denique error est Sacerdotem antequam absolutionis verba proferat supponere debere pœnitentem per contritionis actum à culpa peccati, & æternæ pœnæ reatu iam factum esse liberum proindéque absoluendo illum tantummodo à pœna temporali, quæ plerumque peccato quoad culpam remisso soluenda superest, non tota quidem, sed aliqua eius parte illum eximere. Verùm quàm falsa & aliena sit à vero & genuino verborum Christi Domini sensu hæc eorum expositio, satis per se est manifestum: quis enim dicat remittere peccata nihil aliud esse, quam ipsa peccata iam remissa supponere, & solummodo aliquid de pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debitâ minuere.

Probatur propositio ex SS. Patribus, Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 7. *Cur baptizaris, inquit, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo omnium peccatorum remissio est, quid interest vtrum per Pœnitentiam an per lauacrum hoc ius, sibi datum Sacerdotes sibi vendicent?* Quibus verbis æqualem vim ad remittenda peccata Sacerdotibus siue baptismum conferendo siue Sacramentum Pœnitentiæ administrando tribuit. August. Conc. 2. in Psalm. 101. *Cum audis hominem peccatorum suorum pœnitere iam reuixit, cum audis hominem confitendo proferre sententiam iam de sepulchro reductus est, sed nondum solutus est, quando soluitur? à quibus soluitur? quæ solueritis inquit in terra, erunt soluta & in cælo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest, suscitari autem ipse mortuus non nisi intus clamante Domino potest.* Basil. interrogat regularium 288. *Necessariò iis peccata aperiri debent quibus est credita dispensatio mysteriorum Dei, si quidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse.* Cyprian. serm. de lapsis. *Confiteantur singuli quæso vos fratres delictum suum dum adhuc, qui deliquit in sæculo, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* Petro Chrysol. serm. 84. *Vbi sunt, qui per hominem non posse peccata remitti prascribunt, &c. Petrus peccata remittit & toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus sacerdotibus hanc à Deo concessam amplectitur potestatem.*

Probatur ex Conc. Florent. quod in vnione Armeniorum recenset Pœnitentiam quartum Sacramentum cuius quasi materia, sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguntur partes, quarum prima est, cordis contritio secunda oris confessio, tertia satisfactio pro peccatis ad Sacerdotis

dotis arbitrium. Forma, *Ego te absoluo.* Ex Concil. Trid. sess. 14. cap.1. docente ante aduentum Christi Pœnitentiam non fuisse Sacramentum, nec esse post aduentum illius cuiquam ante Baptismum.

Probatur ratione, quia conuenit illi diffinitio Sacramenti, Pœnitentia enim est signum rei sacræ, id est, gratiæ & iustificationis peccatoris. Actus pœnitentis & absolutio Sacerdotis sunt signum sensibile conuersionis peccatoris, & remissionis peccatorum illius. Et sicut Baptismus, ait S. Thom. quæst. 84. adhibetur ad purificandum à peccato; ita & Pœnitentia, vnde & Petrus dixit Simoni. Actor. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Sed Baptismus est Sacramentum; ergo pari ratione Pœnitentia.

DIces in nouo Test. non est alia Pœnitentia, quàm in veteri, hæc autem non erat Sacramentum, ex Trid. cit. Maior patet Act. 10. v. 43. vbi Petrus dicit, se illam pœnitentiam docere, quæ testimonium habet à Prophetis, & Paul. cap. 26. recitans summam suæ doctrinæ de pœnitentia dicit, se nihil docuisse extra ea, quæ Prophetæ locuti sunt.

Respondeo, virtus Pœnitentiæ est eadem in nouo & vet. Test. non autem Sacramentum Pœnitentiæ; nam contritio quatenus manifestatur per confessionem externam singulorum peccatorum, & per iudiciariam absolutionem Sacerdotis non fuit instituta in vet. Test. sed in nouo Petrus tantum dixit Prophetas perhibere testimonium Christo, quòd in ipsius nomine accepturi sint credentes in eum remissionem peccatorum, Paulus verò loquitur de pœnitentia, quæ Baptismum præcedit.

Sic pœnitentia prædicata à Baptista & ipso Christo erat ea quæ ante Baptismum est necessaria, quæ quidem non potuit esse Sacramentum cum noudum esset institutum.

DIces, nusquam legi Apostolos exegisse numerationem peccatorum ad remissionem seu retentionem eorum, nec imposuisse mulctam iis quibus peccata condonabant. Nec Paulum absoluisse incestuosum Corinthium 2. Cor. 2.

Respondeo, ex negatione non concludi; imò nec legitur eos remisisse alicui, quod tamen non est ponendum in dubio in tanta fidei propagatione. Tum quis ambigit multa Apostolos & fecisse & docuisse quæ scripta non sunt; alioqui facilè probabimus non esse baptizandos homines in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti; quia nusquam hoc ritu Apostoli leguntur baptizasse, si produceretur exemplum alicuius post Baptismum lapsi cui Apostoli impendissent absolutionem procul dubio modus reconciliationis illius esset nobis obseruandus, Paulus non absoluit incestuosum, sed absolutionem à Corinthiis datam approbauit, quæ sine mulcta quam Pauli vindictam vocat, non fuit.

Instabis non rectè colligi ex Ioanne 20. *quorum remiseritis*, &c. Sacramentum singulare Pœnitentiæ, quia peccata infidelium non fidelium intelligi declarat Lucas cap. vlt. Oportebat in nomine eius prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, quæ remissio infidelibus datur per Baptismum.

Respondeo, Christus dedit potestatem remittendi peccata fidelium, vt patet ex 2. Corinth. 5. *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis, posuit in nobis verbum reconciliationis.* Becanus subiungit nempe cum dixit, *quorum remiseritis peccata*, sed malè ad textum animaduertit, nam sequitur, *pro Christo enim legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*, non dicit *absoluente*. Meliùs ergo est dicere Ecclesiam sic interpretari textum Ioannis 20. de peccatis fidelium, nec vrget Lucas, qui non loquitur de potestate tradita Apostolis remittendi peccata, sed refert prophetizatum fuisse remissionem futuram in nomine Christi per omnes Gentes, quod longè aliud est ab intento Christi Ioan. 20.

DIces, ex institutione diuina nulla habetur cæremonia, nec elementum, quod sanè necessarium esse vt Sacramentum sit signum sensibile nemo non videt, dicit enim August. tractat. 80. in Ioannem, accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.

Respondeo, confessionem delicti & absolutionem esse cæremonias inclusas in verbo Dei, *quorum remiseritis*, quia secundum Iurisconsultos Princeps id omne instituisse ac concessisse intelligitur sine quo inutile vel factu impossibile foret illud quod iubet aut instituit. Atqui Christus instituit vt ab Apostolis peccata modo remitterentur dignis, modò retinerentur indignis, illos autem discerni est impossibile, nisi declaratione & confessione; ergo eam esse institutionis diuinæ cæremoniam requisitam necesse est credere. Ad elementum seu symbolum externum dico esse actus pœnitentis; materia enim vt sit signum seu symbolum repræsentans menti, quod fit in Sacramento desumitur similitudinariè à fine Sacramenti, verbi gratia, Baptismus est ablutio interior; ideò applicatur aquæ quæ exteriùs abluit. Eucharistia est alimentum animæ; ideò panis & vinum assumuntur exteriùs, in Confirmatione datur chrisma odoriferum & confortatiuum; quia vero iustificatio datur in Sacramento Pœnitentiæ per modum sententiæ absoluentis; ideò requiritur confessio delicti, & absolutio Sacerdotis tanquam Iudicis. Actus ergo pœnitentis sunt elementum, nec enim physicè August. assumptum elementum intellexit in omnibus Sacramentis, sed solùm in Baptismo, ideò subiunxit. *Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua?* Vtrùm autem ea signa percipiantur oculis an auribus nihil interest; verba autem non solùm sunt signa externa ac sensibilia; sed etiam in genere signorum præstantissima sunt.

QVÆRES, *an absolutio à censuris sit Sacramentum?*

Respondeo, quod non, quia non remittitur peccatum, sed relaxatur vinculum & pœna imposita ab Ecclesia. Ita Doctores.

Nouatores tenent potestatem hic traditam Ioan. 20. consistere in vsu Censurarum Ecclesiasticarum suspensionis, excommunicationis; quibus rebellis Ecclesiæ peccator excluditur à communione Ecclesiæ. Tunc Pastor censetur parcere & condonare peccatori, qui testimonium dat pœnitentiæ, quando censuram relaxat & remittit

& remittit & recipit peccatorem ad Ecclesiæ communionem. Hanc doctrinam probant, quia cap. 18. Matth. vbi Christus Apostolis tradit potestatem ligandi & soluendi cum promissione ratihabendi quæ fecerint, vult vt is qui censura innodatus fuerit, sit veluti Ethnicus & Publicanus, qui exclusi erant à Sacrificiis & seruitio publico & separati ab Ecclesiæ communione. Volunt ergo hoc totum intelligi de foro Ecclesiæ, ita vt nihil fieri queat, quod foro iudiciali Dei respondeat. Nam aiunt, si iniustè aliquis esset absolutus, impium esset credere quod absolutione hac non obstante Deus non possit condemnare in iudicio suo peccatorem.

Sed si hic non agitur de reconciliatione peccatoris per remissionem peccati secreti, ergo peccator erit sine remedio, & Christus defuerit in necessariis cum in omnibus sæpius delinquamus, quod tamen dicere est blasphemum.

Id autem fieri per Sacramentum pœnitentiæ, quod confessionem includit, habetur ex 1. Ioann. 1. vbi Apostolus loquens de remedio peccatorum quæ baptizati solent committere ait. *Si confiteamur peccata nostra fidelis est & iustus vt remittat nobis & emundet nos ab omni iniquitate.* Ergo Ioan. 20. datur potestas clauium ad peccata absoluenda Matth. verò ad Censuras.

Nota Hæreticos qui negant Pœnitentiam esse Sacramentum, ex hoc errore incidisse in alium; quia enim negandum esse non putabant peccatores post Baptismum posse reconciliari Deo, neque reconciliationem hanc fieri sine aliquo Sacramento, dixerunt lapsos habere Baptismum ipsum, vt Pœnitentiæ Sacramentum, & per ipsum reconciliari memoria, non autem reipsa repetitum est, & consequenter explodunt illud solemne dictum Patrum Hieronymi in capit. 3. Isaiæ, & in Epist. ad Demetrium. Ambros. in libr. ad virginem lapsam. Tertull. in libro de Pœnitentia. *Quod Pœnitentia Sacramentum, sit secunda post naufragium tabula*, quia qui saluantur arripiunt pœnitentiam tanquam tabulam ne submergantur. Hæretici autem dicunt non esse opus tabula, cum liceat redire ad nauim Baptismi, quæ integra semper manet, & nos redeuntes expectat.

Quam erronea sit hæc propositio patet ex Conc. Trid. sess. 14. can. 2.

Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint atque ideo pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.

Distinctio horum duorum Sacramentorum probatur. Primò, quia Baptismus habet distinctam materiam & formam. Secundò, quia Minister Pœnitentiæ debet esse Sacerdos & iudex, Baptismi verò Minister potest esse laicus. Tertiò, per Baptismum delentur omnia peccata quoad culpam & pœnam: & post pœnitentiam sæpè restat luenda pœna temporalis. Quartò, alius est Baptismi finis, alius Pœnitentiæ. Ille ordinatur ad tollenda solùm ea peccata quæ ante Baptismum patrata sunt, & ideò repeti non potest. Pœnitentia autem ad tollenda peccata post Baptismum commissa. Huc spectat illud Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati*, baptizati, *& prolapsi sunt rursum renouari ad Pœnitentiam.* Vbi Paul. non negat posse lapsos post Baptismum reconciliari Deo per Ecclesiam, vt falsò sensisse Nouatianum concedunt Aduersarij nostri, quomodo enim id Paulus negaret qui incestuosum Corinthium reconciliari permisit? sed negat renouari posse per Baptismum, vt communiter exponunt Chrysost. Theodor. Theophil. Oecumenius, Ambros. & alij hic & August. in Epistola ad Romanos & textus circumstantiæ hoc demonstrant: nam initio capitis Paul. monet Hebræos, vt non respiciant iterum ad primordia Baptismi & fidei & eius pœnitentiæ quæ Baptismum præcedit, estque veluti fundamentum ædificij spiritualis & rationem reddit. *Impossibile est eos qui semel, &c.* quasi dicat hæc renouatio per Baptismum semel fit. Baptismum autem per illuminationem describi non est dubium apud Patres, qui vocant interdum Sacramentum luminis, ex fide scilicet infusa. Cùm ergo impossibile sit renouari per eam pœnitentiam quæ cum Baptismo coniuncta est, necesse est omninò aut negare lapsis reconciliationem, vt fecit Nouatianus anno circiter 238. indéque primum schisma inuexit, aut cum Catholicis admittere nouum Sacramentum à Baptismate distinctum. Nec valet Responsio Paulum tantùm velle non debere iterari actionem Baptismi posse tamen lapsum renouari per Baptismum cogitatione & memoria repetitum; non enim Paulus de cæremonia sed de eius effectu, id est renouatione loquitur. Quare si Baptismi effectum iterum habere non possumus, certè alium ritum, & aliud Sacramentum quærere debemus.

Adde quod cum in Scriptura legamus exempla eorum qui post Baptismum lapsi sunt, vt Simonis Act. 8. Incestuosi 1. Corinth. 6. Nusquam tamen legimus eos ad memoriam Baptismi remissos fuisse, mirúmque foret memoriam Baptismi vnicum in tota vita remedium esse, & in Scriptura nullam omnino mentionem haberi. Tum id est contra Apostolum qui volens baptizatos deterrere à peccatis, dicit eos non posse amplius eadem facultate reconciliari, facilius autem esset cogitare de Baptismo, quam reipsa illum suscipere. Hinc etiam Patres vocant Pœnitentiam Baptismum laboris & lachrymarum, & omnes vno ore cum August. in Epistola 23. ad Bonifacium dicunt. *Peccata post Baptismum commissa non regeneratione auferuntur, sed alia curatione sanantur*, Pœnitentiæ scilicet. Accedunt postremò rationes; quia contra rationem est Deum facilius ignoscere iis qui post fidem & Baptismum peccant, quàm qui ignoranter peccarunt in incredulitate, iuxta hoc Luc. 17. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui & non fecit vapulabit plagis multis, qui autem non cognouit paucis vapulabit.*

Confirmatur præterea, quia sententia Nouatorum procedit ex falsis principiis. Quòd sola fides iustificet, & peccata deleat. Quòd Sacramenta non aliter deseruiant ad tollenda peccata quàm excitando fidem, hánceque excitare subiiciendo ante oculos mentis promissionem Dei de remittendis peccatis per Christum. Ex quibus falsis principiis colligunt,

Primò,

Primò, non esse opus Sacramento Pœnitentiæ distincto à Baptismo; nam sicut ipse subiicit ante oculos promissionem Dei & hoc modo excitat fidem, sic memoria Baptismi. Ego similiter colligerem non esse opus Baptismo vel Eucharistia, quia sola prædicatio Euangelij sufficit ad excitandam fidem.

Secundò, colligunt eandem esse vim Baptismi reipsa suscepti, & memoria repetiti, ac proinde sicut Baptismus reipsa susceptus tollit omnia peccata, non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam, sic etiam Baptismus memoria repetitus.

Hinc reiiciunt satisfactionem, Indulgentias & Purgatorium, quia hæc locum non habent, si nulla pœna temporalis luenda restat. Poterant eodem modo tollere Baptismum & Eucharistiam, quia fides potest excitari per solam prædicationem Euangelij: si ergo sola fides tollit omnem culpam & pœnam, quid opus est Sacramentis?

Dices, licet Baptismus non maneat, tamen fœdus in Baptismo inter nos & Deum, initum est perpetuum: hoc autem consistit in hac promissione Marc. 16 *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Ergo ex vi huius promissionis semper possumus saluari per Baptismum semel susceptum. Confirmatur, quia hoc modo Iudæi in veteri Testamento poterant reconciliari Deo, si ad memoriam reuocassent exitum de Ægypto.

Respondeo, promissio apud Marcum est quidem perpetua non tamen absoluta, sed conditionata hoc sensu, qui manserit in fide & fœdere Baptismali erit saluus, quod si non manserit non saluabitur hoc remedio, sed aliud illi quærendum est. Porro Iudæi solent quidem commemorare exitum ab Ægypto, non quod ea commemoratione purgarentur à peccatis, sed vt commemorato tam insigni beneficio agnoscerent suam erga Deum gratitudinem, & ita se ad pœnitentiam prouocarent. Hoc etiam possumus facere quando cogitamus de beneficio Baptismi.

Dices, Scriptura loquens de effectu Baptismi omnia vsurpat tempora Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis* 1. Petr. 3. *nos facit saluos Baptismo.* Marc. 16. *Qui baptizatus fuerit saluus erit.* Confirmatur ex Augustino libro de nuptiis & concupisc. cap. 33. vbi apertè asserit per Baptismum non solùm remitti peccata præterita, sed etiam futura.

Respondeo, ex Scripturæ locis colligi tantùm quod Baptismus aliquos lauerit à præteritis, verbi gratia, eos qui iam baptizati sunt: aliquos nunc, verbi gratia, eos qui baptizantur, & loturus sit aliquos, verbi gratia eos qui baptizandi sunt, Aug. intendit peccata remitti mediante effectu Baptismi qui est gratia, quia qui habet gratiam Baptismalem potest impetrare remissionem venialium: mediante vero caractere dicitur etiam remittere mortalia, quia qui baptizatus est habet ius ad Pœnitentiæ Sacramentum, quo purgantur peccata mortalia. Itaque non manet Baptismus in se, nec in sua gratia quæ per peccatum amittitur, nec sola memoria Baptismi sufficit vt Baptismus manere dicatur, & si hoc esset sola Eucharistiæ memoria semel peractæ seu susceptæ sufficeret frustráque repeteretur.

Qvæstio III.

Quæ sit materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Ex dictis de Sacramentis in genere constat materiam Sacramenti duplicem esse, remotam scilicet & proximam, propterea materia remota Baptismi est aqua, quia circa illam versatur materia proxima, id est ablutio. Materia remota Confirmationis, Extremæ-vnctionis est chrisma, oleum, quia circa illa versatur vnctio, & sic de cæteris.

Præterea alia est materia ex qua fit aliquid, qualis est materia ex qua fit homo, vel materia ex qua conficitur statua. Alia vero est materia circa quam, hæcque est duplex, vna circa quam intuendam vel amplexandam homo versatur, vt paries est materia circa quam intuendam versatur potentia visiua, & panis est materia circa quam amplexandam versatur appetitus, &c.

Altera vero circa quam destruendam & abolendam, quis versatur, vt indigentia pauperis est materia circa quam destruendam & abolendam versatur virtus misericordiæ. Et peccata sunt materia circa quam destruendam & abolendam versatur Pœnitentia, de his enim conterimur, hæc confitemur, & pro his satisfacimus. Sic lignum dicitur materia ignis, quia per illum consumitur.

Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata, ratio est, tum quia illa est materia proxima quæ est triplex actio pœnitentis. Tum quia materia huius Sacramenti quod fuit institutum per modum iudicij emendatiui, est illa quæ est materia iudicij, sed materia remota iudicij sunt peccata pœnitentis, siue illa considerentur vt sunt iniuria Dei, siue vt sunt quidam actus habentes annexam malitiam. Hæc materia exprimitur 2. Corinth. 12. *Non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt.*

Hinc habetur quod sola peccata post realem Baptismi susceptionem commissa sint materia huius Sacramenti: ratio est, quia illa sola sunt materia quæ subduntur iurisdictioni Ecclesiæ, cum hoc Sacramentum sit per modum iudicij institutum, & in eos Sacerdos non possit tanquam iudex ferre sententiam, qui non sunt de Ecclesia, cuius ianua est Baptismus 1. Corinth 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt.* Vnde Trident. sic loquitur. *Ecclesia in neminem iudicium exercet qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuit ingressus.*

Hinc etiam habetur peccata omnia post Baptismum, siue mortalia siue venialia, esse materiam, cùm de omnibus confessio fieri possit à pœnitente & à Sacerdote absolutio conferri, vt satis constat ex generali & illimitata potestate collata remittendi peccata; hæc autem est differentia, quod mortalia sint materia omnino necessaria, quia induxerunt naufragium, non autem venialia, quæ etiam retineri possunt; etsi sint materia sufficiens. Ita Tridentin. Aũ autem

autem mortalia semel declarata & absoluta sint materia Confessionis & nouæ absolutionis multi tenent, eò quod Ecclesiæ vsus generales Confessiones approbat, & quod actus pœnitentis circa illa versari possunt concipiendo nouam de iis contritionem eáque confitendo, sed si absolutio secunda est eiusdem rationis cum prima, quid facit? etsi non licet repetere nouam consecrationem super materiam consecratam nec Baptismum iterare, non video, quid faciat hæc peccata (absoluta vt suppono) materiam absolutionis, etsi ex humilitate ad concipiendam nouam verecundiam & horrorem, confiteri denuò possit pœnitens. Vsus Generalium rectè approbatur ad hoc, & ad supplendum defectum examinis, tum nostra pœnitentia seu detestatio peccati interior saltem, debet esse continua, vnde Augustinus libro de vera & falsa pœnitentia cap. 13. *Quid restat nobis nisi semper dolere in vita, vbi enim dolor finitur deficit pœnitentia, si vero pœnitentia finitur quid derelinquitur de venia.* Scot. quæst. 19. dicit nihil remitti pœnæ virtute clauium in secunda absolutione.

Materia proxima Sacramenti sunt hi tres actus Pœnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio, sub nomine Contritionis intelligi potest Attritio.

Imò Pœnitens potest aliqua ratione dici materia proxima, dico vt Pœnitens, quia in Pœnitente tria considerantur, quod sit homo quod sit peccator, & quod sit Pœnitens, seu quod habeat tres allegatos actus, ratio id suadet; nam forma cadit super materiam proximã & absolutio cadit in pœnitentẽ Absoluo te.

Ex illis autem tribus Pœnitentiæ partibus Doctores ponunt partes essentiales Contritionem, & Confessionem, Satisfactionem vero esse tantùm partem integralem ipsius Sacramenti, ratio est quia sine duabus prioribus Sacramentũ nec fructuosum, nec validum esse potest, & sine satisfactione aliquando est validum, vt in eo cui in mortis articulo absolutio datur, quamuis nulla pœnitentia iniungatur. Adde quod forma agit in momento, nec efficacia eius suspendi potest, satisfactio autem communiter impletur post receptam absolutionem. Ex eo ergo patet non esse partem essentialem, sed solùm integralem, id est, vt exponit Abelly, quòd sine satisfactione hoc Sacramentum non potest esse integrum & completum, sicut licet pes vel manus non sit pars essentialis hominis (cum absque pede vel manu verus homo esse possit) est tamen pars integrans, quia sine pede vel manu homo integer & completus esse non potest.

QVÆRES, *Quare hi tres actus sunt materia proxima Pœnitentiæ?*

Respondeo, has esse congruentias; quia Sacramentum exercetur per modum iudicij emendatiui, ad hoc autem tres isti actus requiruntur; quia cùm Deus offendatur corde, ore & opere, par fuit vt aliquid institueretur, per quod possemus aliquo modo satisfacere corde, ore & opere. Corde, per Contritionem: ore per Confessionem & opere per satisfactionem. Ad istos autem tres actus consequitur pœna triplex respondens æquiualenter secundum iustitiam vindicatiuam ipsi peccaro punibili; nam ad detestationem interiorem sequitur tristitia, ad Confessionem erubescentia, & ad satisfactionem pœnalis vel corporalis afflictio: istæ autem tres pœnæ integrant vnam pœnam totalem adæquatam peccato & punitiuam eius quæ potest dici pœnitentia, quasi passiuè secundum triplicem passionem. Nec dicat Durandus in 4. distinct. 16. contritionem esse fructum & non materiam Sacramenti, eo quod cum sit signum sensibile quælibet pars eius debeat esse sensibilis, quod dici nequit de Contritione quæ spiritualis est.

Respondeo enim, hanc fieri sensibilem per coniunctionem & ordinem ad Confessionem & ad signa externa, sic anima secundum se non apparet, sed per externam corporis motionem. Neque enim dicimus Contritionem vt in corde sedem habet esse partem Sacramenti, sed vt per signa externa aut solam oris Confessionem manifestatur. Trident. dicit hos tres actus esse quasi materiam quod non addit ad diminuendam proprietatem rei, sicut nec Ioan. 1. Christus quasi vnigenitus dictus est, sed ad distinctionem aliorum Sacramentorum quæ habent rem extrinsecus appositam & apparentem.

QVÆSTIO IV.

De Contritione requisita ad Pœnitentiam.

INter Pœnitentis actus primum locum obtinet Contritio quam Trid. sic definit sess. 14. cap. 4. *Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.*

Dicitur *Animi dolor*, vt significetur contritionem non in appetitu inferiori, sed in voluntate sedem habere, neque in dolore sensibili, sed in dolore spirituali, qui solius voluntatis proprius est consistere.

Dicitur deinde *detestatio*, vt exprimatur odium peccati commissi, ex quo dolor ille solet oriri, vel quod in ipso dolore saltem virtualiter continetur: eo ipso enim quo quis verè de peccato commisso doler, vellet non peccasse (qui proprius est ipsius contritionis motus, vt docet Nauarr. proindéque ita dispositus est vt peccatum commissum odisse & detestari censeatur.

Dicitur *de peccato commisso*, vt intelligatur obiectum doloris ac detestationis illius non esse quodcumque malum, nec etiam quodcumque peccatum, sed solùm illud quod vel omissione vel commissione à nobis perpetratum est; Non dicitur de hoc vel illo peccato, sed indefinitè de peccato commisso, vt ostendatur contritionem de omnibus peccatis commissis esse concipiendam, qui enim erga aliquod peccatum mortale ita esset affectus, vt de illo commisso non doleret quantumcumque de aliis sibi dolere videretur, eius contritio vera non esset.

Dicitur *cum proposito non peccandi*, qui enim amico à se offenso vult reconciliari, oportet vt & doleat, quod in eum iniuriosus atque contumeliosus fuerit, & de eius amicitia in posterum non ampliùs lædenda sollicitè prouideat; aliàs non agitur pœnitentia sed simulatur.

tur. Quamuis autem optimum sit vt propositum illud formaliter & expresse concipiatur: sufficit tamen vt sit virtuale & implicitum, id est vt pœnitens de peccatis commissis dolens ita sit dispositus & affectus, vt si de futuro tempore cogitaret, peccata illa in posterum deuitare firmiter proponeret. Ita Suarez & alij: Ratio est, quia vbi est vera auersio à peccato & conuersio ad Deum, ibi etiam est vera pœnitentia & vera contritio: potest autem cum solo virtuali proposito non peccandi concipi vera auersio à peccato & conuersio ad Deum, verbi gratia, si quis totus defixus sit in perpendendis peccatis quæ ex intimo cordis affectu dolet in Deum infinitè bonum & diligibilem commisisse, ita vt nullo modo de vita in futurum instituenda cogitaret, quis dicat illum verè à peccatis non auerti, & ad Deum conuerti, sic Dauid ad *Peccaui Domino*, audiuit *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

Porrò quæ huc vsque dicta sunt, generatim intilligi debent de contritione illa quæ, vt loquitur Concilium Tridentinum. *Quouis tempore necessaria fuit ad impetrandam veniam peccatorum.* Si enim agatur de contritione quæ fidelium baptizatorum propria est, quæque ad peccatorum remissionem in Sacramento Pœnitentiæ accipiendam requiritur præter conditiones iam explicatas vnam adhuc exigit Concilium, nimirum vt dolor ille de peccatis. *Cum fiducia misericordia & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum requiruntur.* Id est, vt explicitum aut saltem implicitum propositum includat confitendi sacramentaliter peccata mortalia commissa, & pro illis Deo satisfaciendi, seu satisfactionem imponendam acceptandi & adimplendi.

Diuiditur Contritio in perfectam, quæ simpliciter contritio dici solet & imperfectam, quæ communiter vocatur Attritio. Contritio ab Attritione distinguitur quod sit dolor de peccato commisso, prout est offensa Dei, seu propter Deum summè dilectum. Attritio verò fit eiusdem peccati detestatio & dolor propter aliquod aliud motiuum bonum & honestum à timore seruili proficiscens, verbi gratia, ex turpitudine ipsius peccati, vel gehennæ & pœnarum metu. Nota autem dolorem supponere hic pro odio peccati, sic intelligunt Scripturæ, vt notat Catechismus Romanus, vnde vt dixi, non est dolor sensus, sed voluntatis.

Contritio & Attritio non possunt haberi sine speciali Dei auxilio. Concilium Tridentin. dicit sess. 6. cap. 4. & 6. sess. 14. can. 4. Attritionem esse donum Dei & impulsum Spiritus-Sancti, non quidem inhabitantis vt in Contritione, sed mouentis, quo Pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. In Concilio Arausicano 2 can 4. definitum fuit per Spiritus-Sancti infusionem & operationem fieri in nobis, non tantùm, vt à peccatis purgemur, sed etiam vt purgari velimus, quod expressè habent Scripturæ, Hierem. 31. *Conuerte me Domine & conuertar*, & paulò infrà, *postquam conuertisti me egi pœnitentiam.* Vide infrà in Tractatu de Gratia.

Contritio est Charitatis actio; charitas autem super omnia diligit Deum, & super omnia odit peccatum, ideo dolor qui est contritio maximus esse debet, & sicut de Charitate dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ita & de contritione dicendum est, ideò Ioël 2. *Conuertimini in toto corde vestro.*

Attritionis & Contritionis dolor, si quis est in parte sensitiua, qui formaliter est passio, hic non est essentialiter Contritio aut Attritio, prout hæ sunt actus virtutis, sed magis est effectus earum; verus dolor constituens vtramque est dolor in voluntate qui nihil aliud est quàm displicentia alicuius mali, & quia affectus voluntatis nominantur per nomina passionum vel transsumptiuè, vel metaphoricè, si contritio dicitur dolor seu tristitia. Quod si dicas dolorem non esse actum virtutis, sed passionem quæ nec laudem inducat nec vituperationem ex Aristotele 2. Ethicor. cap. 5.

Resp. iam datum est Contritionem non esse propriè dolorem sensus, sed affectum animæ quæ parti inferiori pœnam facit.

Contritio necessaria est omni tempore ad iustificationem extra Sacramentum. Ita Concilium Tridentinum sess. 14. capit. 4. Vnde Prouerbium, *Optima Pœnitentia vita noua.* Non est simpliciter verum, nouitas vitæ est quidem certum argumentum veræ Pœnitentiæ, sed requiritur etiam dolor de peccatis commissis, vnde in Scriptura Conuersio, seu Nouitas vitæ quæ pluribus in locis suadetur iungitur cum pœnitentia seu tristitia aut dolore de peccatis commissis, Ezech. 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Actorum 3. *Conuertimini & pœnitemini vt deleantur peccata vestra.*

Necessaria inquam est iure naturali, quia qui peccauit tenetur naturaliter supposita fide reconciliari cum Deo, sed non est aliud remedium reconciliationis extra Sacramentum quam contritio. Nec dicas præceptum illud non exprimi in Decalogo, quia multa sunt præcepta naturalia quæ in eo non continentur, vt præceptum de monogamia, de vsura non facienda & similia; quia sufficit si eiusmodi præcepta ex expressis deducantur lumine naturali. Andreas Vega libro 13. in Concilium Tridentinum, putat Contritionis præceptum contineri in Decalogo & esse quintum non occidendi spiritualiter. Melchior Canus putat contineri partim in illo, Diliges Dominum Deum tuum: nam vi prioris tenemur reconciliari cum Deo: vi posterioris tenemur consulere propriæ saluti.

Necessaria etiam est necessitate præcepti Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.*

Quo Tempore? Respondeo, prætermissis multorum sententiis salubertimis, in periculo mortis vero aut præsumpto, tunc enim si Confessarij copia non suppetat, tenetur homo perfectæ contritionis actum elicere, quia in tali euentu est maxima necessitas, propter quam ad Deum se conuertere & damnationis vitare periculum teneatur; nullum enim aliud remedium extat quam actus contritionis, qui in instanti potest concipi de peccatis in genere commissis Ezech. 18. *In quacumque hora ingemuerit peccator non recordabor amplius iniquitatum eius.* In periculo amentiæ, & quando quis suscepturus est vel administraturus, quod statim gratiæ requirit, tunc enim ne

nouum sacrilegij peccatum incurrat, conteri debet.

An autem quoties peccata commissa occurrunt memoriæ variant DD. Sanctus Thomas quæst 84. art 8. dicit pœnitentiam interiorem debere durare vsque in finem vitæ; semper enim displicere debet homini quod peccauit, licet exterior habeat tempus determinatum. Hunc ergo malè citat pro parte negatiua, Bonacina eam tenens quia præceptum de contritione est affirmatiuum, obligans tantùm certo tempore, & quia nimis durum esset obligari ad contritionem habendam in recordatione peccati, iugum autem Christi est suaue. Quod si dicas recordari peccati & illud non detestari est interpretatiuè velle & amare: illud autem est peccatum. Respondet posse suspendi illum actum non amando nec audiendo. Gammacheus & Isambert. docent idem in tractat. de Sacramento Pœnitentiæ, nullam scilicet extare obligationem de eliciendo actu contritionis.

Effectus veræ contritionis est delere & remittere omnia peccata ratione charitatis, qua informatur, aut auxilij diuini quo elicitur, vnde peccator Deo conciliatur, antequam actu suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ, vt habetur cap.4. sess 14. Trident. Singulare ergo est Contritionis priuilegium & effectus. Hæc nunquam despicitur à Deo Psalm. 10. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, & in momento peccatores iustificat, vt de Magdalena, Matthæo, Paulo constat & Latrone.

Hinc habetur eam non esse necessariam ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed sufficere Attritionem. Ratio est, tum quia Sacramentum hoc non produceret primam gratiam, nec remitteret mortalia peccata, sed potius supponeret ea esse remissa per Contritionem. Docet autem Tridentinum cap 5. hominem cum Attritione iustificari virtute Sacramenti. Tum quia sequeretur Euangelicam legem, grauiorem esse lege antiqua, in qua cum sola Contritione homines iustificabantur. Ergo ad iustificationem in Sacramento Pœnitentiæ non requiritur Contritio, sed sufficit Attritio. Ita Corduba, Nugnus, Paludanus, Vasquez, & alij contra Medinam. Ad loca Scripturæ quæ Contritionem exigunt,

Respondeo, intelligenda esse de iustificatione extra Sacramentum, in qua requiritur Contritio.

QVÆRES, *Quomodo dicatur homo fieri ex attrito contritus in Sacramento?*

Respondeo, non quia Attritio fiat intrinsecè Contritio, hoc enim impossibile est, cum Attritio versetur circa vnum motiuum & Contritio circa aliud & sint actus diuersæ speciei, vt ait Chamærota, & alij; Quorum autem principia sunt omninò diuersa, vnum non potest fieri id quod est aliud; Attritionis autem principium est timor seruilis. Contritionis timor filialis.

Sed quia attritus vi Sacramenti recipit gratiam quam contritus recipere solet per contritionem. Hoc autem est fieri extrinsecè contritum, seu non formaliter, sed quo ad valorem & effectum. Attritus potest quidem fieri contritus, si nunc habens attritionem postea acquirat Contritionem sicut ex calido fit frigidus, calor autem non fit frigus, sed transeunte vna qualitate succedit alia.

QVÆSTIO V.

De Confessione peccatorum.

An hæc sit de institutione Christi?

CONfessionis sacramentalis definitio communis hæc est. *Accusatio legitima in Sacramento Pœnitentiæ de propriis peccatis facta Sacerdoti ad absolutionem illorum ab eo recipiendam.*

Dicitur 1. *Accusatio*, quia Confessio debet fieri per modum accusationis, *nec in ea*, (vt loquitur Catechismus Romanus, *peccata sunt ita enarranda quasi rem aliquam gestam otiosis auditoribus exponamus, verum accusatorio animo, ita enumeranda sunt, vt ea etiam in nobis vindicare cupiamus.*

Dicitur 2. *legitima*, quia non quælibet accusatio sufficit, sed ad eam quædam conditiones lege diuina præscriptæ & infrà explicandæ requiruntur.

Dicitur 3. *in Sacramento Pœnitentiæ*. Confessio enim quæ fit in foro exteriori coram Iudicibus, siue sæcularibus, siue Ecclesiasticis non est apta Sacramenti huius materia.

Dicitur 4. *de propriis peccatis*, neque enim aliena peccata, sed propria dumtaxat in Confessione declaranda sunt.

Dicitut 5. *facta Sacerdoti*, quia solus Sacerdos est legitimus huius Sacramenti Minister, isque præsens esse debet; nam ex speciali Clementis Papæ VIII sententia 1602. opinio quæ asserit Confessionem sacramentalem per litteras aut internuntium posse fieri tanquam falsa & scandalosa prohibita est, tunc enim nec Confessio secreta esset, nec certa materia absolutionis, contingere siquidem posset, vt Pœnitens intermedio tempore mutaret animum, aut è viuis excederet. Potest tamen scribi Confessio quam annuente pœnitente. Confessor legat, quod in mutis aut aliis ex causa aliqua contingere posse docet Tolet.

Dicitur denique, *ad obtinendam peccatorum remissionem*, in quo vt obseruat Catechismus. Hoc iudicium longè dissimile est à tribunalibus forensibus, in quibus confessionem sequitur supplicium & pœna, non culpæ liberatio De Confessione ergo sic intellecta ponitur hæc quæstio.

PROPOSITIO CATHOLICA.

COnfessio est de Institutione diuina, seu de iure diuino ad remissionem peccatorum consequendam.

Probatur ex Scriptura Ioann. 20. vbi Christus dixit, *Accipite Spiritum-Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Si Christus hanc remittendi & retinendi peccata potestatem dedit Sacerdotibus. Ergo Iudices peccatorum illos effecit. Ad Iudicem enim duo sunt pertinentia,

pertinentia, vnum vt examinet & discutiat, an reus debeat absolui vel condemnari: aliud est potestas absoluendi vel condemnandi, vt patet in omnibus iudiciis; cum itaque Christus hæc duo tradiderit Apostolis & Sacerdotibus eorum successoribus Iudices illos effecit. Iudex autem de necessitate antequam sententiam ferat, causam rei cognoscere debet, quomodo enim causam & delicta rei iudicabit si illa ignoret. Necesse est ergo vt Confessori manifestentur delicta rei seu pœnitentis de quo debet iudicare an sit ligandus vel soluendus. Hæc autem manifestatio omninò debet fieri à pœnitente, vel enim modo naturali, vel miraculoso illa manifestatio facienda est, sed Christus nullum modum miraculosum voluit instituere, cum posset fieri per modum naturalem. Relinquitur ergo quòd peccator vult absolui, & per sententiam liberari à culpa & obligari ad pœnam, omninò debet peccata sua manifestare Sacerdoti tanquam iudici, constituendo se in hoc tribunali tanquam reum, & peccata per modum accusationis recensendo, quod est facere Confessionem, vt modo dictum est. Math. 16. solus Petrus obtinet promissionem clauium. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque solueris super terram erit solutum, &c.* & capit. 18. omnes Apostoli eandem promissionem obtinent, *Quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata & in cælo, & quæcumque solueritis, &c.* Promissio hæc adimpleta fuit Ioann. 20. cum in conclaui Christus congregatis dixit. *Quorum remiseritis, &c.* nam claues potestatem significant etiam apud homines, vnde Magistratibus claues dari solent in signum potestatis, & dantur (non vt Nouatores frigidè & imperitè interpretantur ad annuntiandam ipsam remissionem & designandum ministerium prædicandi) ad aperiendum effectiuè aut claudendum. Hinc de Christo Apoc. 3. dicitur. *Qui habet clauem Dauid aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Omnes per clauem illam intelligunt veram potestatem Christi, qua effectiuè ex propria authoritate absoluit & ligat, non autem qua significet aut declaret, quis sit ligatus, quis solutus. Quare cum Christus suas claues cum Apostolis & Sacerdotibus communicauerit, veram his ligandi & soluendi potestatem ex authoritate iudiciaria concessit. Et sicuti nemo in clausam domum ingredi potest, nisi qui eius clauem habet ostium aperuerit: sic etiam nemo cui cælum ob culpam sit clausum in illud ingredi potest nisi Sacerdotum ministerio aperiatur. Nam si aliunde patet aditus frustra claues Apostoli accepissent, quid enim prodesset habere claues domus, si absque clauibus, inuito etiam ostiario aditus pateret?

Præterea metaphora ligandi aut soluendi exprimit hanc potestatem; ligare enim & soluere non significant denunciare vel declarare, sed reipsa vincula iniicere & demere, alioquin Christus non dixisset. *Quod solueris erit solutum*, sed dixisset erat solutum, denique cæremonia insufflationis, qua Christus vsus est cùm potestatem hanc dedit, eandem probat, sicuti enim Spiritum-Sanctum dedit in specie linguarum. Act. 2. quia dedit tunc donum concionandi, ita Ioann. 20. dedit Spiritum-Sanctum insufflando; quia dedit donum peccata remittendi (non concionando, vt Aduersarij somniant) sed planè extinguendo ac dissoluendo, vt enim flatus extinguit ignem & dissipat nebulas, sic absolutio Sacerdotis peccata dispergit facitque euanescere, iuxta illud Isaiæ 44. *Deleui vt nubem peccata tua.* Scitum est illud Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, quod indicat iam fuisse institutam confessionem peccatorum, & quidem Sacerdoti faciendam, siquidem paulò ante monuerat ægrotos, vt inducerent Presbyteros ad Extremam-vnctionem ministrandam, sed ne fortè qui hæc legeret, crederet etiam peccata mortalia per vnctionem hanc deleri subiunxit. *Confitemini*, nam mortalia per confessionem purganda sunt. Nec dicas vocem *alterutrum* non prouocare ad Sacerdotes, sed ad mutuam confessionem, quæ fit fratri offenso ad pacem & veniam ab eo obtinendam, Syriacè est. *Alius alij delicta vestra.* Beda, Hugo Victorinus exponunt *alterutrum*, eos tantum qui indigent absolutione debere recurrere ad eos qui possunt absoluere; quemadmodum cum 1. Petri 4. dicitur *hospitales inuicem*, non significat omnes ab omnibus hospitio recipi oportere, sine discrimine, sed eos qui tecto indigent ab iis qui domum habent; sic ergo qui tenentur vinculis peccati, accedere debent ad eos quibus dictum est. *Quorum remiseritis peccata, &c.*

Hinc euidenter habetur quod Confessio non sit Deo soli facienda vt dicunt Caluinistæ, sed homini quoque, non quidem laïco cum ei aperire peccata quæ commiseris, noxium potius quam vtile sit, sed Sacerdoti à quo remitti possunt. Sicut si dixisset Dominus, medicamini alterutrum morbos quibus laboratis: non obligasset Medicum sanitatis adipiscendæ gratia adire omnem quem ipse curasset, sed eum dumtaxat qui simul esset Medicus.

Protestatio Ioannis 1. capit. 1. praxim hanc Confessionis euincit. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Nec enim ibi loquitur de Confessione soli Deo facienda; nam verba *fidelis & iustus* referuntur ad promissionem diuinam; ideò enim *fidelis & iustus* dum confitentibus peccata remittit, quia promissis stat, nec fidem fallit. At promissio de peccatis condonandis iis qui Deo soli confitentur; non videtur vlla extare in Scriptura Euangelica; est autem apertissima Ioan. 20. iis qui Sacerdoti Ministro Dei confitentur. Adde quod si Confessio soli Deo facta remissionis promissionem habet hic, frustrà dictum esset Apostolis. *Quorum remiseritis peccata*, vnde consequitur obligatio peccatoribus recurrendi ad eos; nam cum multò facilius sit Deo quàm homini confiteri, nemo esset qui ab homine quæreret remissionem; imò falsò dictum esset. *Quorum retinueritis peccata retenta sunt.* Cùm per Confessionem Deo soli factam absoluerentur, etiam Sacerdote inuito. Ioannes ergo de Confessione sacramentali intelligendus est.

Scriptura probat vsum Confessionis tempore Apostolorum Act. 19. *Multi veniebant confitentes & annuntiantes actus suos*, vbi & de combustis eorum libris fit mentio, qui curiosa sectati fuerant. Nota *veniebant multò*

credentium. Non trahebantur ad violentam confessionem delictorum suorum, vt in forensibus tribunalibus fieri consueuit, sed vltrò veniebant, eáque annuntiabant non quibuscumque sed Apostolis, idque secretò vt remitterentur, quandoquidem peccata populo pandere perniciosum multis de causis esse poterat, Syrus legit *renuntiabant offensas suas.*

Sic ergo habes Confessionis vsum & praxim tempore ipso Apostolorum, secuta postea est ætas Dionysij & coætaneorum Episcoporum in Epist. ad Demophilum 8. eum reprehendit, quòd Sacerdotem ad fontem gratiæ & misericordiæ redeuntem nimis acerbè reiecerit à se non absolutum.

Clemens Romanus Epistola 1. *Si fortè inuidia, infidelitas, aut aliud malum secretò cor inuasit, non vereatur qui curam animæ suæ habet, illa prælato suo confiteri, vt per verbum diuinum & salutare consilium eum curet & pœnitens per fidem & bona opera pœnas ignis æterni deuitare & ad præmium vitæ æternæ peruenire possit.* Hinc patet Confessionem auricularem & absolutionem Sacerdotalem, quæ vocatur *Verbum diuinum*, non esse figmentum hominum, vt garriunt Nouatores.

Deinde anno 200. Irenæus qui proximè successit lib. 1. cap. 9. scribit de quibusdam fœminis, quas Marcus hæreticus circumuenerat. Hæ sæpè ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, & infrà de alia pariter seducta. Cum esset vxor eius (scilicet Diaconi) speciosa & corrupta esset à Mago isto & secuta eum esset multo tempore, post deinde cum magno labore fratres eam conuertissent omne tempus exomologesi consummauit plangens & lamentans ob hanc quam passa esset ab hoc Mago corruptelam.

Idem lib 3. cap. 4. *Cerdon*, inquit, *sæpè in Ecclesiam veniens exomologesin faciens sic consummauit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologesin faciens.* Tertullianus libro de Pœnitentia explicat quid sit Exomologesis. *Is actus*, inquit, *qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur Exomologesis est, qua delictum nostrum Domino confitemur.* Quod autem dicit fieri Deo, significat Deo per Sacerdotem, non autem soli Deo, quod apertè colligitur ex sequentibus, vbi dicit nonnullos ex pudore quodam & humana verecundia à Confessione abhorruisse, hæc autem non habet locum in Confessione, quæ soli Deo fit. *Plerosque*, inquit, *hoc opus vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quam salutis, veluti illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant & cum erubescentia sua pereunt.*

Origen. Rom. 2. in Leuit. *Est per pœnitentiam remissio peccatorum cum lauat in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum & quærere medicinam.*

Cyprianus libro de lapsis. *Confiteantur singuli quæso vos fratres delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio eius potest dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.*

Tertio sæculo post Apostolos Athanasius qui in serm. in illa verba. *Inuenietis pullum ligatum. Nos ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula, vt in melius proficiamus. Quod si nondum soluta sint, tradas teipsum discipulis Iesu, adsunt enim qui te soluant pro potestate ea quam acceperunt, quæcumque enim ligaueritis in terra inquit, erunt ligata & in cælis, & si quibus remiseritis peccata remittuntur eis.*

Hilarius can. 18. in Matthæum. *Ad terrorem autem metus maximi quo in præsens omnes continerentur immobile seueritatis Apostolicæ iudicium præmisit, vt quos in terris ligauerint, id est peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos soluerint, Confessione scilicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolica conditione sententia in cælis quoque aut soluti sint aut ligati.*

Ambrosius libro 2. de pœnitentia cap 6 sic ait. *Si vis iustificari fatere delictum tuum: soluit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.*

Paulinus testatur Ambrosium solitum audire priuatim Confessiones, sicque in vita eius refert. *Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret.*

Quarto sæculo Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Leo, Innocentius I.

Chrysostomus in libro 2. de Sacerdotio, sic ait. *Quamobrem multa quidem opus est arte, vt qui laborant Christiani vltrò sibi persuadeant Sacerdotum curationi sese submittere oportere.*

Hieronymus ad caput 10 Ecclesiastæ. *Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, magister qui habet linguam ad curandum facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat Medicus non curat.*

Augustinus in libro 50. homilia 49. capit. 3. *Agite pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia: nemo sibi dicat occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago.* Ergo sine causa dictum est. Quæ solueritis in terra, erunt soluta in cælo? Ergo sine causa claues datæ sunt Ecclesiæ Dei; frustramus Euangelium Dei? frustramus verba Christi? promittimus ergo vobis quod ille negat? subscripsit Augustinus Concilio 3. Carthaginensi, Canonésque illius 31. & 32. de modo reconciliandi peccatores à Presbytero approbauit.

Subsequentia sæcula nihil aliud per scripta Patrum inculcant quam peccatorum confessionem: sufficiant ergo hæc allata testimonia, vt constet Confessionem non esse ex inductione hominum, sed ex Apostolorum institutione, in vim obtentæ à Christo Domino authoritatis iudiciariæ remittendi aut retinendi peccata, eámque esse necessariam & partem Sacramenti Pœnitentiæ. Hanc Sacramentum non profitetur Ecclesia, sed conditionem necessariam Sacramento, Absolutioni scilicet, quam PP. verum Sacramentũ nouæ Legis esse docuerunt.

Concilium

Concilium Tridentinum seſſ. 14. hæc habet cap. 5. Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem; omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere.

Probatur ratione, ab antiquitate eius ducta. Quæ ſunt iuris humani ea reperiuntur initium habuiſſe ex Concilij alicuius Oecumenici, aut Summi Pontificis decreto: ſed conſtat ex citationibus ſuprà adductis Confeſſionem fuiſſe in Eccleſia ante Pontificum & Conciliorum decreta.

Secundò, probatur ex difficultate Confeſſionis; nam ſi qua res eſt in Eccleſia Catholica, quæ grauis ac difficilis videatur, profectò eſt Confeſſio, quis hoc onus mundo imponere potuit, niſi Redemptor eius. Quis Imperatores, Reges, Principes, Pontifices ad id cogere potuit, niſi Rex regum & ſummus Sacerdotum? An vero rem adeo grauem de aperiendis intimis animi cogitationibus Eccleſiæ Præſules vnquam præcepturi erant niſi authoritate diuina fulti? Nec populi inclinarentur ad illam ſine præcepto Dei aut Chriſti ſucceſſiuè per Apoſtolos à Chriſto traducto per ſæcula & vtile cognito & diuerſimodè comprobato.

Ad hæc ſciendum eſt triplicem olim viguiſſe in Eccleſia Pœnitentiam & Confeſſionem. Vnam publicam pro peccatis publicis, aliam ſecretam ſeu auricularem pro peccatis occultis, quæ ſoli Sacerdoti fiebat.

Tertiam verò quæ poſt ſecretam confeſſionem Sacerdoti factam, erat publica de peccatis occultis & congregationi fidelium ſæpè fiebat, ſi ita expedire iudicaſſet Confeſſarius.

De prima publica videlicet de delictis publicis paſſim habetur mentio apud Patres & Concilia Toletan. 3. can. 12.

Quicumque ab Episcopo vel Presbytero ſanus vel infirmus pœnitentiam poſtulat, ſi vir eſt prius eum tondeat, aut in cinere & cilicio habitum mutare faciat, & ſic Pœnitentiam ei tradat: ſi vero mulier, prius veletur aut mutet habitum, ſæpius enim laicis cum fœminis tribuendo pœnitentiam ad lamentanda rurſus facinora poſt acceptam pœnitentiam relabuntur. Canon. 11. Concilij Nicæni. *Quotquot igitur ſincerè pœnitent tres annos inter audientes ſint, &c. placuit tamen ſanctæ Synodo aliquid humanitatis oſtendi circa eos qui ſub tyrannide Licinij præuaricati ſunt.*

De Confeſſione ſecreta & auriculari pro delictis ſecretis habemus teſtimonium Sancti Baſilij apud Græcos circa annum 360. celeberrimi, is in regulis breuioribus capit. 229. ſic habet. *Confeſſio peccatorum iis tantùm facienda eſt qui ea curare valent.* & cap. 288. *Neceſſariò declaranda ſunt delicta, quibus commiſſa eſt diſpenſatio Myſteriorum Dei.* Gregorius Nyſſen. Oratione in eos qui alios acerbè iudicant *Oſtende libenter Sacerdoti occulta tua, aperi ei animæ tuæ ſecreta ſicut occulta vlcera oſtenduntur Medico, curam habebit ille honoris & ſalutis tuæ.*

Ex Latinis Patribus Sanctus Leo magnus, qui creatus fuit Papa anno 440. Epiſtola 80. cap. 2 ad vniuerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium & Picenum conſtitutos, poſt inhibitionem quam facit de euulganda Confeſſione libellis ſcripta à pœnitente cùm reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta, ait, *Remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, &c. Datum pridie Nonas Martij Recimero Conſule.*

De Confeſſione publica peccatorum occultorum frequens extat apud Veteres mentio ob eius vſum frequentem Cyprianus ſermone de lapſis ſcribit plures ſolitos ſe accuſare de idololatria, nec non & de concepta voluntate ſacrificandi Idolis. Origenes in Leuit. cap. 1. & 2. homilia 2. duplicis generis Confeſſionis ſuo tempore vſurpatæ meminit. Vna, inquit, ſoli Sacerdoti fit. Vide ſuprà, altera reiteratur coram populo poſt primam datam Sacerdoti. De iſta ſic ſcribit in Pſalm. 37 hom. 2. *Circumſpice diligentiùs cui debeas confiteri peccatum tuum, vt ita demum ſi quid ille dixerit & conſilij dederit facias & ſequaris. Si intellexerit & præuiderit talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt & tu ipſe facilè ſanari multa hoc deliberatione & ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt.* Tertullianus ad hoc ſupra citatus. Vide *Grande planè emolumentum*, inquit per ironiam, *verecundiæ, occultatio delicti pollicetur, proinde & Deum celabimus? an melius eſt damnatum latere quàm palam abſolui?*

Pœnitentia hæc publica de occultis non fiebat ad gehennæ æternæ tantùm remiſſionem (ad quam ordinata eſt ſecreta Confeſſio) ſed ad pœnæ temporalis plenariam ſolutionem per mulctam illam publicam voluntariè aſſumptam. Illa non concedebatur ad votum petentium ſed ſemel in vita: vnde Hieronymus vocat eam ſecundam poſt naufragium tabulam, idque conſultò fiebat ad vitandam occaſionem abuſus, hinc Ambroſius libro 2. de pœnitentia capit. 10. *Sicut Baptiſmus vnicus eſt, ita & Pœnitentia, illa inquam quæ publicè fit.* Quare vt ipſa pœnam temporalem integrè euacuaret, rigida omninò ordinabatur in cinere & cilicio, in ieiuniis & quadrageſimali victu, in tonſione capitis, in habitu pullato, in priuatione vſus coniugalis, & ideò exigebatur ante indictionem publicæ pœnitentiæ conſenſus vxoris pro viro, aut mariti pro vxore. Tertullianus aliqua ordinari ſolita apertè diſtinguit Presbyteris aduolui, aris Dei aggeniculari, orationi diutius inſtare calcatui ingredientium templum ſubmitti, & quod durius mihi videtur in pleno fidelium cœtu peccata ſua propalare, quorum abſolutionem die tantùm Iouis ſancto præſtolabantur pœnitentes, &c. abſolutionem inquam, in foro fori pœnitentialis.

Vt autem hæc omnia regularè fierent & calumniandi prætextus occluderetur Nouatianis, qui pœnitentiam ſacramentalem oppugnabant, & Pœnitentes apoſtatas reconciliari nolebant, ſed iudicio Dei relinquendos docebant; ſic excludentes omnes Canones pœnitentiales Eccleſiæ, & omnia peccata æqualia facientes. (hinc primum ſchiſma à Nouato formatum

formatum anno 254. contra Cornelium Papam) In qualibet diœcesi statutus fuit Sacerdos Pœnitentiarius dictus cuius erat leges præscribere Pœnitentiæ publicæ iis qui eam requirebant. Et ideò Pœnitentes primò auricularitet excipiebat vt discernere posset quæ propalate expediret peccata, & quo ritu ea publicè expiare, magna siquidem ad hoc requirebatur prudentia ne oriretur scandalum, aut inureretur nota infamiæ complicibus. Et ideò vt aduertit Sozomenus lib.7. hist.cap.16. tenacitas secreti requirebatur in Pœnitentiario, ne exceptam iam Pœnitentium confessionem secretam aperiret Officij quoque eius erat attendere exercitio Pœnitentium, præscribere modum, tempus, &c. & in termino pœnitentiæ diem statuere quo publicam facerent de præscriptis peccatis Confessionem, à qua eos ad communionem admittebat.

Stat ergo firmiter comprobata Propositio Catholica, quod Confessio sit de institutione Christi & de iure diuino.

Non me latet quosdam Catholicos dubitasse de iure quo tenerentur ad Confessionem. Becanus affingit Scoto, quod docuerit præceptum Confessionis esse quidem diuinum, non tamen deduci posse ex Euangelio, sed tantùm haberi ex Traditione Ecclesiæ; quod & Gabriel in 4. dist. 17. Medina quæst. 2. de Confess. docuisse leguntur. Imò Sanctus Bonauentura in 4 distinct. 17. scripsisse notatur Confessionem institutam esse à Christo, non tamen præceptam. Hoc de Scoto non stat cum iis quæ habet. Rationabile est tenere quod Confessio cadat sub præcepto diuino, idque sic probat. Nulli committitur potestas iudiciaria vel arbitraria nisi alicui imponatur necessitas submittendi se ei, aliàs nullam haberet authoritatem iudicandi, sed Sacerdoti committitur talis potentia in materia peccati Ioan 20. Ergo alicui vt reo imponitur necessitas submittendi se arbitrio eius, sed non potest Sacerdos arbitrari in causa ignota. Ergo est ei manifestanda, hæc autem manifestatio est Confessio.

Item quicumque amisit primam gratiam tenetur ex vi præcepti, *Diliges Deum*, agere quod in se est ad recuperationem gratiæ suscipiendo Sacramentum Pœnitentiæ, quod non potest esse sine Confessione peccatorum. Item vbi in potestate hominis est facilior & certior via ad gratiam recuperandam tenetur quilibet ad illam viam, alias videretur contemptor propriæ salutis, sed ista via suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ est facilior & tutior ad gratiam rehabendam; Ergo ex illo Ioannis 20. & ex præcepto dilectionis Dei & sui ipsius, tenetur quis ad istam. Hæc Scotus probatissimè, quæ ad propositionis Catholicæ assertionem plurimum conferunt.

De modo quo facienda est Confessio, *An publicè, vel secretò*, seu *ad aurem Sacerdotis* (quem iam scimus constitutum esse iudicem, & posse absoluere) nihil habetur ex Scriptura. Hunc enim Christus reliquit Ecclesiæ suæ determinandum. Ipsa autem intelligens institutam à Christo Confessionem, vtpote relatiuam potestati iudiciariæ concessæ Sacerdotibus Ioan 20. diuersimodè pro tempore statuit Confessionem à pœnitentibus faciendam, & publicam, & secretam, vt ex supra obseruatis patet: vnanimi tamen consensu ab antiquissimis Patribus secretam Confessionem sacramentalem vsurpatam fuisse, eo modo quo Ecclesia iam vtitur, & commendatam testatur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. Pro antiquitate vsus Confessionis extat cap. 23. Conc. Ancyræ in Gallæcia anno 308. 17. ante Nicænum sic habens. *Qui auguria obseruant iuxta morem Gentilium, aut in domos suas huiusmodi homines introducunt in exquirendis aliquibus arte maleficia, confessi quinquennio pœnitentiam agant.* & Canon 2. Concilij Laodiceni celebrati anno 364. sub Liberio Papa in VI. Synodo generali habetur Canon 102. qui de Confessione agit. *Oportet qui facultatem absoluendi & ligandi à Deo acceperunt peccati qualitatem speculentur, &c.* Habitum est in Trullo à 227. Episcopis anno 703. sub Agathone Papa Ex his ergo constat Confessionis vsum extare in Ecclesia Græca. In Ecclesia Latina Conc. Carthag. tertium cui interfuit Augustinus habet cap 31. *Vt pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* cap. 32. vetat ne Presbyter reconciliet nisi absente Episcopo; patet autem oportuisse ad hoc peccata omnia in Confessione detegere, vt pro differentia eorum statueretur tempus Pœnitentiæ. Extat etiam Canon. 8. Concilij Cabilonensis in Gallia anno 650 *Vt pœnitentibus facta Confessione indicatur à Sacerdotibus pœnitentia.*

Hæc pro antiquitate erant Lectori beneuolo proponenda.

Hodie antiquatam & explosam videmus Confessionem publicam & solam secretam esse in vsu, dicamus cum Tertulliano libro 4. de Baptismo cap. 20. *Congratulandum nobis est si publicè iniquitates nostras non confitemur.* Singularis profectò hæc est indulgentia & benignitas matris Ecclesiæ, quæ fidelibus parcens, & aggrauationem Confessionis publicæ supprimens, iugum Domini leuissimum facit inducendo secretam & auricularem Confessionem.

Hanc Confessionem priuatam ex Confessione publica natam, illámque in auricularem commutatam circa annum 450. calumniantur Nouatores. At ex suprà allegatis antiquior vsus priuatæ, seu secretæ Confessionis, cuius necessitas de iure diuino habita fuerit notatur. Diluamus Hæreticorum contra Confessionem obiectiones.

Dices, ex hoc pompose insonant Apostatæ in rationali suarum ab Ecclesia Romana defectionum, quid est homo peccator & alienæ contritionis nescius (sine qua non potest remitti peccatum) qui iudicium diuinum vsurpat & peccata dimittit? Nunquid reus reum absoluet? Nunquid Esaiæ 43. Deus solus delere peccata dicitur? Num ratio communis ad partem grauatam, nequaquam vero ad alium condonationem iniuriæ illatæ spectare dictat, vt quid ergo Sacerdoculus absoluet.

Respondeo, parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. An non licet Deo & Christo eius sua dare? *Cur baptizatis*, inquit Ambros. libi.

lib. 1. de Pœnitentia cap. 7. *Si homo non potest remittere peccata; nam in Baptismo est remissio peccatorum, quid interest si hoc ius sibi vendicent concessum Sacerdotes aut per Baptismum aut per Pœnitentiam. Vtrumque idem est ministerium*: huius autem rationem & modum callere debent Confessarij & quos non attritos iudicant solerter commouere, aut ad aliud tempus remittere absoluendos.

Instabis grauiorem ex obligatione Confessionis videri legem Euangelicam ipsa Mosaïca, cui sufficiebat soli Deo facta Confessio: durum enim iugum probant Catholici reuelare secreta cordis homini qui possit aliis si volet propalare, vt exempla nonnulla docent. Tum impossibilis est scrupulosa illa enumeratio facienda peccatorum; vnde conscientiæ adducuntur in maximam anxietatem (*Delicta quis intelligit?* ait Dauid Psalm. 18.) de nullitate Confessionis datæ, vnde non mirum si sacramentarij passim vocent Confessionem carnificinam conscientiarum gehennam crudelem & laqueum Diaboli, sic loquitur Caluin. lib. 4. inst. cap. 13. §. 12.

Respondeo, vix posse hominem agnoscere an verum contritionis actum elicitum habeat; dubium hoc euacuat absolutio data à Sacerdote, sic securior de remissione existit pœnitens & alleuiatur in lege Christi præ Iudæo vigente Synagoga. Nec deerant statuta apud Iudæos confitendi peccati Leuit. 13. vbi iudicium lepræ datum est Sacerdotibus. Leuit. 6. vbi indicitur oblatio pro peccato ex certa scientia commisso, & Numerorum 5. *Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, confitebuntur peccatum suum, &c.* Durum præterea non debet videri & factu difficile quod sæpissimè dissoluti homines coram multis sponte sua, & quasi ridentes facere solent, crimina enim quæ perpetrarunt, & plerumque ea quæ nec cogitauerunt effutiunt. Et cordati etiam homines cum amicis suis mala quæ commiserunt solent communicare. Quantò securius in sinum probi & prudentis Sacerdotis qui locum Dei tenet secreta nostri pectoris refundemus? A quo salubre consilium, vulnerum medicinam, animæ consolationem expectamus, Dei voluntatem in hoc adimplentes, qui voluit nos suis Sacerdotibus subiici, quos firma coniectura credimus non euulgaturos, quæ in secreto deposita sub strictissimo secreti iure exceperunt. Nemo offendi debet exemplo alicuius mali exempli, abusus noster diuinum institutum vitiare non potest. Porrò tam inuiolabile est sigillum, seu secretum Confessionis sacramentalis, vt Summus Pontifex quouis prætextu boni procurandi, vel mali euitandi nequeat obligare ad reuelationem, mors potius obeunda est quam aperire aut manifestare quæ sub Confessione audiuit Confessarius, ita Sanctus Thomas in additionibus quæst. 11. Suarez & alij; nam fractio sigilli est intrinsecè mala: ergo in nullo casu licita. Est enim contra fidem publicam quam Ecclesia dat confitentibus, est contra ius naturæ, & ius Ecclesiasticum, non sunt autem facienda mala, ait Paul. Roman. 3. vt inde eueniant bona, committenda sunt omnia Prouidentiæ Dei, nec malo obuiandum est per aliud malum. Ad anxietatem quam scrupulosa & difficilis enumeratio peccatorum parere potest,

Respondent vnanimiter Doctores sufficere morale examen præuium, quo si non obstante prætereatur aliquod peccatum, censetur illud absolutum in vim voluntatis conceptæ de declarandis omnibus.

Dices, Patriarcha Constantinopolis. Nectarius Pœnitentiam & Confessionem abrogauit testibus Sozomeno lib. 5. hist. cap. 10. Socrate lib. 7. hist. Eccles. cap. 16. idque successor eius Chrysost. approbauit & secutus est.

Respondeo, ipsummet factum Nectarij quod contra priuatam & publicam pœnitentiam profertur fauere Propositioni nostræ: nam si sustulit; ergo vigebat antea, si vigebat quomodo priuatæ Ecclesiæ Præsul legem vniuersali Ecclesiæ derogatoriam iuris antiqui imponet? Pœnitentiarij stabiliendi motiuum eiúsque officium iam declaraui, excipiebat is primo priuatam confessionem, & publicè pœnitentiā petentibus cōcedebat, accidit autem quod nobilis quædam matrona obtinuit facultatem publicè pœnitendi, huic indicta fuere ieiunia, orationes & determinata peccata quæ in termino pœnitentiæ propalaret, *Mulier*, inquit Socrates, *longius in confitendo progressa, alterius culpa seipsa insimulat, docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormiuisse*, ob quod facinus hoc modo patefactum Diaconus ab Ecclesia eiectus est, tumultus in populo excitatus, &c. Hinc Nectarius omnium consensu abrogauit Pœnitentiarium, Pœnitentiam publicam & Confessionem publicam; non abrogauit, nec abrogare potuit Confessionem & Pœnitentiam priuatam, cuius vsum semper mansisse in Ecclesia Græca, patet ex Canone 102. Conc. 6. & Nomocanone Græcorum, cui inserta est Epistola Gregorij Nisseni de Pœnitentia, & responsione Hieremiæ Patriarchæ hodierni ad Protestantes Germaniæ, in qua notat falsitatis hæc duo illorum Puncta, quod Confessio auricularis non sit pars Pœnitentiæ. Quod Pœnitentia non sit Sacramentum.

Hic stupidi notantur qui volunt à Nectario ob manifestationem illius flagitij abrogatam esse Confessionem auricularem, nec enim ex ea potuisset illud patefieri. Quod si Chrysost. in homiliis carpit Confessionem, & aliquando dicat. *Non dico vt confitearis seruo tuo qui exprobret*, certum est in confessionem hanc publicam, *quæ*, vt dicit *in theatro & coram numeroso cœtu fiebat*, declamare, nullatenus in iudiciariam sacramentalem à Christo institutam, cuius vtilitates non sunt ignotæ. Vide Casuistas.

Quæstio VI.

De satisfactione sacramentali.

Tertia pars Pœnitentiæ est Satisfactio quam Sacerdos potestate clauium iniungit Pœnitenti.

Satisfactionis nomine intelligitur communiter actio illa qua qui alterum læsit tantum facit quantum satis est ad iniuriam compensandam

dam; vel quantum is qui iniustè læsus est iustè exigit.

Quamuis autem nullus homo possit Deo pro peccatis suis satisfacere, nisi condonatio aliqua gratuita interueniat ex parte ipsius Dei, supposito tamen gratiæ dono per Christi merita collato, certum est aliquam satisfactionem Deo exhiberi posse ab homine, eiúsque opera quædam esse satisfactoria.

Est autem hæc Satisfactio duplex, alia siquidem extra Sacramentum fit, alia Pœnitentiæ Sacramento coniungitur, éstque illius pars integrans, vt suprà dictum est, quæ quidem quoniam non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato sortitur effectum suum, ideò est perfectior & maiorem vim habet.

Rursus hæc satisfactio sacramentalis duplex distingui potest: vna minus propriè dicta quæ reperitur in ipsa Contritione & Confessione, aliisque pœnitentis actibus qui absolutionem antecedunt; per illos enim actus satisfactionem aliquam Deo exhiberi docuit Sanctus Thomas in 4. distinct. 16. vbi dicit quæst. 1. art. 1. *Quod pœna quam pœnitens patitur in contritione & in confessione in partem satisfactionis cadit:* quod olim etiam docuerat author libri de vera & falsa pœnitentia cap.10. vbi de confessione sacramentali loquens. *Multum*, inquit, *satisfactionis obtulit, qui erubescentia dominans nihil eorum quæ commisit nuncio Dei denegauit.* Certè non pauci sunt qui pudorem illum in quorumdam peccatorum confessione subeundam multis ieiuniis, orationibus & eleemosynis redimere vellent. Hi autem actus quatenus ab homine peccatore eliciuntur non nisi impropriè dicuntur satisfactorij; cum neque pro culpa, neque pro pœna æterna peccato nondum remisso debita aut vlla illius parte per illos satisfit, sed conuenientiùs tantùm disponatur Pœnitens ad iustificationis gratiam vberius & certius in Pœnitentiæ Sacramento recipiendam.

Altera est Satisfactio sacramentalis propriè dicta quæ consistit in piis quibusdam operibus à Confessario iniunctis, quibus pœnitens pro pœna temporali peccato quoad culpam remisso debita Deo satisfacit; quo expressè docuit Concilium Tridentinum sess.6. cap.14. vbi de satisfactione sacramentali loquens dicit illam Deo exhiberi, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali quæ, vt sacræ litteræ docent, non tota semper vt in Baptismo fit dimittitur.

Hæc autem vera & propriè dicta satisfactio vocatur; quia per illam pro pœna illa temporali peccato quoad culpam remisso debita verè & propriè Deo satisfit. Quod vt euidentius constet sit

PROPOSITIO CATHOLICA.

Remissa culpa peccati in Sacramento Pœnitentiæ non semper dimittitur vniuersa pœna debita, peccator satisfactionem debet facere per pia opera. Duo membra habet hæc Propositio inter se cohærentia.

Primum probatur ex Scriptura Sapient. 10. *Adam dicitur eductus à delicto*, tamen Gen.3. ad pœnam damnatur, panem scilicet in sudore vescendum, mulier ad pariendum in dolore & ad subiectionem viro, Exodi 32. vbi sine discrimine multa millia hominum interfecta sunt propter peccatum adorati vituli: nec tamen credibile est omnes illos in peccato mortuos esse, cum Dominus *Placatus* dicatur *ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersùs populum suum.* Consequenter dimisisse culpam peccati ob preces Moysi. Numer.14. Populus murmurauit ex relatione exploratorum, irascitur Deus. *Feriam*, ait, *pestilentia* orat Moses, respondet Dominus. *Dimisi iuxta verbum tuum*, attamen nemo eorum qui exierant de Ægypto vidit terram promissionis præter Caleb & Iosue. Numer. 20. Moyses & Aaron quia non glorificauerunt Deum ad petram, loquendo ad petram, *sed percussit bis virga silicem* Moses, ea condemnati sunt pœna vt morerentur in deserto. Nemo autem est qui neget post peccatum illud incredulitatis in gratiam rediisse, mansit igitur pœna luenda post culpam remissam 2. Reg 12. refertur Deum condonasse Dauidi de peccato suo perfectè pœnitenti, & tamen cum temporali pœna, morte scilicet filij ob peccatum illud quamuis remissum plecti voluisse. 2. Reg 24. peccat Dauid in numerando ex vanitate populo suo pœnitentiam agit, obtinet veniam, & tamen datur illi optio eligendi in pœnam peccati bellum, famem, aut pestem.

Ad hæc duo loca Respondet Caluin. lib.3. instit.cap.4.§.3. pœnas istas non fuisse à Deo impositas Dauidi in vindictam peccati præteriti, sed in admonitionem cauendi de cætero, esséque huiusmodi flagella paternas correptiones, non Iudicis vltiones, & in hac re citat Chrysostom. in homilia de Pœnitentia & Confessione; qui sic ait, *Propter hoc imponit nobis pœnam non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens.* At frustrà hoc affertur; nam 2.Regum.12. ipsa Scriptura referens causam mortis filij Dauid non ait, vt caueas in futurum. *Sed quia blasphemare fecisti nomen Domini, propter hoc filius qui natus est tibi morietur:* Ad præteritum ergo pœna inflicta refertur, idque testatur Gregorius libro 9. moral.cap.27. scribens, Dauidem punitum fuisse ob peccatum præteritum quamuis remissum; *quia Dominus delictum sine vltione non relinquit.*

Ad hæc multa sunt testimonia Scripturæ, quæ indicant mortem ipsam infligi in pœnam peccati etiam post culpam remissam, ridiculum autem esset dicere morte puniri homines, vt deinceps cautiùs viuant. Sic Numer. 20. Aaron moritur ante ingressum in terram promissionis. Sic Moses etsi in osculo Domini expirarit moritur ob idem peccatum in monte Abarim. Item 3.Regum 13. de Propheta Domini scribitur, qui ob peccatum quoddam occisus fuit in itinere, & quia paulò ante prædicta fuerat ei calamitas, dubium esse non potest quin egerit pœnitentiam & remissionem impetrarit: nam in testimonium sanctitatis, in qua vitam finierat, leo iuxta cadauer impastus, & ne Asinum quidem Prophetæ attingere audebat. 1. Corinth. 11. Paulus scribit multos eorum qui indignè communicabant esse infirmos, multósque mortuos in pœnam peccati,

peccati quos ante mortem reconciliatos esse docet cum addit *à Domino corripimur ne cum hoc mundo damnemur.*

Probatur ex SS. Patribus supra. Origen. in Exod. homil. 6. *Misericors & miserator est Dominus & creaturæ suæ non vult mortem sed vt conuertatur & viuat pœnitendo, flendo satisfaciendo deleat quod admissum est: dicit enim propheta, quia si conuersus ingemueris tunc saluus eris.* Cyrill. Hieros. catech. 2. *beatus David quamuis audiuerit Dominum traduxisse peccatum ipsius, non abstinuit tamen à pœnitentia verum loco purpuræ sacco vtebatur, & loco aurei throni in terra cinereque rex sedebat, neque tantum in cinere sedebat verum etiam cinere vescebatur, quemadmodum ipse dicit, quia cinerem tanquam panem manducabam, vindicabat concepiscentem oculum, lauabo inquiens per singulas noctes lectum meum & lachrymis meis stratum meum rigabo, &c.*

August. hom. vlt. inter 50. *non sufficit mores in melius mutare, & à factis malis recedere nisi etiam de his quæ facta sunt satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis, Beati enim misericordes quoniam ipsorum miserebitur Deus.*

August. in Psal. 90. *veritatem* inquit *dilexisti, hoc est impunita peccata eorum quibus ignoscis non dimisisti, sic prorogasti misericordiam vt seruares veritatem.* Greg. lib. 9. Moral. cap. 27.

Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 16. *Cognoui quosdam in pœnitentia sulcasse vultum lachrymis, exarasse continuis fletibus genas, strauisse corpus suum calcandum omnibus, ieiuno ore semper & pallido mortis speciem spiranti in corpore pratulisse* Et ad virg. lapsam cap. 8. *Lugubris tibi accipienda est vestis & mens ac membra singula digna castigatione punienda, &c. talis vita, talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseuerans audebit sperare, etsi non gloriam certe pœnæ euacuationem. Peccator ergo si sibi non pepercerit à Deo illi parcitur.*

Probatur Ratione. Deus misericors & iustus est, ergo si ex misericordia pura culpam & pœuam omnem remisit in Baptismo, ratio iustitiæ exigere videtur vt qui semel à peccati & dæmonis seruitute liberati & accepto spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare & spiritum sanctum contristare non formidarent, aliquam satisfactionem dent offenso Deo. Hinc Tertull. lib. de pœnit. cap. 9. agens de Confessione, prostratione ac satisfactione pœnitentiali dicit. *Exomologesis est prosternendi & humilificandi hominis disciplina.* Hic enumerat varios actus pœnitentiæ, vt quid vero hęc omnia pœnitentibus iniũguntur nisi vt diuinæ iustitiæ satisfiat. 2. quia si ita nobis absque satisfactione peccata dimitterentur, facile fieret vt illa existimantes leuiora iniurij Spiritui sancto liberius peccaremus thesaurizantes nobis iram in die iræ, proculdubio enim magnopere à peccato reuocant & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, hinc Paul. 2. Cor. 7 *gaudeo quia contristati estis ad pœnitentiam, contristari enim secundum Deum quantam in vobis operatur sollicitudinem sed defensionem sed timorem sed vindictam?* 3. dum satisfaciendo patimur pro peccatis Christo Iesu qui pro peccatis nostris satisfecit ex quo omnis nostra sufficientia est conformes efficimur certissimam quoque inde arrham habentes quod si compatimur, & conglorificabimur.

S. Thom. 3. quæst. 86. art. 4. docet duo esse in peccato mortali, auersionem à summo bono Deo scilicet & conuersionem inordinatam ad bonum commutabile seu creaturam ex parte primi consequitur reatus pœnæ æternæ vt qui contra bonum æternum peccauit, in æternum puniatur, Ex parte secundi consequitur peccatum mortale reatus alicuius pœnæ quæ inordinatio cum fuerit finita habet ex hac parte quod pœna ei debita sit finita, quando ergo per gratiam auersio à Deo tollitur, reatus etiam pœnæ æternæ tollitur, potest tamen remanere reatus aliquis pœnæ temporalis.

Dices omnis reatus pœnæ fundatur in culpa, ergo cum culpa per contritionem remittatur, Ezechiel 18. *in quacumque hora ingemuerit peccator*, vel per sacramentum, *quorum remiseritis*. remittitur omnis pœna debita, alioquin Deus dimissa culpa recordatur contra promissionem suam de peccatis puniendis saltem pœna temporali.

Respondeo fundamentum reatus pœnæ æternæ esse culpam nondum deletam sed adhuc habitualiter perseuerantem, per quam homo remanet inimicus Dei & dignus pœna æterna, fundamentum reatus pœnæ temporalis esse culpam quæ præcessit & pro qua nondum est satisfactum, cum ergo recipiens sacramentum Pœnitentiæ aut eliciens actum contritionis post peccatum commissum non semper plenè satisfaciat pro peccato commisso dicendum est non semper remitti totum reatum pœnæ temporalis.

Respõdet S. Thom. cit. contritione vel sacraméto remoueri auersioné à Deo quæ est sicut formale peccati, gratiæ enim infusio tollit mentis auersionem consequenter & reatum pœnæ æternæ, remanere autem illud quod est materiale inordinatam scilicet conuersionem ad bonum creatum pro quo debetur reatus pœnæ temporalis. Non acquiesco huic responsioni, nec enim intelligo quomodo auferatur auersio à Deo, quin prius aut simul auferatur conuersio inordinata ad bonum commutabile, quæ vt plurimum est motiuum ad peccatum. Tum si gratia per Christum tollit maius seu formale peccati quomodo minus & quasi materiale non aufert, imò si æternæ pœnæ reatum tollit, à fortiori & minorem, quæ est ad pœnam temporalem.

Respondet Suarez disp. 10. sect. 3. num. 15. Deum ab æterno prædefiniuisse pœnas luendas pro diuersitate status peccati, ita vt pro mortali non deleto iniungatur pœna æterna, homo enim quamdiu remanet in peccato mortali est inimicus Dei, & indignus vita æterna consequenter ex Dei institutione debet æterna pœna puniri si permanserit in peccato. Pro peccato vero mortali commisso sed postea deleto Deus præfixit pœnam temporalem nisi pro illa plene satisfecerit peccator in hac vita deleto igitur peccato mortali per sacramentum aut alia ratione tollitur reatus pœnæ æternæ, quia

homo non est amplius inimicus Dei, non tamen tollitur reatus pœnæ temporalis nisi homo satisfecerit pro pœna peccatis debita, cuius mensura soli Deo est nota.

Mutari ergo dicitur pœna æterna in temporalem virtute contritionis aut sacramenti quia remittitur reatus æternæ & restat reatus pœnæ temporalis: ratione dimissionis æternæ Deus dicitur non amplius recordari peccatorum, ratione temporalis iustus dicit Micheæ 7. iram domini portabo quoniam peccauit ei.

Instabis, Christi Satisfactio infinita & copiosa redemptio fit nostra per applicationem Sacramenti, ergo nihil restat satisfaciendum ritè confesso, aut contrito. Maior est Pauli Rom. 3. *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius propter remissionem præcedentium delictorum.*

Respondet satisfactionem Christi esse superabundantem & de se omnem reatum tollere, at homo participat de ipsa secundum modum quo applicatur ei. In baptismo participat totaliter virtutem passionis Christi (vt pote per aquam & Spiritum Christo commortuus peccato & in eo regeneratus ad nouam vitam) In Pœnitentia verò consequitur virtutem passionis Christi secundum modum propriorum actuum qui sunt materia pœnitentiæ, sicut aqua est materia Baptismi. Et ideo non statim per primum actum pœnitentiæ quo remittitur culpa soluitur reatus totius pœnæ: Sed completis omnibus pœnitentiæ actibus vnde non excluduntur nostræ satisfactiones sed exiguntur, & si dignos fructus pœnitentiæ facimus hoc etiam habemus ex merito Christi, quare nihil habet homo vnde gloriari possit & redemptorem se dicat peccatorum suorum.

Propositionis membrum secundum *quod pia opera satisfaciant reatui pœnæ temporalis, seu iniuncta à Confessario seu assumpta voluntarie* patet ex se, ad hoc enim iniunguntur vide Casuistas, suficiat Canon 13. sess. 14. Trident.

Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter tolleratis vel à sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis vt ieiuniis, orationibus, eleemosynis atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum nouam vitam anathema sit.

QVÆRES *Quomodo se gerere debeat Confessarius in imponenda satisfactione.* Cum ex Mat. 18. quæcumque alligaueritis & solueritis, significetur claues datas Apostolis & iis quibus ipsi eas committunt sacerdotibus in eorum ordinatione, certum est Confessarium non modo posse sed etiam debere satisfactionem aliquam pœnitenti iniungere, sic soluunt à reatu pœnæ æternæ culpam dimittendo & ligant dum imponunt opus aliquod satisfactorium pro pœna temporali debita.

Porro contineri in potestate clauium vt sacerdos præscribat opera quædam laboriosa ac ideo ad ius diuinum non ad traditiones humanas pertinere testatur S. Leo in epistola 9. ad Theodorum *Mediator Dei & hominum Ecclesiæ tradidit potestatem vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent* Greg lib. 3. in 1. Reg. cap. 7. actio inquit *pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est cum sacerdotis fuerit iudicio imperata, cùm ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.*

Adhæc Concilia plures statuerunt Canones quibus certum tempus ad satisfaciendum præscribitur. Et quamuis opera laboriosa pœnitentibus olim ante absolutionem imponebantur & explebantur, tamen non fuisse id absolutè necessarium, sed potuisse etiam expleri post absolutionem vt hoc tempore fieri solet, ac per hoc satisfactiones illas non tam ad culpam quàm ad temporalem pœnam expiandam referri consueuisse perpetuum est ex Conciliis illis quæ in articulo mortis iubent pœnitentibus communionem dari etiamsi nulla aut non plena præcesserit satisfactio, sed tamen admoneri vt si fortè superuixerint iniunctam pœnitentiam expleant, Nicænum hoc exprimit can. 12. Chartag. 4. can. 76. Arausic. 1. can. 3. Moguntinum sub Rabano can. 26.

Tenetur Confessarius per se loquendo vt dicunt DD. iniungere pœnitentiam, ratio desumitur, tum ex cap. *Omnis vtriusque sexus* tum ex Trid. sess. 14. cap. 3 & 8. tum quia tenetur curare vt sacramentum sit integrum, satisfactio autem licet non sit de eius essentia est tamen de integritate tum cum sacerdos sit iudex debet seruare aliquo modo æqualitatem inter læsum & lædentem attenta qualitate & dispositione pœnitentis ideo communiter dicitur requiri in Confessario singularem prudentiam. Graues Theologi quos sequitur Gammach. censent posse salubriter imponi opera aliàs debita & præcepta v. g. audire missam singulis Dominicis &c.

Nota validum esse Sacramentum, in quo nulla est iniuncta pœnitentia, ratio est quia hæc respicit tantum solutionem pœnæ temporalis, forma autem seu absolutio respicit & absoluit culpam, ideo si pœnitens non adimpleat satisfactionem acceptam non reddit Sacramentum inutile, nam satisfactio est tantum pars integralis, vnde, sacerdos potest eam iniungere ante vel post absolutionem, nam Sacramentum est integrum sine satisfactione, quod si dicas esse de integritate consequenter debere inesse. Resp. quæ fiunt in continenti censeri inesse *cap. præterea de testibus cogendis.*

QVÆRES, *An Confessarius possit diminuere & mutare iniunctam satisfactionem à se vel alio superiore.*

Resp. affirmatiue, ita Suarez disp. 38. sect. 10. Vasq. Reginald. Corinch. estque communior sententia talisque est praxis, ratio est quia licet Confess. habeat potestatem à Deo imponendi satisfactionem, tamen ipsum sacerdotis præceptum est humanum. In præceptis autem humanis admittitur dispensatio. Talis est vsus, Tum Sacramentum institutum est ad bonum animarum, cui aliquando expedit ex rationabili causa commutare. Tamen non debet mutari nisi audita confessione priorum peccatorum, illa enim subiiciuntur iterum clauibus & possunt esse materia nouæ confessionis non per modum appellationis sed noui iudicij, ait Bonacina. Laymanus tamen censet tutam esse eorum sententiam qui etiam non audita causa impositionis dicunt mutari posse

posse. Sic enim docent Nauarrus, Viual. Toletus.

QVÆSTIO VII.

Quis sit legitimus Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

SOlus Sacerdos est Minister huius Sacramenti, vt constat ex Scriptura; potestas enim remittendi peccata Apostolis tantùm collata est Ioan. 20. *Accipite Spiritum-Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* Non solùm quatenus repræsentabant Episcopos, verum etiam quatenus vicem Sacerdotum sustinebant. Itaque sicut hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, dicta sunt Apostolis repræsentantibus Sacerdotes & tales per ea factis, ita hæc Ioan. 20. dicta sunt eis, vt Sacerdotes iam ordinati fuerant. Ita S. Th. Suarez, Valentia, sicque verba Ioan. 20. intellexerunt Ambros. libr. 1. de pœnit. capit. 2. Aug. lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 12. & S. Leo Epist. ad Theodorum.

Eadem quoque veritas tanquam fide credenda definita est in Conc. Constant. in Bulla Martini V. In Conc. Flor. in decret. Eugenij, & Trident. sess. 14. cap. 6. & 10.

DIces Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Respondent aliqui intelligendum hoc de Confessione facta extra Sacramentum coram laïcis & quibuslibet humiliationis gratia, ita Reginald. Sayrus, Coninch. Medina, Syluest. & alij.

Respondeo hoc intelligendum esse inter Sacerdotes; nam particula *alterutrum* refertur ad personas idoneas & sufficientes, sicut si dixisset Dominus medicamini alterutrum morbos, quibus laboratis, non obligasset Medicum adire omnem quem ipse curasset, sed eum tantùm qui simul Medicus esset.

Ordinis autem potestas non sufficit ad remissionem dandam peccatorum, sed præterea requiritur potestas iurisdictionis, quia quamuis Sacerdos vi ordinationis suæ accipiat immediatè à Christo potestatem remittendi peccata, non tamen accipit materiam, cui potestatem illam applicet, nec habet vi ordinationis suæ illos subditos, in quos iudicialem illam potestatem validè exerceat. Sic definitum est in Florent. Conc in quo dicitur Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ esse Sacerdotem habentem authoritatem absoluendi, ve ordinariam, vel ex commissione. Item in Trid. quod cap. 4. sess. 14. exprimit nullius momenti absolutionem eam esse debere, in quem ordinariam aut subdelegatam iurisdictionem Sacerdos non habet. Ratio est, quia Sacerdos constituitur Minister huius Sacramenti per potestatem clauium; hæc autem duplex est, Ordinis scilicet & Iurisdictionis: Clauis Ordinis consistit in caractere, qui in Ordinatione sacerdotali confertur, & hæc clauis non est sufficiens ad auferendum peccatum, & ad impendendam absolutionem, sed huic addi debet clauis iurisdictionis; nemo enim potest exercere actus iudiciales sine iurisdictione, sed non omnis Sacerdos habet iurisdictionem ordinariam, quæ competit illis qui ex officio sunt Pastores animarum. Neque habet delegatam quæ committitur & conceditur ab habente ordinariam.

In mortis articulo Sacerdos quilibet potest absoluere quemlibet, quia sic de iure declaratum est *cap. Ea noscitur de sententia excommunicationis.* Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. sic habet piè admodum custoditum fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibus peccatis & censuris absoluere possunt. Quod intelligendum est de Sacerdote etiam excommunicato, suspenso vel degradato. Per articulum verò mortis etiam illius probabile periculum communiter intelligunt Theologi, quale est eorum qui prælium aut periculosam nauigationem sunt inituri. Hoc solùm aduertendum est, quod licet peccata reseruata sint validè absoluta, ita vt pœnitens in huiusmodi casu absolutus non teneatur lapso eo periculo, iterum hæc reseruata confiteri, censuræ tamen elapso periculo obligant, vt præsentet se superiori, non vt iterum absoluatur, sed vt se ostendat absolutum & obedientem: quod si hoc neglexerit in easdem reincidit censuras. *Cap. eos qui de sent. excomm.* Propterea Sacerdos admonere debet pœnitentem, vt data opportunitate adeat superiorem.

QVÆSTIO VIII.

De forma Sacramenti, seu absolutione.

FOrma Sacramenti Pœnitentiæ præcisè & essentialiter consistit in his verbis *Absoluo te*, vel remitto, vel condono peccata, vel Sacramentum absolutionis impendo. Ratio est; quia in primis duobus verbis effectus Sacramenti plenè significatur, alia autem verba non inducunt mutationem substantialem, potest etiam dici absoluatur. Sic tenent Suarez, Vasquez, Ledesma; quia inquiunt Græci, dant Baptismum modo imperatiuo, *Baptizetur seruus Christi*, nec videtur substantialis mutatio, cum prædicta verba significent absolutionem, & consequenter illam efficiant: verba enim Sacramentorum efficiunt quod significant, non idem censendum est, si dicatur, absoluat te Deus; quia non remanet idem sensus in verbo deprecatiuo, & in verbo *absoluo* cùm per verbum *absoluo*, ostendatur id quod fit & per deprecatiuum ostendatur effectus & desiderium illius quod fieri optatur. Tum quia antiqua Ecclesiæ Traditione constat formam datam indicatiuo modo non vero deprecatiuo. Tum quia debet dari per modum iudicij, vt patet ex Trident.

Sensus formæ seu verborum *Absoluo te*, semper est verus, quia modo non sit obex ex parte pœnitentis, Sacerdos ministerialiter semper absoluit, licet Deus principaliter hoc faciat, sensus autem est absoluo, seu remitto peccata quantum in me est absolutionem sacramentalē impendēdo, quæ de se est sufficiens ad remittenda peccata, & ad gratiam conferendam, seu confero tibi verum Sacramentum, quod efficit ita absoluta esse peccata, vt alia non indigeant absolutione. Cum autem talis

ſenſus ſemper verificetur in tali adminiſtratione Sacramenti ſequitur ſenſum formæ ſemper verum eſſe & proprium, vt conſtat inductione.

Primò, cum acceditur cum ſola attritione, tunc pœnitens reipſa obtinet remiſſionem ex vi abſolutionis ſacramentalis, vt obſeruant Valent. diſp. 7. punct. 3 Zerola, Henriq. & alij.

Secundò, quando pœnitens accedit contritus aut cum peccatis aliàs ritè confeſſis, licet enim in tali caſu non obtineat remiſſionem cùm iam per contritionem remiſſa ſint aut per præcedentem confeſſionem, tamen recipit gratiam ſacramentalem, quæ ex ſe peccata remittit, perinde enim eſt dicere *abſoluo te*, ac dicere, confero tibi beneficium abſolutionis, quæ de ſe ſufficit ad peccata delenda. Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. de contritione loquens, dicit hanc quidem reconciliare Deo priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, tamen ipſam reconciliationem ipſi Contritioni non eſſe adſcribendam, ſed Sacramenti voto quod in illa includitur, vnde fit quod illa remiſſio ſit effectus abſolutionis in voto habitæ. Tum abſolutione ſacramentali aduenìente remittitur etiam pars pœnæ temporalis, vnde verè & realiter fit remiſſio quoad partem pœnæ. Tum quantum eſt ex parte Sacramenti verè fit remiſſio, quia ſententia abſolutionis verè & realiter datur: poteſt hoc autem multis exemplis declarari: ſicut enim ſi duo ore tenus inter ſe faciunt contractum, & poſt decem dies publico inſtrumento illum efficiant verè in actu inſtrumenti dicetur contractus factus, licet antea concluſus fuerit, quia tunc priuatim non publicè factus eſt. Sicut enim ſi debitor mercatori debitam pecuniam ſoluat, & poſt decem dies deleatur obligatio & fiat confeſſio per ſcripturam, Gallicè *canceller*, verè tunc liberatur à debito, licet antea ſoluerit illud. Ita de abſolutione dicendum eſt, tunc enim per contritionem peccatum remiſſum eſt, illa remiſſio, vt ſic dicam, quaſi priuata eſt & fuit facta ſub tali conditione, vt publica abſolutione confirmetur, vnde verè & realiter in abſolutione fit remiſſio peccati, quod ante per contritionem fuit deletum. Ideò Conc. ait hanc remiſſionem adſcribi contritioni per votum Confeſſionis incluſum in ea.

Tertiò, quando Pœnitens recipit Sacramentum informe, ſenſus verus eſt, quamuis enim tunc non recipiat remiſſionem, tamen recipit verum Sacramentum, quod de ſe eſt gratiæ cauſa efficax & conferet de facto ſublato obice.

Quartò, quando Pœnitens ratione obicis non recipit Sacramentum, adhuc verba verificantur; quia Sacerdos quantum eſt ex ſe abſoluit, ſicut iudex remittens debitum & ferens ſententiam vt reus exeat è carcere quantum eſt ex parte ſua dicitur verè & propriè remittere, & liberare, quamuis debitor ſeu reus ex propria culpa in vinculis detineri velit. Ita Nugnus, Suarez, diſp. 19. ſect. 2. Becanus dicit. Ego te abſoluo in hoc tribunali à Chriſto inſtituto.

Qui dicunt Ego te abſolutum declaro, non loquuntur conformiter ad Concil. Trid. quod decernit non eſſe hic nudum miniſterium declarandi peccata eſſe remiſſa, ſed eſſe actum iudicialem habentem efficaciam ad peccata ſoluenda, Chriſtus enim dixit. *Quorum remiſeritis remiſſa ſunt.*

QVÆRES, *Vtrùm Sacerdos poſſit vti his verbis validè*, Abſoluo te, *ad abſoluendum à peccatis, & ſimul à cenſuris.*

Reſpondet Bonacina affirmatiuè cum Nauarro, Soto, Auila, Couarruu. nam adhuc verificatur ſenſus formæ ſacramentalis, & ſufficienter indicatur relaxatio vinculi cenſuræ. Hoc tamen intelligitur modo Sacerdos iiſdem verbis intendat abſoluere à cenſuris & à peccatis, in quo caſu abſolutio à cenſuris cenſetur prior natura abſolutione à peccatis, & ſic debet intendere Sacerdos, nam excommunicatus, v. g. repellitur à ſuſceptione Sacramentorum. Ergo prius debet abſolui à cenſura, vt Sacramentum ſuſcipere valeat.

Dices, vna & eadem abſolutio non poteſt eſſe ſacramentalis & non ſacramentalis, ſed Abſolutio à peccatis eſt Sacramentum; à cenſura non ſacramentalis. Ergo eadem abſolutio non poteſt adhiberi ad peccata & cenſuras.

Reſpondet Bonacina negando vnam & eandem formam materialiter non poſſe eſſe ſacramentalem & non ſacramentalem habita ratione ad diuerſos effectus & fines à Sacerdote intentos, ſicut enim eadem oratio poteſt ad varios fines, & ad diuerſas ſignificationes adhiberi, *leg. 1. de off. prætoris*, ita etiam Sacerdos poteſt adhibere eandem formam abſolutionis ad ſignificandam & impendendam abſolutionem à peccatis & cenſuris, conſequenter vna & eadem forma materialiter ſumpta poteſt eſſe ſacramentalis, & non ſacramentalis, formaliter vero ſumpta non poteſt eſſe ſacramentalis & non ſacramentalis.

Nec dicas peccare Sacerdotem ſacrilegio, qui ad alium finem quam conficiendum Sacramentum vtitur forma Sacramenti, inferre enim videtur iniuriam Sacramento.

Reſpondet Bonacina, illum peccare qui eandem formam vſurpat ad res ſacras & profanas, quod hic non fit cum abſolutio à cenſura reſpiciat bonum animæ & honorem Dei.

Nota Confeſſarium teneri abſoluere pœnitentem habentem opinionem probabilem, cuius contrariam ſequitur ipſe. Ita Suarez diſput. 32 ſect. 2. Vaſquez, Henriq. Coninch. Sanchez Ratio eſt, quia ritè diſpoſito non poteſt denegare abſolutionem, ſed tenetur ex officio cum debita ſollicitudine ipſum ad Sacramenta ſuſcipienda promouere. Pœnitens autem qui ſtat à probabili non dicitur minus diſpoſitus, cum licitè & tutè ſequi poſſimus opinionem probabilem. Tum quia Pœnitens cogeretur coram alio repetere Confeſſionem, quod ſanè onerofum eſt. Reſtant plura dicenda quæ Caſuiſtæ elucidant. Hæc mihi ſatis.

ARTICVLVS

ARTICVLVS XIX.

De Sacramento Extremæ-vnctionis.

EXTREMÆ-VNCTIONIS nomine intelligit Ecclesia Catholica vnctionem Olei benedicti quæ infirmo in extremis posito confertur à Sacerdote, certis adiunctis precibus, vnde vocatur Sacramentum Vnctionis infirmorum, vel Sacramentum exeuntium. Breuiter expedio quæ de ipso sunt scienda.

QVÆSTIO PRIMA.

An vnctio hæc sit Sacramentum.

HÆretici permulti ritum Vnctionis infirmorum è numero Sacramentorum auferre conati sunt: olim Valdenses & Albigenses, & nunc etiam & Caluinistæ; Ecclesia autem Romana dogma Catholicum de assertione fecit, cuius quidem veritas, & simul erroris oppositi falsitas.

PROPOSITIO CATHOLICA.

VNctio infirmorum est verè & propriè Sacramentum noui Testamenti à Christo institutum & per Iacobum Apostolum promulgatum.

Probatur ex Scriptura Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini & oratio fidei saluabit infirmum & alleuiabit eum Dominus, etsi in peccatis sit remittentur ei*, quibus verbis exprimuntur omnia quæ ad Sacramenti rationem requiruntur; scilicet ritus aliquis externus, nempe olei vnctio, deinde promissio gratiæ illi adiuncta, quatenus per illum ritum peccata dicuntur remitti, ac demum institutio diuina; neque enim Apostolus adeò constanter & absolutè gratiam illam promitteret, nisi Christus Dominus hoc ita instituisset ac fieri præcepisset, vis enim remittendi peccata, seu collatio gratiæ non pendet ex voluntate aut potestate humana, vel Angelica, sed tantùm ex diuina. Geneua deprauauit super eum, quod sacramentalem sapit actionem & traduxit pro eo.

Multi tenent suffragari huic probationi, quod Marci 6. legitur. *Exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eyciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant.* At Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. dicit esse hic tantum insinuationem seu adumbrationem & figuram quandam non autem esse sacramentalem vnctionem, quod conuincit ratio, quando enim vngebant nondum erant Sacerdotes facti tales in vltima cœna, quamuis potuerit Christus etiam per non Sacerdotes Sacramenta conferre, vt fit in Baptismo ob necessitatem talis Sacramenti: tamen cum Apostoli quoslibet ægrotos, cæcos, claudos, &c. promiscuè vngerent etsi non baptizatos, infertur vnctionem illam non fuisse Sacramentum, quod præsupponit Baptismum, adde quod Sacramenta per se ac primariò pertinent ad salutem animæ, secundariò tantùm, & quasi per accidens ad sanitatem corporis; Vnctio autem ista conferebatur ad morborum curationem, *& sanabantur inuncti*; sicut autem cum Christus variè imponeret manus Matth. 19. & alibi non dicimus tunc instituisse Sacramentum Confirmationis, sed tantùm illud insinuasse, ita & hic agnoscitur quædam tantùm adumbratio.

Probatur ex Traditione, quia Ecclesia Catholica semper docuit & tenuit Apostolos Extremam-vnctionem tanquam Sacramentum fidelibus tradidisse, vt patet ex Concilio Cabilonensi in Gallia tempore Caroli magni celebrato; dicitur enim cap. 48. *Infirmos secundum Beati Iacobi documentum oleo quod ab Episcopo benedicitur debere à Presbyteris inungi.* Item ex Concilio Florentino & Tridentino cit.

Probatur ex Sanctis Patribus Innocentio I. qui anno 402. sedit Epistola prima ad Decentium cap. 8. expresè dicit hanc vnctionem esse Sacramentum à Iacobo explicatum, & ideò non dari iis qui non sunt capaces aliorum Sacramentorum.

Tertullianus in libro deprecatorio ad Scapulam Chartaginensium Præsidentem. *Refert Seuerum Imperatorem per Proculum Christianum oleo illinitum atque curatum.* Chrysost. libro 9. de Sacerdotio, vbi dicit Sacerdotes non modo cum nos regenerant, sed etiam cum infirmos oleo vngunt indulgere peccata, quod ex Iacobo confirmat Augustinus serm. 215. de tempore. *Quoties*, inquit, *aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat, oleúmque benedictum humiliter fidelibus Presbyteris petat, & inde corpusculum suum vngat, vt illud quod scriptum est impleatur in eo, infirmatur quis in vobis,*

vobis, &c. Hugo Victorinus libro 2. de Sacrament. part. 15. cap. 2. & 3. qui inter Sacramenta recenset hanc vnctionem, notátque Iacobum dici interdum institutorem non propriè, sed promulgatoriè, quomodo sæpè Moses dicitur legis author, cùm eam solùm promulgarit.

Probatur ratione ex diuina prouidentia desumpta; nam cum Dominus Sacramenta instituerit, quibus veluti diuinis subsidiis iuuaremur in ingressu Ecclesiæ, & in progressu, certè non defuerit, in egressu quando magis indiget homo ob fortiores dæmonis tentationes in articulo mortis, & imbecillitatem causatam ab ægritudine.

QVÆSTIO II.

De materia & forma, & effectu huius Sacramenti.

MAteria remota huius Sacramenti est oleum oliuæ benedictum ab Episcopo. Sic Florentinum & Tridentinum, nec esse de necessitate, quod sit benedictum asserit Victoria in summa de Sacramentis, quia Iacobus hoc non exprimit & confirmat, quia simili argumento colligimus materiam essentialem Baptismi esse simplicem aquam naturalem, quia Scriptura aquam simpliciter requirit, Act. 18. vers. 36. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* nec refert illud, *Vngentes in nomine Domini.* Quia non est sensus quod oleum debeat esse benedictum vel sanctificatum in nomine Domini, sed quod ipsa oratio debeat fieri in nomine Domini.

Concilia autem quæ benedictum exigunt, explicant consuetudinem Ecclesiæ Romanæ quæ seruanda est.

Reclamant huic sententiæ Sanctus Thomas Bonauentura, Bellarminus, Durandus, Isambert. & praxis. Si tamen benedictum non sufficeret, posset illi non benedictum admisceri in minori tamen quantitate, vt intelligitur ex cap. *Quod in dubiis*, extra de consecratione Ecclesiæ, potest & assumi vetus oleum, quod quotannis renouari debet, si nouum nondum receptum sit.

Materia proxima est vnctio, vt colligitur ex Iacobo, *vngentes*, hæc autem fit per modum Crucis, iuxta Rituale Romanum in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus, & renibus (quam tamen vltimam actionem in fœminis omittendam esse dicit, vel in pectore loco renum, vt in aliis Ritualibus habetur. Ad validitatem autem Sacramenti non requiritur, vt vnctio fiat in modum Crucis, nec etiam vt pedes, aut renes, aut pectus vngantur, nec vt fiat duplex vnctio in geminis partibus cuiusque sensus. Ita Suarez, & alij apud Layman, seruari tamen debet vsus. Ratio cur vnctio sit materia proxima Sacramenti est, quia omnia Sacramenta præter Eucharistiam consistunt in vsu. Ergo hoc Sacramentum non est essentialiter ipsum oleum benedictum, sed vnctio facta per oleum; sicut Baptismus non est aqua sed ablutio facta per aquam. Tum illud est essentialiter Sacramentum, quod est efficax signum gratiæ; vnctio autem talis est, quia oleum per se non confert gratiam, sed vnctio.

Vna vnctio sufficit ad essentiam Sacramenti, vt docet Becanus, quia nec ex Scriptura, nec ex vniuersali Traditione aliud colligi potest; nam ex rituali Ambrosiano & Veneto, vna tantum fit vnctio, & sicut in Baptismo sufficit vna immersio, licet tres fieri solerent. Et in Eucharistia vna species, ita hic sufficit vna vnctio. Licet Florentinum Concilium ponat septem, has non decernit vt necessariò requisitas, adde quod si quis oculos non habuisset, frustra inungerentur. Ordo in vnctione non exigitur, quia mutato eo adhuc completa manet significatio, nec vllum peccatum remittitur sine alio, cùm autem expedit vnam tantùm facere vnctionem, quinque possunt exprimi in forma sensus, scilicet, quicquid deliquisti per visum, auditum, &c. Ita Henriquez, Medina, Paludanus, & alij.

Forma, sunt hæc verba. *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, &c.* & similiter de aliis membris inungendis, Ambrosiana olim sic habebat. Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen aëreas possis superare potestates.

Ita refert Sanctus Bonauentura in 4. dist. 23. Veneta Ecclesia, quam Leo X. approbauit aliter erat: ex qua diuersitate colligitur nihil iure diuino esse determinatum. In hac autem forma non sunt numerandæ syllabæ, quasi singulæ sint de essentia, solùm enim sententia pertinet ad essentiam, quæ communiter deprecatoria statuitur cùm Iacobus disertè dicat, *Orent super eum.* Multi tamen negant quia allatæ formæ non tales sunt: tum ex illis verbis, *baptizantes.* Ecclesia colligit hanc formam. *Ego te baptizo.* Ergo similiter ex illo, *vngentes*, potest colligi hæc forma. *Ego te vngo*, nec minus vocabitur oratio; nam Leo Papa, & alij absolutionem sacramentalem vocant orationem Sacerdotis. Ergo licet indicatiuè dicatur *vngo*, saluabitur dictum Iacobi, *orent*; imò omnis forma sacramentalis à Sancto Augustino vocatur verbum fidei, seu oratio fidei, eo quod sola fide percipitur, vel quia in fide Ecclesiæ ministratur. Bellarminus specialem affert rationem cur forma debeat esse deprecatoria; quia hoc Sacramentum est complementum Sacramenti Pœnitentiæ, & quasi pœnitentia quædam infirmorum, qui non possunt facere opera pœnitentiæ, idcirco hoc interest inter hæc duo Sacramenta, quod in Sacramento Pœnitentiæ requiritur Confessio & Satisfactio, & proinde laboriosa opera ex parte suscipientis Sacramentum; vnde ibi est iustitia & misericordia. In hoc autem Sacramento est sola Dei misericordia, & ideò dicitur *Indulgeat tibi Deus.* Itaque ad significandum in hoc Sacramento esse remissionem ex sola misericordia vtimur prece, dic si velis duplicem esse effectum huius Sacramenti, alter est gratia seu sanitas mentis, & hæc quantum est ex parte Sacramenti semper confertur, alter est sanitas corporis, & hunc effectum Deus non obligauit se semper producere per

hoc

hoc Sacramentum, sed benignitate sola interdum illum efficit, & respectu huius forma non debet proferri absolutè, quia non absolutè producitur effectus, sed debet proferri per modum deprecationis, vt ostendatur quòd sanitas corporalis à Dei benignitate sit impetranda. Quod si dicas formam respicere delictorum veniam, & inde debere esse deprecatoriam.

Respondeo ex hac parte non conuincere, sed ex parte sanitatis, quæ vt plurimum ob peccata sensualia per diuersas ægritudines alteratur & corrumpitur.

Effectus præcipuus ob quem primario institutum est hoc Sacramentum est collatio auxilij specialis gratiæ ad vincendas tentationes in mortis occurrentes articulo, & abstersio reliquiarum peccatorum.

Tres istos exprimit effectus Beatus Iacobus incipiens à leuissimo seu à sanitate corporali ***Saluabit infirmum***, deinde addit de vno reliquiarum genere ***alleuiabit***, nam vt ait Sapiens capit.4. ***Venient in peccatorum suorum cogitationem timidi.*** Tertiò, addit de alio genere. Etsi in peccatis fuerit remittentur ei, Bellarminus reliquias peccatorum peccata quæ interdum manent post omnia alia Sacramenta, siue mortalia, siue venialia: potest enim fieri, vt quis post Confessionem & Communionem incidat in peccatum mortale & ignoret se eo peccato teneri, vnde illud non poterit expiare noua Confessione; potest etiam fieri, vt non ritè Confessionem & Communionem peregerit, & hoc ipsum ignoret. Istæ igitur sunt veræ reliquiæ, quæ hoc Sacramento tolluntur nisi quis obicem ponat.

Minister debet esse Sacerdos, vt patet ex Iacobo, *inducat Presbyteros*, quo nomine significatur in nouo Testamento Sacerdos, vt notat Chrysostomus libro 3. de Sacerdotio quæst.2. & alij quos citat Valentia, etsi vox Græca πρεσβύτερος ambigua sit & tam seniorem ætate quam dignitate significare possit.

Hinc sequitur inualidum esse hoc Sacramentum ministratum à Diacono, vel Subdiacono, licet hoc faceret de licentia Papæ, qui non dispensat in iis quæ sunt de iure diuino.

Susceptor debet esse *Christianus. In vobis*, ait Iacob, *infirmus* de vita periclitans, vt docent Doctores & Conc. quia cum hoc remedium sit extremum & vltimum non debetur adhiberi nisi in extrema necessitate cum non est locus agendi Pœnitentiam, vnde neque reis vltimo supplicio mox afficiendis neque prælium inituris, aut aliis ex violentia aliqua extrinseca morituris conferri non debet hoc Sacramentum. Adultus, & qui vsum rationis habuerit; infantes enim & qui perpetuo amentes non habent peccata, debétque præcessisse Confessio aut actus Contritionis.

Sacramentum hoc non est necessarium necessitate medij, nec præcepti, quod non extat, quia tempore interdicti Ecclesia permittit ministrari ea Sacramenta quæ sunt necessaria, non permittit istud, vt cap. quod in te de pœnit. & remiss. patet. Ritus conferendi habetur in suo Articulo.



ARTICVLVS XX.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

QVÆSTIO PRIMA.

An Ordo, seu Ordinatio sit Sacramentum.



OMEN Ordinis quod ex se latissimam habet significationem ab Ecclesia vsurpatum est, vt obseruat Catechismus Romanus, ad designandum Ecclesiasticæ Hierarchiæ statum, in qua reperiuntur varij Ministrorum, Superiorum & inferiorum gradus optimè dispositi ad ea perficienda, quæ cultum diuinum, præsertimque Dominici corporis sacrificium spectant: Tum ad significandum dignitatem eorum qui ad Ordines sunt promoti: nempe quod suprà populum sunt: sed singulariter ad significandum ritum illum sacrum quo quisque Ministrorum illorum solemni religione consecratur, ac diuino cultui & sacris Altaribus mancipatur: in quo posteriori sensu de illo quæritur an sit Sacramentum.

PROPOSITIO CATHOLICA.

ORdo est Sacramentum nouæ Legis à Christo institutum.

Probatur ex Scriptura quæ exprimit omnia quæ requiruntur ad Sacramentum propriè dictum, scilicet ritum, promissionem gratiæ, & mandatum, seu institutionem diuinam, ritus autem est impositio manuum.

Act. 6. vbi ordinantur Diaconi per manus impositionem. *Et elegerunt Stephanum virum plenum Spiritu-Sancto & Philippum & Prochorum, &c. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Act. 13. *Ministrantibus autem illis Domino & ieiunantibus dixit illis Spiritus-Sanctus: segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos: & orantes imponentésque eis manus dimiserunt illos.* Act. 14. Paulus & Barnabas, Istriæ, Iconiæ, Antiochiæ, *& cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros & orassent cum ieiunationibus commendauerunt eos Domino in quem crediderunt*, Græcè est χειροτονήσαντες, id est, cùm per manus impositionem creassent Presbyteros. 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterij*, & cap. 5. *Nemini citò manus imposueris.* Et 2. Timoth. 1. *Resuscita gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum*, quæ omnia loca intelliguntur ab Expositoribus de Ordinatione, vnde apud Græcos Ordinatio dicitur, χειροτονία manus impositio.

Promissio gratiæ exprimitur 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1.

Institutio & mandatum Dei colligitur ex Act. 13. *Segregate mihi Paulum, &c.* & Act. 20. *In quo vos Spiritus-Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, quasi dicat non populus. Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios autem Pastores & Doctores.*

Mandatum quidem seu institutio non legitur expressa per impositionem manus efficienda, sed euidenter ex suprà notatis colligitur; nam non potest vllus homo gratiam alligare certo signo, atqui secundùm Scripturas alligata est gratia manus impositioni in Ordinatione, vt ex illis patet 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. Vnde conuincitur Deum esse authorem & institutorem illius cæremoniæ. Adde quod non cogimur credere Christum contulisse Ordinationem Apostolis sine impositione manus, etsi enim hoc non sit scriptum, multa namque fecit Dominus quæ scripta non sunt, neque scriptum est contrarium.

Probatur ex Sanctis Patribus Leone 1. Epistola 81. ad Dioscorum Alexandrinum cap. 1. Ordinationem Sacramentum vocat & iubet à ieiunis dari & accipi, & Epistola 87. ad Episcopos Mauritaniæ postquam dixit Ordinem Sacerdotij, non-nisi benè probatis & exercitatis esse conferendum subiungit; *Quis dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur iniuriam?* Anastas. II. in Epistola ad Anastasium Imperatorem cap. 7. *Nullum de his quos baptizauit Acacius, vel quos Sacerdotes siue Leuitas secundùm Canones ordinauit vlla eos ex nomine Acacij portio læsionis attingit quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur.* Gregorius libro 4. libri Regum cap. 5. *Is qui promouetur benè foris vngitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* Ambrosius libro de dignitate Sacerdotij cap. 5. *Quis dat Episcopalem gratiam? Deus an homo? respondes sine dubio Deus: sed per hominem dat Deus: homo imponit manus. Deus largitur gratiam.* Augustinus libro 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. loquens de Baptismo & de Ordine. *Vtrumque Sacramentum est, & quadam consecratione homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur*, & paulò post loquens de schismaticis, qui priùs ordinati fuerant. *Non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat iniuria*, & rursus *explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti.*

Probatur ex Concilio Chalcedonensi 2. can. 2. quod damnat eos qui pecunias pro Ordinatione recipiunt; quia gratiam Dei vendere censentur

censentur, quæ nullo modo vendi debet nec potest Idem habet Bracatense 11. can. 3. & alia Florent. Græcis & Latinis probantibus ordinationem inter Sacramenta propriè dicta numerauit, sic & Trident. sess. 23 can. 3.

Probatur ratione, Deus cuius perfecta sunt opera Deuteron. 32. cum dat potestatem dat etiam ea quæ requiruntur ad legitimum & congruentem eius vsum. Id videmus in rebus naturalibus, quibus Deus non tantùm potentias operatiuas dedit, sed etiam certas qualitates & instrumenta quibus expeditè & rectè illis vtantur. In Ordinatione autem sacra datur homini potestas conficiendi & ministrandi Sacramenta, quæ certè à peccatore rectè exerceri non potest, dabit igitur Deus simul cum potestate hac etiam gratiam iustificantem & perficientem animam, vt rectè fungatur tanto ministerio. Præterea, si in Baptismo in quo datur potestas suscipiendi Eucharistiam, & alia Sacramenta, datur simul cum ea potestate gratia gratum faciens, quia sine ea non rectè percipiuntur cætera Sacramenta; cur in Ordine in quo datur potestas conferendi Sacramenta, non simul etiam dabitur gratia gratum faciens, cùm non minus peccatum sit homini indigno Sacramenta tradere quàm accipere. Quod si in Ordinatione datur gratia sanctificans certè Sacramentum erit verè ac propriè dictum, omnis enim cæremonia instituta ad sanctificandum Sacramentum est propriè dictum. Addo aliam. Propter quod vnumquodq; tale & illud magis, sed propter Ordinem homo fit dispensator Sacramentorum. Ergo Ordo habet magis rationem quod sit Sacramentum quàm alia Sacramenta, siquidem Sacramentum nihil aliud est quàm sanctificatio quædam homini exhibita cum aliquo signo visibili, vnde cum in susceptione Ordinis quædam consecratio ei detur per visibilia signa, constat Ordinem esse Sacramentum.

Dices. Ergo vnctio Regum erit Sacramentum.

Resp. Quod non, nam illa non ordinatur ad dispensationem Sacramentorum.

Definitio Ordinis vel ordinationis hæc assignatur *Sacramentum quo à ministro idoneo seu Episcopo traditur potestas ad conficiendum corpus & sanguinē Christi.* Hæc definitio accōmodari potest singulis ordinibus si aduertamus potestatem quæ per ordinem confertur ad Eucharistiam duplicem esse, immediatam & mediatam. Immediata est illa qua directè confici potest Eucharistia, & hæc confertur in ordine sacerdotali. Mediata est illa per quam exercetur aliquod ministerium quod dirigitur & ordinatur ad Eucharistiam tanquam ad finem, quod ministerium in singulis ordinibus reperitur secundum eorum diuersas functiones.

Nota dici à ministro idoneo conferri, scilicet ab Episcopo quantum ad Sacros ordines, quantum vero ad non sacros Abbates habentes ius mitræ & baculi benedicti ab Episcopis & Cardinales presbyteri non Episcopi conferunt primam tonsuram & quatuor Minores.

QVÆSTIO II.

Quot sint ordines quando instituti. Et an singuli sint Sacramenta.

Communiter recensentur septem, ordines Ostiarius, Lectoratus, Exorcista, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Scriptura facit mentionem apertam de Episcopo, qui includitur in Presbytero, & de Diacono, de aliis scitur, quia ab ipso Ecclesiæ initio dictorum ordinum nomina atque vniuscuiusque propria ministeria in vsu fuisse cognitum est. Quod constat ex variis Conciliis septem præfatos ordines enumerantibus, vt ex Conc. Romano sub Syluestro cap. 4. qui collegit intra Thermas Domitianas 184. Episcopos quibus Constantinus Imperator vehicula & annonas præstari præcepit. 142. presbyteri vrbis Romæ Diaconi seu Subdiaconi sex Acolyti eius consilio facti 45. Exorcistæ 22. Lectores 90. Notarij Ecclesiæ 14. qui gesta diuersorum Martyrum suscipientes ordinatè narrabant. Concil. Chartag. quartum cui interfuit S. Augustinus tradit capita singularia de modo quorumlibet ordinandorum, Conc. Florent in decretis Eugenij Trident. sess. 23. cap. 2. dicit ministerium sacerdotij Euangelici tam sanctum esse vt consentaneum fuerit quò digniùs & maiori cum veneratione exerceri posset vt in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diuersi essent ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deseruirent, ita distributi vt qui iam clericali tonsura insigniti essent per minores ad maiores ascenderent. Antiquius omnium testimonium facit ipsa Cornelij Papæ sedentis anno 251. ad Fabianum Episc. Antiochenum in qua totius Cleri Romani enumerationem faciens dicit. *In Ecclesia Catholica* (id est Romana) *Presbyteros esse 46. Diaconos septem, subdiaconos 7. Acolytos 42. Exorcistas lectores vna cum ostiariis quinquaginta duos.*

Sacramentum Ordinis fuit institutum in vltima cœna Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem*, quibus imperatiuis verbis actio communicandi & consecrandi præcipitur Apostolis: illud enim iubet facere quod Apostoli ipsum Christum videbant facere, ille autem non solùm consecrauit corpus suum, sed & distribuit, cum igitur actio illa quæ omnis creaturæ potentiam excedit, fieri non possit sine potestate diuinitus collata consequitur faciendi subinde potestatem & consecrandi & distribuendi illis fuisse concessam, maximè cùm actiones istæ non semel aut bis aut pro tempore Apostolorum, sed vsque ad finem sæculi vt Paul. 1. Cor. 11. exponit in Ecclesia exerceri debuissent: quod satis confirmat potestatem istam (sicut neque alias) non ad solos Apostolos pertinere, sed ad successores eorum vsque ad finem sæculi. Quod vero hæc successio per Dei voluntatem in Ecclesia sit introducta patet ex scriptura Act. 20. id Paulus indicat qui cum à presbyteris Ephesiorum discederet, eos sic affatur. *Attendite vobis & vniuerso gregi vestro in quo vos Spiritus, sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo.* Idem ad Titum. 1.

Huius rei gratia reliqui te Cretæ vt ea quæ desunt corrigas & constituas per ciuitates presbyteros sicut & ergo constitui tibi quibus verbis patet non solum Apostolos suis successoribus has potestates delegasse (nam & hunc à Paulo fuisse creatum Episcopum Ambros. affirmat,) sed & ordinatos ab eis rursus alios loco sui cum similibus prærogatiuis posse subrogare vnde August. versans illud *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, illustre de hac successione profert testimonium loquens cum Ecclesia *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi constituti Episcopi hodie enim Episcopi vnde nati sunt, ipsa Ecclesia Patres ipsos appellat, ipsa illos genuit ipsa illos instituit in sedibus Patrum, non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es: de prole tua tibi succreuit paternitas pro patribus tuis &c. cōstitues eos principes super terrā.* Et ratio ad hoc satis vrget nam cum Christus Deus non ignoraret Ecclesiam suam per omnes ætates propagandam & ad vtilitatem eius vt Paulus dicit *omnia propter vos siue Paulus siue Cephas siue Apollo omnia vestra sunt 1. cor. 3.* potestates has ordinasset & instituisset consequenter volebat cum ipsa iugi Ecclesiæ successione has continuò à Patribus in filios, à filiis in nepotes deriuari & continuo tenore decurrere, ex necessitate enim finis sumi debet necessitas eorum quæ sunt & ordinantur ad finem. Hinc Conc. Trid. sess. 22. statuit Canonem 2. *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes aut non ordinasse vt ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.*

Dices hinc colligi dumtaxat institutionem ordinis Sacerdotalis.

Respondet Valentia disp. 9. quæst. 1. p. 4. & cum eo Reginald. Henriquez & alij cæteros ordines inclusiuè institutos, nam iste continet alios eminenter quia ordinantur ad sacerdotalem ipsique inseruiunt.

Instat neotericus Apostata si Apostoli ordinati sunt & consecrati à Christo sacerdotes his verbis, ergo sacrilega est Ecclesia Romana quæ mutat formam in consecratione seu ordinatione sacerdotum, nam ait Franciscus Clouetus in cap. primo suæ à Capucinis defectionis, Episcopus qui præsumpsit me constituere sacrificulum corporis Christi hæc non protulit verba. Sacramenta autem solent à Deo institui propriis verbis vt in eorum vsu non erretur, quod perspicuum esse ex vsu Sacramentorum omnium veteris & nouæ legis notat Bellar. lib. 1. de Euchar. cap. 9. verba autem illa hoc facite nequaquam exprimunt institutionem Sacramenti, aut ordinationem sacerdotum qui sacrificare possint & debeant corpus Christi.

Respondeo Basilium mutatum in Basiliscum malitiosè dissimulare nullam hic interuenire essentialem mutationem formæ, quum Ecclesia potest Spiritu sancto docente explicare: supposita enim veritate de realitate sacrificij incruenti in Eucharistia, quam suo articulo digessimus, quid sibi volunt hæc Episcopi ordinantis verba? *Accipe potestatem offerendi sacrificium Dei, missasque celebrandi*, quam quæ important verba Christi ordinantis Apostolos *Hoc facite* Si enim in oblatione quam fecit Christus in cœna obtulit sacrificium quod vt notaui fundatur in hoc verbo *pro vobis* quando Deus iubet aliquid, supponitur dare potentiam ad id & authoritatem hanc autem traditio Apostolica per verba Episcopi clarè & patenter exprimit, nec immerito nam ordinationem suscipientes non possent spiritu Apostolico nec ad eos sermonem quem Christus habuit ad Apostolos fecit Episcopus, Apostolis ergo plenè intelligentibus mysterium sufficit dicere *Hoc facite*, ordinandis autem illud est ad mentem Christi quam nouit Ecclesia exponendum.

Omnes ordines esse Sacramenta est Propositio Theologica communis quidem, sed non de fide nam Caiet. tomo 1. opusc. tract. 11. durand. in 4. dist. 24. quæst. 2. asserunt solum sacerdotium esse Sacramentum excludentes ab illius qualitate Diaconatum ipsum quia leguntur Diaconi instituti ab Apostolis cap. 6. idque eo fine vt pauperum curam gererent, vnde inferunt illorum ordinationem non esse Sacramentum, cum ex Christi institutione non sit. Alij cum Nauarro in manuali cap. 29. Soto in 4. disp. 24. Vasq. disp. 237. existimant tres ordines maiores esse Sacramenta, minores verò esse Sacramentalia, hosque dicunt vocari Sacros ad distinctionem minorum, certè si res pensanda est ex scriptura, hanc meminisse tantum Episcopi, Presbyteri & Diaconi comperimus, quare non stare videtur opinio Durandi & assectarum negantis Diaconi ordinationem esse Sacramentum, nam in canonibus Apostolorum passim agitur de Diaconis, quos etsi ordinatos ab Apostolis legimus, ordinem tamen eorum à Christo Domino institutum in vltima cœna rationabiliter docet Isambertus disput. 2. de ordine art. 7. idque ex can. 6. sess. 23. Conc. Trident. apertè resultat. *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hyerarchiam diuina ordinatione institutam quæ constat ex Episcopis Presbyteris & ministris anathema sit* vbi per ministros saltem diaconos intelligit quorum proinde ordinem diuinitùs institutum esse declarat, tum etiam ex ritu quem seruat Episcopus diaconos ordinans cum singulis eorum imponens manus dicit *Accipe Spiritum sanctum*, quibus verbis se gratiam illis conferre declarat. Nec premit imposita ab Apostolis cura pauperum, id quidem fuit vnum ex illorum officiis non verò primarium & præcipuum; quod est sacerdoti celebranti proximè ministrare, in ipso missæ sacrificio, Euangelium publicè legere, item ex commissione superiorum Baptismi Sacramentum conferre, verbumque diuinum fidelibus prædicare.

De Subdiacono tacet omnino scriptura, & S. Dionys. nullam de eo facit mentionem cum sacros ordines recenset, sed tantùm commemorat tres principales. Nec vt notat Petesius Auila habetur traditio Apostolica de illo, & ministerium eius valde remotè subseruit diuinæ Eucharistiæ, & id muneris quod circa altare habet à S. Fabiano Papa videtur illi concessum, ipse enim sedens anno 240 videtur applicuisse ad diuinum officium nouum istum subdiaconi ordinem seu officium perpetuum, sicut & introduxit septem notarios qui gesta martyrum scriberent vnde Protonotarij

notarij hodierni procedunt Apostolicis priuilegiis aliquot insigniti. Nec olim sacer habebatur subdiaconatus nec impositionem manuum recipiebat vt videre est in can. 5. Concilij Chartag. 4. Adde quod iste gradus conferri potest à Chorepiscopis qui plane Episcopi non sunt sed presbyteri, quibus minimè conceditur presbyterorum & diaconorum ordinatio, prout constat ex can. 10. Concilij Antiocheni. *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur quamuis manus impositionem Episcoporum perceperint, tamen sanctæ synodo placuit vt modum proprium recognoscant, vt gubernent sibi subiectas Ecclesias earumque moderamine contenti sint, ordinent etiam lectores & subdiacones atque exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant nec presbyterum aut diaconum audeant ordinare præter ciuitatis Episcopum, cui ipse cum possessione sua subiectus est.* Ancyranum Conc. can. 13. sic legitur. *Vicariis Episcoporum (quos Græci chorepiscopos vocant) non licere vel presbyteros vel diaconos ordinare.*

Nec licebat olim subdiacono tangere sacra vasa vt patet ex cap. 21. Conc. Laodiceni habiti anno. 364. idque sumptum dicitur ex decretis Syluestri, imò nec introire in sacristiam. *Non licet subdiaconis in sacrarium introire & contingere vasa Dominica.* Nec ex ordine isto poterat eligi Episcopus, sed tantum ex sacerdotibus & Diacon.

Sacer factus est à Pontificibus vt apertè testantur Innocent. 3. *cap. A multis de ætate & qualitate præficiendorum* & cap. *miramur extra de seruis non ordinandis.* Vrbanus II. cap. *nullus* dist. 20. vnde magister in 4. dist. 24. dicit subdiaconatum & minores ordines ab Ecclesia introductos cùm Apostolorum tempore non fuissent.

S. Cornelius Papa immediatè post Fabianum, mentionem facit septem subdiaconorum Romæ vt videre est apud Eusebium referentem eius ad Fabianum Antiochenum epistolam.

Quòd concessum fuerit postea subdiaconis sacra vasa tangere vt patet ex can. non liceat dist. 23. quod ex iis assumpti sint Episcopi, nescio quomodo ordinem imprimentem caracterem & sacramentum esse asserere valeamus, cum vtriusque institutio à Christo emanare debeat, forte sacer recensetur quia votum continentiæ annexum ei fuit, vnde ipse, & superiores ordines impediunt matrimonium contrahendum, & contractum dirimunt. Nec valet communis instantia ex parte Conc. Florent. & Trident. quasi declaretur ab eis Sacramentum singulare. Trid. sess. 23. cap. 2. sic habet. *Subdiaconatus ad maiores ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur* at quis nescit ordinem sacrum & Sacramentum differre, maior quidem rectè nuncupatur subdiaconatus, quia proximè subsequitur diaconatum & ministrat altari, quia contingit & refert vasa sacra, quia votum continentiæ habet, quia statui laico totaliter renuntiat & ad recitationem officij diuini obligat & Deo specialiter mancipatur. Posset ergo in ista sententia Subdiaconatus dici officium sacrum perpetuum in persona non ex caractere, sed ex quadam consecratione & quia est officium legitimè introductū à vicario Christi.

Communis tamen doctrina facit hunc ordinem maiorem & Sacramentum, nec non & ipsos quatuor minores.

Dices inde exurgere in Ecclesia quatuordecim Sacramenta.

Respondeo septem ordines censeri vnum Sacramentum genere continente diuersas sub se species, vel quia ad vnum finem sacerdotium scilicet, respectum habent.

QVÆSTIO III.

An Episcopatus sit ordo.

Multi Theologi veteres & moderni negatiua stant ex parte. S. Thom. in supplem. q. 40. art. 5. Nugnus, Philiarch. Reginald. Bonacin. Dominicus Soto.

Propositio communis, *Episcopatus est ordo & Sacramentum propriè dictum*, ita plures DD. Altisiodorensis 4. parte summæ Theolog. Ioannes Maior. Durand. Scotus, Bellarm. cap. 5. de Ord. & Canonistæ in cap. *cleros* dist. 21. & cap. *perlectis* dist. 25. hancque sententiam ita certam dicit Isambert. cit. vt contrariam quasi erroneam habeat. Probatur ex scripturæ locis quæ probant ordinem esse Sacramentum vt 1. Timot. 4. 2. Timot. 1. in his enim solis locis disertè ponitur symbolum externum cum promissione gratiæ. In his autem agitur de ordinatione Timothei, qui Episcopus fuit à Paulo creatus vt docent interpretes, pari ratione Act. 13. agitur de ordinatione Episcopali Pauli & Barnabæ, quare si Episcopalis ordinatio non est Sacramentum non possumus ex scripturis apertè probare ordinationem esse Sacramentum.

Probatur ex SS. Patribus, Epiphan. in compendiaria doctrina contra Aëtium hæreticum agente. *Dicere Episcopum & presbyterum æquales esse, quomodo erit possibile. Episcoporum enim Ordo Patrum generator est, Patres enim generat Ecclesiæ, presbyter verò non potest Patres generare*, & respondens ad quandam Aëtij obiectionem fundatam in eo quod indiscriminatim in epistolis Pauli nomen Episcopi vel presbyteri assumitur quasi vnum sint, dicit quod non omnia statim Apostoli potuerunt constituere, nec erat eis ministrorum copia, qui pontificatus munia obire possent: idcirco vbi tales non reperiebantur presbyteri, interea sufficiebantur qui in multis exercebant Episcoporum officia. Paulus vero quando scribebat Ecclesiis vbi erant Episcopi, nominabat Episcopos vbi autē erāt solùm Presbyteri scribebat ad Presbyteros. Anacletus Papa & martyr in 3. sua Epist. *Sacerdotum ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum instituit à nullo debet turbari. Episcopi locum tenent Apostolorum Presbyteri autem LXX discipulorum.* Post vero dicit Quod *Episcoporum vnus est ordo*, quanquam inter eos sit aliqua graduum differentia, vt puta Primates & Archiepiscopi, quorum constitutio & diuisio mera Apostolica traditio est & non diuina. Canon. 42. Apostolorum sex ordinum gradus numerat sub hac forma, Episcopus, Presbyter Diaconus aleator aut ebriosus

 deponitur:

deponitor: subdiaconus autem, cantor aut lector similia faciens vel definitor vel à communione seiungitor.

Dionys. lib. 5. Eccl. hyer. *Diuina lex inquit pontificalium ordinationum sanctimoniam sacramque altaris consecrationem, reuerendissimorum Pontificum, officiis atque virtutibus, æterna sorte distribuit.* Et hæc ratio est quare in decretis, aliquorum sanctorum Patrum Confirmatio, & Ordinatio sacerdotis irrita esse & vana si ab alio quam Episcopo attentetur, dicitur, vnde constat, euidenter aliquam esse in Episcopo facultatem, & potestatem, quæ hæc efficere potest quæ non est in sacerdote simplici, Conc. Tridentin. sess. 23 cap. 4. loqnens de charactere, indelebili, qui in ordinis Sacramento, sicut & in Baptismo, & Confirmatione imprimitur, statim dicit ad Hyerarchicum ordinem præcipuè pertinere Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, & positos esse sicut ait Apostolus à Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Hæc vltima verba si non exprimunt saltem innuunt diuersitatem Ordinis & Sacramenti, consequenter inter Episcopalem & sacerdotalem.

Probatur ratione. In Ecclesia non est aliqua spiritualis potestas nisi Ordinis vel iurisdictionis, sed ea quæ pertinent ad Episcopalem potestatem non sunt iurisdictionis, aliàs possent committi non Episcopo, quod falsum est: ergo sunt potestatis ordinis. Ergo Episcopus habet aliquem ordinem quem non habet simplex sacerdos. Ergo Episcopatus est ordo.

Præterea, Episcopalis ordinatio est cæremonia imprimens characterem spiritualem, & conferens gratiam. Ergo est verissimum Sacramentum. Probatur Antec. ac primùm de charactere, ex eo quòd Episcopalis ordinatio non potest repeti. Et præterea Episcopus potest duo Sacramenta conferre, nimirum Confirmationem & ordines sacros, quæ non possunt vlli alij ordines inferiores conferre, & si tentent id facere nihil prorsus efficiunt, Ergo habet Episcopus, ex sua ordinatione spiritualem potestatem, & proinde nouum characterem. Contrarium sentientes dicent non esse opus nouo charactere, sed satis esse si presbyteralis extendatur; Sed aut volunt, reipsa extendi characterem illum, aut solùm significatione, quòd videlicet, in Episcopo, signum sit plurium potestatum, in presbytero, pauciorum. Si dixerint primum, eandem vim habebit argumentum, nam eadem efficacia, requiritur ad characterem reipsa extendendum, & ad imprimendum nouum, proinde cæremonia, quæ habet effectum istum spiritualem, & supernaturalem, id est realem extensionem characteris, sine dubio Sacramentum erit. Si dixerint secundum, facilè reuincentur. Nam licet character non agat reipsa, sed sit solùm pacti Dei signum cum homine de concursu diuino in illis actionibus Sacramentalibus, tamen hoc signum reale est, & ideo sicut vbi est spiritualis potestas, colligitur realem esse in anima characterem; ita quoque vbi est additio nouæ potestatis, oportet consurgere realem additionem characteris, seu nouum characterem, quod est probabilius. Denique magis distant inter se potestas confirmandi & consecrandi Eucharistiam, quàm potestas legendi Euangelium, & Epistolam in sacrificio, sed propter ista ponuntur ab aduersariis distincti characteres, in diacono & subdiacono, nec dicunt extendi, cur igitur, nolunt esse duos in presbytero, & Episcopo?

Iam quod Episcopalis consecratio, conferat gratiam, probatur euidenter, nam ideo probant Theologi, in ordinatione presbyterali, dari gratiam, quia debet presbyter, quædam Sacramenta ministrare, quæ sine gratia non digne ministrantur. Episcopus autem debet quædam etiam Sacramenta ministrare Confirmationis & Ordinis, quæ sine gratia non digne ministrantur.

Hoc conuincit ritus consecrationis Episcopi in qua maior solemnitas adhibetur, quam in aliis ordinationibus, ibi tres assistere debent Episcopi, qui manus imponant, ibi est vnctio, ibi plura alia quæ non adhiberentur si nullum esset ibi Sacramentum.

Adde quod si Episcopatus sit Sacramentum à presbyteratu distinctum, facile erit tueri Episcopum, iure diuino maiorem esse presbytero, tam ordine quam iurisdictione, quod negant hæretici, alioquin ægrè defenditur.

Dices, ergo plures sunt ordines quam septem communiter recepti.

Respondeo, Episcopatum, esse vnum ordinem cum presbyteratu, genere non specie; ordines enim sumuntur ab habitudine quam habent ad Eucharistiam, & quia summa circa eam est potestas conficiendi ipsam, ideo primus Ordo est Sacerdotalis nec suprà ipsum maior vel superior fingi potest, quia tamen hanc potestatem, variè participant presbyteri, & Episcopi, inde sunt duæ species sacerdotum. Presbyteri, in consecranda Eucharistia saltem quo ad vsum pendent ab Episcopis, qui possunt eis interdicere ne consecrent, vel suspendere ad tempus vel præcipere, vt tali loco, tali modo, tali tempore celebrent. Et præterea presbyteri, non ita habent hanc potestatem vt eam aliis communicare possint: Episcopi autem habent & communicare possunt eam.

Instabis falsum id esse, nam Episcopus non habet ex sua consecratione vt possit Eucharistiam consecrare, sed solum vt possit confirmare & ordinare, non ergo conuenit cum presbyteratu, sed est res diuersissima.

Respondeo, Episcopatum, includere in sua ratione & essentia sacerdotium, loquendo de potestate ordinis, de qua sola hic loquimur, Non enim potest intelligi Episcopus, qui non sit sacerdos, cum nihil sit aliud Episcopus nisi summus sacerdos, seu vertex & summitas sacerdotalis, sicut Papatus includit intrinsece Episcopatum, licet multa superaddat. Hinc autem sequitur vt Episcopalis ordinatio, integra consurgat ex duplici ordinatione, & character, Episcopalis, integer & perfectus, non sit vna simplex qualitas, sed quid compositum, ex duplici charactere, proinde etiam duo Sacramenta, requiruntur ad Episcopum constituendum. Itaque ad Argumentum Respondeo, Episcopum,

pum ex sua vltima Ordinatione non habere vt possit consecrare Eucharistiam, tamen id habere ex alia præcedente quæ est de essentia Episcopatus. Sicut homo non habet ex sua differentia specifica, vt sit sensibilis, tamen id habet ex genere suo, proinde ex natura sua, quæ ex genere & differentia constat.

Quæres, *An caracter Episcopalis sit maior Sacerdotali?*

Respondeo, Episcopalem integrum, quia Sacerdotalem includit & superaddit vnum maiorem esse; si præcisè Sacerdotalis comparetur cum Episcopali, Sacerdotalis est maior; qui a nihil maius est potestate consecrandi Eucharistiam, Sacerdotalis itaque maior est intensiuè, Episcopalis maior extensiuè.

Nota ex Niise, quod absolutè loquendo sunt octo Ordines, dicuntur tamen septem, quatenus Ordo est relatiuus ad Eucharistiam. Primus gradus disponens ad consecrationem est Sacerdotium. Secundus, disponens ad dispensationem eius saltem sanguinis est Diaconatus. Tertius, disponens ad oblationem materiæ consecrandæ est Subdiaconatus, & isti tres dicuntur Ordines sacri, quia immediatè disponunt ad aliquod ministerium circa Eucharistiam. Præterea aliqui gradus disponunt ad actus aliquos remotè se habentes ad Eucharistiam, & hoc diuersimodè. Vno modo ad orandum pro populo & reuerenter suscipiendum, & iste est Acolytatus illuminando cereos. Alia est dispositio pertinens ad intellectum sicut est cognitio, & hic est Lector. Aliqui gradus sunt ad reprimendum indignos, & hoc, vel homines, sic sunt Ostiarij, vel Dæmones, sic sunt Exorcistæ.

Quæstio IV.

De materia & forma Ordinum.

Materia remota Sacramenti Ordinis in generali est res illa quæ ab Episcopo traditur, qui Ordinem aliquem suscipit: Proxima vero est Traditio illius. Patet ex dictis de Sacramentis in genere. Ratio est, quia illa est materia Sacramenti per quam illud conficitur. Sacramentum autem Ordinis conficitur vti signum sensibile re & traditione rei.

Res quæ traditur dicitur materia remota, quia circa illam versatur materia proxima, id est Traditio quæ versatur circa remotam.

Forma consistit in illis verbis quæ ab Episcopo proferuntur modo imperatiuo cum expressione potestatis quæ confertur. Ita Doctores, & constat ex Concilio Chartaginensi 4. & Florentino.

Hinc dicendum est Ostiarij traditionem clauium esse materiam, Lectoris traditionem Codicis, de quo ordinandi legere debent: Exorcistæ traditionem libri exorcismorum: Acolythi traditionem ceroferarij & vrceoli vacui. Formam esse verba cuique materiæ correspondentia, quæ ab Episcopo dum eiusmodi instrumenta ordinandis tradit proferuntur.

Subdiaconatus autem, Diaconatus & Presbyteratus duplex est materia & duplex forma. Prior Subdiaconatus materia proxima est traditio calicis vacui cum patena vacua, cui partialis hæc forma respondet. *Videte cuius ministerium vobis traditur:* posterior eiusdem materiæ partialis est traditio libri Epistolarum, cui respondet hæc altera partialis forma: *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Dei, tam pro viuis quàm pro defunctis.* Similiter prior partialis materia Diaconatus est manuum Episcopi impositio, quæ fit super ordinandum, forma ei correspondens sunt hæc verba: *Accipe Spiritum-Sanctum, ac robur ad resistendum diabolo & tentationibus eius in nomine Domini.* Posterior partialis materia est traditio libri Euangeliorum: forma ei respondens. *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis quam pro defunctis in nomine Domini.* Denique prior partialis materia Presbyteratus est traditio Calicis cum vino & patenæ cum pane superposito: forma correspondens sunt hæc verba. *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Dei, Missásque celebrandi, tam pro viuis quàm pro defunctis in nomine Domini.* Posterior materia partialis eiusdem est impositio manuum Episcopi super ordinandum, partialis item forma ei respondens, sunt hæc verba. *Quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt.*

Porrò Episcopatus triplex materia, nec-non & forma partialis dicitur, prima materia est impositio manuum à tribus Episcopis facta super caput illius qui ordinatur: forma ei correspondens sunt hæc verba ab illis tribus prolata. *Accipe Spiritum-Sanctum.* Secunda materia partialis est vnctio verticis & totius coronæ, forma ei respondens. *Vngatur & consecretur caput tuum cælesti benedictione in ordine Pontificali in nomine Patris & filij & spiritus-Sancti.* Tertia denique partialis materia est traditio Baculi pastoralis, annuli & libri Euangeliorum: forma ei respondens. *Accipe Euangelium & vade, prædica populo tibi commisso.*

Hæc doctina circa materiam & formam Ordinum desumpta est ex traditione Patrum, ex Concilio Chartaginensi 4. & Florentino, pro cuius confirmatione non requiritur alia probatio quàm ipsius Ecclesiæ authoritas. Ad soluendas autem plures difficultates, quæ circa materias illas & formas possent occurrere.

Nota credibile esse quod dicit Bellarminus in fine capitis noni libri de Ordine, Christum instituisse ante Ascensionem omnes istas materias Ordinum, non quidem in particulari, sed generatim monendo Apostolos vt Ordines conferrent per cæremonias instrumentorum, quibus significaretur eorum potestas, & verbis conceptis eandem illam potestatis traditionem exprimerent, interim donec collecta & pacifica esset Ecclesia, ordinarent ipsi per manus impositionem. Quare in principio tota solemnitas consistere notatur in illa, vnde Iacobus qui iustus dicebatur & Domini frater nuncupatus est. Hierosolymæ I. Episcopus à Petro, Iacobo & Ioanne Apostolis ordinatus est cum impositione manuum, & subinde Paulus & Barnabas Episcopi facti sunt per impositionem manuum: licet enim Deus ipse interna vocatione &

ne & vnctione Paulum & Barnabam designasset Apostolos, voluit tamen vt hoc signo sensibili innotesceret Ecclesiæ, quod in ipsis Apostolis Christus ipse fecerat in die Ascensionis: scribit enim Augustinus in libro de quæstione veteris & noui Testamenti, quòd priusquam Christus in cælos ascenderet imponens manum Apostolis ordinauit eos Episcopos, cuius exemplo Iacobum postea tres præfati crearunt Episcopum, adiuncto sacro vnctionis ritu, vt exprimit Sanctus Dionysius libro 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ.

Porrò Doctores censent ordinandum debere tangere materiam ab Episcopo ei porrectam.

QVÆSTIO VI.

De Ministro legitimo Ordinis.

QVæ attuli quæst. 7. de Sacramentis in genere probant omnino eum solùm qui ab Ecclesia deputatus est, id est Episcopum esse Ministrum Sacramenti Ordinis, vnde 1. Cor. 4. Paulus ait. *Sic nos existimet homo vt Ministros & dispensatores Mysteriorum Dei* Idque constat ex Florentino in decretis Eugenij. *Ordinarius minister huius Sacramenti est Episcopus*, & Trident. sess. 23. cap. 4. nec-non ex continua Ecclesiæ praxi; hanc enim potestatem Episcopus accipit in sua ordinatione, nec illam amittit per censuras cum fundetur in charactere Episcopali, quem esse indelebilem certum est, vnde quando Episcopus lapsus in hæresim exteriùs propalatam reconciliatur, non reconsecratur. Hinc sequitur Episcopos hæreticos priuatos interdictos adhuc retinere caracterem & potestatem conferendi Ordines, quamuis eam illicitè exerceant in censura suspensionis & Ordinatus ab excommunicato denuntiato incurrat suspensionem, & gratiam non accipiat, ait Sanctus Thomas quæst. 38. art. 2. Non propter inefficaciam Sacramenti, sed propter peccatum recipientis contra prohibitionem Ecclesiæ. Validè itaque confert Ordines Episcopus degradatus, dummodo materiam & formam legitimam, cum debita intentione adhibeat.

DIces, præcisus ab Ecclesia non potest absoluere vel ligare. Ergo nec Ordines conferre.

Respondeo, quod Hæretici, Schismatici, degradati habent quidem potestatem clauium quantum ad essentiam, sed vsus impeditur in eis ex defectu materiæ, quia Ecclesia eos tali vsu priuat subtrahendo illis subditos, cum enim vsus clauium requirat in vtente prælationem respectu eius, in quem vtitur; propria materia in quam exercetur vsus clauium est homo subditus; & quia per ordinationem Ecclesiæ vnus subditur alteri, ideò etiam per Ecclesiæ Prælatos potest subtrahi ille qui erat ei subiectus, vnde cum Ecclesia hæreticos aliósque huiusmodi priuet subtrahendo subditos, vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc quo priuati sunt non possunt habere vsum clauium.

Instabis, inde sequi Pœnitentem non posse in articulo mortis absolui à quocumque Sacerdote.

Respondeo, in hoc casu Ecclesiam acceptare hunc vsum clauium ob necessitatem, & dare cuilibet Sacerdoti etiam degradato vsum iurisdictionis, non tantùm in quoduis peccatum, sed & in quamlibet censuram.

QVÆRES, *An ex dispensatione Papæ Sacerdos possit conferre Ordines?*

Resp. constare ex praxi Cardinales Presbyteros, nec-non & Abbates, qui ius habent Mitræ & baculi, conferre Tonsuram & quatuor minores suis subditis regularibus. Innocentius autem VIII. anno 1488. concessit Abbatibus Cistercij, vt quibuscumque Monachis sui Ordinis Subdiaconatum & Diaconatum conferrent.

De Presbyteratu, cum nullum extet simile priuilegij exemplum, nec vlli simplici Sacerdoti, quamuis Cardinali id vnquam Papa concesserit, meritò infertur eiusmodi facultatem soli Episcopo competere, nec delegari posse.

Quod autem spectat ad Episcopum, quamuis iure communi tres Episcopi ad ordinandum Episcopum requirantur; potest tamen Papa dispensare, vt vnus alium ordinet, quod Sanctus Gregorius Papa concessit Augustino Episcopo quem misit in Angliam, donec plures essent, qui cum illo Episcopalem ordinationem facerent.

QVÆSTIO VI.

De legitimo Susceptore Ordinum.

IVre diuino omnis & solus masculus baptizatus est capax Ordinis, licet sit infans carens vsu rationis, aut hæreticus.

De masculo solo probatur ex Scriptura 1. Timoth. 2. *Mulierem in Ecclesia docere non permitto, nec dominari in virum*; qui vero ad Ordines promouentur accipiunt præeminentiam & potestatem in alios, & cap. *Noua quædam*, de pœnitentia & remissione: dicitur mulierem sacræ Ordinationis esse adeò incapacem, vt nequidem Sanctissimæ Virgini Deiparæ (quæ tamen vniuersis Apostolis longè dignior & eminentior fuit) claues regni cælorum traditæ fuerint.

Assertio est de fide contra Collyridianos & Cataphrygas hæreticos, qui mulieres sacris Ordinibus initiabant, vt testatur Sanctus Epiphanius hæresi 79.

Probatur ratione, quia ab institutione Dei mulier est in statu subiectionis; quare significatio Sacramenti Ordinis non potest in ea repræsentari; ergo incapax est illius, addit Sanctus Thomas, quæst. 39. in ordinandis præexigi coronam, quamuis non de necessitate Sacramenti, hæc autem vel tonsura non competit mulieri. & 1. Corinth. 11. *Turpe est mulieri tonderi aut decaluari; velet ergo caput suum.* Ergo nec Ordinum susceptio.

DIces, Ordinum potestas & caracter fundatur in anima, sed sexus non est in anima. Ergo diuersitas sexus non facit distinctionem in receptione Ordinum, quòd si Ordo dicit

dicit prælationem, Abbatia hanc etiam habet, quæ tamen conceditur mulieri.

Respondeo, Christum sic instituisse, & significationem exigi in persona visibili, licet ergo quandoque melior inueniatur fœmina viro, ideóque prophetiam aliáque dona recipiat, est tamen incapax Sacramenti Ordinis. Prælationem vero Abbatissæ habent non ordinariam, sed quasi ex commissione, ait Sanctus Thomas, propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres.

DIces, ex antiquis Canonibus constare mulieres quasdam olim ordinatas fuisse *Presbyteras*, *Diaconissas*, *Ostiarias*. Canon *Diaconissam* 27. quæst. 1. & Canon *mulieres*, numero 32. prohibentur ordinari ante quadragesimum ætatis annum.

Respondeo, nullibi extare fœminas assumptas fuisse ad Ordines, sed tantùm deputatas ad quædam officia & munia exteriora, præsertim erga alias mulieres obeunda: *Presbyteras* verò fuisse, vel viduas longè aliis seniores ob ætatem, sic dictas, vt patet ex cap. allegato mulieres coniugatas, quarum mariti ad Presbyteratum promoti fuerant, quæ tamen in perpetua continentia cælibes permanebant; sic etiam illæ quarum coniuges ad Episcopalem Ordinem euecti fuerant (quæ similiter in cœlibatu perpetuo viuebant) dicebantur *Episcopæ*, vt patet ex can. 21. Altisiodor. Concilij. *Non licet Presbytero in vno lecto post acceptam benedictionem* (consecrationem Ordinis intellige) *cum Presbytera dormire, nec in peccato miscere, nec Diacono, nec Subdiacono.* & Turonen. 2. can. 20.

De baptizato non potest dubitari quin Baptismi caracter supponatur impressus ad Ordinationem, cum Baptismus sit ianua Ecclesiæ, & constat ex cap. *veniens de Presbytero non baptizato.*

Quod autem infans sit capax Ordinis ratio est, quia in decret. libr. 5. titul. 29. illi qui ante annos discretionis promoti sunt, possunt sine reordinatione ministrare. Ergo puer potest suscipere. Tum in Sacramento isto nullus actus suscipientis est de necessitate Baptismi, sed solùm spiritualis potestas, quæ datur à Deo Ordinans enim ministerium exterius tantùm exhibet, vnde licet ex statuto Ecclesiæ arcendi sint pueri; tenet tamen Sacramentum, quia potestas infusa prior est actu: remoto autem posteriori non tollitur prius, ideò Sacramenta in quibus non requiritur actus de necessitate Sacramenti possunt suscipi à pueris. Si dicas requiri suscipientis intentionem ad validè suscipiendum.

Respondet Valentia & Sotus in 4. distinct. 25. quæst. 1. art. 2. sufficere intentionem Ecclesiæ, Ad Episcopatus autem ordinationem Sanctus Thomas & alij, requirit vsum rationis; quia in eo accipitur potestas circa corpus mysticum Christi, ideo requiritur actus acceptans curam pastoralem animarum.

Effectus duplex à Catholicis assignatur. Caracter qui facit idoneos quia dat potestatem & facit publicos Ecclesiæ Ministros, quia est quædam participatio Sacerdotij Christi, vt ait Sanctus Thomas 3. part. quæst. 63. art. 3. & gratia gratum faciens. Hæretici moderni negant caracterem; volunt enim ministerium Ecclesiasticum esse simplex officium quod possit dari & auferri, proinde ctas fieri laïcos qui hodie sunt Ministri vel Pastores. Sed hoc est inuertere statum Ecclesiæ. Dona enim Dei sunt sine pœnitentia, & qui semel obsignatus est Dei seruitio, non remouetur, vt testatur Cyprianus in sermone de ablutione pedum. *Nemo*, inquit, *sacros Ordines iterum renouat.* Augustinus libro 2. contra Epistolas Parmeniani capit. 13. *Vtrumque Sacramentum est, & quadam consecratione datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideò in Ecclesia Catholica vtrumque non licet iterare.*

QVÆSTIO VII.

De potestate Ministrorum Ecclesiæ, Episcoporum & Sacerdotum.

TRiplex est potestas Ecclesiastica, Ordinis, iurisdictionis interioris & iurisdictionis exterioris.

Prima refertur ad Sacramenta conficienda & ministranda.

Secunda, ad populum regendum in foro conscientiæ.

Tertia, ad eumdem regendum in foro exteriori.

Ad potestatem Ordinis spectat. Primò, consecrare Eucharistiam. Secundò, conferre Sacramentum Confirmationis. Tertiò, ordinare Diaconos, Presbyteros & Episcopos. Quartò, conficere chrisma. Quintò, oleum infirmorum sacrare. Sextò, consecrare Virgines, Templa, Sacella, Altaria, Vasa & Vestes: hæc omnia potest præstare Episcopus potestate Ordinis, & quod priora quinque conueniunt illi iure diuino, sextum humano. Presbyter potest consecrare Eucharistiam, reliqua non item: vnde patet potestas Ordinis in Episcopo maiorem esse quam in Presbytero.

Ad potestatem iurisdictionis interioris spectat ius dicere in foro conscientiæ, quod fit absoluendo à peccatis, vel ligando, hæc potestas significatur nomine clauium, iuxta illud Matth. 16. vers. 19. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque solueris super terram, &c.* quamuis claues ad plura se extendant; quia non signant tantùm potestatem ligandi & soluendi in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori.

Ad potestatem iurisdictionis exterioris spectat excommunicare, suspendere, interdicere, visitare diœcesim, corrigere, punire, synodum conuocare, constitutiones condere, beneficia conferre, Ecclesias minores coniungere & annectere, voti & iusiurandi vincula soluere, causas audire & cognoscere, quorumdam peccatorum absolutiones sibi reseruare; licet non sit Sacerdos, impedimenta quadam matrimonij remouere, dies festos instituere, Indulgentias conferre, Clericos è gradu deijcere; hæc omnia potest facere Episcopus in sua diœcesi.

Præter hæc sunt illi quædam commissa in Tridentino circa Religiosos & eorum Monasteria, Ecclesias, Capellas, tum ratione sui muneris & officij, tum ex delegatione Summi Pontificis

Pontificis, ac primò potest compellere Religiosos, vt in suis Ecclesiis seruent interdicta & censuras ab eo latas, colant dies festos & vocati conueniant ad publicas supplicationes, iis tantùm exceptis, qui in strictiore clausura perpetuo viuunt. sess. 25. cap. 12. & 13. de regularibus. Secùdò potest Episcopus examinare & approbare Confessores & Concionatores à Superioribus Religiosorum electos, & sibi oblatos sess. 23. cap. 15. & sess. 5. cap. 2.

Tertiò, potest visitare Capellas Religiosorum, vel Ecclesias cuam populi habentes sess. 25. cap. 8.

Quartò, patet punire Religiosum extra claustra notoriè & cum aliorum offensione delinquentem si à Superiore intra tempus ab Episcopo præfixum non fuerit punitus sess. 25. cap. 14. de regularibus; & hæc sunt iuris Episcopi.

Quintò, vt delegatus Romani Pontificis potest compellere monasteria (si Abbates negligant, vt aliquem habeant sacræ Scripturæ interpretem & Doctorem sess. 5. cap. 1. Item vt in Ecclesiis suis patrochialibus prouideant ibidem cap. 2.

Sextò, potest Commendata, Monasteria, Abbatias, Prioratus & Præposituras, in quibus disciplina religiosa non viget quotannis visitare, instaurare, reficere, sess. 21. cap. 8. de reformatione.

Septimò, potest etiam vt delegatus gubernare Monasteria Monialium, quæ Sedi Apostolicæ immediatè subiecta sunt sess. 25. cap. 9. de mediatè subiectis, certum est de iure eius.

Qværes, *Vnde Sacerdotes habent potestatem iurisdictionis interioris.*

Apud Theologos certum est potestatē Ordinis immediatè conferri à Deo in Ordinatione sacramentali, at dubium est de potestate remittendi peccata, quod pertinet ad iurisdictionem interiorem.

Resoluo in iurisdictione quæ requiritur ad absolutionem sacramentalem duo sunt; vnum est potestas absoluendi ex parte Sacerdotis, & hæc immediatè confertur à Christo in ordinatione Sacerdotis, qui non tantùm accipit potestatem consecrandi corpus Christi, sed etiam constituitur iudex cum illi dicitur; accipe Spiritum-Sanctum, quorum remiseritis, consequenter accipit potestatem ad ferendam sententiam, & proinde iurisdictionem, quia iurisdictio est potestas ius dicendi. Alterum est applicatio materiæ huic potestati, & hæc est ab Ecclesia. Ex his duobus nascitur perfecta & integra iurisdictio quæ dici potest actualis iurisdictio, vt vocat illam Nauarrus, quam ante hanc applicationem habitualem tantum, in ordinatione datam dicit, quia potestas est expedita ad operandum, quando habet debitam materiam applicatam. Potestas autem ex potestate Sacerdotis tantùm dici potest iurisdictio habitualis; quia est impedita, nec potest exire in actum ob defectum applicationis materiæ.

Applicatio materiæ fit dupliciter. Primò, via ordinaria. Secundò, ex commissione. Via ordinaria est quando aliquis constituitur Episcopus alicuius diœcesis, aut Parochus alicuius parochiæ, hæc autem semper facta est expressa vel tacita authoritate Pontificis approbantis electionem Episcoporum & Parrochorum, solus Papa habet hanc materiam applicatam iure diuino & omnes Apostoli qui immediatè ordinati fuerunt à Christo.

Secundò, fit ex commissione, quando scilicet proprius Pastor propriam ouem alteri committit non constituendo ipsum Pastorem ex officio, sed vices suas ei conferendo, & hoc facere potest Papa in toto orbe Christiano, Episcopus in diœcesi sua, Parrochus in sua Parrochia. Est tamen differentia inter vtramque assignationem materiæ; quia quando est assignata via ordinaria non potest auferri aut impediri actus iurisdictionis sine iusta causa, & si de facto impediretur non teneret factum; quia proprius Pastor semper exercere potest officium nisi iusta de causa impediatur à Superiore. Quando vero applicatur materia ex commissione, tunc ita pendet ex nutu committentis, vt sine vlla causa impediri aut auferri possit pro libitu & arbitrio.

Qvæstio VIII.

De Episcopis, aliisque Ecclesiæ Prælatis.

Certum est Episcopos ex diuina institutione in Ecclesia positos fuisse ad illius regimen & gubernationem, vt constat ex Act. 20. *Posuit vos Spiritus-Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, proindéque legum ferendarum potestatem penes illos esse respectu subditorum.

Certum est etiam ex eadem institutione diuina Episcopos superiores esse Presbyteris, non solùm quoad Ordinis dignitatem, vt dixi, sed etiam quoad regiminis authoritatem & iurisdictionem. Id apertè colligitur ex 1. Timoth. 5. Vbi Paulus formam præscribit sub qua Episcopus accusationem aduersùs Presbyterum recipere debet, ex quo sequitur Episcopum esse Presbyteri iudicem, ac proinde superiorem, vnde in Concilio Neocæsariensi can. 13. dicitur Episcopos Apostolis, Presbyteros vero discipulis Christi in Ecclesiastica hierarchia successisse, quod etiam docet Sanctus Augustinus in Psalm. 44. Et in Concilio Tridentino sess. 23. canon. 7. anathema profertur in eum qui dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores.

Certum est præterea vnumquemque Episcopum in propria tantummodo diœcesi, non vero in tota Ecclesia authoritatem & iurisdictionem obtinere. Vnde Concilium Constantinopolitanum 1. canon. 3. declarat quod *Episcopi non inuitati vltra diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus vel disponendis Ecclesiasticis causis*, quod etiam decretum est cap. *Nullus Primas 9. quæst. 2.*

Certum est denique, quod sicut authoritas & iurisdictio respectu subditorum Episcopo competit, sic etiam ipsi Episcopo à subditis honor & obedientia deferri debet, iuxta illud Pauli Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Vnde Sanctus Ignatius Martyr, Epistola ad Trallianos: *Episcopo*, inquit, *subditi estote sicut Domino.* & in Concilio Calcedon.

dou. Act.15. Canon. 8. Statutum est, vt Clerici Basilicis, Monasteriis, & aliis Ecclesiis ascripti secundùm Sanctorum Patrum Traditiones sub Episcopi potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo desiliant. Qui verò audent euertere eiusmodi formam, & quocumque modo nec proprio subijciuntur Episcopo Canonum correctionibus subjacebunt.

Quod spectat ad alios Ecclesiæ Prælatos breuiter dicimus, præter Romanum Pontificem aliósque Episcopos, alias quasdam dignitates in Ecclesia reperiri ad majorem ipsius tum vtilitatem tum decorem. Ac in primis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de quibus infrà agitur Articulo de Papa, ipsi assistere, ipsúmque in regenda Ecclesia vniuersa consilio & opera iuuare. Patriarchas item ac Primates, Archiepiscopis & Metropolitanis supereminere, & istos aliis Episcopis, ita vt (sicut habetur cap. *si inter* 6. quæst. 4. ab Episcoporum iudicio ad Archiepiscopos & Metropolitanos appellari possit, & ab istis ad Primates & Patriarchas ac demum ad Papam, cuius iudicio controuersiam quamcumque ad res aut personas Ecclesiasticas spectantem dirimi ac definiri oportet.

Vbi tamen obseruandum est aduersùs Episcopos, propter eminentiam dignitatis in causis criminalibus grauioribus, nec sententiam ferri, nec etiam iuridicè inquiri aut procedi posse absque Sedis Apostolicæ authoritate, vt in pluribus Canonibus sancitum habetur, ac nouissimè in Concilio Tridentino sess. 24. c. 5.

QVÆSTIO IX.

An Episcopi Schismatici possint introducere & consecrare Episcopum, qui legitimus censeatur?

De successione personali Episcoporum.

AD constituendam successionem personalem Episcoporum, non satis est, vt vnus alteri successerit, seu subrogatus fuerit, sed vt & cum eadem forma & essentialibus conditionibus Episcopatui quæ ad prædecessorum Episcoporum fuerant canonicè obseruatæ introducat. Nec enim pro legitima successione sufficiebat Sacrificatoribus Hieroboamitis, quod locum Leuiticorum haberent, cum ipsum non occuparent secundum formam legitimæ successionis.

Notandum ergo duplicem notari successionem in sequela personali Episcopatus, successio authoritatis & successio Caracteris. Nam in missione Episcopali duæ exiguntur & habentur conditiones, vna confert authoritatem, alia caracterem, qui à Sacramento Ordinis emanat; hæc conditio quæ ad caracterem spectat dicitur Missio sacramentalis, & extra Ecclesiam haberi & conseruari potest, quia indelebilis est, consequenter conferri potest realiter & verè; licet tamen illicitè extra Ecclesiam ab his qui ipsum signaculum extra Ecclesiam detulerunt cum schisma fecerunt, vel hæresim profitentur.

Missio verò, quæ authoritatem spectat, & nuncupari potest authoritatiua (etsi non conferatur in Ecclesia sine missione sacramentali, seu caractere) tamen non potest asportari, nec cum caractere dari extra Ecclesiam, auferri etiam potest ab Ecclesia per depositionem aut degradationem; ita Concilium Sardicense deposuit Narcissum, Menophantem & alios Episcopos, qui tantum caracterem adhuc intactum habebant, sic Officiarij Regij secum asportare possunt annuli, aut signaculum Regium cum rebelles transfuolant ad inimicos Regis, & diplomata institutionis suæ, & officij extra Regnum conseruare possunt: non tamen valent transferre & traducere authoritatem primæuam officij. Et ideò

Qui ab Ecclesia depositi fuere, vel qui extra Ecclesiam ordinati fuerunt cum in gremium redeunt Ecclesiæ indigent constitutione legitimæ authoritatis ad Episcopales functiones, vel publica Ecclesiæ declaratione, qua in communionem Ecclesiæ admitti eos constat cum exercitio Episcopalis officij: id autem locum tenet rehabilitationis generalis, ita olim factum cum Arrianis ad fidem Catholicam redeuntibus, Ecclesia enim Episcopis restituit legitimam authoritatem administrandi Episcopatum, qua per Canones seus Leges Ecclesiasticas interdicti erant, & simul eos rehabilitauit eadem declaratione, qua ad officia eos admisit.

Hinc habetur quod ij qui extra Ecclesiam ordinantur, vel ab alia societate quam Catholica seu legitimæ Ecclesiæ sint quidem Episcopi quantum ad caracterem, non tamen quantum ad functionem Episcopatus: quotiescumque ergo ante rehabilitationem ea vtuntur functione toties sacrilegium perpetrant. Hilarius de Synodis loquens de Patribus Concilij Nicæni. Perpendamus quid faciemus, & si enim Episcopi non fuerunt, nec nos qui anathematizamus eos, Episcopi sumus, & Athanasius apologetico 2. Impossibile est ordinationem Secundi, vti factam per Arrianos vim habere in Ecclesia Catholica. & Hieronymus contra Luciferianos, nulli sunt hodie in orbe Episcopi præter eos quos hæc Synodus ordinauit, Lex Imperatorum agens de Episcopis hæreticis, Codicis lege prima titulo 5. Illicitum est eos qui Ministri non sunt, Ministros facere; hinc tamen non intelligunt Episcopos hæreticos qui ab Ecclesia caracterem habuerunt non esse Episcopos, quantum ad caracterem, sed tales non esse quantum ad impositionem authoritatis. Hinc Episcopi Angli verbi gratia, nullam prætendere possunt successionem Episcopalem à Patribus primæ seu Catholicæ Ecclesiæ, quantum scilicet ad successionem authoritatis, si enim cum regnum iniit Henricus VIII. Ecclesia Anglica non erat vera Ecclesia, Episcopi illius communionis, quæ tunc erat Catholicæ Ecclesiæ, non erant veri & legitimi Episcopi quantum ad missionem authoritatiuam, sed dumtaxat quantum ad caracterem. Consequenter nec successionem habebant authoritatis Episcopalis, nec ad alios eam transferre poterant, quo

iure ait Athanasius de Synodo Arimin. Ariana possunt Episcopi si Ordinem sumpserunt ab iis quos de hæresi infamant.

Et contra si Ecclesia quæ vigebat in inauguratione Henrici VIII. Angliæ & aliis orbis partibus erat vera & legitima Ecclesia cum ipsa abrogarit authoritatem Episcopalem eorum à quibus Angli hodierni caracterem sumpserunt, eosque deposuerit & excommunicarit. Consequenter illi non poterant authoritatem aliis conferre.

Tum si illa Ecclesia quæ Catholica tunc habebatur erat legitima & vera Ecclesia hodierna Ecclesia Anglicana quæ ab eius communione se disiunxit nullatenus potest esse legitima Ecclesia, nec apud se conseruare authoritatem Episcopalem, quæ nullo modo extra Ecclesiam legitimam transferri potest.

Quantum ad successionem caractetis Angli eam habere nequeunt, iuxta dogmata fidei cui communicant cum sint vniti Protestantibus Galli, quorum doctrina est sacrum Ordinis non conferre caracterem, qui solus extra Ecclesiam transferri potest.

Tum data eis successione caracteris vsum eius habere nequeūt, cùm Ecclesiam Puritanorum Galliæ pro vera Ecclesia habeant, consequenter eius Pastores, vbi Collegas & fratres suos admittant. At Ministri Franciæ non sunt ordinati ab Episcopo, consequenter Episcopi non sunt. Nam ex Cypriano ad Magn. Epistola 76. Is Episcopus esse nequit qui nulli succedens sese ipse intrusit, cum creati non sint Episcopi, Ecclesiam, consequenter non habent, vt ait idem Cyprianus. Ecclesia enim est vbi Episcopus est, & qui non est cum Episcopo non est in Ecclesia; vnde fit vt communicantes cum Gallis Ministris tabe eorum inficiantur, & defectus eosdem Ecclesiasticos incurrant.

Addit Perronius quod ad demonstrandam aliquam Ecclesiam esse successiuè & repræsentatiuè antiquam Ecclesiam, non sufficit probare aliquam partem talis Ecclesiæ deriuari & descendere successione personali ab Episcopis Catholicæ seu primæuæ Ecclesiæ, sed necesse est totam Ecclesiam quæ titulo Catholico gaudere prætendit habere successionem Episcoporum suorum deriuatam à missione primæ Ecclesiæ. Nam Episcopatus, vt ait Cyprian. libr. de vnitate Ecclesiæ, vnus est cuius quisque indiuisim portionem suam habet, & ad Pupp. Epistola 69. Ecclesia est vna coadunata per numerum Episcoporum sibi inuicem adhærentium. Quare Angli, verbi gratia, non constituentes, vt ipsi fateri debent totam suam Ecclesiam Catholicam; nam Protestantes admittunt vti partes corporis sui mystici, seu Ecclesiæ, & ideò non possunt propugnare Ecclesiam suam quam Catholicam faciunt ob successionem eandem esse cum illa Catholica, quæ tempore 4 Conciliorum 1. Generalium vigebat. Imò ex eo quod partes hæ cum quibus Anglica communionem habet, non communicant successione personarum missioni Ecclesiæ Catholicæ antiquæ, ad minus schismatica est. Nemo enim, excepto errore facti, Ecclesiæ Catholicæ communionem habere potest simúlque Schismaticorū. Denique in qualibet quæstione schismatis prouocandum est ad originem, iuxta hæc verba Augustini. Quæstio est, ô Donatistæ, vbi est Ecclesia à principio res est deducenda, quale schisma fecistis! Ratio quá Ecclesia Anglica reddere vult de successione suorum Episcoporum referri debet ad originem suæ separationis, & quæram cum primi desciuerunt à primæua Religione ad formam quam iam profitentur, vbinam erat illa societas in qua successio non interrupta & caracteris & doctrinæ habebatur, ad hoc enim vt exirent ab Ecclesia, quæ tunc Catholica habebatur stare debebant, aut recipi in alia Ecclesia quæ & veram doctrinam & verum ministerium haberet, cuius cōmunicationes & in vim adhærentiæ Catholici ius seu titulum Angli sibi conseruarent & posteris transferre & transmittere possent: vbinam ergo erat hæc societas veram habens doctrinam & successionem Episcoporum, cum primi ab Ecclesia Catholica defecerunt! nunquid Ecclesia Anglica originem suam in Augustino Episcopo Cantuariensi à Gregorio Papa misso pro fide dissemimanda in his partibus se habere profitetur, quæ vsque ad schisma in eadem Augustini doctrina constante persistit 185. anni.

Diuus Thomas in 2. 2. quæstionem habet de Episcopis 8. articulos continentem, cuius hæc synopsis.

Non omnes Prælati sed soli Episcopi in statu perfectionis sunt, nam Dionysius 5 Eccles. hierarchiæ dicit Pontificum Ordo consummatiuus & perfectiuus est, Sacerdotum illuminatiuus & lucidatiuus; ministratiuum vero purgatiuus & discretiuus; ideò principaliter curam habere debent de ouibus commissis; dicuntur enim Episcopi, id est super & scopus, seu σκοπος, id est intentio ἐπισκοπεῖν Græcè, est Latinè superintendere: est ergo ait Augustinus nomen operis non honoris, & quo tempore Paulus dixit, qui Episcopatum, bonum opus desiderat, qui præerat primus ait Gregorius in Pastorali part. 1. cap. 8. ducebatur ad martyrium & sic nihil aliud erat quod in Episcopatu appeti posset nisi bonum opus. Non sic hodie; nam altitudo gradus habet consequenter reuerentiam, honorem & abundantiam temporalem, & benè quidem, quia ex Paulo 1. Timoth 5. qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni sunt. Appetere autem Episcopatum ratione harum circumstantiarum illicitum est, & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem, vnde Christus Matth. 23. arguit Pharisæos, amant 1. recubitus & vocari Rabbi, & Matth. 20. arguit discipulos primatum quærentes, scitis quia Principes Gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent inter eos. Non erit ita inter vos, sed qui maior, sit minister, nec dicas licere appetere statum religiosum, consequenter & Episcopatum, qui perfectior est therapeutis, seu Domino famulantibus, vt vocat Dionysius, nam non est eadem ratio de statu religionis, & de statu Episcopali propter duo.

Primò, quia ad Episcopalem præexigitur vitæ perfectio, vt patet per hoc quod Dominus à Petro quæsiuit, si eum plus cæteris diligeret antequam ei pastorale officium committeret, sed ad statum religionis non præexigitur perfectio, sed est via in perfectione, vnde Matthæi 19. non dixit, si perfectus es, vade, vende quæ habes, sed si vis perfectus esse, & ratio

ratio huius differentiæ est, quia ex Dionysio perfectio pertinet actiuè ad perfectorem; Episcopus autem, vt sic perfector est, ad Monachum autem passiuè vt perfectibilis perfectio; ergo cura ei est qui perficit alium. Est autem præsumptuosum, quod aliquis se reputet perfectum: non autem quod quis ad perfectionem tendat.

Secundò, qui religiosè statum assumit se aliis subijcit ad spiritualia capienda, & hoc licet cuilibet. Episcopatus autem est status altitudinis Hebr. 5. nec quisquã sumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo.

Sicut autem altitudinem Episcopatus concupiscere malum est, ita eum à superiore mandatum animo obstinato recusare primum est charitati & humilitati repugnans. Non licet Episcopo, vt ad Religionem transeat Episcopatum dimittere; nam studium Religiosi est attentio propriæ salutis, Episcopi autem proximi, & ideo quandiu quis proximorum saluti incumbere potest, retrocedet si ad statum religionis vellet transire, qui iam se obligauit & proximo incumbere. Ex causa autem fieri potest & eum authoritate Papæ.

Episcopi licitè proprium habent 12. quæstion. 1. capit. Episcopi de rebus propriis dicitur vel acquisitis, hæredibus suis si voluerint derelinquant. Perfectio enim non consistit essentialiter in paupertate voluntaria, est enim tantum huius instrumentum. Diuus Th. tenet quod Religiosi Episcopi tenentur ad omnia suæ religionis seruanda, quæ suo Episcopali statui non repugnant. Dispensari solent à Papa.





ARTICVLVS XXI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QVÆSTIO PRIMA.

De Nomine & diffinitione Matrimonij.



MATRIMONIVM Duplicem habet rationem secundum quam potest considerari, est enim contractus ciuilis,& vt sic singulares suggerit quæstiones Iurisperitis, est etiam Sacramentum nouæ legis quod magnum dici solet à Casuistis, ideo forsan, quia per illud magnificatur & propagatur, Ecclesia Dei, vel quia tractatum arduum & perdifficilem habet, vnde Sanchez, inter modernos scriptores materiam amplissimi voluminis habuit.

Nomen desumptum est à matre eò quòd fœmina matrimonium ineat vt fiat mater, & quamuis, inde relationem paternitatis assumat pater, qui dignior est, & denominatio à digniori parte communiter fieri soleat, quia tamen mater, magis officiosa est circa prolem, vel quia principaliter, facta est à Deo, mulier, vt sit homini in adiutorium generandæ prolis, non autem propter hoc vir factus,dicitur: hinc mater nomen matrimonio facit potius quàm Pater, illud enim significat,inter alia quod sit matris munium, quia per contractum cum viro initum,munus & officium educandæ prolis, imponitur, fœminæ. Potest etiam dici, quod matrimonium, sit quasi matrem muniens, quia per hoc vxor acquirit virum quo protegatur & muniatur, vel inde matrem monens est, ne virum relinquat, alteri adhærendo; quod alio nomine Connubij, exprimitur à coniungendo eò quòd legitima mulier cum viro quasi vno, iugo adstringatur, vt simul liberorum & domus curam gerant. Nuptiarum quoque nomine nuncupatur, quia vt obseruat. S. Ambros. lib. 1.de Abraham cap. 9. Virgines, tradendæ in matrimonium, velo se operire, & quasi nube obtegere solebant, siue ipsæ velum assumerent, siue maritus daret ipsis velum: antiquata iamdudum est cæremonia,ex verecundia puellarum. Nuptiarum nomen à conuiuio nuptiali celebrati, solito magis dictum habetur.

Diffinitur. *Legitimus & indissolubilis contractus, inter virum & fœminam quo traditur & acceptatur,mutua corporum potestas.* Vel *viri & fœminæ legitima,coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem retinens* quæ definitiones, respiciunt, tantum ius naturæ & ius gentium à quo matrimonium descendere: dicunt legistæ in digestis tit. 1.Lege 1. *Ius naturale est*, &c. *Hinc descendit maris, & fœminæ coniunctio, quam matrimonium appellamus.* Quare matrimonium, institutum est in principio mundi, Deus enim consideratis omnibus iam diuina sua potentia creatis, & sapientia ordinatissimè dispositis,hominem,propter quem omnia creauerat, considerans dixit. Genesis 2. *Non est bonum hominem esse solum,faciamus,ei adiutorium simile sibi.* Immisso igitur extatico sopore in Adam, vnaque de costis eius sublata, produxit ex ea mulierem quam adduxit ad virum matrimonij, vinculo indissolubili colligandam. Hæc autem omnia in illo sopore extatico propheticè considerans Adam, nec ignorans quæ circa se gesta erant,intellexit,Deum creasse fœminam, propter matrimonium,vnde mox ipse promulgat legem Matrimonij. *Hoc nunc os de ossibus meis & Quapropter relinques homo Patrem, & matrem & adhærebit, vxori suæ & erunt duo in carne vna.* Verba ista non Adæ sed ipsi Deo quasi per os Adæ loquenti Christus, adscribit. Lex enim ista *relinquet homo.* Et verificabitur inter coniugatos vsque ad finem sæculi, hanc enim promulgauit Adam pro posteris suis & ratam Christus fecit in Euangelio, Math. 19.cùm dixit. *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Itaque si Deus, author naturæ matrimonium . à principio naturæ instituit in ipso paradiso,illud rectè dicitur esse de iure naturæ.

Adde quod ad illam coniunctionem natura sat sensibiliter inclinat & quantum ad eius principalem finem qui est procreatio prolis, & quantum ad mutuum obsequium quòd à coniugibus speratur, ratio enim dictat vt homines simul cohabitent,quia vnus non sufficit sibi in omnibus quæ ad ipsam vitam pertinent, ratione cuius homo dicitur naturaliter politicus, sed magis coniugale animal vt notat Aristot. lib. 8. Ethic. cap. 12. vnde natura mouet vt sit quædam viri ad mulierem associatio. Quod si diceres illa non esse naturalia sine quibus naturæ intentio potest saluari, sed naturæ intentum conseruatio scilicet speciei nec non mutuum obsequium potest haberi sine matrimonio.

Respondebo intentum naturæ non tantum esse generationem, prolis sed etiam promotionem eiusdem vsque ad perfectum statum hominis qui est virtutis status, vnde Arist. cit. dicit nos habere tria à parentibus scilicet esse, nutrimentum & disciplinam, Filius autem à parente educari & institui non posset nisi determinatos & certos haberet patres, quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam quæ matrimonium facit. Consequenter restat probatum quod illud sit de iure naturæ & in eius officium institutum

quod

quòd tale adhuc hodie habent Ethnici, & infideles Ius Gentium & Leges adiunxerunt ei ad firmitatem & ad pacem ciuilem publicum contractum & personarum delectum quæ contrahere possent quando & quomodo determinarunt.

Sed præter dicta Matrimonium consideratur & habetur apud Christianos vti speciale nouæ legis Sacramentum conferens gratiam singularē. Huius ergo integra diffinitio assignatur: Legitimus & indissolubilis contractus inter virum & fœminam quo traditur & acceptatur mutua corporum potestas & gratia sanctificans confertur. Quod vt plenè intelligatur.

QVÆSTIO II.

An Matrimonium sit Sacramentum.

PRætermissis variis erroribus quæ circa matrimonium varij hæretici dogmatizarunt, quorum plures asserebant matrimonium esse figmentum Satanæ proindeque illicitum esse: alij communes faciebant vxores & promiscuam commixtionem habebant. Postremo Lutherani & Caluinistæ licet matrimonium, à Deo, esse consentiant, negant tamen esse Ecclesiæ, Sacramentum, quare probandum est Catholico professori ciuilem contractum viri & fœminæ ad propagandam & educandam prolem institutum esse etiam symbolum seu signum externum religionis, cui sit annexa promissio gratiæ iustificantis, idque ex diuina institutione.

Esse autem à Deo matrimonium institutum duobus modis potest intelligi, primò, vt intelligamus, à Deo, esse coniunctionem masculi & fœminæ, vt ea refertur ad genus propagandum. Secundò eandem coniunctionem esse à Deo, vt refertur ad rem aliquam sacram significandam, & homines qui ita iunguntur sanctificandos. Nam priore modo veteres hæretici negabant esse à Deo, ideo eos damnabant. Porro nuptias esse bonas & à Deo, tam est in diuinis litteris euidens vt mirum sit vllos hac in re labi potuisse, Gen. 2. & Matth. 19. & prima Cor. 7. *Qui matrimonio iungit virginem suam benefacit*, & prima Timot. 4. notat hæreticos futuros Simonianos, Gnosticos, Manichæos, Marcionistas. *Spiritus dicit quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide prohibentes nubere*, & cap. 5. *Volo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse* & Heb. 13. *honorabile connubium*. Posteriore modo matrimonium à Deo esse institutum vt signum rei sacræ, & proinde non ciuilem contractum duntaxat, sed & mysterium quoddam & Sacramentum esse.

PROPOSITIO CATHOLICA.

MAtrimonium est verum legis nouæ Sacramentum. Aliqui probant ex Math. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Sed ineptè nā ibi Christus, reducit matrimoniū ad statum primæuum, rescindens Polygamiam, resecans libellum repudij, ideo dicit, *ab initio non fuit sic, sed masculum & fœminam creauit eos.* Quasi dicat vnum & vnam Deus coniunxit inseparabiliter, procul ergo dissolutio & libellus repudij, *Quod Deus coniunxit homo non separet*, textus ergo non conuincit matrimonium esse Sacramentum. Probatur apertè Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia* quæ Apostoli verba explicans S. August. libr. 1. de nuptiis & Concupis. cap. 21. ait *hoc Sacramentum, in Christo, & in Ecclesia magnum; in singulis quibusque viris atque vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabilis Sacramentum*, quibus verbis docet matrimonium, esse Sacramentum magnum, quidem quatenus Christi, cum Ecclesia coniunctionem significat, minimum verò in dignitate si conferatur cum aliis Sacramentis vnde & vltimo loco numeratur.

Paulus ergo vult dicere id quod iam notauit. *Quòd homo relinquat patrem & matrem & adhæreat vxori suæ:* est magnum Sacramentum, quia est signum coniunctionis Christi, cum Ecclesia, ita exponunt passim DD. Hic Hæretici notant Catholicos decipi ex versione vulgata quæ hoc loco reddidit. *Sacramentum*, cùm debuisset vertere *mysterium*, nam idem est Græcè mysterium & Sacramentum Latine, neque potuit Paulus qui Græcè scripsit Sacramentum, vocare nisi græco vocabulo *μυστήριον* & Græci Sacramenta vocant mysteria, vt mysteria corporis Christi vocant Sacramentum, Eucharistiæ. Sed falsum est Catholicos ex sola voce *Sacramentum*, hic posita colligere, Matrimonium, esse Sacramentum propriè dictum, nam in multis aliis locis vtriusque Testamenti habetur vox eadem Tobiæ 12. Danielis 2. Coloss. 1. 10. Timo. 3. Apoc. 1. & 17. & in hac ipsa Epistola Ephes. c. 1. & 3. & tamen ex nulla horum locorum nouum aliquod colligunt Sacramentum. Itaque non ex hac voce sola probamus Matrimonium esse Sacramentum, seu integram eius habere rationem: sed tamen probamus id, esse scilicet signum seu symbolum aliquod sacrum: non autem contractum mere ciuilem & naturalem.

Nota cui rei accommodet Paulus, hæc verba. *Sacramentum hoc magnum*, vtrum videlicet coniunctioni Christi, & Ecclesiæ, an coniugio humano viri & fœminæ Nouatores contendunt magnum arcanum vocari coniunctionem Christi cum Ecclesia. Atque inde colligunt, Matrimonium, hoc loco ne appellari quidem signum siue symbolum, non enim Sacramentum hoc loco accipi volunt pro signo rei Sacræ sed pro ipsa re sacra & arcana: argumentum autem ipsorum non est aliud nisi quia Paulus, ait, *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia*, & quia *nullum est mysterium*, vt ait, Erasmus *si viro vxor iungatur, id enim quotidie fieri videmus.* Sed falluntur apertissime nam primò habent contra se omnes veteres huius loci interpretes & obstat, pronomen *hoc* quod demonstrat id quod præcessit, scilicet Matrimonium. Adami & Euæ illis verbis explicatum propter hoc relinquet, nempe quasi dicat Paulus quod vir adhæreat vxori suæ, hoc inquam magnum est Sacramentum. Adde quod si vox *μυστήριον* non significat in hoc loco Sacramentum, propriè dictum, vox Sacramenti, nusquam probabitur ex Scriptura, consequenter qui il-

lam.

Iam vnicam fidei regulam habent ab illa voce abstinere debent. Geneua dupliciter deprauauit textum, nam loco εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν id est in Christo & in Ecclesia, traduxit loquor autem de Christo & Ecclesia, anno 1556. deinde 1598. Mysterium hoc magnum est: hoc autem ego dico, respiciens in Christum, & in Ecclesiam, & Gallice reddunt secretum hoc. Catholici, admittunt equidem vocem. *Mysterium*, importare secretum, nec contendunt. Matrimonium, esse Sacramentum, quia hic dicitur. Mysterium, sed dicunt esse Sacramentum, ratione significationis quam exprimit Apostolus, & ideo vocem Mysterij, debere hoc in loco traduci Sacramentum, omne enim Mysterium, non est Sacramentum, sed omne Sacramentum est. Mysterium.

Probatur. Ex SS. Patribus, Tertull. lib. de anima cap. 21. lib. de Monogamia, cap. 5. & lib. de præscript. cap. 30. vocat Matrimon. Sacramentum, Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 7. dicit, *Deum, esse veluti Præsidem custodemque coniugij, &c. Eumque qui coniugij thorum polluit, peccare in Deum, eiusque gratiam soluere ac Sacramenti cœlestis amittere consortium.* Aug. in lib. de bono coniugali c. 18. *In nostrorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri, & lib. de fide & operibus*, cap. 7. *In Ecclesia nuptiarum non solum vinculum verum etiam Sacramentum, ita commendatur vt nō liceat viro vxorem suam alteri tradere.* Prætermitto Patres Græcos qui Matrimonium, tanquam verum & propriè dictum Sacramentum, agnouerunt. Ignatium Epistola, ad Philippens. Iustinum, in orat. ad Antoninum Pium, Clementem, Alex. lib. 3. Stromatum, Origen. homil. 11. in Exod. & in Epistola ad Rom. & tract. 29. in Matthæum Athanas. serm. in hæreticos. Basil. lib. de virginit. cap. 8. & Chrysost. homil. 20. in cap. 5. quod allegamus Ephesiorum *Quid est magnum mysterium in Christo, quoniam & ipse dimisso Patre descendit, & venit ad sponsam, & factus est in Spiritum vnum, pulchrè dixit magnum est Mysterium, perinde ac si diceret est allegoria, &c.* Ex his patet Sacramenti nomen Matrimonio non fuisse inditum à S. Gregor. vt improperat Calui.

Probatur, ex Conc. Florent. & Trident. sess. 24. vbi veritas hæc definita est cap. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium, non esse verè & propriè vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis, à Christo Domino, institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum neque gratiam conferre anathema sit.*

Probatur rationibus, prima desumitur ex indissolubilitate matrimonij, germana enim ratio, cur vir infirmam aut sterilem vxorem nequeat dimittere & aliam ducere, hæc assignatur, quia scilicet inter Christianos Matrimonium, est symbolum vnionis indiuiduæ Christi cum Ecclesia, id autem est, esse Sacramenti idque euincitur, quia ante Baptismum (qui ianua Sacramentorum agnoscitur, Paulus, ipse separationem coniugatis permittit, nequaquam autem fidelibus, 1. Cor. 7. *Quod si discesserit manere innuptam, aut viro reconciliari* & iterum, *alligata est legi quamdiu viuit vir eius*, idque à Christo ordinatum sic esse docet, *precipio non ego, sed Dominus*, esse autem signum rei sacræ dicit formaliter Sacramentum. Ergo matrimonium est Sacramentum.

Ex hac indissolubilitate infertur Deum, obligari ad gratiam conferendam, quæ iugum & vinculum hoc alleuiet, deterioris alioquin conditionis esset fidelium matrimonium quam Ethnicorum, qui plures vxores ducebant & quam negligebant repudiabant.

Secunda, Matrimonium est ægrotis (ex concupiscentia) in remedium vt docet Aug. in lib. de bono viduitatis cap. 8. Sed non est in remedium nisi in quantum aliquam efficaciam habet, ergo habet aliquid efficaciæ ad reprimendam concupiscentiam, sed hæc non reprimitur nisi per gratiam, ergo in ipso confertur gratia. Aliqui dicunt quod hæc gratia facit recedere à malo in quantum constringit concupiscentiam, ne extra bona matrimonij feratur, non autem quod det auxilium aliquod ad bene operandum. Sed hoc stare non potest, quia eadem gratia est quæ impedit peccatum & quæ ad bonum inclinat, sicut idem calor qui aufert frigus, est qui calefacit. Dico ergo matrimonium in quantum contrahitur in fide Christi habere vt conferat gratiam adiuuantem ad illa operanda quæ in matrimonio requiruntur. Quia vbicumque datur diuinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo conuenienter, vti possit facultate illa, vnde cum in matrimonio detur homini ex diuina institutione vtendi sua vxore ad prolis procreationem, datur etiam gratia sine qua id conuenienter, facere non possit. *Et hæc gratia data est vltima res contenta in hoc Sacramento.*

Qværes, *Quid in matrimonio est Sacramentum tantum, res tantum, & res & Sacramentum.*

Resp. Sacramentum tantùm est illa sensibilis obligatio: res tantum est gratia, res & Sacramentum, possunt dici tria bona matrimonij fides, proles & Sacramentum, Quod est signum rememoratiuum vnionis Christi, cum Ecclesia nec non illius passionis, demonstratiuum gratiæ, prognosticum vnionis beatæ cum Deo.

Dices omne Sacramentum nouæ legis efficit quod figurat, sed matrimonium non efficit coniunctionem Christi & Ecclesiæ quam significat. Ergo non est Sacramentum.

Respondeo, quod vnio Christi ad Ecclesiam non est res contenta in hoc Sacramento, sed res significata & non contenta & talem rem nullum Sacramentum efficit, sed habet aliam contentam rem & significatam quam efficit scilicet gratiam.

Qværes, *Quo tempore Christus matrimonium eleuauit ad dignitatem Sacramenti.*

Resp. id Scripturam non exprimere, probabiliter tamen quosdam dicere id factum Ioannis primo, quando nuptias sua præsentia approbauit, & primitiis suorum signorum publicoque illo conuersionis aquæ in vinum miraculo decorauit, vt significaret aquam carnalis concupiscentiæ (quæ in matrimonio inualuerat) per gratiam quam matrimonio superaddebat, vertendam esse in vinum perfectioris, & purioris. Gratis equidem hoc mihi videtur dictum gratisque negandum cum nondum Christus

Christus se manifestasset, nec quidquam statuisset de nouo Testamento, nec adhuc crederent in eum Apostoli, quos viso miraculo credere cœpisse, narrat Euangelista.

Alij dicunt institutum fuisse Sacramentum post Resurrectionem, quando Christus loquebatur magnalia de regno Dei, id est Ecclesia. Hoc non inuenio. Alij declaratum tale censent quando Christus dixit, Math. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Ita Ferdinand. Perez. §. 10. Henriquez lib. 11. cap. 2. Sanchez lib. 2. disp 4. Rebellus lib. 2. q. 3. n. 10. Reginald. lib. 31. n. 10.

DIces, nusquam legi Matrimonium esse institutum diuinitus vt signum sacrum, sed tantum vt officium naturæ, ideóque dixisse, crescite & multiplicamini, & benedixisse, quam benedictionem Patres agnoscunt potestatem inditam generandi, nec constare de promissione gratiæ, quæ comitatur Sacramenta nouæ legis.

Respondeo primo, nihil concludi ab authoritate negatiua Scripturæ, cum certum sit apud Catholicos multa esse tradita ab Apostolis, quæ scriptis non constant. Hincque Concil. Trid. sess. 24. sic loquitur. Cùm Matrimonium in lege Euangelica præstet veteribus connubiis gratia per Christum meritò inter nouæ legis Sacramenta annumerandum. Sancti Patres nostri Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. Nihil dicit de scriptura quam non omisisset, si expressè hæc suffragaretur huic veritati.

DIces, Ecclesia non potest variare Sacramenta, nec apponere quidquam circa illa quod sit de illorum essentia & necessitate, licet vim præcepti obseruandi habeat. At in Matrimonio lex eius est de validitate Sacramenti, clandestina enim Matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata & vera fuisse Matrimonia dubitandum non esse, quamdiu ea irrita non fecit Ecclesia, ipsismet verbis declarat Conc. Trid. cap. 1. sess. 24. Hodie autem Matrimonium validum non habetur, nisi adhibita fuerit præsentia Parrochi, vel Sacerdotis ab eo commissi, vna cum duobus vel tribus testibus; ergo Matrimonium non est Sacramentum.

Respondeo, Ecclesiam nihil variare in essentia Sacramenti, sed mutare dumtaxat fundamentum prærequisitum ad hoc Sacramentum; materia enim huius Sacramenti non est coniunctio viri & mulieris cuiuscunque, sed coniunctio legitimarum personarum: alioquin inter patrem & filiam, filium & matrem posset esse Matrimonij Sacramentum. Quæ sint autem legitimæ seu habiles personæ, Christus non determinauit, sed præsupposito contractu humano inter legitimas personas, eam coniunctionem seu contractum ciuilem eleuauit ad dignitatem Sacramenti Ecclesiæ, igitur determinat quæ sint habendæ legitimæ personæ ad contractum, & eo modo materiam & fundamentum præparant Sacramento, nequaquam autem substantiam eius mutat, aut mutare potest. In reliquis Sacramentis Christus determinauit materiam, aquam, videlicet in Baptismo, panem & vinum in Eucharistia. Et vnde nemo potest facere vt tali materiæ, dum legitima forma applicata est à legitimo Ministro, verum non sit, & validum Sacramentum. Nec contra vbi quod non est aqua vel panis, sint apta materia. Quatenus ergo contractus est materia Sacramenti Matrimonij, & Ecclesia ius in illum habet non minus quam Princeps, qui cum certis conditionibus validum aut inualidum facere potest. Hinc est, quod Ecclesia dicitur posse aliquid apponere de necessitate Sacramenti.

DIces, absque Baptismo nemo capax est Sacramenti propriè dicti, sed homo est capax Matrimonij ante Baptismum; ergo illud non est Sacramentum. Minor probatur, nam Matrimonium ita est verum & legitimum inter infideles ante Baptismum, vt inter fideles post Baptismum.

Respondeo cum Doctorib. Matrimonium infidelium esse verum & legitimum, sed non ratum, nec omnino insolubile, quia (vt docet S. Thom. in secundo scripto, in quartam sententiam) non est Sacramentum, omnimoda enim insolubilitas est effectus Sacramenti, siue igitur coniugati, iterum post Baptismum contrahant, siue persistant in contractu antiquo, ille consensus mutuus signo aliquo aut saltem ipsa copula expressus Sacramentum coniugij facit in iis qui iam per Baptismum capaces effecti sunt Sacramentorum.

Ad hæc notandum, quod copula non facit Sacramentum, licet sit pars eius integralis, & quid eo posterius, ea enim est Matrimonij vsus præsupponens iam factum Matrimonium, quia quod sequitur aliquid non facit illud, validum ergo Matrimonium consequenter & Sacramentum consistit non in corporum coniunctione, sed in mutua traditione, seu iuris ad illa mutuo consensu. Vnde Ambros. in institut. virg. cap. 6. *Non defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis*; vterque ergo paciscens de præsenti accipit ius in corpus alterius, nam Matrimonium exigit consensum in copulam ad quam datur reciproca potestas, sed vterque poterit renunciare vsui, & mutuo consensu in castitate viuere, illámque Deo vouere, vt Beatus Elzearius suadente vxore B. Delphina fœliciter fecisse notatur. Vnde *cœlestes flores coniugij bonis vernantes sæculi*, vtrumque commemorat quotidie Ecclesia Seraphica Aptensis, quod & de pluribus aliis qui illibatè continentes in coniugio vixere, ad exemplum Deiparæ Virginis celebrat Ecclesia Catholica.

QVÆSTIO III.

De Materia, Forma, & Ministro huius Sacramenti.

DVæ sunt Theologorum præcipuæ sententiæ. Vna quod consensus coniugum verbis, seu nutibus expressus (homo enim per nutus loqui potest, vt notat Aug. in hæc verba Ioan. 13. *innuit Petrus Ioanni*, qui exponit Petrum innuendo dixisse) sint materia & forma Sacramenti sibi inuicem, secundum

diuersas rationes, nam in verbis contrahentium duo spectari possunt. Primò, expressio mutuæ traditionis qua quilibet tradit alteri corporis sui potestatem, & hac ratione verba vel nutus dicentur materia. Secundò, expressio mutuæ acceptationis, qua quilibet acceptat traditionem sibi ab alio factam, & hac ratione dicuntur forma, quia traditio est imperfecta & inefficax, seu materialis tantùm donec accedat acceptatio.

PROPOSITIO THEOLOGICA.

ALteram facit sententiam, scilicet quod *ipsa persona, seu personæ contrahentium sint materia. Verba vero exprimentia consensũ sint forma*, & quasi coincidit cum prima, aut cõciliantur facile, nam coniugij Sacramentum duobus modis considerari potest: vno dum fit, altero dum permanet postquam factum est.

Est enim matrimonium simile Eucharistiæ, quæ non solùm dum fit, sed etiam dum permanet est Sacramentum, dum enim coniuges viuunt, semper eorum societas Sacramentum est Christi & Ecclesiæ. Si ergo Matrimonium consideretur dum fit, tota eius essentia consistit in signis exprimentibus mutuum consensum. Nam corpora coniugum non concurrunt, nisi vt materia circa quam, vt etiam dum fit Eucharistia tota essentia consecrationis posita est in verbis; panis autem & vinum concurrunt tantùm vt materia circa quam, & idem videmus in aliis contractibus: nam cum venditur aut emitur ager, tota contractus ratio sita est in consensu mutuo, ager autem est materia circa quam operatio illa versatur. Nemo enim dicit agrum qui venditur esse partem illius contractus. Sed quia verba vnius coniugis determinant verba alterius, & ab illis pariter determinantur; ideo in iisdem verbis distingui potest materia & forma, nam verba quatenus determinant dici possunt forma & quantenus determinantur materia. Ita S. Thom. in 4. dist. 26. q. 2. & alij. Si verò Matrimonium consideretur iam factum & celebratum, negari non potest, ipsos coniuges simul habitantes, imo eorum copulam esse materiale symbolum externum, repræsentans Christi & Ecclesiæ indissolubilem vnionem, sicuti in Eucharistiæ Sacramento consecratione peracta remanẽt species consecratæ, quæ sunt symbolum sensibile & externũ interni alimenti spiritualis.

Nota Sacramentum hoc consistere in contractu, non in illo Tabellionis scripto, sed in consensu contrahentium, siue scribatur, siue non (qui contractus fuit eleuatus à Christo in Sacramentum conferens gratiam) ideo materia & forma in illo eadem est quæ in contractu & consensus debet omnino esse liber, & per verba de præsenti expressus, & de iure nouo requiritur præsentia Parochi, & duorum testium.

Minister essentialis huius Sacramenti non est Sacerdos, sed ipsimet contrahentes sibi mutuo materiam & formam applicantes; ita Doctores, excepto Melchiore Cano, qui admittit expressionem consensus mutui esse formam coniugij, sed non Sacramenti coniugij, cui ipse requirit Ministrum Ecclesiasticum perficientem sacris & solemnibus verbis v. g. Ego vos coniungo. Sed exploditur, quia ex doctrina Tridentini ante eius inductionem ad validitatem Parrochi, & duorum testium, clandestina matrimonia erant vera Sacramenta (quod sub anathemate credendum definit.) Ergo Sacerdos non est minister, sed tantùm testis principalis, proindéque verba quæ profert non pertinent ad formam, sed tantùm est ceremonia Sacramento posterior, per quam nomine Dei & Ecclesiæ significat se confirmare quod est peractum, tanquam minister Cæremoniarum ab Ecclesia additarum, vnde licet nulla verba pronunriet, Sacramentum est integrum. Tum ille est minister Sacramenti huius, qui est minister contractus, sed ij sunt contrahentes, non Sacerdos.

Hinc habes, quod inter Christianos nullum sit legitimum matrimonium quin sit Sacramentum.

DIces ex Can. fieri nequit, vt res non sacra perficiat Sacramentum. At verba illa, *accipio te in meam*, non sunt verba sacra, nec supernaturalia, vti debet esse forma quæ dat esse Sacramento, nec significant effectum illum spiritualem, cuius causa Matrimonium dicitur esse Sacramentum. Tum verba debent esse determinuta, & non pendere, vt hic ex arbitrio hominum.

Respondeo illa verba, *accipio te*, esse verba naturalia, si physicè spectentur, & sacra & supernaturalia vt ad Matrimonium referuntur. Sic ablutio, inunctio, significationem habent supernaturalem ex instituto Dei. Variatio autẽ verborum non importat, modo consensus exprimatur. Parrochi autem præsentia omnino ad validitatem requiritur.

Qui aliter, ait Conc. Tridenr. sess. 24. cap. 1. *quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parrochi, seu Ordinari, licentia duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit.*

Vide pro declaratione ampliori Casuistas, & 12 Canones Tridentini, quorum 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.*

QVÆSTIO IV.

De effectibus Sacramenti Matrimonij.

PRæter gratiam sanctificantem quod illud sicut alia Sacramenta confert, habet & gratiam Sacramentalem propriam, consistentem in quibusdam specialibus auxiliis gratiæ actualis, quæ huius Sacramenti intuitu opportuno tempore dantur ad ipsius Matrimonij officia debitè ac rectè obeunda. Tres sunt præterea huius Sacramenti effectus, quos alio nomine bona Matrimonij Theologi vocare solent, scilicet Sacramenti indissolubilitas, prolis legitima susceptio, proinde honestas

in

in copula ac pia educatio & thori coniugalis fides.

PROPOSITIO CATHOLICA.

MAtrimonium inter Christianos legitimè contractum, & ab ipsis consummatum est insolubile quoad vinculum, vt neque causa fornicationis dirimi possit, & ideo viuente priore coniuge nunquam est licitum ad alias nuptias aspirare.

Nota. Ante probationem, triplicem esse separationem inter virum & vxorem vna, quoad thorum id est, lectum, alia quoad habitationem id est domum, tertia quoad diuortium, seu realem dissolutionem vinculi Matrimonij. Prima & secunda separatio fieri poterit ab Ecclesia ob multas causas. Et Concil. Trident. sess. 24. can 8. Hæreticum esse dicere, quod Ecclesia erret faciens ad certum, incertúmve tempus has præfatas separationes.

Probatur insolubilitas vinculi, Genes. 2. nexum enim perpetuum & indissolubilem pronuntiauit primus humani generis parens sancti Spiritus instinctu, cùm dixit: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quam firmitatem vinculi ab Adamo tanto ante prænuntiatam Christus Dominus confirmauit, Math. 19. *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.* Math. 5. *Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat*, infra elucidabitur hæc fornicationis causa, Marci 10. *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit adulterium committit super eam, & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit mœchatur.* Idem habet Lucas cap. 16. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit mœchatur, & qui dimissam à viro ducit mœchatur.* Hæc verba vniuersaliter docent, nunquam ita dissolui Matrimonium inter fideles contractum & consummatum, vt liceat ad alias nuptias transire.

Respondent qui asserunt licitam separationem ex causa fornicationis Caluinistæ, Lutherani, & Caietan. in cap. 19. Matth. Qui soli viro id concessum docet, loca ista Marci & Lucæ debere exponi ex cap. 19. Matthæi, vbi habetur exceptio fornicationis; nam nisi in verbis illorum subintelligatur causa à Matthæo expressa, pugnabunt illi cum isto: ista enim contradictoria sunt, *omnis qui dimiserit mœchatur.* Non omnis sed ille qui fornicationis habet causam. Prior vero propositio est Marci & Lucæ, cui ad declinandum contradictionem subintelligenda est exceptio quam Mathæus expressit. At contra, nam Euangelistæ licet interdum omittant aliquid quod ab aliis suppletur, tamen semper verum dicunt, & ita sufficienter vt possint intelligi etiam ab iis qui non legerint alios Euangelistas, alioquin ij qui solum vnum aliquando habebant decepti fuissent. Quare expositio vnius Euangelistæ per alium non debet esse talis, vt sine ea reddatur falsum quod aliquis eorum dixerit. Oportet igitur vera esse absolutè, quæ Marcus & Lucas dicunt, neque pendere à verbis Matthæi, nisi velimus deceptos fuisse, qui sine Matthæo, Marcum aut Lucam legebant.

Exponit ergo August. lib. de adult. coniugiis, cap. 11. posse dimitti quoad thorum & cohabitationem, non vero separari quoad ipsius Matrimonij vinculum, & cap. 9. grauiter inuehitur in eos qui Marci & Lucæ verba non accipiunt vniuersaliter, vt sonant. *Qui sumus*, ait, *nos vt dicamus, & qui mœchatur vxore dimissa alteram ducens, & est qui hoc faciens non mœchatur, cum Euangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit.* Pauli 1. Cor. 7. *His qui Matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed dominus vxorem à viro non discedere: quod si discesserit manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi.*

Probatur ex Conc. Elibertino, quod celebratum fuit anno 320. & ita habet cap. 9. *Item fidelis fœmina quæ adulterum maritum reliquit fidelem, & alterum duxerit prohibeatur ne ducat, si autem duxerit non prius accipiat communionem, quàm is quem reliquit de sæculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* Conc. Mileuit. can. 17. *Placuit vt secundum Euangelicam & Apostolicam doctrinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito alteri coniungantur, sed ita maneant vt sibimet reconcilientur, quod si contempserint ad pœnitentiam redigantur.* Florentino in instruct. Armenorum. Conc. Trid. sess. 24. cap. 5. & 7. profert anathema in eos qui dixerint propter adulterium, hæresim, aut aliam quamlibet causam Matrimonia Christianorum dissolui posse.

Probatur ex sanctis Patribus Clemente can. 48. Apostolorum, vbi sine vlla exceptione excommunicari iubetur, qui vxore dimissa aliam ducit. Iustino & Athenagora, qui in Apologia pro Christianis ad Imperat. Antoninum, ponunt inter dogmata Christiana adulterium esse, si quis dimissam ab alio ducat, & Athenagoras addit: Si quis priore dimissâ aliam ducat non esse coniugium, sed adulterium. Bellar. lib. 1. cap. 16. sæculatim hoc ita habitum deducit S Basil. epist. 1. ad Amphil. can. 9. *Vir vxore dimissa (scilicet propter fornicationem) si ad alterum se contulerit ipse adulter est: quoniam in causa est vt vxor adulteretur, & quæ cum eo habitat adultera est, eo quod alium virum ad se traduxerit.* Ambros. lib. 8. in 16. Lucæ. *Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt,* Quod Deus coniunxit, homo non separet. *Sed non solum hic cæleste præceptum, sed quoddam etiam Dei opus soluitur. Paterisne oro liberos tuos viuente te esse sub vitrico? aut incolumi matre degere sub nouerca? Pone si repudiata non nubat, & hæc viro, tibi potuit displicere quæ adultero fidem seruat. Pone si nubat, necessitas illius crimen tuum est, & coniugium quod putas adulterium est.* Hieronym. epist. 147. ad Amand. *Omnes igitur causationes Apostolus amputans apertè definiuit, viuente viro adulteram esse mulierem si alteri nupserit, &c. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris authoritatem, propinquorum cateruam, seruorum insidias, atque contemptum damna rei familiaris* quamdiu

quamdiu viuit vir, licet adulter sit, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus, coopertus & ab vxore propter scelera derelictus maritus, eius reputabitur cui alterum virum accipere non licet, nec Apostolus propria hoc authoritate decernit, sed Christo in se loquente. August. lib. de bono coniugali cap. 7. *Vsqueadeo fœdus illud initum nuptiale cuiusdam Sacramenti, res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem viuente viro à quo relicta est mœchatur si alteri nupserit, & ille huius mali causa est qui reliquit.* Et cap. 18. Nec causa numerosioris prolis fecerũt sancti nostri, quod Cato dicitur fecisse, vt traderet viuus vxorem etiam alterius domum filiis impleturam. In nostris quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri.

Probatur rationibus. Matrimonium fidelium signum est coniunctionis Christi cum Ecclesia, Ephes. 5. At illa vnio indissolubilis est, ergo & vinculum coniugale indissolubile est, & quamuis tota Ecclesia simul à Deo fornicari non possit, tamen aliquæ eius partes nonnulli videlicet fideles, fornicantur interdum spiritualiter, & diuortium faciunt, sed non propterea licet illis mutare Deum, aut Deus ita illos abiicit, vt nolit reconciliari, imo hortatur ad reconciliationem.

1. Tale igitur debet esse coniugium Christianorum, vt nunquam tale diuortium fiat, quin spes maneat reconciliationis. Et hanc rationem à Sacramento ductam valde vrget Aug. cit.

2. Si licitum esset aliud Matrimonium iniuriâ afficeretur proles: nam filiis iam natis male consuleretur, qui pro patre vitricum, pro matre nouercam habere inciperent. Ita Ambros. cit. qui dicit patrem debere matris culpæ propter filios ignoscere.

3. Aperiretur aditus infinitis repudiis etiam iniustis. Nunc autem quia sciunt fideles debere se, aut cælibes viuere, aut priori coniugi reconciliari, non facile ad diuortium adducuntur: at si scirent mox repudiata vxore aliam posse duci, facilè diuortia fierent, & quærerentur occasiones dissidiorum & criminum. Ita Hieron. in 19. Math. vbi scribit, quia periculum erat, ne mariti ob desiderium alterius coniugij calumniam struerent priori vxori, sic dominum voluisse dimitti vxorem ob fornicationem, vt tamen ea viuente non liceret aliam ducere.

4. Si post diuortium in causa fornicationis liceret parti innocenti aliud inire Matrimonium, vel id liceret etiam nocenti vel non liceret, si liceret, ergo commodum ex peccato suo adulter reportaret, & sæpe etiam viri dedita opera adulterium committerent, vt possent ab vxore liberari, & aliam ducere. Si non liceret quæro in primis quare? nam cum ea persona sit à vinculo coniugij soluta (neque enim potuit pars innocens aliud inire Matrimonium nisi vinculo prioris dirempto,) neque vlli faciat iniuriam, quare non potest Matrimonium contrahere? Dices, quia lex prohibet, sed vbi est lex prohibens? nullam inuenio quæ soli innocenti nuptias concedat. Deinde non prohiberet lex coniugari hominem solutum, & ad vitia procliuem, quando nulla restat amplius spes reconciliationis cum coniuge priore: Sancto ergo iudicio, Christus sanxit coniugium quoad vinculum omnino indissolubile esse debere.

Dices, Christus à Pharisæis interrogatus, Math. 19. an liceret vxorem dimittere, scilicet quoad vinculum. Hanc enim tantùm dimissionem nouerant ex lege permissam, qua & aliam ducere poterant. Deuteronom. 24. Leuit. 21. Ierem. 3. Ezech. 44. respondens eis loquitur etiam de dimissione quoad vinculum, non alioqui respondisset ad propositum. Vnde semper coniungit dimissionem vnius cum acceptione alterius, dicens: *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit,* Matth. 19 Marc. 10. Luc. 16. Sed Christus de ista dimissione quoad vinculum loquens, Matth. 5. & 19. excipit causam fornicationis. Ergo voluit posse dimitti vxorem quoad vinculum in causa fornicationis.

Confirmatur argumentum à contrario sensu, nam sicut Christus dicit: *Qui dimittit vxorem, excepta causa fornicationis, & aliam ducit, mœchatur* Ergo qui propter causam fornicationis dimittit, & aliam ducit, non mœchatur.

Respondeo, aliud est dimittere vxorem propter fornicationem, aliud illa dimissa, ac viuente aliam ducere. Prius concessum est à Christo non posterius. Sic explicat Apostolus 1. Cor 7. cum ait; *Iis autem qui Matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: Quod si discesserit ob fornicationẽ, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Vbi duo consideranda sunt, vnum quod aliquando vxor possit discedere à viro ex legitima causa. Alterum, quod viuente viro non possit alium accipere, sed debeat vel manere innupta, vel viro reconciliari. Christus itaque non respondit Pharisæis de dimissione quoad vinculum, sed cum imperfecta dimissione quæ est quoad vinculum, duo continentur, dimissio vnius, & potestas ducendi aliam. Hæc duo separauit, ac vnum concessit, dimissionem scilicet cum restrictione ad fornicationis caussam, alterum vero omnino sustulit. Et hæc est causa cur semper Dominus illa duo distinctè posuerit, *Quicumque dimiserit, & aliam duxerit,* vt nimirum explicaret repudium in lege permissum, & partim approbaret, partim improbaret.

Ad confirmationem respondeo, nihil eam concludere: Nam si exponatur, *qui dimiserit,* quod non licet nisi ob fornicationem, *& aliam duxerit mœchatur,* à contrario sensu non poterit inferri, nisi hoc. Ergo qui propter fornicationem dimittit, & aliam ducit, non peccat dimittendo, sed solùm mœchatur aliam ducendo.

Dices, si non licet post diuortium ex causa fornicationis à Christo concessum aliam ducere, illud nihil esset aliud quàm laqueus conscientiæ, & ianua ad fornicationes & adulteria: melius ergo esset non permittere diuortium, tunc enim persona innocens cogeretur vti remedio à Deo ordinato.

Respondeo, aut persona innocens potest non dimittere coniugem, vel post dimissionem

nem poteſt reconciliari. Si primum, reſtat remedium, vxor ſcilicet, item etſi ſecundum fiat ad quod hortatur Apoſt. prima Cor. 7. nec durum eſt reconciliari & dimittere culpam, cum id faciat Deus, eadem autem menſura qua menſi fuerimus remetietur nobis, Matth. 7. *Nonne oportuit te miſereri conſerui tui, ait Chriſtus Math. 18. ſicut ego tui miſertus ſum?* Adde quod viri dimittentes vxorem propter adulterium ſunt ipſi etiam adulteri ſi non opere certè voluntate coram Deo autem & in rei veritate cum dixerit Math. 5. qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.

DIces ſi fornicatio ſpiritualis nempe infidelitas ſoluit vinculum coniugij cur non magis fornicatio corporalis.

Reſpondeo vinculum non ſolui ob fornicationem ſpiritualem abſolutè, quia tunc ſolueretur etiam quando alter coniugum Catholicorum fieret infidelis, ſed ſolui tamen vinculum coniugij contracti inter infideles quando alter conuertitur ad fidem, quia coniugium illud Sacramentum non erat.

Nota matrimonium ratum non conſummatum quamuis ſit verum Sacramentum, tamen poſſe ſolui etiam quoad vinculum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius coniugum vt definitum eſt in Conc. Trid. ſeſſ. 24. cano. 6. & ea de cauſa cap. *Ex publico* de conuerſione coniugatorum: ſecundum doctores iniungitur Iudici vt coniugi de religionis ingreſſu ante matrimonij conſummationem deliberanti bimeſtre ſpatium definiat, intra quod vel propoſitum religionis exequatur, vel coniugi debitum reddat. Ratio huius diſſolutionis eſt, quia Deus ipſe eſt qui tunc dirimit matrimonium ratum vocando ad ſtatum religionis & continentiæ, qui perfectior dicitur in Euangelio Math. 19. *omnis qui reliquerit domum vel agrum vel vxorem.* Vbi loquitur de dimiſſione vxoris vt Apoſtoli fecerant, nimirum cauſſa ſequendi Chriſtum. Hoc autem licitum ſcimus ex declaratione Eccleſiæ, quæ ſic in Conc. definiuit, & exemplis ſanctorum comprobatum eſt, quæ affero in honorem ſanctorum coniugatorum Elzearij & Delphinæ, in quorum conuentu ſeraphico hæc elucubro.

Primum exemplum habemus. S. Teclæ quam ante matrimonij, conſummationem S. Paulus à nuptiis reuocauit teſte S. Epiphan. hær. 78. Ambroſ. lib. 2. de virginibus.

Secundum S. Alexij qui prima nocte nuptiarum intactam vxorem relinquens peregrè profectus eſt, caſtamque vitam perpetuo duxit.

Tertium S. Euphraſiæ de qua ſimilia refert Metaphraſtes in vitis SS.

Quartum S. Cæciliæ quæ Valeriano prima nocte negauit coniugale debitum, quia nimirum continenter viuere volebat.

Quintum eſt apud Auguſtin. lib. 8. Confeſſ. cap. 6. vbi ſcribit duos milites lecta Antonij vita mox vota monaſtica ſuſcepiſſe relictis vxoribus, quæ cum id cognouiſſent, ſimiliter fecerunt.

Sextum S. Leobardi qui teſte Gregor. Turon. rupit fœdera nuptialia & inuitis parentibus factus eſt Monachus.

Septimum refert S. Greg. lib. 3. dialo. cap. 14 de Gregoria quæ conſtitutis nuptiis ad Eccleſiam confugit & Sanctimonialis habitum impetrauit.

DIces matrimonium ratum non differt à conſummato vlla differentia eſſentiali, vtrumque enim eſt verum Sacramentum ſignificans Chriſti & Eccleſiæ vnionem, ergo inſolubile, per ratum data eſt mutua poteſtas in corpora coniugum, vnde votum emitti non poteſt inuita parte.

Reſpondent Canoniſtæ verba Chriſti inſolubilitatem exprimentia. *Quod Deus coniunxit &c.* intelligi tantum de conſummato, nam hæc non ſunt dicta niſi poſtquam dixerat *Erunt duo in carne vna* quod non fit niſi per copulam carnalem, ſicque exponendum textum hunc docet Alexander III. cap. *Ex publico.* Itaque ratum non differt eſſentialiter ſed differt ſicut perfectum & imperfectum cui deeſt operatio & effectus. Porro id quod deeſt facit illud ſolubile, nam non habet omnem ſignificationem ſicut habet conſummatum, ſignificat quidem gratiam inuiſibilem ſiue coniunctionem Chriſti cum anima, ſed non coniunctionem cum Eccleſia per naturæ conformitatem.

Ad 2. inſtantiam Reſpondeo, conſortem teneri conſentire cùm id faciat ſine ſuo incommodo, poteſt autem cogi vt faciat quod facere tenetur, vide Bellar. lib. 2. de monachis cap. 38. De aliis effectibus Sacramenti, matrimonij, ſcilicet fide mutua bono prolis, debito coniugali quod ſub pœna peccati mortalis reddendum, cum ſerio petitur docent Theologi, vide Bonacin.

QVÆSTIO V.

De Impedimentis Matrimonij.

DVplicia ſunt impedimenta Matrimonij, quædam iure naturæ dirimunt matrimonium, qualis eſt defectus vſus rationis error circa perſonam, impotentia perpetua ad coeundum, &c. duodecim communiter numerantur his tribus verſibus memoriæ cauſa comprehenſa.

Error conditio votum cognatio crimen.
Cultus diſparitas, vis ordo ligamen honeſtas.
Si ſis affinis ſi conſummare nequibis.
Hæc socianda vetant connubia facta retractant.

Alia tantum impediunt contrahendum & quinque ſupputantur, hæc idem ſunt.

Eccleſia vetitum, nec non tempus feriatum.
Atque Catechiſmus ſponſalia, iungito votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

S. Thom. in ſupplem. 3. partis q. 50. docet in matrimonio quædam eſſe de eſſentia & quædam de ſolemnitate eius, ſicut obſeruatur in aliis Sacramentis, & quia remotis his quæ ſunt de ſolemnitate adhuc manet verum Sacramentum, ideo impedimenta quæ ſolemnitati

rati contrariantur non efficiunt quin sit verum Sacramentum, consequenter non dirimunt contractum, v. g. prohibitio Ecclesiæ ab Aduentu ad Epiphaniam, A die Cinerum ad Octauam, Paschæ solemnes nuptias Concil. Trident. interdixit, quia solemnitas nuptiarum res est magnæ distractionis à deuotione, cui his temporibus vacandum est. Cognatio spiritualis quæ per instructionem fidei solitam fieri ante ianuam Ecclesiæ super baptisando contrahitur à tenente baptisandum, non est amplius in vsu, sublatum est hoc impedimentum à Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. vt asserunt Casuistæ, quia Concilium restrinxit cognationem spiritualem ad eas tantum personas quas ibi enumerat nullam autem facit mentionem tenentis in Catechismo.

Sponsalia celebrata cum alia persona impediunt ob obligationem inductam sub peccato mortali standi promissis, soluitur tamen per mutuum consensum; per fornicationem vnius sponsorum post sponsalia inita vt habetur ex cap. *Quemadmodum*, de iureiurando, quamuis enim reus remaneat obligatus, alter tamen resilire potest si velit. Per notabilem aliquam mutationem post sponsalia superuenientem. Per matrimonium de præsenti cum altera contractum quamuis peccet mortaliter qui sic contrahit vt habetur ex cap. *sicut ex litteris* de sponsalibus.

Votum simplex castitatis, aut religiosi status amplectendi vel suscipiendi sacros ordines vel non nubendi, ratio est quia matrimonium, repugnat adimpletioni huiusmodi voti & adstrictus tali voto grauiter peccat contrahendo cum faciat contra votum in re graui quamuis matrimonium ab eo factum validum sit vt constat ex cap. Consuluit cap. *Si quis votum* 27. quæst. 1. & cap. vnico de voto in sexto. Dispensatio ergo prius habenda est Bonacina addit quintum impedimentum, Scilicet vxoricidium, Presbytericidium, incestum & quædam alia crimina ob quæ olim quasi pœnitentiæ loco matrimonium interdictum erat. Verum per diuturnam desuetudinem sublatum notat Laymanus.

Impedimenta dirimentia, quia contrariantur his quæ sunt de essentia Matrimonij, faciunt vt non sit verum matrimonium, & ideo dicuntur non solum impedire contrahendum sed dirimere iam contractum.

Horum numerum sic eruit S. Thom. Matrimonium impediri patet aut ex parte contractus aut ex parte contrahentium. Si primo modo cum contractus fiat per voluntarium consensum qui tollitur per ignorantiam & per violentiam erunt duo impedimenta, scilicet vis id est coactio & Error ex parte ignorantiæ.

Vis seu metus grauis iniustè incussus quando quis vi aut metu huiusmodi adigitur ad contrahendum matrimonium quod nullo modo contraxisset nisi ad id eo modo compulsus fuisset. Si ergo ex vna parte contrahentium desit liber consensus matrimonium nullum fit, patet ex c. *Cum locum* & cap. *Tua fraternitati* de sponsalibus cap. *sufficiat* & cap. *si quippe* 27. quæst. 2.

Error qui dupliciter contingere potest, vel circa substantiam personæ, vt si quis ducat Annam existimans esse Magdalenam vel circa ipsius personæ qualitatem, vt si quis ducat Annam credens esse nobilem diuitem, &c. quam postea comperit esse ignobilem pauperem &c. Et priori quidem modo reddit matrimonium inualidum non tamen posteriori vt docent Theologi quia cum tali errore & dolo celebratum est simpliciter voluntarium quo ad naturam & substantiam rei, quamuis quoad accidentia non sit voluntarium. Nec est eadem ratio matrimonij & aliorum contractuum, qui sunt ipso facto irriti ex dispositione iuris quando celebrantur per dolum dantem ipsis causam. Quæ propositio cum duplici limitatione intelligi debet ait Bonac. prima vt qualitas circa quam erratur non fuerit apposita per modum conditionis, tunc enim si contingeret error circa qualitatem dicendum esset Matrimonium esse inualidum v. g. si quis dicit duco te in vxorem si es diues vel nobilis, inualidè contrahit sit desit illa qualitas quæ apposita fuit tanquam conditio nam contractus vim habet à voluntate contrahentium. Ita Coninch. Regin. Guttier. Sanch. Secūda est vt error qualitatis non transeat in errorem personæ tunc enim cum erretur circa personam inualidum est matrimonium defectu consensus absoluti v. g. quando qualitas in qua erratur respicit aliquam certam & determinatam personam distinctam ab ea quæ præsens est: error qualitatis redundat in errorem personæ v. g. Berta contraxit cum Titio qui se fingebat filium Regis Galliæ cuius verè non erat filius, nihilominus Berta filium Regis sibi in mente proposuit, in illumque directè consentire voluit: in hoc casu error qualitatis dicitur redundare in errorem personæ: consequenter matrimonium inter Bertam & Titium inualidum est, quia Berta consensit in personam quam sibi proposuit, vide DD.

Si secundo modo spectetur matrimonium scilicet ex parte contrahentium S. Tho. Sic distingui docet, potest aliquis impediri à contrahendo vel simpliciter, vel respectu alicuius personæ: *Si simpliciter vt cum nulla possit matrimonium contrahere.* Hoc non potest esse nisi quia impeditur ab actu matrimoniali & sic habetur impedimentum dictum.

Impotentia, id est inhabilitas ad consummandum matrimonium siue illa se teneat ex parte viri siue ex parte mulieris dummodo fuerit eo tempore quo contractum est matrimonium & non possit remoueri arte humana vel probabili vitæ periculo, vel sine arte magica seu absque peccato, hæc enim censetur impotentia perpetua eo quod non videatur posse licitè auferri arte humana, iuxta illud axioma iuris. *Illud non possumus quod iure non possumus* iure autem non possumus aliquid cum peccato. Et hoc impedimentum dirimit matrimonium sicut & improportio naturalis quando fœmina ita arcta est vt carnaliter à viro cognosci nequeat idque ex exploratione indicta cōstat, tunc Ecclesia potest declarare inualidum matrimonium si tamen ex incisione nō periculosa non possit aptari quam pati tenetur mulier. Quod si dubitetur cum impotentia sit perpetua permittuntur coniuges simul habitare per triennium vt matrimonium consumment, quo tempore si nequeant, separantur quia impotentia iudicatur perpetua & consequenter

consequenter inualidum matrimonium, secluso autem periculo incontinentiæ iura permittunt vt vir habeat tantum pro sorore quam non potest habere vxorem vt constat ex cap. *Laudabilem* & cap. *Requisiuisti* 33. quæst. 1. *Vel quia liberè non potest & sic habetur.*

Conditio quando quis contrahit cum persona aliqua seruilis conditionis existimans esse liberam, tale enim matrimonium Ecclesiastico iure irritum est, vt habetur ex cap. 2. & vlt. de coniugiis seruorum. Verum eiusmodi impedimentum hodie inter Christianos rarissimè contingit, nisi fortè respectu eorum qui sententia iudicis per totum vitæ tempus ad remos sunt damnati, aut carceri perpetuo mancipati, tales enim cum sint *serui pœna* vt iura loquuntur seruilis conditionis leges subire debent, *vel quia licitè non potest*,& hoc quia ad continentiam obligatur quod contingit dupliciter quia vel obligatur ex officio suscepto & sic impedimentum.

Ordo, quando quis initiatus est sacris ordinibus, tales enim ordines ob votum solemne castitatis quod annexum habent, matrimonium contrahendum impediunt & dirimunt contractum vt habetur ex cap. vnico de voto in 6 & Conc. Trid. sess. 24. can. 9. Restringitur tamen votum continentiæ ordini sponte suscepto sicut & onus recitandi officium. Qua de causa inquit, Sanchez disp. 29. qui ad ordines promotus est per metum grauem non tenetur ad castitatem aut ad recitandum diuinum officium, modo non ratificauerit sponte ordinationem verbis, aut facto aut semel & pluries liberè vtendo ordine suscepto. Addit. Nauarrus, hoc verum esse etiamsi metus non sit cadens in constantem virum, modo fuerit causa cur ordines suscepti sint, qui alioquin non fuissent suscepti.

Nota ordines & votum dirimere matrimonium iure tantùm Ecclesiastico, non iure naturali, quo tantum impedit votum, vt patet in voto simplici per quod certum est matrimonium non dirimi. Votum autem solemne nihil aliud superaddit voto simplici quàm solemnitatem ab Ecclesia inductam. Ita. DD. Sanchez, lib. 7. disp. 17. Henriquez, lib. 12. cap 5. Ledesma. Coninch. Sà.

Hac de causa, si Papa dispensaret cum Sacerdote absque legitima causa validum esset Matrimonium ab eo Sacerdote celebratum, nam censeretur ablatum impedimentum dirimens ab Ecclesia inductum.

Ordo dirimit tantùm Matrimonium subsequens, quia antea contractum non dirimitur per susceptionem sacri Ordinis. Sic enim definitum est in quadam Extrauaganti Ioannis XXII. de voto. Præterea nullo iure probatur Matrimonium antea celebratum dissolui per susceptionem Sacrorum Ordinum. Et hæc est differentia inter Ordines maiores, & Professionem religiosi status, quòd Professio dissoluit Matrimonium, non solum sequens, sed etiam antecedens, modò non fuerit consummatum. Ordines verò maiores dissoluunt tantummodò Matrimonium, quod contrahitur post susceptionem ipsorum Ordinum. Ita Ledesma q. 5 ar. 4. Rebell. q. 12. & alij.

Vtrum vero Orientalibus, vt Græcis Sacerdotibus licitum sit vel fuerit contrahere Matrimonium? Casuistæ negant contra Caietan. tom. 2. opusc. tract. 27. quare si Græcus aliquis Sacerdos contraheret, inualidè contraheret. Permissum tamen est Græcis iam coniugatis suscipere Sacros Ordines, & vti Matrimonio ante Sacros Ordines celebrato, vt patet ex cap. *Aliter* dist. 31. Vt hæc intelligas,

Nota, Sacros Ordines dirimere Matrimonium iure iure Ecclesiastico, non solum ratione voti solemnis, quod est annexum eis ex Decreto Ecclesiæ: Quod decretum non est acceptatum à Græcis, vt inquit Innocentius III. cap. *Cùm olim.* Sed etiam ratione ipsorum Ordinum, & hoc ius viget in Ecclesia Græcorum, ita vt initiatus Ordine Sacro non validè contrahat, quamuis iam coniugatus possit Ordines suscipere, & vti debito coniugali, vt dictum est.

Votum solemne castitatis illud scilicet quod emittitur, vt dixi in susceptione Sacrorum Ordinum, & in Professione valida religionis approbatæ, consequenter Religiosus Professus inualidè contrahit Matrimonium. Hæc propositio est de fide, definita in Concil. Viennensi, Clementina vnica, de Consanguinitate. In Trident. sess. 24. can. 9. & in aliis Conciliis relatis à Sanchez lib. 7. disp. 26. Idem dicendum est de triplici voto simplici, quod emittunt Patres Societatis IESV peracto biennio, vt patet ex motu proprio Gregorij XIII. qui incipit, *Ascendente Domino.* De quo videri potest Valentia tomo 4. disp. 10. q. 3. Henriquez lib. 11. cap. 8. Guttierez cap. 54. Vtrum vero Matrimonium celebratum post professionem sit inualidum iure naturæ, vel tantummodò Ecclesiastico nobis sufficit dicere iure Eccles. Ratio est, tum quia votum simplex (illud autem est quod fit ad libitum cuiuscumque) non dirimit Matrimonium. Ergo neque votum solemne, nam nihil habet supra simplex ratione, cuius magis dirimat Matrimonium quàm simplex, excepto Decreto Ecclesiæ, sicut enim in voto solemni traditur persona Deo, ita etiam in simplici, tum quia ita videtur definitum à Greg. XIII. in Bulla quæ incipit: *Ascendente Domino.* Ita communiter Doctores, & Bellarm. lib. 2. de Monachis, cap. 34.

Si quis autem impeditur à matrimonio non simpliciter sed respectu alicuius personæ vel hoc est propter obligationem ad alteram personam, sicut qui matrimonio iunctus est & non potest alteri coniungi & sic est

Ligamen, id est obligatio seu vinculum alterius matrimonij rati cum coniuge adhuc viuente, quandiu enim hoc vinculum impedit ac dirimit cum quouis alio aut alia contrahendum, idque non modo iure Ecclesiasto vt patet ex cap. 1. & vlt. *de sponsa duorum.* Sed etiam iure diuino vt declaratum est in Trident. sess. 24. can. 2. & satis constat ex prohibitione Christi Math. 19. & grauis pœna imponitur ei qui contrahit cum pluribus simul viuentibus & præsumitur male sentire de fide contra Sacramenta, ob id excommunicatur qui dixerit licere Christianis habere simul plures vxores. Imo dirimit, & iure naturæ quia pluralitas vxorum repugnat primæ institutioni quæ facta est vnius cum vna in Paradiso terrestri.

ſtri. Si autem Deus voluiſſet matrimonium vnius eſſe cum multis plures creaſſet Adamo non vnam tantum ſed plures fœminas quas in vxores potuiſſet accipere, cum ergo vnam tantum creauerit. Patres aſſerunt hinc voluiſſe vt vnam tantum haberet. Hoc Christus declarauit Math. 19. & Marc. 10. *Num legiſtis, quia Deus, fecit hominem ab initio maſculum & fœminam & dixit propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & erunt duo in carne vna.* Ex quibus colligitur vnitas & firmitas matrimonij, & quod Polygamia repugnet aliquo modo legi naturæ, nam ſi ei eſſet conformis ſine dubio Deus illam initio inſtituiſſet, tunc enim & poſt diluuium neceſſaria videbatur ad multiplicationem, & tamen eo tempore nemo habuit plures vxores, Lamech ſolus ante diluuium plures habuiſſe legitur, ideoque à Patribus arguitur ſpecialiter à S. Hyeronimo in epiſtola ad Geruntiam. Adde quod ſi vxorum pluralitas non repugnat formaliter principali fini & intento naturæ, ſcilicet procreationi ſobolis, cùm vir vnus ſufficiat pluribus vxoribus fœcundandis & filiis educandis ſecundario autem fini domus ſcilicet & familiæ paci & quieti non parum obſtat vt ex Gen. 26. 30. & 1. Reg. 1. conſtat.

Hinc colligitur inualidum eſſe iure naturæ matrimonium vnius fœminæ cum pluribus viris, tum quia repugnat procreationi, proles enim impeditur per commiſtionem ſeminum, vel ſi proles naſcetur non bene educabitur propter illius incertitudinem, tum quia in hac re nunquam fuit diſpenſatum ſicut diſpenſatum fuit vt vnus vir plures vxores haberet. Licita enim fuit olim polygamia Sanctis Patribus per diſpenſationem Dei non equidem ſcriptam quia lex vetans pluralitatem non erat ſcripta ſed per peculiarem inſpirationem idque ad multiplicationem prolis quæ in veri Dei cultum inſtitueretur. Lex enim vetus facit mentionem de pluralitate vxorum ſine aliqua eius prohibitione vt patet Deutero 21. Mos deriuatus ab Abraham dicitur, non ſolùm per Iſaac & Iacob ad propagandam gentem ex qua naſciturus erat Meſſias vt vult Scotus, conſequenter ſoli populo electo conceſſam ait polygamiam, ſed etiam per Iſmael & Eſau, nam ſcriptura non reprehendit Gentiles quod eo tempore polygami eſſent, quod inculpabiliter fieri ſolitum ſcribit Aug. lib. 16 ciu. cap. 38.

Hæc diſpenſatio penitus ſublata eſt à Chriſto Matth. 19.

Hinc colligitur Papam non poſſe diſpenſare in pluralitate vxorum, cum non poſſit diſpenſare in iure naturæ vel diuino. *Vel quia deficit proportio ad alteram perſonam* & hoc propter tria nimiam diſtantiam ad ipſam & ſic eſt.

Diſparitas cultus, inter Baptizatum & non baptizatum, hoc impedimentum colligitur tum ex Concil. Toletano 3. cap. 14 tum ex ipſius Eccleſiæ communi vſu qui ſufficiens eſt ad impedimentum inducendum quamuis non ſit in iure expreſſum. Ita Valent. Reginald. Perez. Non enim tale matrimonium eſt inualidum iure naturæ aut diuino, quamuis ſit illicitum ob periculum prolis quam quilibet coniugum contendet trahere ad ſuam fidem, ita Sanchez, Coninch. Gutierez, ratio dirimens eſt quia cùm infidelis non ſit capax alicuius Sacramenti, ideo matrimonium inter ipſum & fidelem vt eſt Sacramentum eſt nullum: vt vero eſt officium naturæ rectè prohibetur dari, quia tanta diſiunctio religionis maritali coniunctioni & ſocietati repugnat, Matr. vero inter fidelem & hæreticum vel apoſtatam vel excommunicatum validum eſſe cum nullo iure irritetur, tenent Ledeſma Sanchez, Sà. Peres Reginal. & alij, non enim intercedit diſparitas cultus inter fidelem & hæreticum vel apoſtatam vel excommunicatum, cum omnes ſint baptizati, committitur tamen graue peccatum contrahendo cum hæretico, cum propter prohibitionem Eccleſiæ c. *non oportet* & c. *Caue* 28. q. 1. tum propter periculū peruerſionis, ita plures cum præfatis qui addunt hoc non procedere in iis locis in quibus viget conſuetudo contrahendi cum hæreticis toleratis vt accidit in Germania, Gallia modo abſit periculum peruerſionis & ſcādalum quod hodie planè ceſſauit Adde quod Canones illi qui prohibent talia matrimonia vel non ſunt recepti in illis locis, vel certè per contrariam conſuetudinem abrogati cenſentur. Et Catholici vt plurimum ita firmi in fide notantur vt ab initio contractus excipiant & exprimant prolem Catholicè eleuandam eſſe, quare Nauarrus, Sanchez Azor rectè negant eſſe ſacrilegium contrahere cum hæretico. *Vel propter nimiam propinquitatem & ſic eſt triplex impedimentum.*

Cognatio, quæ triplex à Theologis diſtinguitur, legalis, ſpiritualis, & naturalis quæ etiam conſanguinitas vocatur.

Legalis eſt propinquitas perſonarum ex adoptione proueniens, adoptio verò eſt extraneæ perſonæ in filium aut filiam legitima aſſumptio. Et hæc cognatio legalis contrahitur primò inter ipſum adoptantem & adoptatum adoptatique deſcendentes vſque ad quartum gradum Secundo inter vxorem adoptantis & adoptatum vt conſtat ex cap. *Per adoptionem* q. 3. cap. vnico *de adoptione legis.* Tertio inter adoptatum & filios adoptantis, & hæc tollitur ſi adoptatus deſinat eſſe talis, vel ſi filius naturalis adoptantis deſinat eſſe ſub poteſtate patris. Hæc cognatio non prouenit aut inſurgit niſi ex ea adoptione quæ fit ſecundum leges, quæ proinde ſuper hac re conſuli debent. Ratio autem cur dirimat eſt, quia hæc propinquitas valde accedit ad propinquitatem naturalem quæ dirimit.

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas ſeu attinentia quarundam perſonarum quæ ex ſtatuto Eccleſiæ oritur per Baptiſmi & Confirmationis adminiſtrationem, vel per ſuſceptionem baptiſati & confirmati. Ratio huius eſt quia accedit ad cognationem naturalem, baptizans & tenens ſeu patrinus fiunt patres ſpirituales, ideo oritur propinquitas, Baptiſans vel confirmans contrahit cum baptizato vel Confirmato ac patre ac matre illius vt in Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. matr. conſtitutum eſt. Tenentes ſeu ſuſceptores contrahunt cum eo quem tenent & patre ac matre illius. Nulla autem inter ipſos ſuſceptores contrahitur cognatio proinde patrinus poteſt validè ac licitè ducere illam in matrimonium cum qua ſimul alienum filium è ſacro fonte ſuſcepit vt conſtat ex Bulla Pij V. quæ incipit. *Cum illius vicē.*

Obſeruat

Obseruat etiam Bonacina, ex Suare, Sanche, & aliis, illum qui suscipit puerum, quando priuatim & sine solemnitate baptizatur, nullam cognationem contrahere, licet is, qui eiusmodi Baptismum confert, contrahat cum baptizato, ac patre & matre illius. Excipitur casus, in quo maritus coniugis suæ prolem in necessitate baptizat, tunc enim nullam contrahit, vt habetur in cap. ad limina 20. quæst. 1.

Cognatio naturalis, seu carnalis, est vinculum personarum ab eodem proximo stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Ita Doctores. Dicitur vinculum, tum quia consanguinei cùm ab eodem sanguine oriantur, connectuntur maiori affectu, & amoris nexu: tum quia communicant in eodem sanguine, & in eo tanquam vinculo constringuntur, sanguis enim est causa consanguinitatis.

Dicitur vinculum personarum, id est hominum, & non animalium; nam homines sunt capaces veri amoris & amicitiæ non alia animalia, vt docet Arist 8. Ethic. cap. 11.

Dicitur ab eodem stipite propinquo, seu proximo, nam si stipitis remoti rationem haberemus, omnes essent consanguinei, cùm omnes ab Adamo descendant.

Stipes dicitur ea persona à qua descendunt illi, de quorum coniunctione, & gradu consanguinitatis quæritur, v. g. Caius habet filios & nepotes, aliósque descendentes, stipes istorum est Caius, eo quod filij & nepotes Caij ab eo descendant, ab eo tanquam à stipite proximo.

Dicitur carnali propagatione, quia consanguinitas non contrahitur per quamcumque dependentiam ab alio, sed per carnalem copulam: ideo Angeli non sunt consanguinei Dei, eo quod processerint ab eo per creationem, non per carnalem propagationem. Præterea Adam non habet consanguinitatem cum Eua, licet enim formata sit ex osse Adami, non tamen formata est per carnalem propagationem. Christus vero fuit consanguineus B. Virginis, eò quod ex purissimo ipsius sanguine, quoad naturam humanam conceptus fuerit, & acceperit quod cæteræ matres communicant.

Cognatio hæc, seu consanguinitas distinguitur per *lineas* & *gradus*.

Linea est ordinata series, seu collectio personarum, seu ipsæmet personæ, tam ascendentes, quam descendentes ab vno trunco, seu stipite; in vna enim *linea* plures personæ consanguineæ cum ordine colliguntur.

Tres autem sunt lineæ: Prima est ascendentium, id est, qua ordinantur personæ ascendentes.

Secunda est descendentium, id est, qua ordinantur, & colliguntur personæ descendentes.

Tertia est collateralis, id est, quæ ordinat personas à latere existentes.

Personæ ascendentes sunt illæ, quæ sunt supra aliquem, veluti pater, auus, proauus. Descendentes sunt illæ quæ sunt vt filius, nepos, pronepos. Laterales sunt illæ, quæ à latere proueniũt, vt fratres, & filij fratrum. Idem intelligo omnino de fœminis, ideo duæ sunt lineæ tantum: vna dicitur recta, quæ colligit tum ascendentes, tum descendentes: alia dicitur lateralis, quæ colligit personas non inuicem, sed ab alio tertio descendentes. Linea enim recta oritur ex eo quod vna persona prouenit ab alia: Linea lateralis oritur ex eo quod duæ vel plures personæ ab eadem alia aliqua persona proueniant.

Gradus est maior vel minor distantia vnius personæ ab alia secundum lineam consanguinitatis, vt docet Valentia tomo 4. disp. 10. q. 5. vel vt ait Sanchez, mensura personarum qua cognoscitur quanta sit propinquitas consanguinitatis, vel distantia inter ipsas personas quæ includuntur in linea, ad similitudinem graduum scalæ, per quam sursum ascendimus, & deorsum descendimus v. g. Caïus habet filios, nepotes, & pronepotes. Omnes istæ personæ constituunt lineam. Gradus vero est distantia, seu mensura, qua cognoscimus quanta sit distantia inter Caïum & filios, vel nepotes, &c. Vtrum scilicet sint in primo, an in secundo, vel tertio, vel quarto gradu ad modum scalæ, in qua possumus cognoscere quantum distet primus gradus à reliquis.

QVÆRES, *Quomodo computandi sint gradus consanguinitatis, vt cognoscatur in quo gradu vnus consanguineus existat cum alio?*

Respondeo, triplicem assignari à S. Thoma in 4. dist. 40. q. 1. quem cæteri Doctores communiter sequuntur.

Prima Regula in linea recta ascendentium & descendentium hæc est: Tot sunt gradus, quot sunt personæ, vna dempta scilicet stipite, propterea cum pater & filius sint duæ personæ si stipitem demas, id est patrem, pater & filius erunt in primo gradu, eo quod dempto stipite remaneat vna persona. Similiter pater & nepos sunt in secundo gradu, eo quòd tot sint gradus quot sunt personæ, dempta vna persona; personæ autem in hoc casu sunt tres commemoratæ, scilicet pater, filius, nepos. Idem dicendum de matre respectu filij vel filiæ, vel nepotis vel neptis.

Secunda Regula pro linea transuersali & collaterali est ista: Personæ eo gradu distant inter se, quo gradu distant à communi stipite consequenter, quia duo fratres vno gradu distant à communi ipsorum patre, distant etiam vno tantum gradu inter se, filius verò vnius fratris, quia duobus gradibus distat à communi stipite, duobus etiam gradibus distat à filiis alterius fratris, seu à patre immediato illorum filiorum, vt constabit ex sequenti regula.

Tertia Regula adhuc pro linea transuersali & collaterali hæc est: Consanguinea in linea collaterali eo gradu distant inter se quo gradu alter magis remotus distat à communi stipite. Sit exemplum, Caïus habet duos filios, Titium & Seium, & rursus Titius habet filium & nepotem: Si quæratur in quo gradu sit nepos Titij cum Seïo, dicendum est esse in tertio, nam eo gradu sunt inter se quo alter magis remotus distat à communi stipite, sed nepos Titij distat tribus gradibus à comuni stipite, id est à Caïo (nam dempto stipite remanent tres personæ) ergo sunt in tertio gradu inter se.

Dices, Seius vno tantum gradu distat à Caio; ergo vno tantum gradu videtur etiam distare à nepote Titij.

Respondeo, negando consequentiam, vt patet ex dicta regula; non enim sunt enumerandi gradus pro ratione distantiæ quæ est inter personam propinquiorem Caio stipiti, sed numerandi sunt gradus distantiæ, quæ est inter personam remotiorem cum stipite, remotior enim gradus trahit ad se minus remotum, ob id minus remotus est in eo gradu cum magis remoto, in quo gradu est ipse magis remotus cum stipite, non vero est in eo gradu, in quo minus remotus est cum stipite.

Istæ Regulæ veræ sunt secundùm computationem iuris Canonici & seruandæ sunt in materia matrimonij, tam in foro sæculari quam in Ecclesiastico omissa computatione iuris ciuilis. Consuli potest Arbor consanguinitatis apud Syluestrum, apud Reginaldum libr. 31. num. 141.

Quartum vsque ad gradum inclusiuè inualidum est matrimonium, saltem iure Ecclesiastico inter personas consanguineas, tam in linea recta, quàm in transuersali, ita habetur cap. *non debet de consanguinitate*, & in Tridentino sess. 24. canon. 3, vide cap. 18. Leuitici in quo præscribuntur gradus consanguinitatis.

Hoc impedimentum introductum notatur, partim à Lege diuina, partim à naturali, partim ab humana. In linea recta est introductum, quia superioritas & inferioritas ascendentium & descendentium repugnat societati, quæ in matrimonio inducitur; coniugium enim societatem dicit.

Secundò, consanguinei debent esse custodes & defensores non violatores pudicitiæ aliorum.

Tertiò, daretur maxima occasio incontinentiæ & concupiscentiæ, si natura inter consanguineos permitteret commistionem.

Quartò, quia genus humanum magis colligitur, si coniunctio maritalis fiat inter diuersas familias. Olim Ecclesia Catholica prohibuit coniugia vsque ad septimum gradum consanguinitatis & affinitatis. Hinc Sanctus Gregor. qui sedebat anno 590. lib 12. Epist. 31 ad Felicem Episcopum Messanens. scribit se cum solis Anglis ob recentem conuersionem ad fidem dispensasse, vt in tertio & quarto gradu matrimonia inirent, cùm alioqui vsque ad septimum gradum communi lege interdicantur. Causa istius interdictionis affertur à Sancto Thoma in 2. 2. quæst. 154. art. 9. Honor debitus consanguineis & affinibus, docet enim natura parentibus, nec non & aliis consanguineis & affinibus deberi peculiarem verecundiam & obseruantiam, cui maximè repugnat actus coniugalis, qui sine turpitudine quadam & irreuerentia exerceri non potest. Hæc autem ratio eousque valet quousque habetur notitia cognationis: solent autem homines ordinariè vsque ad quartam generationem, se cognatos agnoscere, deinceps autem vix vlli sunt qui se pro cognatis habeant.

Quare quicquid sit de rationibus quæ Ecclesiam induxerant ad extensionem prohibitionis vsque ad septimum cognationis gradum: Opportunè & rectè Concilium Lateranense generalissimum ad quartum gradum reduxit, ea potissimùm ratione, quia experientia docet non posse hoc tempore tot graduum prohibitionem sine ingenti dispendio obseruari. Nam quia ætas decreuit & charitas refrixit, & concupiscentia aucta est, fit sæpissimè vt homines non recordentur tantæ multitudinis consanguineorum & affinium, & se ad illos tanquam ad extraneos habent, & ideò frequenter in gradibus prohibitis plurimi ex ignorantia, vel negligentia contraherent si adhuc prohibitio illa duraret; inde autem plurima dubia, lites & scandala orirentur. In quarto autem gradu fixus est iam terminus, quia cum multi quartam videant generationem, non potest eo prolata consanguinitas obliuioni mandari.

Affinitas, quæ est attinentia seu proximitas quarumdam personarum ex copula carnali prouueniens ratione, cuius fit, vt mulier coniugata per consummationem matrimonij affinis fiat, consanguineis mariti, & vicissim maritus consanguineis vxoris. Hæc autem affinitas si oriatur ex copula licita extenditur vsque ad quartum gradum, vt constat ex capite *non debet de consang. & affinit.* si ex copula illicita, secundum gradum non excedit, vt in Conc. Trid. constitutum est.

Docent autem Theologi affinitatem non parere affinitatem, proindéque duos fratres, verbi gratia, validè ac licitè posse duas sorores ducere, & similiter filium posse cum illa contrahere, cuius matrem pater sibi matrimonio copulauit, quod patet ex capit. *Super his de consang. & affin.* Sit exemplum Titius habet copulam carnalem cum Berta sorore Titij, fit affinis Bertæ, frater Bertæ fit affinis Titij, sed inter sororem Titij & fratrem Bertæ nulla est affinitas; & ideò frater Bertæ poterit ducere in vxorem sororem Titij.

Affinitatis gradus inueniuntur per gradus consanguinitatis, sic quando consanguinei vnius sunt affines alterius: in eodem gradu quo sunt consanguinei vnius, fiunt affines alterius.

Crimen, quod impedit & dirimit matrimonium est duplex, vt habetur ex capit. *Si quis viuens* 31. quæst. 1. & cap. *significauit*, & cap. *super hoc*, de eo qui duxit. Primum est homicidium coniugis, quando scilicet maritus vxorem per se vel per alium ferro, vel veneno occidit eo fine, vt cum alia muliere cædis illius conscia, & in illam consentiente matrimonium contrahere possit: quod etiam similiter de vxore intellige.

Aliud crimen est Adulterium, quando alter coniux committit adulterium & pollicetur ei cum quo adulteratur se contracturum cum eo post obitum coniugis, & hæc promissio ab eo acceptatur: vel quando post matrimonium de præsenti contractum cum vno, cum altero etiam per verba de præsenti contrahitur, & ab vtroque crimine illius conscio adulterium committitur: vel etiam quando coniux adulterium cum alio commisit, & postea interficit coniugem, vt cum adultero quamuis illius cædis minimè conscio contrahere possit.

Hæc impedimenta sunt introducta propter bonum publicum & bonum matrimonij & præiudicium tertij, nempe vt auferatur occasio adulterandi & occidendi legitimum coniugem,

iugem, quia hæc ſunt contra bonum matrimonij.

Honeſtas, publica ſcilicet, eſt duodecimum impedimentum, quod oritur ex ſponſalibus valide contractis, Et ex matrimonio rato & nondum conſummato, vt habetur ex capite *Sponſam*, &cap. *Iuuenis*, & capit. *ad audientiam de ſponſalibus*. Quamuis autem iure antiquo impedimentum illud protenderetur vſque ad quartum gradum, iure tamen nouo in Concil. Trid. conſtitutum eſt, vt impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus ortum, non niſi ad primum gradum extendatur: illud autem quod ex matrimonio rato prouenit, ſecundum antiqui iuris diſpoſitionem relictum eſt; proindéque ad quartum gradum extenditur, vt conſtat ex decreto Pij V. quod incipit *Ad Romanum*.

In matrimonio rato & non conſummato non contrahitur affinitas; hæc enim oritur ex copula carnali; loco autem affinitatis contrahitur impedimentum honeſtatis. Exemplum, ſi Titius per Procuratorem contrahat per verba de præſenti matrimonium cum Berta, & moriatur antequam accedat ad illam: propter publicam honeſtatem nullus conſanguineus Titij vſque ad quartum gradum poterit ducere Bertam in vxorem.

Honeſtas ex ſponſalibus validis, primum gradum non excedit, ſic Titius per verba de futuro contrahit cum Berta ſponſalia, quæ valida ſunt, ſed poſtea eam ducere non vult, ſed vellet contrahere cum matre, vel ſorore, vel filia illius. Non poteſt quia ſunt conſanguineæ in primo gradu, & ſi contrahat matrimonium erit nullum.

Impedimentum hoc publicæ honeſtatis introductum eſt; quia iuſtum eſt & honeſtum, vt ſi Titius per ſponſalia Bertæ ſe obligauit, & ex tali promiſſione inchoata eſt aliqua propinquitas cum ipſa, & per ipſam cum ſuis conſanguineis, non debeat ducere ſororem vel conſanguineam Bertæ in primo gradu; quia cum Berta quotidie cum illa viuere debeat, neceſſe foret illi continuò iniuriam & ignominiam ſuam videre & riualem habere ante oculos, quod eſſet cauſa vel illiciti amoris cum ſponſo ſibi promiſſo, vel diſcordiarum cum conſanguineo ſponſo ſuo cum ſua iniuria copulata; hoc autem eſt contra bonum matrimonij. *Præter hæc duodecim dirimentia impedimenta:*


Clandeſtinum matrimonium, irritum eſt declaratum à Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. Illud autem eſt quod contrahitur ſine præſentia Parochi vel alterius Sacerdotis de illius, aut Epiſcopi licentia, & non adſunt ſaltem duo teſtes: etſi enim ante iſtud Trid. decretum validum & eſſet & haberetur, ſi libero contrahentium conſenſu factum eſſet, tamen vt dixi qu. 2. Eccleſia pro data ſibi à Chriſto Domino in omnes fideles authoritate potuit hoc impedimentum dirimens conſtituere; illibatam enim relinquit eſſentiam Sacramenti & declarat dumtaxat perſonas ſic contrahentes eſſe inhabiles ad contrahendum, id autem rationabiliter ſanxit ob grauia delicta, quæ ex clandeſtinis coniugiis ortum habebant; multi ſiquidem in ſtatu damnationis permanebant, dum priore vxore cum qua contraxerant relicta, cum alia palam contrahebant, & ſic cum ea in perpetuo adulterio viuebant & familiæ perpetuis ſubiacebant litibus & ruinis ob inſurgentes incognitos filios hæreditatem ſibi vendicantes. Hinc Concilium iniungit, vt Parochus habeat librum in quo referat nomina contrahentium, locum, & tempus contractus matrimonij, nec-non & nomina teſtium. Quod præceptum Parochus ſub mortali peccato obſeruare debet, cum ſit de re grauiſſima & ordinetur ad cauendas lites, & vt matrimonium ſit notum Eccleſiæ. Ita Caſuiſtæ.

Adiunxit Tridentinum, dirimens impedimentum inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit. Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta illum habere maritum conſenſerit, eam raptor habeat in vxorem, & nihilominus raptor ipſe ac omnes illi conſilium, auxilium & fauorem præbentes ſint excommunicati ipſo iure. Et ſi Clerici fuerint de proprio gradu decidant. Hoc inductum eſt, quia conſenſus in matrimonium debet eſſe liber: hic autem adeſt vis & coactio.

Hic nihil dico de denuntiationibus requiſitis & præmittendis antequam contrahatur, quia hæc remitto in ſequentem Articulum de Ritibus Sacramentorum. Adde quod hæ omitti poſſunt ex diſpenſatione Epiſcopi. Et hæc de ſeptem nouæ Legis Sacramentis dicta ſufficiant Profeſſori fidei Catholicæ.

ARTICVLVS XXII.

Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Ritus in supradictorum Sacramentorum solemni Administratione recipio & admitto.



VAM Augusta & sancta sint ea media Salutis, quæ Christus Ecclesiæ suæ reliquit, ad sanctificandum & consecrandum hominem, illúmque plenè instituendum in vita spirituali, satis aperuit Articulus præcedens; cui conuenienter adnectitur iste de politica externa Religionis Christianæ agens, & Catholicum informans de reuerentia & obseruatione qua præfata Sacramenta conferri, suscipi & tractari debent. Esto enim pars præcipua cultus diuini posita sit in interno statu & affectu animæ erga Deum, secundùm quam, & per cuius actiones homo proximè in Deum ferri, eúmque tanquam obiectum aut terminum attingere potest. Tamen, vt debita rebus sacris, ob Dei reuerentiam, concilietur dignitas, & æstimatio, eas ritu speciali, certísque obseruantiis ornare tenetur & diuina ista Symbola à Redemptore data in productionem gratiæ cælestis, non-nisi religiosè & sacro cum apparatu tractare iubetur. Scio Nouatores adulterinè Euangelicos, causari perpetuò, cæremoniis & Ritibus Catholicorum, hoc est, vt praui prauè interpretantur, nugis & superstitionibus, Christi Sacramenta horrendum in modum adulterari & corrumpi, quibus satis obsistitur & respondetur, si non respondeatur: aperta enim mendacia, ait Augustinus responsione non sunt digna. Quasi verò non constet Ecclesiam Christi sponsam, nosse separare pretiosum à vili & vanas superstitionis inductiones explodere, & quæ religionis & puritatis mater est, filios in vero Dei cultu, id est in spiritu & veritate, iuxta sponsi mandatum acuratè instituere? Hinc non omnes ritus promiscuè admittit in conficiendis, administrandis aut suscipiendis Sacramentis, sed quos dumtaxat Sanctos ad Sancta conferre iudicauit. Quod vt palam fiat plenéque intelligat Professor fidei, quæ sunt superstitionis expendo, subinde cuiuslibet Sacramenti cæremonias prolaturus.

QVÆSTIO PRIMA.

De Superstitione,

CErtum est cæremonias quasdam religiosas ab Ecclesia in solemni Sacramentorum administratione ad maiorem Christiani populi deuotionem excitandam, salua illorum substantia institui potuisse, & de facto piè ac sanctè introductas fuisse, proindéque sine peccato contemni, aut ab ipsorum Sacramentorum Ministris omitti non posse, vt expressè definitum est in Concilio Tridentino session. 7. canon. 13.

Quia autem Nouatores insimulant Catholicos superstitionis, nec-non idololatriæ ob ipsos ritus & cæremonias, quas in Religionis Catholicæ exercitio publicè & priuatim obseruant, notificanda est natura ipsius Religionis, & peccata ei opposita.

Religionis

Religionis nomine, vt docet Sanctus Thomas quæst. 81. intelligitur virtus illa per quam homines Deo debitum cultum & honorem exhibent; quæ quidem non est Theologica, sed prima & præcipua inter morales, cum pro immediato obiecto non ipsum Deum, sed cultum & honorem illi exhibendum respiciat.

Illius actus, sicut & aliarum virtutum, sunt duplicis generis: alij siquidem sunt eliciti, quibus homo subijcitur Deo, illique debitum honorem & cultum exhibet, cuiusmodi sunt Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Oratio, Votum, &c.

Per Adorationem, supremam Dei Majestatem reueremur, nósque illi quanta possumus animi ac corporis demissione subijcimus.

Per Sacrificium ipsum Deum colimus, tanquam supremum vitæ ac necis arbitrum.

Per Oblationem, eiusdem Dei absolutum ac supremum in res omnes dominium profitemur.

Per Orationem ad eum recurrimus, vt fontem ac principium totius boni, quod speramus.

Per Votum denique, cum agnoscimus, tanquam vltimum finem, in quem nos & nostra omnia speciali affectu referre volumus. De quibus omnibus & singulis pleniùs agunt Doctores.

Alij sunt actus religionis imperati, cuiusmodi sunt omnes aliarum virtutum actus, qui ad Dei cultum referri possunt, quo sensu dicit Iacobus 1. cap. *Religio munda & immaculata hæc est visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, &c.*

Quod spectat ad peccata virtuti Religionis opposita, varia sunt & multiplicia. Primum & præcipuum, ac veluti radix cæterorum, est Superstitio.

Superstitio generatim loquendo, est falsa religio, id est vitiosus cultus veri vel falsi numinis. Hinc patet duas esse species, in quas immediatè diuiditur: scilicet superstitionem cultus incongrui, & superstitionem rei cultæ. Illa est cultus peruersus numinis veri: Hæc est cultus falsi numinis: dupliciter enim in cultu excedi potest, vel enim assumitur id quod non congruit vel exhibetur ei rei cui non congruit. Prior modus dici potest ἐθελοθρησκεία, quasi dicas religio voluntaria, id est mera voluntate non iusta ratione assumpta, quo nomine vtitur Paulus Coloss. 2. quamuis hoc nomen etiam possit generaliter accipi, vt simul cultum falsorum Deorum comprehendat, quia hic quoque voluntate humana non recta ratione constat, quomodo videtur Paulus illud accipere, vt plerique interpretantur. Alter modus propriè dicitur δεισιδαιμονία, quasi dicas dæmonum timor & reuerentia; nam omnis cultus idolorum ferè est cultus dæmoniorum: hoc nomine Festus appellabat religionem Iudaïcam Act. 25. & Paulus Act. 17. superstitionem Atheniensium.

Rursus Superstitio cultus incongrui diuiditur in superstitionem cultus falsi: & superstitionem cultus superflui. Cultus falsus dicitur, vel ratione falsæ significationis, vt si Deum quis colere vellet cæremoniis Iudaïcis, quæ significant Christum venturum. Vel quia imitatur & simulat cultum verum, cum non sit, vt si quis falsis miraculis, vel testimoniis doctrinam fidei confirmare vellet, vel falsas reliquias proponeret. Item si quis mutaret formam vel materiam Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, ait Lessius animo colendi Deum. Sic Hæretici huius temporis superstitionem falsi cultus admittunt in sua Cœna; profitentur enim se imitari Christum, & eius institutum sequi, cum suas inuentiones suáque figmenta pertinaciter sectentur.

Hæc superstitio ex suo genere est peccatum mortale, quia ex infidelitate, vel crassa ignorantia rerum fidei proficiscitur, & continet falsam significationem contra doctrinam fidei, vel certè habet notabilem irreuerentiam in Deum. Ita Doctores. Fieri tamen vt non sit mortiferum, vt si ex ignorantia excusabili proueniat. Sic multi Æthiopes excusari possunt, qui circumciduntur putantes se per hoc Christum imitari; quia sic instituuntur à suis Episcopis & Sacerdotibus, nec vnquam contrarium audierunt.

Superstitio cultus superflui est, cum præter Ecclesiæ morem ponitur religio in quibusdam circumstantiis, vel rebus in quibus non est ponenda, vt in numero, colore, situ, vel bi gratia, vt tot sint candelæ, non plures tot orationes dicantur, non plures vt cera potius sit alba quàm flaua. Denique ad hanc speciem pertinere videtur, cùm quis in Horis dicendis, vel sacro faciendo relictis Rubricis & Directorio Ecclesiæ alias cæremonias pro sua deuotione adhibet, vt docent Caietanus, Toletus, Nauarrus: hæc tamen ordinariè non videntur esse plusquam venialia, quia ex intentione bona fiunt, & cultui non repugnant.

Superstitio ratione rei cultæ diuiditur in tres species, ex Sancto Thoma, idololatriam, diuinationem, & obseruantiam superstitiosam, vel enim colitur diabolus, vt honoretur tanquam numen, & hæc est idololatria, vel vt aliquid reuelet, & sic est diuinatio, vel vt iuuet & dirigat in operando, & sic est superstitio vana obseruationum, ad quam referre possumus Magiam.

QVÆSTIO II.

An sit Idololatria Deum colere ritu quem non mandauit.

ASserunt præsumptuosè Herbrandus Lutheranus, vt refert Gregorius de Valen. 2. 2. disput. 6. quæst. 11. Caluinus libro 1. Institutionum cap. 11. Vbi id etiam confirmat ex eo quod Iudæi adorantes vitulum aureum in deserto, non intenderint cultum deferre imagini illi quam scirent nullam vim habere (neque enim tam citò potuissent obliuisci eorum quæ Deus fecerat in Ægypto & in mari rubro) sed Deo vero. Per hanc iudicari tamen idololatras quòd id fecissent per imaginem quod Deus ipsis non mandauerat.

Idem censet de Paganis, quorum idololatriam vult in eo consistere, quod Deum verum voluerint sibi præsentem habere per imagines, & in illis eum coluerint. Sed hæc sententia

non tantùm est hæretica, sed etiam absurda & falsa.

Primò, quia nomen idololatriæ in Scriptura, & apud Scriptores Ecclesiasticos nunquam accipitur nisi pro cultu quo creatura colitur loco Dei vel pro affectu quo quis adhæret creaturæ, tanquam Deo seu fini vltimo, adeò vt etiam quando metaphoricè capitur, vt cum auaritia vocatur idololatria respiciat creaturam quodam modo tanquam Deum.

Secundò, falsum est Iudæos & Paganos in Idolis coluisse verum Deum; nam de Gentibus dicitur Roman. 1. *Seruierunt creaturæ potius quàm creatori*, & 1. Corinth. 10. *Quæ Gentes immolant, Dæmoniis immolant & non Deo.* De Iudæis Deuteron. 32. *Immolarunt Dæmonus, & non Deo, Diis quos ignorabant.* Idem habetur in Psalm 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile; obliti sunt Deum qui saluauit eos.* Denique sexcentis locis reprehenduntur quòd Deum reliquerũt & Deos fictitios stupidos sensu & notitia carentes adorent.

Tertiò, si volebant fingere similitudinem veri Dei, vt per eam ipsius recordarentur, & cultum ad ipsum dirigerent, cur potiùs vnxerunt formam vituli, quam alterius rei? cum Deus nunquam sub hac forma illis apparuerit! itaque hoc euidens signum est voluisse illos colere primarium Deum Ægyptiorum Apim, qui forma bouis pingebatur, idque faciebant, quia putabant se ab illo eductos, vt Scriptura insinuat apertè, & forsan eo fine faciebant, vt illius auxilio in Ægyptum possent redire.

Quartò, Iudæi habebant Deum verum præsentem per signa externa multò expressiora, scilicet per columnam ignis nocte, & nubem interdiu, quæ diuino nutu mouebantur & sistebantur, non ergo credibile est eos fecisse similitudinem vituli, vt verum Deum haberent præsentem, sed Deum Ægyptiorum.

Quintò, ridiculum est dicere ideò aliquem cultum esse malum vel idololatricum; quia à Deo non est mandatus, multa enim sunt bona in omni genere virtutum, quæ non sunt mandata, vt in abstinentia, in eleemosyna, in oratione, in laude, in voto, &c. Nec vnquam sapiens & cordatus quispiam obsequium sibi delatum iniuriæ loco habuit aut repudiauit, eo solo nomine quod illud non mandasset. Quæ enim esset exotica hæc barbaries nullum officium, aut obsequium, cultúmve admittere, nisi sub pœna mortis iniunctum; imò subditus aut seruus qui nullum obsequium aut cultum vult deferre Principi suo vel Domino, nisi præcepto compulsus, hoc ipso parum obsequiosus, parúmque amans honoris sui Principis & parum illi addictus, aut vtilis censetur, vnde merito Christus Luc. 17. dicit. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.*

Dicent fortè non ideò malum esse; quia Deus non mandauit, sed quia vetuit omnem cultum quem non mandauit, nam Deuter. 12. dicitur, quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam nec minuas. Hoc est antiquum fundamentum Neotericorum, per quod volunt omne opus non præceptum, esse malum, si fiat cum opinione cultus, id est animo placendi Deo.

Respondeo, ibi non excludi, nisi ea quæ præceptis diuinis aduersantur, vt sunt Cæremoniæ & Ritus Gentilium, de quibus ibi agitur, vt patet ex versiculis præcedentibus: testimonia enim Scripturarum intelligenda sunt, iuxta subiectam materiam, vnde ea quæ sunt consentanea, vel iuuant ad præcepta diuina non excluduntur.

Confirmatur, quia nonobstante hoc præcepto, Iudæi instituerunt aliquos dies festos, quos Deus non præceperat, Esther 9. Iudith. 15. 2. Machab. 10. & Paul. 1. Corinth. 7. Commendat abstinentiam coniugij tanquam Deo gratissimam, quam tamen ait à Deo non esse præceptam.

Addo in hoc textu non prohiberi quamlibet additionem; nam post Deuteronomium scripti sunt alij libri, vbi tot sunt præcepta & cæremoniæ indictæ.

Sextò, licet nullus cultus licitus esset præter eum quem præcepit Deus, non tamen idcirco esset idololatria, sicut qui non colit Principem debita cæremonia, non eo ipso agnoscit alterum pro Principe, aut defert alteri honorem Principi debitum. Alioquin Iudæi nunc quando circumciduntur, lauantur, edunt agnum, seruant Sabbathum & alias cæremonias obeunt, vt legem seruent & Deo placeant, dicerentur propriè committere idololatriam; quia hæc præcepta tantùm erant vsque ad Messiæ aduentum, & post ipsum prohibita. Hoc autem dicere est contra sensum communem, secundò is qui orat negligenter & animo vagabũdo esset idololatra; ille enim cultus non solùm est à Deo non præceptus, sed etiam vetitus. Tertiò, Ministri Lutherani & Caluinistæ obeuntes ministerium noui Euangelij committerent idololatriam, quia hunc cultum Deus nunquam eis præcepit.

PROPOSITIO CATHOLICA.

PErtinet ad Pastores Ecclesiæ Ritus & Cæremonias in Sacramentorum administratione statuere.

Probatur ex Scriptura 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei, vnde & ipse capite 11. promittit aliqua disponere. *Cætera cum venero disponam*, vbi loquitur de ritu seruando in Eucharistiæ dispensatione, quem Apostoli instituere poterant, & cap. 14. *Omnia honestè & secundùm ordinem fiant in vobis.* Luc. 10. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Ioan. 9 Chelidonium Christus curauit cum cæremoniis, sine quibus curare poterat, tetigit oculos eius, liniuit luto, &c. & Marci 7. sputo tetigit linguam & aures muti & surdi.

Probatur ex Sanctis Patribus. Augustinus Epistola 118. cap. 6. *Dominus non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur Eucharistia, vt Apostolus per quos Ecclesiam dispositurus erat seruaret hunc locum.* & libro 19. ciuit. capit. 18. *Certa fide tenenda sunt, non solùm quæ Scripturis expressè sunt tradita, sed etiam quæ per Traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei & morum negotiis per Cathedram Petri, vel per*

Concilia legitimè congregata. Ambrosius lib. de Pœnitentia. *Totum,* inquit, *decet quicquid religiosè defertur, vt nullum obsequium quo ad cultum & obseruantiam Christi pertinet erubescamus.* Basilius libro 1. de Spiritu-Sancto multa enumerat, ac primo loco signum Crucis, quæ ab Apostolis instituta, ad nos sola Traditione non scripta peruenerunt, hic referri possunt, quæ de Traditione attulimus in suo Articulo.

Probatur ratione, si Ecclesia non posset Ritus introducere, vel repugnātia esset ex parte Ecclesiæ, vel ex parte cæremoniarum, vel ex parte nouitatis id est, vel nō posset quia nō habet authoritatē aliquid statuendi, vel quia Cæremoniæ, vt dicunt Nouatores, sunt propriæ Testamenti veteris, proinde non conueniunt Testamento nouo, vel quia non licet aliquid addere Ritibus institutis à Christo. At nihil horum dici potest: nam Ecclesiam posse aliquid statuere manifestè patet, vel ex eo quod ab initio fidei singulis ætatibus Concilia celebrata sunt, quæ semper Canones ediderunt & ritus ordinarunt. Damnare autem Concilia manifesta est insania. Non repugnare autem cæremonias nouæ Legi, patet ex Sacramentis à Christo institutis, quæ sunt veræ cæremoniæ, vt etiam aduersarij concedunt. Denique non repugnare ipsam nouitatem patet, quia Dominus nusquam prohibuit, ne adderemus cæremonias ad Sacramenta ipsius commodius & vtilius administranda. Imò cum Christus paucissimas cæremonias instituerit, nec tradiderit modum quo ministrari deberent, id reliquit sine dubio prouidentiæ Pastorum ipsius Ecclesiæ, vt docet Augustinus citatus.

Secundò, probatur ex vtilitate ipsarum, vt enim Cæremoniæ oriuntur ex pia affectione & deuotione & reuerentia circa augusta Mysteria, ita etiam illam conseruant, nutriunt, augent, vt Augustinus docet libro de cura prò mortuis cap. 5. & Epistola 119. & lib. 9. Confessionum capit. 6. & 7. Et nos ipsi experimur cum intramus Basilicas ornatas & mundas, & Crucibus, Imaginibus & Aris instructas & accensis lampadibus deuotionem facilè concipimus, è contra autem cùm ingredimur Templa hæreticorum, vbi nihil est nisi sedes ad concionandum & mensa lignea ad cœnam faciendam, videmur ingredi profanam aulam non domum Dei.

Secunda vtilitas est, quod non solùm iuuant affectum, sed & intelligentiam, vt Augustinus citatus docet; sunt enim præsertim rudibus loco Scripturæ vel picturæ.

Adde, quod aliquando ex vetustis cæremoniis melius persuadentur aliqua dogmata, quàm multis testimoniis. Certè Sanctus Augustinus libro 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 34. & libro 6. in Iulian. cap. 2. apertissimè se probare putauit peccatum originale esse in paruulis ante Baptismum, quia secundùm vsum Ecclesiæ exorcizantur & insufflantur, & iubentur per ora gestantium abrenunciare diabolo & operibus eius.

Tertia vtilitas est, quod iuuant memoriam. Nisi enim quotannis repræsentaremus variis cæremoniis Domini, ortum, Apparitionem, Passionem, aliaque Mysteria Redemptionis facilè mandarentur obliuioni tā insignia beneficia.

Quarta est exercitium fidei; valdè enim fidem exercemus cùm contra Diabolum armamur signo Crucis, vel Aqua benedicta, vel similibus rebus: protestamur enim ea cæremonia nos certò credere tantam esse potentiam Crucifixi, vt ad eius solam imaginem dæmones fugiant.

Quinta, est conseruatio Religionis, id enim cæremoniæ præstant, ne religio vilescat & contemnatur, & sic paulatim pereat. Nam excellentia religionis nostræ præcipua; quia spiritualis est, non facilè perspicitur à nobis qui corporei sumus. Ideò non proponuntur nuda Mysteria, sed vestiuntur & ornantur, vt externam quandam Majestatem sensibus obijciant, & per eam maiori cum reuerentia ab ipsa mente percipiantur. Itaque id sunt cæremoniæ religioni, quod sal carnibus, cortex medullæ, pampini vuis, &c. Quocirca rectè Augustin. libro 19. contra Faustum cap. 11. affirmat nullam religionem, neque veram, neque falsam sine cæremoniis posse consistere. Vnde apud veteres Theologum esse, nihil aliud erat nisi scire, quæ numina, quibus cæremoniis colerentur; vt ex Platone intelligi potest in Dialogo de regno. Et apud Iudæos summum quid fuisse scire cæremonias patet ex capit. 18. Exod. Vbi Ietro monet Moysem, vt iudicia ciuilia committat aliis, ipse autem doceat populum cæremonias & ritum colendi. Apud Christianos quoque fuisse in magno pretio cognitionem cæremoniarum, vel vna quæstio de Paschate abundè demonstrat. Quod idem colligitur ex Basilio Epistola 63. Leone Epistola 4. Innocentio Epistola 1. ad Decentium, qui reprehendunt Episcopos qui cæremonias ignorant.

Sexta, est distinctio Catholicorum ab hæreticis. Nam Sacramenta sunt quidem symbola quædam quibus discernimur ab infidelibus, tamen ab hæreticis vix per ea distingui possumus, sed per cæremonias optimè distinguimur. Hoc enim tempore signum Crucis, abstinentia à carnibus feria sexta, & similia sunt optima signa distinguentia Catholicos ab hæreticis.

Hac de causa initio Ecclesiæ mutarunt Apostoli Sabbathum in Dominicam ne videremur iudaïzare, & Epiphanius in fine librorum contra hæreses recensuit cæremonias Ecclesiæ, vt indicaret quasdam veluti notas, quibus Ecclesia ab omnibus sectis discernitur. Hinc etiam sancti viri semper maluerunt mori, quàm cogi ad aliquam cæremoniam dimittendam cum intelligerent solos desertores militiæ solitos abijcere signum militiæ, testis est Sanctus Eleazarus libro 2. Machab. 6. qui maluit occidi, quam simulare se comedisse carnem suillam, ne eo modo videretur religionem suam deseruisse, quem postea sequuti sunt septem fratres Machabæi capit. 7. testis est etiam ille qui Tertulliano authore in libro de corona militis mori maluit, quàm cum cæteris militibus laurea coronari: quoniam apud Christianos tunc cæremonia erat id non facere.

Tertia Institutionis ratio Deus offenditur & ignominia afficitur, non solùm actu interno, sed etiam externo, igitur honorandus vtroque actu. Negabunt Aduersarij de cæremoniis ab hominibus inuentis, Deo enim non placet vllus cultus, quem ipse non instituit, aut certè

certè cui non dederit testimonium verbo suo.

At contra, nam aut requiritur, vt in particulari, & expresse Deus approbauerit cultum, aut sufficit si in genere & in virtute probauerit. Non potest dici primum, nam sine dubio placuit illi cultus Abel qui obtulit de adipibus gregis sui Genes. 4. & Hebr. 11. & tamen hoc Deus non præceperat. Iacob erexit lapidem in titulum Genes. 28. Beata Virgo perpetuam vouit virginitatem, quam Deus nusquam imperauerat. Ergo satis est si in genere Deus aliquid commendauerit; vnde geniculatio in oratione bona & diuina probatur ex illo textu 1. Corinth. 14. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis*: qui in genere tantùm ritus obseruandos præscribit. At Ritus & Cæremoniæ præscriptæ in Sacramentis sunt bonæ in genere, & sic indictæ à Deo, qui virtutes docet Sapient. 8. & Hebr. 13. ait. *Obedite Præpositis vestris.*

Hinc habes Catholicum teneri ad obseruantiam Rituum ab Ecclesia indictorum, eósque omitti non posse etiam citra scandalum, quia leges eius obligant in conscientia, vt Roman. 13. docet Paul.

Dices, has cæremonias Iudaïsmum & Gentilismum sapere, & ab vtroque mutuatas, vt obijciebant Manichæi apud Augustinum libro 20. contra Faustum, & Vigilantius apud Hieronymum in libro contra eundem, quo ad Gentilium imitationem.

Respondeo, non ideò supprimendas. Bona multa fiebant apud Gentiles & Iudæos, quidni iam meliori modo & scopo Deo consecrentur? alioquin deberet tolli Baptismus & Cœna Domini; nam etiam Gentiles vtebantur Baptismo, cum initiarent suos Mithræ sacris, & Sacramentum etiam panis celebrabant, & vt Tertullianus refert in libro de præscript. impositionem manus in Pontificum ordinatione vsurpabant ex Leuit. libr. 1. Iudæi quoque frequentissimè vtebantur expiationibus per aquam; nec eis deerant panes propositionis. Nec mirum videri debet si nostræ cæremoniæ habeant aliquam similitudinem cum Iudaïcis; nam erant illæ rerum nostrarum figuræ, vt 1. Corinth. 10. legimus. Eadem ratione non debet esse mirum, si interdum nostræ similes sunt Ritibus Gentilium, Diabolus enim qui semper simia Dei esse voluit, imitari conatus est Iudaïcos ritus à Deo institutos, vt Tertullianus citatus notat. At licet in externo symbolo sit aliqua similitudo inter nostros & Gentilium Iudæorúmve ritus, absolutè tamen maximum est discrimen: nam à fine & intentione sumunt externæ actiones speciem suam. Ritus Gentilium fiebant ad cultum dæmoniorum: nostri fiunt ad colendum verum Deum: ideò tantùm interest inter illos & nostros, quantum inter sacrum, & sacrilegium, quantum inter pietatem & impietatem, & quantum inter Deum & Diabolum. Nam etiam sacrificia erant eadem Gentilium & Iudæorum & tamen erant illa idololatrica, ista pia & religiosa. Et hoc modo respondent Sancto Augustino, Manichæis, Hieronymo, Vigilantio. Ritus autem Iudaïci boni erant, sed Christum venturum prænuntiantes, nostri item sunt boni, sed ab iis diuersi; quia partim sunt in memoriam rerum præteritarum, partim ad significandam gloriam futuram.

Porrò Ecclesia vtitur iure suo in stabiliendis cæremoniis (de iis enim quas ipsa approbat, & non de inductis à priuatis hominibus, quas sibi ipsi & mulierculæ ad grauamen vsque imponunt hic agitur) & quæ sua sunt repetit, quæque diabolus ad idololatriam traduxerat, expiata sacro ritu ad pietatem reducit, vt maiori Diaboli contumelia quibus ipse coli voluerit Christus ab omnibus honoretur. Sic Gentilium ferias superstitionibus cumulatas in festa & celebritates Martyrum laudabiliter esse conuersas. Et idolorum Templa in Sanctorum Ecclesias commutata, docet Theodoretus, illúdque ipsum suos Neocæsarienses magnum Gregorium Taumaturgum docuisse testatur in eius vita Gregor. Nyssen. vti & Paul. superstitionis Aram ignoto Deo Athenis dicatam in veri Dei cultum, quantum licuit eo tempore mira prudentia transtulisse legitur. Act. 17. & olim ex Ægyptiorum auro & argento Dei iussu sacra vasa ad diuinum cultum conflata Exod. 28.

Qvæstio II.

An Cæremoniæ habeant vim actiuam, & qualis illa sit?

Caluinus libro 4. Institut. cap. 15. §. 29. ridet plerasque cæremonias, vocátque Satanæ imposturas, ludibria, nugas theatricas, pompas, sed præualet authoritas & praxis Ecclesiæ prophano homini apostatæ, qui nescit, vel dissimulat rationes introductionis earum & vtilitates, arguens superstitionis actus ipsos religionis.

Exorcismus abrogandus censetur, eo quod inquiunt Nouatores, Christus illum non instituerit, nec Apostoli vsurparunt, & generet falsam opinionem, quasi infans qui ad Baptismum adducitur, aut alia quibus applicatur creaturæ sint corporaliter obsessæ à dæmone qui per exorcismum expellatur, non autem per Sacramentum Baptismi, quod sic quasi inutile & nihil facere probari videtur. Non me latet, ait Caluin. quam vetusta sit aduentitiæ huius farraginis origo, respuere tamen mihi & omnibus piis fas est, sic Beza reijcit quicquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines, & post ait, cum autem videret Satan inter ipsa Euangelij exordia receptas esse suas imposturas, &c.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Aliquæ cæremoniæ vim habent spiritualem, & exorcismus insufflatio signum Crucis, Adjuratio, Benedictio sacerdotalis à Christo vel Apostolis aut successoribus eius originem habent.

Probatur vtrumque ex Scriptura prænotando in exorcismo, verbi gratia, & aliis ritibus duo spectari posse, vt potestas eijciendi dæmonem & externa cæremonia quæ adhibetur ad illum eijciendum, hanc Ecclesia instituit,

partim

partim exemplo Christi, partim suo iure & authoritate, superiori quæstione probata.

Potestatem eiectionis Christus dedit Matt. 10. *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eycerent eos.* Matth. 16. *In nomine meo dæmonia eycient.* Act. 6. *Præcipio tibi in nomine Iesu-Christi exire ab ea.* Christus etiam vsus est exsufflatione, sputo, &c. Ioan. 9. vers. 6. & 20. vers. 22. An Christus superstitiosus. An non ipse cæremoniis vsus, dum lutum imponit oculis cæci, digitum auribus surdi; saliuam linguæ muti. An non ritu sacro vtitur dum lauat pedes discipulorum, dum insufflat in Apostolos, & ait, *Accipite Spiritum-Sanctum*, dum amplexatur pueros, & illis benedicens imponit manus! Quid vero dum suscitat Lazarum, quot cæremoniis vtitur! eleuat oculos in cælum, ingemiscit, commouet seipsum, in spiritu fremens, tandem voce magna inclamat, *Lazare veni foras*: deinde funereis adhuc fasciis ligatum tradit discipulis soluendum. Omnes hæ cæremoniæ non sunt sine Mysterio adhibitæ è quibus Ecclesia suos ritus est edocta, non sunt inutiles & sine aliqua efficacia cùm *In Christo habitet plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Probatur ex Sanctis Patribus de Cruce, de Exorcismo.

Prænotando ex Sancto Thoma, Dæmonem habere potestatem in omnes homines non baptizatos ratione peccati originalis, in anima quatenus ipsa est per peccatum auersa à Deo & subiecta diabolo. 2. in corpore quatenus potest illud vexare, cruciare, aut strangulare. 3. In phantasia aliisque sensibus internis & externis, quatenus potest in iis excitare falsas apprehensiones, illusiones, terrores & similia ludibria, & terriculamenta. Hinc autem sequitur, quod Dæmon tribus modis expelli potest ab homine. Primò, liberando animam à peccato, quod fit per Baptismum aut pœnitentiam. Secundò, expellendo illum à corpore & impediendo ne illi noceat. Tertiò, expellendo eum à sensibus ne deterreat aut ludificet. Quod per Exorcismos & signum Crucis fieri docent Sancti Patres. Vide Tertullianum initio Scorpiaci. Origen. hom. 6. in cap. 15. Exod. Cyprian. lib. 4. Epist. 6. Chrysostom. hom. quod Christus sit Deus. Sed nomine aliorum audiamus. Athanas. lib. de Incarn. *Signo Crucis omnia magica compescuntur, & veneficia inefficacia fiunt. Veniat, qui istorum experimentum facere velit, & in ipsis prastigiis dæmonum & imposturis vaticiniorum, & in miraculis magia vtatur signo Crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi inuocet, & videbit, quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magia & veneficia conquiescant.* August. lib. 83. q. 79. *Nec mirum*, inquit, *quod hæc signa valent cum à bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum vsurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Cùm autem non cedunt his signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id iustum atque vtile indicat. Nam nullo modo vlli spiritus audent hæc signa contemnere, contremiscunt hæc, vbicumque illa prospexerint.*

De Exorcismo in collatione Baptismi ad-*Carriere in Professionem fidei.*

iuncto, sic loquitur in libro de nuptiis & concup. capit. 18. *In Ecclesia toto orbe diffusa vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud insufflantur, nisi vt ab eis princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vt vasa iræ possideantur.* Et lib. 4. de Symb. cap. 1. *Omnia Sacramenta quæ acta sunt & aguntur in vobis per ministerium seruorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum, hæc omnia reficiunt vos in vtero, vt renatos ex Baptismo hilares vos mater exhibeat Christo.* Et lib. 1. de Symb. ad Catechum. cap. 1. *Non exorcizatur aut insufflatur creatura Dei in infantibus, sed ille sub quo sunt omnes qui cum peccato nascuntur.*

Probatur ratione; tribus modis operari possunt hæ Cæremoniæ Primò, ex ipsorum Dæmonum apprehensione, qui signum Crucis, qua victi sunt horrent & fugiunt, quomodo canes fugiunt cum baculos aut lapides vident: horrent & omnia quæ inuocato nomine Christi debellatoris eorum fieri solent ex Ecclesiæ præcepto; vnde in applicatione ordinariè incipitur *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, fitque signum Crucis.

Secundò, hæ vim habent ex deuotione Christiani eas assumentis; est enim signum Crucis & aliæ piæ cæremoniæ quædam inuocatio meritorum Christi signo & ritibus ab Ecclesia præfixis expressa; loquimur enim corde, ore, & nutibus. Itaque opponere diabolo & cuiuis malo signum Crucis & ritus Ecclesiasticos est opponere Christi passionem, id est inuocare Deum per Christi merita. Quocirca tunc effectus magis procedit ex interna fide & deuotione, quæ omnia possunt à Deo impetrare, quam ex ipsa figura Crucis, aut alia quauis obseruantia Ecclesiastica, sicut cum impetramus per orationem, impetratio non tribuitur sono vocis, sed fidei & deuotioni.

Tertiò, Cæremonia potest agere aduersùs Dæmonem, morbos, & peccata venialia, & effectus, pro quibus instituta perhibetur, opere operato, per applicationem meritorum Christi; Christus enim non solùm meruit gratiam Ecclesiæ suæ & gloriam quam per Sacramenta quæ ipsemet instituit, ei largitur, sed etiam omnia alia beneficia quæ illi possunt esse vtilia, quod si notetur non habere effectum infallibilem, vt habet gratia sacramentalis, est quia præsupponitur vtilitas conditionatè, ad hanc autem sæpè non expedit beneficia consequi: quomodo de Extrema-vnctione dicere solemus quo ad effectum sanitatis corporalis.

Ratio iam currit; prius enim extrudenda est forma vetus quam noua inducatur, sicque prius eliminandus est malignus spiritus, cui peculiare est ius in non baptizatos quam vt homo vel res alia in vsum hominis cedens sanctificetur.

Vis ergo cæremoniarum non est physica sed moralis, & in eo consistit, quod dæmon audito nomine Christi, & viso signo Crucis, aut alia Ecclesiæ cæremonia ad eius destructionem vsurpata, statim præ confusione & horrore fugiat.

Hoc sensu Origen. hom. 6 in Exod. Quid timent? Quid tremunt Dæmones? sine dubio Christi crucem in qua triumphati sunt, sic &

 Lactan

Lactantius l.4 c.27. Vis est in eo quod Ministri cum sustineāt personā Ecclesiæ per exorcismos & orationes adiunctas impetrent, à Deo expulsionem, vt explicat Sotus in 4.dist.6.q.2. Adde quod Christus specialem potestatem dedit Ministris Ecclesiæ suæ imperandi dæmonibus & illi ex voluntate Christi Domini omnium coguntur obedire: hæc potestas expressa est in Scriptura & supponitur in ordinatione Exorcistæ, de qua Iustin. quæst. 40. ad Gentes dicit esse quandam vim spiritualem, quæ timorem incutit dæmonibus cum ab Ecclesia imperantur.

Benedictiones diuersæ, vt aquæ specialiter, quæ absolutè incipere notatur in Missali per exorcismum salis, postea & aquæ; Agni Paschalis, Candelarum nouorum, fructuum, loci, indumentorum, &c. ridentur à Nouatoribus; quasi vero creatura inanimata sumat, vt dicitur, diuinæ gratiæ effectum, & creaturæ quas creator vsui tradidit hominum, non sint bonæ & vtiles fine illa benedictionis cæremonia, aut sint nociuæ ex se, quæ proinde adiurari debeant, ne noceant, quod ridiculum videtur; quia hæ carent sensu & intelligentia eorum quæ dicuntur.

Respondeo ad omnia. Primò, Ecclesiam has benedictiones dare exemplo Christi, qui benedicere solebat res insensibiles cum in eis aliquid speciale operaturus erat, vt cum benedixit panes multiplicandos Luc. 9. & Marc. 8. & in Eucharistia, Dei autem siue Christi benedictio non est simplex imprecatio, vt nostra, sed effectio, vt patet Genes. 1. cum benedixit animantibus, tribuit eis ea benedictione fœcunditatem, & contra cum maledixit ficui, eam continuò arefecit. Tum ex Paulo 1. Timoth. 4. *Nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Vnde infero Benedictionem sacerdotalem impetrare his rebus salutarem effectum, ad quem assumuntur. Quare impiè & ignorāter arguitur superstitionis Christian. hic vsus. Non enim credimus creaturas esse immundas ex se, vt olim dogmatizabant Ebionitæ, Manichæi, Priscillianistæ, qni non solùm carnes pecorum, & auium, sed & piscium detestabantur, teste Aug. hæres. 70. Epiphan. hær. 30. imò & Manichæos dixisse vinum immundum, scribit Aug. hæres. 46. quam hæresim sequutus est Mahometus in Alcorano c.3. qui rursus c. 12. prohibet suis sanguinem, & suffocatum, & tactum à lupo, sed speciali ritu benedicuntur; quia licet non inquinentur physicè à Dæmone, iis tamen etsi bonis, sæpè vtitur in perniciem hominum, quam benedictio cum orationibus Ecclesiæ auertere potest; Crucis verò signo munire solemus cibos, & alia, quia hoc est signum in quo Christiani gloriantur, & quo vno profitemur fidem; vnde signum Crucis habet inuocationem expressam adiutorij diuini nobis promeriti à Christo.

Adjuratio dupliciter fit præcipiendo & deprecando, Primo modo legitur 2. Timoth 4. & 1. Thess. vlt. *Adiuro vos per Dominum, vt legatur Epistola hæc.* Matth. 26. Christus adiuratur à Caipha Gen. 24. Abraham adiurat seruum per Dominum cæli & terræ, sicque adiurantur dæmones in Exorcismis Ecclesiæ. Secundo modo facit Ecclesia quando petit exaudiri per Christum aut eius Mysteria. Licet enim hoc dici debeat potiùs Obsecratio. Tamen Adiuratio vocari potest quæ definitur contestatio ad permouendum alterum per interpositionem reuerentiæ vel amoris Deo, vel alteri debiti, necnon & timoris incussione, vt solet Ecclesia sola dæmones adiurare & expellere.

Res inanimæ aut irrationales per se directè adiurari non possunt, quia non intelligunt, sed adiuratio dirigitur ad naturam rationalem, quæ illis præsidet, eásque mouet, vt ait Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 90. sic exorcizatur aqua, sal, domus, partim enim inuocatur virtus diuina, vt in vsu harum rerum assistat & diaboli coërceat vim, partim præcipitur Diabolo, vt abscedat, & in his non noceat.

Locustæ, mures, grandines, tempestates, & similia hominibus noxia adiurantur, (quod imperitum vulgus excommunicari dicit, cum hoc ad fideles spectet, vti membra Ecclesiæ) vt Deus auertat damna & coërceatur dæmon, ne per hæc noceat. Vide Sotum lib. 8. de iust. quæst. 3. Huc pertinet adiuratio illa S. Brixij, qui infantem 30. dierum adiurauit, vt diceret, si ipse esset pater eius, vt quidam euulgarant, cui infans respondit, Non es pater meus, vt refert Greg. Turon. lib 2. hist. Franc. cap. 1. hæc adiuratio continebat tacitam orationem qua Deus rogabatur, vt infanti vocem daret.

Sacramentalia adiungi possunt Cæremoniis Ecclesiasticis: per hæc Theologi intelligunt certa remedia contra peccata venialia, v.g. Oratio Dominica, Confessio generalis, tunsio pectoris, aspersio aquæ benedictæ, panis benedictus, Oratio facta in Ecclesia consecrata, eleemosyna, benedictio Episcopalis. Hæc vno versu habes

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens

Quæ Dominicus Soto in 4. dist. 15. Valent. quæst. 4. de pœnit. Henriq. lib. 1. de pœnit. c 15. tenent habere vim remittendi venialia non ratione impetrationis tantùm, vt quidam docent, aut quia excitant motum contritionis vel dilectionis, vt vult S. Thom. art. 3. & Petrus Soto lib. 18. de pœnit. sed ex opere operato. Ratio est, quia sacramentalia semper delent veniale, & tamen non semper excitant in nobis motum pœnitentiæ, vt probat experientia. Ergo non remittunt excitatione sola, sed ex opere operato. Confirmatur, quia sicut aqua benedicta, sic etiam alia quæuis quæ putatur benedicta, potest excitare motum pœnitentiæ in nobis, sicque non esset discrimen inter benedictam, & non benedictam, quod est absurdum. Tum frustra Ecclesia in benedictione adhiberet preces ad hunc effectum obtinendum.

His in vniuersum præfatis suppositísque effectibus cæremoniarum, affero ritus speciales septem Sacramentorum.

DE RITIBVS SACRAMENTI *Baptismi.*



BAPTISMI cæremonias ad tria capita reuocat Catechismus Romanus, quædam enim collationem Sacramenti antecedunt, quædam comitantur, quædam subsequuntur ante collationem.

De his quæ fiunt, aqua præparata esse debet, qua sola in illius administratione vti licitum est. Consecratur enim baptismalis fons variis precibus & exorcismis ab Ecclesia institutis, addito Cathecumenorum oleo, & Sacro Chrismate, iuxta priscum Ecclesiæ morem, cuius testis est S. Cyprian. epist.70.& S. Basil.lib. de Spir.S. cap.27. quam benedictionem seu consecrationem aquæ in vigiliis tantùm Paschæ & Pentecostes faciendam esse, docet Catechismus Romanus, & habetur cap.*in Sabbato*, de consecrat.dist.4.

Hac benedictione supposita, qui Baptismo initiandi sunt afferuntur, vel etiam si adulti sunt adducuntur ad Ecclesiæ fores, atque ab eius introitu tanquam indigni, vt potè qui adhuc potestati Dæmonis per peccatum mancipati sunt excluduntur. Tum vero Sacerdos ab eis exquirere de nomine infantis Petre vel Maria quod tunc imponitur, quidnam ab Ecclesia petat. Interrogatur autem baptizandus vt videatur si voluntariè, aut inuitus accedat.

Quo cognito, primum catechizatur, seu instruitur de Christianæ Fidei doctrina, & exponuntur illi summa capita religionis. Institutus est autem Catechismus, quia Saluator noster ita præcepit Apostolis, dicens: *Docete omnes gentes baptizantes, & docentes eos seruare omnia*, &c. vbi apparet sine instructione non debere baptizari. Catechismus iste fit per interrogationes & responsiones, quia sic facilior est instructio. Si baptizandus est adultus respondet ipsemet, si infans patrinus respondet pro illo, & sponsionem solemnem pro eo facit.

Sequitur Exorcismus trina insufflatione in faciem, variis precationibus, & inuocatione diuini nominis, ad expellendum dæmonem, eiúsque vires frangendas, ac debilitandas (moraliter intellige non physicè) vt sine impedimento baptizatus, fiat templum Spiritus sancti. Ritus hic antiquissimus in Ecclesia, vt August. lib. 1. de Symb. ad Catechumenos, cap.1 scribit: *Non exorcizatur, aut exsufflatur creatura Dei in infantibus, sed ille sub quo sunt omnes qui cum peccato nascuntur.* Hac eadem ratione signum Crucis efformat Parrochus in fronte, & in pectore infantis nominando, & dicens: Accipe N. signaculum Dei Patris, &c. tunc exhalet denuo in faciem ter. Exinde salem prius benedictum in os infunditur ad significandam gratiam, per quam homo à putredine liberatur, & cœlesti quadam prudentia donatur, huius cæremoniæ fit mentio in Conc.Chartag. 3.can.11.& apud Aug.lib.1.Confess.cap.11.

Tunc introducitur in Ecclesiam. N. *intra in conspectum Domini per manum Sacerdotis*, ponitur in pauimento, dictóque Symbolo & Oratione Dominica, aures & nares saliua liniuntur, aures vt excipiat Sermones Christi, nares vt virtutis ac pietatis bonum odorem hauriat, vt explicat Ambros. lib. 1. de Sacr.cap.1.

Sequitur abrenunciatio Satanæ, operibus & pompis eius; cuius mentionem facit Dionys.cap.2. Ecl.Hieron. & Ambr.cit.cap 3.vbi hunc ritum expendens, sic loquitur: *Quando te Sacerdos interrogauit, abrenuncias Diabolo, & pompis eius, quid respondisti? Abrenuncio. Abrenuncias sæculo, & voluptatibus eius? Quid respondisti? Abrenuncio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat series cautionis tuæ, &c. chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cœlo.*

Per illam abrenunciationem bello veluti dæmonibus indicto, pectus & scapulæ inunguntur oleo sancto, quasi athleta Christi, inquit Ambros. cit. quasi luctamen huius sæculi luctaturus, & stadium iamiam ingressurus, ait Chrysost.hom.6. in epist.ad Coloss. Sic linitus mittitur, vel adducitur ad fontem Baptismi ad modum Chelidonij, qui linitis oculis iussus est ire ad lauandum in Siloë, vbi lumen recuperauit, Ioan.9.

De his quæ fiunt apud fontem Baptismi.

INterrogatur quo nomine vocetur, an credat Fidem Christianam, an baptizari velit. Catechumeni olim, vt satis instructi publicam professionem super præcipuis Fidei articulis emittebant. His peractis,

Baptizatur sub trina immersione, sanctam Trinitatem semel inuocans, & dicens Sacerdos: Ego te baptizo, in nomine Patris, *& mergit semel:* & Filij, *mergit iterum:* & Spiritus sancti, *& mergit iterum:* vel per aquæ infusionem vnam vel trinam, in quo Ecclesiæ cuiúsque approbata consuetudo seruanda est.

Trina mersio fiebat à Catholicis, ad significandas tres Personas Trinitatis, & triduum sepulturæ Christi, vt Gregor lib.1.scribit epist. ad Leandrum 41. Arriani trina mersione vtebantur ad significandas tres naturas trium Personarum, quare tunc visum est Gregorio, vt in Hispania vna mersio fieret, quod Conc. Tolet.4. cap.5. confirmauit. Nunc autem vna vel trina mersio adhibetur, neutrum enim est de essentia Sacramenti, vt docent Doctores.

De his quæ peracto Baptismate fieri solent.

BAptizati caput in summo vertice Sacro Chrismate vngitur, ad significādum quod Christianus effectus est, & tanquam mem-

brum, Christo coniunctus est capiti, à chrismate enim Christus appellatus est. Quamuis autem primis Ecclesiæ sæculis omnis vnctio chrismatis à solis Episcopis fieri soleret, postea tamen concessum est Presbytero facere hanc chrismationem, vt Toletano 1. Conc. can. 20. dicitur.

Veste deinde candida adultus induitur, infantis vero capiti linteum ponitur in symbolum innocentiæ per Baptismum restitutæ, & per totam vitam seruandæ, tùm etiam in signum futuræ resurrectionis & gloriæ, ad cuius spem renascitur, vt explicat Catechismus Romanus. De hac veste candida baptizatis imponi solita loquitur Ambr. lib. de initiandis cap. 7 August. serm. 157. de temp.

Deinum traditur baptizato cereus accensus, vt ostendatur illum translatum esse à potestate tenebrarum in lucem & sortem Sanctorum, fidemque illam charitate ardentem, quam per Baptismum accepit bonorum operum studio alendam atque augendam esse, meminit huius cæremoniæ Greg. Naz orat. 40. in sanctum lauacrum, August. in Psalm. 65. Et olim in Occidente dabatur delibatio lactis & mellis. Vnde in Missa legitur id ex Petri epistola, Quasi modo geniti, &c.

Ad hæc nota, si quis domi esset baptizatus ob necessitatem sine istis cæremoniis, supplendæ sunt in Ecclesia, vt patet tum ex praxi, tum ex Conc. Trid. sess. 7. tum quia curandum est, vt Sacramentum completè administretur, non solum quoad substantiam, verum etiam quoad accidentalia. Ita S. Thom. q. 66. art. 3. abstinendum tunc est ab ablutione & prolatione verborum quæ forma sunt Baptismi. Hæ cæremoniæ non supplentur in baptizatis ab Hæreticis, nisi tales id petant ex deuotione, cum ad Catholicam Fidem conuertuntur, ne rudis populus opinetur nos improbare Baptismum Hæreticorum, & ab illis baptizatos iterum baptizare. Ita Layman. & præter supra dictas cæremonias, duo sunt adhuc ritus in Baptismo seruandi.

Primus est, vt hoc Sacramentum extra casum necessitatis, non in domibus vel locis priuatis, sed in Ecclesia in qua sacri fontes huic ministerio destinati sunt conferatur, vt habetur in Clementina vnica de Baptismo: vbi hac lege tantummodo excipiuntur Regum & Principum filij, qui tamen non in loco profano, sed in Oratorio aut Sacello baptizari debent.

Secundus est, vt Patrinus vnus tantum, siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant. Ita nouissimè Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. de reformat. inter quos ac baptizatum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum spiritualis cognatio contrahatur, non solum matrimonium contrahendum impediens, sed & contractum dirimens: de qua cognatione contrahenda Parrochus susceptores docere tenetur, ne ipsi ignorantia vlla excusari valeant. Et Cathec. Rom. vir tenens non contrahit affinitatem cum muliere tenente.

Quando autem Baptismus confertur sine solemnitate in casu necessitatis, obseruat Laymanus post Sotum, & Suarem, & alios, nullum extare præceptum Ecclesiæ, vt in tali casu patrinus vel matrina adhibeatur.

Qualis vero sit obligatio eorum erga infantem quem de sacro fonte susceperunt, declaratur cap. *vos autem* de Consecr. dist. 4. vbi dicitur eos esse fideiussores seu sponsores apud Deũ pro illis. Quos proinde monere tenentur, vt promissiones suo nomine Deo factas seruent, & ad hunc finem Symbolum, Orationem Dominicam, & Decalogum, aliáque Christianæ Fidei rudimenta eos docere, aut doceri curare, à qua tamen obligatione S. Thom. quæst. 67. art. 8. docet eos vt plurimum liberari, quando suscepti inter Fideles educantur, in iis præsertim locis in quibus cura animarum habetur.

Consuetudo hæc habendi patrinos ab Apostolis introducta, notatur à Dionys. hac potissimum ratione, quia sicut puer modo natus indiget nutrice & pædagogo, quorum opera educetur & doctrina, bonisque artibus erudiatur: ita qui per Baptismum vitam spiritualem viuere incipiunt, egent duce & directorem.

DE RITV SACRAMENTI Confirmationis.



Describi primo debet consecratio materiæ huius Sacramenti, quæ est Chrisma, quod cum multis cæremoniis conficitur ab Episcopo, Feria V. in Cœna Domini, quia vt docet Catechism. Roman. illud Christus tunc instituit, de cuius considerationis ritu scribunt Isidorus, Alcuin. Raban. Rupert. &c.

Fiunt autem quatuor cæremoniæ: Primò, benedictiones olei & balsami per verbum Dei & orationem.

Secundò, adiungitur iis benedictionibus signum Crucis, sine quo nihil consecrari posse, testantur ferè omnes Patres, præsertim Chrysost. Rom 55. in Matth. & in lib. quod Christus sit Deus. August. tract. 118. in Ioan. & serm. 181 de temp.

Tertiò, halat Episcopus aliquoties super ampullam Chrismatis, ad imitationem Christi, qui in Apostolos insufflauit, Ioan. 20. vt ea cæremonia demonstraret Spiritum sanctum descendere in eos: rident hanc, & magicã dicũt Hæretici, sed impiè, neque enim magicum quid vocatur, nisi cum effectus eius expectatur à Diabolo, cum quo magi fœdus ineunt, hic autem à solo Deo & Christo huius ritus authore

authore per orationes inuocatis effectus expectatur.

Quartò Chrisma consecratum salutatur ab Episcopo & presbyteris hoc modo *Aue sanctum Chrisma* quod idololatriam dicunt Aduersarij, sed ineptè, nam aliud est adorare, aliud salutare, alioqui Christus qui Math. vlt. dixit mulieribus *Auete* diceretur eas adorasse, fit ei reuerentia quia est res sacra & vim habet vt instrumentum Dei sanctificandi, sed non adoratur vt Deus, alioquin Hebræi idololatræ fuissent qui arcam Domini ligneam adorabant, idque faciebant propheta monente Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius*. Nec dicas ridiculum esse salutare rem inanimatam. Nam id vsitatissimum esse in signum gratulationis perhiber modus socialis hominum, ita Greg. Nanzianz. orat. ad 159. Patres cum Episcopatu se abdicaret, vale dixit Cathedræ, templo, psalmodiæ aliisque id genus rebus. Hiero. in epist. de obitu Paulæ describit salutationem quam beata Paula habuit cum eam primùm vidit. Imo & Aeneas apud Virgil. 7. Aeneidos. Italiam salutat cum eam primò ingreditur. Suntque eiusmodi exempla planè infinita Ipsius autem Sacramenti ante receptionem,

Primo requiritur vt suscipiens sit Baptizatus, Apostoli enim leguntur imposuisse manus omnibus Baptizatis & post Apostolorum tempora statim cum Baptismo dabatur hoc Sacramentum cuiuscumque ætatis & sexus hominibus. Vtique cum effectus huius Sacramenti, sit robur & perfectio gratiæ, illa conuenit omnibus. Et licet pueri necdum sint de facto apti ad pugnam spiritualem, ad quam Sacramentum hoc ordinatur, sunt tamen apti vt armentur & consignentur caractere militari, & suscipiant gratiæ perfectionem, vt suo tempore possint dimicare & auxilium opportunum reperire. Nam infantes olim, cùm bis tantùm in anno baptizarentur, Sabbato Paschæ & Pentecostes, cum Baptismo Confirmationem accepisse testis est August. tract. 6. in Ioan. Porro suscipiens debet esse in statu gratiæ, quia hoc Sacramentum ordinatur ad augmentum, igitur illam supponit. Confessio autem licet sit consilij non est tamen præcepti si quis se contritum existimet; ordinariè post annum septimum suscipi debet.

Secundò necesse est vt adsit susceptor seu Patrinus qui confirmandum offerat Episcopo ratione cuius Susceptionis contrahitur similis affinitas, similis illi de qua in Baptismo dictum est, estque hæc cæremonia antiquissima, vt constat ex variis Conciliorum Pontificiumque decretis quæ citantur à Gratiano, ac præsertim ex Can. *Si quis* dist. 30. quæst. 1. in quo præcipitur vt viri qui filios proprios in Confirmatione tenuerint, separentur ab vxoribus quoad vsum thori, propter affinitatem scilicet spiritualem quam contraxerant: & diuersa ratione canone *Dictum est* ibidem quibusdam fœminis quæ fraudulenter filios proprios in Confirmatione tenuerant, vt eo prætextu à viris separarentur, iniungitur quidem pœnitentia, prohibetur tamen ne à viris separentur.

Tertia cœremonia est vt variæ preces dicantur super confirmandos & quidem cum manus impositione, quem ritum solum vt pot Apostolicum Aduersarij non reprehendunt & ab hac impositione manus orando & aduocando Spiritus sancti plenitudinem seu ab illa qua postea signat frontem. Sacramentum hoc sortitur nomen impositionis manuum & de vtraque loquens Tertull. lib. de resurrectione carnis dicit: Caro vngitur vt anima consecretur, caro signatur vt & anima muniatur: caro manuum impositione adumbratur vt & anima spiritu illuminetur.

Quarta est, hæcque essentialis vt frons signetur signo crucis cum chrismate hæc est enim forma Sacramenti in istis consistens verbis *signo te signo crucis & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vngitur autem frons, quia metus ac verecundia maximè in fronte apparere solet, & quia in Confirmatione datur robur quo dictæ affectiones tolluntur, ideo vnctio ibi fit, & nota Christi & insigne illud quo miles eius ab aliis debet distingui, imprimitur in illustriori parte corporis.

Quarta vt confirmato detur pax ab Episcopo in signum acceptæ gratiæ Spiritus sancti, cuius effectus est pax.

Quinta vt impingatur ei ab Episcopo leuis alapa, vt sciat se iam creatum esse militē non ad percutiendū, sed ad patiendū pro Christo ignominias & verbera si opus sit, in hoc enim consistit pugna & victoria Christiana. Sic pugnauit & vicit Imperator noster Christus qui cruci affixus debellauit aereas potestates. Sic pugnabant Apostoli recens confirmati, qui flagellis grauiter cæsi *ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sic pugnabant & martyres, aduersus persecutores non feriendo sed patiendo, & gloriantes alteram maxillam præbendo percutienti.

Sexta denique in eo consistit, vt confirmati frons fascia ligetur, tum ne sacrum chrisma casu aliquo profanetur, tum etiam vt significetur gratiam in Confirmatione acceptam sollicitè ac sedulo affectu esse custodiendam.

Monet autem Bellarminus morem cuiusque Ecclesiæ in hac ceremonia seruandum esse, quibusdam enim in locis aliquot dies retinetur illa fascia, aliquando etiam frons confirmati confestim à Sacerdotibus extergitur.

Obseruat etiam Gammacheus quod si quis nomen prophanum aut ridiculum gerat, possit illud mutare in Confirmatione quæ scilicet est complementum & perfectio Baptismi.

DE CÆREMONIIS SACRAMENTI *Eucharistiæ.*



Alvinistæ omnes ferè cœremonias Missæ execrantur & abrogandas censent nam nec illis vtuntur in sua Cœnæ Domini administratione, & Caluin. lib 4. instit. cap. 17. §. 43. generatim eas reprehendit, licet antiquissimas & non longè ab ætate Apostolorum cœpisse admittat; sed eas rubiginem Cœnæ Domini appellat, & ait natas esse ex procacitate humanæ confidentiæ quæ se continere non potest, quin in Dei mysteriis ludat & lasciuiat.

Lutherani non omnino cæremonias reiiciunt, Nam & in suis Ecclesiis aliqua seruant & Philipp in Apolog. Confess. art. de Missa dicit apud suos seruari in missa cæremonias consuetas, quod est verum de quibusdam non de omnibus. Porro Lutherus in lib. de capit. Babyl. cap. 2. Euch. scribit Primò Missam eo esse magis Christianam quo simplicior & similior est Missæ Christi, in qua nullum fuit vestium, gestuum, cantuum aliarumque cæremoniarum pompa: quibus verbis obliquè cæremonias reprehendit.

Secundo addit non esse propterea calumniandam vniuersam Ecclesiam quæ multis ritibus & cæremoniis Missam ornauit & ampliauit, & in lib. de formula Missæ permittit lumina & incensum & aliqua alia eiusmodi. Quod dictum non cohæret primo. Tertiò dicit cæremonias sine fide esse irritabula impietatis potius quàm officia pietatis.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Est deberi huic Sacramento ritè (rectitudine scilicet accidentaria,) celebrando cæremonias quas reuerentiæ causa introduxit Ecclesia Catholica.

Hæ autem sumuntur vel à persona, vel à tempore & aliis ad Missam prærequisitis vt vestes sacræ & vasa, altare, lumen, incensum &c. vel ab actione celebrationis quæ demptis oblatione (consecratione & communione partibus essentialibus & à Christo institutis) consistit tota in cæremoniis, & adhibentur inter sacrificandum, partim erga Deum, partim erga populum, partim erga ipsum sacrificium.

Persona debet habere caracterem sacerdotalem & ordinatum esse secundum ritum & potestatem Ecclesiæ, quia tantæ dignitatis est hoc Sacramentum, quod non conficitur nisi in persona Christi, quicumque autem agit aliquid in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam, vnde positus esse debet in gradu eorum quibus dictum est à Domino, *Hoc facite.* vide dicta de ministro Euch.

Locus idoneus esse debet id est ab Episcopo consecratus seu dedicatus, vel ab eodem aut alio ex eius licentia, & facultate benedictus. Ita S. Thomas q. 83. & habetur cap. *sicut* &c. *nullus* de consecr. dist. 1. vbi tamen excipitur casus necessitatis, exempli gratia in bello, quando missa in castris pro exercitu dicenda est: in longa peregrinatione per loca infidelium: in maximo aliquo populi concursu quem Ecclesia capere non potest; & similibus casibus, in quibus tamen semper obtinenda est Episcopi licentia si commodè ad illum recurri possit.

Ipsis autem Episcopis speciali priuilegio indultum est, vt super altari portatili vbiuis sacrificare vel sacrificanti adsistere possint non solùm in casu necessitatis, sed & ob solam deuotionem: quod etiam docet Suarez disp. 81. sect. 3. ex eorum tamen prudentia pendet prospicere, vt tales locos ad id eligant in quibus nihil quod tanti mysterij sanctitati ac reuerentiæ minus conueniens factum sit aut faciendum videatur. Monentur tamen iidem Episcopi in Conc. Trid. sess. 22. Decret. de obseruandis in celebratione missa, *Ne patiantur priuatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam & oratoria ad diuinum tantum cultum dicata, ab iisdem ordinariis designanda & visitanda sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus peragi.*

Porrò neque etiam in Ecclesia consecrata celebrare licet, si violata aut polluta fuerit, nisi prius reconcilietur, vt ex communi Ecclesiæ praxi constat.

Tribus vero modis censetur Ecclesia pollui: Primo per homicidium aut violentam sanguinis effusionem ex graui & notoria percussione facta in Ecclesia vt habetur cap. *Proposuisti* & cap. vlt. de consecr. Ecclesiæ: Secundò per illicitam & notoriam seminis humani intra Ecclesiam effusionem, vt habetur eodem cap. vlt. & cap. de *Ecclesiis* de consecr. dist. 1. Tertio per sepulturam hominis nominatim excommunicati aut notorij Clericorum percussoris item infidelis aut alicuius hominis non baptizati etiam si solummodo infans sit, vt habetur cit. cap. *Proposuisti* & cap. *sacris* de sepulturis & cap. *Ecclesiam* de consecratione.

Est autem obseruandum discrimen inter Ecclesiam ab Episcopo consecratam & illam quæ Episcopali authoritate tantùm benedicta est, illam enim solus Episcopus hanc vero quilibet sacerdos ex Episcopi commissione reconciliare potest, vt habetur cap. *Aquam* & cap. vlt. de consecr. Ecclesiæ.

Si autem Ecclesia maiori ex sui parte destruatur, quod Episcopus diiudicare debet, v.g. Si eius parietes ex maiori parte corruerint, non amplius in ea celebrare licet eaque reædificata non simplici reconciliatione, sed iteratâ consecratione seu dedicatione, aut saltem benedictione opus est, vt habetur cap. *Ecclesiis* de consecr. dist. 1 & cap. *Ligneis* de consecr. Ecclesiæ vbi tamen declaratur consecrationem non amitti si tecta tantùm, aliaque opera lignea combusta sint illæsis parietibus, eo quod consecratio

consecratio præsertim in ipsis parietibus fiat, quamuis in Ecclesia huiusmodi quæ omni prorsus tecto caret missam celebrare non conueniat ob varios casus qui ex aeris iniuria & ventorum agitatione accidere possint: tecto tamen instaurato nulla neque consecratione neque reconciliatione opus erit.

Altare pertinet etiam ad locum hoc autem lapideum esse debet & ab Episcopo consecratum, vt habetur cap. *Altaria* de consecr. dist. 1. Est autem duplex altare, vnum portatile, alterum fixum & stabile, inter quæ hoc discrimen intercedit quod illud per se consecratur, hoc vero nisi quatenus basi affixum est, vnde sequitur quod altare portatile quocumq; deferatur non amittat consecrationem, fixum vero amittat, si ab interiori structura & basi amoueatur vt habetur c. *Si motum* de consecr. dist. 1. & cap. *Ligneis* de consecr. Ecclesiæ: Illud vero vtrique altari commune est, quod notabili fractione consecrationem amittat, quando scilicet talis est vt in illo calix cum patena amplius consistere non possit: item violatione sigilli seu loculi in quo reliquiæ sanctorum conditæ sunt, quod quamuis Theologi aliqui negent, asserantque reliquias illas ad consecrationem altaris non esse absolutè necessarias, spectatâ tamen consuetudine ipsius Ecclesiæ quæ initio missæ hanc orationem à sacerdote ad altare ascendente recitari voluit: *Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum reliquia hic sunt &c.* probabilius est & in praxi tenendum sigilli violatione consecrationem altarij amitti, proindeque iterum esse consecrandum: quod apertè colligitur ex cap. 1. de consecr. Ecclesiæ vbi dicitur quòd *Si lapis ille qui sigillum continet, confractus fuerit, aut etiam diminutus, debet altare denuò consecrari.* Sicque docent multi Hocque altare dum in eo missa peragitur opertum esse debet duabus nappis aut ad minus vna duplicata vt tradit Tolet. lib. 2. cap. 2. & Suarez disp 81.

Tempus requiritur aptum ad congruentem huius mysterij celebrationem & quidem omni die (vt solitum fuisse in quibusdam locis scribit August. epistola 118. Licet alibi die solùm dominica & sabbato,) & iam statuit Ecclesia aut obligationes fundationum exigunt vel deuotio singularis mouet.

Hora regulariter incipit ab Aurora vsque ad meridiem excepta Missa quæ in natali Domini media nocte celebratur. Potest autem Episcopus in causa particulari dispensare vt celebretur ante auroram & post meridiem imò in casu necessitatis celebrari potest post meridiem inconsulto Episcopo, v. g. si infirmus indigeat viatico, si festo die publica concio producta sit ad meridiem, licebit postea missam priuatam inchoare. Vide summistas. Ieiunium prætereà requiritur ad Communionem & Missę celebrationem. Lutherani & Caluinistæ ita contemnunt & *communionem* vt scribit Luth. *liberam habent, siue per diem siue per noctem siue mane siue vesperi, nec apud eos peccat qui modestè ederit & biberit ante communionem* & falsò affingit Catholicis quòd doceant cum indignum esse Communione qui guttulam vnam aquæ imprudenter absorbuerit. Neque enim tã rigidè exponunt Catholici ieiunium: imò in casu necessitatis permittunt etiam post cibum Communionem sumere, vt quando ægrotus aliquis de vita periclitatur, & nondum viaticum accepit & periculum est in mora, tunc enim quacumq; hora solet dari Communio & extra hunc casum qui inter abluendum aliquas guttas aquæ vel vini traiecerit cum saliua fortuito ad stomachum non censetur soluisse ieiunium, nec prohibetur à Sacro faciendo vel Communione, quia ait S. Thom. q. 8. art. 8. ad 4. non traiiciuntur per modum cibi, sed per modum saliuæ.

Ieiunium itaque quod dicitur naturæ & soluitur per sumptionem quamcumque requiritur, sic Conc. Carth. 3. & multa postea statuerunt & Constantiense sess. 13. damnat errorem siue abusum quorundam qui post cibum sumptum celebrare audeant, quod ad maiorem reuerentiam Apostolos ipsos induxisse probat antiquitas, vnde Tertull. lib. 2. ad vxorem: *non sciet*, inquit, *maritus* quid ante omnem cibum sumas &c. Nec obiicias cum Luthero exemplum Christi qui post cœnam instituit & ministrauit. Respondet enim Cyprian. lib. 2. epistola 3. sic fecisse & obtulisse ad vesperam, quia sic prædictum fuerat à Prophetis, nos tamen manè offerre debere quia resurrectionem Domini celebramus. Adde non post quamlibet cœnam instituisse & ministrasse, sed post legalem, quæ sacra erat Agni paschalis, vt indicaret eam fuisse figuram & vmbram Eucharisticæ, nobis autem iam non licet hanc cœnam Iudaicam præmittere cùm sit abrogata, quemadmodum Christus post circumcisionem suscepit baptismum, nec tamen Christiani iam debent circumcidi antequam baptizentur. August. in lib. 2. respons. ad Iannar. epistola 118. cap. 6. hanc habet. *Saluator quo vehementius commendaret mysterij illius altitudinem vltimum hoc infigere voluit cordibus & memoria discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat, & ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Placuit ergo Spiritui sancto vt in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani, corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi.*

Lumen requiri seu cereos ignitos idque ex Apostolorum traditione docet Conc. Trid. sess. 22. cap. 5. Vasquez autem 3. parte disp. 233. cap. 4. Suarez, & alij dicunt sufficere in necessitate candelam sebaceam aut lucernam ex oleo Conc. 4. Chartag. can. 6. Acolytho in sua ordinatione tradi cereum vt sciat ad suum ministerium pertinere accendere lumina in Ecclesia, Hiero contra Vigilant scribit in Ecclesia catholica sole rutilante accendi cereos ad signum lætitiæ quod ad lumen Euangelij peruenerit. Athan. in Epistola ad Orthodoxos scribit inter alia sacrilegia Arianorum vnum fuisse quod cereos Ecclesiæ idolis adolerent. Chrysost. in Liturgia scribit sacerdotem accedere ad altare ministro præcedente cum lumine. Isidor. lib. 7. etymol. cap. 12. scribit Acolytos debere accendere cereum cum Euangelium legitur & cum Christi corpus offertur.

Vestes Sacerdotales requiri non est dubitandum, nam vt leges, ac Magistratus in publicis actionibus certis vtuntur insignibus ad potestatem repræsentandam & conciliandam sibi & officio reuerentiam: sic in hac publica totius

totius Ecclesiæ actione sacerdos vti debet habitu peculiari tum ad Mysterij reuerentiam, tum ad Christi passionem repræsentandam idoneo, Polycrates scribit. S. Ioannem sacerdotale Petalon gestasse. Adde quod Deus præscripsit Aaronicis sacerdotibus vestes in quibus erant oblaturi, à fortiori hic exiguntur. Primis tribus sæculis non extabant vestes sacerdotales aut saltem patenter non habebantur ob persecutiones sed missas agebant sacerdotes vestiti communi indumento, testibus Vualfrido, Strabone cap. 24. librorum de rebus Eccles. Legimus Syluestrum cōstituisse vt Diaconi vterentur in Ecclesia dalmaticis & palla linostina læuam cooperirent. Clemens si credimus Honorio in gemma lib. 1. cap. 89. decreuit vsum sacratum vestium tradente Petro, imo tradente ipso Christo, qui fortè ideo in cœnatoria veste sacrificium hoc instituit, quam fuisse syndonem albam docet Baron. in anno Christi 34. Anaclet. meminit Sacrarum vestium epistola 1. Hæ autem hodie sex numerantur, Amictus, Alba, cingulum, manipulus, stola Planeta, quæ ab Episcopo, vel ab habente facultatem, à Papa benedici debent ante vsum. Significationem qui scire cupit, perpendat orationes quæ recitantur in assumptione singularium, aut legat Eccles. scriptores, Valent tomo 4 d. 6. quæst. 11. Durantum &c.

Calix & Patena ex auro vel argento aut saltem stanno, non vero lignea, lapidea, ferrea ærea aut vitrea, vt docet S. Thom. q. 83. ad 3. & habetur cap. *vasa* & cap. *vt calix* de consecr. dist. 1. vbi notatur quod Apostoli ligneos adhibuerint calices, Zephirinus vitreo statuerit, Vrbanus vero circa annum 230. omnia fecit argentea & tempore Syluestri plurimos fuisse aureos & argenteos calices, patenas, Candelabra, thuribula testis est Damasus. Prudentius autem in hymno de S. Laurentio meminit aureorum vasorum, quæ erant tempore S. Laurentij id est circa aunum 260. Carthagena de Euch. hom. 29. refert haberi Valentiæ in Hispania calicem pretiosum ex agatha quam vocant, quo vsum Christum asserunt in institutione Euch. Patena vocatur discus in Liturgia S. Iacobi diciturque à patendo vel quia patula est, vel quia dispansis & patentibus est oris, forma earum multo minor nunc est quàm antiquarum.

Apud Damasum in vita S. Syluestri erant ponderis 15. vel 30. librarum cum multi in Missa communicarent. Tunc temporis pro pixide seu ciborio inseruiebat, debent autem calix & patena consecrata esse ab Episcopo ex iussu Sixti Papæ, vnde & vasa sacra dicuntur non quia sint gratiæ susceptiua, sicut nec quæcumque cultui præter hominem sunt Deo dicata, sed quia per consecrationem redduntur apta cultui diuino.

Hinc fit quod non liceat omnibus hæc vasa tangere, nec licuit Subdiaconis, ante Conc. Laodicen. vbi cap. 21. dicitur *non oportet subdiaconos contingere vasa dominica* fuit hoc habitum sub Liberio Papa, anno 364. concessus fuit tamen contactus in Conc. 1. Bracarensi sub Honorio 1. an. 625. inferioribus aliis negatus in Conc Romano 2. cap. 9. nisi mapulâ adhibitâ, quod sub peccato mort. non obligare docet Bonacin. d. 4. q. vlt. puncto. 9.

Calix Sepulchum Christi Patena, lapidem suppositum significat.

Corporale vero linteamina quibus corpus Christi fuit inuolutum, sicque vocatur, quia in eo ponitur corpus Christi, eiusque author est Eusebius parie anno 310. quod postea Syluester lineum statuit debere esse, & nullo modò sericum, nec ex panno tincto, quia linum inquit, ex terra procreatur, sicut corpus Christi in sindone linea & munda sepultum est. Hoc post lotionem non indiget noua benedictione.

Liber seu missale secundum approbatum vsum exigitur à Casuistis, vnde communiter tenent peccare mortaliter qui celebrat sine libro, qui saltem non contineat canonem, cùm se periculo exponat grauiter errandi Minister sacerdoti celebranti inseruiens, requiritur, huncque masculum volunt statuta vt habetur cap. *Hoc autem* de consecr. dist. 1. & cap. *Proposuit* de filiis Presbyterorum, imo Suarez, disp. 87. sect. 1. Sotus disp. 13. q. 2. Bonacina disp. 4. q. vlt. puncto 9. satius esse arbitrantur si vrgeat necessitas, Missam absque ministro celebrare, quam fœminam ad altare respondentem, aut vrceolos porrigentem adhiberi: nihil tamen obstat quominus fœminæ præsertim sanctimoniales ex loco remoto respondeant sacrificanti. Bonac. tenet adhibendum ministrum in Missa sub pœna peccati mort. quia ritus Ecclesiæ hunc exigit.

Denique genus linguæ seu idioma quod non vulgare decreuit esse Conc. Trid. sess. 23. can. 9. obseruandum est, nam in toto oriente non inueniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi Chaldaicæ aut Græcæ: Et in occidente nisi Latinæ In primitiua Ecclesia mysteria diuina agebantur Hebraicè, seu Syriacè, postea tempore Adriani primi Imperatoris qui Traiano successit id est 5 anno Christi, 119. Euaristi Papæ, anno 8. cœperunt celebrari græcè in Ecclesia Orientali Christianorum. Nouatores contendunt Missam lingua vulgari dicendam, ad hoc autem sequerentur duo grauissima incommoda, vnum quod oporteret frequenter mutare verba sacrificij cum vocabula quæ vno tempore sunt vulgaria, non diu post desinant esse vulgaria. Alterum quod tolleretur communicatio Ecclesiarum. neque enim posset sacerdos Italus in Gallia, neque Gallus in Italia, neque Germanus in Italia aut Gallia sacrificium offerre. Adde quod obseruanda est antiquissima Ecclesiæ consuetudo.

Ad hæc non ignorandum est Missas omnes olim cantari solitas & ex gula populi & auaritia introductum esse vt voce submissâ & breuiùs dicerentur, sic habet Baron. in anno Christi 418. Zozimi Papæ. Secundo vbi notat S. Augustinum ab eo legationem excepisse in Cæsaream Mauritaniæ ob quasdam Ecclesiasticas necessitates, qua fungens insectatus est eos qui negligenter audirent Missas vel recederent antequam absoluerentur, aut cogerent presbyteros eas abbreuiare & ad eorum libitum cantare.

De Cæremoniis quæ fiunt in Missa.

Singulæ actiones quæ in celebratione adhibentur, ad quinque capita reuocantur.

Aliæ

Aliæ enim referuntur ad Deum vt eleuatio seu extensio manuum, oculorum, adoratio per inclinationem totius corporis aut per genuum curuationem.

Aliæ ad sacrificium vt eleuatio, ostensio, fractio, commixtio.

Aliæ ad sacerdotem celebrantem vt tunsio pectoris & lotio manuum.

Aliæ ad populum vt salutatio & dimissio.

Aliæ ad ea quæ leguntur in Missa vt cantus & instrumenta musica.

Prima cæremonia erga Deum, habet exemplum in scriptura Exod. 17. Moses eleuatis manibus orans impetrauit. Item 3. reg. 8. Psal. 141. 1. Timot. 2.

Secunda familiaris fuit Christo, nam oculos ad cælum leuasse notatur. Matth. 14. Marc. 6. & 7. Luc. 9. Ioan. 6. 11. & 17. & quamuis in actione cœnæ non legatur expresse in Euangelio oculos ad cælum sustulisse: id tamen asserunt fecisse S. Iacobus in sua Liturgia. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 5. Tertull. in Apolog. cap. 30. scribit Christianos cœlum intuentes manibus expansis nudo capite orare solitos, inclinatio index humilitatis passim à Sanctis vsurpata est 2. Paral. 6. Luc. 22. à Christo, Act. 21. à Paulo, Nec Deo tantùm inclinat caput sacrificans, sed etiam cruci imagini, altari, quod quàm antiquum sit declarat Liturgia S. Chrysostomi.

Prima cæremonia erga Sacrificium est eleuatio hostiæ consecrandæ, quæ fit in offertorio, habemus exemplum Leuit. 8. 9. 10. Sacerdos eleuat coram Deo, id quod offertur, exprimitur in Liturgiis, nec est cur, non eleuemus in signum oblationis si visibile Sacrificium Deo offerre licet.

Secunda quæ est ostensio Sacramenti ad populum antiquissima, & huius meminit Dionys. cap. 3. Eccl. hier. Basil. lib. de Spir. S. cap. 27. Apostolicam vocat traditionem, mentionem facit. Chrysost. crebram ritus illius qui apud Græcos erat vt Eucharistia consecraretur, ad altare velis obducta, ac deinde, reductis velis populo ostenderetur hom. 61. ad pop. Antioch. *Cum vela videris retrahi, tunc supernè cælum aperiri cogita.*

Tertia quæ est fractio & commixtio, habetur in Liturg. Iacobi & Chrysost. vnde hom. 24. in primam Corinth. Scribit Christum in altari confractionem pati, quam in cruce pati noluit, quod ratione Specierum intellige sicut dicitur tangi & videri.

Quarta signatio crucis noues repetita, vt ostendatur multa passum Christum, & fructum omnem à cruce prouenire.

Prima erga seipsum tunsio pectoris in confessione & ad precem, Agnus Dei, & ad Domine non sum dignus, pœnitentiam indicat & naturalis est habetque exemplum in Euangelio Luc. 18. in Publicano & 23. reuertebantur percutiente pectora sua.

Secunda est lotio quæ non ad abluendas corporis sordes sed ab symbolum puritatis animi qua pollere debent sacrificantes adhibetur. Huius meminit Clemens lib. 8. constit. cap. 5. Dionys. cap. 3 hier. Cyrill. catech. 5. Myst.

Prima erga populum est salutatio per *Dominus vobiscum*, septies data, quinquies vertit se ad eum sacerdos ad significandum quod Dominus in die Resurrectionis se manifestauit, vel quod septiformis gratia Spiritus S. per passionem Christi collata est, hæc salutatio fundatur in Iudic. 6. Ruth. 2. 2. Paral. 27. Luc. 1. habeturque in Liturgiis Iacobi, Basilij, Chrysost. in quibus passim legimus aut *Pax vobis*, aut *Dominus vobiscum*, & ad vtrumque respondetur. *Et cum spiritu tuo.* Non vertit se ad populum duabus vicibus, quia sic vellet inuitare populum vt conuertat se tum ad doctrinam Euangelij tum ad laudem Dei quæ Præfatione continetur.

Secunda est dimissio per illa verba *Ite Missa est*, quorum loco Græci dicunt *in pace Christi eamus*, & respondetur *in nomine Domini.* Sic Iacob. Basil. Chrys.

Prima erga legenda in Missa est cantus, Christus in institutione hymnum cecinisse legitur. Matth. 26. & hymno dicto Græcè ὑμνήσαντες propriè significat cantum, nam vt August. docet in titulum Psal. 72. vsque adeo de ratione hymni esse cantum, vt nisi cantetur, dici non possit hymnus.

Secunda est concentus Musicorum instrumentorum ad deuotionem excitandam & tædium de longitudine & grauitate officiorum minuendum. Hunc Vitalianus Papa, dicitur induxisse circa annum 666.

Tertia est thurificatio, quæ habetur ex can. 4. Apostolorum, cuius meminit Dionys. cit. necnon & Liturgia Iacobi & Chrysost. Damasus in vita Soteris & Syluestri pontificum inter alia vasa sacra numerat thuribula seu thymiamateria, hanc olim ordinauerat Deus in lege, adhibetur autem vt bonus odor Euangelij, nec non & orationes sanctorum designentur tum ad tetrum odorem si quis ex multitudine hominum in Ecclesia existeret abstergendum.

Quarta est osculum altaris, Missalis, Ministri per quem sacerdos in clerum & populum pacem diffundit. Quæ cæremonia habetur in Liturgiis omnibus, & meminit Iustin. in fine 2. Apol. Tertull. lib. de orat. cap. vlt. Cyril. cathec. 5. Chrysost. hom. 77. in Ioan. duplex autem est ratio huius osculi, nam altare librum, in signum reuerentiæ osculamur, fratres autem in signum charitatis & pacis. Hæcque satis sint pro ritibus Sacramenti. Eucharistiæ. Series & modus dicendi Missam & plena cognitio partium eius, locum habet sub proprio Articulo qui verum Sacrificium illam esse proponit, ibi ergo examinanda sunt.

DE CÆREMONIIS SACRAMENTI *Pœnitentiæ.*



Ritus qui à fidelibus obseruari debent in Sacramento Pœnitentiæ sunt deriuati à primitiua Ecclesia, vt refert Dionysius Areopagita, & sunt quinque, qui etsi non sint de necessitate Sacramenti pertinent ad vsum & administrationem illius.

Primus est humilitas Pœnitentis & demissio animi ex indignitate peccatorum prouenićs.

Secundus humilitas externa demonstratione testata, demissio scilicet corporis se ad pedes Sacerdotis prosternentis & genuflectentis, qui actus debent à Pœnitente fieri, vt per illos cognoscat & significet radices superbiæ suæ euellendas esse, à qua omnia scelera quæ deflet ortum habuerunt.

Tertius, reuerentia erga Sacerdotem, ita vt illum legitimum iudicem sui agnoscat, & in illo Christi Domini personam & potestatem veneretur. Sacerdotes enim, ait Concilium Tridentinum in hoc Sacramento verè Iudices & Christi Vicarij sunt.

Quartus, postquam Pœnitens se constituit reum ante hoc tribunal, debet se accusare tanquam reum, & dignum maxima & acerbissima animaduersione, & non solùm dicendo *Confiteor, &c.* sed etiam peccata sua cum tali affectu.

Quintus, supplex peccatorum veniam petere debet. Hæc omnia fuisse exactè obseruata olim tam in priuata quam solemni pœnitentia constat ex historia Ecclesiastica.

Præter hæc requiruntur Fides, Spes, & Charitas in Pœnitente: quia necesse est credere virtuti Sacramenti, & in diuina misericordia spem habere & velle se mouere ad Deum ex charitate diligendum, alioquin Pœnitens non esset.

Isti Ritus introducti multiplicem effectum in Pœnitente producunt.

Primus est, vt dignitatem Sacramenti Pœnitentiæ ante oculos eius ponat. Cùm enim actus maximæ humilitatis efficiantur, profectò ostenditur Sacramenti dignitatem maximam esse, vimque diuinam continere.

Secundus est, vt præparent animos confitentium ad Dei misericordiam impetrandam, vel contritionem concipiendam de peccatis commissis.



DE CÆREMONIIS ET RITIBVS *Extremæ-vnctionis.*



Maxima pars Rituum qui in hoc Sacramento adhibentur sunt solemnes precationes, quibus Sacerdos ad ægroti salutem impetrandam vtitur, nec est aliud Sacramentum quod pluribus precibus conficiatur; quia cum agatur de vita & salute, tum animæ, tum corporis ægrotantis, primò Sacerdos, deinde omnes qui adsunt debent ex animo orare, vt omni studio & deuotione salutem ægroti Dei misericordiæ commendent.

Sed præcipuè adhibetur signum Crucis, eo namque signantur omnes quinque sensus eum inunguntur. Signum illud salutiferum designauit Christianum, hunc communire quoque debet in exitu mortalis vitæ. Ritus ille obsignationis est Apostolicus, cùm nullus post Apostolos; primus author eius circumferatur, & semper in tota vsurpatus Ecclesia dignoscatur; vnde Sanctus Augustinus cap. 20. libri de catechis. rudibus. *Christi passionis & Crucis signo in fronte hodie, tanquam in poste signandus es, omnésque signantur Christiani,* & tract. 118. in Ioannem. *Quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ ex qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue Sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Maximè autem præmuniri debet infirmus signo isto inexpugnabili cũ vltimos diaboli tẽtatoris conatus sustinere debet.

Vnguntur Oculi, Aures, Nares, Os, Manus, Renes, Pedes; quia partes istæ sunt tanquam fons & origo à quibus operationes & peccata sensuum emanant; & ideò illis rectè medicina ista sacramentalis adhibetur. Vide Rituale Romanum.

DE

DE RITIBVS ET CÆREMONIIS Sacramenti Ordinis.



T nihil intactum relinquam ad plenam Lectoris instructionem, eúmque de vsu Ecclesiæ in formandis eius Ministris informem incipio à prima Tonsura, quæ Clericalis dicitur: & quia qualitates & dispositiones in omnibus Ordinandis requiruntur, & tempus præfixum est à sacris Canonibus ipsi Ordinationi, singula commemorabo.

Tempus ergo Ordinationum sunt sabbatha omnium quatuor Temporum rationem aliquam huius designationis ad ordinationem, notat Durandus libro de Ministris & Ordinibus Ecclesiasticis, mihi præualet dicere sic visum Prælatis. Sabbathum item ante Dominicam de Passione, & Sabbathum sanctum non sine Mysterio proferendis Deo & Ecclesiæ famulis assumuntur.

Ad primam Tonsuram quæ non est Ordo, sed præuia quædam dispositio & admissio ad statum clericalem. Concilium Tridentinum sess.23. cap.4. requirit quatuor primo, vt qui clericali militiæ cupit adscribi iam receperit Sacramentum Confirmationis: quod quidem tam strictè præceptum esse docet Bonacina disp.8. vt incurratur peccatum mortale, si assumatur ante hoc Sacramentum, cui tam austero dicto non assentior; Apostolos enim lego factos Presbyteros ante Confirmationem, quam in aduentu Spiritus Sancti tantùm receperunt. Secundò, vt fidei rudimenta tondendus sciat. Tertiò, vt legere & scribere nouerit. Quartò denique, vt non inducatur ex fraude, verbi gratia, sæcularis iudicij fugiendi causa, sed fidelis & sinceri obsequij Deo præstandi resolutione deliberata.

Episcopus quocumque die & hora potest conferre Tonsuram, seu Clericum facere, sic autem instituit. Sedet cum Mitra, dicitur à circumstantibus Psalm.15. *Conserua me Domine*, & cum forficibus excidit extremitates capillorum in quatuor locis, fronte, occipitio, & ad vtramque aurem, deinde in medio capitis tres crines capillorum, siue cincinos, & in bacile deponit, & is qui tondetur dicit *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* quibus tonsis Pontifex sine Mitra stans versus ad eum dicit orationem. Tum Schola seu adstantes dicunt Psalmum 23. *Domini est terra*, quo finito surgit Pontifex & orat, tum sedet cum Mitra & accipiens in manu superpelliceum imponit ei dicens, Induat te Dominus nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, postea surgit & orat, deinde sedet & monet eum factum esse de foro Ecclesiæ & priuilegia clericalia sortitum esse, & ne ex culpa sua illa perdat.

Quatuor Minores dari possunt extra Missam diebus Dominicis & festiuis, & vno die sed manè. Ordinandi debent esse superpelliceis induti, candelam in manu dextra habentes, eos instruit & de officio sigillatim informat, Pontifex sedens cum Mitra audientibus genuflexis Ordinandis.

Ostiarium oportet percutere cymbalum & campanam, aperire Ecclesiam & sacrarium, & librum aperire ei qui prædicat; prouidè igitur ne per negligentiam tuam illarum rerum quæ intra Ecclesiam sunt aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, & semper claudatis infidelibus.

Deinde claues Ecclesiæ de Altari depromens seu de manu Ministri recipiens illas manu dextra tenet, & ostendens illi dicit, sic age quasi redditurus rationem de his rebus quæ his clauibus includuntur, & mox ei ad se accedenti & dextra tangenti tradit claues: Post hæc Archidiaconus ducit eum ad ostium Ecclesiæ & facit eum claudere & aperire, tradit etiam ei funem campanarum, faciens eum ipsas pulsare, & deinde illum reducit ad Episcopum, qui genuflexus orat versus ad illum, & iterum versus ad Altare, sic ad locum suum vadit.

Lector Ordinandus, vocatur, monetur.

Lectorem oportet legere ea quæ prædicat, & Lectiones cantare & benedicere panem, & omnes fructus nouos. Deinde Pontifex accipiens præ manibus Lectionarium, hoc illi præsentat. Accipe & esto verbi Dei zelator, habiturus si fideliter & vtiliter impleueris officium tuum, partem, cum his qui verbum Dei benè ministrarunt ab initio, & mox accedenti & manu dextra tangenti tradit librum ipsum, post Episcopus orat versus ad eum, deinde versus Altare sic redit.

Exorcista, Ordinandus vocatur, instruitur. Exorcistam oportet abijcere Dæmones, & dicere populo, vt qui non communicat det locum, & aquam in ministerio fundere. Accipis itaque potestatem super Energumenos, & per impositionem manus tuæ gratia Spiritus-Sancti & verbis Exorcismi pelluntur spiritus immundi ab obsessis corporibus: Postea tenens Exorcismarium, vel Pontificale seu Missale, & ei ostendens. Accipe & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos, siue baptizatos, siue Catechumenos, & mox appropinquanti sibi & tangenti dextra tradit librum, postea eo genu flexo orat versus ad Altare.

De Ordinatione Subdiaconorum.

CONcilium Trid. sess. 23. requirit ad tres sacros dignos dumtaxat, quorum probata vita senectus sit, habentes bonum testimonium & in minoribus Ordinibus iam probatos & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent instructos, qui sperent Deo authore se continere posse.

Præterea sess.22 exigit Subdiacono titulum vel patrimonij vel beneficij pacificè possessi ad

victum honestè sufficientis, *Cum non deceat*, ait, *eos qui diuino ministerio ascripti sunt cum Ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere*, sed religiosis titulum paupertatis sufficere non est dubium, facto ergo examine de his prætequisitis: & ætate quæ præfixa est sic, vt nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. Diaconatus 23. Presbyteratus 24. ætatis suæ annum promoueatur, quod tamen intelligendum esse de annis inchoatis, constat tum ex Bulla Pij II. quam refert Quaranta verbo *Ordinatio*, tum ex communi Ecclesiæ praxi. Ad Episcopatum verò requiruntur iuxta iuris antiqui dispositionem triginta anni completi, vt habetur cap. *Cum in cunctis* de Erectione.

Notarius itaque vocat vnumquemque Ordinandorum ad Subdiaconatum dicens. Ioannes Reinaudus ad titulum Ecclesiæ S. Remigij. Petrus Chaissi ad titulum patrimonij sui, Frater Paulus professus Ordinis S. Francisci ad titulum paupertatis, & omnes respondent adsum, vocantur ab Archidiacono & genuflexi sistuntur Episcopo, qui ad eos sic loquitur.

Fratres dilectissimi ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promouendi iterum, atque iterum considerate debetis, quod onus vltrò hodie appetitis, hactenus enim liberi estis, licètque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire.

Quod si hunc Ordinem susceperitis amplius non licebit à proposito resilire, sed Deo cui seruire regnare est, perpetuo famulari & castitatem illo adiuuante seruare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos, proinde dum tempus est cogitate, & si in proposito perseuerare placet in nomine Domini huc accedite.

Vocantur, & tunc ordinandi Diaconi & Presbyteri, & Episcopus dicit Litaniam, omnésque genuflexi respondent, Surgit Pontifex & prostratis benedicit, iterumque genuflectit schola perficiente Litaniam,

Vocantur Subdiaconi (recedentibus in parte qui ordinandi sunt Diaconi & Presbyteri) genuflexi instruuntur ab Episcopo, Subdiaconum, oportet aquam ad ministerium Altaris præparare Diacono ministrare, pallas Altaris, & corporalia abluere, calicem & patenam in vsum Sacrificij eidem offerre.

De oblationibus quæ veniunt in Altari tantum in eo debet poni, quantum possit populo sufficere, ne aliquid putredinis in sacrario remaneat. Pallæ quæ sunt in substratorio Altaris in alio vase debent lauari, & in alio corporales pallæ, vbi autem corporales pallæ lotæ fuerint nullum aliud linteamen debet lauari, ipsáque lotionis aqua in Baptisterium debet mergi, studete itaque, vt ista visibilia ministeria nitidè & diligentissimè complentes inuisibilia horum exemplo perficiatis, Altare quidem sanctæ Ecclesiæ est Christus Apoc.7. cuius Altaris pallæ & corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei.

Deinde Pontifex accipit de manu Ministri, & tradit cuilibet successiuè calicem vacuum cum patena superposita, & Archidiaconus vrceolos cum vino & aqua ac bacile cum manutergio quæ omnia singulatim Ordinandi manibus tangunt. Primò calicem, deinde alia.

Episcopus surgit & versus ad populum orat tum deposita Mitra versus ad Altare dicit, *flectamus genua*, orat versus ad Ordinandos, tum sedens imponit Amictum, qui in collo Ordinandorum iacet, super caput dicens. Accipe Amictum per quem designatur castigatio vocis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti. Tum immittit in sinistro brachio Manipulum, dicens. Accipe Manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum, in nomine Patr. &c. Post hæc induit quemlibet tunica, dicens, Induat te Dominus vestimento salutis, & Tunica iustitiæ (est ex Isaiæ 61.) in nomine P. &c.

Postea accipit & tradit omnibus librum Epistolarum manu dextra ipsum simul tangentibus, dicens. Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro viuis quàm pro defunctis, in nomine Patris, &c.

De Ordinatione Diaconi.

Diaconus Græcum nomen est, quod Latinè Ministrum, Hebraïcè Leuitam, seu offerentem significat, sic ordinatur.

Episcopus Subdiaconis ordinatis reassumpta Mitra accedit ad cornu Epistolæ, super sedem suam legit Tractum & Gloria, si dicendum sit, postea legit Epistolam, interim per vnum ex Subdiaconis ordinatis cantatur Epistola. Post vocantur per Archidiaconum Ordinandi. Nominantur per Notarium, nulla tamen facta mentione de titulo.

Eis igitur amictu, Alba, Cingulo ac Manipulo paratis, ac Stolam in sinistra, & candelam in dextra manibus, ac Dalmaticam super brachiū sinistrum tenentibus, & in modum coronæ in Presbyterio coram Pontifice ponitur interdictum, ne quis sub pœna excommunicationis se ingerat Ordini, nisi examinatus & nominatus; tum Archidiaconus offerens illos Episcopo dicit, Reuerende Pater postulat sancta Mater Ecclesia Catholica, vt hos præsentes Subdiaconos ad onus Diaconij ordinetis, Episcopus interrogat. Scis illos dignos esse? Respondet quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio & testificor ipsos dignos esse ad huius onus officij. Respondet Episcopus Deo Gratias, & ad eorum ordinationem procedit. Primo sedens annuntiat Clero, elegimus hos Subdiaconos ad Ordinem Diaconij, si quis habet aliquid contra illos pro Deo & propter Deum exeat & dicat, verumtamen memor sit conditionis suæ & facta aliqua mora instruit & admonet Ordinandos.

Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare. Docet Diaconos tenere locum Leuitarum Eligimini in Leuitico officio quod habet pugnam inaccessibilem contra inimicos, Comministri & cooperatores estis corporis & sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, orat bis & præfationem specialem expansis manibus ante pectus dicit, post manum dextram extendens super caput cuilibet ordinando, & nullus alius, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur dicens vnicuique singillatim. Accipe Spiritum-Sanctum ad robur & ad resistendum Diabolo & tentationibus eius in nomine Domini, posteà prosequitur in primo tono extensam tenens manum dextram vsque in finem præfationis.

Post

Post hæc sedens cuilibet ante se genuflexo, Stolam quam singuli in manu habent imponit successiuè super sinistrum humerum dicens, Accipe Stolam candidam de manu Dei, imple ministerium tuum, potens est enim Deus, vt augeat gratiam suam tibi, qui viuit & regnat, facitque super quemlibet eorum signum Crucis, & Ministri reflectunt capita Stolæ, & alligant sub brachio dextro. Post hæc induit quẽlibet Dalmatica, dicens. Induat te Dominus vestimento salutis & circumdet te semper indumento lætitiæ in nomine Domini. Postremo Pontifex tenens librum Euangeliorum tradit illum communiter omnibus coram se genuflexis, & manu dextra simul tangentibus, dicens. Accipite potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis quam pro defunctis in nomine Domini. Post versus ad Altare orat. Deinde cum tempus fuerit aliquis de nouiter ordinatis, Dalmatica indutus Euangelium dicit. Ordinati autem suggerente Archidiacono redeunt ad loca sua.

De Ordinatione Presbyteri.

POntifex dicit Tractum vel Graduale, deinde procedit ad ordinationem Presbyterorum, qui vocantur & nominatim leguntur per Notarium nulla facta mentione de titulo. Tunc illi more Diaconorum parati Amictu, Alba, Cinctoria, Stola, & Manipulo, tenentes planetas super brachia complicatas, & in manibus candelas, ac mappulas albas pro ligandis manibus ad Ordinatorem accedunt genuflexi, Archidiaconus eos præsentat cum protestatione quod digni sint (vt suprà de Diaconis) mox Pontifex annuntiat Clero & populo, si quis habet aliquid contra Ordinandos, iuxta statutum Concil. Carthag. postea aliqua facta mora instruit Ordinandos. Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est, vt cœlestis sapientia, probi mores & diuturna iustitiæ obseruatio ad id electos commendent, vnde Dominus præcipiens Moysi Numer. 10. vt septuaginta viros de vniuerso Israël in adiutorium suum eligeret, quibus Spiritus-Sanctus dona diuideret suggessit, *quos tu nosti*, vos siquidem in 70. viris & senioribus signati estis, si per spiritum conformem Decalogum legis custodientes probi & maturi in sciẽtia, similiter & opere eritis sub eodem quoque Mysterio & eadem figura in nouo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, atque binos ante se in prædicationem misit vt doceret verbo simul & facto Ministros Ecclesiæ suæ fide & opere debere esse perfectos, seu in geminæ dilectionis Dei, scilicet & proximi virtute fundatos. Tales itaque esse studeatis, vt in adiutorium Moysi & duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysem & Apostolos figurantur dignè per gratiam Dei eligi valeatis, &c. Si non sint factæ Ordinationes Subdiac. & Diac. huiusmodi prosternuntur in terram & Pontifice ante faldistorium suum genua flectente cum Mitra dicuntur Litaniæ & Ordinandi benedicuntur.

Post hæc surgunt omnes & Ordinandis coram Pontifice binis & binis successiuè genu flectentibus Pontifex stans ante faldistoriũ suum cum Mitra nulla oratione, nullóque cantu præmissis imponit simul vtramque manum super caput cuiuslibet ordinandi nihil dicens. Idem faciunt post eum omnes Sacerdotes ibidem præsentes, quo facto Pontifex & Sacerdotes tenent manus dextras extensas super illos, & P. orat bis, tum extensis manibus ante pectus dicit specialem præfationem. Post sedet & reflectit Orarium siue Stolam ab humero sinistro cuilibet capiens partem, quæ retro pendet & imponens super dextram humerum aptat eam ante pectus in modum Crucis, dicens cuilibet. Accipe iugum Domini; iugum enim eius suaue est, & onus leue, postea imponit casulam vsque ad scapulas quam quilibet teneat super humeros complicatam à parte exteriori deorsum dependentem, dicens singulis. Accipe vestem sacerdotalem, per quam Charitas intelligitur, potens est enim Dominus augere tibi charitatem, & opus perfectum, Deo gratias, surgit Pont. sine Mitra orat, tum ante Altare conuersus flexis genibus incipit hymnum. *Veni Creator Spiritus*, quem schola prosequitur, dicto primo versu surgit Pont. & sedet in faldistorio cum Mitra & ponitur ei gremiale siue mappula super gremium, & singuli successiuè coram eo genu flectunt, & Pont. cum oleo Catechumenorum vngit vnicuique ambas manus simul iunctas in modum Crucis producendo cum pollice suo dextro in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet à pollice dextræ manus, vsque ad indicem sinistrum, & à pollice sinistro vsque ad indicem dextrum, vngendo mox totaliter palmas, dicens inungendo consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas, per istam vnctionẽ & nostram benedictionem Pont. producit manu dextra signum Crucis super manus inuncti, & dicit, vt quæcumque benedixerint benedicantur, quæcumque consecrarint consecrentur, & sanctificentur in nomine Domini nostri Iesu Christi, ordinatus respondet, *Amen.* Tum Pont. claudit seu iungit manus cuilibet, quas sic consecratas aliquis Ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul alligat videlicet dexteram super sinistram, & mox vnusquisque ad ordinem suum redit, & sic clausas & alligatas manus tenet. Omnium manibus vnctis & consecratis Pontifex manus suas lauat & tergit. Tum tradit cuilibet calicem cum vino & aqua, & patenam superpositam cum hostia, & ipsi illa accipiunt inter indices & medios digitos, ac cuppam calicis & patenam simul tangunt Pont. singulis dicente. Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missásque celebrare, tam pro viuis quam pro defunctis in nomine Domini.

His peractis lauat manus cum medulla panis, deinde reuertitur ad Cornu Epistolæ ad sedem suam, & dicit vltimum versum Tractus, & Diaconus nouus cantat Euangelium. Interim parantur hostiæ super Altare pro numero Ordinatorum in Ordinibus sacris, qui omnes cõmunicare debent, & proceditur in Missa ordine solito. Cum Offertorium cantatur Ordinati Sacerdotes poterunt lauare manus cum medulla panis & aquæ, quæ proijciatur in sacrarium; Pont. verò offertorio lecto vadit cum Mitra ad faldistorium ante medium Altaris, & sedens accipit offertorium ab omnibus Ordinatis qui omnes accedunt bini, & genu flectunt coram eo, & offerunt singuli cereum accensum, & eius

manum osculantur. Primò, Presbyteri, tum Diaconi, & alij suo ordine, hoc facto Pont. lauat manus, surgit & tollitur faldistorium, & Mitra, & prosequitur Missam.

Presbyteri verò ordinati retrò Pontificem, vel hinc & inde in terra genuflexi habent libros coram se super scabellis dicentes secretè: Suscipe Sancte Pater, & omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex, qui tamen benè aduertat, quod secretas morosè dicat, & aliquantulum altè, vt ordinati Sacerdotes possint omnia dicere secum, & præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem, cùm Pontifex dicit orationem Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: osculatur Altare, & dat primo ex singulis Ordinatis cuiSlibet Ordinis ad eum successiuè accedenti, & Altare prius ad dextram Pontificis deosculanti, pacem dicens, *Pax tecum*, cui ille respondet, & cum Spiritu tuo. Et quilibet illorum dat sequenti sui Ordinis ordinato.

Cùm Pontifex assumpsit species promoti ad sacros accedunt genuflexi, & singuli ex Diaconis & Subdiaconis tantùm dicunt submissa voce Confiteor, &c. quibus datur absolutio.

Nota quod Presbyteri non dicunt Confessionem, neque eis datur absolutio; quia concelebrant Pontifici, propterea si non sunt alij ordinati, Confessio & absolutio omittuntur. Post singulos communicat. Inde lotis manibus cantatur Responsorium ex Ioan. 15. iam non dicam vos seruos, sed amicos meos, quia omnia cognouistis quæ operatus sum in medio vestri. Accipite Spiritum-S. quem Pater mittet. Interea Pont. vertit se ad Ordinatos Sacerdotes, qui ante Altare coram ipso stantes simul profitentur fidem, quam sunt prædicaturi dicentes, Credo in Deum, &c. quo finito Pont. cum Mitra sedens in faldist. ante medium Altaris imponit ambas manus super singulorum capita genuflectentium coram eo dicens cuilibet. *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt.* Deinde explicans casulam, quam vnusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet dicens. Stola innocentiæ induat te Dominus, & mox quilibet accedit, & genuflexus ponit manus suas iunctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet. Promittis mihi, si Ordinarius suus est, vel tuo, & successoribus reuerentiam & obedientiam. Resp. Promitto. Pontifex tenens manus illius inter suas osculatur vnumquemque dicens. Pax Domini sit semper tecum. Resp. Amen. Pont. Missam prosequitur. dicto Ite Missa est, accepta Mitra & baculo vertit se ad Ordinatos, hortatur ad benè viuendum, & vt orent pro eo iniungens eis Missas & alia quæ iudicarit expedire, postremò benedicit eis genuflectentibus, tum submissè dicit Euangelium S. Ioannis, & reuersus ad faldistorium exuitur sacris vestibus Ordinati etiam Presbyteri dicunt idem Euangelium.

De consecratione electi in Episcopum.

QVoniam Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, ac Patriarchalium prouisiones seu nominationum & electionum ad illas Confirmationes pertinent pleno iure ad Sedem Apostolicam, quia soli Petro dictum est, *Pasce oues meas* ab eadem Ecclesiis Pastore viduatis, vel de nouo prouideatur, vel electiones ab illis, quibus ex priuilegio indultum est, canonicè celebratæ confirmantur. Ideò scrutinium, quod serotinum appellatur & pridianam illam examinationem quæ in antiquis Pontificalibus libris habetur hic prætermittimus. Absurdum enim & inconueniens est, vt quæ à Papa & sacro eius Senatu sunt approbata examinentur à minore tribunali.

Ritum ergo consecrationis Episcopalis à Sede Apostolica obseruatum expono. Papa ergo annuens & admittens nominationem & præsentationem Principum petentium, vel ipse proprio motu aliquem destinans dicit in Conclaui, seu consessu ordinario Cardinalium.

Prouidemus Ecclesiæ tali N. v. g. Aptensi de tali persona, & præficimus eam in Patrem & Pastorem ac Episcopum eiusdem Ecclesiæ committentes ei administrationem in temporalibus & spiritualibus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti. Hæc est forma creationis Episcopi.

Expeditur postea Diploma Apostolicum.

Primò autem sciendum est, quod nemo consecrari debet nisi priùs constet consecratori de commissione consecrandi, siue per litteras Apostolicas si sit extra Curiam Romanam, siue per mandatum à Camera Apostolica emanatum in ipsa Curia, siue per commissionem viuæ vocis oraculo à Papa factam Consecratori, si Consecrator ipse est Cardinalis, alioquin ei credi non debet. Dies consecrationis debet esse Dominica, vel festiua si Papa hoc indulserit, tam Consecrator quàm electus confiteantur, & præcedenti die ieiunent.

Parantur duæ Capellæ maior & minor cum suis requisitis. Paratur Credentia, seu mensa cum vasis conuenientibus. Parantur omnia paramenta Pontificalia, scilicet Sandalia, Amictus, Alba, Cingulum, Crux pectoralis, Stola, Tunicella, Dalmatica, Chirotecæ, Planeta, Mitra auriphrigiata, Annulus Pontificalis, Baculus pastoralis & Manipulus.

Ex his si Pontifex paratur ad Altare ponitur in ipso Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Crux, Stola, Tunica, Dalmatica, Planeta, reliqua manent super credentiam. Item parantur faldistorium ornatum pro Consecratore & tria scabella, siue sedes pro electo & duobus Episcopis assistentibus Missale & Pontificale.

In Capella minori paratur Altare & ornamenta Pontificalia pro electo, ponuntur etiam octo mappulæ ex duabus cannis panni linei subtilis per medium scissis in longitudinem, quarum duæ sint sex palmorum longitudinis quælibet, aliæ verò sex æqualis sint mensuræ: & Candelæ octo vnius libræ quælibet, quarum quatuor super Altare Consecrantis, duæ super eius credentiam, & duæ super Altare electi ponuntur. Annulus cum gemma benedicendus & electo tradendus, pecten eburneus, & pro offertorio intortitia duo quatuor librarum quodlibet, duo panes magni & duo barrilia vini optimi, panes barrilia ornentur cum auripello, duo scilicet argentea, & duo aurea appareant, hinc & inde arma consecratoris & electi habentia: sint etiam in Capella electi aliqua sedilia. Adsint ad minus duo Episcopi assistentes qui

qui induuntur superpelliceo, Amictu, Stola, Pluuiali & Mitra simplici, alba, & quisque habeat suum Pontificale.

Hora igitur competenti Consecrator, Electus, Episcopi assistentes, & aliqui qui interesse debent consecrationi conueniunt ad Ecclesiam. C. accendit ad faldistorium in capella sua ad cornu Epistolæ paratum, ibique paratur. Electus cum Episcopis assistentibus vadit ad Capellam suam, & ibi capit ornamenta Sacerdotis & pluuiale. Assistentes sua Episcopalia.

Omnibus itaque paratis C. accedit ante Altare, & ibi in medio sedet super faldistorium vertens renes Altari; Electus verò cum suo bireto ducitur, sic paratus inter assistentes sibi Episcopos paratos & mitratos, & cum ante Consecratorem peruenerit, nudato capite illud profundè inclinando ei reuerentiam facit. Assistentes verò eidem cum Mitra aliquantulum inclinant, tum sedent in scabellis suis ante Cons. Electus contra faciem eius, ita vt inter eos sit competens distantia; à lateribus Consecratoris Episcopi assistentes ita tamen quod ad alterutrum vertant facies, cum sic locati fuerint, & aliquantulum quieuerint surgunt, Electus sine bireto, & Assistentes sine Mitris, & senior Assistens versus ad Consecratorem dicit.

Reuerende Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, vt hunc præsentem Episcopum ad onus Episcopatus subleuetis. Cons. dicit habetis mandatum Apostolicũ. A. senior respondet habemus. Cons. dicit legatur.

Tum Notarius Consecratoris accipiens de manu Episcopi assistentis legit à principio in finem. Interim sedent omnes tectis capitibus mandato per Notarium completo, Cons. dicit, Deo gratias, vel si consecratio fit vigore litterarum Apostolicarum, per quas etiam iuramenti per Electum præstandi receptio Consecratori committitur litteris ipsis lectis antequam Cons. aliud dicat, Electus de sede sua veniens coram Cons. genuflectit, & legit iuramentum de verbo ad verbum, iuxta tenorem commissionis prædictæ præstandi sic

Forma Iuramenti.

EGo N. Electus Ecclesiæ N. ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & Domino nostro N. Papæ, suisque successoribus canonicè intrantibus. Non ero in consilio vel facto, vt vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriæ aliquæ inferantur quouis quæsito colore. Consilium verò quod mihi credituri sunt per se, vel per nuntios suos, seu litteras ad eorum damnum me sciente nemini pandam, Papatum Romanum, & regalia Sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum saluo ordine meo contra omnem hominem. Iura, honores, priuilegia & authoritatem Romanæ Ecclesiæ Domini nostri Papæ & successorum prædictorum conseruare, defendere, augere & promouere curabo, nec ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præiudicialia personarum, iuris, honoris status & potestatis eorum machinentur. Et si talia à quibuscumque tractari, vel procurari nouero, impediam hoc pro posse & quam citius potero significabo eidem Domino nostro, vel alteri per quem possit ad ipsius notitiam peruenire. Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, Ordinationes seu dispositiones, reseruationes, prouisiones & mandata Apostolica totis viribus obseruabo, & faciam ab aliis obseruari. Hæreticos, Schismaticos & rebelles eidem Domino nostro vel successoribus prædictis pro posse persequar & impugnabo; vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero Canonica præpeditione Apostolorum limina singulis annis Curia existente citra, vltra verò montes singulis bienniis, vltra vero mare singulis trienniis per meipsum visitabo, & si post primam visitationem legitimè factam aliquo legitimo negotio præpeditus personaliter visitare non potero, per aliquem fidum nuncium de gremio meæ N. Ecclesiæ benè instructum, qui vice mea Apostolico conspectui se præsentare, & de legitimo impedimento huiusmodi saltem per iuramentum legitimam fidem facere teneatur, id adimplebo. Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice, etiam cum consensu Capituli mei.

Consecrator in gremio suo librum Euangeliorum ambabus manibus apertum tenens inferiore parte libri Electo versa ab eo præstationem huiusmodi iuramenti recipit electo adhuc coram eo genu flexo dicente. Sic me Deus adjuuet, & hæc sancta Dei Euangelia, & ipsum Euangeliorum textum ambabus manibus tangente. Tum & non prius Cons. dicit, Deo gratias. Deinde Electo & Assistentibus in locis suis sedentibus Cons. legit voce intelligibili Examinationem sequentem Concilij Chartag.

Examen.

ANtiqua Sanctorum Patrum institutio docet & præcipit, vt is qui ad Episcopatus ordinem eligitur, antea diligentissimè examinetur cum omni charitate de fide Sanctæ Trinitatis, de diuersis causis & moribus quæ huic regimini congruunt ac necessaria sunt, retinens secundum Apostoli dictum 1. Timoth. 5. *Manus citò nemini imposueris.* Et vt etiam is qui ordinandus est erudiatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conuersari in Ecclesia Dei, & vt irreprehensibiles sint, qui ei manus ordinationis imponunt. Eadem itaque authoritate & præcepto interrogamus te dilectissime frater charitate sincera, si omnem prudentiam tuam quantum tua capax est natura diuinæ Scripturæ sensibus accõmodare volueris. Tum electus aliquantulum assurgens detecto capite respondet. Ita ex toto corde volo in omnibus obedire & consentire, & hoc seruabit ad omnes sequentes responsiones.

1. Interrogat Cons. Vis ea quæ ex diuinis Scripturis intelligis plebem, cui ordinandus es verbis docere & exemplis? Volo.

2. Vis Traditiones Sanctorum Patrum, ac Decretales Sanctæ & Apostolicæ Sedis Constitutiones suscipere, docere atque seruare? volo.

3. Vis B. Petro Apostolo, cui à Deo data est potestas ligandi atque soluendi eiusque

Vicariis Romanis Pontificibus fidem, subiectionem & obedientiam secundum Canonicam authoritatem exhibere? Volo.

4. Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum poteris Domino adiuuante ad omne bonum commutare? Volo.

5. Vis castitatem & sobrietatem cum Dei auxilio custodire, & docere? Volo.

6. Vis semper in diuinis negotiis esse mancipatus, & à terrenis negotiis, vel à turpibus lucris alienus, quantum humana fragilitas consenserit posse? Volo.

7. Vis humilitatem & patientiam in teipso custodire, & alios similiter docere? Volo.

8. Vis pauperibus & peregrinis, omnibúsque indigentibus esse propter nomen Domini affabilis & misericors? Volo.

Tunc dicit ei Conf. voce aliquantulum submissa. Hæc omnia & cætera bona tribuat tibi Dominus, & custodiat te atque corroboret in omni bonitate, & respondent omnes Amen.

Sequitur Examen.

Credis secundum intelligentiam & capacitatem sensus tui Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum-Sanctum esse vnum Deum, Omnipotentem, totámque in Trinitate Deitatem coëssentialem, consubstantialem, coæternam & coomnipotentem vnius voluntatis, potestatis & Majestatis creatorem omnium creaturarum à quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia quæ sunt in cælo, & in terra visibilia, & inuisibilia, corporalia & spiritualia? Assentio & ita Credo.

Credis singulam quamque in Trinitate personam, vnum Deum, verum, plenum & perfectum? Credo.

Credis ipsum Filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre? Credo.

Credis etiam noui & veteris Testamenti, Legis & Prophetarum & Apostolorum vnum esse authorem Deum & Dominum omnipotentem? Credo.

Postea C. Hæc fides tibi augeatur à Domino ad veram & æternam beatitudinem dilectissime frater in Christo. Respondent omnes. Amen.

Expleto itaque examine Assistentes Episcopi ducunt Episcopum ad Conf. coram quo genuflectit, eius manum osculatur. Tunc C. Mitra deposita cum Ministris ad Altare conuersus facit solito more confessionem. E. à sinistris eius manente, & omnes Episcopi ante sedes suas stantes, faciunt similiter. Facta itaque confessione C. ascendit ad Altare, & procedit in Missa vsque ad Tractum. Episcopi verò ducunt E. ad Capellam suam, & ibi deposito Pluuiali Acolythi induunt eum Sandalia, tum accipit Crucem pectoralem, & Stola ei aptatur, vt ab humeris dependeat: deinde tunicella dalmatica & casula induitur, quibus indutus accedit ad suum Altare, vbi stans in medio medius inter Ass. detecto capite legit totum officium Missæ vsque ad Tractum, neque vertit se ad populum, cum dicit Dominus vobiscum, vt in aliis Missis fieri solet. Interim Conf. accedit ad faldistorium, sedétque cum Mitra. Ass. verò iterum ducunt E. ad C. cui facit reuerentiam deposito bireto, tum sedent omnes, vt priùs & C. versus ad illum dicit, Episcopum oportet iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare: deinde omnibus surgentibus C. stans dicit Oremus, &c. & mox Con. ante faldist. suum & A. ante sedilia sua cum Mitris procumbunt. E. verò prosternit se à sinistris Consecratoris. Ministri verò & omnes alij genu flectunt. Dicitur Litania, cum autem dictum fuerit, Vt obsequium nostræ seruitutis tibi rationale facias, Te rogamus audi nos. C. surgens ad E. conuersus Baculum Pastoralem manu sinistra tenens dicit sub voce Litaniæ, producens semper signum Crucis, vt hunc præsentem electum benedicere, sanctificare, & consecrare digneris: deinde C. accumbit iterum & Litania absoluitur, qua finita & C. ante fald. suum cum Mitra stante E. coram eo genu flectit, tum C. accepto libro Euangeliorum illum apertum adiuuantibus Episc. Ass. nihil dicens imponit super ceruicem & spatulas Electi: deinde Con. & Epi. ambabus manibus caput consecrandi tangunt dicentes. Accipe Spiritum-S. quo facto C. dicit orationem sine Mitra: deinde extensis manib. ante pectus dicit præfationem singularem. Ligatur caput Electi per Capellanum cum vna ex longioribus mappulis de 8. suprà dictis, & C. flexis genibus versus ad Altare incipit hymnum Veni Creator, postea sedet cum Mitra ante medium Altaris, & extrahuntur ei annuli & chirotecæ, reponuntur sibi annuli & imponitur ei gremiale à Ministris, Tum pollicem suum dextrum intingit in sanctum Chrisma, per vnum ex Ministris sibi oblatum, & caput Electi coram se genuflexi inungit formans primo signum ✝ Per totam coronam, deinde reliquum coronæ liniendo, interim legendo dicens: vngatur & consecretur caput tuum cælesti benedictione in Ordine Pontificali, & producens manu dextra tertio signum Crucis super caput E. dicit in nomine P. F. & Sp. S. Amen. Pax tibi R. & cum Spiritu tuo.

Hic C. abstergit pollicem cum medulla panis, postea sine Mitra prosequitur præfationem, quæ gratias implorat Electo: da ei claues regni cælorum, quæ ligarit ligata sint, qui maledixerit ei sit ille maledictus, sit seruus fidelis, & prudens, non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem, non dicat malum bonum, neque bonum malum, &c. Post hæc dicitur Antiphon. cum Psalm. Ecce quam bonum; imponitur ad collum E. alia mappula, & C. vngit manus E. sacro Chrismate simul iunctas producendo cũ pollice suo dextro inuncto duas lineas, videlicet à pollice dextræ manus, vsque ad indicem sinistrum, & à pollice sinistro vsque ad indicẽ dextrum, & mox inungit totaliter palmas, dicẽs Vngantur manus istæ de Oleo sanctificato, & Chrismate sanctificationis, sicut vnxit Samuël Dauid Regem & Prophetam, ita vngantur & confirmentur; faciique ter super manus E. signũ Crucis. Conf. iungit ambas manus, & eas imponit mappæ à collo dependenti. C. benedicit Baculum Pastoralem, si non sit benedictus, tum tradit eum Consecrato genu flexo capienti ipsũ inter indices & medios digitos manibus non disiunctis dicente C. Accipe Baculum pastoralis officij, sis in corrigendis vitiis piè sæuiens, iudicium sine ira tenens in fouendis virtutibus auditorum animos demulcens in tranquillitate seueritatis censuram non deserens, hoc facto surgit C. & benedicit annulum, tum aspergit

aqua

aqua benedicta & sedet cum Mitra & annulum in digitum annularem dextræ manus Consecrati immittit dicens. Accipe annulum fidei, scilicet signaculum quatenus Sponsam Dei sanctam videlicet Ecclesiam intemerata fide ornatus illibatè custodias R. Amen.

Tum C. accipit librum Euangeliorum de spatulis Consecrati & adiuuantibus Episc. tradit eum clausum Consecrato tangenti illum sine apertione manuum dicens. Accipe Euangelium & vade, prædica populo tibi commisso; potens est enim Deus augere tibi gratiam suam qui viuit & regnat, &c. demum C. recipit consecratum ad osculum pacis similiter & Ep. Ass. dicentes illi, Pax tibi, & ipse singulis, & cum Spiritu tuo. Tum Consecratus medius inter Assistentes redit ad Capellam suam, vbi abstergitur ei caput cum medulla panis, & cum panno mundo, deinde cum pectine mundatur & complanantur capilli, postea lauat manus. Consecr. verò in suo fald. manus lauat, deinde procedit in Missa vsque ad Offertorium inclusiuè: idem facit Consecratus in Capella sua dicto Offertorio C sedet cum Mitra in fald ante medium Altaris, & Consecratus veniens ex Capella sua inter Ass. medius coram C. genuflectit, & illi ex institutione Melchiadis Papæ, & de more offert duo intortitia accensa, duos panes, & duo barrilia vino plena, & C. recipientis prædicta manum osculatur. Deinde lauat manus C. & accedit ad Altare Consecratus, etiam ad posterius cornu Epistolæ Altaris eiusdem, & ibi stans medius inter Ass. Ep. ante se habens Missale suum cũ Cre. simul dicit, & facit omnia. Dicta oratione Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis per Conf. & Consecratum Consecratus accedit ad dextram. C. & ambo osculantur Altare, tum C. dat panem Cto. dicens, Pax tecũ, cui Ctus. Resp. & cum Spiritu tuo, & dat eam Assistentib. suis, deinde postquam Corpus Domini sumpserit, non totum sanguinẽ sumit, sed tatùm partẽ eius cum particula hostiæ in calicẽ missa, & priusquam digitos abluat, communicat consecratum ante se in eodem cornu capite inclinato stantem & non genuflectentem, prius de corpore, tum de residuo sanguinis in calice dimisso. Deinde purificat se postea Consecratum, tum abluit digitos super calicem, & sumit etiam ablutionem, & assumpta Mitra lauat manus. Interim Consecratus cum Ass. accedit ad posteriorem partem alterius cornu Altaris, scilicet Euangelij, & ibi prosequitur Missam sicut Consecrator in cornu Epistolæ. Dicto Ite Missa est C. accepta ibidem Mitra, si non sit Archiepiscopus, & in sua Prouincia stans versus Altare populo solemniter benedicit, data benedictione reponitur faldist. ante medium Altaris, sedétque in eo cum Mitra; Consecratus verò biretum suum in capite tenens coram eo genu flectit, tunc C. deposita Mitra surgit, & benedicit Mitram per Acolythum sibi oblatam si non sit benedicta, & aspergit deinde sedens cum Mitra assistentibus Episcopis, imponit eã capiti Consecrati, dicens: Imponimus Domine capiti huius Antistitis & Antagonistæ tui galeam munitionis & salutis, quatenus decorata facie & armato capite cornibus vtriusque Test. terribilis appareat Aduersariis veritatis, & te ei largiente gratiam impugnator eorum robustus existat, qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consortio decoratam lucidissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti, & capiti Aaron Pontificis tui thyaram imponi iussisti per Christum Dominum nostrum.

Deinde benedicuntur chirothecæ, tum extrahitur Consecrato annulus, deinde sedet C. & adjuuantibus Episcopis imponit illas manibus Consecrati cum oratione, & statim imponit ei annulum Pontificalem. Tum surgit C. & accipit Ctum. per manum dextram, & primus ex Ass. per sinistram & inthronisant eum ponendo eum ad sedendum in faldist. de quo surrexit Consecrator, vel si fiat in Ecclesia propria Consecrati inthronisant eum in Sede Episcopali consueta, & C. tradit ei Baculum Pastoralem in sinistra, deinde versus ad Altare C. deposita Mitra stans incipit. Te Deum laudamus. Interim Consecratus ducitur ab Ass. per Ecclesiam, & omnibus benedicit; finito hymno C. stans sine Mitra in sede seu fald. à parte dextra Consecrati dicit Antiphonam cum oratione. His dictis Con. detecto capite vadit ad cornu Altaris Euangelij; Consecratus verò surgit, & accedens cum Mitra & Baculo, ante medium Altaris versus ad illum signans se cum pollice dextræ manus ante pectus dicit versum, Sit nomen Domini benedictum, deinde faciens signũ Crucis à fronte ad pectus dicit Adjutorium, &c. tum eleuat & iungit manus, & dicit Benedicat vos omnipotens Deus. Tum C. accipit Mitram stans in cornu Euangelij versa facie ad cornu Epistolæ; Consecratus verò accedit ad cornu Epistolæ, & ibidem cum Mitra & Baculo genuflexus versus ad Consecratorem dicit cantando ad multos annos, deinde accedens ante medium Altaris dicit altiùs, postea accedit ad pedes Consecratoris, vbi tertio altiùs. Tum Consecrator recipit eum surgentem ad osculum pacis: similiter & Ass. Episcopi, qui Consecratum cum Mitra & Baculo incedentem, & Euangelium Sancti Ioannis dicentem inter se medium ducentes ad Capellam suam reuertuntur ad exuendum se sacris vestibus; Consecrator verò dicit submissè Euangelium Sancti Ioannis, & ad fald. suum deponit vestes; Consecratus verò agit gratias.

DE RITIBVS ET CÆREMONIIS *Sacramenti Matrimonij.*

COMMVNE est omnibus Sacramentis, vt præter essentialem cæremoniam à Deo institutam in qua Sacramenti essentia consistit, adhibeantur etiam aliqui alij Ritus ex antiquo Ecclesiæ more vel instituto, quo maiori cum pietate ac deuotione & fructu Sacramentum percipiatur. In Matrimonio igitur hæ cæremoniæ obseruari solent.

Primò, ante ipsum debent fieri tribus continuis diebus festis denuntiationes in Ecclesia inter Missarum solemnia & publicè exponendum à Parocho proprio viri & mulieris, inter quas personas Matrimonium sit contrahendum. Hæ rationabiliter inductæ sunt vt videatur, si legitimum opponatur impedimentum. Possunt tamen omitti vel postponi, si iusta adsit causa & Episcopi licentia. Iusta autem censetur si fuerit probabiliter suspicio Matrimonium impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes. Ita docet Conc. Trid. sess. 24 quod & antea in Conc. Lateran. sub Innocentio III. constitutum fuerat, vt refertur cap. vlt. de clandest. desponsationib. Doctores autem censent has denuntiationes debere fieri ab vtriusque contrahentium Parochis si fortè ad diuersas Parochias pertinent, vt impedimenta ex vtraque parte detegi possint.

Secundò, si nullum adsit impedimentum debet fieri in facie Ecclesiæ, id est adesse proprius Parochus vel alius Sacerdos de illius seu Ordinarij licentia, & saltem duo testes, alioquin irritum Matrimonium declaratur à Concilio Tridentino.

Postea benedicuntur noui sponsi in Ecclesia à Sacerdote.

Offertur pro eis Sacrificium Missæ ad hoc ordinatum.

Benedicitur annulus quem sponsus tradit & immittit in quartum digitum sponsæ, dat autem sponsus non autem contra, quia sponsæ fragilitati præcipuè consulendum fuit, & hic Ritus apud ferè omnes populos receptissimus fuit; gestatur autem in digito annulus vt perpetuò oculis obuersetur more digitorum, eiusdémque datæ fidei gestantem admoneat. Inferitur quarto digito, quia is otiosissimus est omnium; in otio autem præcipuè aduigilandum, ne quid per scortationem cuius fames est contra fidem peccetur.

Deinde variis precibus coniugium recens contractum Deo commendatur.

Postea cohortatione Sacerdotali monentur coniuges officij vt honestè in matrimonio se gerant, & intentionem rectam habeant in vsu eius intra debitos fines vel suscipiendi liberos, vel vitandæ fornicationis.

Præterea laudabiles & receptæ consuetudines locorum non paucæ notantur; quas Concilium seruandas monet.

Præfatas autem antiquissimas esse ostendo, & primò, vt non sine Sacerdotis præsentia contrahatur matrimonium ab Apostolica fluxisse traditione, S. Ignatius Epistola ad Polycarp. satis demonstrat & Paulus ipse non obscurè indicat, dum ait, 1. Corint. 7. nubendum esse in Domino, id est secundum Leges & Ritus Ecclesiæ ab ipsis Apostolis traditos.

Quos ex parte describens Tertull. ad vxorem lib. 2. *Vnde*, inquit, *sufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat & confirmata Oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet: nam nec inter se filij sine consensu patrum ritè ac iure nubunt.* Etenim per *Ecclesiæ conciliationem* significat ritum quo per Sacerdotem iunguntur in vnum contrahentium dextræ: cuius & meminit Gregor. Nanz. Ep. 17. iis accedit Osculi sancta libatio, atque velatio, de quibus idem Tertull. libr. de vel. virg. cap. 11. ac demum sequitur benedictio & forma quædam verborum. Hodie Parochus debet dicere. *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris & Filij, & Spiritus-Sancti*, vel aliis vtetur verbis, iuxta receptum cuiusque Prouinciæ ritum; nam hæc verba non sunt forma matrimonij, sed sensibilis obligatio quam ipsi contrahentes exprimendo & acceptando producunt, vti veri Ministri istius Sacramenti. De ista benedictione expressum habetur c. 13. in Carthag. Conc. 4. cui subscripsit cum 213. Episcopis S. August.

Porrò, *per Oblationem* Tertullian. insinuat Missæ Sacrificium, quod (vt antiqui Rituales Ecclesiastici habent) in matrimonij confœderatione offerri à Sacerdotibus consueuit: post verò eisdem contrahentibus solitam (vt nunc fit) impertiri sacram Eucharistiam docet Tertull. de monog. cap. 11. Per Angelorum autem *renuntiationem*, Sacerdotum intelligit solitam fieri publicam in Ecclesia denuntiationem matrimonij inter partes antea pacti, nam per Angelos Tertull. Sacerdotes intelligere consueuit, sicut & Apocalypsis Episcopos vocat cap. 2. & 3. Angelos.


Nota ex Tertull. de pudicit. cap. 4. *Penes nos occultæ coniunctiones, id est non prius apud Ecclesiam professa mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur.* Ex quibus videas non esse nouum quod Trid. Concil. sanxit clandestinas nuptias, quæ absque præsentia Parochi, & non in facie Ecclesiæ celebrarentur haberi nullas S. Ambros. in Epist. 70. ad Vigilium; meminit non solùm benedictionis, sed etiam velaminis, quo noui sponsi à Sacerdote in Ecclesia operiuntur, vnde etiam nuptias dictas interpretatur lib. de Abraham. cap. vlt. quod velo obnubatur sponsa.

ARTICVLVS



ARTICVLVS XXIII.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt amplector & recipio.



POSTOLVS *Romanos docet diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Quod de malis pœnæ, necnon & culpæ, & inter ea de hæreſibus (quas oportet eſſe) intelligendum, experientia ipſa non rarò comprobat: ex his enim manifeſtantur qui probati ſunt, & Romani (Catholicos dico) vberius creſcunt, & corroborantur in fide Apoſtolica, nuſquam enim eius formam plenius ſunt aſſequuti, & ipſam Euchariſtiam incomprehenſibile Myſterium, & Sacramentum auguſtiſſimum magis habuerunt in vſu, veneratione & ſermone, quàm cùm in dies inimicus homo ſuperſeminauit zizania hæreſeon, quibus frumentum hoc (quo verus Chriſti hæres ſtabilitur) ſuffocare & corrumpere conatus eſt. Sic Eccleſia conſurgit de tenebris vt Aurora, ſic progreditur vt Luna, ſic electa coruſcat vt Sol, hócque ab inimicis ſuis vtiliter habet, vt iudicioſè obſeruauit, & luculenter ſcripſit S. Auguſtinus in Pſalm. 67. Multi ſenſus Scripturarum ait, latent & paucis intelligentioribus noti ſunt, nec aſſeruntur commodiùs & acceptabilius, niſi cum reſpondendi Hæreticis cura compellit, tunc enim etiam qui negligunt ſtudia doctrinæ ſopore diſcuſſo ad audiendi excitantur diligentiam vt aduerſarij refellantur. Quam multi Scripturarum ſenſus de Chriſto Deo aſſerti ſunt contra Photinum. Quam multi de Chriſto homine contra Manichæum? Quam multi de Trinitate contra Sabellium? Quam multi de vnitate Trinitatis contra Arrianos, Eunomianos, Macedonianos? Quam multi de Catholica Eccleſia toto orbe diffuſa, & de malorum commixtione vſque ad finem ſæculi? Quàm multi contra cæteros Hæreticos qui ſimili errore à veritate diſſentiunt? Hæc Auguſtinus, cui ſubſcribens addo: Sed quàm multi ſcrutandi, & examinandi ſunt textus & ſenſus Scripturarum, ad ſtabiliendum dogma Catholicum de iuſtificatione, quod hoc tempore Nouatores non ſine multarum animarum iactura, & graui Eccleſiaſticæ vnitatis detrimento peruertunt, & variis erroribus obruunt. His autem extirpandis ita ſedulo incubuit Oecumenica Synodus, vt nihil in hac materia intactum, indigeſtum, aut indeterminatum reliquerit: triginta tres Canones in ſeſſione ſexta, ad ſtabiliendam veritatem edidit, quibus apertè conſtat, non ſolùm quid tenere & ſequi, ſed etiam quid vitare & fugere debeamus. Quia verò peccatum ſeu originale, ſeu actuale præcedit iuſtificationem, ideò quæ ad originale ſpectant, propono iuxta Declarationem ſeſſionis quintæ, & quinque ſpeciales Canones de peccato orig.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit propriè Peccatum originale.

SVpponimus primò, sicut docet Sacra Scriptura, Genes. 3. diuinæ sapientiæ visum fuisse hominem à se recenter conditum imposito præcepto sibi subiectum declarare: cæteris enim arboribus Paradisi ad esum concessis, vnius tantum exceptio facta est, à cuius fructibus, Deo vti supremo creaturæ Domino ita iubente, abstinere deberet.

Quod quidem præceptum, vt obseruat S. Gregor. hom. 14, in Gen. obseruatione facillimum erat, vt ratio ipsa naturalis ostendit, & impositum erat, non tantùm probandæ obedientiæ causa, sed etiam manifestandæ humanæ dignitatis & excellentiæ, quæ vti libera dominium sui, & liberè actus voluntatis elicitos habet.

Supponendum est secundò ex eodem cap. primos parentes Deo ita permittente fuisse à Dæmone tentatos, sub irrationalis animalis figura, serpentis scilicet, qui eo quasi instrumento loquebatur, dum ipse interim in phantasiam eius suggereret, gustandum esse pomum vetitum, *aspectu delectabile, pulchrum oculis, & bonum ad vescendum*. Neque enim, vt ait S. Aug. lib. 11. de Gen. cap. 4. magna laus illis fuisset, si propterea benè viuerent, quia nemo malè viuere suaderet. Tentauit autem hominem Dæmon ex inuidia, vt ait Paul. ad Rom. quia vidit, seu intellexit, quòd homo factus esset ad eius accusationem, ideo sua subtilitate fecit vt in suum peccatum elationis, & superbiæ hominem suum accusatorem induceret: nec dicas protoplastos gulâ quæ suauitate cibi imaginata permouebat peccasse. Multiplex enim illorum agnoscitur peccatum, superbiæ vero principaliter, nam vt ratiocinatur S. Thom. opusc. 2. cap 190. in statu innocentiæ pars inferior animæ superiori perfectè subdita erat, quare prima inordinatio appetitus humani non potuit esse circa bonum aliquod sensibile; vnde sequitur quod fuerit circa bonum aliquod spirituale, quod appetiit supra mensuram sibi ex diuina regula præstitutâ, & hoc superbiæ proprium est, siue fuerit diuina similitudo, siue quædam de se superba præsumptio, quæ le em impositam sibi respueret, & in sua potiùs quàm in Dei potestate esse dilexerit.

Peccauit igitur homo, legem impositam præuaricatus est, & sic à iustitia in qua creatus fuerat excidit, & in odium Dei incurrit, & sic in deterius fuit commutatus, & secuncundum animam, & secundum corpus: nam amisit sanctitatem & iustitiam in qua creatus fuerat, & mortem quam anteà illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem sub potestate diaboli, qui mortis deinde habuit imperium, incurrit.

Hæc omnia experimur, & ratio ipsa demonstrat, quia peccatum sanctitati & iustitiæ repugnat, 2. Petri 2. *Peccatis mortui iustitiæ viuamus*. Ezech 18. Rom. 5. per illud ergo Adamus gratia & iustitia exutus fuit, in qua vti opus Dei perfectum creatus fuerat. Et peccando incurrit Dei odium, vnde eiectus est à *facie eius*, & qui viuebat prius omni ex parte securus cœpit admisso peccato pudore suffundi. *Postquam præcepti transgressio facta est*, inquit S. Aug. lib. 13. con. c. 13. *gratia deserente diuina de corporum suorum nuditate confusi sunt.*

QVÆRITVR iam, *quid propriè sit illud peccatum originale?*

Respondeo, si peccatum pro actione sumitur, est illa prima præuaricatio quæ peccatum actuale & personale fuit in Adamo, illud autem originale dicitur, éstque omnium indiuiduorum secundùm rationem seminalem ab Adamo descendentium, quia voluntas nostra quæ bonum vel malum operatur, inclusa censebatur in voluntate capitis totius generis; & ideo non dicitur in Scriptura nos peccasse in Diabolo, quia peccatum eius nihil pertinet ad nos, sicut dicimur in Adamo peccasse, *per cuius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, Rom. 5. id est omnes, dicit tamen *multi*, potius quàm omnis, vt multitudinem posterorum significet, quia omnes possunt esse pauci, ait S. Aug.

Si peccatum accipitur pro eo quod remanet, actu transeunte, & vnde homo propriè & formaliter dicatur peccator.

Respondeo, certum esse quod peccatum originale sit aliquid aliud præter peccatum personale Adæ, nam Concil. Trident. tria dicit de isto.

Primò, transfundi peccatum originale propagatione, non autem imitatione, at quod est vnum numero non propagatur, aut transfunditur in diuersa indiuidua, diuideretur enim à seipso.

Secundò, dicit peccatum originale inesse vnicuique proprium: At peccatum ipsius Adæ non inest cuique proprium, sed est omnibus commune.

Tertiò, dicit per Baptismum remitti peccatum originale, & illud remitti non esse idem quod imputari, sed verè tolli, at si peccatum originale nihil aliud esset quam peccatum Adæ posteris imputatum, seu per imputationem communicatum sequeretur, nihil aliud esse remitti illud, nisi non amplius imputari.

Hinc ad quæsiti responsionem notandum est vix propriè definiri posse in quo formalitas peccati originalis consistat, nisi primò ad iustitiam originalem respiciamus, contraria enim iuxta se posita magis elucescunt. Ad hoc vide quæ de illa scripsi in quæst. 21. de Anima.

Nunc obiter repeto iustitiam originalem duas habuisse partes, altera subiiciebat mentem Deo, altera carnem menti: prior pars continebat habitum Fidei in intellectu, Spei & Charitatis in voluntate, & gratiam habitualem in essentia animæ: Posterior pars complectebatur donum aliquod supernaturale, quo appetitus sensitiuus refrænabatur, & perfectè subiiciebatur rectæ rationi. Hinc fit, vt priuatio iustitiæ originalis habeat etiam duas partes, altera est priuatio iustitiæ originalis in mente, & tunc deperditur formaliter gratia

gratia & charitas quam Eua primò perdidit fortè non amittendo simul donum quo appetitus sensitiuus frænabatur, donec vir eius qui erat caput generis peccasset, id non assero, sed Scriptura innuere videtur, dum à morsu pomi erubuisse non subiungit, nisi post peccatum viri, quo altera priuatio eiusdem iustitiæ in appetitu sensitiuo subsecuta est.

Respondeo, ergo peccatum originale propriè consistere in priuatione gratiæ & charitatis originalis, quatenus est auersio mentis à Deo per modum habitus manens; hæc enim propriè est mors spiritualis animæ, mors inquam metaphoricè, nam reuera non corrumpitur cum sit immortalis, sed quia corrupit, vel priuationem induxit gratiæ, quâ anima Deo viuebat. Hanc priuationem gratiæ consequitur priuatio totius iustitię originalis. Formale ergo peccati est priuatio gratiæ, quatenus est cum auersione habituali à Deo, nam quemadmodum anima seu voluntas illo prædita dono dicitur conuersa ad Deum, & habitualiter iusta, sic etiam eo dono priuata, non conuersa, non iusta dicitur, & si ipsa se à Deo auerterit, & donum illud excluserit, auersa & iniusta dicitur; illa autem auersio seu macula notantur tantum manere post actum peccati, & hinc homo propriè peccator nuncupatur.

Materiale verò peccati originalis est priuatio & carentia doni subiicientis appetitum sensitiuum rationi.

Hinc communiter peccatum originale definitur à S.Thom. Bonauent. Scoto, Durando, Gabriele, & aliis. *Carentia seu priuatio iustitiæ originalis debitæ inesse*; Carentia, ait Scotus, iustitiæ non qualitercumque debitæ, sed quia acceptæ in primo parente, & in illo amissæ. Durand. addit, cum indignitate habendi eam.

Luther art. 2. de concupiscentia remanente in baptizatis. Caluin lib. 2. institut. cap. 1. §. 8. asserunt peccatum originale nihil aliud esse quàm concupiscentiam, seu inordinationem potentiarum inferiorum animæ, quam vocant hæreditariam naturæ nostræ corruptionem, seu prauitatem, quæ reos nos facit damnationis.

Refellitur hic error, primò authoritate Scripturæ, Rom. 8. *Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu*, id est, iis qui sunt iustificati, Christóque in Baptismo insiti per fidem, spem & charitatem. Sic explicat Trident. sess. 5. can. 5. Atqui in baptizatis remanet inordinatio illa inferioris appetitus, iuxta illud Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Et in Epistola Iacobi cap. 1. *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum*: quem locum explicans August. lib. 6. cap. 15. *Profectò*, ait in his verbis, *partus à pariente discernitur: pariens, id est concupiscentia, partus peccatum, sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.* Ex quibus verbis Apostoli sic explicatis, patet concupiscentiam non esse peccatum, sed causam peccati.

Refellitur ex sanctis Patribus Chrysost. hom. 13. in epist. ad Rom. *Ipsa*, inquit, *passiones in se peccatum non sunt, effrenata vero immoderantia ipsarum peccatum operata est.* Aug. lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 23. *Concupiscentia*, inquit, *in renatis iam non est peccatum, si ei ad illicita opera non consentitur.* Et lib. 6. contra Iulian. cap. 7. *Perficitur in Baptismo perfecta nouitas, & perfecta sanitas ab iis malis nostris, quibus eramus rei, non ab iis cum quibus confligendum est ne simus rei.*

Refellitur authoritate Trident. sess. 5. can. 5. *Si quis per Iesu Christi gratiam quæ in Baptismate confertur reatum peccati originalis remitti negat: aut asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet anathema sit. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur & sentit. Quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per gratiam repugnantibus non valet, quin imò qui legitimè certauerit, coronabitur.*

QVÆRES primò, *Quomodo hæc priuatio iustitiæ originalis veram & propriam in Adæ posteris peccati rationem habeat?*

Respondeo, id prouenire ex eo quod inerat illis obligatio & debitum nascendi, cum illa iustitia originali, prout animam sanctificabat, & perfectè Deo subdebat, idque virtute præcepti diuinitus ipsi Adamo impositi, tanquam totius generis humani capiti, quo obligabatur, non tantùm sibi iustitiam illam & sanctitatem obedientia sua seruare, sed etiam in posteros suos transmittere; vnde S. Anselmus lib. de conceptu virginali cap. 26. *Peccatum hoc*, inquit, *quod originale dico aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam quam suprà posui factam per inobedientiam Adæ iustitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes sunt filij iræ.*

QVÆSTIO II.

An peccatum Adæ traducatur in posteros.

ANabaptistæ cum Pelagianis negant, infantes contrahere in conceptione peccatum ex Adamo, & cum illo nasci, vnde aliqui ex Anabaptistis vocantur Cathari, id est puri ab omni peccato: hi omittunt versiculum illum Orationis Dominicæ, *Dimitte nobis debita nostra.* Alij aliis variis, & vanis nominibus nuncupantur, & ex iis orti sunt libertini, qui putant Christianam libertatem in eo consistere, vt nulli Principi aut Magistratui Politico subiecti sint. Horum omnium singulare dogma est, Adamum sibi soli nocuisse, non autem posteritati: authorem huius erroris, S. August. testatur fuisse Pelagium, qui in Synodo Palestina anathematizauit eos qui dicerent, peccatum primi hominis non nocuisse posteris, aut dicerent infantes tales nunc nasci, qualis erat Adam ante lapsum. Sed postea discipulis suis respondit, ideo se illa obiecta damnasse, quia peccatum Adæ nocuit posteris, non propagatione, sed exemplo, cum enim imitati sunt omnes, qui postea

peccauerunt, & infantes tales nascuntur, qualis fuit Adam ante lapsum, quia carent vsu liberi arbitrij, & præcepti capaces non sunt Adam autem ante lapsum & liberi arbitrij vsum habuit, & præcepti capax fuit. Hæ sunt videlicet artes clusoriæ Hæreticorum.

PROPOSITIO CATHOLICA.

P*Eccatum verè ac propriè dictum in posteros Adami per generationem deriuatur.*

Probatur ex Scriptura, Iob cap. 44. *Nemo mundus à sorde, nec infans cuius est vnius diei vita super terrã.* Certum est autem immunditiã sumi in scripturis pro peccato, Isa. 64. *Facti sumus vt immundi, & tanquam pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* Zachar. 3. *Auferte vestimenta sordida ab eo, & dixit ad eum: ecce abstuli à te iniquitatem tuam* Ps. 50. *Ecce enim in iniquitatibus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* In Heb. est numerus singularis, ideo Hieron. & alij reddiderunt in iniquitate & in peccato. Adde quod ex S. Aug. Enchir 44. & 45. peccatum originale potest significari peccatorum & iniquitatum nomine, figurâ intellectionis vsitata in Scriptura, & in profanis authoribus, quâ numerus multitudinis ponitur pro numero singulari, & contra numerus singularis pro numero multitudinis. Tum quia in peccato illo fuere multa peccata, infidelitas, gula, &c. 5. Roman. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Hoc argumentum tribus modis infirmari posset. Primò, si quis diceret significari ibi ipsum actuale peccatum Adæ, quod per vnum hominem introijsse in mundum dicitur, quia tunc cœpit peccatum esse in mundo. Sic Zuinglius: *Peccatum intrauit, &c. quia is primum præceptum Domini præuaricatus est.*

Nota in hoc versu 12. Epistolæ Pauli, deesse alteram partem similitudinis, siue collationis, eámque supplendam esse hoc modò ita per vnum hominem puta Christum fuit iustitia in mundum ingressa, & per iustitiam vita; itaque vita in omnes pertransiit, in quo omnes iustificati & viuificati sunt, quicumque & Christo per Baptismum & gratiam renati sunt: hæc enim supplenda esse patet, ex versu 15. & seq. imò vt rectè annotauit Origen & Caiet. ipse Apostolus post longam hyperbolen, quo more suo aliò abripitur, hæc eadem supplet & explet versu 18.

Hæc notaui, quia ex comparatione seu oppositione, quam facit Paul. gratiæ Christi ad peccatum Adæ euincitur, hic agi de peccato originali, quod est omnibus singulare, sicut per Christum iustificamur ex gratia singulari cuique renato concessa.

Tum expositio allata non est vera, nam iam introierat peccatum in mundum per vnum Angelum, vel si de mundo corporali sit sermo, iam peccauerat Eua, & cœperat peccatum esse in mundo.

Altera infirmatio quam Pelagiani Anabaptistæ negãtes originale peccatum afferre solent, exponit peccatum sumi hic metonymicè, id est effectus peccati, seu pœna peccati, seu mors, quam solam dicunt in omnes pertransiisse. At hoc non potest stare, quia Paulus dicit peccatum intrasse, & per peccatum mortem. Ergo per peccatum non intelligit mortem, sed peccatum propriè dictum, quod est causa mortis.

Tertia infirmatio dicit peccatum pertransiisse in omnes, non propagatione, sed imitatione, vt post Pelagium Erasmus demonstrare conatus est, qui totam versionem suam ad hanc sententiam accommodauit. Nam vbi antiqua versio habet. *Per vnum hominem,* ipse ait, propter, vbi legitur, *in quo omnes peccauerunt,* posuit, quatenus omnes peccauimus. At comparatio quam facit Paulus iustitiæ Christi cum peccato Adami, hanc expositionem explodit, nam iustitia per Christum intrauit, non imitatione, nec in solo effectu suo, sed propriè per se, & per propagationem, & communicationem Christi. Ergo pari modo peccatum intrauit in mundum per Adamum. Tum Paul. asserit omnes homines peccasse in Adamo, ergo & infantes peccauerunt: infantes autem nullum habere possunt actuale peccatum ob defectum vsus rationis. Ergo necesse est, vt habeant peccatum originale propagatum ex Adamo.

Addo definitum fuisse in Conc. Mileuit. can. 2. hunc textum Pauli esse intelligendum de peccato originali, quod generatione transfunditur. Sicque ait Catholicam Ecclesiam vbique diffusam semper intellexisse, propter hanc enim regulam fidei etiam paruuli qui nil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Idem decretum renouauit Conc. Trid. sess 5. can. 4.

Alia sunt Scripturæ loca ad Propositionis probationem, Rom. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei:* si omnes, non excipiuntur paruuli. Galat. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt remissio per Christum daretur credentibus.* Ephes. 2. *Eramus & nos natura filij iræ,* scilicet, quia à natiuitate, vel quia ex natura peccato Adæ vitiata reatum peccati contraximus, ex quo iræ seu vindictæ diuinæ obnoxij sumus.

Probatur ex sanctis Patribus. Ignatio in epistola ad Trallianos, *Vos ergo succincti mansuetudine, imitatores estote passionum Christi, & dilectionis eius qua dilexit nos, dans semetipsum pro nobis, vt nos sanguine suo mundaret ab antiqua impietate.*

Irenæo lib. 5. cap 7. *Deleuit chirographum debiti nostri affigens illud cruci vt quemadmodum, per lignum facti sumus debitores Deo. Per lignum accipiamus debiti remissionem.* Cyprian. lib. 3. epist. 8 ad Fidem. *Infans recens natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit.* Ambrос. lib. de Apologia Dauid cap. 11. *Antequam nascamur, maculamur contagio: antequam vsuram lucis originis ipsius excipimus iniuriam in iniquitate concipimur.* August. lib. 1. ad Simplicium cap. 2. *Sunt igitur omnes homines, quandoquidem vt Apostolus ait, in Adam omnes moriuntur, à quo in vniuersum genus humanum*

origo

origo offensionis Dei ducitur, vna quedam massa peccati supplicium debens diuinæ, summaque iustitiæ, quod siue exigatur siue donetur nulla est iniquitas.

Probatur Rationibus.. Prima petitur ex consuetudine baptizandi infantes, fundata in verbo Dei, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et in praxi ab Apostolis deducta, vt notauit Aug. lib. 10. de Gen. cap. 23. *Consuetudo*, ait, *matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis, nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua deputanda, neque omnino recipienda, nisi esset Apostolica traditio.* Certum autem est Baptismum dari ad remissionem peccati, vnde ille dicitur lauacrum. Ephes. 5. Ergo supponitur macula. Baptismus vero in infantibus non aufert peccatum actuale, nullum enim ij potuerunt committere, ergo vt auferat contractum ab Adamo datur.

Secunda, mors pœna peccati est, ex Gen. 2. *Moriuntur autem & infantes.* Ergo in illis est quoddam peccatum, neque responderi potest mortem fuisse pœnam Adamo, filiis autem infortunium tantum & calamitatem, sicut cum quis ob culpam suam redactus ad inopiam filios pauperes gignit: ipsi quidem parenti inopia pœna peccati est, filiis infœlicitas & miseria. Nam Deus per Ezech. 18. testatur, *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij.* Quod Patres exponunt, nisi filius imitetur peccata patris. 3. 1. Petri 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis.* Mortuus autē est pro omnibus, vt pater, 2. Cor. 5. 1. Tim. 2. igitur omnes iniusti & peccatores sunt, aut certè fuerunt.

Adde definitionem totius orbis damnantem errorem Pelagij negantis hoc peccatum traduci. Conc. Mileuit. Carthaginense, Toletan. Arausic. 1. Moguntin. Florent. Trident.

Dices, Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Respondeo, id intelligendum, nisi filius sit particeps culpæ; pater autem repræsentabat suam totam posteritatem vti continens eam, sicque peccatum est nostrum, idque non patris portamus.

Instabis, Rom. 5. dici constitutos peccatores multos, non *omnes*. Si ergo propagatione constituerentur, non verò imitatione, debuit dicere omnes.

Respondeo, intelligi omnes, quod & expressit Scriptura, vtrumque habens, *sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*, &c.

Dices, accidens non traducitur per originem, nisi traducto subiecto, eo quod accidens non transit de subiecto in subiectum, sed anima quæ est subiectum culpæ non trahitur ab Adamo, sed creatur à Deo, ergo neque peccatum trahitur.

Respondeo, maiorem esse veram, si accidens sit quid positiuum, non autem si sit quid negatiuum. Peccatum verò contrahitur, quatenus anima rationalis à Deo creata vnitur corpori, quod ab Adamo per generationem ordinatam deriuatur, & per hanc vnionem fit pars hominis ab Adamo ortum habentis, debentis primo suæ generationis instanti habere sanctitatem & iustitiam in ea sui parte quæ illius capax est: quam cùm non habeat primo illo momento, inuenitur proinde priuatus iustitia, ac sanctitate debita, & ex consequenti inquinatus originali peccato, quod vt dixi, in illius iustitiæ ac sanctitatis priuatione formaliter consistit.

Instabis, quicquid traducitur per originem humanam causatur ex semine, sed semen non potest causare peccatum, eo quod caret rationali parte animæ, quæ sola potest esse causa peccati. Ergo nullum peccatum potest trahi per originem.

Respondet S. Thom. 1. 2. q. 81. quod etsi culpa non sit actu in semine, est tamen in eo potentialiter natura humana, quam talis culpa sequitur, nam per virtutem seminis traducitur natura humana à parente in prolem, & simul cum eo naturæ infectio.

Traductio itaque ex S. Thom. Scoto, & aliis, nihil aliud est quam descendere ab Adamo per veram generationem. Hoc enim ipso quod aliquis in lumbis eius fuit, cum Adam transgrederetur præceptum, in illo Adæ peccato communicauit; nam in illo, vt Rom. 5. dicitur, *omnes*, qui in lumbis eius erant, *peccauerunt*, nec enim anima cum creatur polluta est, aut est filia Adæ, sed homo est filius Adami. Homo autem tunc primùm existit cum anima carni coniungitur, & tunc pollui dicitur.

QVÆSTIO III.

De effectibus Peccati originalis in hac vita.

Necessarium fuit hanc inserere quæstionem, quia Conc. Trid. ait, *Totum Adam per preuaricationis offensam secundùm corpus & animam in deterius commutatum fuisse.* S. Thom. tres quæstiones habet de his effectibus, quos docet consistere in corruptione boni naturæ, in macula animæ, & in reatu pœnæ.

Primus & immediatus est substractio iustitiæ originalis, quæ non erat simplex qualitas, vt dixi, sed continebat varia dona supernaturalia, quorum quædam erant in anima & potentiis eius, aliqua in corpore; nam in anima erat gratia gratum faciens, in intellectu fides, in voluntate spes & charitas, in appetitu sensitiuo diuersi habitus, qui illum rationi subiiciebant.

Denique in corpore qualitas quædam supernaturalis, quæ ipsum à morte & aliis nocumentis præseruabat, adiuncta tamen externa protectione Dei. Itaque omnia hæc dona sublata sunt nobis per peccatum Adæ, licet ex ipso Adamo manserint fides & spes.

Ex substractione iustitiæ originalis, sequitur secundus effectus in potentiis animæ, vt ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu concupiscibili, seu habitualis illa inclinatio ad bonum sensibile

bile rectæ rationi repugnans, quæ alio nomine communiter dicitur, fomes peccati, infirmitas in irascibili. Et hæc sunt vulnera inflicta naturæ humanæ per peccatum Adæ, vt docet S.Thom.1.2.q 85.

Porrò hæc naturæ humanæ per peccatum originale vulneratio, ac corruptio non ita intelligenda est, vt dicunt Doctores, quod per ipsum natura humana in se corrupta sit, aut quod vlla eius propria & intrinseca perfectio deperierit (vt dicunt Hæretici asserentes liberum arbitrium fuisse in homine extinctum) id est, per peccatum originale sublatam & destructam fuisse voluntatis humanæ indifferentiam ad opposita, in qua eius naturalis libertas propriè consistit, quia in hominibus æquè, ac in Angelis post peccatum naturalia omnia integra remanserunt: vt ex S. Dionys. cap. 4. de nom. diu. S. Thom.q. 95. primæ partis, & communiter cum eo Theologi docent. Sed ideo dicitur natura humana per peccatum corrupta: quia per illud priuata est iustitia & sanctitate originali, quæ ipsi tanquam forma quædam supernaturalis intrat, quâ perficiebatur in ordine ad Deum. Omnis enim destructio formæ est quædam subiecti cui inest, & per quam illud perficitur corruptio.

Dicitur etiam vulnerata ob imperfectiones, quæ priuationem illam iustitiæ originalis consecutæ sunt. Quæ quidem imperfectiones vulnera dicuntur, non quòd homo in puris naturalibus constitutus, iis obnoxius non fuisset, sed quia tunc non habuissent rationem pœnæ, nec ex aliquo reatu ortum habuissent, sed ex conditione ipsius naturæ. Quare in puræ naturæ statu dicerentur defectus, in statu vero naturæ lapsæ dicuntur vulnera, quia supposito peccato iam habent pœnæ ac vindictæ rationem.

Dices, si defectus illi essent homini naturales, sequeretur malitiam voluntatis esse quoque illi naturalem.

Respondeo, malitiam sumi duplici modo. Primò, pro vitioso aliquo habitu, siue actu, in qua significatione sumitur à S.Thom. 1. 2. q.78.art.1.ad 3. & eo sensu non est illa homini naturalis.

Secundò, pro defectu & priuatione bonitatis alicuius, quæ in iustitia originali reperiebatur, & per quam voluntas hominis speciali modo ad Deum ordinabatur: & eo sensu malitia illa dici potest homini naturalis, quia scilicet bonitas illa & rectitudo non erat eius naturæ debita, sed ex gratuita Dei beneficentia procedebat.

Nota, licet defectus illi qui ab originali peccato causantur sint homini naturales; esse nihilominus verum illos tum per actualia peccata, tum per vitiosos habitus, quæ per peccata illa contrahuntur maximè augeri: vnde fit vt homo per peccata illa quę committit, vt per vitiosos habitus, quos ratione illorum contrahit, longè maiorem obscurationem in intellectu, & malitiam in voluntate, atque adeò longè acriores stimulos concupiscentiæ, & maiorem ad illos reprimendos debilitatem experiatur, quàm alioquin naturaliter haberet, si nulla actualia peccata commisisset, aut nullos vitiosos habitus contraxisset.

Iam quod spectat ad corpus breuiter dicendum est dolores omnes & pœnas, nec non innumera morborum genera, quibus homines in hac vita subiacent, ac denique mortem ipsam esse peccati originalis effectus.

Hoc constat ex Scriptura, Gen.2. *Quocumque die comederis, morte morieris* 3. *Multiplicabo ærumnas tuas, in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Vnde S. Aug. serm.21. de verb. Dom. cap. 1. *Quis nescit, quia peccati pœna est, necesse esse vt moriamur: & quod grauius est, quando nescimus, pœna certa est hora incerta.*

QVÆSTIO IV.

De Concupiscentia.

Ex hac declaratione effectuū peccati originalis euincitur, Concupiscentiam non esse, vt erroneè dogmatizant Hæretici, ipsum peccatum originale in nobis perpetuò manens, etsi enim concupiscentia nata sit ex illo peccato originali, illáque inclinet ad peccatum, vnde interdum vocatur peccatum. certum tamen est, ex declaratione Tridentr. sess. 5. non esse verè & propriè peccatum: *Quæ*, inquit, *cùm ad agonem relicta sit in baptizatis, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet.*

Nota, Concupiscentiæ nomen tribus modis vsurpari. Primò, pro fomite, seu naturali pronitate, & inclinatione ad malum.

2. Pro motu concupiscentiæ inuoluntario.

3. Pro motu eiusdem voluntario; quoquo autem modo sumatur est effectus peccati originalis, corruptio enim naturæ ab ipso subsecuta est, éstque pœna & supplicium peccati: quare S. August. sæpè dicit in pœnam rebellionis, quâ mens primi hominis noluit subiici Deo, factum esse vt ipsi menti hominis non subiiceretur caro eius, lib. 13. ciu.cap.13. *Senserunt*, inquit, *nouum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ.* Et lib. 15. cap. 6. *Languor iste est primæ inobedientiæ supplicium.* Quod autem est pœna peccati, non est peccatum ipsum.

QVÆRES, *Quid sit propriè Concupiscentia?*

Respondeo, esse ipsam sensualitatem, quatenus prona est ad concupiscendum contra rationem, non ex aliqua ei insita qualitate eam instigante, vel inclinante, sed ex carentia iustitiæ originalis, quæ eam rationi perfectè subiiciebat. S.Thom.1.2. q.30.art.2. dicit esse passionem appetitus sensitiui, causatam ab amore tendentem in delectationem, bonum enim delectabile secundum sensum communiter dicitur obiectum concupiscibilis, vnde secundum differentias eius diuersæ passiones concupiscibilis distinguuntur.

Ad hæc quia Apostolus graphicè describens Roman. 7. & ad Galat. 5. mala istius concupiscentiæ, & bellum intestinum, quod continuò

continuò excitat homini cuius differentes motus apprimè destinguere operosum est peritioribus. Hinc Manichæi, docuerunt in homine duas esse animas, vnam spiritalem & bonam à bono Deo datam, aliam carnalem & malam, à malo Deo datam. Philosophi nonnulli volunt in homine duas esse animas, vnam sensitiuam quâ cum bestiis sentit, comedit, generat. Secundam, rationalem quâ cum Angelis ratiocinatur, & intelligit: hoc enim videntur inferre contrarij appetitus & operationes, in eodem homine.

Verum certum est ex fide vnam esse animam rationalem quæ simul continet animam vegetatiuam & sensitiuam. Vnde in seipsa habet vtriusque potentias, appetitus & functiones; ergo non mirum in eadem anima esse appetitus contrarios, eosque ferri in contraria obiecta, iisque præsentibus excitari & irritari quia anima, hominis virtute duplex est, imò triplex.

Concupiscentia hæc non tantum residet in appetitu sensitiuo scilicet in concupiscibili & irascibili, sed etiam rationali vt docet August. lib. 8. confess. cap. 5. Nam sicut in concupiscibili excitat appetitum gulæ & veneris, in irascibili appetitum inuidiæ, rixæ, ita in rationali id est in voluntate & ratione suscitat appetitum excellentiæ, curiositatis, vanæ scientiæ omnes enim potentiæ per peccatū originale hoc cōcupiscentiæ fermento, infectæ sunt, duplex itaque concupiscentiæ vitium reperitur, in homine, alterum in carne seu in parte hominis inferiori quæ sensualitas dicitur, alterum in superiori, ratio est, quia homo non tantum pronus est ad appetenda bona sensibilia contra rationem sed etiam ad concupiscendos honores, & alias vanitates quæ sunt supra naturam sensitiuam. De priori vitio loquitur Paul. Rom. 7. vbi dicit concupiscentiam, esse malum *habitans in carne, & repugnare legi mentis.* De posteriori loquitur Galat 5. vbi dicit carnem id est hominem qui secundum carnem, viuit concupiscere non solùm fornicationem & ebrietatem, quæ ad partem inferiorem pertinent; sed etiam idololatriam & inimicitias, quæ ad partem superiorem spectant.

Dici tamen solet concupiscentia, caro vel carnalis appetitus, seu sensualis per synecdochen, à potiori parte, quia hic est potissimus, creberrimus, vehementissimus appetitus in homine qui semper carnales concupiscentiæ motus in eo excitat, & opera spiritualia scilicet mentalia appetitus rationalis seu desideria vanæ gloriæ, caro sæpè nuncupantur.

QVÆRES, *An hæc concupiscentia sit à Deo.*

Respondeo, hanc pronitatem ad malum non esse à Deo, creante sed ab ipso puniente Deus, enim in principio fecit, *hominem rectum*, in iustitia originali sine omni concupiscentia, seu pronitate ad malum, quando vero homo peccauit, illum priuauit iustitiâ qua ablata cœpit concupiscentia insurgere per modum pœnæ.

DIces, concupiscentia, est naturalis cum sit actus potentiæ concupiscibilis, sed quod est naturale non est malum, actus autem consequ tur potentiam, nam qui dat esse dat consequentia ad illud.

Respondeo, concupiscentiam in tantum esse naturalem homini in quantum subditur rationi, Quod autem excedat limites rationis hoc est contra rationem hominis in quantum homo. Et ideo pronitas ad actum immoderatum concupiscentiæ dicitur vulnus naturæ. His omnibus præsuppositis & facta distinctione pronitatis ob actu voluntario.

PROPOSITIO CATHOLICA.

COncupiscentia seu pronitas ad malum, non est propriè peccatum sed tantum effectus deprauationis naturæ seu priuationis iustitiæ originalis. Probatur prima pars ex scriptura, Secunda enim patet, secunda Cor. 12. *orat ter* id est sæpius vt liberetur à tentationibus carnis seu à motibus & stimulis concupiscentiæ, respondet Christus, *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Iacob 14. vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum vero cum consūmatum fuerit generat mortem. Hic quatuor res destinguntur, Concupiscentia ipsa seu potentia ipsa prona ad malum & tres eius motus, suggestio, delectatio & consensus, sic enim appellant Theologi eos motus, Gregor. homil. 16. in Euang. Beda, hic suggestio est prima illa apprehensio rei delectabilis quæ abstrahit & allicit animam, & si quidem trahat ad delectationem cum aliquo imperfecto consensu sequitur secundus motus de quo dicit Iacobus cum conceperit id est ſcum intellexerit parit, peccatum, denique si suggestio adiunctâ delectatione trahit ad perfectum consensum existit tertius motus de quo dicit cùm consummatum, fuerit generat mortem, non enim per consummatum peccatum intelligi debet peccatum, solum operis sed quodcumque peccatum cui plenus accesserit voluntatis consensus, nam dubitari non potest quin desiderium voluntarium adulteri generet mortem seu priuationem gratiæ & reatum gehennæ, cùm Christus dicat Math. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam iam mœchatus est eam in corde suo* & eadem est ratio de similibus.

Itaque Apostolus non vocat Concupiscentiam id est potentiam pronam & primum eius motum peccatum, partum imperfectum, hoc est delectationem, non plenè deliberatam peccatum vocat. Sed non mortale denique partum perfectum hoc est desiderium cum pleno consensu peccatum, plane mortale esse definit. Tertius locus Roman. 8. *Nihil ergo damnationis, nunc est iis qui sunt in Christo, Iesu, qui non secundum carnem ambulant.* Conc. Trid. exponit motus concupiscentiæ, non esse peccatum in iustificatis, videmus autem in illis vt in Paulo, v. g. remanere concupiscentiam, ergo illa non est peccatum, Ioan. 8 Christus dicit verè liberare quos liberat, ibi autem sermo est de peccato. *Si vos filius liberauerit verè liberi eritis.* Sicut autem nemo dicitur verè à vinculo liberari quod adhuc manet & constrictum tenet hominem, ita nec à peccato, aut ergo mentitur. Christus dicens, *verè liberi eritis.* aut ab homine quem liberat verè ac realiter tollitur peccatum, cum-

que non tollatur concupiſcentia neceſſariò colligitur eam non eſſe verè peccatum

Probatur, ex SS. Patribus Chryſoſt. hom. 19. ad populum. *Concupiſcere eſt naturale, concupiſcere male, eſt voluntatis.* Hil. in Pſal. 118. exponens, viam iniquitatis amoue à me. *Satis aperte diſtinguit concupiſcentiam à peccato, eamque non peccatum, ſed viam ad peccatum eſſe dicit, promptum fuerat dicere iniquitatem amoue à me, ſed licet infirmitatis ſuę conſcius, cum meminerit in corpore ſuo viam eſſe peccandi, tamen per timorem Dei, à peractione peccati omnis alienus eſt.* Hiero. in epiſtola ad Oceeanum. *Quomodo* inquit, *iuſtificati ſumus & ſanctificati, ſi peccatum, aliquod in nobis relinquitur.* Cyprian in ſerm. de ablutione pedum. *Sic abluit quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula poſt ablutionem illam vlla ſua veſtigia derelinquat.*

Bernard. in ſerm. de 6. tribulat. *Peccatum, in foribus eſt, niſi ipſe aperias non intrabit, appetitus, in corde prurit, ſed niſi ſponte ceſſeris, nihil nocebit, conſenſum cohibe ne præualeant hæc, & immaculatus eris.* Auguſt. quem præter cæteros Luther in aſſert. art. 2. & alij Nouatores patronum erroris ſeu contrariæ ſententiæ habere ſe iactant. Certè is non modo nuſquam dicit concupiſcentiam propriè eſſe peccatum, ſed etiam contrarium affirmat paſſim in operibus ſuis lib primo de Geneſi contra Manich. cap. 14. *Aliquando ratio viriliter commotam cupiditatem, refrænat atque compeſcit, quod cum fit non labimur in peccatum, ſed cum aliquanta delectatione coronamur.* l. 1. retract. cap. 15. *Hoc peccatum de quo ſic eſt loquutus Apoſtolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt, quandoquidem de concupiſcentia carnis dicitur.* Bellar. addit nouem alia loca Auguſtini.

Probatur rationibus, prima petitur ex dictis, quod ſit effectus peccati originalis, non poteſt, ergo ſimul cauſa & effectus eiuſdem eſſe, anterior enim & poſterior, ſibi ſimul foret ſecunda, vel concupiſcentia peccatum eſt ſumpta pro facultate ipſa concupiſcendi, vel pro ipſius actu, non pro facultate, ſiquidem omne peccatum vel eſt actio quædam illicita vel licitæ ac debitæ omiſſio, Neque pro actu, tum quia vt actus aliquis peccatum ſit, humanus ac liber eſſe debet, cuius conditionis defectu, rectè dicimus neque actiones brutorum neque agentium naturalium eſſe peccata, motus autem concupiſcentiæ, ſaltem primi non eſt liber, ſed inſurgit ex naturæ neceſſitate non vitio voluntatis, quæ cauſa eſt cur eum ſe nolle dicat Apoſtolus Rom. 7. Sed inuitum pati: *quod odi malum*; inquit, *illud facio*, & rurſus, *quod nolo malum hoc ago*; tum quia verum peccatum, eſt peccantis. Idem autem Apoſtolus concupiſcentiæ actum ſiue motum negat eſſe ſuum, ſeu quod idem eſt, negat ſe illum operari. *Non ego operor illud* hoc dicit quia ſecundum facultatem ſuperiorem ſeu appetitum rationalem non conſentiebat motui illi concupiſcentiæ cuius facultatis quoniam abſolutè ac multo magis habenda ratio eſt quàm inferioris ſimpliciter, negat & meritò quidem ſe motum illum operari, *Si quod nolo illud facio, iam non ego operor illud.*

Tertia nulla eſt cauſa cur facultatem ſeu potentiam concupiſcendi dicamus, eſſe peccatum, potius quam actum ipſum concupiſcentiæ, at concupiſcentiæ actus in pueris, amentibus, phreneticis, & dormientibus peccatum non ſunt, quia non eſt in poteſtate eorum non concupiſcere vt docent S. Aug l. 10. Confeſſ. cap 3. S. Proſper, lib. 3. de vita contemplat. cap. 6. Ambroſ. lib. 1. de officiis cap. 21. At non eſt etiam in poteſtate virorum ſapientium, & vigilantium non habere primos illos concupiſcentiæ motus, vt experientia docet; igitur illi peccata non ſunt & verè dixit, Aug. lib 1. ciu. cap. 25. *Quanto magis concupiſcentialis inobedientia abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis.*

Quarta, Contraria ſententia iniurioſa eſt Chriſto, nam ſi concupiſcentia eſt verè peccatum, & ſemper manet in homine quantumuis iuſtificato, certè ſequitur vt Chriſtus, nos non verè ſed imputatiuè tantum à peccatis redemerit, ac liberauerit, & ſit Diabolus Chriſto potentior, cum ille verè potuerit inquinare, iſte non potuerit verè mundare, vnde falſa erunt teſtimonia illa ſcripturæ Ioan. 8. Si vos filius, liberauerit, verè liberi eritis & Rom. 8. ſicut per vnius inobedientiam peccatores, &c. Nam qui adhuc ſunt in peccato nec verè liberati nec verè iuſti dici poſſunt, ſicut verè & non imputatiuè tantum iniuſti conſtituti ſunt per inobedientiam Adami.

Dices, ex Rom. 6. Paul loquens de concupiſcentia ait, *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore*, dicit non ſit, igitur ſemper eſt in eo, licet non regnet, igitur ſemper in nobis eſt concupiſcentia & ſemper peccatum eſt.

Reſpondeo, tum hoc loco tum in aliis concupiſcentiam vocari peccatum impropriè per figuram metonymiæ quòd ſit cauſa peccati ſi ei obediatur. Nec eſt ſic interpretando, peruertere ſcripturam vt exclamat Lutherus, nam ipſa teſtatur vocem peccati eſſe ambiguam & nunc accipi pro culpa, nunc pro pœna, quæ eſt culpæ effectus, nunc etiam pro cauſa peccati, nunc demum pro ſacrificio quod eſt expiatio, peccati, Deuter. 9. *peccatum veſtrum quod feceratis, id eſt vitulum combuſſi*, ibi vitulus dicitur peccatum, quia effectus & cauſa peccati fuit Zach. vlt. loquens Deus, de plagis Ægypti, *hoc erit* inquit, *peccatum Ægypti*, id eſt pœna peccati, Rom. 7. *Lex peccatum eſt? abſit* omnes exponunt cauſa peccati. Primo, Cor. 5 Chriſtus, vocatur peccatum, quia ſacrificium fuit pro eo, vt etiam Oſee 4. Sacerdotes dicuntur comedere peccata populi id eſt oblationes pro peccatis. Itaque certum eſt ex ſcriptura, peccatum non ſemper accipi pro culpa ſeu, pro peccato propriè dicto. Rurſus ex Scriptura conſtat peccata, propriè dicta tolli in iuſtificatione, Ioan. & Rom. 8. Nec minus conſtat Concupiſcentiam non tolli in iuſtificatione, cum Apoſt. de ſe dicat, Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis.* Igitur conſtat ex ſcriptura quæ concupiſcentiam vocat peccatum, exponendam eſſe de peccato impropriè, id eſt, de cauſa vel effectu peccati vide

vide Bellarmin. libr. 5. de amiss. gratiæ, cap. 10.

DIces, concupiscentia non est à Deo, prima Ioan. 2. *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, conc. oculorum & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* At omnis iusta pœna est à Deo, Amos 3. Ergo concupiscentia non est solùm pœna sed etiam culpa.

Respondeo, sic probaretur mortem non tantùm esse pœnam sed etiam culpam, nam mors non est à Deo. Sap. 1. & omnis iusta, pœna est à Deo. Dico ergo concupiscentiam non esse à Deo quatenus illa est mala, & tamen esse à Deo quatenus bonum est vt eo malo, puniatur hominis inobedientia. Item eam non esse à Deo quia non fuit author peccati à quo illa manauit, tamen esse à Deo, quia in vltionem peccati abstulit iustitiam originalem quæ frænabat eam.

QVÆSTIO V.

De effectibus Peccati Originalis in futura vita.

QVæstionis huius præcipua difficultas est de paruulis sine baptismo ex hac vita decedentibus an ob originale peccatum pœna aliqua afficiantur & quænam illa sit.

PROPOSITIO CATHOLICA.

PAruuli sine baptismo decedentes nunquam peruenient ad fruitionem gloriæ cælestis, vnde damnati dicuntur apud inferos licet vt docet, S. Thom. quæst. 5. de malo & DD. in 2. sent. dist. 33. nullum patiantur dolorem, prima pars catholica, probatur ex script. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto, non potest introire in regnum, Dei*, Rom. 5. vbi dicitur. *Vnius delictum, esse in omnes homines in condemnationem.* Ioan. 3. *qui credit in filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio non videbit vitam sed ira Dei manet super eum.* Paruuli sine baptismo, nec habitu nec actu credunt, vnde ira Dei, manet super eos, Ephes. 2. Siquidem dicitur, *eramus enim & nos natura filij iræ*, Corporalem quidem vitam in communi resurrectione percipient, sed non dicentur resurgere ad vitam sed ad mortem, qui ideo resurgent, vt perpetuò sint miseri, nam ex Aug. in Enchir. cap. 92. *Non est vera vita nisi vbi feliciter*, intellige cum Deo, *viuitur*. prima Petr. 3. baptisma dicitur saluare.

Probatur, ex SS. Patrib. Cyprian. lib. 3. epistola 8. interrogatus vtrum ante diem octauum baptizandi essent paruuli, respondet *nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam*, ratione scilicet periculi incurrendæ damnationis, Hiero. epistola ad Lætam *Christiani non nascuntur sed fiunt.* Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 2. *Paruulos, quibus nulla possunt vel bona, vel mala inesse propria merita voluntatis, insolubili nexu æterna damnatio retinet.* August. lib. de pec. orig. cap. 40. *Regeneratus non regenerat, filios carnis, sed generat & per hoc in eos non quod regeneratus, sed quod generatus est, traiicit, sic igitur siue reus infidelis, siue, absolutus fidelis non generat absolutos vterque, sed reos, quomodo non solum oleastri, sed etiam oleæ semina non oleas generant, sed oleastros.* Beda in comment. Ioan. 14. *Respuendi sunt à corde Christiano qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cælorum erit aliquid vbi beate maneant innocentes, qui sine baptismo, ex hac vita migrarunt, quia sine illo in regnum cælorum, ingredi non potuerunt.* Ansel. lib. de conceptu virginali, cap. 27. *Si originale peccatum, est aliquod peccatum, necesse est omnem hominem in eo natum illo non dimisso damnari*, Prosper lib. 2. de vocat. gent *Quid est quod alienatur, à salute perpetua tanta infantium multitudo totque in his ætatibus hominum millia extra vitam relinquuntur æternum?* August. lib. de orig. animæ cap. 9. *non baptizatis paruulis nemo promittat inter damnationem, regnumque cælorum quietis vel felicitatis cuiuslibet atque vbilibet quasi medium locum, hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Adde Concil. Carthag. Mileuit, Florent. Trid. sess. 5.

Probatur, rationibus prima, si sine bap. fruituri essent beatitudine, essent melioris conditionis, quia peccauerunt in Adamo quam si in puris naturalibus decessissent: neque enim tanta fœlicitas deberetur infantibus in statu puræ naturæ, decedentibus, vnde consequens foret illos præmium ex peccato Adami, consecuturos, quod est manifestè contra scripturam. Secunda, Paruuli non baptizati, tum in hac vita tum in alia sunt captiui & in potestate diaboli, non igitur beati ne naturali quidem beatitudine, sed absolutè infœlices & miseri. Quod autem infantuli nisi baptizentur, sint in potestate Diaboli, & captiui certum est. Colos. 1. Paulus, dicit. *Nos per Christum eripi de potestate tenebrarum*, ergo ante sub illa erant, quare Act. 26. Christus dicit se mittere Paulum, *ad gentes & populos vt aperiat oculos eorum & conuertantur de tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ, ad Deum.* Adde quod eorum locus, est carcer tenebricosus vt communiter censent DD. & Florentin. Conc. sess. vlt. definit animas in originali solo vel actuali peccato decedentes in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas,

Secunda Propositionis pars, quod in illo statu damnationis pœnis & doloribus non afficiantur internis aut externis, est sententia S. Gregorij, namque orat. de Bapt. *Existimo ait, illos neque gloriâ donandos neque pœna mulctandos esse, vt qui Baptismi quidem caracterem non habeant, sed improbitate quoque non laborent; verum & ipsi damnum potius, passi fuerint, quàm iniuriam fecerint.* Huic sancto Patri, subscribunt S. Thom. q. de malo, Bonauent. in 3. sent. dist. 33. vbi exponunt paruulos non affligi ex amissione beatitudinis. Quia scilicet ignorabunt omninò se illam amisisse, cum id scire non possint nisi per fidem, fidem autem nunquam habuerint, nec in illo statu habituri sint, vel quia quamuis cognoscant se illam beatitudinem amisisse, tamen agnoscent etiam simul se aliorum damna-

torum pœnas euasisse, quæ posterior cognitio tale gaudium in illis causabit vt dolorem omnem quem, ex priori concipere possent, auferat & sic in quodam statu medio inter gaudium, & dolorem ipsos perpetuò detineat. Vel denique quia quantumuis videant se à gloria exclusos simul etiam intelligent, nullam se vnquam proportionem ad illam habuisse, cùm nec vsum liberi arbitrij, nec vllum gratiæ supernaturalis auxilium vnquam habuerint, indefiet vt nullâ inde tristitiâ afficiantur, sicut homines infimæ cōditionis non tristantur quod ad regnum aliquod vel imperium non peruenerint, quamuis se regia aut imperatoria dignitate carere videant, nec ad illam vnquam se peruenturos sperarent. Si obiiciantur, aliquæ, authoritates Patrum exprimentes ignem æternum.

Respondeo, interpretandas de loco ignis non de pœna sensibili. Erunt enim ij in aliqua inferni parte, vbi tamen summa animi & corporis pace & quiete perfruentur, & moderato aliquo lumine.

QVÆSTIO VI.

Quomodo auferatur Peccatum originale.

EXpedita est hæc difficultas in quæstione de effectibus baptismi nec aliud hic affero præter definitionem Conc. Trid. sess. 5. can. 5. ***Si quis per Iesu Christi Domini nostri, gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit, non tolli id quod veram & propriam, rationem peccati, habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit.***

HAbes itaque Beneuole Lector in hoc compendioso tractatu, de peccato originali omnia & singula, quæ de illo fides Catholica, docet; quod si Concilium declarat se non comprehendere, in suo decreto de transfusione vniuersali eiusdem peccati beatam immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, iam in art. 3. symboli debitum obseruantiæ meæ, in asserenda immaculata eius conceptione reddidi.

QVÆSTIO VII.

De diuisione Peccati Actualis.

CVm ex peccato originali natura humana prona facta sit ad malum, post causam agendum est de effectu saltem occasionato, id est de peccato actuali, quod propria voluntate incurritur. Hoc autem definitur à S. August. lib. 22. contra Faust. cap. 2. ***factum dictum, vel concupitum contra legem Dei æternam.*** Tangitur hic operis, oris & cordis peccatum, comprehenditur etiam omissio, nam vt recte docet S. Thom. 1. secundæ quæst. 71. affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus, ideoque in illa definitione per factum etiam intelligi debet non factum, per dictum non dictum, nam vt notant Azor. Sanchez, qui omittit quod facere tenetur, videtur facere contra id quod tenetur facere. Ad maiorem elucidationem est ex S. Thom. aduertendum duo præsertim requiri ad rationem peccati primum, vt talis actus sit humanus id est voluntarius & liber. Secundum vt sit malus & prauus, id est vt careat debita commensuratione ad suam regulam, regula autem actus humani proxima est recta ratio, remota verò & principalis ac primaria est ipsa lex æterna, quæ per naturale rationis lumen cuique manifestatur dicente Apostolo Rom. 2. quosuis homines gestare ***Opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*** Atque ideò S. August. & S. Thom. in supra dictis definitionibus primo posuerunt id quod pertinet ad substantiam actus humani tanquam ipsius peccati materiale, deinde id quod pertinet ad rationem mali vt eiusdem peccati formale. Ratio enim formalis peccati vt docent Theologi, nihil est aliud quam priuatio rectitudinis illius quam homo ex præcepto legis æternæ & dictamine rectæ rationis inducere tenetur in actum suum: vnde August. tract. 2. in Ioan. ***peccatum est nihil quia per verbum factum non est*** & lib. 12. num. cap. 7. ***nemo quærat causam efficientem humanæ voluntatis, non enim est efficiens sed deficiens, quia nec illi effectio est sed defectio***, S. Ambros. lib. de Isaac & anima cap. 7. ***Quid est malitia nisi boni indigentia?*** Ansel. lib. de concordia præscientiæ cum lib. arb. cap. 1. ***Non est*** inquit, ***iniustitia qualitas, aut actio aut aliqua essentia, sed tantum absentia debitæ iustitiæ.***

Alij definiunt peccatum auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam, nota autem peccatum dici esse contra legem Dei, æternam non quod omne peccatum sit malum eò quod sit prohibitum saltem lege æterna, sed quia prohibitum sit aliqua lege vel naturali vel humana, multa enim dicuntur peccata quæ talia præcisè non sunt ex lege æterna sed ex lege humana, omnes autem leges referuntur ad legem Dei æternam. His positis.

PROPOSITIO CATHOLICA

NOn omnia peccata sunt æqualia, sed aliud est mortale, aliud veniale. Est de fide & probatur, ex scriptura quod detur mortale seu dignum morte æterna, Ephes. 5. ***Omnis fornicator aut immundus, &c. non habet hæreditatem in regno Dei***, Ioan. 1. cap. 15. ***Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum verò cum consummatum fuerit generat, mortem. Nolite itaque errare fratres***, prima, Ioan. 5. ***Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem: non pro illo dico vt roget quis, omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem.*** Apocal. 21. ***Homicidis, & fornicatoribus, &c. pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.*** Quod detur peccatum veniale probatur, ex eadem scriptura Prouerb. 20. 1. ***Septies in die cadit iustus.*** 1. Ioan. 1. ***Si dixerimus quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*** Quo loco S. Ioan.

loquitur

loquitur de peccatis iustorum, ob quæ non desinunt esse iusti, & quæ proinde cum gratia sanctificante stare possunt, vt asserit August. Eccles. 10. *Non est qui non peccet.* Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Matth. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Adde quod nonobstantibus illis peccatis Scriptura plures vocat iustos. Genes. 6. *Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis.* Luc. 2. *Et ecce erat homo in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus.* Matth. 1. *Ioseph autem vir eius cum esset iustus.* Luc. 16. de Zacharia & Elizabeth. *Erant autem iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus sine querela*; vnde euincitur, quod eorum imperfectiones & peccata erant tantum venialia.

Probatur ex Conc. Mileuit. can. 7. vbi dicitur non solum peccatoribus, sed etiam iustis, hanc Orationis Dominicæ petitionem conuenire, *Dimitte nobis debita nostra.* Et ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 11. vbi expresse declaratur: *Iustos & sanctos in leuia & quotidiana, quæ etiam dicuntur venialia peccata quandoque cadere.*

Certum est, præterea discrimen peccati mortalis & venialis discernendum esse, non ex eo quod (vt asserunt Hæretici) peccata omnia prædestinatorum aut fidelium venialia sint, reproborum vero aut infidelium mortalia; sed ex propria ratione & natura ipsorum peccatorum.

Id probari potest ex Scriptura, quæ vt supra dictum est, declarat peccata quædam æterna morte digna esse, ac proinde mortalia, quædam autem venialia, sine vlla relatione ad prædestinationem, aut reprobationem, vel ad fidem aut infidelitatem peccantium: imò expresse testatur quosdam prædestinatos & fideles peccasse mortaliter v. g. Dauidem cum perpetrauit adulterium, quod verè fuit peccatum mortiferum, vt docet Ambros. lib. 2. de Apolog. Dauid cap. 16. S. Petrum cùm ter negauit Christum, in quo peccauit mortaliter, teste Aug. tract. 66. in Ioan. vbi dicit illum in ista negatione timendo mortem corporis incurrisse mortem animæ.

Probatur ex Bulla Pij V. & Greg. XIII. quæ per Vrbanum VIII. renouata est, in qua damnata est hæc propositio Michaëlis Baij, *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne meretur pœnam æternam.*

Probatur ex sanctis Patribus, Cyprian. epist. 52. q. 2 lib. 4. docet *magnam esse differentiam inter Christianam & Stoicam Philosophiam: alia est Philosophorum & Stoïcorum ratio, qui dicunt omnia peccata paria esse.* Ambros. lib. 2. de pœnit. cap. 10. *Quotidiani nos debet pœnitere peccati*: Sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum pœnitentia. Et in cap. 4. epist. ad Rom. in illa verba Dauidis, Beati quorum remissæ, &c. *Tres gradus facit Psalmista propter delictorum varietatem: Quorum primus gradus est iniquitas, vel impietas, dum non agnoscitur Creator: Secundus, grauium peccatorum: Tertius vero leuium.* Hieron. epist. 14. ad Celantiam. *Stoïcorum est peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare, nec vllum inter scelus & erratum discrimen facere; nos vero etsi multum inter peccata distare credimus, quia & legimus, tamen satis prodesse ad cautionem dicimus etiam minima pro maximis cauere, tanto enim facilius abstinemus à quocumque delicto, quanto istud magis metuimus, nec cito ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat.* Et lib. 2. adu. Iouin. cap. 16. *Sunt peccata leuia, sunt grauia, aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem. Cernis, quòd si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam, si pro maioribus difficilis impetratio sit; & inter peccata & peccata magnam esse distantiam: vnde & de populo Israel, quia peccauerat peccatum ad mortem, dicitur ad Hieremiam: noli orare pro populo hoc, ne assumas pro eis deprecationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Serm. in 27. Matth. quid vides festucam in oculo fratris, & trabem in oculo tuo non vides? *De his loquitur, qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt, culicem liquantes, & camelum glutientes.* August. lib. de spir. & litt. cap. 16. exemplis declarat quale sit veniale peccatum. *His constitutis peccatum erit hominis ex fide viuentis aliquando alicui delectationi illicitæ consentire: non tantum illis horrendis facinoribus, & flagitiis perpetrandis, verum etiam in istis leuioribus, vt vel aurem alicui voci qua audienda non esset, vel linguam alicui qua dicenda non esset accommodat.* Idem cap. 2. Enchirid. *Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute quorumdam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod beneuolentia excusat, & ideo fallacia damnat.* Idem cap. 7.1 *De quotidianis breuibus, leuibúsque peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit; Eorum enim est dicere: Pater noster qui es in cælis, qui iam Patre tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto, delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata.* Idē ser. 41. de Sāctis. *Illo transitorio igne, de quo dicit Apostolus, ipse autem saluus erit. Sic tamen quasi per ignem non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Quibus peccatis licet occidi animum non credamus, ita tamen eum velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cælestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.*

Probatur ratione, quia si peccata omnia prædestinatorum essent venialia, sequeretur prædestinatum non posse amittere gratiam iustificantem, cùm per solum peccatum mortale amittatur, quod tanquam falsum & Hæreticum, damnauit Concil. Trident. sess. 6. can. 33.

Nota ex S. Thom. 1. 2. q 88. nomen peccati venialis vsurpari tripliciter. 1. pro veniali ex euentu 2. pro veniali ex causa. 3 propriè pro veniali ex natura sua.. Primum dicitur cuius veniam consequimur, quo sensu Ambr. lib. de Paradiso cap. 14. dicit peccata omnia remitti possunt. 2. dicitur, quod aliquando dignum est venia, quia ex ignorantia vel passione sit commissum, iuxta id 1. Timot 1. *Fui blasphemus*

mus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Veniale ex natura dicitur, quod nec mortem animæ affert, nec æterna pœna per se dignum est. De hoc hic est quæstio, quia peccato mortali propriè opponitur.

Nec refert 1. quòd Deus qui est infinitus offendatur peccato veniali, infinitas enim Dei est extrinseca respectu peccati, adeóque non impedit quin committantur peccata ex se leuia, quæ proinde pœnam æternam non mereantur, eò vel maximè, quia alioquin dicendum esset plerosque de facto ob sola venialia in æternum puniri, cum constet multos cum iis mori, Deúmque reddere vnicuique in alia vita secundum opera eorum.

Nec refert 2. quod peccatum veniale non sit patrandum pro nullo bono consequendo, aut malo vitando, hoc enim esto sit verum, tamen non est verum, quod malitia illius sit infinita, quia cum ex se vere sit peccatum & illicitum, id sufficit vt non possit vsquequaque licitè committi.

Secunda ratio, hæc est, secundum mensuram delicti iustitia diuina modum plagarum ordinat, ergo peccatum quoduis supradictum veniale non affert mortem; certum siquidem iustitiam distributiuam respicere actionem hominum, tanquam obiectum vindictæ vel præmij.

Adde quod ex sententia Caluini, quælibet hominis opera sunt mortifera, consequenter cum in articulo mortis tot imperfectionibus & culpis se inuolutum circumspiciet, vix à desperatione moribundus temperabit.

Dices, minima opera bona merentur vitam æternam, Matth. 10. *qui dederit calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem suam.* Ergo à contrario minima peccata damnationis reos facient.

Respondeo, Christum loqui de eo qui ex charitate aquam dederit, dare autem ex virtute excellentissima non est paruum opus, etsi materia sit leuis.

Secundò, antecedens potest dupliciter intelligi. 1. sic, minima opera bona coniuncta cum gratia & charitate merentur vitam æternam. 2. minima præcisè spectata sine gratia merentur vitam, primo sensu verum est, non secundo. Similiter consequentia potest intelligi dupliciter: 1. minima peccata in homine iusto in quo nullum est mortale, merentur supplicium æternum. 2. Sic minima coniuncta cum mortali, merentur damnationem. Primo modo negatur, secundo autem conceditur.

Dices, Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, morietur.* Et Rom. 6. *Stipendia peccati mors*, vtrumque generatim asseritur de quouis peccato, quia nulla fit exceptio. Ergo quoduis peccatum est mortale.

Respondeo, neutrum generatim asseri, nam Ezechiel expressè loquitur de certis tantùm peccatis, nempe de idololatria, adulterio, homicidio, vsura, & rapina, quæ ex genere suo sunt mortalia. Paul. verò de immunditia & iniquitate versu 19.

Dices, ex 2. Iacobi, *Qui peccat in vno, factus est omnium reus.* Ergo homo per quoduis peccatum incurrit reatum pœnæ æternæ. Ergo quoduis peccatum est mortale.

Respondeo, Iacobum loqui de peccato cõtra legem Decalogi, ac nominatim de adulterio & homicidio, quæ ex natura sua sunt mortalia. Sic enim ait, *Quicumque totam legem seruauerit offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit non mœchaberis, dixit, & non occides, quod si non mœchaberis occides autem, factus es transgressor legis:* quasi dicat, qui committit vnum peccatum mortale contra Decalogum, licet plura non committat, reus est mortis, sicut qui accipit vnum vulnus lethale, etiamsi plura non accipiat obnoxius est morti corporali.

Instabis, ex Matth. 5. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis*, adde quod peccata fiunt grauia, etsi in materia leui versentur, quia offendunt Deum qui est infinita bonitas. Ergo omne peccatum est mortale.

Respondeo, Christum non loqui de minimis peccatis, sed de minimis mandatis, nec dicit *eum fore minimum in regno cœlorum*, qui transgressus fuerit minimum mandatum; Sed qui falsa interpretatione corruperit: hoc enim significant illa verba, *qui soluerit vnum de istis minimis, & sic docuerit.* Hoc faciebant Scribæ, contra quos agit Christus, nam præceptum de adulterio, periurio, & dilectione proximi sic interpretabantur vt dicerent, externum quidem homicidium, & adulterium prohibitum, non tamen iram, & concupiscentiam vxoris alienæ: amicos diligendos esse non tamen inimicos, & sic deinceps hæc erat mera corruptela, vnde sequitur non esse paruum, sed magnum peccatum soluere ex mandatis minimis, & docere sic, quia hoc est corrumpere legem Dei quæ regulat cor, huic autem falsæ Scribarum interpretationi opponitur, quod Christus de se dicit, *Non veni soluere legem, sed adimplere*, id est, perfectè interpretari, quod facit toto illo capite. Sic Hieronymus.

Ad materiam leuem fieri interdum grauem ex circumstantiis, ita vt circa illam peccetur mortaliter v. g. pomum interdictum Adæ, quia erat primum Dei post tot collata beneficia, præceptum omnino non debebat comedi.

Ad offensionem bonitatis diuinæ: Respondeo, duplicem esse grauem & leuem, seu contra charitatem, & amicitiam, & aliam, quæ illam non dissoluit. De qua alibi, *In multis offendimus omnes.* Et iterum: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Itaque non omne peccatum offendit Deum tam grauiter, vt dissoluat amicitiam cum Deo; vnde Theologi dicunt, veniale esse præter legem Dei, potius quàm contra illam, quia non est contra finem legis, qui est charitas, vt dicitur 1. Timo. 1. quam non excludit. Possumus enim Deum ex toto corde diligere, licet leuiter eum offendamus, ex miseria naturæ corruptæ, ex inaduertentia, ex subreptione motus, &c.

In quo consistat ratio distinctiua peccati mortalis à veniali.

Mortale

Mortale, ait Scotus, est deordinatio opposita ordinationi, sine qua finis consequi non potest.

Veniale, est oppositum ordinationi, quæ non est simpliciter necessaria ad finem consequendum; est tamen vtilis, & talis cadens ab ordine peccat venialiter.

Hinc elici potest, quod formalis ratio distinctiua peccati mortalis à veniali in eo consistat, quod in quolibet mortali reperiatur plena aduertentia & contemptus Dei, vel expressus, vel tacitus, seu interpretatiuus, quod ex plerisque Scripturæ locis intelligitur, in quibus conqueritur Deus se à peccatoribus sperni & contemni, ex quo sequitur dissolutio charitatis & amicitiæ, quæ inter Deum & hominem intercedit. In peccato autem veniali non reperiatur, nec proinde charitatis dissolutio, sicut in amicitia humana. leues amici offensæ licet ipsi displiceant, non tamen vsque ad eius contemptum procedunt, nec proinde amicitiam dissoluunt.

Diuisio peccati, in mortale & veniale, videtur esse generis in species suas; ratio est, quia natura & essentia peccati in communi vt abstrahit a mortali & veniali, consistit in priuatione rectitudinis, seu honestatis, quæ deberet esse in actu. Hæc autem priuatio quasi essentialiter contrahitur per mortale & veniale; nam in mortali est priuatio dissoluens amicitiam Dei, in veniali, est priuatio, non quidem dissoluens amicitiam Dei, sed tamen reddens actum ineptum, vt non possit referri ad honorem Dei.

Hinc habe, peccatum veniale non posse fieri mortale per solam multiplicationem actus; potest quidem si negligatur, disponere hominem vt labatur in mortale, iuxta Eccl. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Nec dicas, posito floreno sufficere ad mortale, qui singulis diebus vnum assem furatur, duodecimo mortaliter peccate. Ergo plura venialia faciunt vnum mortale.

Respondeo, siquidem illud vltimum esse mortale, non quod ex aliis coalescat & conflatur, sed quia in hoc vltimo furto continetur expressa vel tacita volitio simul retinendi iniustè hunc assem, cum vndecim præcedentibus, qui sufficiunt ad mortale.

QVÆSTIO VIII.

An malitia Peccati sit infinita.

DE mortali est quæstio, in quo aduerte tria. Primum, quod tali virtuti opponatur. Secundum, quod priuet gratia iustificante. Tertium, quod per illud Deus offendatur. Ex duobus primis nequit esse infinitum, quia virtus cui opponitur, & gratia qua priuat sunt qualitates finitæ, nec etiam ex tertio, quia alioquin sequeretur peccata venialia habere malitiam infinitam cùm iis Deus offendatur.

Item peccata omnia mortalia habere æqualem malitiam, & vnum non esse maius alio; Quæ, & similia sunt omnino absurda. Tum certum est peccatum, seu actum malum esse finitum in genere entis, & in quantitate, & in intensione, & in malitia auersionis, seu contemptus Dei, nam quælibet harum malitiarum potest esse maior vel minor, tum ratione maioris vel minoris delectationis, tum etiam ratione circumstantiarum, imò generatim loquendo, quo prior malitia est maior in peccato, eò etiam posterior maior est, v. g. quò quis plus furatur & cum maiori damno alterius, eò magis Deum offendit.

DIces, offensa crescit iuxta dignitatem personæ quæ offenditur: Ergo si persona est infinitè digna, offensa erit simpliciter infinita.

Respondeo primò, non sequi, sufficit enim quod talis offensa cæteris paribus sit maior quacumque offensa contra personam minus dignam patrata.

Respondeo secundò, modum istum argumentandi non valere, quando fit transitus ad res diuersi ordinis ac speciei, non enim sequitur eo perfectior est amor quo versatur circa perfectius obiectum, sed amor noster quo amamus Deum versatur circa obiectum infinitè perfectum. Ergo amor noster est infinitè perfectus, & ratio est, quia in antecedente agitur de amore rei creatæ, in qua datur magis & minus. At in consequente de amore rei increatæ, in qua non datur magis & minus. Eodem ergo modo non sequitur, eo maior est offensa, quò maior est persona quæ offenditur, sed persona Dei est infinita, ergo offensa est infinita. Hoc tamen sequitur, Deus est simpliciter infinitus, ergo amor vel offensa quæ circa Deum versatur, est in suprema specie amoris vel offensæ, quæ esse potest.

Respondeo tertiò, grauitatem iniuriæ commensurari cognitioni illius qui facit iniuriam, ex Arist. 5. Ethic. cap. 8. cùm autem cognitio peccantis sit finita, ergo & peccatum. Esto autem iniuria crescat. & maior sit quo maior est persona quæ fit, non tamen commensuratur vel adæquatur personæ cui fit, quia non crescit iuxta proportionē dignitatis personæ offensæ, sed iuxta proportionem maioris vel minoris cognitionis ipsius personę seu obiecti. Concedo quidem iniuriam Deo factam esse grauiorem, & alterius ordinis quàm sit iniuria hominibus facta, quia Deus maior est; nego tamen, ait Bonau. huiusmodi iniuriam infinitam esse.

Instabis, peccatum mortale quantum in se est destruit Deum, constituendo alium vltimum finem extra Deum; ergo destruit bonum infinitum, ergo habet malitiam infinitam, tanta enim est malitia seu priuatio boni, quantum est ipsum bonum cuius est priuatio.

Respondeo, peccantem mortaliter auferre Deo aliquem honorem externum qui est quid finitum, consequenter Deum contemni cui debetur honor, & quia constituit vltimum finem in creatura, censeri quodam modo destruere Deum, qui essentialiter est vltimus finis omnium, & ad quem omnes fines actuum hominis habitualiter aut virtualiter referri debent, non tamen Deo verum aliquod nocumentum infert, aut inferre potest.

Dices, iustè punitur pœna æterna, Matth. 25. *Ite in ignem æternum.* Ergo supponitur grauitas infinita culpæ.

Respondeo, pœnam quamlibet damnatorum esse simpliciter finitam, de pœna damni patet, quia per illam priuatur visione Dei, quæ finita est, & limitata, & distincta ad beatorum merita. De pœna sensus patet, quia creatura non est capax cruciatus, aut doloris infinitè intensi. Quod autem sit æterna ideo est, quia peccator voluit irreparabiliter peruertere ordinem rerum, extinguere charitatem & gratiam, quæ est principium ordinis quo voluntas subditur Deo, & cum decesserit in peccato mortali per impatientiam, æternè manet in eo irreparabilis reatus, & consequenter vindicta, quæ sanè iusta & proportionata culpæ, intelligitur ex sanctitate & iustitia Dei.

Instabis, nulla creatura potest satisfacere Deo condignè pro vno peccato mortali, posset autem si debitum non esset infinitum.

Respondeo, id non posse per proprias vires, quia per eas non potest resurgere à peccato.

QVÆSTIO IX.

De causis Peccati.

PRoponenda fuit hæc quæstio ad repudiandam, imò & execrandam blasphemiam Hæreticorum dogmatizantium, Deum esse causam & authorem peccati: Data enim alia primaria & præcipua exploditur nefanda hæc hæresis. Certum est autem eam esse voluntatem peccantis, quæ à lege diuina liberè deflectit, vt enim dicit Aug. lib. de duabus anim. contra Manich. cap. 11. *Peccatum sine voluntate esse non posse, mens apud se diuinitus conscriptum legit, sed præter ipsam voluntatem*; Sunt etiam aliæ quædam causæ ad peccatum mouentes, & inducentes tum externæ, tum internæ.

Causæ internæ tres à Theologis communiter numerantur, scilicet ex parte appetitus inferioris infirmitas seu passio, ex parte appetitus superioris, seu voluntatis, malitia, ex parte vero intellectus ignorantia. Ita S. Thom. 1. 2. q. 77.

Causatur peccatum ab ipsa concupiscentia, seu passione appetitus sensitiui, duobus præsertim modis, vt docet S. Thom. Primò, in quantum distrahit ac diuertit ipsius rationis aduertentiam; Secundò, in quantum voluntatem ipsam allicit, facitque vt obiectum videatur magis conueniens & appetibile, vtrumque modum expressit Iacobus cap. 8. cum dixit: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus.* Et tale peccatum quod ex passione oritur, dicitur etiam ex infirmitate procedere, eo quod passiones sint quædam, veluti ægritudines & infirmitates quæ quidem duplici modo se habere possunt.

Primò, antecedentes ad ipsum rationis iudicium, cùm scilicet homo antequam attendat ad malitiam actus sui passione aliqua præoccupatur. Et tunc si adeo vehemens illa sit, vt ipsius rationis iudicium prorsus obnubilet, ita vt homo ad malitiam sui actus propter vehementiam passionis attendere non possit, nullum erit peccatum, cum nulla sit rationis deliberatio, sine qua consensus liber esse non potest: si vero passio non tollit iudicium rationis, sed illud tantum ex parte distrahit aut impedit, ita vt ratio sufficienter aduertat malitiam ipsius actus, tunc non excusat à peccato, illius tamen grauitatem minuit, vnde Aug. 14. ciu. cap. 2. asserit peccatum primorum parentum ideo grauius fuisse, *Quia nondum voluntati cupiditas resistebat*, quasi diceret, futurum fuisse minus, si ex antecedenti cupiditate commissum fuisset.

Secundò, passiones habere se possunt consequenter, id est, quando homo deliberatè seipsum ad malum aliquod excitat, vnde sequitur passio aliqua in appetitu inferiori, tunc enim passio illa neque excusat à peccato, neque illius grauitatem minuit, sed potius auget, ait S. Thomas: Estque signum maximæ propensionis, quæ est in ipsa voluntate ad actum peccati perpetrandum.

Causatur etiam peccatum ab ipsa malitia, seu prauitate voluntatis, ita vt homo aliquando ex certa & deliberata malitia peccet, idque ex Scriptura constat Iob. 34. *Quasi de industria recesserunt à Deo, & omnes vias eius intelligere noluerunt.* Hoc autem peccatum grauius est, eo quod oritur ex infirmitate, quia scilicet est ex maiori voluntatis libertate.

Causatur peccatum ab ignorantia vincibili, quæ & ipsa peccatum est ratione negligentiæ adiunctæ, qua quis negligit ea scire quæ potest & tenetur. Vnde Dauid Psalm. 24. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias ne memineris.* Et August. lib. 1. de arb. cap. 15. *Non tibi imputabitur ad culpam, quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Exempla ignorantiæ causatiuæ 1. Timot. 1. *Ignorans feci in incredulitate.* Act. 3. *Scio fratres, quia per ignorantiam fecistis.* 1. Cor. 2. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Addi solent his causis internis vis aut metus quo mouetur homo ad peccandum, aliàs non peccaturus. Nec non & ipsa peccata, quatenus peccator amissa semel gratia, vel timore, aut verecundia retrahente à peccato facile in aliud prolabitur, iuxta illud Gregorij hom. 11. in Ezech. *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur suo pondere ad aliud trahit.* Et hoc maximè verificatur de superbia, quæ appellatur initium omnis peccati. Vide Doctores, & diuersitatem ignorantiæ *iuris*, cum ignoratur legem vel consuetudinem vim legis obtinentem aliquid præcipere, vel prohibere v. g. si quis nesciat legem Ecclesiasticam vetare carnium comestionem die Veneris. *Facti* cum ignoratur res aliqua particularis, quæ præcepta vel prohibita est, & ex qua velut ex obiecto dependet actio aliqua moralis v. g. si quis nesciat carnem esse quam comedit, vel non aduertit esse diem Veneris, vt enim Isambertus notat, quæ de ignorantia dicuntur, de inaduertentia quoque & obliuione intelligi debent.

Causæ

Causæ externæ peccati seu ad peccatum mouentes & inducentes duæ assignantur diabolus scilicet & mundus id est ex August. in Psal. 54. impij qui prauo exemplo & nefariis suasionibus inducunt alios ad peccatum vt docet Ecclef. 20. *qui communicarit superbo induet superbiam.*

QVÆRES, *An diabolus sit directè causa peccandi hominibus?*

Resolutio negatiua est, nam voluntas humana duobus modis moueri potest, nempe ab obiecto & ab eo quod interius mouet & inclinat ad volendū, qua posteriori ratione non nisi à seipsa vel à Deo qui nequit esse causa peccati moueri potest, quare ex hac parte sola hominis voluntas est directè causa peccati: Ex parte vero obiecti aliquid mouet voluntatem tripliciter 1. ipsum obiectum 2. qui proponit obiectum 3. qui persuadet obiectum propositum habere rationem boni, sed nullo ipsorum modorum potest aliquid esse causa peccati directa, quia voluntas cum mouetur ex necessitate ab aliquo obiecto, nisi sit vltimus finis; vnde sequitur quod diabolus non sit causa peccati, directè vel sufficienter, sed solum per modum persuadentis vel proponentis appetibile.

Potest hic discursus illustrari ex 1. 2. quæst. 9. art. 6. vbi S. Thom. voluntatem moueri à solo Deo, sicut ab exteriori principio probat in hunc modum: motus voluntatis est ab intrinseco sicut & motus naturalis, quamuis autem rem naturalem possit aliquid mouere quod non est causa naturæ rei motæ, motum tamen naturalem causare non potest nisi quod est aliqualiter causa naturæ. At Deus solus est voluntatis causa, tum quia voluntas est potentia animæ rationalis, quæ à solo Deo causatur per creationem, tum quia cum voluntas habeat ordinem ad vniuersale bonum, nihil potest esse causa voluntatis nisi ipse Deus, qui est vniuersale bonum, omne autem aliud bonum, per participationem, dicitur & est quoddam particulare bonum. At causa particularis non dat inclinationem vniuersalem; vnde nec materia prima, quæ est in potentia ad omnes formas potest causari ab aliquo agente particulari.

Hinc ergo colligitur, quod etsi dæmon possit mouere voluntatem, tamen cum non sit causa voluntatis, motus voluntarius voluntatis ab eo esse nequit. Potest tamen inducere ad peccatum non tantum exterius proponendo aliquod obiectum. Sed etiam interius, instigando quatenus potest imaginationi formas quasdam præsentare, & in appetitu sensitiuo passionem aliquam excitare.

Licet autem dæmon propria virtute, nisi refrænetur à Deo, possit aliquem inducere ex necessitate ad faciendum actum qui ex suo genere peccatum est, quatenus illius rationem ligare potest, non potest tamen inducere necessitatem peccandi, quia non imputatur homini ad peccatum quod facit sine vsu rationis, si autem ratio illius non est totaliter ligata, habet sufficientem libertatem ad resistendum peccato. Etsi autem dæmon fuerit occasio omnium peccatorum quatenus induxit Adamum ad peccatum, vnde Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in mundum*, sitque ordinarius incentor ad peccatum 1. Petri 5. *aduersarius vester diabolus, tanquā leo rugiens circuit quærens quem deuoret* ex cuius tentationibus multi (non peccandi necessitate sed defectu resistentiæ quam videns fugit vt Iacobi 4. dicitur *resistite diabolo & fugiet à vobis*) lapsi sunt & labuntur quotidie, non tamen omnia peccata fiunt ex suggestione illius.

QVÆSTIO X.

An Deus dici possit causa Peccati.

CAluinistæ docent Deum ab æterno non solum præsciuisse sed etiam efficaciter voluisse ordinasse & prætermінasse vt fierent illa omnia peccata, quæ iam fiunt ab hominibus, idque ante præuisam determinationem voluntatis humanæ, & Deum in tempore mandare impellere, Diabolum vt homines inducat ad peccatum, & Deum, incitare & necessitare ipsos homines ad peccatum, imò ipsum non solum incitare ad peccatum, sed etiam operari nostra peccata ipsumque, magis operari quàm nos, eò quòd ipse sit agens principale, nos tantùm instrumenta. Caluinus omnibus modis peccatum Deo, attribuit, 1. *approbatiuè* lib. 3. inst. cap. 13. §. 8. *primus homo*, inquit, *cecidit, quia Deus iudicarat hoc expedire* 2. *volendo* Gallicè y prenant plaisir, lib. 1. cap. 17. *Nec furtum nec homicidium, perpetratur cui voluntas Dei, non interueniat.* 3. *suggerendo & immittendo* lib. 2. cap. 4. *Quod aliqui dicunt Deum, permittere peccatum sed non immittit, non potest subsistere tam est debile*, & lib. 1. cap. 18. §. 1. *Sat superque liquet nugari eos & ineptire qui in locum prouidentiæ Dei, nudam permissionem substituunt ac si in specula sedens expectaret fortuitos euentus, atque ita eius iudicia penderent ab hominum arbitrio* 4. ordinando & imperando lib. 1. cap. 17. §. 1. *iustitiæ Dei ordinationi seruimus cùm male facimus*, & §. 8. *iusto Dei decreto & ordinatione omnia in nos inimici nostri attentant, & lib.* 3. cap. 23. §. 8. homo cadit sicut ordinatum à Deo erat. 5. *instigando, necessitando & præcipitando* lib. 1. c. 18. §. 2. Deus præcipitat eos in appetitus fœdos, quia principalis est author suæ vindictæ & Satan minister tantum eius est. Ita olim sensit Simon Magus vt testatur Vincent. Lyrin. *Marcion*, ait Irenæus lib. 1. cap. 29. *impudenter blasphemauit, eum qui à lege & Prophetis annuntiatus est Deus malorum factorem dicebat.* Theodorus Besa ad acta Colloquij Belgarden. pag. 155. & 164. *Decretum Dei, de faciendis ex eadem massa vasis in honorem, aliis in contumeliam, antecedit omnem.*

PROPOSITIO CATHOLICA & de Fide.

DEus nullo modo vult aut est causa mali culpæ, etsi omnia præsciuerit ob infinitatem scientiæ suæ.

Probatur ex Scriptura psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es* Iacobi *Deus intentator malorum est.* Prouerb. 15. *abominatio est*

Domino, via impij, qui sequitur iustitiam diligetur ab eo. Ezech. 18. *nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus?* Hierem. 19. *repleuerunt locum istum sanguine innocentum & ædificauerunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim, quæ non præcepi nec locutus sum nec ascenderunt in cor meum.* Eccles. 15. *Non dicas ille me implanauit non enim necessarij sunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus* in hoc textu quinque notantur, quod Deus ex se neminem reprobat, quod non est author peccati, quod homo habet liberum arb. quod mandata Dei, seruari possint, quod nemini mandauit impij agere, Math. 23. *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos & noluisti.*

Probatur ex SS. Patribus Græcis, & Latinis Iustino dialogo cum Tryphone. *Porrò quod non Dei culpa, qui pranoscuntur & futuri sunt iniqui siue Angeli siue mortales, mali sint, sed suapte pro se quisque culpa talis fit qualis esse appareat superius etiam probaui.* Euseb. lib. 6. de præpar. euang. cap. 5. *Impius profectò iudicabitur, imò verò pessimus omnium, qui a creatore vniuersi, alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur, vnde sequitur aut peccata non esse, aut peccandi causam creatori referri.* Basil. hom. 9. quod Deus non est author malorum *stultus verè & à sensu alienus est, qui dixerit non est Deus, similis item huic est, nec quicquam in stultitia differt qui Deum malorum causam esse dicit, parque priori scelus existimauerim, quoniam ambo bonum Deum, negant. Alter quidem non esse dicit, alter verò non bonum esse affirmat, si enim malorum est causa, non bonus est* Gregor. orat. 1. in Iulian. *Deus nullo modo est causa mali, quippe natura bonus, vitiumque est eius qui eligit.* Chrysost. serm. de interdictione arboris *manifestum est Deum noluisse Adam peccare, qui voluit eum ante delictum prestruere, quia & Adam potuit serpentem contemnere, qui Deo noluit obedire.* Ex Latinis Tertull. lib. 2. contra Marcion. *Nos autem adhibita distinctione vtriusque formæ separatis malis delicti & malis supplicij, malis culpæ & malis pœnæ, suum cuique parti definimus auctorem, malorum quidem peccati & culpæ Diabolum: malorum verò supplicij & pœnæ Deum, creatorem.* Ambros. lib. 2. de Cain & Abel c. 9. *Sed quanto grauius peccato ipso ad Deum referre quod feceris & reatus tui inuidiam transfundere in auctorem non criminis sed innocentiæ.* Hieron. ad cap. 45. Esai *Confundatur heresis quæ malorum arbitratur conditorem Deum.* August. lib. de spir. & litt. cap. 31. *Non debet ita intelligi tanquam Deus ante fieri iusserit, sed quod tantùm permiserit.* Et lib. 12. ciu. cap. 8. *Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis, nec enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa est effectio sed defectio.*

Probatur ratione, quam affert S. Ansel. lib. de lib. arb. cap. 3. quia iusta voluntas hominis est ea qua vult id quod Deus vult eam velle, iniusta verò è contrario est ea quæ vult id quod non vult Deus eam velle, vnde sequitur quod si Deus vellet hominem peccare, homo peccando nec peccaret simulque voluntas eius iusta & iniusta esset: iusta in quantum conformis esset diuinæ voluntati, quâ Deus vellet illum peccare, iniusta in quantum eidem voluntati repugnaret quæ prohibet peccare. Confirmatur ex eo quod vt dicit S. Ambros. primo, Exam. cap. 8. non alium ob finem filius Dei venit in mundum, nisi vt tollat peccata mundi, qua ratione igitur fieri potest, vt opera illa Diaboli, velit astruere & ad peccata incitare? Addo. Si Deus ordinauit peccatum, ergo inter decalogum reponi debet, erit ergo præceptum non seruare præcepta. Secundò Deus, non potest id velle quod est naturæ suæ contrarium: at peccatum tale est, quia est prauitas & malitia, & Deus summa bonitas. Tertio sequeretur nos orare quotidie, vt fiant peccata, nam dicimus, *fiat voluntas tua*, tum & frustra nos orare *ne nos inducas in tentationem.* Quarto si Deus vellet peccatum aut causa illius esset, non amplius Deus esset, aut peccatum, non esset peccatum, primum patet, malus enim fieret Deus, & tanto peior quanto omnibus supereminet & maior est: Et peccatum non haberet rationem peccati, quia non esset dictum, factum vel concupitum, vt definitur, contra legem Dei, præterea arguenda esset iustitia iniustitiæ quæ peccatum puniret, cuius ipsa instigatrix, motrix & causa fuisset; tum beneuolentia maleuolentia fieret quæ miseros cuperet esse vt misereatur, an laudanda esset clementia quæ ad mortem vulneraret, vt postea sanaret, qui in abyssum deturbaret, vt inde postea eriperet. Nequaquam ita res habet, nam vt ait Aug. *nullo sapiente homine authore fit homo deterior.*

Si Deus dicitur causa peccati illique peccatum imputandum sit, maximè quia concurrit ad actionem peccati, sed hoc non sufficit vt sit causa eius, & vt ei imputetur, nam licet Deus concurrat ad omnes actiones bonas & malas vt patet Act. 13. *In Deo, viuimus, mouemur & sumus*, tum ex perfecto dominio quod Deus, habet super creaturas & ex perfecta earum subiectione & dependentia à Deo quam illæ declinarent si in aliqua actione non plenè subiicerentur ei. Nihilominus Deus ad actiones concurrit concursu generali & ex se indifferenti, & dicitur concurrere sicut causa vniuersalis iuxta exigentiam causarum secundarum, quæ sunt subiectæ causæ primæ & postulant ipsius concursum, sine quo proprias nequeunt obire actiones, quo negato immutaretur ordo vniuersi & bonum & si negaretur homini qui est causa libera aut impediretur vsus liberi eius arbitrij, Deus ipse ab ordinaria prouidentiæ generalis regula deflecteret: ex influxu autem vniuersali non potest dici causa actionis alicuius specialis. Homo autem concurrit ad peccatum concursu quodam particulari & determinato vi cuius sequitur deformitas & priuatio rectitudinis in actu humano. Cum autem illa deformitas seu priuatio & defectus, qui est tota ratio essentialis peccati, non habeat causam efficientem vt supra docuit August. Sed deficientem, qualis sola creatura potest esse, & nullo modo Deus, qui est primum esse, & fons totius entitatis, ideò peccatum nullo modo potest imputari Deo, etsi concurrat ad totam entitatem physicam malæ actionis. Confirmatur. Si ad vnum aliquem effectum multæ causæ concurrunt, & aliquæ deficiant, aliquæ non

deficiant,

deficiant, illæ solæ verè dicendæ erunt causa defectus qui cernitur in effectu, quæ in agendo defecerunt, v. g. gignitur monstrum, homo scilicet longè breuior iusto aut aliquo membro carens. Ad generationem hominis illius concurrit Deus, Sol, pater & mater & præterea virtus seminalis vt instrumentum, menstruum verò vt materia, sed quia hic non deficit nisi materia, ei soli tribuitur causa monstri.

Ambulat claudus deformi incessu, sed quia non deficit Deus, neque virtus matrix quæ in homine est, sed sola tibia, quæ ob curuitatem non plenè subiicitur virtuti motrici, soli tibiæ tribuitur claudicationis causa, hoc exemplum affert August. in lib. de perfect. iustitiæ.

Dices, concursus Dei cum voluntate creata, ad actionem vnam differt specie à concursu Dei, cum voluntate ad actionem contrariam, ergo non est vnus & idem concursus communis & indifferens.

Respondeo, concursus illos Dei, vt limitatos à voluntate humana differre specie sicut actiones differunt, tamen ex se vnum & eundem esse concursum communem, atque indifferentem.

Instabis, actio humana non solùm vt res quædam sed etiam vt talis in specie est aliquid, ergo vt talis in specie est à Deo.

Respondeo actionem humanam planè totam esse à Deo & ab ipso habere non solum esse genericum, sed etiam specificum & singulare; id autem habere per concursum Dei determinatum ad talem actionem à voluntate humana, proinde non habere esse specificum ex modo agendi Dei, sed ex modo agendi voluntatis humanæ.

Dices, Deus concurrit ad actus intrinsecè malos à quibus deformitas separari nequit. Ergo Deus vt est causa actionis, ita & deformitatis, v. g. odij Dei.

Respondeo, actiones intrinsecè malas nullas dari nisi vt sunt determinatæ, & tales in specie, nam entitas ipsa odij Dei si per se consideretur non est mala, sed solùm vt est talis entitas. Deus autem vt dixi non est causa specificans actionem cum sit causa vniuersalis, & ex se indifferens ad vnam actionem & ad contrariam.

Instabis nulla est ratio cur Deus non dicatur peccare cum peccat homo, cum eandem actionem vterque sciens & volens faciat.

Respondeo rationem esse allatam, quia scilicet ad eam Deus concurrit vt causa vniuersalis, homo vero vt particularis & tota determinatio fit ab homine, probatur autem quod tota illa actio realis, quatenus est à Deo posset stare sine vlla culpa, v. g. Si homo cum inuincibili ignorantia eliceret actum illum prohibitum, ille actus non haberet rationem culpæ, contra verò si sciens & volens eliceret eundem actum iam haberet rationem culpæ, est tamen in vtroque casu idem essentialiter concursus ex parte Dei, ergo quod talis actus sit malus non habet ex concursu Dei.

Instabis qui præbet gladium ei quem scit illo male vsurum peccat, licet is eo benè vti potuerit, ergo Deus dans concursum quem scit ad peccatum applicandum, peccat.

Respondeo, dantem abusuro gladium, ideo peccare, quia tenebatur impedire malum quod sciebat euenturum. Deum autem non teneri ad mala impedienda, tum quia est summus Prouisor & æquum est vt naturas conseruet neque deneget eis auxilium sine quo operari nequeunt, tum quia si omnia mala impedire vellet, plurima bona deessent mundo, cùm nihil fere sit quo non abutantur aliqui, adde quod nouit Deus ex malis bona elicere.

Axioma, *Quod est causa causæ est causa causati*, non habet locum in causa vniuersali, vt velis inferre Deus est causa actionis ex qua oritur deformitas, ergo & illius, nam causa vniuersalis adhibet influxum quendam communem & indifferentem ad plura & sæpè accidit vt causa secunda egrediatur ab ordine primæ vel vt defectus sit in secunda & non in prima, vel vt defectus oriatur ex re vt est talis in specie, quod habet à secunda, & non à prima, sicque multis modis fieri potest vt causa vniuersalis sit causa causæ non tamen sit causa causati.

Dices, Deus dicitur causa bonorum operum licet ad ea concurrat iuxta exigentiam causæ secundæ eodem communi concursu, cur ergo non malorum?

Respondeo, esse disparem rationem, quia Deus specialiori modo concurrit ad bona incitando, vocando monendo quod non facit in peccatis quæ diuinæ voluntati aduersantur quatenus emanant à libera hominum voluntate, tum actiones bonæ si sunt supernaturales fiunt à Deo per auxilium speciale, & habent ab ipso vt sint tales, id est supernaturales: si vero sint bonæ tantum moraliter, sunt quidem à Deo per auxilium generale, tamen ob duas causas rectè tribuuntur Deo, etiam vt tales sunt in specie, primò quia sunt à Deo intentæ, Deus enim ideo dedit liberum arbitrium & auxilium generale vt iis bene vteremur ad vitam secundum rationem traducendam, quamuis permittat vt secùs etiam si libuerit faciamus, vt docet August. lib. 1. de lib arb. cap. 6. deinde vt dixi, quia bonas actiones suadet, imperat laudat, eadem verò ratione non potest tribui Deo actio mala, quia neque eam intendit nec imperat. Sed contra vetat, improbat ac deterret ab ea. Itaque non solum turpitudo peccati sed ipsum etiam quod materiale vocant Theologi, si vt tale est in specie consideretur non est tribuendum Deo, cum ipse non solum turpitudinem sed etiam actiones ipsas turpes auersetur & lege sua prohibeat.

Dices, haberi ex scriptura quod Deus, aliqua mala opera permittat, quòd induret corda vt nec velint nec possint bene agere. Psal. 104. *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius & dolum facerent* in *seruos* eius 2. Thessalo 2. *mittit illis Deus operationem erroris vt crederent mendacio*. Ezech. 14. *Ego Dominus decepi prophetam illum.*

Respondeo in iis & similibus loquendi modis significari tantum vel Deum velle permittere peccata, quod sapientissimè & cum summis rationibus facere potest, vel iusto iudicio

suo subtrahere interdum hominibus peculiarem suæ gratiæ protectionem, vnde sequitur lapsus in peccata: hinc S. August. lib. 1. ad Simplician. *Deus indurat & excæcat non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam* specialem scilicet & efficacem vt dicetur in tract. de gratia. Itaque indurare dicitur Deus permissiuè, quia non dat gratiam qua peccator emolliri & ad bonum inflecti possit, idque facit in pœnam præcedentium peccatorum, vnde tales, dicuntur in scriptura despecti, derelicti, proiecti à Deo Ita Chrysost. hom. 67. in Ioan. August. epistola, 105. ad Sixt. & in lib. de prædest. & grat. cap. 4. Greg. lib. 11. Moral. cap. 8. Isidor. lib. 2. de summo bono cap. 19. Lyra & Tostat. in cap. 4. Exodi & Caiet. in 9. Exod.

Non me latet Caluinum ridere lib. 1. inst. cap. 18. §. 1. Catholicorum sententiam, qua distinguunt inter voluntatem Dei, & permissionem vt supra notaui, sed si nulla sit differentia, soluat hoc argumentum.

Luther dicit se Dei prophetam. Catholici dicunt contrarium, necesse ergo est aut Deum velle mendacium, cum ordinet ambos enunciare opposita & consequenter quod Deus non sit Deus veritatis. Aut quod vnum velit, scilicet quod verum enuntietur. Alterum vero permittat vt docent Catholici, vide quæ dixi q. 26. de voluntate Dei, Et in art. de scriptura quæ interpretanda est ad sensum SS. Patrum, & non interdum vt sonat, quia sæpe littera occidit, quare cum aliquod inconueniens ex ea sequitur, Patres docent recurrendum esse ad expositionem metaphoricam.

Dices, ex Ephes. 1. *Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ergo etiam peccata.

Respondet S. Hiero. ibi textum sic intelligendum. Non quod omnia quæ in mundo fiunt, Dei voluntate & consilio peragantur, alioquin & mala Deo possent imputari, sed quod vniuersa, quæ facit, consilio faciat & voluntate.

Instabis, Deum velle omnia *in laudem gloriæ, gratiæ suæ* Ephes. 1. seu omnia quæ referuntur ad eius gloriam, tale autem est peccatum. Ergo.

Respondeo, propositionem non esse absolutè veram, alias infinitos Deus produceret mundos, & innumeras pro vna gratias conferret, & pluries moreretur Christus. Tam absurdum est dicere quod peccatum ex se referatur ad Dei, gloriam, hoc enim implicat quando subtrahit gratiam à peccatore aliquem puniendo & alteri parcêdo, non inferendum quod peccatum velit, sed ita præpotentem esse & optimum, vt occasionaliter quod destructiuum de se est gloriæ suæ ad ipsammet referri faciat. Peccatum ergo patrari permittit, nequaquam autem illud vult.

Perstringenda restat comparatio, quam toties repetunt Caluinistæ de Solis actione in cadauere, qua fœtor exhalatur & excitatur, cum tamen nemo dicat ideo radios soli fœtere: ita cum in homine malo mali materia & culpa subsideat, non est quod inquinamentum aliquod contrahere possit Deus, si ad suum arbitrium peccatoris vtatur ministerio, deficit in multis hæc similitudo nam primo mortuum est corpus ante quam putrefactio aut fœtor educatur per radios solis. At Caluinus 1. inst. cap. 17 part. 5. intendebat ostendere Deum, solem animarum causam esse mortis spiritualis seu peccati illibatum manendo ab infectione peccati. Secundò sol est causa vniuersalis ex qua exeunt illuminatio, calefactio & alij effectus, qui per causas particulares determinantur, v. g. corpora aromarica vi caloris eius suauem, cadauera autem tetrum odorem exhalant At quæstio erat ostendere, quod Deus sit causa non tantum vniuersalis sed particularis singularium delictorum adulterij Dauidici, incestus Ammonis, proditionis Iudæ &c. Denique dato quod sol sit causa particularis, infici equidem & contaminari nequit, quia actio eius transit & recipitur in corpus oppositum, & nihil est quod in sole recipiatur, nec calefactio, nec putrefactio, nec exhalatio At si Deus vult peccatum, actio voluntatis in eo est, vti actio immanens, qui si infectionem non in seipso vellet, sed in alio quem ad peccatum incitaret & moueret, eam tanto magis contraheret, quia malum ipsum vellet, & non illius effectum vt facilius peccaret. Sic ratiocinatur S. Fulgentius. Adde absurdum esse similitudines rerum naturalium, & ad vnum determinatarum ex proprio genere afferre ad explicationem rerum moralium quæ in pleno libertatis arbitrio & libera voluntatis determinatione consistunt, planè enim constat peccatum ita voluntarium esse, vt sine mentis arbitrio tale non agnoscatur.

QVÆSTIO XI.

De effectibus Peccati.

Multi sunt effectus peccati, Primus est macula quædam & deformitas quam anima per peccatum actuale contrahit, & quæ transacto ipsius peccati actu in ea remanet. Probatur ex scriptura Iosue 22. *Peccastis in Beelphegor & vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis* permanet. Ierem. 2. *Maculata es in iniquitate tua, coram me dicit Dominus.* Item ex aliis scripturæ locis in quibus peccatores dicuntur inquinati, immundi, &c. tum ex forma baptismi euincitur, in qua dicitur *ego te baptizo* id est abluo, ablui autem & baptizari dicitur qui aliqua macula infectus est, Ezechiel. 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinatibus vestris*, mundari autem & lauari supponit maculam Hæc autem peccati macula consistit in malitia actus præteriti, quatenus censetur durare & perseuerare moraliter per modum habitus quamdiu per pœnitentiam non deletur, quæ quidem macula vocatur etiam peccatum habituale, eo quod veluti habitualiter post actum commissum peccati remaneat in anima. Consistit præterea in priuatione gratiæ habitualis, sicut enim hæc est quædam pulchritudo & sanctitas animæ, ita etiam peccatum habituale vindicat sibi maculã quatenus priuat animam nitore & pulchritudine gratiæ. Quapropter DD. cum S. Thom docent

docent peccatum mortale habituale consistere in priuatione gratiæ, quam ipsum peccatum natum est inducere si iam non est inducta antecedenti peccato: nec dicas inde sequi omnia peccata mortalia esse paria; concedo enim si solùm spectetur priuatio gratiæ, non autem si singularis malitia, quæ sine dubio grauior est in vno peccato quàm in alio.

Secundus Peccati effectus est reatus pœnæ, certum est enim pœnam aliquam peccatis hominum à Deo esse decretam vt constat ex Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo fatuè, reus erit gehennæ ignis.* Rom. 2. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum:* hæc autem pœna cùm iustè à Deo decernatur, supponit peccatorem illa dignum esse illiusque reatum per peccatum incurrere.

Nota tamen non omnem pœnam esse propter aliquod peccatum, cùm constet quasdam interdum huius vitæ pœnalitates iustis & sanctis à Deo infligi, non in punitionem peccatorum, sed ad probationem & exercitationem virtutis quod de Iobo & sanctissima virgine Deipara nullus negare potest & aliis.

Obserua, etiam quod quamuis peccatum per se & formaliter consideratum non possit esse pœna peccati alterius, vt docet S. Thom. quæst. 87. potest tamen esse per accidens ratione scilicet substractionis gratiarum aliquarum actualium, quarum auxilio Deus, interdum peccatorem priuat in punitionem præcedentis peccati, vnde sequitur lapsus in aliud peccatum.

QVÆRES, *Quanta pœna cuique peccato actuali diuinitus decreta sit.*

Respondeo, de fide esse quod pœna æterna constituta sit vnicuique peccato mortali damni scilicet quæ consistit in priuatione beatitudinis, Matth. 8. *eijcientur in tenebras exteriores,* de pœna verò sensus cap. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*, vide quæ dixi art. 12. Symboli, æternitas autem vtriusque pœnæ intelligitur non solùm de duratione, sed etiam de immutabilitate, ita vt damnati nullam immutationem nullumque solatium in suppliciis experturi sint vnde Esai. cap. vlt. *vermis eorum non morietur & ignis non extinguetur.*

Quam iustè autem hoc faciat Deus, respectu Angeli & hominis reprobi quorum peccatum momentaneum fuerit, docent SS. Aug. lib. 21. ciu. cap. 12. *Ille dignus est* inquit, *æterno malo, qui hoc in se peremit bonum quod esse posset æternum.* S. Thom. in suppl. q. 99. a. 1. dicit pœnam taxari secundum dignitatem eius in quem peccatur, vnde infinita pœna infligitur ei saltem in duratione (nam intensionis creatura incapax est, ob læsam infinitam Dei maiestatem, nam peccator quantum in se est, infert Deo iniuriam summam, dum in creatura per peccatum, finem vltimum constituit, & ob fruitionem boni alicuius temporalis, æternam summi boni fruitionem relinquit; affectus autem peccantis censetur desiderari æternus, cum se constituat per vnum mortale in statu, à quo per se nunquam resurgat.


Si vero est quæstio de peccato veniali, certum est ex fide venialia in omnibus iustis siue in hac vita, siue in futura non esse punienda pœna æterna, sed solummodo temporali.

Tertius, effectus peccati est diminutio naturalis inclinationis ad virtutem quatenus voluntas acquisito per peccatum habitu vitioso facilius mouetur ad malum, in quod prauus & vitiosus habitus inclinat, vt patet ex natura habituum.



ARTICVLVS XXIV.

De Iuſtificatione.



RTICVLO de Sacramentis iudicioſè annectitur doctrina de peccato Originali, & de Iuſtificatione, vti effectus ſuæ cauſæ, non equidem primariæ, ſed mediatæ & inſtrumentariæ; nam per ſeptenarium eorum numerum omnis vera iuſtitia incipit, cœpta augetur, & amiſſa recuperatur: ideò ad exactam cognitionem Sacramentorum neceſſaria eſt intelligentia de Iuſtificatione, quæ ſcopus & finis Incarnationis Verbi diuini notatur in Scriptura. in hoc, *ait Ioannes* 13. Venit filius hominis vt diſſoluat opera Diaboli, *hoc eſt peccatum originale, & quoduis aliud poſterorum Adæ, idque per realem infuſionem gratiæ ſuæ, ſeu per veram & formalem peccatoris iuſtificationem, quæ eum verè & realiter iuſtum & ſanctum fecit, & denominat. Pergratus, pervtilis*, omníque acceptione dignus eſt ſermo iſte *apud omnes, cùm omnes peccent, & egeant iuſtificari; nemo autem rectè facit quod ignorat, ideò quilibet debet ſcire, quomodo poſſit iuſtificari*, durus tamen, *quem non omnes capiunt & pauci digerunt, ob congeriem rerum quas inuoluit iuſtificatio, & ob implexos errores, quos iampridem Caluiniſmus, non ſine multarum animarum iactura & graui detrimento Eccleſiaſticæ vnitatis inuexit; durior in dies effectus ob quaſdam propoſitiones gratiæ Dei & copioſiſſimæ Saluatoris Domini noſtri Redemptioni, procaciter iniurioſas, quas Ianſeniſmus ementito ſancti Auguſtini nomine & ſenſu propalabat, qui vtique niſi opera & authoritate Innocentij X. Romani Pont. quàm citiùs alliſus fuiſſet, quaſi coluber ad petram Sedis Apoſtolicæ, cauda ſua tertiam ſtellarum, Litteratorum dico & ſelectorum, partem ad ſe traxiſſet. Hæreat ergo alta mente Catholico repoſtum Iudicium Paſtoris vniuerſalis, & quæ edixit dicamus, & non ſint ſchiſmata in nobis, acquieſcamus Eccleſiæ Catholicæ quæ in Spiritu-Sancto legitimè congregata iuſtificationis nodos quoſcumque diſſoluit per os Patrum in ſeſſione quinta Concilij Tridentini, ita vt iam apertè conſtet non ſolùm quid tenere & ſequi, ſed etiam quid vitare & fugere debeamus: quare præcipuas rei quæſtiones expendere mihi ſufficit.*

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine Iuſtificationis.

NOmen Iuſtificationis à profanis Scriptoribus non legimus vſurpatum, ſicut nec verba ipſa iuſtificare & iuſtificari; ſunt enim hæ voces Chriſtianorum propriæ, vt pote qui ſoli iuſtificantur, & quid Iuſtificatio ſibi velit ſoli cognoſcunt & experiuntur, vnde ab illis vera harum vocum ſignificatio petenda eſt & diſcenda.

Iuſtificare dicitur à iuſtitia, quæ iuſtum facit & denominat, qui iuſtificatus eſt; hic autem obſeruandum eſt nomen iuſtitiæ, non ſumi provt ſignificat ſpecialem illam virtutem moralem quæ ius ſuum vnicuique reddit, ſed provt in Scripturis, præſertímque in Epiſtolis Sancti Pauli accipitur; ſcilicet pro rectitudine illa interna qua homo benè ac rectè ordinatur ad Deum; id enim eſt iuſtum quod rectum & adæquatum & cum ſua regula optimè congruens eſt. Deus autem eſt prima & indefectibilis regula: à qua iuſtitia ſic accepta, deriuatum eſt nomen iuſtificationis Chriſtianæ, quod quidem ſi ſumatur in fieri, denotat propriè mutationem ſeu tranſlationem à ſtatu peccati ad ſtatum iuſtitiæ & ſanctitatis ſiue acquiſitionem

nem iustitiæ, sic vsurpatur à Paulo 1. Corinth. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Roman. 8. *quos vocauit, hos iustificauit*, sicut calefactio est motus ad calorem, calefacere, calidum facere seu calorem dare, calidum fieri, seu calorem recipere, similis ratio est de frigefactione, dealbatione & similibus mutationibus, quibus omnibus datur aliquid actione, & accipitur passione, habéntque nomen à termino ad quem tenditur, hoc est à forma vel qualitate quæ acquiritur. Sic Iustificatio vsurpatur à Concilio Tridentino sessione 6. cap. 6.

Si verò sumatur in facto esse, significat terminum illius translationis, qui est, hominem esse iustum, & erga Deum rectè se habere. Et hæc dicta intelliguntur de Iustificatione, quam Theologi vocant primam, quando ex iniusto quis fit iustus, ex peccatore bonus, ex inimico Dei eius amicus & filius.

Altera est Iustificatio, quæ secunda vocatur quando iustus maiori iustitia & sanctitate augetur, quemadmodum vsitatè dicitur calefieri, non solùm qui ex frigido fit calidus, sed qui ex calido fit calidior, sic loquitur Ecclesiasticus cap. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Domini manet in æternum.* Apocalyp. 12. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.*

Præterea, Iustificatio sumitur pro declaratione iustitiæ modo quodam forensi, vt ille dicatur iustificari, qui cum esset ab accusatore factus reus alicuius iniquitatis, à iudice per sententiam declaratur iustus, atque absoluitur: sic vtitur hac voce Salomon Prouerb. 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est apud Deum* Isai. 5. *Veh qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Luc. 10. *Ille autem volens iustificare seipsum.* Hæc vsurpatio nominis non erat prætereunda; quia Aduersarij in controuersia de Iustificatione maximè propriam esse docent, & duas superiores improprias esse dicunt.

QVÆSTIO II.

Quid propriè & formaliter sit Iustificatio.

Sensus quæstionis est quidnam sit quod propriè & formaliter efficiat coram Deo hominem iustum & sanctum, & in quo vera & formalis eius iustitia consistat.

PROPOSITIO CATHOLICA.

IVstitia illa & sanctitas, quæ verè & formaliter nos iustos efficit non est fauor alicuis extrinsecus Dei, sed donum supernaturale nobis inhærens, seu gratia quæ, vt declarabitur infrà, est qualitas quædam diuinitus infusa animæ.

Huic veritati quæ de fide est varij opponuntur errores hæreticorum. Quidā enim dixerunt nos formaliter iustos esse per ipsammet essentialem iustitiam Dei. Alij per Christi iustitiam nobis imputatam. Alij per solam extrinsecam peccatorum condonationem. Hi errores, etsi qui sunt alij similes damnati sunt in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. & simul nostræ assertionis veritas definita, explicata his verbis. *Vnica formalis causa nostræ Iustificationis est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, &c. dum sanctissimæ Passionis meritò per Spiritum-Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur atque ipsis inhæret.*

Huius autem controuersiæ status, vt rectè obseruat Bellarminus libro 2. de iustificatione capit. 1. reuocari potest ad hanc vnicam quæstionem, vtrùm scilicet formaliter iusti efficiamur per iustitiam aliquam nobis inhærentem. Si enim partem affirmantem probauerimus, consequens erit nos neque sola & essentiali Dei iustitia, aut ipsius Christi iustitia nobis imputata, neque etiam sola extrinseca peccatorum condonatione, sed aliquo alio dono supernaturali nobis inhærente verè & formaliter iustificari.

Propositio probatur ex Scriptura Roman. 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.*

Ex hoc loco habemus iustificari per Christum non esse haberi aut pronunciari iustum, sed verè fieri ac constitui talem per adeptionem inhærentis iustitiæ, & patet ex facta antithesi Adami ad Christum; sic enim dicit Paulus nos constitui iustos per Christum, sicut iniusti iniustitia inhærente facti sumus per Adamum, sicque intellexit locum istum Augustinus libro 1. de peccatorum meritis & remission. cap. 15.

Isaiæ 53. *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos & iniquitates eorum ipse portabit.* huic textui alludit 1. cap. 2. *Petrus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* vbi declaratur effectum satisfactionis Christi esse iustitiam & sanctitatem nobis inhærentem. Non ergo in Isai. testimonio *iustificare* accipitur more forensi, neque enim iudices ita iustificant, vt pro reis pœnas luant, eósque peccatis mori & iustitiæ viuere & spiritaliter sanos faciant. Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Hoc loco causæ iustificationis explicantur, *gratis* en liberalitas Dei efficientis *per gratiam ipsius*, id est, iustitiam ab eo infusam, hæc est causa formalis *per redemptionem in Christo*, hæc est causa meritoria *per fidem*, hæc est causa disponens. Dicunt aduersarij per gratiam significari non donum aliquod infusum & inhærens, sed ipsum Dei fauorem quo per Christi merita nos reconciliat, non imputans delicta nostra, sed imputans iustitiam & obedientiam Christi; verba ipsa opponuntur huic expositioni; fauor enim exprimitur per *gratis*; illa igitur additio *per gratiam*, non ipsum fauorem, sed aliquid aliud id est fauoris illius effectum significat, & propositio *per* non rectè accommodatur fauori & beneuolentiæ,

beneuolentiæ, sed causæ formali aut meritoriæ aut instrumentali.

Præterea gratiam iustificantem, non esse solùm fauorem Dei, sed donum in anima inhærens intelligi potest ex variis attributis, & nominibus. dicitur *Donum* Roman 5. *Dari per Christum* Ioan. 1. *Dari ad mensuram donationis Christi*. Ephes. 4. dicitur *Lux* 2. Corinth. 6. & Ephes. 5. & 1. Ioan. 2. dicitur *Charitas diffusa in cordibus*, Rom. 5. *Spiritus adoptionis*. Rom. 8. ibique, nos viuere per gratiam iustificantem, *corpus mortuum est propter peccatum; spiritus autem viuit propter iustificationem*, at non rectè dici possumus viuere per extrinsecum Dei fauorem cùm nihil sit magis intimum quam vita.

Quartum testimonium 1. Corinth. 6. *Sed iustificati estis in nomine Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri*. Roman. 8. *Et sicut portauimus imaginem terreni, ita & portemus imaginem cælestis:* Christus autem non est iustus per imputationem iustitiæ increatæ, sed verè iustus est, vt homo per creatam & sibi inhærentem iustitiam, ex qua iustissima faciebat opera: igitur & nos si similes, si fratres, si imagines eius esse debemus, iustitiam veram & inhærentem habere necesse est, rectiùs enim denominamur ab eo quod sumus, quàm ab eo quod putamur, tum verè & non putatiuè peccatum & imaginẽ Adæ portauimus. Ergo, &c.

Hoc autem donum diuinum seu gratia Dei vocatur iustitia duabus de causis, quarum prior est; quia per eam reddit homo vnicuique quod suum est, Deo reuerentiam, cultum, obedientiam, plenam sui subiectionem, proximis amorem; sibi vitiorum exclusionem, & virtutum incrementa. Iusti enim est nullum officium suum prætermittere, nihil cuiquam subtrahere, cuique suum tribuere, Dei legem obseruare, cum omnibus denique sine querela conuersari. Quod parentes Beati Ioannis Baptistæ fecisse testis est Sanctus Lucas capit. 1. Quocirca non sola venit in animam gratia, sed multis stipata comitibus nempe virtutibus omnibus, quas singulas suis potentiis distribuit, vt homo iustus hic probè instructus nihil prætermittat, quod æquum sit & rectum.

Altera est, quia per eam restituitur animæ similitudo Dei, effi itúrque vt anima suo Creatori respondeat: Sicut enim mensura aut pondus, verbi gratia, vlna vel libra iusta dicitur, si publicæ mensuræ ponderíve respondeat, & contra iniusta si vel excedat, vel minus quid habeat: ita iniusta est anima quæ Dei in se similitudinem non exprimit, neque talis est coram Deo qualis esse debet, iusta autem erit, si hanc similitudinem & formam præ se tulerit.

Hæc iustitia vocatur iustitia Dei, aut quæ ex Deo est iustitia, quod viribus humanis non comparetur, sed sola Dei misericordia infunditur: solus enim Deus iustitiam in nobis facit, hominibúsque donat & infundit, & quidem gratis, vt habet Paul. Roman. 3. sine vllis meritis nostris.

Dicitur tamen iustitia nostra; quia in nobis est. Appellatur quoque iustitia fidei, quod ad eam adducamur non naturali vlla cognitione, vel scientia legis Iudaïcæ, sed fide Christi, quæ nobis & Christum proponit, qui hanc iustitiam nobis est sua Passione promeritus, & ostendit modum quo ad eam, Deo duce peruenire valeamus.

Probatur hoc donum inhærens ex Sanctis Patribus. Ambrosius libro 6. Exam. capit. 8. *Vtrùm*, inquit, *iustificatio secundùm corpus, an secundùm animam tibi conferri videatur? quæso respondeas, sed dubitare non potes, cùm iustitia, vnde iustificatio deriuata est, mentis sua vtique non corporis sit*. Sancto Prospero in responsione ad cap. 6. Gallorum. *Iustificatus*, inquit, *homo ex impio pius factus nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirit & meritum, vt quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrij, nunquam remoto adiutorio Dei, sine quo nec proficere nec permanere in bono quisquam potest*. At imputatio iustitiæ Christi non est donum, vnde acquirantur merita, neque augetur industria liberi arbitrij. Sancto Gregorio libro 18. mor. cap. 33. *Omnes ait, superna patria electi, sancti quidem & iusti sunt, sed participatione sapientiæ non comparatione. Iustitia quidem sapientia, iustitia & serui sapientia nuncupatur, sed illa iustitia iustificans est, isti autem sunt iustitia iustificata*. Hieronymo libro 3. aduersùs Pelagian. *Nunc mundus factus es in lauacro, & de te dicitur quæ est ista quæ ascendit dealbata, lota quidem sit, sed custodire non valeat puritatem suam, nisi à Domino sustentetur*. Vide quod Hieronymus ponat in puritate & virtute iustitiam quam per Baptismum acquirimus, non in aliqua imputatione iustitiæ.

Augustinus passim in libris suis, sermon. 15. de verbis Apostoli. *Qui crediderit in eum non habebit suam iustitiam quæ ex lege est, quamuis sit bona lex, sed implebit ipsam legem non sua iustitia, sed data à Deo; charitas enim est plenitudo legis. Vnde ista charitas diffusa est in cordibus nostris? non vtique à nobis, sed per Spiritum-Sanctum qui datus est nobis*. Hoc loco perspicuè docet iustitiam, quæ nobis ex Deo est esse ipsam charitatem diffusam. In Psalm. 98. *Laudemus & exaltemus illum qui fecit ipsam iustitiam quam habemus: ipse in nobis fecit, nisi qui nos iustificauit*. Epist. 105. *Nec quispiam iustificatur nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solùm remissione peccatorum*. Tam clarè suffragatur huic veritati Catholicæ Sanctus Augustinus, vt Caluinus libro 3. instit capit. 2. numer. 15. palam ac disertè scribat amplectendam non esse illius sententiam.

Probatur Rationibus. Modus iustificandi per infusionem gratiæ est perfectior quàm per solam remissionem peccatorum; ergo Deo dandus. Tum iustificatio non ideò solùm confertur à Deo, vt gehennæ pœnas euadamus, sed etiam vt præmia gloriæ acquiramus, vt significauit Paulus Roman. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam*, & cap. 8. *Quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, hos & magnificauit*. Vbi ponitur magnificatio effectus iustificationis, quo etiam pertinet illud 2. Timoth. vlt. *Reposita est mihi corona iustitiæ*. At certè sola remissio peccatorum liberat à pœna, non tribuit gloriam, quod ipsum quotidie in forensi iudicio videmus, qui enim à iudice absoluuntur eripiuntur à morte, sed non consequuntur noua

præmia

præmia, propter hoc solum quod iudicentur non fuisse aut esse rei.

2. Iustificamur vt simus filij adoptionis, atque ita filio naturali similes & conformes, vt Roman. 8. dicitur. At Christi iustitia non est extrinseca, sed insita & innata; ergo & in iustificato homine interna erit, vt verum sit quod Psalm. 44. habetur. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.*

Cæterum ad efficaciam conuincentis argumenti explicanda est Caluinismi opinio, is nullam agnoscit in iustificatione mutationem internam, sed vult hominem à peccato iustificari, non quod sordes peccatorum eluantur, sed quando remanentes in hominis anima, per Christi iustitiam quæ illi per fidem imputatur veluti conteguntur, sicque homo nunquam reuera iustus & sanctus est, sed propter velum iustitiæ Christi à Deo iustus aut sanctus tantum habetur; instar sepulchri dealbati, quod foris mundum apparet, intus verò plenum est ossibus mortuorum, & sicut res quæpiam quæ per vitrum rubrum inspecta apparet, rubra cùm in se alio sit colore imbuta. Itaque nulla in anima interuenit mutatio, sed tanquam assumpta veste, homo foris tantùm apparet sanus, mundus, & bonus, cum intus sit non minus fœdus languidus & impius quàm ante iustificationem fuerat. Iam arguo his positis; si sanctitas & iustitia nostra non est intrinseca, id fit, vel quia peccatum verè non tollitur, sed interiùs manet atque ita iustitiæ veræ aduersatur, vel quia quæ interna est pendet à perfecta fide, spe, & charitate, velut dispositionibus, quales nemini in hac vita possunt obtingere, vel denique; quia per internam obscuratur Dei gloria; sicut enim tantùm illustratur quantum apparet iniustitia & vilitas nostra, sic tantùm obscuratur, quantum iustos nos esse profitemur. Atqui hæc omnia futilia sunt.

Primum quidem; quia Scriptura expressissimè dicit verè tolli peccatum, deleri, mundari, remoueri non esse amplius exhauriri 1. Paral. 2. *Obsecro Domine aufer iniquitatem serui tui.* Isai. 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas.* Prouerb. 15. *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* Psalm 102. *Longè fac à nobis iniquitates nostras.* Psalm. 9. *Quæretur peccatum illius & non inuenietur.* Hebr. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* & Act. 3. *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Ex quibus ita concludo, id quod deletur, mundatur, exhauritur, aufertur, tollitur, & amplius non est, non manet in hominis iustificatione, sed ex Scriptura tolluntur peccata in iustificatione. Ergo

Secundum vero; quia si fides, spes & charitas perfectè nequeunt esse in hac vita, vbi & quando erunt? In alia quippe nullum habent locum. An imperfecta erat fides Abrahæ & complurium, qui vicerunt regna? Hebr. 11. An Eunuchi credentis ex toto corde Act. 8. An eorum quos monet Apostolus? Hebr. 3. Accedere cum plenitudine fidei? Iam si fides & spes perfectæ hic esse possunt, quomodo non etiam magna erit charitas? nonne scriptum est Ioan. 15 *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quod propter Deum ab innumeris factum constat? Nonne Dauid ex toto corde dilexit Deum? Ecclesi. 47. & potest quiuis nostrum diligere, cum excellens hic amor cuiuis præcipiatur: Dei autem præcepta adeò non sint impossibilia, vt nequidem grauia, sed leuia, vt dicit Christus. & Philippen. 3. dicatur. *Quicumque perfecti sumus*, scilicet ob charitatem.

Tertium denique, tum quia inde sequeretur nullam quoque nobis insitam esse debere perfectionem, vt scientiam, virtutem, &c. tum quia præstantia effectus non obumbrat, sed gloriosè prodit causæ perfectionem, nec inuenire est matrem formosam, quæ ne minus pulchra appareat optet sibi deformem filium. Adde quod 1. Corinth. 3. *Templum Dei sumus, & spiritus Dei habitat in nobis.* consequenter domum Dei sanctitudo decet, eámque Deus confert, & sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia in nobis regnat per iustitiam, Roman. 5. & conscientia iusti non solum mundata, sed etiam ornata legitur Matth. 22. Luc. 11. vtique ornamento gratiæ, de quo Eccle. 32. *Ornamentum gratiæ accipias.*

Nota Catholicos præter hanc iustitiam inhærentem agnoscere etiam imputari in iustificatione iustitiam Christi, sed non eo modo quo docent Nouatores; nam illi putant hominem sola iustitia Christi iustum esse, nec admittunt iustitiam inhærentem. Nos contra asserimus peccatorem fieri, & esse iustum iustitia, seu gratia inhærente: & hanc dati propter iustitiam Christi, id est, propter Passionem & mortem, quam pro humano genere sustinuit.

Dices, in homine iusto semper est peccatum repugnans diuinæ legi; non est igitur in eo interna ista iustitia & gratia quæ expellat omne peccatum. Antecedens constat ex Pauli querimonia. Rom 7. *Sentientis in membris suis legem repugnantem legi mentis suæ & captiuantem eum in lege peccati*; est enim concupiscentia proprio nomine peccatum repugnans Deo & reum constituens hominem iræ Dei, dignúmque morte æterna.

Respondeo, negando antecedens, & ad confirmationem eius ex Paulo dico non omne id esse peccatum, quod repugnat Legi Dei, alioquin & Dæmon erit peccatum, & mala hominis voluntas, adeóque ipse homo peccator, qui Legi Dei nonnunquam ita repugnat, vt Deum ipsum peccatorum seuerum vindicem optet non esse, dixi autem suprà Concupiscentiam dici mataphoricè peccatum, cum quo magnam habet affinitatem; sic Anti-Christus 2. Thessal. 2. dicitur homo peccati.

Instabis 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est* & iustus tenetur dicere, non solùm humiliter ait Augustinus, sed etiam veraciter. *Dimitte nobis debita nostra.* Non ergo deleta sunt peccata.

Respondeo, id intelligi de peccatis venialibus, quæ charitatem & iustitiam non destruunt, vnde Prouerb. 24. *Septies cadere dicitur iustus* quæ tamen venialia indigent purgatione & Dei condonatione.

Instabis ex Isai 64 *Facti sumus immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes*

iustitia nostra; ergo in iusto nulla est interna iustitia quæ Deo placeat.

Respondeo, Isaiam loqui de impiis sui temporis, de quibus subiunxit versu sequenti; *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat*; illorum enim ieiunia, Sacrificia, eleemosynæ, cæteráque cultus diuini officia rapinis, multáque iniquitate infecta erant. *Ecce*, inquit Dominus, *in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*, ita exponit Hieronymus hunc locum; fatendum quidem est nonnulla iustorum opera subinde non ea puritate enitescere, quin leues saltem contrahant maculas, aut puluere venialium peccatorum aspergantur: distrahimur enim in orationibus, irrepit inanis gloria eroganti eleemosynam, negligenter obitérque multa perficimus. At hinc non efficitur non inesse veram iustitiam, qua benè operetur, sed hoc potius sequitur in homine non esse iustitiam solam, sed aliquam præterea labem, qua fit vt bonis, quæ vt filius Dei facit, adjungat quædam vitia vt filius Adæ; dicere autem quod omnia iustorum opera sint, verbi gratia, labores Pauli; passiones Martyrum, ieiunia & orationes Sanctorum est contra sensum communem.

Dices, Psalmo 31. dici Beatos consequenter securos de gloria, *Quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, & quibus non imputauit Dominus*. Hinc euincitur peccata non tolli sed tegi, nec infundi iustitiam.

Respondeo primò, hic non afferri integram definitionem iustificationis. Nam remissio non potest fieri nisi infundatur iustitia, quomodo fugantur tenebræ, nisi lumen succedat. Id quod Paul. Roman. 4. manifestat, cum ait: Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto ferr iustitiam sine operibus. *Beati quorum, &c.* vbi ex non imputatione peccatorum colligit imputationem iustitiæ, ac per hoc docet non posse duo ista separari remissionem peccati & donationem iustitiæ.

Porrò tegi & non imputari, non est quidem, si vim vocabulorom spectes deleri atque extingui, sed est tamen deleri atque extingui, si hæc referantur ad Deum. Nam Deo non potest aliquid tegi, nisi penitus deleatur. *Omnia enim nuda sunt & aperta oculis eius*. Hebr. 4. Quare si Deo aliquid tegitur, hoc ipso ex necessitate deletur & euanescit. Neque potest Deus non imputare peccata, hoc est, non habere hominem impium pro impio, nisi desinat esse impius, & quia non potest homo transire ab impietate ad pietatem, nisi per gratiam eius qui iustificat impium, ideò non imputatio peccati necessariò trahit secum veram peccati remissionem & infusionem gratiæ. Itaque in Scriptura ferè semper coniunguntur hæc duo remittere siue delere & tegere peccata, vt intelligamus vnum non esse sine altero 2. Esdr. 4. *Ne operias iniquitatem eorum & peccatum eorum coram facie tua non deleatur.* Psalm. 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.* Sic igitur etiam dictum est Psalm. 31. Beati quorum, &c. Augustinus exponit, *quorum tecta*, id est, quorum abolita sunt.

Cæterum cur Scriptura dicat peccata remissa tegi, duplex reddi potest ratio. Prima, vt intelligamus in die iudicij quando cuncta cunctorum opera manifesta erunt, iustorum etiam peccata agnoscenda esse quidem, sed tanquam remissa & per gratiam iam externa & deleta.

Secunda, quia sublata culpa per iustificationem, remanet interdum reatus pœnæ, qui per sancta opera pœnitentię tegendus est & velandus, quia vt ait Chrysostomus homilia 80. ad populum. *Nisi bona opera non solum æquent, sed etiam superent peccata commissa, id enim quod tegit longius esse debet, eo quod tegitur, non erimus post hanc vitam immunes à pœna.*

Dices, blasphemia est dicere hominem esse dignum Deo per iustitiam propriam, quod insinuat Iob. 25. *Quis enim dicere potest mundum est cor meum? purus sum à peccato?* Hinc Psalm. 142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Respondeo, gloriosum esse Deo, quod per misericordiam eius & merita Christi filij Dei nominemur & simus, nec blasphemus erat Paulus qui Coloss. 1. ait, *Qui dignos fecit in partem sortis Sanctorum. Nulla quoque superbiendi occasio datur iis, quibus dicitur quid habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis. Et gratia Dei salui facti estis per fidem. Et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus ne quis glorietur.* Hæc omnia admittunt Catholici, cum dicunt homines esse ex dono Dei iustificatos.

Nouatores verò incredibili tumore superbiunt, qui se apprehendisse ipsam Christi iustitiam iactant, & inde nulli Sanctorum æquare formidant, nec defuerunt, vt testatur Ruardus, qui Beatæ Virgini, imò & Christo æquare contenderint.

Instabis 1. Corinth. 1. dici Christum factum esse nobis à Deo iustitiam & redemptionem: vnde sequitur nos per ipsammet Christi imputatam iustificari.

Respondeo negando consequentiam; quia Christus est etiam sapientia nostra & sanctificatio & spes nostra, Coloss. 1. Est tamen nihilominus in nobis alia sapientia & sanctitas, & spei donum. Dicitur ergo Christus iustitia nostra, tum quia sua passione nobis iustitiam promeritus est, tum quia ipse eam nobis donat & conseruat, & quia quicquid in nobis est iustitiæ ex coniunctione cum meritis eius dignificatur.

QVÆSTIO III.

De causis & dispositionibus requisitis ad Iustificationem.

Quod in actionibus naturalibus fit, vt omnes habeant causas suas à quibus producantur, aliqua antecedant, alia consequantur & aliqua comitentur, id quoque in iustificatione locum habet.

Causa efficiens iustificationis est Deus solus, cuius solius est dare gratiam, iuxta illud Psalm. 83 *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Siquidem peccatoris iustificatio est operum omnium maximum, in quo Dei inimicus efficitur filius

filius Dei, voluntas à Deo auersa suauiter non inuita conuertitur, & hostis diabolus fortis armatus de possessione sua deiicitur, vt rectè dixerit August. tract. in Ioan. *maius esse impium iustificare quàm cœlum & terram creare*. Quod autem Deus solus sit causa efficiens principalis, ipsemet Deus declarauit Iob 14. quis potest mundum facere de immundo conceptum semine nonne, tu qui solus es? Isai 43. *Ego sum qui* deleo iniquitates tuas, vnde sequitur iustificationem hominis pendere ex pura & gratuita Dei misericordia.

Vtitur porro Deus instrumentis quæ ad efficientem causam aliquando reuocantur, sicut etiam merita, quibus vt aliquid concedatur, vel fiat promeremur. Duplicia autem sunt instrumenta nempe coniuncta, quomodo manus hominis actionum humanarum vocatur generale instrumentum. Et Externa, vt calamus quo scribimus, securis qua findimus, &c. Coniunctum igitur Deo iustificationis instrumentum est Christi Domini humanitas, per quam nobis humanitas Christi omnia bona & præcipuè gratiam atque iustitiam largitur. Externum autem, & à Christi persona separatum instrumentum est Sacramentum præsertim Baptismi & Pœnitentiæ, sicut Paulus loquitur Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis*, *est enim ex institutione Christi tanta vis aquæ*, vt ait August. tract. 80. in Ioan. *vt corpus tangat, & cor abluat, & tam est necessaria hæc ablutio, vt quantumcumque profecerit Catechumenus, adhuc tamen sarcinam inquitatis portet, nec ei peccata remittantur nisi venerit ad baptismum.*

Causa meritoria iustificationis impij nulla prorsus est vel in ipso impio vel in vllis aliis seu viuentibus hominibus seu Sanctis in cælo cum Christo regnantibus: quia nulla omnino creaturæ opera, nullæ pœnitentiæ, martyria, pœnæ, nulla virtus potest mereri cuiquam remissionem peccatorum suorum, peccatum enim quod ex infinita maiestate offensi Dei infinitam malitiam contraxit, non nisi per infinitum meritum potest deleri: Quod infinitum meritum in solis Christi operibus & perpessionibus ob infinitum diuinæ personæ dignitatem cernimus, non autem in vlla actione aut merito creaturæ. Itaque quicquid ante peccatorum remissionem vel agit vel sustinet peccator, vel alij faciunt pro eius conuersione, etiamsi vniuersus orbis pro vnius peccatoris reconciliatione, qui vnico saltem mortali peccato Dei maiestatem offendisset grauia supplicia, & mortem ipsam sustineret, nihil præstaretur dignum vnius illius peccati remissione. Hactenus de causa efficiente.

Causa finalis postrema est Dei gloria vt, quia Prouerb. 16. dicitur. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, Isai 43. *omnem qui inuocat nomen meum in gloriam meam creaui eum Ephes.* 1. *prædestinauit nos in adoptionem filiorum, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Gloria etiam Christi est finis saluandorum Heb 2. *Decebat eum propter quem & per quem omnia qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari*, vbi vides propter Christum esse omnia ac per hoc ipsius gloriam esse finem totius operis redemptionis humanæ. Quod etiam potest ex eo intelligi, quod cum Christus sit caput omnium iustorum, in eum redundat omnis gloria iustificationis eorum, pulchritudo enim membrorum pertinet ad gloriam capitis. Proxima verò causa finalis est salus propria iustorum, quia *Deus vult omnes homines saluos fieri* 1. Timo. 2. & 1. Petri 1. *vt reportetis finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum*, & Rom. 6. *nunc verò liberati à peccato, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.*

Causa materialis dici potest animus hominis siue ipsa eius voluntas, in qua iustitia tanquam in subiecto & propria sede commoratur. Pertinent quoque ad materialem causam dispositiones quæ materiam præparant ad formam. Actus scilicet gratiæ & liberi arbitrij quibus donum iustificationis acquiritur, actus v.g. fidei, spei, dilectionis pœnitentiæ de quibus hic agemus.

Causa formalis & intrinseca iustificationis est ipse habitus gratiæ infusus vt superiori qu. declaraui. Extrinseca quæ & exemplaris dicitur est ipsa Christi iustitia, vnde Rom. 8. *quos prædestinauit, voluit conformes fieri imagini filij sui.* Ideo Paulus 1. Cor. 15. monet vt portemus imaginem hominis cælestis, id est Christi, sicut portauimus terreni, id est Adami.

Dispositiones aliquas ad iustificationem requiri in adulto constat, nam in mutationibus naturalibus antecedunt quædam quæ subjectum præparant ad formam quæ inducenda est suscipiendam, Præparatio ista est conditio sine qua non, exemplo sit lignum viride, non potest comburi, siccum autem comburitur, siccitas autem non est materia combustionis, sed lignum, id enim quod comburitur est lignum, & tamen siccitas est quædam conditio, quæ si in ligno non sit, comburi non potest: Similiter si lignum siccum valde distet ab igne comburi non potest, si autem approximetur igni, comburitur: illa itaque approximatio neque est materia neque forma nec efficiens neque finis combustionis. Sed est conditio sine qua combustio esse non potest ita de iustificatione est, præparatio non est de substantia iustificationis, sed est quædam conditio requisita in saluando seu iustificando, sicut siccitas in ligno, & approximatio eiusdem ad ignem. Præparatio enim duo facit.

Primo reddit hominem capacem iustificationis, secundò conuertit illum ad Deum vt iustificetur Quod autem requiratur præparatio in homine patet maiori ratione quàm in passiuis, & recipientibus naturalibus, quia homo est sui compos, & habet liberum arbitrium, per quod liberè debet moueri tam ad detestandum peccatum quàm ad recipiendam gratiam, & formandos actus præuios ad ipsam. Id solidè probat S. Thom. 1. 2 q. 113. art. 3. Cum impij inquit iustificatio fiat Deo illum ad iustitiam mouente, & Deus singula secundum propriam cuiusque naturam moueat. Homo autem sit liberi arbitrij, non fit motio ad iustitiam absque motu liberi arbitrij.

Probatur ex scriptura, quæ innumeris in locis hortatur peccatores ad pœnitentiam, ad timorem Dei, & ad similes actus virtutum: vt per illos ad peccatorum remissionem se disponant.

nant. Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, fletu, & planctu* Isai 40. *parate viam Domini.*

Probatur ex SS. Patrib. Aug. serm. 15. de verbis Domini cap. 11. *Qui fecit te sine te non iustificat te sine te, fecit nescientem, iustificat volentem.*

Probatur ratione, quia impossibile est iustificari sine fide, hæc autem vt dixi in tract. de fide assensum habet, & præstat iis quæ proponuntur.

Dices Deum non expectare voluntatem nostram vt à peccato purgemur sic difinitum est in Conc. Arausicano 2. cap. 4.

Respondeo verum esse quod Deus non expectat voluntatem nostram vt primam gratiam vocantem, & excitantem tribuat, à qua incipit iustificatio nostra: falsum autem esse postquam Deus peccatorem gratiâ sua excitauit vt pœniteat, illum eius voluntatem non expectare; vt ei tribuat remissionem peccati gratiam que iustificantem ei infundat, & hunc esse Concilij sensum indicant verba sequentia, vt purgari velimus per spiritus Sancti infusionem, & operationem in nobis fieri.

QVÆSTIO IV.

De forma, & modo præparandi ad iustificationem.

COncurrunt ordinarie ad primam post peccatum in adultis iustificationem, fides, iustitiæ diuinæ timor, spes veniæ ex misericordia dei, & amor quo eum diligimus, & ex dilectionis illius motiuo, odium ac detestatio peccati. Præparationis autem istius Efficiens est duplex, vnum ex parte Dei, aliud ex parte hominis. Ex parte Dei est gratia præueniens per Iesum Christum. Ex parte hominis voluntas, & liberum arbitrium, nec potest esse præparatio sine simultate vtriusque concurrentis. Gratia præuenit, vocat, illuminat, tangit cor, excitat, adiuuat, inspirat, & hoc nullo merito existente ex parte hominis. Liberum arbitrium non respuit, ait Trident. Gratiam vel inspirationem, cùm possit respuere, liberè assentitur, cooperatur, mouet se vt ad Deum conuertatúr, & se præparet ad suam iustificationem. Quod si dicas Conc. Trident docere solam contritionem perfectam sufficere, vnde inferas actus præfatarum virtutum minimè requiri.

Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens; non requiri vt illarum virtutum actus semper explicitè eliciãtůr, concedo: non requiri, vt saltem virtualiter, & implicitè nego. In actu enim perfectæ contritionis omnium illarum virtutum actus virtualiter, & implicitè continentur: nam qui verè dolet Deum offendisse eò quod illum perfectè, & summè diligat, is, & virtualiter in Deum credit, & timet illum si non timore seruili, certè reuerentiali & filiali, & sperat in eum quem summè bonum agnoscit, & in posterum vult illi obsequi, & omnia præstare, quæ ipsi placita esse cognoscit, intelligens autem ex fide Sacramenta esse à Christo instituta tanquam media suæ iustificationis credendo, & considerando per ipsum applicari sibi meritum passionis Christi, Baptismum vel Pœnitentiæ absolutionem suscipit. Sic Catholici præparant se ad iustificationem in qua recipiunt à Deo donum infusum, & inhærens, quod est formalis causa iustificationis, quæ illos sanctos, & iustos facit, & denominat, vnde Doctores communiter dicunt esse gratiam habitualem sicque dictam quod inhæreat per modum habitus: hoc innuit scriptura vtens nomine effusionis in corde, tum homo denominatur ab ea iustus non solùm quando actu operatur sed etiam quando nihil actu agit, verbi grat. cum dormit, proinde habitualis est illa gratia. Forma iustificationis quam Nouatores à Luthero constituunt, diuersissima & fallacissima est, volunt enim fidem solam iustificare, hancque in eo consistere docent, vt certo credamus peccata omnia nobis esse indubitanter remissa, propter merita Christi, & ideo triplicem docent esse fidem, historicam, miraculorum & iustificantem. Addunt Caluinistæ iustificantem dari solis prędestinatis & semel habitam non posse amitti proindéque facere hominem securum de sua iustitia, prædestinatione, ac beatitudine æterna. Lutherani addunt ex imputatiua tali iustitia non esse vnum alio iustiorem, cum omnium iustitia sit ipsa Christi obedientia fide apprehensa & à Patre imputata.

Profecto hæc impia de externa iustitia continuisque, & nequaquam dilutis ab anima sordibus peccatorum quas tectas tantùm docent, ignauos facit homines, & incuriosos de purgandis animis, quandoquidem nec ipse Christus hoc efficere potuerit, vt anima mundaretur, sed sibi persuadent parum referre qualiacumque peccata habeant, modo Christi iustitiam fide apprehensam sibi prætendant, & quasi altero velo peccata sua regant. Huc referuntur omnia Aduersariorum argumenta & obiectiones quibus orthodoxam fidem euertere suamque nouam, & ab orbe condito inauditam inuentionem constabilire nituntur.

QVÆSTIO V.

An sola fides iustificet.

CErtum est primam ex dispositionibus in adulto requisitis ad iustificationem esse fidem. Hoc exprimit scriptura & aperte docent Patres & Conc. Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum.* Aug. lib. de prædest. Sanct. cap. 7. *Fides* inquit *prima dicitur ex qua cætera impetrantur.* Cyrill. Ierosol. catechesi 1. dicit fidem esse quasi oculum & lampadem ad viam salutis inueniendam, Conc. Trident sess. 6. cap. 8. dicit *fidem esse humanæ salutis initium, & fundamentum ac radicem omnis iustificationis.*

Fidem inquam quæ veritates à Deo reuelatas credit firmo assensu & indubitato, (non illam quam fingunt Nouatores, & docent esse fiduciam seu confidentiam qua credunt sua peccata

peccata sibi esse à Deo remissa.)

Vnde scriptura describens fidei actum ad iustificationem necessarium explicat illum per assensum datum veritatibus reuelatis seu mysteriis fidei non verò per fiduciam de peccatorum commissorum obtenta remissione Ioan. 20. *Hac scripta sunt vt credatis, quia Iesus est filius Dei, & vt credentes habeatis vitam aeternam.* Et Ecclesia etiam nullam aliam à baptizandis fidem exigit, quàm eorum quæ in Symbolo continentur de, hac tamen fide.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Fides sola non sufficit ad dispositionem iustificationis, sed præter illam aliarum quoque virtutum actus requiruntur.

Probatur ex scriptura Galat 5. *non autem spiritu ex fide spem iustitiæ speramus.* Subiunxit continuo. *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur,* ibi charitas ponitur forma fidei, consequenter magis hæc iustificat quàm fides 1. Cor. 3. *Si habuero omnẽ fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* Iacob 2. *fides sine operibus mortua est.* Tum sic de fide scriptum est Rom. 3. *arbitramur hominem iustificari per fidem* dispositiuè scilicet, ita de timore, de spe, de charitate Ecclesi. 1. *qui sine timore est, non poterit iustificari.* Prouerb. 28. *qui sperat in Domino sanabitur* 1. Ioan. 3. *Pœnitentiã agite, & baptisetur quisque vestrum in remissionem peccatorum.* Math. 19. & pluribus in locis merces vitæ æternæ assignatur mandatorum Dei obseruantiæ, & non fidei solæ. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata* Math. 25. *Esuriui enim, & dedistis mihi &c.* 2. Petri 1. *Satagite vt per opera bona certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Probatur ex SS. Patrib. Ignat. Epist. ad Ephes. *Principium vitæ fides, finis eiusdem charitas, hæc autem duo quoties in vnum coëunt Dei hominem perficiunt.* Origen. hom 3. in Cant. Cant. *Dupliciter constat salus credentium per agnitionem fidei, & operum perfectionem: ratio fidei primus habeatur salutis gradus, secundo verò loco operum perfectio memoretur.* Cyrill. catech. 15 *Non in hoc confidas quod solam lampadem habes, sed custodi illam ardentem, non in hoc solum confidas quod credis, sed fidem ardentem conserua vt luceat lux tua coram hominibus per opera bona ne blasphemetur per te Christus.* Chrysost. hom. 9, in Ioan. *Nolimus dilectissimi, nolimus ad salutem fidem satis nobis esse existimare, nam nisi vitam exhibuerimus puram, & hac cælesti vocatione dignam nos induerimus vestimenta quibus ad nuptias admittamur, nihil nos eripiet quin afficiamur supplicio,* Cyrill. Alex. lib. 10. in Ioan. cap. 18. *Quod autem fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit scribens. Tu credis quia vnus est Deus, dæmonia etiam credunt & horrescunt, si ergo fides sola sufficeret, multitudo dæmonum perire non posset. Quare oportet ad fidem opera charitatis accedere.* Ambros. lib. 2. de officiis cap. 2. *Scriptura diuina vitam beatam in cognitione posuit diuinitatis, & fructu bonæ operationis, nam de scientia ita dicit, hæc est autem vita æterna vt cognoscant te, &c. & de operibus ita respondit, omnis qui reliquerit domum &c. propter nomem meum accipiet vitam.* Hiero. lib. 2. in Iouin cap. 1. *Frustra nobis in eo plaudimus cuius mandata non facimus, scient, bonum, & non facienti, illud peccatum est, quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est, nec grande putemus vnum Deum nosse, cum & dæmones credant, & contremiscant.* Aug. serm. 16. de verbis Apost. *A fide incipit homo, sed quia & dæmones credunt necesse est addere spem & charitatem,* & serm. 22. *domus dei credendo* fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.

Probatur ratione, res mortua viuificare non potest, *fides* Iacobi 2. *si non habet opera mortua est in semetipsa.* Ergo viuificare seu iustificare non potest. 2. iustificationis incapax est, qui manet in morte; at sine charitate sumus in morte, 1. Ioan. 3. *qui non diligit manet in morte.* Ergo sine charitate fides non potest iustificare 3. si sola fides iustificaret, certè nec iustificatio nec peccatorum remissio alteri cuiquam rei tribueretur. At tribuitur charitati, Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum* 1. Petri 4 *charitas operit multitudinem peccatorum* 1. Ioan. 3. *translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres,* & apud Aug. in lib. de nat. & grat. cap. vlt. *inchoata charitas inchoata iustitia, perfecta charitas perfecta iustitia.* 4. si sola fides iustificaret, maximè quia si ex operibus aliis petenda quoquo modo fuisset iustitia, nũquam tranquilla satis fuisset conscientia, vtpote cui constare satis non potest de sufficientia bonorum operum. Hanc enim rationem afferti. Caluin. lib. 3. instit. cap. n. 12. 19. & 20. At quis non videt hoc ipsum posse in eum regeri. Nemo quippe est cui certo constet de fidei suæ sufficientia, se nimirum tam purè perfectéque credere ac requiritur, adeò cuiuis obscurum est quicquid in mente etiam propria geritur. Hierem. 17. prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud. Rom. 8. *Quid oremus sicut oportet nescimus.* Sapien. 9. *Cogitationes mortalium timidæ,* adde quod nullo modo consultum fuerit vt homo dum viuit hic plane certus esset de sua iustitia, ne in superbiam erigeretur, & daret se inertiæ, sed potius vt in timore operaretur salutem suam, & omnia in futurum seruarentur incerta.

V. si sola fides iustificaret, ad eam solam, & non ad alia remitteret nos Christus operandæ salutis nostræ gratia. Atqui remittit nos nunc quidem ad dilectionem Luc. 10. *hoc fac & viues,* nunc ad obseruationem mandatorum Matth. 19. si vis ad vitam ingredi serua mandata. Nunc ad opera bona. Psal. 31. *quis est homo qui vult vitam? Declina à malo & fac bonum.* Addo 6. præstantissimum opus est iustificatio, ergo præstantissimæ virtuti debetur vt sit proportio, talis autem non est fides sed charitas 1. Cor. 13. *maior horum est charitas* ibidem nihili facit fidem respectu charitatis: si habuero inquit omnem fidem ita vt &c. Non ergo fides sed charitas potius est quæ iustificat. Nec valet effugium Caluini dicentis Paulum loqui de fide miraculorum, non de fide

 iustifica

iustificante, namque de omni fide loquitur cum dicat *omnem fidem.* Et inaudita est ista fidei multiplicatio tam in diuinis quæ nunquam loquuntur de fide in plurali, sed vnicam esse tradunt Eph. 4. *vnus Deus, vna fides*, quam apud S. Patres: & certè sicut visus vnus est quia vna est videndi ratio, licet obiecta visibilia varia sint, sic vna fides, quia vna est credendi ratio nempe summa veritas reuelans, esto varia sint quæ reuelantur, v.g. quidlibet à Deo fieri posse, quam fidem valde exercent qui edunt miracula, & secundum Caluinistas fidelem quemuis saluatum iri, quam fidem vocant fidem promissionum.

Ad hæc restat ostendere fidem iustificantem non posse consistere in eo quod quis credat certissimè sibi remissa esse peccata propter merita Christi, nihil fide credendum est nisi quod Deus reuelauit, sed Deus non reuelauit huic vel illi quod dimiserit peccata ei, proindéque quod sit iustus, licet enim hoc aliquibus reuelatum fuerit vt Zachæo, Latroni &c. hoc tamen tempore non reuelatur. Nec dicas reuelationem contineri Act. 13. *Omnis in hoc qui credit iustificatur* Roman. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo.* Nam reuelatio hæc & promissio generalis est, & non dicit Carriere iustificatur, sed generatim omnis qui credit: hæc autem generalis promissio non potest huic aut illi applicari nisi ita ratiocinando; Omnis qui verè credit saluatur, sed Carriere habet veram fidem, hæc assumptio incerta est, etiam teste Caluino lib. 3. instit. cap. 2. §. 11. *& si in fidem ait non illuminantur nisi qui praordinati sunt ad salutem, experientia tamen ostẽdit reprobos interdum simili fere sensu atque electos effici, vt ne suo quidem iudicio quicquam ab eis differant.* Si ita est quomodo potest Carriere vg. credere se veram habere fidem? quid, si seipsum fallat. Tum si certo credunt homines sibi esse remissa peccata, frustra orant *dimitte nobis debita nostra.* Nonne Deus arguet, si certò credis remissum vg. adulterium tuum, quid petis? Si dubitas & firmam non habes remissionis fidem quomodo postulas remitti quod sine firma fide remitti non potest. Docet autem Caluin. tam certò vnumquemque credere debere remissa sibi esse peccata sicut certò credit Christum natum, mortuum &c. At si quis oraret vt Christus nasceretur, is infidelis esset, quia iudicaret Christum non esse natum, similiter si oret remitti peccata non minus infidelis esset, quia iudicaret non esse sibi remissa. Adde quod si creditur per fidem remissa esse peccata, Sacramenta erunt inutilia.

Dices ad istud, esse specialem articulum. *Credo Remissionem peccatorum.*

Respondeo sensum non esse, credo mihi remissa peccata, sed confiteor esse in Ecclesia Catholica donum remissionis peccatorum, quod per Baptismum & alia Sacramenta percipitur. Conc. Constantinop. exposuit *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum*, & Catechumeni qui ante baptismum recitant, & credunt totum fidei symbolum non iam habent sed adhuc expectant remissionem obtinendam per baptismum.

Dices contra Propositionem Catholicam Paulum in epistolis sæpius inculcare peccatorem iustificari per fidem non ex operibus Rom. 3. Eph. 2. Ioan. 1. & 3. & alibi, exprimique gratis Deum nos iustificare.

Respondeo primo, scripturam non dicere *per solam fidem* & sicut hæc meminit fidei solius aliquando, ita quandoque solius spei aut timoris, dilectionis, pœnitentiæ, vna virtus non excludit aliam, sed ordinarie includit.

Respondeo secundò, ex Decreto 7. Concilij Trid. fidei attribui iustificationem, quia etsi sola eam non mereatur, aut faciat, illius tamen est radix & principium, *accedentem enim ad Deum oportet credere*, Heb. 11. Porro principium in se virtute reliqua complectitur, quatenus ab illo pendent omnia. Vnde & ægrotus saluus fieri dicitur à medico, & per ipsum ac eius beneficio viuere, non quod medicus, aut medicetur solus aut proximè, sed quod sit medicationis principium. Tum cùm plures causæ concurrunt ad vnum effectum, modo vni modo alteri tribuit eum Scriptura.

Ad *gratis*, Respondeo, iustificationem dici gratuitam, non quia fit solâ fide, sed quia non meremur illam per vlla opera, siue fidei, siue præcedentia fidem, posito enim actu fidei, spei, & charitatis, adhuc ex mera Dei liberalitate sequitur infusio gratiæ, & remissio peccatorum. Licet enim aliqui putent fidem mereri de congruo iustificationem, omnes tamen censent non mereri de condigno, ac proinde gratuitam esse iustificationem.

Instabis, nihil aliud exigi à Paulo Rom. 10. Quàm, *corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*

Respondeo, non parum hic requiri ad salutem, præsertim pro tempore, quo scripsit hæc Apostolus, quando nomen IESV exosum fuit Iudæis & Gentilibus, tunc enim corde credere, & ore confiteri non erat priuatim, & in cubiculo, vel in cœtu Christianorum agnoscere, & inuocare Dominum Iesum, vel Messiam, sed erat palam reiectis idolis nullo Tyrannorum, & suppliciorum metu fidem Christi confiteri. Hoc sanè qui faciebat, præclarum edebat opus fidei, quo nullum est maius, & in eo spes & charitas latent.

Dices, exprimi, Luc. 8. Solam fidem, *crede tantùm, & salua eris.*

Respondeo, inepte citari similia loca, in iis enim non agitur de iustificatione, sed de salute aut vita corporis miraculosè data, vel danda à Christo, fides autem sola sæpe sufficit ad impetranda miracula, maximè cùm requiruntur ad confirmandam fidem in Christum. Hic Christus non exigebat fidem à mortua puella, sed a patre rogante pro suscitatione.

Dices, si præparationes dicamus ante iustificationem necessarias, sequetur nos tribuere eam operibus nostris, quod est derogare Christi meritis & gloriæ, nihil igitur requiritur præter fidem, adde quod Aug. cap. 14. de fide & operibus, affirmat opera non præcedere iustificationem, sed sequi iustificatum.

Respondeo,

Respondeo, negando consequentiam, non enim omnia quæ antecedunt beneficium merentur illud, sed sola illa merentur quibus illud datur in mercedem. Mendicus v. g. ex casa sua proreptans ad ædes diuitis ad ianuam eius clamitans, multis precibus, eleemosynam petens vulnera ad commiserationem excitandam aperiens, manúmque ad accipiendum munus tendens, multa quidem facit & patitur, sed hisce laboribus suis omnibus nullum acquirit ius ad exigendam eleemosynam, nihilque ex lege promeretur. Porrò ratione qui credendo, sperando, orando, pœnitendo, ad iustificationem se parat, suis meritis & præparationibus non debet attribuere gratiam Dei, sed soli misericordiæ accepta referre omnia qui homini disposito iustitiam *gratis* impertitur.

August. autem loquitur, non de omnibus operibus, sed de iis tantùm quæ apud Deum vim merendi habent. Vbi nota superbiam Iudæorum, qui credebant meruisse per obseruantiam legalium iustificationem. Paul. Rom. 3. retundit. *Arbitrâmur hominem iustificari sine operibus legis.* Aug consequenter dicit opera quæ meritoria sunt ex se, supponere iustitiam, nemo quippe apud Deum, vel gratiam, vel gloriam meretur, nisi homo iustus: Porrò præuiis dispositionibus non meremur primam gratiam, sed aptamur tantùm, & præparamur ad illam, quam Deus gratis pro sua bonitate confert.

QVÆSTIO VI.

An homo sit certus de sua iustificatione.

AFfirmant Caluinistæ, sed fides Catholica docet contrarium, idque definiuit Trident. cap. 9. sess. 6. tam de statu gratiæ, quàm de prædestinatione.

Probatur ex Scriptura, quod nemo securus sit in hac vita de sua gratia. Ecclesiast. 9. *Nemo scit vtrum odio, vel amore dignus sit*, quod secundum facit gratia iustificans. Prouerb. 20. *Quis potest dicere mundum est cor meum.* 28. *Beatus homo qui semper est pauidus* Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse absque metu.* Psalm. 18. *Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me.* Ex quo loco S. Hieron. lib. 1. aduersus Pelagianos, probat iustorum nemini plane cognitum esse, sit ne absque peccatis, an non. Et 1. Cor. 4 *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Roman. 11. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Philip. 2 *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.*

Probatur ex sanctis Patribus, Basil. cap. 7. Constit. Monach. *Multa peccantes, plurima neque intelligimus, quapropter dicit Apostolus, nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum: hoc est multa pecco, & non intelligo.* Hieron. in cap. 3. Ierem. non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. *Non ad comparationem Dei (vt volunt veteres & noui Hæretici) sed ad scientiam eius. Homo enim videt in facie, Deus in corde: & quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur.* Chrysostom. hom. 12. in 1. Cor. *Multis de causis incertum est nostrum iudicium: vna, quod multa opera nos lateant*, &c. Aug. serm. 23. de verbis Domini. *Fortasse tu nihil inuenis in conscientia tua: inuenit ille qui melius videt.* Bernard serm. 23. de Domini aduentu. *Accedit ad sollicitudinis cumulum, & pondus timoris. Quod cum & meam & proximi conscientiam seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota: vtraque abyssus est imperscrutabilis, vtraque mihi nox est.* August. 10. confess. cap 32. *Nemo securus esse debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, vt qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior.* Et lib. de correp. & grat. cap. 32. *Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non timeat?*

Probatur ratione: certitudo fidei, seu cui non possit subesse falsum, non habetur, nisi de re reuelata, vt nemini nostrum reuelauit Deus. Ergo nec sufficit illa generalis reuelatio, *Qui crediderit saluus erit.* Hæc enim applicari non potest Francisco, Guillielmo, nisi eadem certitudine constet eos fidem, & reliqua necessaria habere; hoc autem non est reuelatum.

Secunda. Peccatorum venia datur iis solùm, qui toto corde conuertuntur ad Deum. Deuteron. 4. *Cum quæsieris Dominum, inuenies eum, si tamen in toto corde quæsieris eum.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur.* At quis ille, & laudabimus eum? imo ex sententia Nouatorum, nemo obseruat Dei mandata, tum confidentius de remissione peccatorum nostrorum loqui nobis non licet, quam Prophetæ aut Apostoli, qui Ioël 2. Act. 8 pœnitentiam suadebant cum clausula: Forsan remittet Deus. Adde quod bonum est ex integra causa, & experientiâ constat actus ipsosmet charitatis quos edimus, imperfectos esse vt plurimum, vel defectu rectæ intentionis, aut aspersione philautiæ, vnitatis, &c. Vnde Aug. in Psalm. 41. Ad me ipsum anima mea turbata est, dicit: *Noui quia iustitia Dei mei manet, vtrum mea maneat nescio. Terret enim Apostolus me dicens: Qui se putat stare videat ne cadat.*

DIces, Rom. 8. Spiritus testimonium reddit quod sumus filij Dei. Sed hoc est infallibile, ergo.

Respondeo, testimonium Spiritus sancti esse duplex, alterum fit per verbum expressum, seu per reuelationem ex parte intellectus, alterum per experimentalem quemdam effectum & motionem ex parte voluntatis. Paulus de posteriori loquitur: neque hoc facit, vt quis infallibiliter sciat se à Spiritu sancto moueri, & esse Dei amicum, nam sæpe spiritus malus se transfigurat in Angelum lucis, vnde fit hominem posse decipi. Deinde constet homini se impelli à Spiritu sancto, nondum constabit se affici eo modo quo iusti afficiuntur, nam & peccatores interdum à Spiritu sancto pulsantur, & sæpissimè Apoc 3. ego sto ad ostium & pulso.

Instabis

Instabis ex Rom. 8. *Certus sum quod neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei.*

Respondeo, Paulum ibi loqui non de certitudine fidei, sed morali, quæ ex signis & coniecturis gignitur, quod cap. 15. demonstrat, loquens de dilectione Romanorum, quia plenos eos dicit, id est Paulus moraliter credebat Romanos (de quibus ibi agit) Deum diligere.

Dices, lumen est magis cognoscibile quàm tenebræ, quia Ephes. 5. *Omne quod manifestatur lumen est.* Sed peccatum quod est spiritalis tenebra per certitudinem potest sciri ab eo qui habet peccatum. Ergo multo magis gratia quæ est spirituale lumen.

Respondet S. Thom. peccatum habere pro principio, & pro obiecto bonum commutabile quod nobis notum est. Obiectum autem vel finis gratiæ est nobis ignotum propter sui luminis immensitatem 1. Timot vlt.

Nota id sapientissimè à Deo factum esse, vt de propria iustificatione nullam habeant homines in hac vita certitudinem. Nam vt ait August. lib. de corrept. & grat. cap. 13. *In hoc loco tentationis tanta est infirmitas, vt etiam possit superbiam generare securitas.*

Potest tamen quilibet iustus citra omnem reuelationem, quæ quibusdam data legitur (B. Antonio teste Athanasio in vita eius, Beatæ Gallæ, ex S. Greg. 4. mor. cap. 11. B Francisco teste S. Bonauent. in eius vita.) habere aliquam certitudinem moralem seu coniecturalem de sua iustificatione signisque quibusdam & verisimilibus argumentis cognoscere se esse in statu gratiæ, in quibus tamen qualiacumque sint nemo debet conquiescere, neque in seipso confidere vel gloriari. Quoniam, vt notat Trident. *Omnis hominum vita non humano iudicio examinanda & iudicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

QVÆSTIO VII.

De meritorij operis conditionibus, & pacto diuino.

Dogmate singulari Ecclesia Catholica tenet duas esse iustificationes.

Primum, quando homo ex impio fit iustus, & ad illum non requiri opera bona præcedentia certum est, quia vt passim docet Scriptura hæc, opus est solius gratiæ Dei, ob Christi merita peccatori collatæ, vnde *gratus factus* dicitur.

Secundum, declarat esse augmentũ propriè primæ iustificationis, & hanc procedere à bonis operibus editis in statu gratiæ, quæ tale mereãtur argumentũ, siue de congruo, siue de condigno. Hinc emanauit Decret. 8. Conc. Trid. sess. 6. *Vt iustitia in impio sola fides etiã propriè sumpta non efficit, ita nec conseruat & auget, sed ad hanc conseruationem & incrementum concurrunt insuper opera bona iustificati.*

Probandum ergo est dari opera meritoria, & primo definiendum opus meritorium. Definitio operis meritorij, communiter dicitur actio libera hominis, procedens ex auxilio gratiæ, cui merces ex iustitia debetur, seu supposita Dei promissione. Notandum autem quod sub nomine actionis intelligitur tam externa quæ perpessionem & omissionem includit, quod patet in Martyribus, qui merebantur sustinendo cruciatus; Et in Rechabitis, qui ex obedientia abstinebant à vino. Ierem. 35. & Machabæis qui à carne suilla ob legis obseruantiam abstinebant. Supponitur autem tale opus esse moraliter bonum; quàm actionem internam, vt diligere, sperare, credere, orare, meditari, *hoc enim est opus Dei vt credatis*, ait Christus, Ioan 6.

Prima conditio operis meritorij est vt sit liberum, quæ colligitur ex 1. Cor. 9. *Si volens hoc ago mercedem non habeo.* Et Eccles. 31. *Beatus qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Sicuti enim nulla est actio, vel bona, vel mala laude, vel vituperio digna, quæ non à libera voluntate promanat: ita nihil mereri potest homo, nisi actionibus liberi sui arbitrij, nam & in morbis aliisque perferendis, quæ declinare non possumus, cernitur libertas in patientia & animi constantia, non enim ipsum sustinere, sed patienter sustinere, & liberum est, & meritum annexum habet. 2. Cor. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate.*

Probatur ex sanctis Patribus, qui vnanimiter in bonis operibus requirunt hanc conditionem. Iustin Apol. 1. *Neque enim quidquam honorum laude dignum esset, nisi vtramque in partem conuertere, & quasi flectere se possent.* Item. lib. 4. cap 13. *Qui operantur bonum, gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent illud non operari.* Hieron. lib. 2. contra Iouinian. Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin vbi necessitas, nec corona, nec damnatio est. August. lib de nat. & grat. cap. 5. *Quis non agnoscat, quis non toto corde suscipiat, quis taliter conditam humanam neget esse naturam: sed in recte faciendo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Bern. lib. de grat. & lib. arb. *Vbi necessitas, ibi libertas non est, nec meritum.*

Probatur ratione, ex eo quod ad demeritum, seu peccatum requiritur, vt peccantis voluntas libera sit, non solum à coactione, sed etiam à necessitate; ergo à contrario ad meritum bene operantis voluntas nullam in agendo, non modo coactionem, sed etiam necessitatem pati debet. Consequentia patet, cum vtrobique sit par ratio. Antecedens probatur ex S Augu st. l b. de duabus animabus cap. 11. vbi dicit: *Neminem vituperatione supplicióue dignum esse, qui id non faciat, quod facere non potest* Et in lib. de lib. arb. cap. 18 *Quis enim non peccat in eo quod nullo modo caueri potest peccatur autem, caueri igitur potest.*

Dices, inuoluntariam mortem sanctorum Innocentium acceptatam fuisse ad palmam martyrij.

Respondeo, aliud esse acceptare ad vitam æternam

ex tunc actionem necessariam, quod potest Deus, aliud ad meritum, voluntariam mortem Apostolorum acceptauit Deus ad meritum vitæ æternæ; Innocentium vero ad vitam ob causam mortis; nam vt ait Sanctus Augustinus sermone 10. de Sanctis. *Aliorum quidem pretiosa mors Martyrum laudem in Confessione promeruit: horum in consummatione complacuit.*

Instabis, Christus meritus est per actiones necessarias & non liberas. Ergo non exigitur libertas. Antecedens patet; quia maximè meritus est per dilectionem & passionem seu mortem obitam pro nobis, sed neque dilectio fuit libera; quia necessariò sequebatur ex clara visione Dei, neque passio & mors, quia vtriusque habuit præceptum, Ioan. 10. ad Philip. 2. dicitur. *Factus obediens vsque ad mortem.* Neque poterat transgredi illud, quia erat impeccabilis, ac per hoc electio illa ponendi animam non fuit libera.

Respondeo, duplex fuit actus dilectionis in Christo, alter sequebatur ex clara Dei visione, alter ex cognitione scientiæ infusæ, prior erat necessarius, eique conueniebat, quatenus viator erat, Christus ergo meritus est per posteriorem non per priorem.

Ad præceptum moriendi si habuit (hoc enim aliqui negant) dico potuisse ex variis motiuis illud seruare, vt ex motiuo charitatis, misericordiæ, iustitiæ, quod liberum ei fuit, hancque libertatem sufficere ad meritum.

Secunda conditio requisita ex parte ipsius actus, vt sit meritorius est, vt sit bonus & honestus, tam ex parte obiecti, quam finis, & aliarum circumstantiarum, id est, vt habeat obiectum bonum & honestum, & fiat propter finem bonum, ac Deo gratum, ac in ipsum Deum, vel actualiter, vel saltem virtualiter referatur, nec vlla praua circumstantia vitietur.

Huius conditionis necessitas constat, ex eo quod in Scripturis retributio & merces, & corona promittuntur tantùm operibus bonis. Id etiam expresse habetur in Concilio Tridentin. sessione 6. canone 3. vnde & Augustinus libr. de gratia & libero arbitrio cap. 6 *Quæ mala sunt*, inquit, *non coronat Deus.* Quod autem opera illa bona mala circumstantia vitiari debeant, patet ex eo quòd si aliqua tali circumstantia vitiarentur, desinerent esse bona & honesta. Cum ex Philosopho bonum sit ex integra causa malum ex quocumque defectu.

Tertia conditio operis meritorij est, vt procedat ab homine qui sit in statu gratiæ sanctificantis.

Probatur ex Scriptura, 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* Ioan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites.*

Probatur ex Sanctis Patribus, Cælestino Epistola ad Gallos cap. 8. *Vbi dicit non placere Deo, nisi opera illa, quorum ipse author est.* Augustino Epistola 105. & alibi, qui ait, *Merita nostra esse munera Dei.* Gregorio libro 2. moral. cap 8. vbi dicit, quod *Non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt.* quasi dicat, Deum prius intueri personam quam munera & opera eius, ideoque ipsi accepta esse non posse nisi persona operantis illi grata & accepta sit.

Quarta conditio necessaria est status viæ. Nam hæc est status pugnæ, luctus, laboris, alia vita est præmij, coronæ & quietis: vnde Scriptura nos hortatur, vt si quid apud Deum mereri volumus id in hac vita faciamus. 2. Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile.* Galat. 6 *Dum tempus habemus operemur bonum.* Ecclesiast. 11. *In quocumque loco ceciderit lignum ibi erit.* Ioan. 9. *Venit nox, mortis scilicet, quando nemo potest operari.*

Probatur ex Sanctis Patribus in cap. 6. 1. ad Corinth. *Tempus sementis est vita præsens, quam currimus: cum vita ista transierit operandi tempus aufertur.* Augustino in Enchiridion. cap. 110. *Nemo speret quod hic neglexerit cum obierit apud Deum promereri.*

Ratio huius conditionis alia non est, quàm ipsius Dei voluntas qui constituit, vt merita omnia morte finiantur: aliàs si ita voluisset, Beati etiam in cælo mereri potuissent cum status beatitudinis merito non repugnet, vt patet in Christo.

Quinta, est pactum & promissio Dei de retributione facienda. Hic quærunt Scholastici, an præter gratiam sanctificantem requiratur tale pactum. Affirmat Scotus. Negant Thomistæ hac ratione, quia inquiunt homo in statu gratiæ ex vi eius solius est filius Dei per adoptionem: ergo habet ius vitæ æternæ, vt ait Paulus Roman. 8. *Si filij & hæredes.* Ergo opera talis hominis ex vi solius gratiæ digna sunt retributione vitæ æternæ absque alia promissione.

Distinguendum est; nam aliud est opus esse dignum aliquo præmio, aliud deberi ex iustitia talem mercedem operi, potest enim fieri, vt quis laboret integro die in alterius vinea & labor eius sit dignus stipendio diurno, & tamen alter non teneatur ex iustitia persoluere illi stipendium nisi cum eo pactus sit; ita res hic habet, Opera iusti, quia procedunt ex gratia quæ est semen gloriæ habet proportionem cum gloria, tamen secluso pacto Deus non tenetur ex iustitia compensare illa. Dico ergo secluso pacto esse digna, non dignitate iustitiæ, sed proportionis medij ad finem. At posita promissione mereri vitam æternam ex iustitia.

PROPOSITIO CATHOLICA.

AD meritum vitæ æternæ requiritur gratuita promissio Dei, siue pactum liberale atque gratuitum.

Probatur primò ex Scriptura Roman. 8 *Existimo quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*, & 1 Corinth. 4. *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hæc quidem non docent opera bona non esse meritoria vitæ æternæ, sed non esse meritoria tanti præmij ex natura sua, sed aliunde, nimirum ex promissione, ex dignitate principij. Tum omnia sunt Dei. Roman. 11. *Quis prior dedit illi & retribuetur ei: nam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Cassiere in Professionem Fidei.

QQQqq Probatur

Probatur ex Sanctis Patribus, Athanasio in vita Sancti Antonij. *Nec vniuerso orbi re- nunciantes dignum aliquid habitaculis possumus compensare cælestibus.* Eusebio Emissen. hom 3 ad Monachos. *Totis licet animi & corporis laboribus desudemus, totis licet obedientia viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cælestibus bonis compensare & offerre valemus.*

August. in Psalm. 93. *Quanto labore digna est requies, quæ non habet finem! si verum vis comparare & verum iudicare æterna requies æterno labore recte emitur. Verum hoc est, sed noli timere misericors est Deus.* Bernardo in sermone 1. de Annunt. *Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam!* Sancto Thom. in 1. 2. quæst. 114. artic. 3. *Si consideretur opus meritorium secundum substantiam operis, & secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas propter maximam inæqualitatem.* Fulgentio in prologo librorum ad Monimum. *Nam & seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem.* Augustino sermone 16. de verbis Apostoli. *Debitor nobis factus est Deus non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo; aliter enim dicimus homini debes mihi; quia dedi tibi, & aliter dicimus debes mihi quia promisisti mihi; Deo igitur quid dicimus! Redde mihi quia dedi tibi! Quid dicimus Deo quando quod sumus, & quod habemus bonum ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum, illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum: redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti. Et hoc tu fecisti, qui laborantes iuuisti.* Bernardo in libro de Gratia & libero arbitrio. *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex iustitia persoluendum.* Hinc Sanctus Thom. citatus concludit Deum cùm nobis aliquid debet, non tam nobis debere quam dispositioni & promissioni suæ.

Probatur rationibus. Prima vel debet Deus vitam æternam bonis operibus reddere ex iustitia Commutatiua, vel ex distributiua; si ex Commutatiua igitur requiritur pactum, siue promissio. Neque enim opus quantumuis eximium & æquale mercedi potest ex iustitia commutatiua alterum obligare, nisi conuentio & pactum ante præcesserit. Nam si quis non conductus, sed sponte sua vineam alteri[illegible] colat, non potest iure mercedem exigere. Vnde Matth. 20. Operarij quidam tota die otiosi in foro sedere malebant, quam ad laborandum in vinea, nisi [illegible] conducerentur accedere, & Dominus [illegible] conuentionem fecisse legitur cum operarijs ex denario diurno. Si verò ex iustitia distributiua Deus reddit præmia laborantibus, tunc quoque necessaria est promissio atque conuentio. Nam in iustitia distributiua non solet exigi pactum vel promissio saltem expressa quando Princeps distribuit bona communia, sed plane exigitur quando propria bona distribuit, vt cum ad certamen brauium sponte proponit. Neque enim debetur præmium velociùs currenti nisi promissio pactumque præcesserit. Deus igitur qui non distribuit bona communia, sed propria, sine dubio non tenetur præmia reddere laborantibus, nisi quia redditurum se antea promisit.

Secunda ratio sumitur ex parte hominum qui merentur. Nam cum simus omnes conditione serui & mancipia Dei non posset esse iustitia inter nos & Deum, nisi ipse liberali conuentione operibus nostris, alioqui debitis etiamsi nulla alioqui illis reddenda esset præmium constituere voluisset, atque hoc significauit Dominus, cum ait, Luc. 17. *Cum feceritis hæc omnia, dicite serui inutiles sumus.*

Tertia, sumitur ex ipso statu viatorum qui requiritur ad merendum, nulla enim causa reddi potest, cur opera bona quæ fiunt in hac vita mereantur præmium apud Deum, & non mereantur bona opera, quæ fiunt in alia vita: nisi quia requiritur ad meritum promissio Dei liberalis atque gratuita; placuit autem Deo vt promissionem suam non extenderet vltra tempus vitæ præsentis. Alioqui enim multa faciunt Sancti Angeli, atque homines in cælo bona opera libere in obsequium Dei, quibus incrementum gloriæ mereri possent nisi tempus ad merendum præscriptum præteriisset. quod exprimitur 1 Corinth. 7. *Tempus breue est.* 2. Corinth. 6. Galat. 6.

QVÆSTIO VIII.

An possit homo aliquid à Deo mereri.

EXponendæ erant prius conditiones ad meritum requisitæ, antequam dogma Catholicum de merito bonorum operum statueretur; & hic præsupponendum nos non sumere nomen meriti latè, prout etiam aliquando in malam partem accipitur, vt 2. Paral. cap. 19. *Iram Domini merebaris*, sed strictè & propriè prout significat actionem liberam, & honestam, & bonam, quæ posito pacto Dei mercede aliqua & præmio; imo ipsa vita æterna digna est: qua in significatione dicitur Eccles. 17. *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum.* Negant autem Caluinistæ hominem iustum posse facere bona opera quæ apud Deum meritoria sint, vel secundæ iustificationis, id est conseruationis aut incrementi eiusdem aut vitæ æternæ. Habetur autem in Concilio Tridentino decretum nonnum ex cap. vltimo. *Dicam amplius hoc ipsum incrementum cadit sub meritum, sicut & pars illa siue gradus gloriæ calestis qui ei respondet.* Ad hanc propositionem horrescit Caluinus l. 3. Institut. cap 13. & ne vocem quidem meriti ferre potest, quasi verò alienum sit à Scriptura, & vt impropetat ipse diuinæ gratiæ ac misericordiæ iniuriosum sit ac superbiam, ac præsumptionem redolens. Quasi verò ipsemet huiusce immemor religionis ac seueritatis, ne dicam superstitionis & socordiæ ea voce meriti non vtatur lib. o 1[illegible] dicens. *Nihil præter obedientiam Deo præstitam alicuius esse meriti apud eundem.*

PROPOSITIO CATHOLICA.

OPera iustorum rectè vocantur merita, ipsaque augmenti gratiæ, nec-non & vitæ æternæ.

Probatur ex Scriptura Eccles. cit. Act. 5. *Et ill*

eli quidem abierunt à conspectu concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, quem locum depravat Geneva legens quoniam honorem habuerunt pro digni habiti sunt, tria enim nomina hæc, dignitas, meritum, opus bonum, displicent ei, hinc Caluin. cit. cap. 15. arguit antiquitatem, quòd meritum & mercedem admittat. Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua* cap. 20. *illi vero qui digni habebuntur, sæculo illo & resurrectione.* Math. 5. *cum persecuti vos fuerint propter nomen meum, gaudete quia merces vestra multa est in calo.* 2. Thessal. 1. *sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* Apoc. 3. *ambulāt mecum in albis quia digni sunt.* Denique plurima sunt testimonia Scripturæ, quæ nomen mercedis expresse habent, vt Genes. 15. *Ego protector tuus sum, & merces magna nimis.* 1. Paral. 15. *Confortamini, erit enim merces operi vestro.* Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum & merces eorum.* Eccles. 18. *Non verearis, vsque ad mortem iustificari quoniam merces Dei manet in aeternam*, explicat scriptura Apoc. vlt. Sic, *Ecce venio cito & merces mea mecum est.*

Probatur, ex SS. Patrib. qui vnanimiter docent inesse operibus iustorum vim merendi. Cyprian. lib. de vnitate Ecclesiæ. *Iustitiâ* inquit *opus est vt promereri quis possit Deum: præceptis eius ac monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.* Epiphan. in Anchorato, *quemadmodum ait, testatur princeps Apostolorum, qui dignus factus est prædicari à Domino, quod Pater ipsi reuelasset.* Tertull. in exhort. ad castitatem *Deus piis operibus & iustitia officiis promeretur* Quod Heb. 13 dixit Paul. *Talibus hostiis promeretur Deus.* Lactant. lib. 7. Diuin. instit. cap. vlt. *Vniuersos igitur oportet operam dare vt se quamprimum ad rectam viam dirigant vt susceptis operatisque virtutibus, huius vitæ laboribus patienter peractis consolatorem, habere Deum mereantur.* Hieron. lib. 2. contra Iouini cap. 15. in hæc Ioan. 14. *in domo Patris mansiones multæ sunt, dicerem* ait, *vobis quia vado & praeparabo vobis locum si non mansiones multæ essent apud Patrem, hoc est si non vnusquisque mansionem sibi non ex Dei largitate sed ex propriis operibus præpararet, & ideo non est meum præparare sed vestrum, quia & Iuda nihil profuit paratus locus quem vitio suo perdidit.*

Probatur ex Concil. Arausic. 2. can. 18. *debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia quæ non debetur vt fiant.*

Trident. sess 6. cap. 6. Bene operantibus vsque in finem proponenda est vita æterna & tanquam gratia filiis Dei, per Christum misericorditer promissa & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Lateran. sub Innoc. III. cap. Firmiter de summa Trinit. & fide catholica. *Non solum Virgines* inquit, *& continentes, verum etiam coniugata per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo ad aeternam merentur beatitudinem peruenire* Florentin. in decreto, de Purgatorio docet animas quæ nihil expiandum habent, mox recipi in cælum, Deumque videre pro meritorum diuersitate, aliam alij clarius atque perfectius Nihil ergo noui sed fidem antiquam declarauit. Conc. Trident. can. 26. & 32. vbi iustorum merita asseruit vide Bellarmin. lib. 5. de iustific. cap. 4.

Probatur, rationibus & Primò procedere opera bona ab homine iusto. Math. 7. Christus dixit non potest arbor bona malos fructus facere, & Ioan. 15 ego sum vitis vos palmites qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum. Sed iustus est arbor bona & manet in Christo vite fœcunda, ergo potest bona opera facere, Tum si vt ait, Caluin. peccatum orig. manet in iustis & contaminat omnia ipsorum, opera, ita vt potius mortem mereantur, quam vitam æternam. Quid significat ergo Christus, Matth. 5. dum iubet *luceat, lux vestra coram hominibus vt videant, opera vestra bona.* Quomodo Dauid audet dicere Psal. 7. *Iudica me Domine, secundum iustitiam meam & secundum innocentiam meam super me.* Quomodo verificabitur quod Iob *Non peccauit in iis quæ dixit:* Quomodo *quod vir rectus* quomodo docet Paul. ad Tit. 2. *redemit nos ab omni iniquitate vt mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* Ad quid gratia ipsa Dei, quæ est semen gloriæ, principium bonorum operum, candor animæ, &c. vt quid tot promissiones mercedis, coronæ, retributionis, & iustitiæ, quæ vt loquitur Dauid Psal. 111. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi*, ad quid Merita passionis Christi de cuius plenitudine nos omnes accepimus, 2. Cor. 13.

Secundò, Probatur hominem posse mereri conseruationem, & incrementum gratię, *Abraham.* Genes. 22. *ex operibus iustificatus est, offerens Isaac, filium super altare*, hoc est copiosiore iustitia donatus, quia multo ante iustificatus per fidem, Gen. 12. *egressus de terra sua*, vnde Paul. Rom. 4. *credidit Deo Abraham & reputatum est ei ad iustitiam:* à fortiori ergo in lege gratiæ iustus crescet in gratia per exercitium bonorum operum. Item Christus non frustra hortatur Apoc. 22. *Qui iustus est iustificetur adhuc & Sanctus, sanctificetur adhuc.* Quod Paul. Rom. 6. inculcat *exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*, id est vt vobis augeatur sanctitas: tum iustorum opera sunt, vt suppono, ex omni parte bona, & huiusmodi operibus Deus, promisit augmentum, gratiæ Ioan. 14. *Si quis diligit me mandata, mea seruabit, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, illis enim verbis dum Spiritus-Sanctus promittitur, augmentum ipsius gratiæ promitti intelligendum est, vt docet S. August. tract. 74. in Ioan. *Restat vt intelligamus Spiritum-Sanctum habere illum qui diligit & diligendo mereri vt plus habeat, & plus habendo diligat.*

Adde, contrariorum contraria est consequentia, sed mala opera merentur iustè pœnam æternam ex Matth. 25. esuriui & non dedistis mihi &c. Ergo à cōtrario, opera informata gratiâ merentur vt ibidem habeatur regnum paratum Tum amicus iure amicitiæ ab amico meretur: filio parentibus obsequenti debetur hæreditas, sponsæ fidem seruanti communia sunt Sponsi bona. Sed gratia facit amicum, imo filium & sponsam Dei, ergo.

DIces, scripturam testari ipsam coronam, gloriæ dandam esse Sanctis non ex iustitia, sed ex misericordia, ac proinde non reddi propriè meritis, sed gratis dari: hinc illud Psalmi 102. *qui coronate in misericordia & miserationibus.*

Respondeo, ex Aug. in lib. de corrept. & grat. cap. 13. Beatitudinem tribui misericordiæ non, quia non sit vera merces meriti, sed quia merita ipsa ex misericordia data sunt, non enim potest homo opera facere meritoria nisi prius iustificatus, iustificatur autem non ex operibus, sed ex gratia & misericordia. Tum in ipsa coronatione quæ merces est meriti, est etiam necessaria misericordia quæ peccata venialia remittat, sine quibus nulli viuunt & pauci vitam finiunt. Comitatur ergo misericordia coronam gloriæ, sed non est ipsa corona gloriæ; corona enim respicit bona merita, misericordia respicit peccata venialia, quæ remissione delenda sunt, & si venialium solutio facta est in Purgatorio, bona merita recipiunt ex iustitia coronam.

DIces, Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia Dei vita æterna.*

Respondeo, ex August. epistola 105. & in Ench. cap. 107. Apostolum potuisse rectè dicere stipendium iustitiæ vita æterna. Sicut dixit stipendium peccati mors, non dixit autem sit, ne quis exstimaret ita nos ex nobis habere iustitiam, sicut ex nobis habemus peccata. Itaque gratia dicitur vita æterna, non quia non est merces meriti, sed quia ipsa merita habemus ex gratia.

DIces, Deum non posse esse debitorem homini, quia id arguit imperfectum esse.

Respondeo, Deum non tam esse homini debitorem quam suæ legi, qua sanctè statuit vt promissa seruentur.

Instabis, ex Rom. 8. non sunt condignæ passiones huius temporis ad gloriam, vnde sequitur nullam esse proportionem inter opera nostra & vitam æternam: at inter meritum & præmium debet esse proportio.

Respondeo negando minorem. Opera enim iustorum diuersimodè considerantur.

Primò, vt ex se sunt molesta & difficilia: quo modo Paulus hic spectauit, & sic nulla sanè est proportio inter ipsa & præmium, siue magnitudo siue diuturnitas spectetur: ad quem etiam modum neque Christi passio condigna fuit gloriæ suæ: neque mala opera peccatorum condigna sunt suppliciis gehennæ æternis. Omnia enim præsentia exigua sunt & momentanea, futura verò maxima & perpetua 2. Cor 4. *& quod momentaneum, & leue est tribulationis nostræ, supramodum, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Secundò, considerantur vt à voluntate nostra dimanant: Et hoc modò quidem peccata impiorum merentur æternis suppliciis vindicari, quia *perditio nostra ex nobis est* ait, Osee cap. 13. opera verò nostra non merentur gloriam æternam eo quod meritum omne nostrum diuinæ gratiæ nitatur.

Tertiò, considerantur, vt effecta à filio Dei atque ab inhabitante Spiritu-sancto, qua consideratione inuenitur æqualitas inter opera & præmium verumque meritum, atque iustitia, gratia enim est semen gloriæ, proportio autem est inter semen & arborem.

Quartò, pensantur vt coniunctam habent diuinam promissionem mercedis æternæ, & hac ratione digna sunt præmio.

Instabis, ex Luc. 17. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* Ergo opera nihil merentur.

Respondeo, ex S. August. serm. 3. de verbis Domini, serui inutiles dici possumus expletis omnibus mandatis, quoniam nihil fecimus vltra id quod debemus, & nihil inde iustæ mercedis petere possemus, nisi Deus liberali pacto nobiscum conuenire voluisset, nam ex conditione, mancipia Dei sumus & si velit potest, nos absque vllo præmio ad opera quæ illi placuerit obligare. Hanc igitur conditionem nostram, vult nos Christus agnoscere, quamuis ex gratuito pacto inito possumus, dicere. *Reposita est mihi corona iustitiæ &c.* Beda aliter exponit, iubemur agnoscere nihil nos Deo vtilitatis offerre, qui obseruantiæ & bonorum, nostrorum non eget, quare summa cum humilitate ei seruire debemus & gratias agere, quod obsequium acceptare voluerit. Notat autem Chrysost. hom. in illud *elatum est cor Oziæ*, quod Christus non dixit serui inutiles estis, sed ait dicite, quia sumus, id autem ne superbia corrumpat nostra opera, sed cum ex animo id dicemus ille dicet. *Euge serue bone & fidelis*, Math. 25.

DIces, ex Isai 64. *Facti sumus immundi omnes nos & vt pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.*

Respondeo, Prophetam loqui non in persona iustorum sed Iudæorum, qui cum in anima peccatis sordescerent meritò dicere poterant iustitias suas, id est legis externas obseruationes immundas esse & sordidas in conspectu Dei, cùm vt Christus dixit, quæ de corde exeunt ea sint quæ coinquinant hominem, ita Hiero. exponit. D. Prophetam loqui de operibus hominum à toto genere; multo autem plures impij sunt & stulti quàm sapientes, & cum impij sint, iustos tamen se esse credunt, talium iustitiæ sunt quasi pannus menstruatæ.

DIces, si meritis nostris aliquid tribuatur, Christo fit iniuria, quasi eius merita non sufficiant. Et hinc poterunt homines in suis confidentes esse, contra Pauli doctrinam 1. Cor. 10. *qui gloriatur in Domino, glorietur.*

Respondeo, nihil inaniùs afferri, siquidem merita iustorum non opponuntur meritis Christi, sed ab illis nascuntur, & quicquid ipsa iustorum laudis habent, id totum redundat in laudem Christi qui vitis, nos palmites: certum est autem non detrahi de gloria vitis si palmites ipsius multum fructum afferant. Christus dat nobis per merita sua gratiam, & spiritum charitatis, quo opera facimus, quæ ita sint iusta vt eis debeatur à iusto iudice corona iustitiæ. Nec requiruntur nostra merita propter insufficientiam meritorum Christi, sed propter maximam eorum efficaciam; meruerunt enim merita & opera Christi apud Deum, non solùm vt salutem consequeremur, sed etiam

etiam vt eam per merita propria consequeremur, siue quod idem est, non solum salutem, sed etiam virtutem merendi nobis meruerunt. Quare gloriatio nostra in Deo, & Christo tota esse debet, nam opera non tam nostra sunt quam gratiæ Dei. Hinc iusti innocentiâ suâ, & bonis operibus tueri se solent. Ezechias 4. Regum 20. *Memento Domine quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Dauid Psal. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius* Paul. 2. Cor. 11. *bonum certamen certaui, &c. reposita est mihi corona iustitia.* Idem gloriabatur in tribulationibus. Nam vt docet Rom. 5. *Tribulatio operatur patientiam, hac probationem, hac spem, qua non confundit. Confidentia tamen sit cum timore iuncta.*

Dices si operibus nostris datur gloria in mercedem, quia Deus id pacto quodam, & promissione firmauit: pari ratione censebimur mereri peccatorum condonationem, & iustificationem: quia Deus promisit & pactus est quoties ingemuerit peccator omnium peccatorum eius non recordabor. Isai 1. *Lauamini, mundi estote, si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ps. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet.* Atqui nemo dixit vnquam nos mereri peccatorum remissionem. Ergo neque gloriam cum in vtroque idem pactum antecesserit.

Respondeo, quod non omnis promissio constituit vel meriti vel mercedis rationem, quædam enim liberalitate, & misericordia commoti promittimus, quemadmodum egenti, & afflicto quotidianam eleemosynam pollicemur, si ad ianuam nostram supplex misericordiam nostram implorarit, qui tamen neque adeundo domum nostram neque mendicando eleemosynam mereri dicendus est: Illa sola promissio inducit meritum, quæ ex conuentione facta est, in qua ideo damus, quia alter vel dedit, vel fecit. Deus igitur sine conuentione vlla, sed singulari sua benignitate & misericordia promisit gratis peccatorum condonationem his, qui ad illum supplices adierint, conuersique pœnitentiam egerint. Vitam æternam autem promisit operibus mercedis loco *facta cum operariis conuentione ex denario diurno* Matth. 20. Secundò non ob solam conuentionem aut pactum, sed propter internam etiam dignitatem à Deo beatitudinem æternam promeremur. In homine autem iniusto nulla existit dignitas, quæ peccati remissionem, & iustitiam mereri possit, si quidem inimicus Dei non meretur à Deo, sed sola Dei clementia & misericordia cum ipso redit in gratiam.

Instabis vita æterna est hæreditas. Sed hæc debetur filiis non ex merito, sed ex iure. Ergo.

Respondeo est hæreditas respectu infantium, qui cum baptismo moriuntur, est hæreditas, & merces simul respectu adultorum, iuxta illud Coloss. 3. *Quacumque facitis ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus. Scientes quod à Domino accipietis retributionem hereditatis.* Neque hoc mirum debet videri, Primò, quia adulti non sunt filij Dei per naturam, sed per adoptionem; Deus autem adoptauit illos cum hac conditione, vt hæreditatem non adirent nisi vellent Dei mandatis obtemperare, & obtemperando eam promereri. Deinde simile est de Christo; Nam iure hæreditatis (supposita vnione hypostatica) debebatur illi gloria corporis, & exaltatio nominis, & tamen suis meritis eam obtinuit; Philip. 2. *propter quod, & Deus exaltauit illum, &c.*

Habet itaque filius per primam gratiam factus, qua adoptatur ius adeundæ hæreditatis suo tempore, si tamen præstiterit ad quæ ex lege adoptionis, & conuentione obligatur, non enim, nos sumus natura filij, sed adoptione, in qua includitur obligatio ad operandum.

Quæres *an merita iustorum sint de condigno vel de congruo.*

Respondeo intelligendos prius terminos. Condignum illud est, ex Theologis, quod mercede ac præmio ex se dignum est, & cui proinde ex quadam iustitia debetur merces, ac præmium. Meritum de congruo illud dicitur, quod quamuis non sit ex se dignum mercede, illi tamen ex quadam decentia, & congruitate debetur. His positis.

Respondetur iustos posse de condigno aliquid à Deo mereri. Hoc exprimunt loca scripturæ, in quibus dicitur iustos per bona opera fieri dignos mercede, Sap. 3. Matth. 10. Apoc. 3. Item ex iis in quibus dicitur Deum bonis iustorum operibus reddere mercedem ex quadam iustitia. Matth. 20. Heb. 6. 2. Timot. 4. *reposita est mihi corona iustitia.* Quæ verba Conc. Trid. de mercede bonis iustorum operibus debitâ, & à Deo reddenda explicat.

Probatur ex SS. Patribus, Ignat Epist. ad Rom. *Sinite me*, inquit, *vt bestiarum esca sim per quam possim Deum promereri.* Cyprian. lib. de eleemosyna *Praclara ac diuina res, salutaris operatio, qua promeretur Christum iudicem, & Deum computat debitorem.* Chrys. Rom. 4. de Lazaro. *Si iustus est Deus & his, & illis reddet pro meritis, &c.* Ambros. lib. 7. in Luc. *Reddes ergo Domine*, quod debes: beati quibus es debitor. Vide Bellarm. cap. 4.

Dices inter Deum, & creaturam nullam esse posse iustitiam neque Deum posse fieri debitorem creaturæ.

Respondeo verum id esse, si creatura præcisè secundum se consideretur: non item si quatenus homo iustus, est membrum Christi, & ex eius merito operatur. Et quamuis etiam ea ratione inter Deum, & hominem non possit esse iustitia strictè sumpta est tamen inter vtrumque vera aliqua ratio iustitiæ latè sumptæ, qualis est inter Patrem, & filium, Dominum & seruum.

Congruum meritum probatur ex scriptura, vbi dicitur aliquid dari à Deo peccatoribus intuitu aliquorum bonorum operum, vt Exod. 1. refertur de obstetricibus Ægyptiorum, & Act. 10. de Cornelio Centurione Certum est autem peccatores nihil à Deo posse de condigno mereri, vnde sequitur meritum illorum esse tantùm de congruo.

Probatur vtrumque meritum ratione, communis enim est sententia Theologorum admittendum esse meritum de condigno, quod Apoc. 3. exprimitur, *ambulabunt mecum in albis quia digni sunt*, & Heb. 6. *non est in-*

iustus Deus, qui obliuiscatur operis vestri. Hinc Deus iniustus innuitur si iustos excluderet à regno, consequenter illi de condigno meruerunt.

QVÆSTIO IX.

Quibus operibus conseruetur, & augeatur iustificatio.

EX decreto vndecimo sessionis 6. *Nemo in hac vita est de sua iustitia, & salute securus, tantum abest vt securum se esse ac prædestinatum credere debeat.* Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia, dubitare debet: sic quilibet dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum se gratiam Dei esse consecutum. Opera ergo quæ acquisitam gratiam conseruent, imo & augeant requiruntur in iustificato, hæcque sunt, Obseruatio mandatorum Dei, & Ecclesiæ Oratio, ieiunium, Eleemosyna frequentatio Sacramentorum, Actus interni fidei, Spei & Charitatis. Hæc omnia breuiter digero pro integra difficilioris Articuli de Iustificatione iuxta Concilij Trid. doctrinam expositione.

PROPOSITIO CATHOLICA.

IVstificati tenentur seruare mandata Dei, & Ecclesiæ, Probatur ex scriptura Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, cap. vlt. *Docentes seruare omnia quecumque mandaui vobis*, Heb. 5 *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æterna* ac si dicat, non autem iis qui sibi non obtemperant, Iacobi primo. *Qui autẽ perspexerit in lege perfecta libertatis & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit*, & cap. 2. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum* 2. Cor. 4. *id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostra; supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* Act 14. *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* 2. Timo. 2. *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*, Matth. 25. *Venite benedicti, possidete regnum, esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Certè reddita ratio luculenter ostendit opera bona esse aliquo modo caussam æternæ salutis, Matth. 10. *Qui non baiulat crucem suam, & sequitur me non est me dignus* Tolerantia autem afflictionum, persecutionum, mortificationum, includitur hic in Dei præceptis Ioan. 15. *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis.*

Probatur ex SS. Patribus, Ireneo lib. 1. cap. 20. qui testatur vnum ex erroribus Simonis magi fuisse, saluari homines per gratiam eius non secundum opera bona. Clem. Alex. lib. 5. Strom. *Gratia*, inquit, *saluamur, sed non absque bonis operibus*, & infrà. *Quando audiuimus fides tua te saluum fecit, non accipimus eos absolutè saluos futuros, qui quomodocumque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta.* Hilar. can. 7. in Matth. *Salus gentium omnis in fide est, & in præceptis Domini vita est vniuersorum.* Hieron. in 26. cap. Isai *murus bonorum operum, & antemurale fidei, non enim sufficit habere murum, fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* Aug. lib. 3. contra duas epist. Pelagij cap. 4. *Quis est tam impius qui dicat ideo se ista legis, non custodire præcepta (loquitur de decalogo) quia ipse est Christianus non sub lege, sed sub gratia constitutus.*

S. Leone serm. 2. de Epiph. *Sicut magi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt, ita & nos de cordibus nostris quæ Deo sunt digna promamus. Quamuis enim bonorum omnium sit ipse largitor tamen nostra etiam quærit fructum iustitiæ. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus.*

Probatur ratione: Si Christus elegisset modum nos iustificandi quo à debito legis obseruandæ liberaremur, hoc cederet ei in magnum dedecus, esset enim alere in nobis desidiam, quã non ipse solus reprehendit. Matth. 20. *Quid hic statis tota di otiosi:* Sed & prisca Gentilitas in Sybaritis, & aliis multùm vituperauit velut homini ad laborem nato minimè conuenientem. Regnum cœlorum vim patitur, ad illud veternosus nemo admittitur violenti tantùm rapiunt illud, hinc Paul. 2. Timo. 4. *bonum certamen certaui fidem seruaui.*

Secundo, omnis actio denominat suppositum à quo emanauit. Ergo omnis actio iusta iustificat, & eo magis quo magis vel minus impius & iniustus dicitur homo ratione impietatis, & iniustitiæ suæ. At obseruatio mandatorum Dei iusta est, & à Deo iniuncta, Ergo iustificat, Ergo conseruat, & auget iustitiam. Sic candidior homo vocatur, qui alio excellit albedine, forma enim hæc accidentalis, & quæcumque aliæ subiectum suum denominant. Adde quod si ad proportionem, operum iusti, non sequeretur iustificatio, procul dubio Gloria æqualiter daretur omnibus cum ex 2. Timo. 4. Matth. 16. detur tanquam corona iustitiæ.

DIces 1. Cor. 3. & Galat. 8. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*, Tum 1. Timo. 1. *Iusto non est lex posita, sed iniustis & non subditis, & peccantibus.*

Respondeo libertatem Christianam, non consistere in eo quòd liberi simus ab obseruatione legis, sed in his tribus, Primò in libertate à peccato, & morte, Ioan. 8. *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* Rom. 6. *Liberi à peccato serui facti estis iustitiæ.* Secundò in libertate à iugo cæremonialis legis, Galat. 4. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo seruire vultis?* Tertio in libertate à Dominio, & reatu legis moralis. Rom. 6. *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Vbi notandum est nos quidem esse in lege, non tamen sub lege, vt Paulus loquitur, In lege sumus quidem quia secundum legem

legem agimus vt liberi: Non sumus sub lege, quia timore legis non agimur vt serui. Quod rectè explicat Aug in lib. de continentia cap. 3. *Non sumus*, ait, *sub lege bonum quidem iubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quia id quod lex iubet faciens nos amare potest liberis imperare.* Et in lib. de nat. & grat. cap 57. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege, vtique lege quæ timorem incutit, non tribuit charitatem.*

Ad id ex 1 Timot. Respondeo, duplex est vis & potestas legis, vt docet S. Thom. in 1. 2. q. 96. vna directiua, alia coactiua; Lex ergo posita est omnibus, tam iustis, quam iniustis, quoad vim directiuam, quia scilicet dirigit, & præscribit omnibus quid agendum sit, vel fugiendum. At quoad vim coactiuam est tantum impiis posita: Iusti enim alacriter, sponte, & ex charitate legem implent, nec opus est eos cogere, impij verò recalcitrant, & pœnis cogendi sunt. Vnde Galat. 3. *Quid igitur? lex propter transgressionem posita est.*

Dices, Christus nos redemit de maledicto legis, ex Paulo, Galat. 3.

Respondeo, aliud esse Christum nos liberasse ab obseruatione, quod nego, aliud redemisse nos de maledicto vibrato in refractarios, iuxta illud Deuteron. 27. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea*; licet enim viribus naturalibus eam non possimus seruare, iuxta illud Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Christus tamen nos redemit ab eo maledicto, quia obtinuit nobis gratiam, per quam possimus legem seruare, & maledictionem euadere.

Instabis differentia veteris Testamenti à nouo, hæc est, quod in primo continebantur leges, comminationes & promissiones sub contradictione obseruantiæ. In Euangelio quæ non sunt, quia liberauit nos Christus, qui iam habet nos, non vt seruos, sed vti filios qui sperant hæreditatem vitæ æternæ per Christum, nec subdimuur maledicto legis.

Respondeo, non in eo consistere discrimen vtriusque legis, sed maximè in hoc quod nunc obseruantia conferat vitam æternam, quæ tunc non poterat obtineri, nam clausum fuit cœlum in veteri Testamento. Vnde donec Christus venisset obseruantes primæ legis non poterant saluari.

Nota, Caluinistas docere iustitiam semel acquisitam, seu vt volunt imputatam, sola fide confirmari, fidem autem non posse deficere, errant in vtroque, quia vero constat ex pluribus locis Scripturæ, Deum velle vt legem seruemus, alioquin transgressores non puniret, conuicti effingunt distinctionem duplicis necessitatis operum, seu obseruationis mandatorum, alteram præsentiæ, aliam Efficientiæ & Opera volunt necessaria esse primo modo, non verò secundo, primúmque argui ex Scripturis. Sensus huius distinctionis est solam fidem habere vim iustificandi, & saluandi, proinde solam esse necessariam ad salutem necessitate efficientiæ.

Cæterum, quia fides debet esse viua, & non potest esse viua sine operibus bonis, quæ sunt quasi fructus pullulantes necessariò ex viua fide, ideo consequenter opera esse necessaria concedunt, non vt efficiant salutem, quia sola fides efficit, sed vt eam comitentur, & præsentes ei adsistant sicut fructus sunt præsentes arbori.

Quæ sententia seipsam destruit, nam si omnia opera iustorum sunt peccata, vt docet Caluin. cum asseclis suis, eaque mortalia ob contagionem peccati originalis remanentis, quomodo sunt fructus? aut quomodo fides dicitur viua ab his fructibus qui mortiferi sunt? Hoc 2. Cor. 4. apertè refutat Paul. *Id quod in præsenti momentaneum est æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et cap. 7. *Efficientia salutis tribuitur operibus iustorum.*

QVÆSTIO X.

An Decalogus, & Ecclesiæ Mandata obseruari possint.

NOn omittenda erat hæc quæstio ad plenam iustificationis intelligendam doctrinam, cùm ipsa dederit ansam Concilio Tridentino formandi decretum singulare, quod in Canonem 18. redactum sic habet.

Si quis dixerit Dei præcepta etiam homini iustificato, & sub gratia constituto esse ad obseruandum impossibilia anathema sit.

PROPOSITIO CATHOLICA.

MAndata Dei nullo modo sunt impossibilia homini iusto, non quidem suis viribus, sed cum auxilio gratiæ diuinæ.

Probatur ex Scriptura, Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* 1. Ioan. 5. *Mandata eius grauia non sunt.* Ad hæc respondent Aduersarij vocari iugum leue, quoniam renatis non imputatur præuaricatio, Christus enim nos liberauit de maledicto legis, & vt Rom. 8 *Nihil dicitur damnationis his qui sunt in Christo.* At hoc non tollit, nec minuit vim argumenti, nam in primis, vel illa non imputatio tollit obligationem legis, ita vt præuaricator non incurrat reatum, vel tollit reatum ex præuaricatione contractum: Si tollit obligationem facit vt lex non sit lex, & iugum non sit iugum: Proinde Scriptura falsò dicit legem esse iugum suaue, & mandata non esse grauia, neque enim sine obligatione lex esse potest.

Si vero permittit contrahi reatum, sed contractum postea tollit: tunc non facit iugum esse suaue, neque onus leue, imo ostendit durissimum esse, quippe quod portari non potest. Certè si boues sub iugo ad singulos passus caderent, etiam si aratoris industriâ continuò resurgerent, non tamen propterea diceretur iugum eorum suaue, & onus leue.

Christi autem, & Apostoli verba indicant legem Dei esse iugum, quod facile portatur, & mandata eius non esse grauia, quod euidentius expressit Dauid sub metaphora viæ, Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Et Paul Philip 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Vbi vides

des dilatationem cordis per infusam charitatem, & gratiam Domini consortantem efficere, vt mandata facile obseruentur. Quod multo ante futurum prædixit Ezechiel cap. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis.*

Et hoc quidem confirmant loca quæ aduersarij contra adducunt, nam Christus nos liberauit de maledicto legis, quia fecit vt mandata impleremus, & nulla damnatio est iis qui sunt in Christo, non quia non imputatur præuaricatio, sed quia ij non secundum carnem ambulant, & quia per gratiam Dei fit vt iustificatio legis impleatur in ipsis, vt ibidem subiungit Apostolus.

Secundò probatur ex testimoniis, quæ docent mandata seruari ab his qui diligunt, vt etiam Concilium eodem loco argumentatur, Ioan. 14. *Qui diligit me sermonem meum seruabit.* Rom. 13. *Qui diligit proximum legem impleuit.* Gal. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* At certè debemus & possumus diligere Deum & proximum, alioqui non possumus esse Christi discipuli, cum ipse dicat, Ioan 13. *In hoc cognoscent, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Nec possemus vnquam amici Christi fieri, si non possemus diligere; ipse enim ait, Ioan. 15. *Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis.* Quid autem præcipiat, explicat ibidem, dicens: *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.*

Ad hoc argumentum Respondet Caluin. eum qui diligit legem implere, sed neminem esse qui diligat sicut oportet, vt præcepto diuino satisfaciat, hic enim inchoatam tantum esse dilectionem non perfectam.

At nos fatemur dilectionem in hac vita imperfectam esse, quia potest crescere, & quia maior erit in patria. Negamus verò non posse esse tam perfectam, quin præcepto satisfaciat; nam in primis, vt iam dixi, non possemus esse Christi discipuli & amici, nisi hoc præceptum dilectionis impleremus. Valde autem absurdum est, neminem posse esse Christi discipulum vel amicum.

Deinde nihil Deus requirit cum dilectionem præcipit, nisi vt diligamus toto corde. At hoc non solum posse fieri, sed etiam fuisse futurum in statu noui Testamenti testatur scriptura, Deuteron 30. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua.* Tum Scriptura docet homines posse esse perfectos in hac vita, ac per hoc verè perfectéque diligere, charitas enim est vinculum perfectionis Gen 6. *Noe vir iustus fuit, atque perfectus.* Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Philip. 3. *Quicumque perfecti sumus* 1. Ioan. 5. *Qui seruat verbum eius verè in hoc charitas Dei perfecta est.*

Tertiò probatur ex testimoniis quæ docent aliquos seruasse mandata, ac præcipuè de dilectione ex toto corde, & non concupiscendo. Psal 118. *In toto corde meo*, ait David, *exquisiui te.* Et de eodem 3. Reg. 14. *Non fuisti sicut seruus meus David, qui custodiuit mandata mea, &c.* Act. 13. *Inueni David secundum cor meum.* Item de Iosia 4. Reg. 23. de Asa & populo. 2. Paral. 13. Iosue libro eius cap. 11. de Zacharia & vxore. Luc 1. *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus sine querela.* De Apostolis, Ioan. 17. Christus ait: *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerrunt.* Eosdem vocat amicos Luc. 12. Ioan. 15.

De Præcepto non concupisces, Paul. Rom. 7. verba faciens: *Quod volo*, ait, *facio: Si autem quod nolo facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*; vbi apertè demonstrat se non peccare, dum inuitus concupiscit, quia ipse non facit illud opus, proinde seruare legem, quæ cum iubet non concupisces, voluntati præcipit, ne velit concupiscere, non sensui, qui legis capax non est. Vnde ibidem addit: *Ego ipse mente seruio legi Dei.* At si mente seruiebat legi, certè non peccabat, non enim peccatum esse potest, nisi in mente, aut cum aliquo mentis consensu. Nec valet hic communis Lutheranorum solutio, quod sancti Patres dicuntur seruasse mandata, tum propter inchoatam obedientiam, tum propter non imputationem Dei. Non enim dici potest absolutè implere mandatum, sed potius absolutè præuaricari, qui tam imperfectè illud seruat vt peccet mortaliter, & dignus sit propter illud opus odio & ira Dei, & supplicio sempiterno. Scriptura autem dicit illos absolutè seruasse, imo toto corde seruasse

Probatur propositio illo text. Rom. 2. v. 27. quod Geneua deprauauit dupliciter. *Et iudicabit id quod ex natura est præputium legem consummans te, qui per litteram & circumcisionem præuaricator legis es?* Vnde euidenter habetur posse hominem adimplere legem consequenter, & obseruare mandata. Ibi Geneua, pro legem consummans legit, *Si legem seruet*, quod nullibi ita est, & pro consummans legit qui obseruat. Patres autem Græci & Latini citant sine conditionali, sed absolutè Caluin. autem dicit: *Hic neminem sollicitum esse oportet, de quibus legis cultoribus sentiat quod ait Paulus, quando nullos tales reperire liceat.*

Probatur ex sanctis Patribus, Basil. orat. in illud: *Attende tibi: Impium*, ait, *est dicere impossibilia esse spiritus præcepta* Cyprian. de Baptism. Christi *Nulli ad harum rerum prosecutionem, deest scientia, siue potentia, quia & quod agendum est scimus, & quod scimus facere possumus.* Athanas. de virginit. seruanda: *Ne dicas in corde tuo quonam ista modo præstare potero?* Siquidem timentibus Dominum præcepta Domini difficilia non sunt Chrysost. hom. 8. de pœnit. *Nequaquam Dominum accuses, haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant præcepta.* Similia habet hom. 19. in epist. ad Heb. Rom 39 in Matth Cyril. lib. 4 contra Iulian. Ipsum etiam præceptum, non concupisces, quod omnium difficillimum iudicatur, dicit impleri posse per gratiam

Hilar. in Psalm. 118. *Latum*, inquit, *mandatum Dei est, & in omnia spes nostra genera diffunditur, vt non difficile sit, si voluntas adsit præcepto Domini obtemperare.* Hieron. comment. ad cap. 5. Matth. Multi præcepta Dei

sua

sua imbecillitate metientes putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ fecit Dauid, &c. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 43. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo admonet id facere quod possis, & petere quod non possis*; vbi docet mandata omnia esse possibilia, sed alia immediatè, alia mediante oratione. Chrysost. hom. 10. in Genes. *Si ob corporis imbecillitatem non potes ieiunare, nullus qui sapit propter hoc te arguere poterit, Dominum enim habemus mansuetum & misericordem, nihil supra vires nostras à nobis exigentem.*

Probatur ex Conc. Arausic. 2. can. vlt. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint adimplere.* Addo Hieron. in expositione Symboli ad Damasum. *Execramur eorum blasphemiam qui dicunt, impossibile aliquid à Deo preceptum esse, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse seruari.*

Probatur rationibus: Prima, si præcepta essent impossibilia, neminem obligarent, ac per hoc præcepta non essent præcepta: Neque enim fingi potest quomodo aliquis peccet in eo quod vitare non potest. Quod si non peccat qui legis transgressionem vitare non potest, profectò nec legem transgreditur, nec legem vllam habet, non enim fieri potest, vt legis transgressio non sit peccatum cùm nihil aliud sit peccatum quàm legis transgressio.

Secunda: Si lex impleri non posset, cur diceret Paul. Rom. 2. v. 13. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* vbi obserua verbum iustificari tripliciter vsurpari in Scriptura: 1. ex peccatore facere iustum: 2. ex iusto fieri iustiorem: 3. modo forensi iustum pronuntiari, tribúsque his modis locum istum exponi, sed tertio singulariter, nam iustificari hic opponitur verbo perire, iudicari, condemnari, de quibus Apostolus mentionem fecit. Similiterque obserua Paulum non agere de iustificatione externa ab hominibus reputata, vt interpretatur Caluin. Sed de interna & vera, iustitia dicit enim, *Iusti sunt apud Deum.* At iustitiæ Dei repugnat, vt ipse Beza fatetur 3. cap. Rom. v. 20. vt aliquem pro iusto habeat, qui verè iustus non sit, & consequenter prius iustus debet esse, qui pro tali habetur & declaratur à Deo.

Tertia: Si lex Dei esset impossibilis sequeretur Deum esse iniustum, & crudeliorem omni tyranno, & stultiorem, de quo tamen sentire iubemur in bonitate & sapientia.

Probatur sequela quantum ad iniustitiam, nam lex ad hoc vt iusta sit non debet excedere vires eorum quibus imponitur, addúntque Doctores in hoc discrepare à Tyranno legislatorem, quod hic sollicitè obseruet eiusmodi iustitiam, ille contra, quin etiam quæ fieri non possunt facienda proponat, nihil curans dummodò consulat ac studeat priuatis commodis. Quomodo itaque iniustus non sit Deus ac tyrannus, si leges tulit quæ impleri à nemine possint? Quomodo non crudelior omni tyranno, qui hominem sui imaginem importabili iugo opprimat? quomodo non stultior (horret hæc calamus meus) qui leges ferat quas sciret à nemine obseruandas?

Quarta: Omnes iustificati ex Deo nati sunt, vt clare enuntiat Scriptura, Ioan. 1. *Qui non ex sanguinibus*, &c. Ioa. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* 1. Ioan. 4. *Qui diligit ex Deo natus est.* Roman. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Sed qui natus est ex Deo non peccat, nec potest peccare, quia ex Deo natus est, vt habetur 1. Ioan. 3. Qui autem non peccat non præuaricatur, sed legem implet, qui enim legem non implet, hoc ipso præuaricatur, & peccat. Igitur omnis qui verè iustificatus est, implet legem, nec potest fieri vt iustificatus maneat, & legem non impleat, quare qui legem impossibilem dicunt, coguntur negare hominem iustificatum esse ex Deo natum, quod tamen asserit Scriptura.

Dices, nemo potest vitare omnia peccata, cum scriptum sit, Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Et 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Sed qui legem omnino impleret, nullum haberet omnino peccatum. Ergo fieri non potest, vt lex omnis à nobis etiam cum fide & gratia impleatur.

Respondeo, peccata venialia sine quibus non viuimus, non esse peccata simpliciter, sed imperfectè, & secundum quid, neque esse contra, sed præter legem, ex S. Tho. 1. 2. q. 88. Quod si dicatur peccatũ veniale esse propriè contra legem, vix solueretur argumentũ, cum Iacobus dicat: *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*; iniustus enim simpliciter constituitur; & tamen omnes in multis offendimus, quia tametsi nihil facimus contra legem, tamen multa facimus præter eam; & qui natus est ex Deo non peccat transgrediendo legem.

Dices, Christus mediator est, non solum in prima reconciliatione, sed etiam postea toto vitæ nostræ tempore, ergo semper egemus intercessione Christi, ac per hoc semper peccamus, & legem transgredimur, alioquin Christus post primam reconciliationem ociosus esset. Inde Nouatores concludunt si qua est in nobis legis impletio, illam non tam esse operum quæ respondeant perfectioni legis, quàm fidei quæ perpetuò apprehendit remissionem.

Respondeo, Christus semper nobis mediator est, nec ociosus, quia semper vires & gratiam ad bona opera subministrat, sicque vitis est, nos palmites, tum quia peccata nostra quamuis leuia & quotidiana ipse purgat, & si forte præuaricando legem excidamus à iustitia, ipse est propitiatio pro peccatis nostris toties quoties.

Dices, præceptum illud, non concupisces, & illud, diliges Deum ex toto corde seruari nequit. Primum probatur ex Rom. 7. *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.*

Et, *infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Secundum, infertur ex eo quod ex toto corde diligere, sit in eo solo diligendo occupari, quod in hac vita fieri nequit.

Respondeo, posse vtrumque obseruari: Primum, quia in illo præcepto non prohibetur motus concupiscentiæ indeliberatus, & consensum præueniens, sed ipse consensus qui est in nostra potestate, vt alibi exponit Scriptura, vt Eccles. 5. *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.* Et cap. 18. *Post concupiscentias tuas non eas.* Et Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis vestris.* Vnde August. lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 13. *Concupiscentia*, inquit, *in renatis non est peccatum, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Et lib. 5. contra Iulian. cap. 3. *Aliud est habere mala desideria carnis, aliud tradi consentiendo.*

Paulus itaque loquitur de actu concupiscendi quem sentimus, quando etiam non consentimus, quamuis enim non sit peccatum sentire carnalem concupiscentiam, & non consentire, tamen nollet homo castus eam sentire, & in partem infœlicitatis suæ ponit quod cogatur, etiam nolens carne seruire legi peccati, vnde querulus est, *infœlix ego*, &c.

Instabis in duobus illis præceptis Decalogi. *Non mœchaberis*, & *Non furtum facies*, prohibetur consensus in concupiscentiam vxoris, & rei alienæ; ergo in hoc præcepto quod in eodem Decalogo sequitur; *Non concupisces*, prohibetur motus concupiscentiæ sine consensu, alioquin idem bis prohibetur.


Respondeo, in duobus prioribus prohibetur adulterium & furtum, quod externo opere committitur: in alio quod solo consensu perficitur. Voluit enim Deus significare non solum peccari externo opere, sed etiam interno consensu, vt explicat Christus, Matth. 5.

Secundum præceptum dilectionis impleri posse, probatum est exemplis eorum, quos affert Scriptura. Nec verus est allatus sensus, sed iste, vt diligamus Deum super omnia, vt præferamus illum rebus aliis, vt nullius rei amorem diuino anteponamus, vt nullius creaturæ amore vel timore velimus Deum offendere, & ab illius amore recedere. Hic verus & germanus sensus est, qui Rom. 8. exprimitur: *Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei.* Et Christus ipse declarat, Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.*



DE

DE LIBERO ARBITRIO.



RTICVLVS de Iustificatione tam latè patet, & tam multa complectitur, vt in forma fidei generaliter tantùm emittatur professio de omnibus & singulis, quæ definiuit & declarauit Concilium Tridentinum.

Huius primum decretum sessione sexta versatur circa Liberum arbitrium, Quod etsi viribus attenuatum per peccatum Adæ, & inclinatum declaret, nequaquam tamen illud amissum & extinctum esse, sed Deo excitanti liberè cooperari ad obtinendam iustificationis gratiam definit; *quia autem apud Nouatores Liberum arbitrium est res de solo titulo, aut titulus sine re, & apud Catholicos est singularis causa in iustificatione sit.*

PROPOSITIO CATHOLICA.



OMO etiam nunc post peccatum Adæ habet liberum arbitrium, cuius vsus consistit in his tribus, vt possit agere, vel non agere, vt possit benè vel malè agere. Vt ex duobus possit alterum præ altero eligere.

Probatur ex Scriptura Genes. 4. *Nonne si benè egeris recipies, sin autem malè statim in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Geneua textum deprauat, vertendo voluntas eius, id est Abelis fratris Caini, & recentiùs desideria eius ad te referuntur, vel marginaliter appetitus illius, id est Abel tibi subjacet vti post genitus, quare à te dependet, sic autem ratiocinatur Caluinus, si de peccato agitur cum dicitur. *Dominaberis illius*, vel iubet Deus, vel promittit, si iubet non colligitur hinc liberum arbitrium, quia præceptum est impossibile: si promittit, cur non est factum quod promisit?

Respondeo, neutrum hic fieri! sed tantum innui quod peccatum dependeat à voluntate, quare monetur Cain ne peccato consentiat, alioquin punietur. Sicque Patres exposuêre. Ambrosius libro 2. de Caino capite 7. *Non frater ei addicitur, sed error adscribitur; cuius ipse sibi auctor est.* Augustinus 15. ciuit. capite 7. Hieronymus in Hebraïcis ad Genesim quæst. Verum quia liberi arbitrij es, moneo, vt non tibi peccatum, sed tu peccato domineris. Deuteron. 30. 2. Regum 3. Ecclesiast. 15. Matth. 19. *Si vis*, ait Christus, *ad vitam ingredi, serua mandata*, capite 23. *Quoties congregare volui & noluisti.* 1. Corinth. 9. *Num sum liber.* 2 Corinth. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem.* Et passim.

Probatur ex Sanctis Patribus, Dionysio capite 2. Ecclesiasticæ hierarchiæ, vocat *hominem sui ipsius Dominum voluntariam, ac per se electiuam sui ipsius potestatem habentem.* Ignatius Epistola 3. ad Magnesianos. *Singuli qui hoc vel illud elegerunt in eius quod elegerunt locum abituri sunt, fugiamus mortem, & eligamus vitam.* Iustinus in Apol. 2. ad Antoninum Imperatorem. *Ac nisi libero arbitrio atque iudicio genus humanum & res turpes fugere potest, & pulchras ac bonas sequi, extra causam culpámque est eorum quæ quo quo modo aguntur, sed ipsum libero arbitrio, liberáque voluntate, & rectè facere & peccare docemus. Neque enim præmio aut laude dignus esset, si per se & à se bonum non eligeret.* Tertullianus libro 2. contra Marcion. capit. 5. *Liberum & sui arbitrij & suæ potestatis inuenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animaduertens, quam eiusmodi status formam. Hunc statum confirmauit etiam ipsa lex tunc à Deo posita.* cap. 6. *Tota libertas arbitrij in vtramque partem est illi concessa, vt sui Dominus constanter occurreret & bono sponte seruando, & malo sponte vitando.* Ambrosius in hæc verba. *Quot sunt dies serui tui.* Psalm. 118. *Dominus Iesus veniēs in hunc mundum per Virginis partum subiecit animæ nostræ omnes contrarias potestates, vt fide tua, verbo tuo, conuersatione tua, & operibus conterantur: si ergo non conteris aduersarium, tua culpa est, qui permissa non vteris potestate. In nobis est igitur, vt aut subjciatur aduersarius, aut resultet.* Augustinus tract. 4. in 1. Ioan. Epistolam exponens illud. *Et omnis qui habet spem hanc in illo castificat semetipsum, sicut & ipse castus est*, sic ait. *Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, vt diceret castificat semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus? sed Deus te nolentem non castificat. Ergo quod voluntatem tuam adiungis, Deo castificas teipsum.*

teipsum non de te, sed de illo qui venit vt habitet in te. Lib. de vera relig. cap.4. *Vsque adeò peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, & hoc quidem manifestum est, vt nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat, & quoniam peccati non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum arbitrium voluntatis; tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate sed necessitate seruirent.*

Probatur ratione, si primò supponamus actiones hominis esse triplicis generis, animales seu naturales, quæ pendent à viribus naturæ, vt ambulare, comedere, generare, quibus si velis adjunge politicas seu morales, quæ ordinem naturæ non excedunt; nam homo est animal rationale, sociale, politicum: hinc potest contractus facere, studio litterarum vacare, vxorem ducere, agros colere, &c. Hæc omnia cum concursu generali Dei agere liberè negari non potest contra commune experimentum, & contra negantes agendum, non rationibus sed verberibus, ait Scotus, donec faterentur esse in potestate nostra desistendi, aut continuandi, quod si conquererentur iniuriam sibi fieri, respondendum esset, asseritis non esse in nobis cessare.

Aliæ sunt actiones supernaturales, quæ pendent à viribus gratiæ Dei, vt credere Mysteria fidei, sperare vitam æternam, diligere Deum, pœnitere de peccato ex charitate in Deum, & circa istas hominem retinuisse liberum arbitrium, etiam post lapsum, vt suo modo agere possit, id est cum gratiæ auxilio, certum etiam est, & de fide, vt innuit Christus offerens gratiam conuersionis, quam noluerunt vocati, Matth.23. cit. his positis

Prima assertionis liberi arbitrij ratio hæc est, per peccatum naturalia non amittuntur, vt patet in Dæmonibus, qui peccando sua omnia retinuerunt, patet etiam in nobis, quis enim peccando abutendóque oculis, idcirco amittit oculos? quis auribus aures? quis manibus aut pedibus pedes & manus? Nemo certè aut rarissimus tantùm, idque per accidens, vt Theotimus ille, qui violans interdictum Medicorum à quibus audiuerat fore, vt plane occæcaretur, si rei vxoriæ daret operam, vxorem amplectens dixit; χαῖρε φίλον φῶς, vale amicum lumen, vt scribit Sanctus Ambrosius in Lucam. Atqui arbitrij libertas primo parenti naturalis erat, vt agnoscit Caluin.1.inst. cap.15. & inde apparet, quia sicut operandi facultatem cuiuis operanti naturalem esse conuenit, ita & operandi modum. Cum ergo humanus animus in hac libertate sit positus, consequens est parētem primum peccando, nec sibi, nec nobis amisisse libertatem. Patet autem ex Scriptura, quod homo à natalibus fuerit liber. Eccles. 15. *Deus ab initio constituit hominem & reliquit eum in manu consilij sui.* Gloss. inter. in libertate arbitrij. Tum liberum arbitrium nihil est aliud quàm voluntas, ex Damasc. l.3.orthod. fidei c.14. vt refert pro sua ad hoc conclusione S.Thom.1 part. quæst 83. art.4. eiusdem enim est potentiæ velle & eligere.

Secunda, si nulla sit in homine libertas arbitrij, vt agere possit & non agere frustra, vt est apud S.Irenæum, Tertull. Clement. essent ad bonum adhortationes atque a malo dehortationes, frustra laudes & vituperia Deus author esset peccati, ait idem Clemens l.2.4 stromatum. Deus etiam, inquit Tertull. lib.2. contra Marcion. nec præciperet, nec iustè pararet peccatoribus supplicia, nullum esset peccatum, ait Aug. pluribus in locis, *quod tam est voluntarium, vt si voluntatem propriam sustuleris*, ait S Bernard. *infirmus non sit*. Tolletur omnis consultatio, omnis anxietas, omnis sollicitudo in rebus agendis, nullæ pollicitationes, nulla præmia. Denique homo non erit homo ratione præditus, & qui ratiocinando possit veritatem indagare, sed similis belluæ, quæ sine ratione quò à natura impellitur eo sine electione contendit.

Tertia, si homo non haberet arbitrium cum peccaret necessariò peccaret, atque ita peccatum non esset voluntarium, quod est contra essentiam peccati, nec posset imputari homini teste Paulo Rom.7. *Si quod nolo illud, iam non ergo operor illud.* Fatetur Caluin.2.institit. c.5 peccatum debere esse voluntarium, sed hoc sensu quod non sit coactum; non autem quod sit liberum: ex eo autem quod voluntas operetur necessariò non sequi eam coactè agere, sed tantùm libertate destitui. Verum intempestiua est illa distinctio: nam licet in rigore iuris, & iuxta proprietatem verborum aliud sit voluntarium, aliud liberum, cum amor Dei in Beatis sit voluntarius non tamen liber. In homine tamen humanitus operante coincidunt; quia humanus & naturalis operandi modus in voluntate, est operari ex electione ac deliberatione, vt constat & agnouit Arist.3.Ethic.c.2. & 3. Electio autem supponit potestatem inclinandi se tam in vnum quam in alterum ex oppositis. Deinde aliter spontaneæ sunt hominum actiones quàm brutorum, sed hæ liberæ sunt à coactione; ergo illæ præter hanc libertatem habent ad contradictoria.

Secundò, si peccatum non esset verè liberum; ergo esset necessarium atque ita impossibile non præuaricari, vnde nec imputari à Deo debent, nec puniri; punitur autem & imputatur; ergo non est necessarium. Caluinus negat consequentiam dicens sufficere, vt iustè puniatur peccatum necessitate patratum, si homines culpa sua necessitatem illam adierint; adiisse autem omnes in persona primi parentis, cuius vitio factum est, vt ipse ab agendi libertate exciderit, & nos in eandem induxerit orbitatem.

Contra receptissima est apud mortales omnes regula nullam admittens exceptionem, *ad impossibile neminem teneri*, siue id sit a natura operantis, siue culpa eius vitioque acciderit, nec censendum esse hominem peccati reum & puniendum, quia id non fecit quod nequiuit facere, *Hoc cantant pastores in montibus*, inquit S Aug. in l. de duab. anim. c.11. *Poëta in theatris, Indocti in circulis, Docti in bibliothecis, Magistri in scholis, Pontifices in Templis, totum genus humanum in orbe terrarum*, ac vicissim neminem teneri ad vitandum id ad quod necessitate adigitur.

Item sequeretur ex eodem principio perperam proponi præmia benè agentibus & supplicia sceleratis. Resp. Caluin. ne alterutrum iniunctam sit, sufficere si homo non coactus benè agit,

agit & malè. Reijcitur, nam si id sufficit ad proponenda præmia vel pœnas, pariter proponentur brutis, quandoquidem non multa operantur, sed cum maxima inclinatione naturæ. Quis autem hoc insulsum non videt.

Fatendum tamen est cum Concil. Trid. per peccatum non paruum vulnus inflictum esse, multúmque diminutum de libertate. Nam primò natura ipsa libertatis læsa est & infirmata, vt nec semper quod mens & ratio dictat sequatur, nec concupiscentiæ blanditias aspernetur, nec minas contemnat.

Secundò, intellectus à cuius indifferentia pendet libertas arbitrij, non parum obscuratus est tenebris peccatorum, vt in plurimis erret, & non modo in rebus quæ ad speculationem pertinent, sed in iudicio quoque agendarũ hallucinetur. Nullus vnquam Philosophorum veritatem sine errore docuit, quapropter ea in numerum virtutum retulerunt, quæ à Christianis verè vitia habentur, & contra in numerum malorum quæ sunt Christianis eximia bona. Magnitudinem Ajacis commendat Aristoteles, quam Christiani impatientem superbiam nominarunt: vicissim humilitas tantopere nobis à Christo commendata, ne nota quidem fuit Gentilibus, virginitas atque viduitas exosa Ethnicis, nobis à Christo consulta, sicut etiam paupertas quam detestati sunt infideles; & sanè hoc experientia docet, quod quanto pluribus vitiis assueuit aliquis, tantò iudicium rationis magis offunditur tenebris errorum, longóque vsu non aduertatur peccatorum fœditas. Hinc apud Gentiles peccata quæ Paul. Rom. 1. v. 29. enumerat. Hinc apud Christianos nullus pudor ebrietatis. Hinc apud multos, qui nulla peccatorum conscientia tanguntur tanta peccandi licentia, Hinc denique apud nostri sæculi Hæreticos tam absurdi & cum ipsa natura rectâque ratione & experientia pugnantes errores. Solam fidem qua quis se iustificatum credit, iustitiam conferre, nullum esse in hominem liberum arbitrium, hominem necessariò omnia facere, Deum esse omnium peccatorum authorem. In omni opere bono hominem iustum peccare. Nullum peccatum tametsi enorme possit damnare hominem præter infidelitatem: ad pacem cum Deo constituendam non esse opus dolere de peccatis, ad iustificationem consequendam satis esse credere. Hæc vt vera esse putentur, superbia, peccati consuetudo, inuidia, libido facit.

Tertiò, concupiscentia in membris nostris ex peccato generata & peccatis in dies aucta debilem voluntatem grauiter oppugnat & sæpè prosternit, suísque blanditiis infirmum hominis iudicium in suas partes trahit.

Dices, Scripturæ exprimunt libertatem esse amissam per peccatum; nam Ioan. 8. dicimur serui peccati. *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati.* Corruptionis Rom. 8. & captiuos teneri ad voluntatem dæmonis. 2. Pet. 2. & Aug. Enchir. c. 30. *Libero arbitrio malè vtens homo & se perdidit & ipsum, nam cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium.*

Resp. negando consequentiam, tametsi magna libertas amissa sit per peccatum, non tamen omnis periit. Perdidit quidem voluntas libertatem per se à peccatis resurgendi, bona inchoandi, & perficiendi, multo tempore sine nouis peccatis perseuerandi, dæmonis concupiscentiæque tentationibus resistendi, quæ concupiscentia nomine peccati & corruptionis significatur. Retinuit tamen libertatem in rebus adiaphoris & politicis. Secundò, vt gratiam à Deo oblatam recipiat vel reiiciat. Tertiò, vt gratiæ admissæ liberè cooperetur. Sicut homo qui in puteum incidit caret quidem facultate in loco spatioso ambulandi, neque potest seipsum educere: multa tamen potest, vt loqui, clamare, immisso fune se cingere & ligare, vt extrahatur cooperari. Igitur liberum arbitrium non perdidit naturam suam, quæ est in libertate posita, sed aliquam libertatem amisit natura seruata, dicitúrque ab August. perdidisse seipsum non quidem se occidisse: sed graue malũ attulisse eo loquendi modo quo diuitem hominem dicimus perijsse, qui in extremas calamitates & seruitutem peruenit, etiamsi non sit occisus, idque innuit Aug. comparat enim amissionem arbitrij cum iactura ipsius hominis, qui non periit; extabat enim adhuc. Adam vixit diu post præuaricationem.

Dices, Scripturam referre ad Deum actionũ humanarum dominium. Hier. 10. *Non est in homine via eius, nec viri est vt dirigat gressus suos.* Isai. 63. *Quare nos fecisti errare de viis tuis.* Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

Resp. ad primum intelligi de extinctione electionum, in quibus homo impediri potest, velit nolit, electiones autem sunt in nobis, supposito tamen Dei auxilio Ad 2. fol. 81. de prouid. Dei habes luculentam responsionem.

Dices, eius qui libero pollet arbitrio est velle & non velle, operari & non operari, sed hoc non est hominis Rom 9. *Non est volentis*, scilicet velle, *Neque currentis*, scilicet currere. Ergo homo non est liberi arbitrij.

Resp S. Th. hoc non sic intelligi quasi homo non velit libero arbitrio, sed quia ad opera supernaturalia illud ex se non sufficit, sed motione & auxilio gratiæ indiget. Sicut autem in causis naturalibus prima causa mouendo eas non aufert quin actus earum sint naturales, sed potius hoc in eis facit, operatur enim in vnaquaque secundum eius proprietatem. Ita gratia Dei excitando, mouendo, adiuuando, non impedit actionem arbitrij. Nec obstat Isai 26. *Omnia nostra operatus es in nobis*, & Philipp. 2. *Qui operatur in nobis velle & perficere* Respond. sic operari Deum, vt voluntas simul operetur. Vnde Paul. *Gratia Dei mecum.* Nec inusitatum est effectum plurium causarum vni tantùm attribuere.

Nota controuersiam quam de libero arbitrio mouerunt Hæretici non esse in eo positam, vt disputetur an voluntas hominis cogatur, cum id fieri non posse fateantur omnes: pugnant enim sibi voluntarium & coactum non aliter quam naturale & contra naturam, sicut ergo fieri nequit, vt quod contra naturã fit, naturaliter fiat, ita fieri non potest, vt voluntariè fiat, quod fit coactè, hoc est, contra voluntatem. Neque quæritur an voluntas libera sit à miseria & à peccato, cùm eam libertatem constet amissam esse per primum parentem, sed tota quæstio est, An post

peccatum Adæ, sic moueatur voluntas à Deo vt sponte quidem hoc velit quod proponitur, non tamen liberè, hoc est non ita, vt possit non velle, sed ad eum modúque volumus esse Beati & quemadmodum illi qui in gloria cælesti Dei vultum seu essentiam clarè intuentur, Deum amant nec possunt non amare. Luther. pro ingenij sui vehementia aliquando ademit homini in omnibus actionibus libertatem, scripsitque liberum arbitrium esse figmentum in rebus seu titulum sine re, omniàque euenire necessitate absoluta.

Posteriores concedunt aliquam libertatem in humanis actionibus, non tamen in negotio iustificationis in quo docent voluntatem hominis moueri à Deo instar stipitis, vt patiatur tantùm & nihil quicquam agat, nimirum peccatorem ita à Deo ad saniorem mentem conuerti, vt diuinam motionem necessariò sequatur, nec possit non sequi ad eum modum quo ouis naturali instinctu ramusculum viridem sequitur, & canis fertur ad ossa. Proinde Deum solum omnia in nobis agere, esséque bonarum actionum solam causam, atque etiam peccatorum quæ à nobis committuntur, quandoquidem non possumus non sequi impellentem & trahentem siue ad bonum siue ad peccatum.

DIces, ex Scriptura, nos esse in manu Dei non aliter quàm lutum in manu figuli. Isai. 64. *Nos lutum sumus; tu fictor noster*, & in Eccles. 33. *Quasi lutum figuli in manu ipsius*. Igitur sicut figulus pro suo arbitratu vtitur luto, & ex eadem massa, vt loquitur Paul. Roman. 9. *Facit aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*. Nihil cooperante luto, sed tantùm patiente, ita Deus agit nobiscum. *Quia sicut lutum est in manu figuli, ita nos in manu Domini*, inquit Ieremias cap. 12.

Resp. Bellarmin c. 1. l. 4. de grat. & lib. arb. producere & soluere 17. loca non minus vrgentia, prænotando non esse idem liberam electionem & liberam exequutionem; libera enim electio necessaria est ad libertatem arbitrij conseruandam, non item libera exequutio, vt docet S. Damasc. l. 2. de fid. c. 26. Potest enim Deus, imò quilibet impedire quo minus aliquis faciat quod elegit ac decreuit, nec tamen liberum hominis arbitrium læditur.

Ad istud Resp. Scripturam affirmare nos esse *Cooperatores Dei* 3. Ioan. *Adiutores Dei*. 1. Cor. 3. *Collaboratores*, Philipp. 1. *Vinitores*, Oseæ. 2. *Operarios*, Matth. 20. &c. Quare non sumus per omnia similes luto quod patitur tantum & nil cooperatur. Est igitur similitudo in eo. Primò, quod sicut figulus est luti Dominus, vt de eo quicquid lubet faciat. Ita Deus sit Dominus noster, qui nos totos sicut de terra eduxit, ita plenè perfectéque possidet. Secundò, sicut totius massæ luteæ nulla pars vel meretur, vt in vas honestum componatur cum nulla ex se præclarum quid habeat, sed sit lutum sordidum & fœdum, vel sine præstantis figuli opera in excellens & præstans potest aptari vas. Ita nemo mortalium ex se mereri potest aut proprius viribus assequi, vt in filium Dei adoptetur, cùm omnes perinde nascantur peccatores & filij iræ. Tertiò, quemadmodum figulus vniuersam massam neque abijcit neque in vasa minus honesta (sicut iure suo posset) conuertit, sed pro arbitratu suo quasdam partes eligit, ex quibus fingat vasa præstantiora ex honestis vsibus accommodata. Ita Deus tametsi vniuersum genus humanum à quo offensus est: Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei, abijcere potuisset, optimo iure, vt in peccatis suis progrederentur & immorerentur omnes. Id tamen noluit motus misericordia & singulis tam Ethnicis quam Christianis tantum dedit auxilij, tum per naturam, tum per gratiam peculiarem quantum eis sufficere posset, si industriam suam conatumque adhiberent ad Christi iustitiam accipiendam, cuius deinde fide & doctrina imbuti obtinerent suorum peccatorum per Sacramenta remissionem.

Cæterum in hac similitudine est obseruandum, quod sicut lutum à figulo non aliter quã iuxta naturam suam tractatur, nempe cum sit corpus inanime, quod neque sentiat, neque intelligat, neque agere possit, sed tantummodo pati, ad nutum artificis formetur. Ita homo non debet aliter à Deo tractari quam conuenienter ad naturam suam. Cùm ergo sit ratione præditus & libero arbitrio donatus, efficitur à Deo filius Dei non solùm patiendo, sed intelligendo, ratiocinando, volendo, eligendo, quia Deus naturam non destruit, sed adiuuando perficit.

DIces, Deus scit quæcumque facturi sumus sed scientia illa falli non potest; ergo necesse est vt ea faciamus; quia si possemus non facere falli posset.

Resp. Deum omnia scire nec falli posse, non tamen sequi nos necessariò operari, quia talis scientia non se habet antecedenter ad opera nostra futura, sed consequenter velut ad obiectum supponitque liberam voluntatis nostræ determinationem ad illa facienda. Id est non sumus ea facturi quia Deus præuidit nos ea facturos, sed contra præuidit Deus nos ea facturos; quia facturi sumus. Etsi autem simpliciter possimus ea non facere, posito tamen quod ea facturi sumus. Scit & videt Deus nos ea facturos, cùmque eius scientia falli non possit necesse est vt illa faciamus, sed necessitate dumtaxat hypothetica non pugnante cum libertate, quia infertur tantùm quod infallibiliter res futuræ eueniant necessitate consequenti, absolutè autem poterant non euenire.

DE

DE GRATIA.



TABILITA causa materiali iustificationis, quæ sine dubio est ipsa voluntas seu liberum hominis arbitrium & concesso quod per peccatum Adæ infirmatum fuerit, ipsumque vt definit Concilium decreto secundo, indigere diuino auxilio vt à peccato liberetur, *quod auxilium, est præcipuus meritorum Christi effectus, qui communiter Gratiæ diuinæ nomine nuncupatur, cui, vt decreto quarto habetur, libera voluntatis cooperatio debet accedere, ordo doctrinæ in elucidatione dogmatum, postulat vt de Gratia tractemus, quam nemo ignorat esse primarium, agens in hominis sanctificatione incipienda, aut promouenda. Quæ ergo de gratia sciri debent propono.*

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine Gratiæ. Et Distinctione.

GRatiæ, nomen si illius ethymologiam, spectemus, significat id quod gratis datur seu ex purâ beneuolentiâ, ita S. Isidor. lib. 7. ethymol. cap. 3. Si autem communem illius acceptionem attendamus, duobus præsertim modis inueniemus nomen illud gratiæ apud SS. Patres sumi vt alias acceptiones minus proprias & à nostro instituto alienas omittamus.

Primò, latè pro quocumque dono gratuito diuinitus collato: quo sensu creatio, conseruatio, Donaque ipsa naturæ, bona indoles, ingenium, perspicacitas mentis &c. possunt diuinæ gratiæ nomine appellari: dicitur enim 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti?* & Hiero. epistola 139. ad Cyprian. dixit. *Gratia Dei esse quod creatus sit homo* & in 6. Synodo generali act. 11. in Epistola Sophronij, dicuntur Angeli ex gratia Dei immortales: quia scilicet immortalitatem, sicut & alia dona naturalia ex gratuito Dei beneplacito acceperunt.

Secundò, strictè & magis propriè pro solis illis donis supernaturalibus quæ intuitu meritorum Christi Domini nobis conferuntur: quæ quidem magis propriè, nomine gratiæ nuncupantur. Tum quia vt habetur in Epistola Patrum Africanorum ad Innocentium Papam, quæ est 95. inter Augustinianas, Paulus gratiam non nisi in ea significatione sumere solet. Tum quia beneficia quæ indignis & immerentibus conferuntur gratiæ nomen longè potiori iure merentur, talia autem sunt beneficia nobis per Christi meritum collata.

Diuiditur gratia isto posteriori modo sumpta in gratiam gratis datam & gratiam gratum facientem, quæ partitio non sic accipienda est, quasi aliqua sit gratia, quæ non sit gratis data, sed duæ sunt species, vna quæ hoc retinet nomen gratiæ datæ, quia neque debetur naturæ, neque cadit sub meritum personæ, sed quæ ad aliorum spiritualem salutem præcipuè & vtilitatem vergit, seu vt dicit S. Thom. Prima, Secundæ, quæst. 111. per quam vnus homo operatur alteri ad hoc quod ad Deum, reducatur. Et huius gratiæ nouem species enumerantur 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio, Spiritus, ad vtilitatem, alij quidem datur sermo sapientiæ, alij sermo scientia, alij fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum alij interpretatio sermonum: hac autem omnia operatur vnus & idem Spiritus diuidens singulis prout vult:* quæ omnia fusè à S. Thom. explicantur art. 4. vbi obseruat, Quasdam ex illis gratiis dari ad perfectam & accuratam mysteriorum notitiam quæ necessaria est ad alios erudiendos, qualis est gratia sapientiæ & scientiæ non quidem acquisitæ, sed infusæ & supernaturalis: Gratia item fidei, non quidem prout significat ipsam fidei virtutem, sed prout denotat excellentiam quandam & eminentem ipsius fidei certitudinem qua homo aliquis efficitur idoneus ad instruendos & confirmandos alios vel etiam ad hæreticos conuincendos circa mysteria religionis.

Alias verò dari ad expositionem & explicationem earum rerum quæ aliis ad salutem necessariæ sunt, talis est gratia linguarum & interpretatio sermonum. Alias denique ad efficaciter persuadendum ea quæ exposita & explicata sunt, & ad hunc finem conceditur donum prophetiæ, discretio spirituum, & virtus miraculorum siue ad restituendam corporis valetudinem, & sic dicitur gratia sanitatum, siue ad alia miracula exterius facienda, & vocatur operatio virtutum.

Quamuis autem omnis & quæcumque gratia sit gratis data, vt eius nomen sonat, ac proinde nomen illud gratiæ gratis datæ sit nomen genericum quod omnibus speciebus gratiæ conuenit. Hæc tamen gratiæ species de qua facta est enumeratio, communiter gratis data vocatur. Quia solet speciei ignobiliori nomen generis appropriari v. g. nomen genericum animalis

animalis communiter tribuitur brutis.

Nota hanc gratiam cum non ad propriam sanctificationem, sed tantum ad aliorum vtilitatem concedatur, æquè peccatoribus ac iustis tribui. Vnde Matth. 7. Christus Dominus dicit in die iudicij multos impios & reprobos sic dicturos. *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus ! &c.* & August. lib. 83. q. 79. dicit non modo peccatorem, sed etiam infidelem posse prophetare, miracula facere dæmones expellere in honorem nominis Christi.

Gratia autem gratum faciens de qua potissimum nobis hic est agendum, ea est, quæ per se primò dirigitur & ordinatur ad hominem in quo est sanctificandum, & amabilem ac Deo gratum reddendum. Et hæc longè dignior est gratis datâ, vnde Paul. cit. explicatis nouem speciebus hortatur ad meliora charismata æmulanda, hoc est ad gratiam gratum facientem optandam: ideoque propter excellentiam ac dignitatem sibi propriam absolutè & simpliciter gratia dicitur & subdiuiditur in gratiam habitualem & gratiam actualem.

Actualis est quæ datur nobis per modum auxilij transeuntis consistitque in piis motibus intellectus & voluntatis, quos Deus in nobis excitat, illisque nos adiuuat vel ad bonum liberè prosequendum vel ad malum fugiendum. Habitualis est quæ per modum habitus seu qualitatis permanentis diuinitus infunditur existitque in nobis licet non operemur. Huius habitualis gratiæ mentio fit in variis Scripturæ locis vt Isai 11 *Requiescet super eum spiritus, Domini.* Ioan. 14. *Ad ipsum veniemus & mansionem faciemus*, Prima Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo non peccat, quia semen ipsius in eo manet.* etenim requiescere & manere sunt voces significantes habitualem & durabilem existentiam quâ Deus in anima iusti maneat per aliquod donum speciale, eamque inhabitet & S. Aug. epistola 85. gratiam illam vocat interioris hominis pulchritudinem, eamque asserit in paruulis quoque post baptismum remanere, & S. Cyril. Alex. lib. 4. in Isai oratione 2. eandem gratiam dicit esse ornatum animæ illique insidere ac inhærere.

Distinguitur præterea. Gratia in diuersa auxilia variis nominibus à Scholasticis donata, vt gratia excitans, mouens, præueniens, adiuuans, cooperans. Communior tamen est illa diuisio quæ tot mouit ab olim ad hæc vsque tempora controuersias sufficientis & efficacis.

QVÆSTIO II.

An Gratia sit qualitas quæ creetur.

QVæstio est de gratia habituali per quam homo dicitur iustus, filius Dei adoptiuus, & habet ius ad vitam æternam.

PROPOSITIO CATHOLICA.

GRatia gratum faciens est donum diuinum infusum animæ seu qualitas per modum habitus in homine permanens.

Probatur ex Scriptura Rom. 5. *Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam vnius hominis, iusti constituentur multi.* Constat autem nos constitui ex peccato originali peccatores per iustitiam nobis vere inhærentem per modum habitus quem contraximus ob inobedientiam Adami cuius sumus filij. Igitur vt concludat Pauli antithesis, iustitia debet esse in nobis per modum habitus inhærens & non per solam imputationem vt contendit Caluin. & sequaces. Ioan. 4. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, fons enim ipse spiritus sanctus est per gratiam inhabitans, siue gratia à Spiritu-Sancto diffusa Ioan. 7. *Qui credit in me sicut dicit Scriptura flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ* & subiungitur. *Hoc autem dixit* Christus *de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Rom. 5. *Charitas Dei, diffusa, est in cordibus nostris per Spiritum-Sanctum, qui datus est nobis.* Huc pertinent ea loca, vbi gratia comparatur pignori, sigillo, vnctioni vel semini, rebus scilicet creatis & permanentibus 2 Cor. 1. *Qui vnxit nos Deus & signauit nos dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* 1. Ioan. 2. *Vnctionem quam accepistis, ab eo maneat in vobis* & cap. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit quia semen eius manet in eo.*

Probatur ex SS. Patribus, qui tametsi apertè non nominent habitum vel qualitatem, tamen ita describunt vt facile intelligatur verum esse quod ait. Concilium. Viennense, hanc sententiam testimoniis veterum Patrum conformem esse, Dionys. cap. 2. Eccles. Hier. *Primus ad diuina motus Dei, dilectio est. Porrò sacræ dilectionis ad diuina mandata facienda principalis omnino progressus est secretissima illa & ineffabilis operatio qua diuinus in nobis status efficitur.* Quid quæso per statum intelligi potest nisi quid diuinum nobis esse collatum Irenæo, lib. 5. cap. 6. aduersus hæreses. *Cum autem Spiritus commixtus animæ vnitur plasmati propter effusionem Spiritus, spiritalis & perfectus homo factus est. Et hoc est qui secundũ imaginem & similitudinem factus est homo.*

Et infrà sæpius repetit hominem perfectum tribus constare, corpore, anima & Spiritu Dei, id est donis & gratia Spiritus-Sancti. Et certè vocabula commixtionis & infusionis & hoc, quod est esse quasi partem hominis, rem permanentem demonstrant. Cyprian. in epistola 2. lib. 2. ad Donat. *Postquam inquit vnde genitalis auxilio superioris aui labe detersa in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infundit, postquam cælitus Spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit:* Infusio luminis & haustus Spiritus, & renouatio hominis aliquid permanens in homine significat.

Ambros. 6. Hexamier cap. 8. *Noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem nec cera expressam sed gratia.* Pictura est res permanens, ac per hoc gratiam permanentem demonstrat Hieron. præfat. in Threnos describens animam peccatricem. *Nudata* inquit est domus Dei, cunctisque quæ diuinitus consequuta fuerat spoliata muneribus, remansit deformis ac turpis.

August.

August. lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 9. *ille*, inquit, *in quo viuificabuntur omnes preter quam quod se ad iustitiam exemplum imitantibus prabet, dat etiam sui Spiritus occultissimam gratiam quam etiam latenter infundit, & paruulis.* Hic sanè negari non potest, agi de gratia habituali quæ & occultissima est, & cuius solius capaces sunt paruuli. Infra quæst. 2. de iustificatione allatæ authoritates, istud affirmant.

Probatur rationibus gratiam esse quid creatum in anima. Omne prius indignum vita æterna postea dignum, habet aliquid de nouo quod prius non habuit, sed peccator prius erat indignus vita æterna, habitâ autem gratiâ est dignus. Ergo.] Maior patet quia nulla potest fieri mutatio in Deo, ergo, hæc fit in homine cùm ex non dilecto fit dilectus, ex indigno dignus, quare concedendum est in homine iusto esse pulchritudinem aliquam veram, & spiritualem ob quam oculis Dei gratus efficitur, præsertim cum Deus non possit decipi aut errare, vt diligat iniustum pro iusto, & deformem pro formoso.

Secunda ratio se tenet ex parte hominis. Homo conditus est ad supernaturalem gloriam, & debet operari opera, quibus ad finem illum peruenire queat, sed opera supernaturalia præréquirunt esse supernaturale siue formam supernaturalem, talia enim sunt opera qualis est forma, siue essentia, vnde opera ipsa procedunt, quod in rebus omnibus cernimus. Ergo Deus dat hominibus, quos iustificat formam supernaturalem, quam habitum gratiæ vocamus, & fortasse huc respexit. Petrus 2. cap. 1. cùm ait nos effici, *diuinæ naturæ consortes*, Hinc Dionys. cit. ait ad opera diuina præréquiri statum diuinum, sicuti humanum ad operationes humanas, diuina autem natura non potest participari ab homine nisi per accidentariam aliquam sui participationem, id est per formam aliquam creatam.

Præterea non est homo iustus, & sanctus eo tantùm tempore, quo iusta facit opera, sed etiam dum cessat, & quiescit dum dormit, non igitur ab opere, sed ab habitu iustus, & sanctus dicitur. Tum gratia augetur in nobis, & perficitur vt ait Aug. Epist. 196. quod innuitur Apoc. 22. qui iustus est iustificetur adhuc, id est incrementum gratiæ accipiat. Quod sanè aliquid creatum seu habitum intensionis susceptiuum supponit, & ampliorem iustitiam seu qualitatem, quæ hominem iustum facit, & denominat.

S. Tho. 1. 2. q. 110. dicit gratiam esse nitorem animæ, qui est qualitas sicut, & pulchritudo corporis, indéque infert, quod præter auxilium speciale, quo Deus mouet hominem ad bene agendum ponendus est habitus, seu qualitas, quædam in iustificatio vt suauiter, & prompte ab ipso ad æternum bonum consequendum moueatur..

Dices nulla qualitas agit in suum subiectum, quia actio qualitatis non est absq, actione subiecti, & sic oporteret, quod subiectum ageret in seipsum, Sed gratia agit in animam iustificando ipsam, Ergo gratia non est qualitas.

Respondet S. Tho. gratiam secundum quod est qualitas, dici agere in animam, non per modum causæ efficientis, sed formalis sicut albedo facit album, & iustitia iustum.

Qværes, *quomodo producatur gratia.*

Respondeo Deum solum esse causam efficientem principalem gratiæ, & nullam esse creaturam, quæ sit principalis causa illius, vt dicit scriptura Iob. 14. *quis potest mundum facere de immundo conceptum semine nisi tu, qui solus es?* Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, Tum quia nullum potest assignari agens creatum in cuius virtute gratia habitualis contineatur. Dixi *principalem*, Quia instrumentales saltem morales assumi possunt, sicque Sacramenta concurrere nemo negat.

Creatur ergo gratia, vnde & Galat. vlt. dicitur *noua creatura*, & Psal. 50. cor mundum crea in me Deus, quod non dicitur ratione animæ suscipientis gratiam, sed ratione nouæ, & creatæ gratiæ.

Quidam tamen censent cum Becano educi de potentia animæ, non quidem naturali, sed obedientiali, cùm enim gratia sit accidens, (& omne accidens ex Arist. 7. metaph. tex. 2. non dicatur ens, quasi ipsum esse habeat, sed quia eo aliquid est vnde & magis dicitur esse entis, quàm ens) debet esse dependens à subiecto, consequenter recipit suum esse per actionem dependentem à subiecto. Nec est simile de anima, quæ est forma substantialis per se subsistens. Probatur autem educi; nam creatio proprie est actio, qua res fit ex nihilo id est nullo præiacente subiecto materialiter concurrente ad talem productionem, At productio gratiæ non fit ex nihilo, quia cum sit accidens, producitur dependenter ab anima tanquam à subiecto materialiter concurrente ad illius productionem. Confirmatur; nam si crearetur subsisteret vtique ex vi sua, & per se sicut anima rationalis, dicitur tamen in scriptura creari, sed impropriè seu moraliter, quia confertur sine præcedentibus meritis propriè dictis, dicitur etiam infundi, quia extrinsecus aduenit.

Dices, gratia non continetur in potentia animæ, cùm hæc sit naturalis, illa supernaturalis, ergo ex illa educi nequit.

Respondeo non contineri in naturali, sed in obedientiali, proinde saltem à Deo ex ea educi posse, nec obstat, quod anima sit aut dicatur ignobilior gratia, eo quod sine ea multa nequeat, quæ cum ipsa potest, nam videmus formam substantialem educi ex materia, quæ est imperfectior, ratio autem est, quia causalitas materiæ non est vt perficiat formam, sed vt ab ea perficiatur.

Hinc Becanus infert, congruum esse vt gratia constituatur in ipsa essentia animæ, cum ab ea educatur, quemadmodum habitus operatiui recipiuntur in ipsis potentiis operatiuis animæ, vt sic debita proportio seruetur inter esse naturale & supernaturale.

Gratia ergo immediatè fit à Deo vt Deus est, assignatur tamen Spiritui Sancto Rom. 5. 1. Cor. 3. & 6. per appropriationem, quia gratia tendit ad sanctificationem, quæ licet sit communis toti Trinitati, hæc tamen spiritui S. datur per modum proprietatis sicuti poten-

tiá patri, sapientia Filio. Nec sine causa, nam pater est principium in diuinis sine principio, & ideo potentia quæ est principium operandi optimè illi conuenit, filius procedit à patre per intellectum & ideo sapientia, & veritas ei adscribuntur. Spiritus S procedit à patre & filio per voluntatem, & ideo bonitas & amor, & sanctificatio illi acommodantur. Paulus autem non ob aliam causam dixit spiritum sanctum inhabitare in hominibus iustis, nisi quia voluit significare homines iustos renouari, & sanctificari à spiritu S. per infusionem donorum supernaturalium.

QVÆSTIO III.

An gratia, & charitas sint idem habitus.

QVæstio hæc non pertinet ad fidem Catholicam, qua salua disputatur apposite, tamen proponitur ne passim hæreat Lector in lectione scripturæ, quæ indifferenter vtroque nomine vtitur.

PROPOSITIO THEOLOGICA.

SCoti 2. sent. dist. 26. *gratia & charitas distinguntur tantum ratione*, suntque vna & eadem forma seu qualitas creata, quæ habet duo nomina propter distincta officia vocaturque gratia iustificans, quantenus nos Deo gratos efficit exornando hominem, dicitur autem habitus charitatis, quatenus respicit opus, & voluntatem promptam efficit ad Deum super omnia diligendum, Probatur ex scriptura in qua gratiæ attributa dantur charitati, Primus effectus gratiæ est facere hominem Deo gratum & dilectum. Hoc facit charitas Ioan. 14. *Qui diligit me diligetur à Patre.* Secundus est iustificare à peccato, hoc facit charitas Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit.* Tertius transferre de morte ad vitam, quod maximè conuenit charitati 1 Ioan. 3. *translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Quartus facere filios adoptiuos, quod & facit charitas 1. Ioan. 3. *videte qualem charitatem dedit nobis, Pater vt filij Dei nominemur & simus* Quintus separare filios regni à filiis damnationis, nullus enim cum gratia perit, nullus sine ea saluatur. At Iacobi 1. legimus coronam vitæ repromissam esse diligentibus Deum, & S. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 8 *Sola charitas diuidit inter filios regni, & filios damnationis æternæ.* Adde quod si in script. gratia sanctificans præfertur quibuscumque gratis datis, quia illa hominem coniungit Deo, charitas hoc ipsum facit vt 1. Cor. 6. & 1. Ioan. 4. dicitur. Et si gratia est nitor & species, & lux animæ, charitas est illa vestis nuptialis, qua qui carent mittuntur in tenebras exteriores ex Greg. hom. 38.

Probatur ex S S. Patr. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 42. *Charitas* ait, *est verissima plenissima perfectissimaque iustitia*, Et exponens illud Psal. 118 feci iudicium, & iustitiam, *Iustitia*, inquit, *nomine hoc loco non ipsa virtus, sed opus eius significatum est, quis enim facit in homine iustitiam nisi qui iustificat impium, hoc est per gratiam ex impio facit iustum! vnde ait Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius. facit ergo iustitiam, id est opus iustitiæ, qui habet in se iustitiam id est opus gratiæ.* Cassiod. super Psal. *Charitas est mors criminum, virtus pugnantium, palma virtutum, concordia mentium, societas electorum, quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium bonorum seruit,* Hi sunt gratiæ effectus, qui cum charitati addicuntur, vnum, & eundem esse habitum significatur. Probatur ex Conc. Trid. sess. 6. licet enim quæstionem hanc non definiuerit, vt quæ ad fidem non pertineat, satis tamen apertè indicat istius esse sententiæ, nam cap. 7. explicans quid sit illa iustitia qua formaliter iustificamur. *Quanquam* ait *nemo possit esse iustus nisi cui merita* Christi communicantur, id tamen hac impij iustificatione fit dum eiusdem sanctissimæ passionis merito charitas Dei effunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur per fidem spem & charitatem. nam fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cum Christo neque corporis eius viuum membrum efficit.

Probatur ratione, nam si sunt diuersi habitus, ergo quis poterit esse gratus Deo absque charitate, & poterit esse in charitate sine gratia saltem per potentiam diuinam, & consequenter sine veste nuptiali erit ad gloriam idoneus.

Secundò, si gratia esset habitus à charitate distinctus id sine dubio esset propter tria, quæ videntur esse propria ipsi gratiæ, & charitati non conuenire Primum dare animæ esse diuinum & supernaturale, Alterum esse proprium effectum amoris erga hominem, Tertium esse id quo proprie Deo gratus est, quicumque illi gratus est. At hæc ipsa tria quadrant in charitatem, non est ergo alius habitus.

Probatur de primo, certum est hominem non posse participare esse diuinum nisi accidentaliter, nullum est autem accidens, quo magis participemus esse diuinum quàm charitas, ac ne ipsa gratia quidem, si esset vt ponitur à S. Thoma præueniens charitatem 1. 2. quæst. 110. ar. 3. ita nos eueheret ad esse diuinum vt reuera charitas facit, gratia enim illa esset ordinis supernaturalis, & daret quoddam accidentarium supernaturale esse. At charitas præter hæc quæ est, & facit, coniungit intimè animum Deo quantum fieri potest in hac vita, quod non faceret gratia, Deus enim intelligentia, & voluntate attingitur, sed intelligentia in hac vita non nisi per fidem, & in ænigmate Deum attingit, voluntas autem etiam in hac vita immediatè, & propriè Deo coniungitur per amorem.

Adde quod cum summa perfectio in Deo sit cognitio & amor, in futura vita participabimus per gloriam diuinam perfectionem visionis Dei de qua Ioan. in 1. epist. cap. 3. scribit, *Similes ei erimus quia videbimus eum sicuti est*, Nunc autem participamus per gratiam perfectionem amoris Dei, & proximi de qua Christus ait Matth. 5. *Diligite inimicos vt*

vt sitis filij Patris vestri. Quod attinet ad effectum proprium amoris Dei ille profectò charitas est, quid enim vult nobis Deus cùm nos amat nisi id quod nobis est optimum, optimum autem nobis charitas est ex Apostolo & August.

Quod autem pertinet ad tertium de eo quo propriè grati sumus Deo, id verò nihil est aliud nisi, charitas si quidem in ea consistit summa similitudo ad Deum, quam in hac vita possumus habere. Deus enim diligit sibi similes, & eo nos magis diligit, quo similiores sumus. Porro charitas est regina virtutum, quare similitudo in charitate est summa causa amicitiæ inter nos & Deum.

Tertio gratia propriè opponitur culpæ, sed culpa est actualis, & habitualis deformitas in voluntate, igitur & gratia actus, & habitus erit in voluntate.

DIces sicut in rebus naturalibus distinguntur tria, esse, posse, operari, quorum tertium à secundo, & istud à primo dependet, ita facienda est distinctio in supernaturalibus, esse quod habetur per gratiam, posse quod habetur per infusas virtutes, & operari quæ sunt ipsæ actiones fidei & spei, & charitatis.

Respondeo id esse verum in substantiis non in accidentibus, substantiæ enim creatæ non possunt per se sine instrumentis id est sine accidentibus operari, & ideo in eis distinguuntur ipsum esse substantiale à potentiis, & potentiæ ab actionibus: at vero in accidentibus non distinguntur ista cum ipsum esse qualitatis operatricis sit potentia seu virtus, proinde cum esse diuinum quod habet anima per gratiam sit esse accidentarium non est necessarium vt distinguatur à virtute, sed vnus atque idem habitus vt respicit subiectum, dici potest esse supernaturale. vt respicit opus dici potest virtus supernaturalis.

Instabis non solum opera diuina, sed etiam habitus diuini præexigunt esse diuinum, *est enim habitus* ex Arist. 7. phys. tex. 17. *dispositio perfecti* (seu quod est dispositi secundum naturam) *ad optimum.* Quare cum humana natura non sit ex se disposita ad opera supernaturalia, neque habeat naturalem ad ea proportionem, necessario exigitur aliquid quod, eleuet, & perficiat naturam vt in eam habitus supernaturales infundi possint.

Respondeo habitus acquisitos de quibus loquitur Arist. præexigere naturalem subiecti dispositionem, quia non dant operari, sed facile operari, proinde si natura sine habitu operari non posset nihil ei prodesset habitus At habitus diuinitùs infusi non exigunt naturalem dispositionem in subiecto, sed solum capacitatem, ipsi autem eleuant naturam, & proportionem illi conferunt ad actionem supernaturalem. Quod verò anima hanc capacitatem habeat docet S. Aug. de prædest. 35. cap. 5. cùm ait *posse habere fidem, & charitatem natura est hominum, habere autem gratiæ fidelium.*

DIces in Conc. Viennensi definitum esse in baptismo tam paruulis quàm adultis conferri informantem gratiam & virtutes, & in Trident sess. 6. cap. 7. iustificationem esse renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, & can. 11. anathematisat qui docent iustificari hominem vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorũ remissione exclusá gratiâ & charitate. Quibus in locis gratia distinguitur à virtutibus, & donis atque adeo ab ipsa etiam charitate.

Respondet Bellarm. Concilia ista ac præcipuè Trident. dedita opera ita locuta ac præcipuè Trident. vt indefinitam, quæstionem relinquerent Scholasticorum de gratia & charitaté, & solum definirent quod ab hæreticis negabatur nos iustificari per aliquid reipsa in anima hærens, ea siquidem causa fuit cur, Trident. nunc gratiam, & charitatem, nunc solam charitatem nominaret Porrò cum nominant gratiam, & virtutes vel gratiam & dona, aut per gratiam intelligunt charitatem, per virtutes, & dona reliquas virtutes, aut certè idem significant illæ voces sicut cum dicimus aliquem esse Sanctum, & bonum innocentem, & iustum, &c. Quod commune est scripturæ, & SS. Patribus ad rei de qua agitur expressiorem explicationem.

DIces gratia est donum quoddam vniuersale quod omni peccato repugnat, & totum hominem gratum reddit, At virtutes sunt dona particularia, quæ particulares potentias in operibus earum perficiunt, & certis vitiis opponuntur, ergo gratia, & virtutes non sunt idem.

Respondeo charitatem dici posse donum vniuersale, quia radix est omnis meriti, & ab ipsa actiones omnium virtutum imperantur, & nullum secum mortale peccatum patitur, vnde Rom. 13. *Qui diligit legem impleuit, & charitas patens est, benigna est*, &c. 1. Cor. 13.

Instabis, effectus gratiæ semper est in actu, semper enim facit gratum, dum est in homine at effectus charitatis non semper est in actu, ipsa perseuerante in homine, cum non semper actu diligamus.

Respondeo effectum vtriusque semper esse in actu, vt enim gratia semper facit gratum, ita, & charitas semper facit propensum, & promptum ad diligendum, diligere autem actu, quod non semper habemus, non est effectus formæ, sed efficientis, siue quod idem est, non est effectus charitaiss vt dat esse formale animæ in qua hæret, sed vt est principium actionis. Nota ergo dicendum, ab eadem qualitate si modo diuerso consideretur diuersos effectus prouenire, hæc vt hærens formosam facit animam, & dilectam, vt principium operationis facit aptam, & promptam ad diligendum, nec tamen isti effectus sunt duo formales, sed vnus.

DIces per gratiam reformari imaginem Dei, quæ per peccatum obscurata fuerat, at imago non solum est in potentiis, sed, & in ipsa substantia anima, gratia ergo non est sola charitas in voluntate inhærens, sed quidam habitus in animæ substantia constitutus.

Res. imaginem Dei tum in substantia, tum in potentiis animæ esse, sed non esse læsam nisi in potentiis, peccatum si quidem lumen

intelligentiæ obscurauit, voluntatis libertatem debilitauit, appetitum inferiorem superiori rebellem fecit, similitudinem ad Deum quæ in iustitia sita erat planè sustulit, in ipsa vero substantia animæ nihil propriè operatum est.

Ad hæc memorandum est charitatem esse virtutem creatam non ipsum Spiritum-sanctum. Quidam autem dixerunt charitatem qua diligimus Deum non esse habitum creatum, sed Spiritum-sanctum immediatè nos mouentem ad actionem diligendi, quod repugnat SS. Patribus & rationi. Roman. 5. Charitas diffusa distinguitur à Spiritu-Sancto vt effectus à causa.

QVÆSTIO IV.

De necessitate Gratiæ Diuinæ.

PElagius Monachus, Anglus, detectus fuit hæresiarcha & infensus gratiæ diuinæ, cuius necessitatem negabat circa annum 405. vt habetur ex epistola ex Arabisso oppido Armeniæ à S. Ioan. Chrysostomo ibi relegato ad Olympiadem diaconissam aliosque amicos scripta, vnde intelligas Pelagium diu sub ouina pelle delituisse, & errores disseminasse antequam detectus fuisset. Vide singulares quindecim eius errores apud Gualterium sæculo 5. quos quatuor Concilia in Charthag. 68. Episcoporum, anno 416. Mileuitanum cui interfuit. S. August. cum 70. Episcopis. Carthag. aliud. Episcoporum 214. anno 418. & Arausicanum, secundum 12. Episcoporum damnarunt anno 463. agentibus & promouentibus potissimum, quatuor summis Pontificibus Innocentio, Zosimo, Cælestino & Gelasio. Summa decretorum Arausicani ex aliis compilata hæc est, Gratiam interiorem Dei per Christum id est, Spiritus-Sancti illuminationem & inspirationem quæ ex meritis Christi, tribuitur ita esse nobis necessariam vt sine illa neque Deum inuocare, neque à peccato purgari, neque affectum credendi concipere, neque ad baptismum peruenire, neque æternæ prædicationi. Euangelij consentire, neque rectè cogitare, neque bonum aliquod opus æternæ vitæ meritorium exercere, aut in bonorum operum exercitio, perseuerare possimus. Ratio adiungitur can. 6. ex 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti. Et gratia Dei sum id quod sum*, Sic stabilita fuit necessitas, præuentionis requisitæ Dei misericordiæ & gratiæ, sic explosa fuit Pelagiana hæresis quæ asseuerabat solas vires arbitrij humani ad salutem sufficere consequendam: sic definita fuit veritas Catholica, quod gratia diuina sine vllis meritis hominis, ei per Christum detur Hinc manauit Canon. iste tertius Concilij, Trident. sess. 6. *Si quis dixerit sine preueniente Spiritus-sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Antequam Propositiones catholicas specificemus circa necessitatem gratiæ, proponendi sunt varij status naturæ humanæ.

Status naturæ humanæ seu modus quo illa se habuit aut habere potuit iuxta diuinæ prouidentiæ dispositionem in ordine ad finem suum vltimum consequendum, varius distingui solet à Doctoribus, scilicet naturæ puræ, naturæ integræ, innocentiæ seu iustitiæ originalis, naturæ lapsæ sibi relictæ, & naturæ lapsæ reparatæ. Quorum vltimus nunc reipsa existit, tertius initio creationis mundi extitit, tres vero alij, cum nunquam extiterint, aut extituri sint considerantur vt pure possibiles, & hos considerare, non est instituti mei: sat mihi si statum naturæ lapsæ & per Christum reparatæ, illum scilicet in quo nascimur & in quo per Christi gratiam à peccato liberamur & salutem consequi possumus exprimere valeam, hoc posito.

QVÆRES, *an sine gratia homo possit velle aut facere aliquod bonum.*

Respondeo, neminem sine speciali diuinæ gratiæ auxilio posse velle aut perficere bonum aliquod opus quod ad salutem æternam conferat. Est de fide contra Pelagianos.

Probatur ex scriptura Ioan. 15. vbi Christus dicit. *Sine me nihil potestis facere*, in quæ verba S. Aug. tract. 81. in Ioa. *Siue ergo parum siue multum siue illo fieri non potest sine quo nihil fieri potest*, prima Cor 15 *Gratia Dei, sum id quod sum.* 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est*, Philipp. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum ipse perficiet.* Ad hæc allegata iam sunt 4 Concilia.

Probatur, ex SS. Patribus, Cælestino Papa ad Episc. Galliæ vbi ait *Omnem sanctam cogitationem, pium consilium omnemque bonæ voluntatis motum ex Deo esse.* Ambros. lib. 1. de vocat gentium cap. 3. vbi dicit. *Quod si Deus non operetur in nobis, nullius possumus, esse participes virtutis.* Et cap. 9. dicit quod *Omne verbum, bonum & omne opus sanctum subministratio sit Spiritus-sancti sine quo nihil rectè agitur.* August. serm. 13. de verbis Apostoli *prorsus si defuerit nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adiuuante liberâ voluntate sed malè* & in lib. de correpr. & gratia cap. 2. dicit quod, *Sine gratia nullum prorsus siue cogitando siue volendo & amando siue agendo faciant homines bonum.*

Probatur ratione, homo non ita est Dominus suarum operationum quin indigeat moueri à Deo, à fortiori liberum arbitrium per peccatum infirmatum & ad malum inclinatum, indiget auxilio gratiæ ad velle bonum & consequenter multo magis ad illud operandum. Quod auxilium cùm aliàs sit ipsi indebitum neque vlla possit afferri ratio cur hanc potius, quàm illam cogitationem v. g. menti hominis immittere teneatur, rectè ac merito gratuitum seu auxilium gratiæ dici debet.

DIces, homo magis potest in id quod est sibi secundum naturam quàm in id quod præter eam est contra naturam, ex Damasc. lib. 2. cap. 30. opus autem virtutis est secundum naturam, cum ex Arist. 7. Phys. sit dispositio perfecti ad optimum. Ergo.

Respondet S. Thom. peccare nihil aliud esse quàm deficere à bono conueniente secundum naturam, vnaquæque autem res creata sicut esse non habet nisi ab alio & in se considerata

derata nihil est, ita indiget conseruari in bono suæ naturæ conuenienti ab alio, potest enim per seipsam deficere à bono sicut & per seipsam potest deficere in non esse nisi diuinitus conseruetur.

Dices, Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.*

Respondeo, ex August. lib. de spir. & litt. cap. 26. Fulgent. de Gratia Christi cap. 26. Paulum loqui de gentibus conuersis ad fidem Christi, quæ *naturaliter*, id est non ex lege Mosaica absque circumcisione & aliis cæremoniis eius, sed naturâ per Christi gratiam sanatâ & roborata legem implent.

Vel planiùs & pleniùs ad litteram ex Hiero. ad Algas. quæst. 8. Caiet. & aliis, Paulum loqui de gentilibus gentiliter viuentibus, quod hæ voces innuunt *naturaliter* & *quæ legem non habent*, scriptam scilicet Mosis vel Christi, sed tantum conscientiæ legem, & vermem accusantem & defendentem habent. Idipsum patet, ex eo quod hic Paulus habere velit tam gentes quam Iudæos egere gratia Christi, ergo tam hos quàm illos intelligit qui sine Christi fide sunt, quasi dicat nolite superbire ô Iudæi supra gentes propter legem Mosaicam, quasi auditores legis iustificentur, gentes enim non habentes scriptam legem, illam habent naturaliter inditam, quæ eos dirigit & inducit vt pleraque legis naturalis ductu naturæ faciant.

Nota non dici *legem implere* sed *quæ legis sunt facere*, id est aliqua, puta faciliora, vt honorare parentes, dare eleemosynam, cauere furta, & cædes, non tamen possunt sine gratia Christi totam legem implere per vires naturæ v. g. Non concupisces, diliges Deum, magis quàm te: dato autem quod ex viribus naturæ, & motiuo aliquo indifferenti v. g. ad sanitatem tuendam gentilis repudiauerit illicitam aliquam voluptatem, hoc non poterit ex motiuo bono & honesto facere sine gratia, quia motiuum illud bonum cuiuscumque virtutis sit, semper bonam aliquam cogitationem diuinitus immissam præsupponit.

QVÆSTIO V.

An infidelis siue hæreticus possit facere bonum morale.

Occasione superioris responsionis discutitur hæc quæstio, quam præire debebat subsequens, præsupponitur autem ex infra dicendis intelligentia moralitatis seu essentia actus moralis, quam hic prælibo.

Actus humanus propriè is est qui pendet à libera voluntate, qui duplex agnoscitur à Philosopho, elicitus & imperatus, elicitus is est qui ab ipsa voluntate immediatè & internè elicitur: imperatus est qui ad imperium voluntatis elicitur ab aliis potentiis, intellectu, sensu appetitu sensitiuo, & membris exterioribus. Actus humanus dupliciter spectatur, primò in genere naturæ, secundo in genere moris, spectat ad genus naturæ quod sit actus vitalis & humanus seu liber, spectat ad genus moris quando spectatur quo ad libertatem (nam ad moralitatem actus requiritur libertas) & ea quæ fundantur in libertate, cuiusmodi sunt esse capacem laudis & viruperij, meriti & demeriti.

Bonitas moralis actus humani sumitur ab obiecto bono & fine, imo & ab omnibus circumstantiis, quia vt docet Dionysius bonum est ex integra causa & tunc actus est perfectus in genere moris, quando habet omnes differentias morales contrahentes ex obiecto, ex circumstantia, ex fine honestis & rationi rectæ consonis. Nota hic abstrahi à meritorio vitæ æternæ, quia ad hoc supponitur in agente gratia inhærens. His præfatis.

PROPOSITIO THEOLOGICA

Infideles possunt opera moraliter bona facere.

Probatur ex scriptura, Exodi 1. *Timuerunt obstetrices, Ægyptiæ, Deum & non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, sed conseruabant mares: benefecit ergo Deus obstetricibus.* Act. 10. Cornelius centurio, adhuc infidelis (vt obseruat S. Thom. art. 4. quæst. 10. eleemosynas & orationes obtulit quæ Deo gratæ fuerunt.

Probatur ex SS. Patrib. Chrysost. hom. de fide & lege naturæ, vbi dicit multos qui Deum ignorant, bonis operibus florere, quamuis hæc opera non sint illis ad salutem promerendam vtilia. Hieron. in cap. 1. ad Galat. vbi dicit multos absque fide & Euangelio Christi, multa salubriter & sanctè perficere v. g. parentibus obsequi, inopi manum porrigere. Item ex August. lib. de spir. & litt. cap. 26. vbi dicit quod *impiorum Deum verum neque veraciter neque iustè colentium quadam tamen facta vel legimus vel nouimus vel audiuimus quæ secundum iustitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò recteque laudamus.* & lib. 5. ciuit. cap. 15. dicit Deum Romanis tam amplum imperium dedisse in remunerationem bonarum virtutum quæ in ipsis erant. Et epistola 130. dicit Polemonem exhortatione Xenocratis factum esse ex luxurioso continentem.

Neque dicas opera infidelium fuisse quidem bona ex obiecto sed non ex fine, nam si prauus fuisset finis, absolutè & simpliciter dicerentur mala adeoque peccata, vnde sequeretur Deum peccata remunerare, ad peccata facienda, iuuare, peccata esse dona Dei: quod absurdum est, & iniuriosum Deo.

Probatur Ratione, principium & causa bona potest producere effectum bonum sed voluntas humana præcisè sumpta est bonum principium naturale, nec totaliter corruptum, per infidelitatem, etsi excludat gratiam, ergo opus moraliter bonum operari potest. Tum ait S. Thom. sicut Christianus seu habens fidem potest aliquod peccatum facere in actu quem non refert ad finem, vel venialiter vel mortaliter peccando, ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo quod non refert ad finem infidelitatis abstrahendo à cultu idoli vel ritibus infidelitatis.

Dices, fides intentionem dirigit, sed nullum est bonum sine intentione recta. Ergo cum in infideli non sit actus fidei, omnis eius actus est peccatum.

Respondeo, fidem dirigere actus respectu finis supernaturalis, sed lumen naturale sufficere ad directionem, respectu alicuius boni connaturalis.

Instabis, Rom. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum, est.* Vbi Glossa ex August. *Omnis infidelium vita est peccatum*, vita autem includit omnem actionem.

Respondeo, ex S. Thom. vel quia vita infidelium non potest esse sine peccato, cùm peccata non tollantur sine fide, vel quia quicquid agunt ex infidelitate & ritu idololatrico, est peccatum: id autem habitualiter faciunt.

Respondeo, ex Pauli sensu hic fidem non sumi pro virtute Theologica, sed pro conscientiæ dictamine, seu pro fide particulari & practica seu credulitate, agere autem contra conscientiam, etsi erroneam, est peccatum, illa enim deponenda est, aut abstinendum ab eo quod vetat. Loquitur hic Paulus scrupulosis qui ex errore conscientiæ putabant non licere sibi vesci cibis lege Mosaicâ vetitis. His ait, qui descernit cibum hunc, v. g. carnem suillam, quasi illicitum, si manducat illum, peccat, quia non ex fide, id est quia non ex credulitate quod id liceat, sed contra conscientiæ dictamen manducat.

Nota S. August. rectè obseruasse cap. 27. opera Gentilium, *si discutiantur, quo fine fiant, vix inuenietur qui iustitiæ debitam laudem mereantur.* Illud *vix* indicat rarissimè, euenisse quòd opus moraliter plenè bonum fecerint, non tamen negat absolutè & si legatur negasse, exponitur de meritorio vitæ æternæ, nec dicas nullum dari infidelibus auxilium gratiæ ante fidei perceptionem, vnde inferas nullum opus moraliter bonum fieri posse contra conclusionem, nam contrarium docet S. August. lib. 1. de grat. Christi cap. 24. probatque exemplo Assueri infidelis, quem gratiæ auxilio ad deponendum furorem & sectandam mansuetudinem, inclinatum ait.

QVÆSTIO VI.

An homo habens gratiam iustificantem indigeat alia actuali ad operandum bonum, & perseuerandum in habituali.

Victoria occurrentium tentationum, & perseuerantia finalis, speciale requirunt auxilium, sine quo iustificatus opus meritorium exercere nequit, vnde sequitur dicendum, perseuerantiæ donum esse distinctum à gratia iustificante seu habituali vt docet Vasquez, tomo 2. in primam secundæ disp. 197. cap. 1.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Auxilium speciale est necessarium ad bonum operandum & ad perseuerantiam.

Probatur ex oratione dominica in qua petimus gratiam non peccandi, seu perseuerandi in gratia iam recepta, frustra autem petitur ait August. in lib. de perseuer. cap. 2. Si non datur à Deo, prima Cor. 10. *Qui se existimat stare videat ne cadat.* Satagendo videat & instanter orando, nam vt Matth. 10 dicitur *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit* & Rom. 9. *Non volentis neque currentis sed miserentis est Dei:* Vbi supponitur status iustificationis *currentis*, & tamen quia Paulus videbat aliquos non perseueraturos, addit, *Miserentis esse*, Dei dantis scilicet donum speciale aliquibus, quo perseuerent, non peccando, & bene operando.

Probatur ex SS. Patribus. August. lib. de grat. & lib. arb. cap. 6. *Necessarium est homini vt gratia Dei non solum iustificetur impius, id est ex impio fiat iustus, cum redduntur ei bona pro malis, sed etiam cum fuerit iam iustificatus ex fide, vt ambulet cum illa gratia & incumbat super ipsam ne cadat.* Et in lib. de bono perseuer. cap. 17. *Videte à veritate quam alienum sit, negare donum Dei, esse perseuerantiam vsque in finem huius vitæ, cum vitæ huic, quando voluerit ipse finem dat, quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseuerare vsque in finem.* Bernard. serm. 3. in Cant. *Non sum contentus priore gratia, quâ iam malorum sum pœnitens, nisi & secundam accepero, vt scilicet dignos faciam fructus pœnitentiæ & deinceps non reuertar ad vomitum.* S. Thom. 2. secundæ quæst. 109. articul. 9. & 10.

Probatur ratione desumpta ex August. lib. de nat. & grat. cap. 26 Sicut oculus corporis plenissimè sanus nisi candore lucis adiutus non potest cernere, sic & homo perfectissimè iustificatus nisi æterna luce iustitiæ diuinicus adiuuetur, rectè viuere non potest, sed iustificatio fit per gratiam, Rom. 1. Ergo homo habens gratiam, indiget alio auxilio ad hoc quòd rectè viuat 2. iustificatus non potest operari nisi excitetur ex parte intellectus & moueatur à Deo ad recte agendum: Excitari autem est auxilium actuale, ergo prima quam habet non sufficit, vnde S. Thom. dicit quod ad rectè viuendum homo indiget duplici auxilio Dei, vno quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura corrupta sanetur, & sanata eleuetur ad agenda opera meritoria quæ excedunt proportionem naturæ. Alio quo moueatur ad ea facienda. Tertiò postulamus quotidie perseuerantiam. *Libera nos à malo*, & gratias agimus de tentationibus superatis Ergo repugnat sine peculiari dono actuali operari bene & perseuerare. Hocque definitum est 23. Canon. sess. 6. Trid. *Si quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei, in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Adde quod habitus non mouent potentiam, nec illam ad operandum iuuant; nisi prius ab ipsa potentia applicentur ad operandum: naturalis autem potentia hominis, non potest per seipsam supernaturalem habitum applicare ad operandum nisi priùs excitetur à Deo, cùm initium omnis boni operis ex Deo sit.

Dices,

Dices, Concil. Mileuit. capit. 3. *exprimere gratiam iustificantem esse adiutorium vt peccata non committantur*; hoc autem est perseuerare in gratia.

Respondet Vasquez & Vega Concilium per gratiam iustificationis non intelligere habitualem quæ est remissio peccatorum, sed auxilia gratiæ vniuersè, non placet, cum Conc. specificè loquatur de gratia iustificationis quæ est ipsa habitualis.

Respondeo habitualem esse adiutorium in quantum ponit hominem in statu majoris resistentiæ quam sit status peccati, quod in aliud trahit, vel quia facilius mouetur Deus ad impertienda noua auxilia necessaria ei qui iam est in gratia vtpote amico suo qui hæc auxilia videtur ex statu suo exigere.

Dices, si habens gratiam alia indiget ad operandum rectè, & abstinendum à peccato, pari ratione obtenta secunda indigebit tertia, sicque in infinitum.

Respondet Sanctus Thomas concludi habitualem secundam non esse requisitam, nihil autem dici contra motionis gratiam.

Instabis, gratia habitualis, aut frustra est, aut imperfecta, si non implet illud ad quod datur, sed gratia datur vt possimus bonum facere, & peccatum vitare. Ergo cum habitualis sit perfecta, valet ad vtrumque.

Respondeo esse perfectam, quia ponit hominem in statu quasi supernaturali & apto ad merendum, sed quia remanet corruptio in carne & concupiscentia inclinans ad creaturas, remanet etiam quædam obtenebratio in intellectu, quia vt ait Paulus Roman. 8. *Quid oremus, sicut oportet nescimus.* & Sapient. 9. *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ nostræ.* Et ideò necesse est renatis & iustificatis dicere. *Fiat voluntas tua. Ne inferas in tentationem.* Hinc est quod operatio Spiritus-Sancti, vel totius Trinitatis non circumscribitur per effectum habitualis doni. Excipe si quis hoc infuso statim moriatur, quod tamen est singularis gratia Sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret, &c.*

QVÆSTIO VII.

An detur gratia sufficiens.

Vidimus in calce primæ quæstionis primam & genericam partitionem gratiæ quæ est in gratis datam & gratum facientem. Species gratis datæ didicimus à Paulo 1. Corinth. 12. Etsi plures in thesauris suis habeat Spiritus-Sanctus. Examinanda est diuisio gratum facientis, quæ inter eas quas refert Sanctus Thomas operantis & cooperantis, præuenientis & subsequentis celebrior est sufficientis & efficacis. Sufficientem negabant Pelagiani, qui vt refert Sanctus Augustinus libro 1. contra duas Epistolas Pelagiani capite vltimo censebant arbitrium ex se sufficere vt perueniret ad salutem. Nouatores eam repudiare coguntur cum apud eos qui à Deo mouentur agant necessariò benè, & qui non mouentur non possint benè agere ac per hoc omnis motio sit efficax nulla sufficiens. Ita Caluinus 1. institut. cap. 3. §. 10. *Voluntatem nostram gratia mouet non qualiter multis sæculis creditum est, vt nostra postea sit electionis motioni, aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo.*

Nota nomen gratiæ sufficientis bifariam sumi apud Theologos. 1. Genericè prout conuenit tam efficaci quam inefficaci. 2. Specificè prout est species quædam ipsius gratiæ sufficientis genericè sumptæ, ac ipsi efficaci opponitur eique tanquam imperfectiori speciei nomen genericum attribuitur.

Auxilium præueniens quo vocamur & incitamur ad bonum, ait Vasquez duplex assignatur à Theologis: alterum est efficax quod effectum habet in nobis, alterum quod posset habere effectum & non habet, vnde Suarez, ait quicquid est efficax est etiam sufficiens, non enim potest causa efficaciter efficere, nisi sit sufficiens, potest verò è conuerso causa sufficiens esse & non efficax, id est actu efficiens, vt si sit causa libera & efficere nolit.

Nota præterea cum dicitur dari auxilium sufficiens homini vt possit operari vel non peccare, duo ibi esse distinguenda. Vnum est id quod per auxiliũ formaliter datur, aliud est, id quod est quasi terminus seu finis talis auxilij. Quod datur formaliter per auxilium sufficiens est *posse*, terminus verò seu finis propter quem datur est *velle*, seu *perficere*. Cum ergo dicitur auxilium sufficiens dari ad posse seu propter posse, si intelligatur quasi de formali effectu auxilij, verissimum est, datur enim vt hominem constituat simpliciter potentem ad volendum: si verò intelligatur de fine seu termino, propter quem datur, falsum est, nam potentia non datur propter posse tanquam propter vltimum terminum, sed propter operari: Sic ergo auxilium sufficiens non solùm est ad posse, sed ad operari; & ideò vt reuera sit sufficiens non tantùm debet dare sufficientiam ad posse, sed ad operari etiam; imò non potest dare primum sine secundo, ait Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 6. Nam potentia non potest simpliciter potentem constituere in aliquo genere nisi in illo sit sufficiens ad suum actum: nec Sancti Patres in eo sensu distinxerunt inter auxilium ad posse & ad velle, quod vnum sit sufficiens ad actum & non aliud; sed quod vnum habeat actum coniunctum & non aliud, potest autem esse sufficiens ad actum & non habere illum coniunctum ob libertatem agentis. habemus testimonium Sancti Augustini libro de correp. & gra. cap. 2. *Dederat Deus adiutorium Adamo sine quo in bona voluntate non posset permanere si vellet: vt autem vellet in eius libero reliquit arbitrio; posset ergo permanere si vellet; quia non deerat adiutorium per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere quod vellet.* Est igitur de ratione auxilij sufficientis, vt ad operandum sit sufficiens, nam alioqui non posset culpæ attribui operationis defectus, sicut ergo homini non præcipitur, vt possit, sed vt faciat, ita ei dandum fuit auxilium sufficiens, vt non tantùm possit, sed etiam vt faciat, si tamen facere voluerit, hoc enim relictum est semper in eius voluntate, sed necessarium fuit prius constitui in eius potestate, & hoc factum est per auxilium sufficiens. His prælibatis.

PROPO

PROPOSITIO CATHOLICA.

IN statu naturæ lapsæ gratia sufficiens datur cui resistere possit & actu sæpè resistit homo.

Probatur ex Scriptura Isai. 1. vbi Deus de Iudæis conquerens sic loquitur. *Habitatores Ierusalem & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam; quid est quod vltra debui facere vineæ meæ & non feci? An quod expectaui vt faceret vuas & fecit labruscas.* Hi quos Dominus parabolicè reprehendit sine dubio non habuerunt gratiam efficacem quæ à nullo duro corde respuitur, nam si habuissent fructum bonum vtique fecissent.

Si verò sufficientem gratiam per quam verè & propriè conuerti possent non habuissent, non verè diceret Dominus. *Quid vltra debui facere & non feci.* Responderent enim non dedisti omnia necessaria ad fructum ferendum. Neque dicas fieri ibi mentionem solius externæ gratiæ, puta Legis Mosaicæ, &c. Cum enim externa adiumenta sola non sufficiant ad benè operandum sine gratia interiori, si hanc Deus non contulisset, quorsum diceret se expectasse, vt bona opera facerent, cùm ad id facultatem sufficientem non haberent. Prouerb. 1. *Vocaui & renuistis extendi manus meas & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis,* quibus verbis conqueritur Deus internas gratias vocantes & excitantes, fuisse despectas Matth. 11. *Væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Hic significatur datam fuisse gratiam incolis, per quam conuerti poterant & tamen noluerunt. Neque dicas Christum hic solùm loqui de miraculis & signis exterioribus; quia Pelagianum esset dicere, quod Tyrij & Sidonij solis exterioribus signis & miraculis sine interioris gratiæ auxilio conuerti potuissent. Ergo de his solis Christus Dominus non loquitur, sed simul de internis gratiæ auxiliis, quæ cum aliis exterioribus miraculorum adiumentis collata fuerunt Iudæis, quæque ipsi ex voluntatis suæ prauitate abjecerant, licet talia essent vt idololatræ ipsi, & perditissimi homines iis acceptis, non solùm ad pœnitentiam conuerti potuissent sed etiam reipsa conuersi fuissent. Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos & noluisti?* De quibus queritur Dominus, non habuerunt gratiam efficacem; hæc enim non est sine effectu, habuerunt autem sufficientem, qua possent velle, quod Deus volebat, alioquin ipse non diceret volui congregare & noluisti, quomodo enim voluit, & ita voluit, vt de nolentibus conquereretur, si eos quos sciebat per se non posse velle non iuuit vt possent velle? Act. 7. *Vos semper Spiritui-Sancto resistitis,* Quid est autem resistere quam inspirationibus internis reluctari? Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurisas tibi iram.* per quid verò benignitas nos ad pœnitentiam adducit, nisi per auxilia gratiæ interioris? Cur autem impij thesaurizant sibi iram nisi gratiæ, illi resistendo? Apoc. 3. *Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi intrabo ad eum.* Vel igitur ij ad quorum cor Deus pulsat habent sufficiens auxilium aperiendi vel non habent, si habent, est quod proponimus, si non, cur obsecro, Dominus pulsat? an ignorat eos aperire non posse, an stultus non esset qui ostium vicini pulsaret, si certò sciret neminem intus esse qui aperire posset.

Probatur ex Sanctis Patribus, Chrysostomo homilia 7. in Ioannem. *Gratia Dei,* inquit, *in omnes diffusa est, omnibus se facilem exhibet omnes pari honore aduocat, qui autem eius munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent.* Ex Leone PP. sermone 2. in Epiphan. *Si dona Dei non irrita fecerimus, per ea quæ dedit merebimur accipere quod promisit.* Ambrosio sermone 3. in Psalm. 118. *Plena est terra misericordia Dei: si quis autem non credit in Christum generali beneficio ipse se fraudat, vt si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus; quia calore eius se ipse fraudauit: sed quod solis est suam prærogatiuam seruat, quod imprudentis est, communis ex se lucis gratiam excludit.* Augustino Epistola 54. ad Macedonium. *Pertinet ad nos vt boni simus accipere & habere id quod dat is qui de suo bonus est, quo quisque neglecto de suo malus est.* Ergo ex mente Augustini negligere & abjicere possumus, quod Deus dat vt boni simus. in lib. 83. quæst. quæst. 68. *Ad illam cœnam quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, neque illi qui venerunt venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libertate.* Et ibidem asserit Pharaonem antequam induraretur fuisse vocatum & potuisse venire, sed quia noluit meruisse obdurationem. Libro de nat. & grat. cap. 63. *Non tibi imputatur ad culpam quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras, neque quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Neque dicat aliquis; ideò hominem dici contemnere Deum sanare volentem, quia vocationi externæ non obtemperat: vocatio enim illa & gratia externa nullatenus hominem sanare potest, nisi adsit etiam interna. Vnde Augustinus lib. de spir. & litt. cap. 4. *Doctrina illa qua mandatum accipimus continenter recteque viuendi sit littera occidens nisi spiritus adsit viuificans.*

Sancto Prospero libro de voc. Gent. cap. 26. *Gratia Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando & fidei affectionibus implendo. Quæ postulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ, quod autem à multis recipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.*

Probatur ex Conciliis, Valentino cap. 2. vbi dicitur. *Malos non ideò perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt.* Vnde sequitur gratiam malis conferri qua boni esse possint, cum ex seipsis & sine ipsa tales esse

esse non possint, sed gratiam ab iis repudiari eo quod boni esse nolint, Sennonensi decreto 15. quò definitur, *tale non esse Dei trahentis auxilium cui resisti non possit.* Tridentino sess. 6. cap 5. vbi dicit peccatores *per excitātem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponi, quippe qui illam abiicere potest*, & Can. 4. anathema dicit in eum, qui dixerit, *Liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum non posse dissentire si velit.* Ex quibus verbis Concilij sic argumentor: gratia illa vocans & excitans, de qua loquitur Concilium, talis est vt sufficiat homini ad conuertendum se & ad bonum operandum. Sed ex mente Concilij homo potest eiusmodi gratiam abiicere etiam tunc quando mouetur, illique dissentirē, Ergo ex mente Concilij potest homo gratiam sufficientem abiicere, illique dissentire.

Probatur ratione qua proposita partitio gratiæ confirmetur: nam si non detur gratia sufficiens, peccator dicitur enexcusabilis Rom. 2. qui agit quæ in aliis iudicat, seu qui peccat, ergo potuit non peccare, alioquin excusabilis esset, vt infert August. lib. de corrept. & grat. cap. 9. ergo habuit gratiam sufficientē ad non peccandum. Hinc Christus ait Ioan. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Tum, Adam non cecidisset sua culpa, nam non habuit gratiam efficacem ad perseuerandum, non enim perseuerauit; vel igitur habuit sufficientem, qua stare posset, vel non habuit, si habuit, hoc volo, si non habuit, certè suâ culpâ non cecidit, non enim culpæ adscribi debet, quod nullo modo vitari potuit. Nec dicas gratiam esse dumtaxat sufficientem, vt homo possit bene operari, non autem vt actu bene operetur; nam sequeretur eum, qui præcise talem gratian habet non teneri bene operari, Ergo si bene non operetur, hoc illi ad culpam imputari non debet, quandoquidem auxilium, quod habet non confert illi vires sufficientes vt bene operetur, sed vt possit bene operari dumtaxat. Quis autem credat eum non obiurgandum qui cum gratia sufficienti non est bene operatus.

DIces 1. Cor. 4. *quis te discernit? quid habes quod non accepisti.* Quibus verbis Paulus declarat non esse in hominis potestate, se ab aliis disernere in iis, quæ ad salutem spectant, sed solius Dei esse proprium. Atqui si posset homo gratiæ consentire vel dissentire, posset etiam per arbitrij vires se discernere ab illo qui gratiæ non est cooperatus.

Respondeo concedendo consentientem libere se discernere à libere non consentiente: Non ideo tamen gloriari debere, quin præcipuum imò totum tribuat Deo, & in eo glorietur cuius gratiâ se discernit. Ratio est quia neque actum illum quo se discernit, neque gratiæ amplexum, (qui non distinguitur à consensu) neque vllum omnino conatum, motum, aut nutum in illum actum fecit, aut facere potuit, aut voluit virtute naturali, sed tantum virtute gratiæ. Nam in eo actu ne minima quidem est ratio formalis, quæ solis liberi arbitrij viribus sit effecta: totum enim illud opus est à gratia, & totum ab arbitrio, sicut quodque opus totum est à Deo vt causa prima, & totum à causa secunda: à gratia habet, quod sit supernaturale, meritorium, omnemque suam dignitatem, à libero arbitrio tantùm habet, quod sit liberum opus. Sic ergo, quia ipse actus & cooperatio liberi arbitrij est à gratia excitante, & cooperante, hinc non magis gloriari potest in sua cooperatione, & electione homo, quàm pauper cui offeruntur centum aurei gloriari potest se eos accepisse. Et hoc tantùm vult Paulus neminem in aliquo ita, gloriari posse quasi suum sit, & à Deo idipsum non acceperit. Alioquin enim omnis virtus & virtuosus per se laude, & gloria est dignus, sed laus hæc vltimò vti & virtus Deo danda est: viribus enim non naturæ, non suis, sed gratiæ, se discernit, & conuertit, quicumque se conuertit & discernit.

QVÆSTIO VIII.

An cuilibet homini detur gratia sufficiens ad salutem.

QVæstio hæc facile resoluitur pro parte affirmatiua ex dictis fol. 66. in quæstione de voluntate Dei, vbi declaraui Deum voluntate antecedenti velle omnes homines saluos fieri: præterea in expositione verborum Symboli, *Qui propter nos homines descendit, &c.* fol 270. Ostendi vniuersaliter omnes omnino homines posse saluari per mortem Christi Redemptoris. Ex quibus necessario infertur prouisum esse de mediis sufficientibus ad salutem omnibus posteris Adæ, ad bene operandum, sicque ad obtinendam vitam æternam si sint adulti, Infantibus verò per baptismum. Quod vt plenius agnoscatur sufficientia & plenitudo gratiæ Dei:

PROPOSITIO CATHOLICA.

DEus cuilibet homini adulto fideli vel infideli, prędestinato vel reprobato, dat gratiam sufficientem ad salutem.

Probatur ex scriptura, quæ multis in locis hoc exprimit Psal. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*, Vbi misericordia exhiberi prius declaratur; nec enim misericorditer ageretur cum omnibus si in iis, quæ salutem spectant aliquid deesset. Prouerb. 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: vsquequo paruuli diligitis infantiam, &c. Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum.* Hæc certè prædicatio generalis apertè significat Dei sapientiam nullum ita deserere, quin aliquando eum vocet, & auxilium det sufficiens Sap. 11. *Misereris omnium Domine, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam: diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Hæc intelligi nequeunt præcisa sufficienti ad reconciliationem impetrandam gratiâ, nec ad electos potest textus restringi, ratio enim cur Deus parcat; redditur, quia creauit, & amat animas quæ creatio communis est. Ezechielis 33. *Peccata nostra super*

per nos sunt, quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos, viuo ego dicit Dominus, nolo peccatoris mortem, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat: conuertimini, conuertimini, & quare moriemini. Illa exhortatio irrisoria esset, & iuramentum *viuo ego nolo mortem impij*, falsum, nisi Deus vires ad conuersionem dedisset. Matth. 5. *Qui solem oriri facit super bonos & malos, & pluit super iniustos & iustos.* Monet S. Ambrof. serm. 8. in Psal. 118. intelligendum esse de sole iustitiæ, & pluuia gratiæ Matt. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* Illa vocatio est generalis: auxilium ergo, quo possint venire homines, debet esse generale Ioan. 1. *illuminat omnem*, 1. Timo. th. 3. *Vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, 2. Pet. 3. *Non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti* 1. Timo. 4. *qui saluator est omnium hominum maximè fidelium* 1. Cor. 15. Pro omnibus mortuus est Christus 1. Timo. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum autem nostris, sed etiam totius mundi* Quomodo hæc vera esse possunt, si non datur omnibus vnde mortis Christi participes fieri queant: nam cum nemo possit sine præueniente dono participare redemptioni, frustra Christus pro omnibus soluit, si noluit omnibus viam aperire, qua ad eum venire possint.

Probatur ex SS. Patrib. post. 13. hæc scripturæ loca. Dionis. cap. 11. cælest. Hier. *nempe*, inquit, *& aliis gentibus ex quibus & nos ad immēsum, & infinitum diuini luminis pelagus, quod semper paratum est, & patet omnibus ad participandum ex præteriti erroris cæcitate respirauimus, ad quod sanè obsequentes ducebant Angeli præpositi singulis gentibus.* Ibi Dionis. quærit cur soli Iudæi Deum verum aliquando coluerint; Gentes autem pene omnes defluxerint ad idola. Respondet id factum ex nequitia Gentiliū qui noluerint, &c.

Irenæo lib. 4. cap. 71. *Vis à Deo non fit, sed bona sententia adest illi* (homini scilicet) *semper & propter consilium, quidem bonum dat omnibus, posuit autem in homine potestatem electionis; abiicientes igitur bonum, & quasi respuentes, merito omnes incident in iustum iudicium Dei.* Consilium ibi; stat pro interna suasione, & sufficienti gratiâ ad conuersionem.

Clemens Alex. in orat, ad Gentes. *Audite*, inquit, *qui estis longè, qui estis prope, nullis celatum est verbum, lux est communis, omnibus illucescit, &c.* Origenes lib. 3. de principij cap. 3. multis argumentis hoc ipsum probat.

Hilar. lib. 1. Trin. det. *Esse*, inquit, *filios Dei non necessitatem esse, sed potestatem, quia propositio vniuersis Dei munere non natura gignentium asseratur, sed voluntas præmium consequatur.*

Ambrof. serm. 8. in Psal. 118. explicans illud, *Misericordia Domini plena est terra: Sol*, inquit, *iustitia omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, vt si quis clausis fenestris radios Solis excludat.* Et lib. 2. de Abel & Cain cap. 5. *Omnibus sanitatis detulit opem, vt quicumque perierit mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit cum remedium haberet quo posset euadere.*

August. lib. 1. de Gen. contra Manich cap. 3. explicans illud Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem: Illud*, inquit, *lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium ad eius præcepta seruanda se conuertunt: quod omnes homines possunt si velint, quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quod confirmat lib. 1. retractationum cap. 10. Idque discipulus eius S. Prosper sæpe confirmat in lib. de voc. gentium cap 14. *Neque ob hoc*, inquit, *excusabiles sunt nationes, quæ aliena à conuersatione Israel spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantia tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratia quæ nunc vniuersum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est vniuersis hominibus superna mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratia fuit, sufficit tamen sicut Dominus indicauit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Idem dicit cap. 26. 28. 31. & cap. 23. non solum adultis, sed etiam paruulis auxilium ad salutem non deesse docet eis duobus consentit Paulus Orosius discipulus alius S. Augustini.

Nota tamen quod quamuis nemo sit cui auxilium gratiæ desit, illud tamen omnibus, non æqualiter: aliis siquidem maius, aliis minus confertur. Patet ex scriptura Psal. 147. Iudæos præ aliis populis vberiora auxilia gratiæ habuisse. *Non fecit taliter omni nationi.* Et Christianos pręinfidelibus beneficiis potioribus gratiæ gaudere Matth. 13. *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Cuius rei alia ratio reddi non potest, quàm illius voluntas, qui diuidit singulis prout vult, quique potest ex eadem massâ facere vas aliud quidem in honorem, aliud verò in contumeliam. Nulli faciendo iniuriam cùm sit bonorū suorum Dominus, & iustè ob peccatum Adæ, quibus vult, imo & paruulis sine baptismo decedentibus gratiam recusare possit. Hic non affectur Probatio ex ratione, quia tota ratio est voluntas Dei.

Dices, multa scripturæ loca dicere homines à Deo indurari, & excæcari Exod. 9. *indurauit Dominus cor Pharaonis.* Isai 6. Matth. 13. Ioan. 12. Rom. 1. nam excæcari, & indurari nihil est aliud nisi diseri ac destitui à Deo, vt à Satana vincantur, vt exponit Chrysost. in 1. Rom. & Aug. lib 5. in Iulian. cap. 3. consequenter defuit illis sufficiens gratia vt conuerterentur.

Respondeo obdurationem peccatoris consistere in substractione gratiæ, quod dicit August. Epist. 105. non obducat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam: duplex autem est, vna absoluta, altera secundum quid. Prior consistit in subtractione cuiuscumque gratiæ: & talis est obduratio dæmonum, & damnatorum. Posterior vero in subtractione gratiæ alicuius specialis, qua efficaciter cor peccatoris moueretur. Quamuis semper aliquod ei gratiæ auxilium sufficiens tribuatur quo posset conuerti si vellet, licet de facto

propter

propter voluntatis prauitatem, non conuertantur. Priori autem modo nulli quantumuis maximo peccatori, quandiu in hac vita degit, gratia subtrahitur, sed tantum posteriori.

Instabis, dici in scriptura peccatores aliquos non posse conuerti, vt Ioan. 12. non poterant credere, quia dixit Isaias excæcauit oculos eorum. Ergo defuit sufficiens.

Resp. scripturam his verbis significare solùm aut maximam in agendo difficultatem, quæ moralis impossibilitas dici solet, aut impossibilitatem consequentem: quia scilicet Deus præuiderat fore, quòd quamuis illi signis externis, & gratiis internis excitarentur ad fidem, minimè tamen ex prauitate voluntatis crederent: atque ita Aug. tract. 53. in Ioan. exponit hunc locum. *Propterea*, inquit, *non poterant credere, quia hoc Isaias dicit: hoc autem Propheta prædixit, quia hoc Deus futurum præsciuit: quare autem non poterant? cito respondeo, quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem præuidit Deus.*

Obseruant autem rectè aliqui doctores, fieri interdum posse vt peccator induratus in tantam prauitatem decidat, vt inde resurgere nequeat nec ad id sufficientem gratiam habeat, Deo sic permittente, & iuste illi gratiam hanc subtrahente in præteritorum peccatorum punitionem. Nunquam tamen deesse gratia postulandi, & impetrandi auxilii diuini.

Dices Rom. 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante?* Ergo ij quibus Euangelium, quod est initium salutis, non est prædicatum, non habent sufficientem gratiam.

Respondeo, hoc argumentum solùm probare non adesse omnibus auxilium, quo possint immediatè conuerti, & credere, non tamen probat simpliciter defuisse aliquibus sufficiens auxilium ad salutem. Hi enim qui nondum habuerunt notitiam Euangelij, possunt cognoscere Deum per creaturas, & proinde possunt à Deo per gratiam præuenientem excitari ad credendum de Deo, *Quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Et ex tali fide possunt excitari ad orandum, & moraliter viuendum, sicque impetrare maius fidei lumen, quod Deus per se vel Angelos facile comunicabit: ita S. Tho. in q. 14. de veritate ar. 12. ad 1. affertque exemplum Cornelij, qui ex fide vnius Dei orabat, & eleemosynas dabat, sicque impetrauit, vt per Angelicam admonitionem & Apostolorum prædicationem baptisma susciperet. Absolutè ergo loquendo non potest dici, quod aliqui non possunt saluari ex defectu gratiæ necessariæ ad credendum in Christum, quia qui hanc non habent, habere possunt, culpáque propria priuantur, quia scilicet abutuntur gratia illa prima sufficienti, quâ dictamine legis naturæ possent contra illud met non peccare.

QVÆSTIO IX.

An detur gratia efficax, & quid sit.

Vera decisio tam admirabilis, & famosæ quæstionis, quæ à tanto tempore litteratiores exercet, pédet ex intelligentia, & vsurpatione vocis *Efficax*, nec non & vocis *Sufficiens*; pódus enim difficultatis versatur circa terminos. Iam dixi sufficientem gratiam includere omnia necessaria principia ad actum eliciendum, ita vt ad actum nihil desit ei præter consensum, nam si desit aliquod principium necessarium, iam non est sufficiens, nec consequenter voluntas, quæ ex se ad actus supernaturales indiget auxilio, poterit operari. Iam enucleandus est Terminus iste *Efficax*, quem animaduerto dupliciter sumi.

Primò late in quantum gratia v. g. apta est ex se consensum voluntatis simul cum ipsa efficere, nisi prauitas illius obstet: sic sermo Dei, sic medicina vocatur efficax, & eo sensu, quælibet gratia sufficiens, etiam ea, quæ respuitur, & cui resistitur, dici potest efficax, quia ex se apta est ad illum voluntatis consensum eliciendum, quamuis reipsa ob eius resistentiam non eliciat.

Secundò solet significare virtutem actu coniunctam cum actu, seu gratiam cum consensu, nec ideo gratia ab arbitrio pendet, sed tantùm sequitur non posse exercere actum sine consensu.

Tertio dicitur efficax non solum quia habet virtutem aut actu facit, sed quia ita effectiua est, vt infallibiliter operetur consensum, estque hoc intelligendum de gratia per modum principij, nam per modum concursus iam supponitur actio, & esset nugatio.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Datur gratia efficax per quam infallibiliter voluntas operatur. Probatur ex scriptura, Ez. 36. *Spiritũ meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Vbi quia de gratia efficaci sermo est, non dicit Dominus *ambulare possitis*, sed vt *ambuletis* actu, exprimente autem Deo actum ipsum, quis contra suspicari audebit fortè futurum esse, vt non ambulent? aut quod est idem, nolint ambulare in præceptis, quos Deus ambulaturos esse confirmat?

Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Vbi Christus, ad infallibilem effectum exprimendum illius Patris motionis, subdit: *scriptum est in prophetis*, scilicet Isaia cap. 54. *& erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quod si omnis qui audit & discit à Patre, venit ad Christum, nullus est qui audiat & discat, qui non veniat, est igitur quędam vox Patris intus in corde loquens, quæ infallibiliter persuadet: istam vocem vocamus gratiam efficacem. Hinc Psal 93. *beatus homo quem tue rudieris Domine.* Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Ioan. 10. *Oues meas nemo rapiet de manu mea.* Ideo enim non rapiet, quia dabit eis gratiam efficacem, per quam infallibiliter perseuerent vsque in finem.

Rom. 8. *quos vocauit hos & iustificauit.* Loquitur enim de vocatis secundùm propositum, vt ex verbis præcedentibus constat, ista vocatio secundùm propositum, quam nullus vocatus contemnit, gratia est efficax.

Probatur ex SS. Patribus August. lib. de

grat. & lib. arb. cap 5. *Vt Paulus de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola, quia eius merita erant magna, sed mala.* Lib. de prædest. Sanctorum cap. 12. *Hæc gratia secreta est quæ cum occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Et lib. de grat. ex lib. arb. cap. 16. *certum est*, inquit, *nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, prebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis.* S. Prospero qui in libro contra Authorem Collationum, sic Cartag. Concilij definitionem refert à Zozimo Papa confirmatam. *Per vos ergo, ô Scelestæ Semipelagianorũ antesignane, ducenti quatuordecim Sacerdotes errauerint, qui definiere, gratia Dei per Christum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam iustitiam, nos per actus singulos aduuari: ita vt sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere, valeamus.*

Probatur ex Conc. Arausic. 2. can. 6. vbi dicitur per infusionem & inspirationem Spiritus sancti fieri in nobis vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet, agere valeamus.

Probatur ratione: quia sublata gratia efficaci tollitur fundamentum diuinę prædestinationis, quæ vt ait August. lib. de præd. SS. cap. 10. *est gratia* præparatio, gratia verò ipsa donatio: At præparatio gratiæ sufficientis est etiam communis reprobis. Tum, si lib. arb. facit efficaciam: illud discernit contra 1. Cor. 4. Quæ obiici possunt contra istam gratiam, facilius resoluentur post sequentem quæstionem.

QVÆSTIO X.

In quo proprie consistat efficacia gratiæ.

NOdus est hic gordianus, cui soluendo requiritur gratia ipsa illustrans efficaciter. Nouatores dogmatizant esse motionem quandam, & impulsionem à Deo voluntati creatæ impressam, quâ sic impellitur, ab eius vi physicè ad agendum prædeterminante, vt non possit non agere, nec motioni resistere. Hæc sententia duas hæreses continet. Vnam, quæ negat liberum arbitrium. Alteram, quæ sufficientem gratiam explodit. Ideo Catholici in hoc sensu negant auxilium efficax, id est necessitans, sed in explicatione efficaciæ diuisi sunt. Nam vt ab hæreticis recedant. Molinistæ dicunt auxilium dici tantùm efficax ab effectu, & negant esse ex se efficax, sed tantùm accedente consensu libertatis, à quo omnino pendet, vt sufficiens ex se, fiat efficax: Sed sic explicata sententia, multas habet difficultates, nec satis à Pelagianismo deflectit, nec consonat modo loquendi scripturæ, dicentis Rom. 9. *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, & 1. Cor. 4. *quis te discernit?* Et ratio hoc confirmat, nam non dicitur efficax, quia facit, sed quia vires efficacissimas præbet voluntati. Est ergo gratia efficax principium seu auxilium, quod peculiarem vim habet ex se, & efficaciam ad inducendum voluntatem, vt consentiat, nec omnino sub[illegible] est, aut pendet ab arbitrio, quod alias solum se discernere dici posset.

S. Augustin. constituit efficaciam gratiæ in congrua applicatione gratiæ, seu vocatione, & contemperatione vocationis diuinæ cum libero arbitrio, qua posita iuxta præscientiam diuinam, sequitur infallibiliter effectus. Lib. 1. ad Simplicium quæst. 1. sic habet. *Non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quo aptum erat eis qui sunt sequuti, nam cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat*: est postea, *verum ergo est, multi vocati, pauci electi: illi autem qui non congruebant, nec contemperabantur vocationi, non electi, quia non sequuti, quamuis vocati.*

Probatur autem consistere in congruitate, nam illa efficacia constituenda est, vel in aliqua vi intrinseca prædeterminandi voluntatem, aut in cooperatione voluntaris, aut in congruitate ipsius cum voluntate. Primum reiectum est, secundum refellitur, quia non ideo gratia est efficax, quia voluntas operatur, quin potius voluntas operatur, quia gratia est efficax; quare efficacia gratiæ non potest formaliter sumi à cooperatione voluntatis, cum sit causa illius & eam præcedat, vnde Augustin. agẽs de gratia efficaci vocat, eam *altam, secretam, & secundum Dei propositum*, atque à nullo corde respui, & ita agere sensum, vt accomodare faciat assensum. Quæ & similia planè indicant efficaciam gratiæ antecedere consensum voluntatis, ac proinde non posse in eo consistere.

Restat ergo vt tertium sit verum, cùm non appareat in qua alia re constitui possit efficacia gratiæ. Maxima ratio adducitur, quia est opinio S. Augistini, qui præ cæteris nuncupatur doctor gratiæ, eo quod primus elucidauerit difficultates à Pelagianismo ortas.

Tum cùm difficile sit libertatem conciliare cum certitudine prædestinationis, & efficacia gratiæ, ille modus amplectendus est tanquam probabilior, qui ex vna parte non officit libertati, ex alia verò certitudini prædestinationis, & gratiæ efficacitati sufficienter prospicit. Hoc autem rectè fiet, si dicas prædestinationem habere suum effectum per auxilia quidem secundum se repudiabilia; sic tamen genio voluntatis accomodata, vt iuxta præscientiam Dei effectum sint infallibiliter habitura: & hæc auxilia, seu congrua datio gratiæ necessaria est ad omnes bonos actus; & sic efficacia secundariò pendet ab arbitrio. Quod autem sæpius Deus det gratiam quando non est congrua, seu quando videt non acceptandam: inde tantùm sequitur non omnino absolutè & efficaciter intendisse salutem sic vocatorum, quod non est inconueniens, quia nemini debitor est, nullique iure tenetur efficaciter intendere Quod autem gratia congrua faciat velle, ponitur:

PROPOSITIO CATHOLICA.

GRatia efficax, non tantùm facit vt voluntas velle & operari possit, sed etiam vt re ipsa velit & operetur, idque infallibiliter, & vt loquitur S. August. *indeclinabiliter, inseparabiliter,*

perabiliter, ac inuictissime.

Probatur ex scripturæ locis supra allatis, & Ezech. 11. *Auferam à vobis cor lapideum.* Probatur ex variis S. Augustini testimoniis, præsertim lib. de corrept. & gratia cap. 12. vbi sic loquitur, *Subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur*; Et Paulo post dicit, *ipsam gratiam efficere in hominibus, vt Deo donante inuictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere inuictissime nollent.*

S. Gregor. in hæc verba Iob cap. 12. *Si Deus destruxerit, nemo est qui ædificet, si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* Sic loquitur, *Omnipotens Deus humanum cor destruit, cum relinquit; neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa: vnde plerumque fit, vt cum audientis cor exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratiâ non repletur in caussum exterius à prædicatore moneatur: quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui adspirat verba quæ audiuntur.* Hinc Propheta ait, *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam: hinc Salomon ait, consideraui opera Dei, quia nemo possit corrigere quē ille despexerit; Nec mirum si à corde reprobo prædicator minime auditur, dum nonnunquam ipse quoque Dominus in his quæ loquitur, resistentium moribus impugnatur. Hinc est quod Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit, quia exigente culpa malitiæ iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Bene autem subditur, si incluserit hominem, nemo est qui aperiat: Quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis.* Innocentius primus epist. ad Conc. Chartag. contra Pelagianos definiuit, fieri non posse victoriam de tentationibus sine gratia efficaci. *Quatidiana*, inquit, *præstat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos poterimus errores vincere. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.*

Propositionis pars altera, *Libertas voluntatis humanæ stat cum hac infallibili, indeclinabili, insuperabili, ac inuictissima efficacia gratiæ*, ita vt possit semper homo gratiam illam quam recipit & cui consentit, abiicere, illiq; dissentire, si velit.

Hoc satis constat ex ante dictis, & confirmatur ex 2. Cor. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ex quibus sequitur eam posse in vacuum recipi, hoc est abiici, & repudiari, & in vacuum non recipi, hoc est in voluntate consensum operari, alias frustra hortaretur Apostolus. Et ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. vbi expressis verbis dicit hominem gratiam illam, cui libere assentitur, & cooperatur, posse abiicere si velit, vnde & canonem 4 statuit anathematis in eum, *qui liberum arbitrim dixerit se habere merè passiuè, neque dissentire, si velit.*

Probatur & ex Aug. lib. 2. contra Petilian. cap. 84 *Si tibi*, ait, *proponam quæstionem quomodo Deus Pater attrahit ad filium quos in libero dimisit arbitrio. Fortassis eam difficile soluturus es: Quomodo enim attrahit, si dimittit, vt quod voluerit eligat, & tamen vtrumque verum est.* Idem testatur Franciscus Salesius lib 2. diuini amoris cap. 12. dicens *voluntatem nostram cùm motionem diuinæ gratiæ sequitur, æquè libere illi consentire, atque libere eidem dissentit, quando illam abiicit.* Atqui quando voluntas gratiæ dissentit, posset illi consentire, si vellet. Ergo & contra.

QVÆRES, *Quomodo gratia inuictissime & voluntas eidem liberrime operetur?*

Respondeo Deum solum nosse qui id efficit. Hoc ipse fatetur Aug. lib. de grat. Christi cap. 24. *Fatemur*, inquit, *interna atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari in cordibus hominum, non solum veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates*; Et Epist. 107. gratiam efficacem dicit esse *Vocationem altam, ac secretam*; & lib. de spir. & litt. cap. 34. *Cur*, inquit, *illi ita suadetur, vt persuadeatur, alteri autem non ita? duo sola occurrunt, quæ respondere placet: ô altitudo diuitiarum, &c. & nunquid est inquitas apud Deum! Cui responsio ista displicet quærat doctiores, sed caueat ne inueniat præsumptiores.* Quare hic dicamus, quod idem Aug Epist. 3. ad Volusian, alia occasione dixit, *demus Deum aliquid posse quod nos fatemur inuestigare non posse.*

Deo volenti ait Aug. lib. de corrept. & grat cap. 14. *nullum hominis resistit arbitrium, sic enim velle & nolle, in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.*

Clemens VIII. in Congregatione de auxiliis, anno 1602. die 20. martij celebrata, apud S. Petrum ad componendam controuersiam inter Dominicanos docentes efficaciam gratiæ consistere in vi quadam prædeterminante voluntatē nostram ad consensum: & Iesuitas, qui sententiam Molinæ asserentis efficaciam pendere omnino à consensu libero voluntatis, mordicus defendunt, commendauit vtrisque vetustissimos, & sanctissimos viros Hieronimum, Ambrosium, Augustinum, Prosperum, & alios, qui nullis vigiliis, aut labori parcentes aduersus Pelagianos constantissimè dimicarunt. *Cedite Patribus, cedite*, inquit, *veritati, ita inquirendæ & indagandæ veritati operam nauate, vt à vero sensu Scripturarum, & à defæcata S. Augustini doctrina, quam & Ecclesia doctrinam esse nemo vestrum ignorat, nullius inuidiæ, & liuoris facibus impediamini.* In progressu Controuersiæ Clemens dixit, *si quis quærat vnde gratia suam vim, & efficaciam habeat: August. variis in locis eam ab Omnipotentia diuina manare docet.* Idem fere habet S. Tho. prima 2. q. 112. art. 3. Præparatio ad gratiam dupliciter considerari potest, vno modo secundum quod est à libero arbitrio, & secundum hoc nullam habet necessitatem ad gratiæ consequutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo potest considerari secundum quod est à Deo mouente, & tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest, secundum quod Aug. dicit lib. de dono perseuerantiæ cap. 14. Quod per beneficia Dei certissimè liberantur quicumque li-

 berantur.

betantur. Vnde si ex intentione Dei mouentis est, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur: secundùm illud Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Hæc Molinismū apertè destruunt: ex quibus non est difficile perspicere quàm procul ab Aug doctrina & sensibus aberrauerint, qui nobis talem gratiam procuderunt, quæ semper explorat, expectátque voluntatem hominis, ne si fortè pertinacior fuerit, cassa, & inanis gratia & effectus diuinæ misericordiæ irritus humana potestate reddatur. Nempe vt sit quædam potentialis gratia, cum qua homo credat, conuertatur, operetur si velit, sin vero nolit, nullus operation aut volūtatis sequatur effect.

DIces, intelligi non potest, quo pacto gratia efficax consistat in interna suasione, quæ per liberum arbitrium respui potest, & tamen infallibilem effectum habeat. Ergo gratia non est efficax ex se.

Resp. Deum iis quos efficaciter & infallibiliter trahere decreuit, eam suasionem & gratiam adhibere, quam videt (vti præscius de quolibet futuro euentu in quauis conditione & circumstantia) congruere ingenio eorum, & quam certò nouit ab eis non contemnendam.

Instabis, ergo multi vocantur quando non sunt consensuri, multique non vocantur, quando præuidentur sequuturi: hoc autem absurdū videtur & indignum bonitate infinita Dei.

Resp. vtrumque verum esse. *Vocaui & renuistis*, hoc satis constat pro primo membro: pro secundo Christus asserit Matth. 11. Tyrios & Sidonios pœnitentiam acturos fuisse in cinere & cilicio, si ea signa vidissent, quæ Galilæi videbant, qui tamen iis visis non conuertebantur. Itaque Dominus vocauit Galilæos quando vidit eos non conuertendos, noluítque signa facere coram Tyriis, eósque vocare, quando vidit conuertendos, si per ea signa vocati fuissent. Id tamen non est absurdū, ait Aug. Ep. 106 & alibi. *Quia non tenetur ita vocare, & iustè potest deserere, cum natura sint filij iræ: vocat autem cùm videt non sequuturos, tum vt ostendatur vis liberij arbitrij, tum propter electos*, vt ipsi intelligant in perditione eorum quam gratiam acceperint à Deo, qui ita vocauit, vt videbat infallibiliter sequuturos. Neque reprobi culpam vllam suæ inobedientiæ in Deum referre possunt, cum non præscientia Dei, sed ipsorum voluntas causa fuerit, vt vocationi non acquiescerent.

DIces, ex illa interpretatione congruæ vocationis posse accidere, vt aliquis non possit à Deo efficaciter vocari, licet Deus velit, quia, vt Deus hoc possit necessarium est, vt Deus cognoscat quid sub tali vel tali conditione faceret homo, si Deus vocaret, & talis scientia cōditionata non debet poni in Deo.

Resp negando conseq habet enim Deus, ait Vasq. scientiam futuræ nostræ voluntatis ante determinationem suæ, qua scit quid facturus sit homo, vel non facturus in tali & tali occasione.

Instabis, licet in præscientia diuina supponatur quid facturus sit homo in tali occasione constitutus, tamen reipsa homo est volituius ex se liberè & suo arbitrio, ita vt non ideò id sit facturus, quia Deus id præsciuit, sed è conuerso, ideò Deus præsciuerit, quia ipse est facturus. Ergo in re ipsa efficacia gratiæ reducitur ad liberum arbitrium, & Deo solùm tribuitur, quod tunc gratiam vocationis tribuerit, quando liberum arbitrium non erat repugnaturum.

Respondeo, multum differre opinionem S. Aug. quam amplector, ab illa Iesuitana, quæ totalem efficaciam gratiæ vult pendere à voluntate humana; nam nostra vult pendere à voluntate Dei, ad quam gratia excitans & adiuuans, quæ datur & habet habitudinem ad liberum arbitrium, dicit respectum singularem ad voluntatem Dei mouentis congruè.

Instabis, detur gratia æqualis Petro & Paulo, v.g. æqualiter affectis, (alioquin non esset æqualis) & æqualiter omninò, vt supponitur, tentatis, vnus resistat, & alter cadat; nam libertas in vtrumque flecti potest, nonne causa diuersitatis referenda est in liberum arbitrium, vt cōcedit Aug. 11. ciu. c. 6. Ergo efficacia non est à gratia, sed à libero arbitrio.

Resp. cum eodem, causam diuersitatis referendam quidem esse in arbitrium, sed non primam causam; nam prima causa fuit, quia Deus vni dedit inspirationem, quam præuidit ab arbitrio amplectendam, alteri dedit eandem, sed quam præuidit ab arbitrio reijciendam.

DIces, interdum contingit, vt homo ex innata libertate nolit facere, quod sibi cōgruit; ergo efficacia gratiæ non consistit præeisè in tali congruitate, quia aliàs contingeret gratiam efficacem carere effectu, quod repugnat.

Resp. omnia auxilia, quantumuis congrua in actu primo reijci posse, cùm voluntatem non prædeterminent, nunquam tamen contingere, quod homo respuat illud auxilium, quod illi ita congruit, vt iuxta infallibilem præscientiam Dei habiturum sit effectum.

Instabis, vel potest homo conuerti sine auxilio congruo, vel non potest, si non potest; Ergo illi tantùm possunt conuerti, qui de facto conuertuntur, cum alij careant auxilio congruo. Si potest, supponamus quod de facto conuertatur, tunc, vel illius conuersio fiet sine gratia efficaci, quod dici non potest, vel certè dicendum erit gratiæ efficaciā non cōsistere in illa congruitate.

Resp posse hominem antecedenter conuerti, etsi non habeat auxilium efficaciter congruum, non tamē consequēter, quia ex hypothesi, quod conuertetur, consequens erit tum fuisse vocatū eo modo, quo iuxta præscientiam Dei congruebat, vt vocationem non sperneret.

Instabis, vel potest homo abijcere gratiam congruam vel non potest, si potest, ergo gratia efficax potest frustrari suo effectu, quod cum repugnet, dicendum est efficaciam non consistere in congruitate, si non potest abijcere; ergo tollitur libertas.

Instabis, supponamus duos homines æquali gratia præuentos, tunc vel vterque consentiet si scilicet gratia sit congrua, vel vterque dissentiet, si congrua non sit. At hoc repugnat libertati, quia cùm liberum illud sit, quod positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, vel non agere, necesse est, vt vnus ex illis possit consentire, etsi alter non consentiat.

Resp. negando minor. quia etsi cum gratia physicè, seu entitatiuè, & moraliter seu circumstantiata penitus æquali, vterque consentiat, aut vterque dissentiat, vterque tamē spectata gratia in actu primo liber manet ad consentiendum, vel dissentiendū, proindéq; etsi vnus cōsentiat, alter dissētire potest Quod sufficit ad libertatē.

SANCTISSIMI

SANCTISSIMI IN CHRISTO P. AC

D.N.D. INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE DECIMI,

Conſtitutio qua declarantur, & definiuntur quinque Propoſitiones in materia Fidei.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei Vniuerſis Chriſti Fidelibus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.



CVM occaſione impreſſionis libri, cui Titulus, AVGVSTINVS CORNELII IANSENII Epiſcopi Iprenſis, inter alias eius opiniones, orta fuerit, præſertim in Galliis, Controuerſia ſuper quinque ex illis compluces Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, vt eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam & perſpicuam ferremus ſententiam.

TENOR PRÆFATARVM PROPOSITIONVM eſt, prout ſequitur.

Prima, Aliqua Dei præcepta hominibus Iuſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant.

Secunda, Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

Tertia, Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Quarta, Semipelagiani admittebant præexiſtentis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Quinta, Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

NOS quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant: Illa in primis cordi est, vt Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis prauarum opinionum erroribus, tuto militare, & tanquam nauis in tranquillo mari sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis securè nauigare, & ad optatum salutis portum peruenire possit.

Pro rei grauitate coram aliquibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, ac pluribus in sacra Theologia Magistris easdem quinque Propositiones suprà nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorúmque suffragia, tum voce, tum scripto super eisdem, ac super earum qualibet differentes audiuimus; cum autem ab initio huiusmodi discussionis ad diuinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tum priuatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem feruentibus, ac per nos sollicitè implorata Sancti-Spiritus assistentia, tandem diuino numine fauente, ad infrà scriptam deuenimus declarationem & diffinitionem.

Primam prædictarum Propositionum (aliqua Dei præcepta hominibus Iustis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant) temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Secundam (Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ non resistitur) hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Tertiam (ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione) hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quartam (Semipelagiani admittebant præexistentis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiàm ad initium fidei, & in hoc erant hæretici quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare) falsam & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quintam (Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse) falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu (vt Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit) impiam, blasphemam, contumeliosam, diuinæ pietati derogantem & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

MAndamus igitur omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus ne de prædictis Propositionibus sentire, docere, prædicare, aliter præsumant; quam in hac præsenti nostra declaratione & definitione continetur, sub censuris & pœnis contra hæreticos & eorum fautores in iure expressis.

Præcipimus

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, vt contradictores & rebelles quoſcumque, per cenſuras & pœnas prædictas, cæteráque iuris & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis omninò coërceant & compeſcant; non intendentes tamen per hanc declarationem & definitionem ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam, approbare vllatenus alias opiniones quæ continentur in prædicto libro Cornelij Ianſenij. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, pridie Kalendas Iunij, Pontificatus Noſtri anno nono.

Hi datarius G. GVALTERIVS. P. CAMPIANVS.

ANno à Natiuitate D. N. I. C. milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio indictione ſexta Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac D.N.D. Innocentij diuina prouidentia Papæ decimi anno eius nono, die verò nona menſis Iunij ſupradicta Conſtitutio affixa & publicata fuit in Eccleſiæ Lateranenſis ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, nec-non Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, ac in acie campi Floræ, per me Hieronymum Maſtillam Sanctiſsimi D.N.Papæ Curſorem, pro D.Magiſtro Curſorum. P.Paulus Deſiderius Curſor.

Typis editum eſt Mandatum illuſtriſſimi Archiep. Pariſ. pro publicatione & obſeruatione prædictæ Conſtitutionis.

IOANNES FRANCISCVS DE GONDY Dei & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Archiepiſcopus Pariſienſis, &c. Datum in Conuentu Capucinorum Suburbij Pontoeſiæ die decimaquinta Iulij 1653.

DE MONACHISMO eiúſque priuilegiis.



ONGRVENTER à Tractatu de legibus Eccleſiaſticis proponimus inſtitutionem Monachiſmi, ſeu iuſtitutum Religionum diuerſarum, quæ ſunt in Eccleſia, cum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. prohibitum ſit cap. vltim. *Ne quis de cætero nouam Religionem abſque Summi Pontificu approbatione inducat.* Idque iam ſit de nouo iure Eccleſiaſtico, vt approbet Papa.

Monachiſmus eſt genus vitæ inter Catholicos arctioris ac ſublimioris quàm aut lex diuina aut humana præſcribat, liberè enim eligitur & ſpontaneè cum voto obſeruationis perpetuæ aſſumitur. Fundatur in Scriptura Matth. 19. Marc. 10. Luc 18. *Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & ſequere me, & habebis theſaurum in cælo.* Quod dixit Chriſtus adoleſcenti quærenti quid faceret, vt vitam æternam conſequi mereretur, quibus verbis normam Monachiſmi ſeu Religionis nobis tradidit, quæ perfectionis apicem ipſius Chriſtianæ religionis profitetur, ait Auguſtinus: vnde nomẽ mutuatum eſt Monachi vel Religioſi. Monachi dicuntur, ait Dionyſ. libro 6. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. *Quod rebus diuiſibilibus relictis monadi, id eſt diuinitati ſoli placere contendant, ipſique ſoli per contemplationem inhæreant.* Religioſi nuncupantur, ait Sanctus Thomas 2. 2. quæſt 86. quod ſe totos Dei obſequio mancipauerint. Religio enim eſt virtus, qua Deo debitum cultum exhibemus; licet enim omnes probi Chriſtiani dici poſſint Religioſi ſi Deo ſeruiant, vt eorum requirit vocatio: ita illi per Antonomaſiam dici debent Religioſi qui nulli rei ſeruiunt niſi Deo: Regulares ij quoque ſolent dici, quo nomine Concilia paſſim vtuntur, quòd certæ regulæ viuendi addicti ſint.

Quantum autem ad rem, Religio vt hic accipitur ſic definiri poteſt: Religio ſeu Monachiſmus eſt ſtatus hominum ad perfectionem Chriſtianam per paupertatis, continentiæ & obedientiæ vota tendentium.

Nota primò veram perfectionem conſiſtere in charitate, perfectio enim vniuſcuiuſque rei in eo poſita eſt, vt fini ſuo vltimo arctiſſimè coniungatur, finis autem hominis Deus eſt; Charitas autem maximè vnit hominem Deo ex 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* & Coloſſ. 3. Charitas eſt vinculum perfectionis, id eſt vinculum quod hominem cum Deo ligans perfectum hunc facit, vel vt exponit Chryſoſtomus vinculum quod ligans & continens in homine omnes virtutes ipſum reddit perfectum, ſicut enim ſpiritus humanus ligat & continet omnes humores & partes alioqui dilapſuras, ita Spiritus-Sanctus inhabitans corda noſtra per charitatem continet omnes virtutes alioqui facilè dilapſuras, quod etiam Paul. oſtendit 1. Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c.* & 1. Timoth. 1. *Finis præcepti Charitas.*

Nota ſecundò ex Sancto Thoma opuſc. de perfectione, quatuor eſſe gradus Charitatis, proinde quatuor eſſe gradus perfectionis. Perfectum enim illud dicitur, cui nihil deeſt in ordine ad aliquem finem, quare non repugnat aliquid eſſe perfectum & imperfectum ſi comparetur ad diuerſos gradus, ſeu etiam fines.

Primus gradus Charitatis, eſt diligere Deum quantum eſt diligibilis, id eſt infinito amore, qui gradus ſoli Deo conuenit, & idcirco ſolus Deus in ordine ad iſtum gradum perfectus eſt. Angeli & omnes Sancti imperfecti quanquam hæc imperfectio non eſt propriè dicenda priuatio, aut vitium, ſed pura quædam negatio.

Secundus gradus eſt diligere Deum, non quantum eſt diligibilis, ſed quantum poteſt creatura diligere Deum, ita vt ſine intermiſſione in eum ſemper feratur per affectum, & de eo cogitet, & ne primos quidem motus cupiditatis ſentiat contra Deum. In hoc gradu verſantur Beati, quorum comparatione omnes alij ſunt imperfecti, quare Paul. Philipp. 3. qui dixerat. *Quicumque perfecti ſumus hoc ſentiamus*, idem ait, *non quod iam acceperim aut iam perfectus ſim.*

Tertius gradus eſt diligere Deum non quãtum eſt diligibilis, nec quantum poteſt creatura quælibet abſolutè diligere, ſed quantum poteſt creatura mortalis quæ à ſe remouit omnia diuini amoris impedimenta, & totam ſe Dei obſequio conſecrauit. Qui verſantur in hoc gradu imperfecti ſunt reſpectu Beatorum, ſed perfecti reſpectu aliorum hominum etiam iuſtorum & piorum, & hæc eſt perfectio de qua loquuntur Theologi cùm dicunt ſtatum Epiſcoporum eſſe ſtatum perfectionis adeptæ, & ſtatum Religioſorum eſſe ſtatum acquirendæ; hoc enim intereſt inter Epiſcopos & Religioſos, quod Religioſi non tenentur continuò eſſe perfecti, ſed tantùm aſpirare ad perfectionem; verſantur enim in exercitatione virtutis & remotione impedimentorum. At Epiſcopi debent eſſe perfecti, id eſt ad eum gradum charitatis perueniſſe ad quem Religioſi per ſua exercitia & vota tendunt, propterea in definitione diximus Religionem eſſe ſtatum hominum tendentium ad perfectionem

Quartus gradus, eſt diligere Deum, non quantum eſt diligibilis, nec quantum poteſt creatura vel abſolutè, vel in hac vita diligere, ſed tamen ita vt nihil æquè aut magis quàm Deum diligat, id eſt nihil admittat contrarium diuinæ dilectioni, & hic gradus

gradus inirndus eſt omnibus & quandam habet perfectionem licet reſpectu ſuperiorum graduum ſit imperfectus; vnde 1.Ioan.2. dicitur. *Qui ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*, & tamen Matth.19. Dominus ei qui dicebat ſe omnia præcepta ſeruaſſe ait, *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia & ſequere me.* Loquitur Ioannes de iſto quarto gradu; Dominus autem de tertio, de quo in definitione & tractatu Monachiſmi ſeu Religionis agimus.

Nota tertiò, inſtrumenta aptiſſima ad hanc perfectionem acquirendam eſſe illas tres virtutes, paupertatem, continentiam & obedientiam, nam vt quis perfectè diligat debet & ſe totum tradere Deo, & omnia remouere impedimenta, vtrumque autem conſequimur per has virtutes; tradimus enim nos totos Deo, quando tradimus corpus per continentiam, res externas per paupertatem & animum per obedientiam, nihil præterea nobis ſupereſt, item per has virtutes remouentur impedimenta omnia diuini amoris. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* ex 1.Timoth.6 vti ex Auguſtino ſermone 12. de verbis Domini. *Charitas eſt radix bonorum omnium.* Omnis autem mala cupiditas ad tria capita reuocatur, ad luxuriam, auaritiam, ſuperbiam, quod innuit Ioannes 1.cap.2. *Quidquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* & probatur ratione; quia in homine duplex eſt appetitus, concupiſcibilis, ſcilicet & iraſcibilis: ille appetit bonum abſolutè, iſte bonum arduum, ille duplex eſt, naturalis & animalis, naturalis appetit ea bona quæ ſunt neceſſaria ad naturam conſeruandam, tam in indiuiduo, vt cibum & potum quàm in ſpecie, vt actum generationis; qui appetitus cùm eſt inordinatus dicitur incontinentia, & à Ioanne, *concupiſcentia carnis.* Animalis appetitus dicitur ille quo appetimus ea quæ ſunt bona ſecundùm exiſtimationem, vt pecunias, veſtes, lapides pretioſos, & ſimilia quæ non appetuntur à beſtiis quibus nō ineſt appetitus, niſi naturalis, & hic appetitus cum eſt inordinatus dicitur auaritia vel curioſitas, & à Ioanne *concupiſcentia oculorum.* Denique appetitus iraſcibilis appetit excellentiam quæ apprehenditur vt res maximè ardua, & cum eſt inordinatus dicitur à Ioanne *ſuperbia vitæ.* Hos igitur tres fontes impedimentorum obſtruunt tres illæ virtutes, concupiſcentiam carnis, continentia, concupiſcentiam oculorum, paupertas, ſuperbiam vitæ obedientia.

Nota quartò, non ſufficere ad religionem has tres virtutes niſi accedat votum, id eſt ſacra promiſſio Deo facta, qua quis obſtringit ſe ſic perpetuò victurum; Religio enim eſt ſtatus quidam; ſtatus autem ſignificat rem immobilem & perpetuam, quare fieri poteſt vt aliquis ſit perfectus, & tamen non ſit in ſtatu perfectionis, ſicut è contra non rarò accidit, vt multi tam Epiſcopi quam Religioſi ſint in ſtatu perfectionis, & non ſint perfecti.

Porrò formæ & genera Religionum explicantur à Sancto Thoma & Scholaſticis, iuxta fines ad quos inſtituuntur; nam cùm omnis Religio ad perfectionem charitatis referatur, & tribus modis poſſimus diligere Deum eique ſeruire, vno modo per contemplationem ipſum Deum diligendo, eique inhærendo. Alio modo, per actionem Deo in membris eius myſticis, ſeruiendo, verbi gratia, alendo pauperes, ſuſcipiendo peregrinos, infirmorum curam habendo, captiuos redimendo, &c. Tertiò modo, per vtrumque ſimul Deo obſequium præſtando, id eſt per contemplationem quæ prodeat in actionem, ſiue per actionem quæ neceſſariò requirat contemplationem, quod faciunt qui concionibus & adminiſtratione Sacramentorum populo inſeruiunt.

Iuxta hos fines tria genera Religionum habentur, vnum earum quæ ſolùm profitentur vitam contemplatiuam, quod genus in multas formas diuiditur iuxta varias Conſtitutiones & Regulas, quas ſequuntur; alij enim ſequuntur inſtituta Sancti Antonij, alij Sancti Pachomij, alij Sancti Benedicti, alij Sancti Romualdi, alij Sancti Brunonis.

Alterum genus eſt earum Religionum quæ profitentur vitam actiuam, quod in tot formas diuiditur quot ſunt opera charitatis. Quidam enim militando, atque Eccleſiam armis protegendo Deo ſeruiunt, quales ſunt Equites Hieroſolymitani, Sancti Iacobi, Sancti Ioannis, & alij. Quidam ægrotos curando in Xenodochiis. Quidam mortuos ſepeliendo, & alij aliis modis, dum in proximos beneuolentiam oſtendunt & profitentur, Deo gratum præſtant obſequium.

Tertium verò genus, eſt eorum qui profitentur vitam mixtam, quod pariter in varias formas diuiditur, iuxta varias earum inſtitutiones. Quidam enim ſequuntur Regulam Sancti Auguſtini, alij Sancti Dominici, alij Sancti Franciſci.

Quod autem hæc Ordinum varietas fuerit in vſu in Eccleſia primis eius ſæculis, eáque vtiliſſima. Probatur ex Hieronymo, Caſſiano, Auguſtino, qui in Epiſcopatu ſuo inſtituit Clericorum regularium Religionem, vt ipſe ſcribit in duobus ſermonibus de communi vita Clericorum. Quod autem in his tribus generibus Religionum multæ eſſent diuerſitates iuxta varias Conſtitutiones & Ritus obſeruandi, ſeu præſcriptum viuendi docet Epiphanius in fine libri contra hæreſes, vbi dicit, quoſdam Religioſos ex inſtituto ſui Ordinis abſtituiſſe à carnibus, alios etiam ab ouis, alios à piſcibus, alios etiam à pane: rurſum quoſdam nudis pedibus, alios ſandaliis, alios ciliciis vſos, alios humi cubaſſe.

Nec obeſt Chriſtianiſmo hæc varietas in eadem fidei conſenſione, ſed potiùs valde prodeſt, cùm ſic quilibet aſpirans ad perfectionem poſſit ſeligere iuxta propenſionem ingenij proprij modum viuendi; nam nec pares ſunt omnibus vires corporis, aut animi affectus; vnus diligit ſolitudinem, alius gaudet frequentia, vnus libenter orat, alius libentiùs legit vel operatur, ſi quilibet Ordo ſolitudinem requireret pauci mundo renuntiarent. Aliam varietatis agnoſco rationem ex diuina prouidentia. Quælibet Ordinum primordia feruent, & paulatim pro conditione mortalium, remittuntur. Deus itaque ſubinde nouos Ordines, aut reformationes veterum excitat, ſicque in Eccleſia perpetuum feruorem, nunc per hos, nunc per illos conſeruat.

Antiquitas Monachismi, seu vitæ Regularis inter Christianos progreditur vsque ad Apostolos, quorum tempore multi se nuncupato voto ad perfectum & communitatis statum obligasse docent Hieron. ad Epes. 8. declarans illud Petri Act. 5. in objurgatione Ananiæ *cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui-Sancto & fraudare de pretio agri?* votum aliquod ait intercessisse, vnde in libro de Scriptura Ecclesiast. in fine ait. *Talis primò fuit Ecclesia credentium, quales nunc Monachos esse videmus.* Dionys. capit. 6. Ecclesi. hierarch. *Initiandorum omnium excellentior & sublimior Ordo Monachorum est sancta distinctio.* Describit ipse cæremoniam in benedictione facientis professionem. Damasus in vita S. Dionysij Papæ scribit hunc ex Monacho assumptum anno 266. Platus lib. 2. de bono statu relig. cap. 21. refert nomen inductum ab Apostolis, quod probat his verbis Dionysij capit. 19. *Diuini praeceptores nostri*, id est Apostoli, *sanctis nominibus appellare consueuerunt, alij cultorum, alij Monachorum à puro Dei famulatu, indiuiduáque & singulari vita, &c.*

Hinc constat quàm falso Nouatores adscribant statum Monachorum, seu status religiosi Antonio, Macario, & similibus, quos partim casu, & ad euitandam persecutionem, partim praua æmulatione & imitatione Essenorum, partim errore circa doctrinam de iustificatione asserunt ad solitudinem concessisse, Cassianus collat. 18. cap. 5. *Itaque*, inquit, *disciplina Cœnobitarum à tempore prædicationis Euangelicæ sumpsit exordium.* Idem cum Hieronymo asserit Marcum Euangelistam fuisse authorem Congregationum monachalium, seu eorum qui in Alexandria viuebant in communi. Monachos Ægypti à Marco institutos affirmant Sosomen. lib. 1. capit. 12. Cedrenus qui & testem citat Eusebium Epistola ad Marin. Nicephor. lib. 2. cap 15. Beda præfat. in Marc. & alij. Baronius agens de Monachismo, sub annum Christi 328. refert Sanctum Athanasium visitantem Diœcesim suam Alexandrinam perlustrasse, non tantùm Ecclesias quæ in ciuitatibus aut oppidis positæ erant, sed & illas quæ in solitudinibus desertísque locis à Sanctis Monachis regebantur, nec dubium quin ad Antonium cum quo ab adolescentia assueuerat, diuerterit. Antonius, vt scribit S. Athanas. complura monasteria condidit & vitæ cœnobiticæ, si non author, saltem restitutor est habitus. Basilius plurimum præ cæteris contulit ad stabiliendum institutum religiosum, quod ante ipsum regebatur vel sola inspiratione & vnctione diuina, vel imperio & viuæ vocis mandato Superiorum, à quibus quilibet Cœnobita modum viuendi & dispensationem temporis desumebat, & definitionem exercitij spiritualis.

Basilius primus omnium tempus probationis, seu Nouitiatus definiuit, annum determinauit, quo expirato, Religiosi voto solemni regulam profitentur. Regulas seu Constitutiones fecit, omniáque pro moribus efformandis, pro seruitio diuino ritè soluendo, pro victu & vestitu regulari, nec-non pro delinquentibus corrigendis, ordinauit, idque tam prudenter & salutariter, vt olim omnia Monasteria sub eius Constitutionibus Deo seruirent, hodiéque ferè omnes Orientis Monachi, Græci specialiter, Basiliani sint professione & nomine. Notat autem Greg. Nanz. in orat. pro Basil. illum ordinasse, vt Conuentus & Monasteria in Suburbiis, seu non longè à ciuitatibus ædificarentur ad solamen sæcularium, ne Monachi sibi ipsis viuerent, sed & aliis verbo, exemplo & opere charitatis proficerent: dum ergo in Græcia & toto Oriente sic accresceret Religiosorum multitudo, cæteræ orbis partes pari beneficio non sunt expertes, siquidem August. scribit libr. 8. Confess. cap. 6. se vidisse Monasterium Mediolani cui annonam suppeditabat S. Ambrosius, ipséque Aug. fundauit in Africa hominum & mulierum complura monasteria, vt narrat Possidonius, imò antequam Episcopus esset, ædificarat monasterium in sylua propè Hypponem, quod propagines suas in plures ciuitates extendit, donec à barbaris penitus fuit deuastatum.

S. Benedictus quinto succedens sæculo, religionis institutum & famam mirificè propagauit, initians enim ordinem suum in monte Cassino, circa annum 520. tam benedictus fuit à Domino, vt in breui orbem totum illustrarit per discipulos suos, Galliam per Maurum, Italiam per Placidum, & alia Regna per alios Trithemius agens de propagatione Benedictinorum suo tempore, id est circa annum 1500. notat hunc Ordinem habuisse monasteria quindecim millia & amplius. Volaterran. numerauit suo tempore Romanos Pontifices 24. Cardinales 200. Archiepiscopos 1600. Episcopos 4000. Abbates scriptis celebres 15700. Sanctos canonizatos 15600. Fuit autem Ordo iste à Iustiniani imperio vsque ad Conradi primi tempora sub vna primæua regula per annos ferè 400. hinc circa annum Christi 909. in plures regulas est diuisus, quarum prima Cluniacensis anno 913.

Roma habuit ab Athanasio institutum Monachorum anno 340. & ab illa aliæ Occidentales Ecclesiæ. Colligitur ex Hieron. Epist. 15. ad Principes cum agit de S. Marcella nobilissima Romana, quæ prima ad perfectionis Euangelicæ numeros attemperauit pro virginibus & viduis disciplinam cœnobiticam.

Notandum est autem Romanam Ecclesiam hoc amplius præ cæteris præstitisse, vt ipsa prima voluerit etiam intra vrbem & in Suburbiis cœnobia Monachorum, quod æmulatæ sunt nobiliores Ecclesiæ. Qui vero in orbe occidentali coniunxerit clericatum Monachismo prædicatur à S. Ambros. Ep 82. ad Vercell. S. Euseb. Episcopus Vercellensis, qui Apostolica authoritate Concilium habuit Alexandriæ anno Christi 362. Liberij PP. anno 11. sanctorúmque Monachorum institutum diligenter, vt par est credere, perquisiuit, & quod illic fieri viderer clericali vitæ coniungere studuit. Idque ipsum præstantissimæ vitæ genus S. Martin. Ep. Turon. transuexit in Gallias. Parum autem visum est S Athanasio Monachorum instituta in Clerum Ecclesiarum ciuitatis transferre, sed ipsos etiam sanctissimos Monachos, quos cæteris noster moribus & peritia antecellere in diuersarum Ecclesiarum Episcopos accersiuit, vt ipse testatur in Ep. ad Dracontium Nec negari potest fuisse monachismum singulare seminarium in Ecclesia Dei SS. Episcoporum, ex quo Basilij, Gregorij, Chrysostomi, & alij, tam in

in Oriente quàm in Occidente viri ſpectaſſimi prodiêre.

Nota, quod olim vota non emittebantur cum tanta ſolemnitate & expreſſione, quæ obſeruatur hodie, ſed quaſi interpretatiuè obligatus cenſebatur ad ea qui inſtitutum religioſum ampleɛtebatur. Platus lib.2.c.21.notat id fieri ſolitum ſicut hodie qui ad ſacros Ordines admittitur; is enim incluſiuè caſtitatem profitetur. Hoc eruo ex Epiſt.2.S.Baſilij ad Amphiloc. vbi lego Monachos cœlibatum interpretatiuè tantùm ſine expreſſione ſolitos profiteri, donec ipſe Baſilius id expreſſis verbis exprimi ordinauit.

Qui autem à cœlibatu reſiliiſſet, reus quidem peccati cenſebatur, ſed matrimonium ad quod conuolabat, validum & indiſſolubile cenſebatur, vt videre eſt apud Cyprian. in Epiſt. ad Pomonium. Hieron. in Ep. ad Demetriad. qui loquentes de Monialibus quæ continentiam vix ferunt, illis ſuadent nuptias, quæ tunc ſi cum Epiſcopi diſpenſatione fierent, cenſebantur legitimæ & ſine culpa: idem planè ſuadet Epiph. quare Auguſtin. refutat eos qui tales damnabant nuptias. Gelaſius Papa anno 492. Moniales hortatur quidem, ne primam fidem irritam faciant, non cogit tamen vt à contracto reſiliant matrimonio, nec illud diſſoluit: quod ſi Innocentius I. qui Aug. & Epiphan. tempore vixit, & quædam etiam Concilia Monialium, quæ erant profeſſæ, matrimonia huiuſmodi dirimi iubent, id pœnæ cuiuſdam loco conſtituunt, quod ſine dubio poterant, vt thorus ſepararetur, non quia ipſum connubij vinculum non valuiſſet, id enim nuſquam dicit Innocentius in Conc. Roman. 1139. Primus omnium Pontificum qui vtriuſque ſexus Regularibus irritum & nullius vinculi edixit matrimonium, fuit Innoc. II. licet autem vniuerſalis Eccleſia tale decretum non admiſerit quamprimùm, hoc tamen multi Epiſcopi amplexati ſunt, & Baſil. ſacrilegij conuincit eum, qui ſemel Deo ſe deuouit, ſi aliud vitæ genus amplectitur, hincque Chryſoſt. arguit Theodor. Monachum voti caſtitatis reum, & Ambroſ. virginem lapſam monet ei non licere matrimoniũ inire citra adulterium: vnde conſtat, quod ſemper datum fuerit voto religioſo illicitum facere & criminoſum matrimonium, quod autem irritum illud fecerit, hoc ei datum lapſu temporis, vis enim illa pendet ex ſolemnitate voti.

QVÆRES, *Quid requiratur, vt votum Religionis ſit ſolemne?*

Reſp. Bonifacium VIII. hoc definiiſſe can. vnic. de voto & voti redemptione, titul. 6. cuius verba ſunt; *Illius Religionis votum eſt ſolemne, quantum ad dirimendum matrimonium, poſtea contractum, quod ſolemnizatum fuit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apoſt. approbatis* Iraque ad votum ſolemne requiritur profeſſio, quæ cum præexigat ſuſceptionem habitus, & annum probationis, & admiſſionem ab eo qui poteſt incorporare Religioni, vbi hæc conuelluntur nulla eſt profeſſio, nullàque ſolemnitas voti. Idem currit ſi emittatur in religione non approbata. Doctrina hæc confirmata eſt in Concilio Gen Lugdun. His omnibus præmiſſis, & ſuppoſito quod detur Conſilium perfectionis, id eſt opus bonum à Chriſto nobis non imperatum, ſed demonſtratum, non mandatum, ſed commendatum pro maiori perfectione, vt exprimitur Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, &c.*

PROPOSITIO CATHOLICA.

EXpedit, vt aliqui vota Religionis emittant ex affectu exhibendi cultum Deo.

Probatur ex Scripturis, quæ ad vota hortantur Pſalm. 75. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro omnes qui in circuitu eius affertis munera: terribili & ei qui aufert ſpiritum Principum*, *vbi etiam ponitur cauſa cur ei meritò vouere & vota reddere debeamus, nempe quia terribilis eſt, & vitæ neciſque in omnes ſummum ius habet.* Iſai. 19. *Cognoſcent Ægyptij*, id eſt Gentes conuerſæ, *Dominum & colent eum in hoſtiis & muneribus, & vota vouebunt Domino & ſoluent.* Quod autem faciendum ſit votum cum opinione & affectu cultus diuini patet: nam hæc eſt natura voti, vt rem alioqui non ordinatam ad cultum Dei ordinet, iuxta id Deuter. 12. *Quicquid ſanctificaueris & voueris.* Promittere autem & ſoluere ad eandem pertinet virtutem, ſed per id quod fit ex voto, etiamſi non præceptum, impletur votum; ergo per id colitur Deus; ergo votum eſt actus Religionis, idque exprimit Iſai. cit. *colent eum in hoſtiis.* Colere Deum eſt actus Latriæ, & proprius Virtutis Religionis.

Probatur ex Sanctis Patribus, ipſi enim pro maiori parte Religioſi fuere. Auguſt. ad Eudoxium, & habetur 15. quæſt. 1. can. vos autem. *Vos autem fratres hortamur in Domino, vt propoſitum veſtrum in Domino cuſtodiatis, & vſque in finem vitæ perſeueretis, ac ſi qua opera veſtra mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis, &c.* Hier. in Ep. ad Ruſtic. *Ægyptiorum monaſteria hunc tenent morem, vt nullum abſque opere aut labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſitatem, quam propter animæ ſaluationem.* & Epiſtola 95. loquens ad Nepotianum. *Extruis monaſteria, multus à te per inſulas Dalmatiæ pauperum numerus ſuſtentatur, ſed melius faceres ſi & ipſe ſanctus inter ſanctos viueres.* Bernard. in quodam ſerm. *Tu qui in congregatione es, benè viue ordinabiliter, ſociabiliter, & humiliter, ordinabiliter tibi, ſociabiliter proximo, humiliter Deo.*

Greg. lib. 15. moral. capit. 5. *Electi nonnunquam plus ſtudent agere quam eis dignatus eſt Dominus iubere: carnis enim virginitas nequaquam iuſſa eſt, ſed laudata; nam ſi illa iuberetur coniugium iam culpa crederetur, & tamen multi virtute virginitatis pollent, vt videlicet plus impendant obſequio, quam acceperunt præcepto* hæc de Continentia.

De voto Paupertatis Aug. in Epiſt. 89 & in Pſalm. 103. refert totum caput 19. Matth. ad profeſſionem monaſticam. & S. Bernard. in declamatione ſuper hoc cap. *Hæc*, inquit, *ſunt verba quæ mundi contemptum in vniuerſo mundo, & voluntariam perſuaſere paupertatem: hæc ſunt quæ Monachis clauſtra replent, deſerta Anachoretis.* S. Vrbanus Papa I. in Ep. ſua decretali. *Quicumque veſtrum*, inquit, *vitam communem ſuſcepit, & vouit ſe nihil proprium habere, videat ne pollicitationem ſuam*

irritam faciat. Hieron. in Epist. 22. ad Eustochium scribit, repertum fuisse in quodam monasterio Nitriæ Monachum iam moriturum, qui aliquos solidos sibi retinuerat, quocirca placuisse Macario, Isidoro, aliisque Sanctis congregatis in vnum, vt cum mortuo pecuniæ infoderentur clamantibus omnibus pecunia tua tecum sit in perditionem. Quod idem postea fecisse S. Gregor. scribit Ioann. Diaconus lib. 1. cap. 15. in vita Greg. & ipse etiam Greg. lib. 4. dialog. cap. 55.

De Obedientia Cassian libr. 4. de instit. coenobiorum capit. 35. veram sequelam Domini, commendatam Matth. 19. *Veni, sequere me.* exponens de obedientia Monachorum, dicit perfectum Monachum debere esse similem crucifixo, qui non solùm non ambulat quò vult, nec facit quod vult, sed nec potest ambulare aut operari nisi ab alio moueatur. Hier. in Epist. ad Eustoch. describens instituta Monachorum. *Prima*, inquit, *apud eos confœderatio est; obedire Maioribus.* Gregor. homil. 20. in Ezechiel loquens de votis monasticis, quibus homo nihil sibi retinet, ac nec iudicium quidem quod Deo non offerat ait. *Cum quis suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet Sacrificium est, cum verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit Omnipotenti Deo vouerit holocaustum est.*

2. Probatur ratione, Religionis statum meritoriè voueri. Vouere est actus Religionis; ergo & implere votum siue id fiat de re præcepta, siue non. 2. Omne votum est promissio Deo facta: ergo votum quodcumque implere, est fidem Deo seruare, at seruare Deo fidem est Deum immediatè colere & honorare, sicut è contrario fidem ei non seruare est iniuriam illi facere, ergo cuiuslibet voti impletio cultus Dei est. 3. Quo plures concurrunt virtutes eo melior est actio, vt dare eleemosynam, quæ per se & secundùm suam speciem est opus bonum, hanc dare ex affectu Religionis in Deum seu ex fide quam Deo debemus, nemo non dicet maioris esse laudis & meriti. At quando opus aliquod fit ex voto, habet plures concurrentes virtutes. Tum qui vouet & soluit, non solùm offert Deo bonum opus, sed etiam boni operis facultatem; nam priuat se facultate illius omittendi; vnde similis est illi qui donat non solùm fructus arboris, sed etiam ipsam arborem, vt ait, Anselm. lib. de similitud. c. 84. qui autem solum opus præstat absque voto, non dat operis illius facultatem. Adde quod qui facit ex voto operatur ex proposito firmiore, magisque immutabili, hoc autem est melius. Ratio S. Tho. quòd expediat vouere hæc est, quia quæ Deo exhibemus cedunt in nostram vtilitatem; alia enim ratione aliquid promittitur Deo & alia homini, huic propter vtilitatem eius, Deo propter nostram. Vnde Aug. Epist. 45. *Benignus exactor est, & non egenus, & qui non crescat è redditis, sed in se crescere faciat creditores.*

Dices, quotquot fidem Christi profitemur eo ipso toti sumus illi obstricti, quid igitur voto nos rursus ei tradimus? ridiculus haberetur filius qui tabulis obsignatis atque testibus vellet se se patriæ potestati subdere. Idcirco qui vota nuncupant, aut se fateantur non esse Dei, aut intelligant quod vouendo, actum, vt dicitur agunt.

Respondeo nos & omnia nostra Deo esse debita & obstricta hoc sensu quòd omnia ab illo accepimus, & eius beneficio retinemus, & proinde potest ille si velit omnia repetere, & nos tenemur quicquid iusserit facere; tamen quia multa nobis relinquit libera in quibus possumus pro arbitrio, hoc aut illud facere, idcirco multa sunt Dei & nostra simul; quia possumus pro arbitrio disponere, dummodo non contra Deum. Quocirca quando vouemus & offerimus aliquid Deo de rebus eius damus, & tamen verè damus, quia res illæ etiam nostræ erant & potuissemus non dare. Exemplum allatum currit in iis in quibus filius patri necessariò parere tenetur, & de quibus iam habet à patre mandatum, at non foret ridiculus filius si in iis rebus se subdat, in quibus alioqui sui iuris erat. Nec enim parentes possunt omnia quæ volunt filiis imperare, & in iis etiam quæ possunt sæpè non imperant, sed filiis dant optionem, verbi gratia, liberum est filiis vxorem ducere, vel non ducere, nec possunt ea in re à parentibus cogi, si tamen quis patri polliceatur se facturum in eo negotio quod is imperauerit, tenebitur stare promissis.

Instabis, Deus iubet diligi se ex toto corde, anima, viribus, & Luc. 17. dicit. *Cùm feceritis hæc omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus.* Adde quod ita sumus obligati Deo, vt nunquam possimus facere quantum debemus; ergo nihil liberè vouendum restat.

Respondeo, illam enumerationem potentiarum animæ vnum & idem sonare scilicet vt Deum sincerè diligamus, & rebus omnibus præferamus, & quoniam præceptum affirmatiuum est, præcipi vt potentias nostras exerceamus, quando necessitas gloriæ Dei id requiret. Alio autem tempore si fiat, opus erit consilij & supererogationis. Dico ergo totum cor requiri & præcipi vt nihil exæquemus Deo quod implet ille qui nullum peccatum mortale committit quo solo anteponitur creatura Deo; restat ergo locus executioni consiliorum, quæ eliguntur tanquam media ad feruentiorem amorem, vel faciliorem istius præcepti obseruantiam, nec vrgeas, *illud totum*, *vel omne cor.* est enim modus loquendi quo Scriptura præcipuam curam ac studium erga Deum indicit. sic 2. Reg 15. *Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon.* Sic Genes. 31. Iacob dixit. *Scitis quod totis viribus seruierim patri vestro*, & tamen multa alia eodem tempore fecerat Iacob Patres non pauci docent mandatum dilectionis Dei nunquam perfectè impleri in hac vita, sed reseruari implendum in patria, sic dices non posse amplius facere quàm sit præceptum.

Resp. illos considerare finem præcepti quem Deus intendit, vt scilicet homo totaliter vniatur Deo, hoc autem fit tantùm in patria, vbi *Deus est omnia in omnibus*, vt dicitur 1. Cor. 15. sed præceptum in se indicat tantùm quod faciendum est, impletur ergo, sed imperfectè respectu finis, quando etsi non pertingatur ad finem, non tamen receditur ab ordine ad finem, quocirca remanet locus suus consiliis vouendis etiam circa hoc præceptum; nam etiamsi

,etiamſi nihil poſſim addere huic præcepto, quatenus indicat finem ſeu vnionem ad Deum, tamen poſſum addere quatenus indicat medium quo poſſum ad talem finem peruenire. Lucæ verba præſumptionem arcere intendunt.

DIces, quod fit ex neceſſitate minus gratum eſt Deo quàm quod liberè, id autem, quod fit ex voto, fit ex neceſſitate; quia inducit vinculum, quod 1. Cor.7. vocatur *laqueus*, hortor ad continentiam non ad votum, ne ſit vobis in laqueum, ſecunda autem Cor. 9. dicitur, *Non ex triſtitia aut ex neceſſitate*: hilarem enim datorem diligit Deus.

Reſpondeo ex Sancto Thoma, quod ſicut non poſſe peccare non diminuit libertatem, ita etiam neceſſitas firmatæ voluntatis in bonum non diminuit libertatem, vt patet in Deo & in Beatis, & talis eſt neceſſitas voti ſimilitudinem quandam habens cum confirmatione Beatorum.

Reſpondeo 2. quod fit ex voto non eſſe ipſo minus voluntarium; nam votum quod voluntarium ſupponitur, omne opus ab eo dependens includit, laqueus autem dicitur reſpectu eorum qui temerè vel coactè vouerunt.

DIces, nemo debet vouere niſi id quod certò ſcit ſe poſſe ſoluere, alioqui exponit ſe periculo violandi votum, & proinde temerè vouet & Deum offendit, cui ait Eccleſ. 5. *Diſplicet infidelis & ſtulta promiſſio.* At nemo poteſt ſcire an poterit continere, verbi gratia, ſe in omnibus ſubiicere, &c. hinc Sapient. 8. *Nemo continens eſſe poteſt niſi Deus det.* & Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.*

Reſpondeo, multa eſſe donorum Dei genera, quædam dantur ſine hominis cooperatione qualia ſunt robur, ſanitas, pulchritudo, prophetia linguæ, miracula & omnes habitus quos Deus infundit. Aliud eſt genus doni quod requirit gratiam Dei & cooperationem noſtram, tale eſt obſeruantia voti, credere, ſperare, diligere, perſeuerare, vincere tentationes, quæ dicuntur & ſunt veriſſima dona Dei, quia niſi Deus nos ſua præueniret gratia excitando, & adiuuaret dirigendo, protegendo & cooperando, nihil boni faceremus, & tamen ipſa opera pendent ab electione humana, & ſunt in noſtra poteſtate; quia Deus licet iuuet, non tamen cogit nec neceſſitat, & quia nunquam deeſt auxilium Dei ad opus, ideò homo poteſt vouere, quod cum gratia implere poteſt. Hoc non omnes capiunt, quia nolunt.



DE

DE PRIVILEGIIS Regularium.



PRIVILEGIVM dicitur priuata lex, vel priuatio legis ordinariæ, quâ à Superiore fauorabiliter donatur priuilegiatus; à Rege in temporalibus, vel à Papa in ſpiritualibus; qui enim legem ſtatuit, poteſt in ea diſpenſare, vel ex ſolo arbitrio, vel in fauorem alicuius, vel in mercedem meritorum, hiſque omnibus titulis Regulares & Monachi multis gaudent priuilegiis, indultis, fauoribus, &c. vt videre eſt in corpore vtriuſque Iuris & Bullis Pontificum.

Hic nullum exprimo priuilegium, ſed genericè tantùm. Propono regulares perſonas, earumque Clauſtra, & Eccleſias exemptas eſſe, & Prælatos Regularium eſſe in illis vt Ordinarios. Hoc fecit Eccleſia quæ omnibus mater eſt, nulli nouerca, cunctis munifica, nemini illiberalis; vt quid enim Religioſis filiis ſuis obſequentiſſimis, (qui non tantùm præcepta eius, ſed nutus & conſilia fideliter obſeruare profitentur) ſuarum denegaret partem gratiarum, quas nemini non tribuit? vagantur per omnes rerum ordines, per omnes mundi ſtatus, Priuilegia, ſuis gaudent Regna, Regeſque, libertatibus; ſuas habent exemptiones & immunitates Epiſcopi, Abbates, Capitula, Senatus, & Curiæ, dignum ergo & verè iuſtum eſt ſtatum Religioſum indultis ſingularibus non fruſtrari, qui laborando in vinea Domini, portauit ab ortu ſuo pondus diei, & æſtus.

Dices, ab initio non fuit ſic, conſtat enim Monachos & Regulares fuiſſe ſub ditione Epiſcoporum, qui in eorum Cœnobia, Eccleſias, imò, & perſonas, ius directionis exercebant.

Reſpondeo Eccleſiam diſpenſaſſe ab hoc iure Regulares, qui inde *Exēpti* dicti ſunt: hoc voluere, & potuere Summi Pontifices, primum teſtantur eorum Diplomata, ſecundū ſumma authoritas ipſis à Chriſto DD. conceſſa, & à Conciliis Oecumenicis promulgata Aſſumpti ad Epiſcopatum hoc ſolemniter profitentur. Conſecrator enim electum ſic in ſecunda examinis interrogatione affatur, *Vis Traditiones Sanctorum Patrum, & decretales ſancta & Apoſtolicæ ſedis Conſtitutiones ſuſcipere, docere, atque ſeruare.* Reſp. *Volo* ſufficit itaque pro ratione & fundamento Priuilegiorum Regularium voluntas ſummi Pontificis.

Quod intelligentes Chriſtianiſſimi Reges, & eorum Parlamenta, tuitionem Priuilegiorum Regularibus conceſſorum ſuſceperunt, ad pacem & vnitatem inter fideles confouendam.

Dices, cur tot Priuilegia Regularibus data, Horum prætextu ſæpe in alienam meſſem ſe intrudunt Regulares, Hyerarchiam Eccleſiam confundentes, & legitimis animarum Paſtoribus obnitentes, vel in excipiendis Confeſſionibus ſecularium perſonarum, vel in prædicando ſine legitima miſſione, & approbatione.

Reſpondeo Regulares ex proprio quouis inſtituto teneri ad reuerentiam humiliter exhibendam Reuerendiſſimis Antiſtitibus, & *ſeruatis ſeruandis quæ de iure*, præſentandos ipſis eſſe pro miſſione, ſic habet canonica praxis: Dominus enim vineæ noſſe debet operarios ſuos.

Inſtabis Conc. Lateran. ſub Innocentio III. cap. *omnis vtriuſque ſexus* obligat adultos ſemel confiteri in anno proprio ſacerdoti, ergo qui ad Regulares recurrit non eſt validè abſolutus.

Reſpondeo, per proprium ſacerdotem deſignari primò Plebanum in ſua Parochia. Secundò Epiſcopum in tota Diœceſi Tertiò Papam in vniuerſa Eccleſia, aliàs Epiſcopus non poſſet excipere confeſſiones Parrochianorum quorumlibet ſuæ Diœceſis, quia ſolus Parochus eſt eorum proprius ſacerdos, quod Hierarchiam deſtruit, & dignitatem Reuerendiſſimorum Dominorum Epiſcoporum, nec non & ſummi Pontificis authoritatem omnino conuellit: ij autem ſi ſub nomine proprij ſacerdotis comprehenduntur, poſſunt ſine dubio innatam ſibi iuriſdictionem committere Regularibus, ſicut facit Curatus commiſtris Eccleſiæ ſuæ: ſic ergo Religioſi à Papa delegati pro confeſſionibus audiendis, deputantur à proprio omnium Chriſtianorum ſacerdote, conſequenter Clementina *dudum de ſepulturis*, in Conc. Viennenſi hoc habet. *Quilibet frater legitimè præſentatus cenſetur proprius ſacerdos, ſicque poteſt illi quilibet confiteri* Confirmat hoc S. Thomas in opuſc. cap. 19. *Papa*, inquit, *non deſtruit Hierarchiam Eccleſiaſticam cùm mittit Regulares in vineam Domini ad prædicandum, & ad Confeſſiones audiendas, quia ſicut in cæleſti hierarchia officium aliquod committere poteſt ſuperior Angelus inferiori, ſic in Eccleſiaſtica miniſterium aliquod ſubditis delegare poteſt Chriſti Vicarius; cui* vt ait S. Cyrillus *omnes iure diuino caput inclinant*, Gerſon. Cancellarius Vniuerſitatis Pariſienſ. hæc addit *ſi Religioſorum priuilegia non valerent, & Confeſſiones illis facta, nulla eſſent, ſequeretur innumerabiles homines decipi ab Eccleſia, & à ſummo Pontifice.* Sic & omnes Caſuiſtæ docent.

Regulares qui ex zelo ſalutis animarum ſubſidiarij dantur Prelatis, humiliter & reuerenter erga ipſos ſe habeant ſuaque Apoſtolica indulta gloſſemate, vt aïunt, Bononienſi vel Aurelianenſi, non excedant.

Illuſtriſſimi autem Antiſtites gratias agāt ſummo, & vniuerſali ouium Chriſti Paſtori, qui ex ſpecula Apoſtolica videns venerabiles fratres ſuos Dominos Epiſcopos in animarum innumerabilium cura laborantes, & fatigatos, offert eis gratioſè Regulares operarios ad pondus diei & æſtus, non ad auri & annonæ comportandum: Sic omnia in Charitate fient & ceſſabit impugnatio ſtatus religioſi.

ARTICVLVS

ARTICVLVS XXV.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum & proprium Sacrificium pro viuis & defunctis.



EO Opt. max. sacrificium iure multiplici deberi, docet ipsa natura rationalis; vnde primi terræ coloni, qui in Dei veri cultu se exercuerunt, filij scilicet Adæ, ipsum sacrificiis religiosè coluisse leguntur: quorum vnus obtulit quosdam agri fructus, alter sui gregis agnos pinguiores: eosque imitata & sacrificiis dedita ipsorum posteritas. Et Noë post vniuersalem aquarum inundationem arcâ egressus, Deo sacrificium obtulit, quod & Melchisedech & Abraham fecerunt, vt à Moyse in Genesi memoratur: ac tandem reliqui Deo grati homines & amici idem factitarunt. Nec in lege scripta minus viguit sacrificiorum vsus: scimus enim taurum, vaccam rufam caprum emissarium, aliaque animalia fuisse tunc mactata, Deo ipso Leuit. 19. n. 16. dictante; fuerunt denique hæc sacrificia tam frequenti consuetudine recepta, vt vsque ad Christi ætatem columbæ in templo Deo offerendæ portarentur. Sacrificium autem institutum fuisse ad recognoscendum & protestandum Dei supremum Dominium, nemo est qui ignoret, quod ex definitione ipsa sacrificij notificatur. Hinc eruitur dogma fidei, Ecclesiam Christi, quæ Respublica est omnium ordinatissima, quæque tota est in exercitio veri & sinceri cultus Dei, non carere vero sacrificio, quo illum religiosè colat & humiliter veneretur, eo maximè quod institutor eius Christus, sit sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, nihil cruentum aut sanguinolentum habentem, qui sacrificium iustitiæ acceptabile præ cæteris obtulerit, & iugiter idem repetendum iniunxerit. Sacrificium istud Missam vocat Ecclesia, in quo caro & sanguis Christi diuinitati iunctus, incruentè immolatur & offertur, sic renouans quotidie memoriam effusi in Passione Sanguinis pro remissione peccatorum, & omnium differentiam hostiarum vnius perfectione sacrificij adimplens, iuxta intentum Dei Malachiæ primo cap. declaratum à Solis ortu vsque ad occasum offeretur nomini meo oblatio munda. *Quam de sacrificio Missæ exponunt vnanimiter Sancti Clemens, Martial. Cyprian. Irenæus, Iustinus & alij. Ne autem synagoga malignantium quasi musca grauissima veneno hæreseos grauidissima perdat suauitatem augustissimi huius sacrificij, essentiam eius, & valorem, & totum celebrationis ritum aperio.*

QVÆSTIO PRIMA.
De nomine & essentia Missæ.

IN Articulo XV. de numero Sacramentorum, vidimus Eucharistiam esse vnum & præcipuum legis Euangelicæ Sacramentum, hoc idem esse Sacrificium Christianismi verum & proprium credere & profiteri corde & ore tenetur qui Catholici nomine gloriatur: nec obstat distincta vtriusque essentia; nam vtrumque vna eademque actione perficitur, sed diuersa ratione diuersam sortitur naturam & nuncupationem, Sacramentum essentialiter, perficitur in vnius speciei seu visibilis signi consecratione: Sacrificium autem disparatam vtriusque speciei consecrationem requirit, vnde plura consequitur, quæ infra declarabimus, ordo enim doctrinæ nomen & essentiam rei tanquam solida cuiuslibet quæstionis fundamenta præsupponit.

Nomen Missæ plurimi ab hebraica voce missah quæ significat oblationem spontaneam Deutero 16. in autographo Hebræo, nec non & in textu Chaldaico deriuare contendunt, hocque nomen à Iacobo primo Hycrosolymorum Episcopo vsurpatum scribit Baronius anno Christi 34. numero 59. Sed non videtur Apostolis fuisse in vsu, illud enim retinuissent Patres Græci apud quos primò dilatata est fides Christiana, nec non & Patres Syri qui non leguntur eo vsi, cùm tamen soleant frequenter vti vocibus illis hebraicis quas Ecclesia Latina retinuit, v. g. *Amen, Alleluia, Sabaoth, Osanna, Sabbatum, Satan, Pascha.* Sed græci pro nomine missah assumunt λειτουργίαν vel συνάξιν, quæ vox significat munus seu ministerium publicum, & latius patet ex se quàm vt vni rei adscribatur. Spondanus docet nomen Missæ traditum fuisse à Petro & Paulo Romanis, quod probat ex eo quod Pius Papa proximus Apostolorum anno Christi 142. idem Sacrificium vocat Missam, epistola ad Iustinum Viennensem in biblioth. Patrum, idque ipsum Cornelius Papa, anno 251. epistola ad Lucinium Episc. Viennens. & cæteri Romani Pontifices, sicut & Concilium Romanum sub Syluestro. Charthag. II. cap. 3. Agathense, & alia & quod antiquius est, Clemens Romanus coadiutor Petri vt scribit Paul. ad Philip. 4. hoc nomen exarauit, eiusque significatum declarauit Epistolâ 3. de officio Sacerdotum inscripta, quæ habetur in primo tomo Concilior. *Cunctis fidelibus & summopere omnibus Presbyteris, & Diaconis, & reliquis clericis attendendum est, vt nihil absque Episcopi proprij licentia agant. Non vtique Missas sine eius iussu quisquam Presbyterorum in sua Parrochia agat, non baptizet &c.* habetur 16. quæst. 1. *Cunctis fidelibus.* Paulo post *Hic ergo oportet non agnoscere voluntatem Dei, vbi & agendi & sacrificandi est locus, vbi Missas celebrare licet, hæc enim facienda sunt, vbi Episcopus regulariter ordinatus insserit, aliter enim non sunt hæc ritè celebranda. Hæc Apostoli à Domino acceperunt & nobis tradiderunt, hæc nos docemus vobisque tenere & docere mandamus.* habetur de consecr. dist. 1. *Hic ergo, id est,*

Hæc recensere volui, quia authentice probatur vsurpatio vocis Missa, eiusque celebratio & mandatum, & locus. Præterea Clemens lib. 8. Const. Apost. caput quintum inscribit, *Imploratio in ordinatione Episcoporum & celebratio Missæ*, ibi habet expresse hoc Missæ videlicet esse sacrificium, mundum & non cruentum à Christo institutum, &c. hancque veritatem martyrio obsignauit anno 102. quam cum eodem nomine confirmauit Euaristus anno 112. decernens. *Omnes Basilicæ cum Missa semper debent consecrari.* Cuius successor in pontificatu & martyrio Alexander in epistola ad Orthodoxos hoc nomen expressit. *In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia offeruntur, passio Domini miscenda &c.* Sic consequenter Nomen Missah, vsurpatum legitur pro Sacrificio vero & proprio Christianismi. Ethymon proferunt Isidorus lib. 6. originum & Raban. lib. 1. de instit. clericorum à verbo Latino *Mitto* significans vel rem Missam nobis à Deo, id est Christum qui est hostia à Deo pro nobis Missa, vel rem à populo Missam ad Deum, populus enim in Sacrificio Missæ per sacerdotem mittit ad Deum preces, & sacerdos idem facit, offerens Deo Christi corpus. S. Thomas 3. parte quæst. 83. docet sic dici eo quod Angelus mittatur à Deo, qui assistat Sacrificio; quod prius Magist. sent. docuerat in 4. sent. dist 13. Alij deriuant à dimissione populi quæ denuntiatur in fine *Ite Missa est.*

Quicquid sit de nomine, esto nec in scriptura, nec in antiquis extaret monumentis scriptum, *Non quæramus origines nominum*, ait August. *multum enim habet illa loquacitatis, vtilitatis autem parum* logomachia siquidem seu disputatio de voce, vna est ex fallaciis hæreticorum, qui expressam scripturæ mentionem in omnibus pro fidei norma requirunt, sicque Trinitatis mysterium & incarnationis, & consubstantialitatis explodendum esset, quia hæ voces in ipsa nusquam leguntur. Sat superque est, quod res per voces significatæ reperiantur in scriptura. Eo Missæ nomine, intelligitur actio illa sacra à Christo instituta, per quam certo ritu ab Ecclesia præscripto, Corpus Christi consecratur, offertur & sumitur sub speciebus panis & vini, hincque definitur à Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. *Missa est sacrificium corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, cum repræsentatione passionis illius, institutum & oblatum ab ipso, in honorem Dei & salutem totius mundi.*

QVÆSTIO II.
An Christus in cœna instituerit verum Sacrificium.

MVlti multa congerunt hinc inde ad probationem alicuius sacrificij specialis in Christianismo, vnde euincere volunt Missam esse illud ipsum cui singulariter appropriant definitionem sacrificij, quamque vt omnes Catholici profitentur (doceat esse repetitionem illius actionis quam Christus in vltima cœna instituendo

instituendo Sacramentum Eucharistiæ perfecit.

At, ni fallor, nodus difficultatis est, an in cœna instituerit Sacrificium, quod si semel hoc euincitur, nullius relinquitur dubio locus, quin Missa legitimum & verum sit nouæ legis proprium Sacrificium.

PROPOSITIO CATHOLICA.

CHristus in cœna instituit verum Sacrificium, idque repeti iussit Apostolis & successoribus.

Probatur ex scriptura, Math. 26. Marc. 14. Luc. 22. prima Cor. 11. Christus in vltima cœna seipsum sub specie panis & vini, Deo patri obtulit, & idipsum fieri iussit, vt Luc. exprimit *hoc facite*: sed offerre se Deo pro remissione peccatorum est verum Sacrificium. Ergo actio Cœnæ est Sacrificium.

Probatur maior, Christum scilicet non solum porrexisse corpus suum manducandum: sed & Patri obtulisse in Eucharistiæ institutione. Luc. *hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, vel vt habet Paul. *Quod pro vobis frangitur*, & Matth. de sanguine, *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Christus non dixit, datur vobis, sed *Pro*. Illa verba præsentis temporis διδόμενον datur, κλώμενον frangitur, non significant dari vel effundi Apostolis ad manducandum & bibendum; sed dari & effundi Deo in sacrificium: nam non ait Christus, datur, frangitur, effunditur vobis, sed *pro vobis*. Præterea non dabatur aut effundebatur cibus & potus tunc nisi Apostolis præsentibus: & tamen Dominus ait *pro multis* effundetur; sensus ergo est pro vobis & pro multis libatur Deo in Sacrificium propitiatorium seu in remissionem peccatorum.

Nec dicas illa verba referri ad Crucem; quod enim paulo post futurum est, dicitur fieri, quod Canon. insinuat *effundetur*. Tum si ipsa in actione Missæ sanguis effunderetur aut corpus frangeretur, illa non esset incruentum Sacrificium. Tum scriptura tradit sanguinem fuisse effusum in cruce. Adde pro instantia, quod verba illa, *pro vobis datur*, *effunditur*, non sunt essentialia.

Respondeo istas lectiones de præsenti & futuro non pugnare, imo vna inducit alteram; nam ex eo quod Christus dixit, funditur datur scilicet Deo, & libatur in repræsentationem libationis futuræ in cruce, sequitur effusionem in cruce fuisse futuram, illudque etiam sequitur, deinceps vsque ad finem mundi fundendum sanguinem & offerendum Deo in Sacrificio Missæ, quod veteribus Legis naturæ & Mosis Sacrificiis successit. Itaque omnes lectiones sunt veræ, siue fundetur in cruce, siue fundetur deinceps in Sacrificio Missæ ab Ecclesia reiterando, & nulla earum negari debet; & præsertim prima, cum Euangelistæ & Paulus scripserint in præsenti *datur effunditur*, & negare non liceat proprium & simplicem litteræ sensum sine vrgentissima causa: licet enim exemplum habeamus de præsenti pro futuro assumpto Isaiæ 9. *Paruulus datus est nobis*, pro dabitur Ioan. 10. *Pono animam meam* 14. *iterum venio & accipiam vos*; tamen sæpius pro connotato, quod hic in grauissima re importare debet, seu proprio significato accipitur.

Quod si dicas sanguinem in cœna verè non effundi, nec corpus frangi, sed id in cruce factum fuisse.

Respondeo, id quidem factum in propria specie, sed prius factum fuisse in cœna in specie panis & vini, sanguis enim effundi dicitur in cœna, dum in specie liquida collectus offertur Deo, ac deinde in eadem specie funditur in ora sumentium; Quod pariter de corpore in speciebus panis fracto est intelligendum. Sed hæc effusio non facit Sacrificium cruentum, cum reipsâ sanguis non egrediatur de corpore.

Ad id quod proponitur, verba illa, *Quod pro vobis datur*, non esse substantialia sacrificij; quasi necessario requiratur eorum pronuntiatio, vt perficiatur sacrificium. Conceditur, sunt tamen necessaria, vt indicent clarè Sacrificium à Christo fuisse in cœna oblatum.

Addo tantò magis accipienda illa verba in tempore præsenti, *datur effunditur*, eaque referri ad cœnæ actionem, quod Paul. replicat in præsenti, *Quod pro vobis frangitur*, frangi autem non conuenit corpori Christi, nisi in specie panis.

Probatur præterea ex Luc. 22. Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur; non coniunxit cum, voce sanguine, sed cum voce calix, vt in græco legere est τοῦτο τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον. At certè si Lucas voluisset dicere, Sanguinem fundendum dumtaxat in cruce, dixisset, hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui nimirum sanguis funditur; at dixit, hic est calix, qui funditur. Itaque indicauit sanguinem fundi vt erat in calice, & proinde fundi in cœna.

Tertiò probatur ex scriptura. Hebræos, 13. *habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt*, hoc est cuius participes esse nequeunt, qui legi mosaicæ adhærent, significatæ per tabernaculum, Cum ergo altare sit correlatiuum sacrificij, & aliud assignari non possit Euangelicæ proprium præter Missam, quæ est repetitio actionis Christi in cœna, sequitur extare Sacrificium in vtraque; Nisi forte quis dicat per altare significari Christum, sed in oppositum est vox græca θυσιαστήριον, quo semper altare verum, non autem Christus, significatur. Nec opponas cum illo Ethnico qui olim disputasse legitur cū Minutio Felice, cui improperabat, quod Christiani nulla templa arasve aut simulachra haberent: facilis namque est solutio. Christiani primitiui cauebant ne Ethnici Sacris suis interessent, quia incapaces erant mysteriorum suorum, quæ vt plurimum in cryptis vel cauernis celebrare cogebantur, ob ingruentes ordinariè persecutiones, aut furtim in priuatis domibus agere. Quare vulgò Athei existimabantur, quòd nullis diis palam sacrificare aduerterentur. Cæterum non solum tempore Minutij, sed etiam multo ante Christianos habuisse altaria perspicuum est ex Dionys. cap. 3. Eccl. Hyer. Tertull. in lib. de pœnit. in quo pro actu humilitatis recenset presbyteris aduolui,

lui,

lui, aris Dei aggeniculatij. Clemente, qui multa de altari haber. Extat adhuc Romæ altare ligneum in quo sanctus Petrus & reliqui Pontifices vsque ad Syluestri tempora sacrum conficiebant, ligneum inquam, in modum Arcæ concauum, quia sic facilius transportari poterat quocumque necessitas & fuga persecutionis compulisset: vbi autem pietas Constantini pacem Ecclesiæ dedit, Syluester Papa decreuit, vt non nisi ex lapide altaria ritu solemni consecrata erigerentur.

Quartò constat ex Act. 13. Apostolos verum obtulisse Sacrificium, cùm enim Lucas retulisset fuisse Anthiochiæ doctores & Prophetas, inter quos Barnabas, Simon, Lucius, & Manahen, addit, *& ministrantibus illis Domino*, græcè est λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, sacrificantibus illis Domino, vt Erasmus ipse vertit: constat autem ex vsu SS. Patrum λειτουργίαν nihil aliud esse quàm obitionem rerum sacrarum ad Sacrificium pertinentium, non autem functionem publici illius ministerij, quod in prædicando Dei verbo consistit, vt fingunt Nouatores.

Quinto ex eodem Apostolo 1. Cor. 10. Probatur Sacrificium in Cæna. *Non potestis participes esse mensæ Domini & mensæ dæmoniorum*, quo similiter loco mensæ nomine, non nisi verum altare intelligit, sicut & mensa dæmoniorum (cui opponit mensam Domini) altare dumtaxat significat verum ac proprium, super quo dæmonibus sacrificabatur. Et certè aliàs nihil concluderet, vult enim probare, quod si Corinthij comedant de cibis propositis supra mensam de qua loquitur, seu quam vocat mensam dæmoniorum, participes erunt & socij dæmoniorum, pro quo facit hanc maiorem propositionem: Qui vescitur re sacrificata, particeps fit altaris & eius cui sacrificatur. *Nonne qui edunt hostias*, ait, *participes fiunt altaris?* qua præiacta propositione subsumere debet, sicut de facto subsumit: sed cibi propositi in eadem mensa quam voco dæmoniorum, sacrificati sunt dæmoniis: *Quæ immolant gentes*, inquit, dæmoniis immolant & non Deo: & concludit: ergo qui idolothyta edunt, socij fiũt dæmoniorum. Absit autem à vobis hæc societas. *Nolo* vos socios fieri dæmoniorum; ea quippe obstabit, ne Christi socij sitis, & liceat vobis accedere ad participandum quod in altari eius offertur. *Non potestis mensæ &c.* Insulsa proinde est Nouatorum interpretatio, contendentium mensæ nomine non intelligi altare super quo dæmoniis sacrificabatur, sed mensam communem super qua celebrabantur conuiuia in honorem eorundem, insulsa, inquam est, quia, si vera esset, intempestiuè & abs re mentionem altaris & immolationis inseruisset: adde quod Paulus vocat mensam Gentilium mensam dæmoniorum, vt pote iis sacratam, quod de eorum communi mensa non intelligit, ad quam permittebat fidelibus accedere.

Similitudo Pauli à sacris Christianorum ducta, nullam haberet vim, nisi quemadmodum idolothita immolabantur diis gentium antequam comederentur: ita etiam panis iste diuinus, & calix ante communionem Deo in Sacrificium noui testamenti offerretur.

Probatur ex SS. Patribus: & primo ex Apostolis quos institutos fuisse sacerdotes in Cæna per hæc Christi verba, *Hoc facite*, est de fide, & in Sacramento ordinis vti in proprio loco probabitur, consequenter vt sacrificarent eo modo quo Christus faciebat.

At constat singulos Missam celebrasse Epiphan. hæresi 79. asserit eos primo cæpisse in die Pentecostes, Ascensionem Domini subsequente. Hesichius lib. 4. in Leuit. cap. 9. lib. 10. cap. 13. *Apostoli*, inquit, *obseruarunt in die Pentecostes quod scriptum est in Leuit. & Deuter. de oblatione noua, cum sacra mysteria celebrabant*: oblatio hæc hebraice Missah, figura erat Euangelicæ Missæ; vnde ad consonantiam integram celebrata legitur septem hebdomadibus effluxis ab eius institutione, sicuti hebræa facta fuit eodem interuallo à lege de ipsa Moysi demandata. Hinc Paulus Heb. 13. tam constanter scribit. *Habemus altare de quo edere non habent qui tabernaculo deseruiunt.* Vnde constat Apostolos sacrificare solitos, & in eo altari oblatam hostiam comedere, quod nullo modo detorqueri potest ad altare crucis, quod amplius non habemus, sed habuimus, sed ex eo maximè quòd non manducamus ex altari crucis, sed ex altari Eucharistiæ: vbi aduerte Paulum vti metonymia continentem pro contento ponens, altare nimirum pro hostia quam habet, vti solemus dicere scyphum vini hausit, catinum carnis comedit, vnde euincitur Eucharistiam & Missam esse sacrificium, cum habeat altare, cui consequenter addici debet sacerdos & sacrificium: nam tria ista Altare, sacerdos, sacrificium, sunt correlatiua. Cum ergo Paulus de Apostolis dicat, habemus altare in quo comedebatur, necessario sequitur eos sacrificasse, consequenter Missam esse sacrificium, nihil enim aliud quam quod Christus fecit, in cæna faciebant.

S. Ignatius epistola ad Trallianos, testatur Petrum, Iacobum, Paulum, Missam celebrasse, & quos recenset ipsis ministrasse. Quid Diaconi, inquit, nisi imitatores Angelicarum virtutum? ministrantes ministerium purum & immaculatum, vt S. Stephanus B. Iacobo, Timotheus ac Linus Paulo, & Anacletus ac Clemens Petro.

Hinc & Liturgia, siue Missa aut ritus præscriptus celebrandi, sancti Iacobi Maioris fratris S. Ioannis extat omnium scilicet vetustissima, quam Ierosolymis institutam colligimus, vt ea vterentur Apostoli, cum inde adhuc non discessissent; vnde & ea vsus est ante necem Stephani illo ministrante, vt ait Ignatius, qui cum Apostolis conuersatus non potuit id ignorare. Hanc autem Liturgiam esse Iacobi, agnoscit Synodus Sexta can. 32.

Genebrardus in fine primi sæculi agens de hac Liturgia, vocat eam Apostolorum Missam, plura ex ipsa Gualterius inseruit §. 31. Primi sæculi Authentica traditione constat B. Petrum, cùm ab Anthiochia Romam iret, Missam celebrasse Neapoli, vt videre est non solum in libro de locis antiquis Neapolitanis Benedicti Falco, sed & in extante vetusto sacello *S. Petrus ad aram* dicto, cuius hæc est inscriptio. *Siste fidelis: Et priusquam templum ingrediaris, Petrum Sacrificia facientem venerare.*

Pisis

Pisis quæ nobilissima est Hetturiæ vrbs, Basilica quædam est diuo Petro dicata, vbi constantissima & antiquissima fama est Petrum cum quinque vel sex discipulis primò Italiam appulisse ibique Missam celebrasse, ob idque ab antiquis temporibus magna finitimorum populorum frequentia quotannis deuotè visitatur: certâ parte altaris vbi celebrauit, in sacrario templi maioris venerabiliter reconditâ, vnà cum testimonio litteris valde autenticis & vetustis, huic rei fidem minimè suspectam facientibus.

Quinque perhibentur Liturgiæ, quarum vna tribuitur Petro, vt Sancti Patres testantur, cui maximè consonat Missa Romana, illud autem in iis obseruandum, quòd discipuli Apostolorum multa inseruerint, quæ prima earumq; editio non habebat.

Sanctum Andræam celebrasse Missam constat ex eius Actis scriptis à Diaconis Achaiæ, vnde cum vrgeretur ab Ægea Proconsule, ait.

Ego omnipotenti Deo quotidie agnum immaculatum sacrifico, cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus.

S. Mathæus occisus dicitur in altari, dum diuina mysteria faceret, iussu regis Æthiopum, qui Iphygeniam opera Mathæi habentem votum Virginitatis, ad consensum matrimonij inducere non poterat.

Reliquos Apostolos celebrasse quis negabit? cum de sacrificando Christi corpore mandatum habuissent. Luc. 22. *Hoc facite.* & Act. 13 dicatur ex græco, *Et sacrificantibus illis Domino.* Et Canones Apostolorum sex primi agant de ordinatione Episcopi, presbyteri, & de Sacrificio altaris. Idem ratio suggerit credendum de discipulis eorum, quos Episcopos aut sacerdotes fuisse nemini dubium esse potest; horum enim, si Pontifices, decreta multa extant circa celebrationem Missæ, si scriptores, multa pro Sacrificio testimonia, quibus rescribendis supersedeo, ne actum à plerisque agere videar.

Concilium Nicænum can. 14 statuit, *Diaconos non habere potestatem offerendi sacrificij, sed solos Sacerdotes.*

Ambros. cap. 1. in Luc. *Cum sacrificamus,* inquit, *Christus adest, Christus immolatur.* Idem habet lib. 1 Officiorum & lib. 4 5. & 6. de Sacrament. in quibus ritum Missæ exponit. Cyrill. Alex. Epistola 10. quam nomine Concilij Ephesini cui præfuit vice Cælestini Papæ, scribit ad Nestorium hæresiarcham. *Offerimus in Ecclesia Sacrificium incruentum representans mortem secundum carnem vnici filij Dei.* Idem planè docent eiusdem sæculi Patres; Augustinus totus est in stabiliendo Missæ Sacrificio, seu, quod idem est, in asserendo actionem Christi in vltima cæna, verum fuisse Sacrificium; sic enim loquitur lib. 7. Ciu. cap. 20. *Quam,* supple mensam, *Sacerdos ipse mediator noui testamenti exhibet secundum ordinem Melchisedech, & corpore & sanguine suo. Id enim Sacrificium successit illis omnibus Sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri.* Et in lib. 83. q. in quæst. 61. *Ita Dominus noster Iesus Christus ostenditur Rex, ipse enim est sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & huius Sacrificij similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendauit, vt illud quod Melchisedech obtulit Deo, iam per totum orbem terrarum in Ecclesia Christi videamus offerri.*

Probatur ratione: Christus est verus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, idque in æternum ex Psal. 109. & heb. 7. vbi licet particula *verus* non addatur, satis tamen ex antecedentibus in quibus iure iurando interposito Deus pater filium alloquitur proprium, tale sacerdotium collatum intelligitur, quod sane præstantissimum supponitur vt pote Christo dignum. Ergo Christus aliquando vsus est eo sacerdotio collato, alioquin cum tanto apparatu non deferretur illi: sicut autem non est Dei quidquam frustra dare, seu vt otiosum seruetur, Matth. 25. Luc. 19. ita nec Christi frustra accipere, vnde Ioan. 17. *Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.* Ergo Christus aliquando Sacrificauit secundum hunc ordinem. Sed neque videri, neque dici potest, nisi in cæna, quando desumpto in manibus pane & vino dixit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.* Ergo tunc verè sacrificauit, ac proinde actio illa cænæ est verum Sacrificium. Confirmatur, quia nunquam aliàs panem & vinum accepisse legitur, & fecisse aliquid circa has substantias, quod haberet oblationis speciem, ob idque restat cæna sola in qua hoc præstiterit.

Vis huius argumenti eludi non potest, maximè si attendatur historia Genes. 14. quæ functionem Melchisedech declarat: redibat Abraham ex prælio cum ingenti præda de deuictis quinque regibus, *Egressus autem est rex Sodomorum in occursum. At vero Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei.* Si illa panis vinique exhibitio non fuit vera oblatio, cur illa coniunctiua particula apponitur, *erat* enim sacerdos, nec dicas legi in hebræo *& erat*, nam hic obtinet locum particulæ causalis, & verti debet per *enim*, vt Gen. 20. *Habet enim virum,* heb. *& habet*, Isai 64 *& peccauimus,* alij legunt *quia.* Hæretici totam orationis distinctionem inuertunt legentes, erat autem sacerdos & benedixit ei, nectentes *sacerdos* cum *benedixit*, sed quod debeat annecti superioribus verbis, *protulit panem*, liquet ex hebræo, nam post illa verba *& erat Sacerdos Dei,* habetur accentus soph pasuch, qui indicat ibi terminari periodum, eademque distinctio in Chaldæo, Græco, & Latino textu est: positâ vero hac orationis distinctione, etiamsi nulla adesset causalis particula, per se monstraret oratio panem & vinum prolata fuisse ad Sacrificium, vt vnanimiter Patres asserunt. Aliqui dicunt panem & vinum data Abrahamo & sociis in cibum simpliciter ad epulum: Verum equidem data hæc esse in cibum, sed scriptura testatur prius hæc oblata fuisse Deo in Sacrificium, & tum data, vt participarent de Sacrificio, quod verba sequentia, *erat enim Sacerdos*, euincunt: nam, quæ hospitalitas, aut Regalis amicitia panem & vinum tantùm tanto homini Abrahæ proferret?

Mysterium profectò hic habetur, scilicet Sacrificium quod erat Melchisedecho proprium. Quodsi tunc non Sacrificauit, quonam alio loco Scriptura refert eum functum esse suo sacerdotio, quod tam solemniter adaptatur Christo, in quo tamen consistat, nusquàm exprimitur.

Dices, verbum *protulit*, non arguit Sacrificium; at quis alienum ducit *protulit* pro *obtulit*? Nonne qui offert aliquid profert illud? Si prolatione seu exhibitione illa panis & vini, non verè sacrificauit Melchisedech, nonne valde impertinens est ratio facti huius statim apposita, *erat enim Sacerdos*, simulque intempestiua commemoratio Sacerdotij quod profitebatur. Si refectionis corporalis gratiâ, & non potius Sacrificij ad agendum gratias Deo pro victoria prolatus est cum vino panis, superuacaneus sanè fuit Melchisedech, cum ista ex spoliis hostium copiosè peti potuerint. Et vicissim inconsultus Abraham mercedem rependens debitam actui religionis & Sacrificij decimæ, siquidem Sacerdotibus dari consueuerunt propter actus Sacerdotij.

Instabis, si Sacerdotium Christi positum est in oblatione panis & vini ad instar Melchisedech. Ergo Christus panem & vinum tantùm dedit.

Respondeo, Christum idem obtulisse quoad externam speciem, & quia maior erat Rege Salem, & figuratum excellit figuram, corpus suum substantiæ panis ex diuina munificentia subrogauit.

Secunda Ratio. Sacrificium est actus proprius Religionis; ergo Christiana omnium perfectissima non vacat Sacrificio propriè dicto, qualia non sunt oratio, actus contritionis, eleemosyna, quæ non vocantur simpliciter Sacrificia, sed Laudis, cordis, labiorum iustitiæ, vel alio adiuncto, quod manifestè indicat non esse vera Sacrificia, sicut nec hominem pictum esse hominem verum eadem de causa, viuus contra, quia verus est homo, simpliciter homo dicitur. Et quia non sunt vera Sacrificia, vnum quoddam saltem præter ea, quærendum est, cui vera insit ratio Sacrificij. Hoc autem esse Missam liquet, cum Christus in vltima cæna iterari iusserit quod ipse faciebat. Hinc Paul. Heb 7. dicit. *Translato sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat*; Quod verum non esset, si Religio stare posset sine Sacrificio, quod sacerdotium supponit. Concedunt Nouatores, nusquam haberi religionem sine Sacrificio, vtrumque enim est de iure naturæ. At Christianæ sat, superque esse Sacrificium crucis, iuge & continuum quoad fructum, hocque esse Christianorum proprium. At, quomodo Christiani institui proprium illud est, cùm illud præcesserit: conuenire & coadiuuari debent fideles ad celebrationem sacrificij, quod est actus & exercitium Religionis, at non conueniunt ad occidendum Christum vt occisus fuit in cruce, cùm *iam non moriatur*. Rom. 6. Adde quod sacrificium est cultus latriæ soli Deo debitus, solemniter ipsi à populo exhibitus, certo ritu sacro; nihil autem tale apparet in sacrificio crucis. Denique sacrificium crucis commune & vtile fuit cuilibet veræ religioni ab origine mundi, & quælibet sacrificia vim suam ab isto, quod diuersimode figurabant, mutuabantur; vnde *finis legis Christus*; quomodo ergo Christianorum singulare & proprium habendum est? Restat ergo Missam esse illud pro quo offerendo sacerdotium Leuiticum Aaronis, filiorumque eius ad Petrum eiusque successores, translatum est, & in Melchisedianum commutatum.


Tertia ratio prædixit Malachias cap. 1. à *Solis ortu vsque ad occasum in omni loco offertur & sacrificatur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus*. Hæc sine dubio Missæ oblatio, per quam magnum est nomen Domini inter gentes, ita exponit Clemens lib. 7. Const. Apost. cap. 31. Iustin. in Dialog. contra Tryphon. Ireneus lib 4. contra hæreses cap 32. Theodor. in 1. Malach. nec omittenda est dictio singularis Mincha, vbi legimus latinè *oblatio*, quæ placentam ex farina azyman significat, vti cap. 2 Leuitici exprimitur; quare hæc oblatio, seu Mincha potest sumi pro orationibus aut aliis sacrificiis impropriè, quæ munda & pura nullatenus admittunt aduersarij. At sacrificium crucis non est vbique oblatum, sed tantum Hyerosolymis; Missæ vero sacrificium verè offertur à solis ortu vsque ad occasum; nam sol ita orbem terræ radiorum suorum luce illustrat, vt quoduis tempus scilicet veris, Autumni, hyemis, Æstatis, & quamlibet horam, in quouis momento faciat, vt curiosè deduci potest ex motu solis: quare cùm statis horis in diuersis regionibus celebretur Missa, consequenter iuge fit & continuo celebratur hoc sacrificium. Huic rationi suffragatur propheria Danielis cap. 8. *In dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium*, ibi Propheta prædicit fore vt sub aduentum Antichristi iuge sacrificium aboleatur: quod non potest intelligi de cruento crucis, neque quoad se, quia semel tantum fuit per tres horas, neque quoad fructum aboleri tunc illud poterit, quia eo tempore non deerunt sancti & iusti, Antichristo non adhærentes; sed in mediis eius persecutionibus Deum glorificantes. Ergo supponitur esse stabilitum aliud sacrificium in lege gratiæ, quod auferet Antechristus, quod sine dubio est Missa Euangelica.

Quarta. Vbicumque reperiuntur altare & sacerdotes, ibi sacrificium etiam reperiri necesse est, cùm non nisi ad sacrificia offerenda vsui esse possint: At in Ecclesia Catholica semper fuerunt altaria, vt patet ex Paulo Heb. 13. & ex antiquissimis historiæ monumentis vbique terrarum, in quibus demoliendis sacrilego conatu insudarunt Nouatores. Sic Caluinus Ecclesiæ Cathedralis Geneuensis supremum altare iussit demoliri, & lapidem sacro chrismate delibatum, iuxta ritum à S. Syluestro Papa introductum, extra portam in locum profanum efferri prope pontem Arnensem, vt malefactoribus ad suspendium, vel infamem mortem damnatis seruiret, tanquam theatrum in quo populis ostentarentur; sic hæresis Antichristi præambula sacrificium eiusque altare dissipare conatur. Nec desunt in Ecclesia sacerdotes Domino sacrificantes agnum illum immaculatum,

immaculatum, de quo S. Andreas supra. Ergo Missa, quæ est repetitio actionis Cœnæ Domini est Sacrificium verum, & proprium, cui conuenit omnino definitio Sacrificij, quæ communiter dari solet. *Oblatio externa, soli Deo facta à legitimo ministro per realem mutationem, ad testandum supremum eius dominium & nostram subiectionem*, dicitur, *oblatio externa*, Vt ab internis religionis actibus discernatur, & quibuslibet bonis operibus, quæ interdum vocantur largo modo Sacrificia. Dicitur *soli Deo facta*, *quis enim* ait, S. Aug. lib. 10. ciuit. cap. 4. *sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit,& infra: Sacrificium certè nullus est hominum, qui audeat dicere deberi, nisi Deo soli*, vnde Exod. 22. dicitur, *qui immolat diis occidetur, præter quam Domino soli.* Ratio est,quia Sacrificium offertur in protestationem supremi dominij, in omnia, quod creatori soli conuenit, adeo vt alij actus religionis, vt ratio, adoratio, laudatio ad creaturas quoque,præter Deum,suo modo terminari queant; hunc scilicet actum Sacrificij Deus sibi soli vendicet, *à legitimo ministro*; non enim cuiusuis est offerre Sacrificium, nec, vt ait Paul. Heb. 5. *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Per realem mutationem*, nam ad verum & proprie dictum Sacrificium requiritur, vt id quod sacrificatur, ita transmutetur, vt desinat esse id quod ante erat: cum enim, vt dixi, Sacrificium offeratur in protestationem, quod Deus sit summus vitæ ac necis arbiter; hæc potestatio requirit, vt non solum vsus rei, sed eius etiam substantia Deo offeratur, & in eius honorem consumatur. Vide S. Tho. 2. 2. q. 88. Adde pro 5. ratione Consensum, & testimonium totius Christianæ Ecclesiæ: quæ Missam pro sacrificio semper habuit, vt fatentur Luther. & Caluin. vnde cum hæc sit firmamentum veritatis, necessario euincitur dogma Catholicum, alias idollatrica fuisset à principio, & quoquot eam talem crediderunt, sicque falsa essent vaticinia prophetarum Osee. 2. & aliorum, qui idololatriam cessaturam post Christum prædixerunt.



Pro viuis atque defunctis.



Expressio istius adiuncti ad essentiam Missæ declarat quale sit ipsa Sacrificium, quod prius à nobis exponendum est, antequam obiectiones contra orthodoxam fidem diluamus, quas in rei substantiam, & qualitatem vniuersa hæreseos acies dirigit.

Nota, tres olim Sacrificij species à Deo præscriptas, vt Leuit 1. legimus, scilicet hostiam pro peccato, hostiam pacificam, & holocaustum. Primum dicitur Sacrificium propitiatorium. Secundum, quia offerebatur pro gratiarum actione, de acceptis beneficiis, & pro nouorum impetratione, dicitur Eucharisticum, & impetratorium. Tertium dicitur Latreuticum seu honorarium, quod totum comburebatur in honorem Dei. His tribus successit nostrum Euangelicum seu Missa, continens eminenter perfectionem & fructum omnium istorum, perfectiusque assequens scopum, ad quem offerebantur; sed præcipue remissionem peccatorum, nec non & pœnarum ipsis debitarum, vnde constat vere esse pro viuis, qui peccant & pro defunctis, qui pœnas luunt: Lutherani tametsi negent Missam esse Sacrificium propriè dictum, concedunt tamen ad latreuticum, & Eucharisticum reuocari posse ? nequaquam autem ad propitiatorium & impetratorium.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Missa est Sacrificium propitiatorium & impetratorium.

Probatur ex scriptura, Christus de sanguine suo dixit effundi in cœna in remissionem peccatorum, Matth. 26. *Qui pro multis, &c.* Nota vero Missam non remittere per se peccata, hoc enim debetur Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ ad hoc institutis, sed quod impetret auxilium singulare à Deo ad agendam pœnitentiam, & præterea obtineat sæpius remissionem pœnæ temporalis, quæ peccatis debetur.

Probatur ex SS. Patrib. Greg. lib. 4. dial. cap. 58. *Hæc namque singularis victima ab interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per Mysterium reparat. Qui licet resurgens ex mortuis iam non moritur, tamen in semetipso immortaliter viuens, pro nobis iterum in Mysterio Sacræ oblationis immolatur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc Sacrificium, quod pro absolutione nostra semper passionem Vnigeniti imitatur.* Aug. q. 57. in Leuit. *In multis Sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, vnum hoc nostrum Sacrificium significatur*, & lib. 20. ciu. cap. 25. ait, Sacrificium pro peccatis offerri in Ecclesia vsque ad diem iudicij.

Probatur ratione, Sacrificia figuratiua legis erant propitiatoria, & impetratoria, à fortiori istud quod continet hostiam Deo gratiorem, non differentem ex parte rei oblatæ, à Sacrificio crucis, nisi in modo offerendi, ex eo enim quod offeratur per sacerdotem non est diuersum Sacrificium cũ principalis offerens sit ipse Christus. Modus autem non variat substantiam rei, nec dicas Missam esse tantum commemorationem Sacrificij crucis: Nam non solum est repræsentatio, sed & Mystica, & incruenta renouatio. Quapropter sicut semel patiens assumpsit in se peccata totius mũdi expianda suo cruore; ita in ipsum tanquam in eandem victimam in altari immolatam, peccata nostra transferimus, vt applicet nobis merita sua, & expiate dignetur nostra delicta. Licet autem Missa non habeat ex se seu ex opere operato vim ad gratiam conferendam (hæc enim non est instituta tale medium quod proprium est Sacramentorum) habet tamen vim pro impetratione, eiusque efficientia est impetratio, vnde maxima differentia colligitur inter Sacrificium crucis, & Missæ: omnis valor & meritum oritur ex cruce, quia in ea esse naturale Christi destructum est, & Christus quasi holocaustum consummatus est in honorem Dei. Hic destruitur tantum esse Sacramentale, quod Christus habet sub symbolis externis,

ternis, infinita autem est distantia inter hæc duo diuersa esse Christi. Tum in cruce offerens erat ipsa persona Filij per se, hic per ministrum offert, multum autem interest inter actionem filij Dei per se, & per ministrum, illa enim est actio immediatè producta à supposito diuino, ista ab humano, quia licet multo gratior sit actio ministri quatenus fit in persona Christi, quam si fieret in propria persona, tamen sine comparatione est gratior illa, quæ immediatè fit ab ipso Christo. Hinc patet valorem Missæ, vt est actio sacerdotis, limitatum, & finitum esse, licet valor Sacrificij crucis fuerit infinitus saltem acceptatiuè (ne quid cum Scotistis sit disputandum) præcipua tamen ratio finiti valoris Missæ est ipsa voluntas Christi, nam licet vna oblatione Sacrificij incruenti, siue Missæ per ministrum oblati, posset Christus quælibet à Deo, & pro quibuscumque impetrare, tamen noluit petere, nec impetrare, nisi vt pro singulis oblationibus applicaretur certa mensura fructus suæ passionis ad peccatorum remissionem, aut ad alia beneficia quibus indigemus.

Cur autem id voluerit, non est nostrum id curiosius inquirere, videtur tamen id voluisse, tum vt hoc modo frequentaretur hoc Sanctum Sacrificium, sine quo religio consistere non potest, tum quia id requirebat ordo diuinæ Prouidentiæ, quæ est etiam causa, cur Christus adhuc interpellet pro nobis in cœlo, cum tamen videatur interpellatione vnica potuisse omnia statim impetrare. Et similiter cur pretium infinitum, quod in cruce acquisiuit, quo totus mundus continuò saluari potuisset, non nisi quibusdam in certa mensura applicari voluerit: horum omnium causa est, quia voluit Christus omnia fieri secundum ordinationem diuinæ Prouidentiæ, his positis, quæ contra cœnæ Sacrificium eiusque adiuncta opponunt Aduersarij, repellamus.

Dices, quod est Sacramentum, non potest esse Sacrificium simul, nam opponuntur: in Sacramento accipimus aliquid à Deo: In Sacrificio damus, & ideo dicitur oblatio Deo facta: Ratio autem dati & accepti, non possunt simul in vna & eadem re consistere: Ergo Eucharistia non est Sacrificium.

Respondeo agnum paschalem fuisse verum Sacrificium, & tamen comedi solitum ab Hebræis; & sanè si quod à Deo accepimus, non licet offerre Deo, nullum penitus erit Sacrificium cum 1. Paral. 29 *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Tum Eucharistia est Sacramentum, Sacrificium & Testamentum, sed sub diuersa ratione, Sacramentum est, quatenus est signum externum & visibile inuisibilis gratiæ & refectionis, quæ nobis offertur, dum rite accipimus. Testamentum est quatenus est instrumentum publicum & authenticum diuinæ voluntatis & promissionis. Victima & Sacrificium est quatenus offertur Deo: Neque repugnat vnum & idem accipi & dari, cum Christus seipsum reliquerit nobis, vt eum Deo offerremus, eoque nutriamur, Sacrificij essentia distincta est ab Essentia Sacramenti Eucharistiæ, vt dixi initio quæstionis, licet vtrumque vna & eadem actione fiat. Sacramentum essentialiter perficitur in vnius speciei consecratione, Sacrificium in vtriusque.

Dices scriptura nullibi vocat actionem Christi in cœna Sacrificium.

Resp. sufficere, quod exprimat ea ex quibus Ecclesia certò colligat esse Sacrificium. Nam neque vspiam Baptismum aut Eucharistiam vocat Sacramentum, nec tamen id obstat quominus sint Sacramenta etiam iudicio aduersariorum.

Dices ex Paulo Heb. 9. & 10. Christus *vna oblatione consummauit in sempiternum Sanctificatos oblatione corporis sui semel.* Ergo Christiani non indigent vllo alio Sacrificio, cùm illud vnum crucis infinitam & æternam vim habeat, quæ ad omnes diffunditur, qui in Christum credunt.

Respondeo verum esse, quod per vnam Christi mortem sanctificati sumus, imo etiam consummati, adepti videlicet non solum remissionem peccatorum, sed etiam ipsa ornamenta iustitiæ, & ipsam beatitudinem, & hoc in sempiternum, id est pro omni ætate & generatione, vt iam non egeamus alio Christo, qui morte sua nos redimat, vel vt idem Christus pro nobis, vel pro aliis sæpius moriatur: hoc tamen non obstat quin Ecclesiæ suæ visibile, sicut hominum natura exigit, reliquerit Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peractum repræsentetur, eiusque memoria in finem vsque sæculi permaneat; atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicetur.

Instabis, si virtus crucis est infinita, cur repetitur idem Sacrificium, si Missa est idem cum Sacrificio crucis, vt dicunt Catholici, cum si hæc repetitio est necessaria, vt applicetur vis primi Sacrificij, cur non applicatur sufficienter per Baptismum, Eucharisticam, cœnam, & verbi diuini prædicationem, quibus scriptura salutis effectum tribuit.

Resp. placuisse Deo varia media instituere, quibus fructum crucis facilius pleniusque consequeremur, atque vnum ex his Sacrificium Missæ probari ex supradictis.

Instabis hostia quæ Sacrificatur debet occidi, ergo si in Missa Christus sacrificatur debet millies in die occidi: neque valet si respondeatur Missæ Sacrificium esse incruentum, & ἀναίματον sine sanguine: nam non pendet ex hominum arbitrio vt Sacrificij naturam permutent, quæ vt Heb. 9. dicitur sanguinem exigit, *sine sanguinis effusione non fit remissio?*

Respondeo, si Aaronica Sacrificia erant cruenta, non inde colligendum, quod omnia cruenta esse oporteat. Nunquid etiam legimus in Leuit. Exod. Num Sacrificia rerum inanimatarum, panis, vini, thuris, &c. Quorum non requiritur occisio, sed solùm consumptio rei illi conueniens: Quando oblatio est rei viuentis & quæ in forma rei viuentis offertur, tunc requiritur occisio, sic agni, vituli, aues, occidebantur ad protestationem pleni Dominij Dei in vitam nostram. In Missa offertur Christus qui est res viuens & offertur in forma rei viuentis, quantum ad

ad repræsentationem, vbi solum requiritur mors repræsenta, non autem mors reipsa: sed, vt est Sacrificium reale & propriè dictum, offertur in forma panis & vini, iuxta ordinem Melchisedech, & proinde in forma rei inanimæ, vnde in Canone vbi habentur verba oblationis potissimæ post consecrationem, dicimus offerimus panem vitæ æternæ & calicem salutis perpetuæ. Quare consumptio huius sacrificij non debet esse occisio, sed manducatio.

DIces in quolibet sacrificio, res quæ offertur, consecrari debet & immutari; in Missa autem nulla est consecratio, non panis, quia periit eius substantia, non corpus Christi; homines enim nequeunt consecrare Christum, qui homines consecrat, non accidentia panis & vini, hinc enim Missa esset sacrificium accidentium coloris, rotunditatis, & superficierum.

Respondeo & panem & corpus. Christi consecrari, panem, vt materiam ex qua est, & Christú, vt terminum actionis consecratiuæ Christus enim, vt sub speciebus est id quod offertur Deo, id autem fit in vim verborum Christi, per ipsum; ergo homines eum consecrant seu immutant ponendo sub speciebus.

DIces; Christus est sacerdos in æternum Heb. 7. consequenter & vnicus.

Respondeo esse vnicum in amplitudine suæ potestatis, qui obtulit & solus potuit offerre sacrificium ad redemptionem hominum; Sed vnitati & æternitati sacerdotij ipsius, non repugnat multiplicatio sacerdotum, qui non sunt successores Christi, nam successor est eiusdem dignitatis & potestatis cum prædecessore, nec datur, nisi post eius mortem, sed vicarij & ministri tantum, hos autem, viuente Domino, substitui non repugnat, qui operentur & sacrificent in illius nomine & virtute. Christus ait, vnus est magister vester, hoc non obstat quin sub illo sint alij Doctores & Magistri, vnde 2. Timo. 1. Paulus vocat se. *Magistrum & doctorem gentium.*

DIces, *Vbi est remissio peccatorum, iam non est oblatio pro peccato*, Heb. 10. sed in sacrificio crucis est propitiatio. Ergo Missa non potest esse sacrificium propitiatorium, neque pro viuis, neque pro defunctis.

Respondeo, in cruce esse propitiationem sufficientissimè, non exhibitiuè, pro priuatis personis, nisi applicetur per media instituta, quorum vnum est repetitio mysterij, seu sacrificij quod Christus instituit in cœna, alioquin superflua esset applicatio mortis eius per Sacramentum Eucharistiæ prima Cor. 10. & per Baptismum Galat. 3.

QVÆSTIO III.

In qua parte Missæ sit essentia Sacrificij.

CVm de substantia vel essentia rei alicuius agitur, secernenda sunt quæ eam afficiunt vel circumstant accidentia, de quibus ex propria eorum definitione docet Philosophus, ea posse adesse vel abesse præter rei corruptionem. Ingenuè itaque admittunt Catholici, multa pro tempore à summis Pontificibus inducta ad ornatum & commendationem Sacrificij Missæ, quæ non sunt, nec de essentia, nec de integritate illius. Loquimur hic de Missa, secundum ea quæ ipsi sunt intrinseca, & sine quibus consistere non potest. Sic enim considerari solet res quælibet, cum de natura illius agitur, imò in communi vsu, & cum simpliciter de ea loquimur, vt cum Ludouicum Iustum Regem Francorum dicimus in Mariæ Mediceos matris vtero conceptum ex eaque prognatum (vt insignis in palatio Luxemburgo Parisiis Pictura demonstrat) tunc inquam non spectamus ipsum, vt ense accinctum, vt fulgentem gemmis & purpura, vt diademate & sceptro coronatum, sed solum vt hominem, partibus & membris humani corporis constantem. Neque enim in vtero fuit ille ensis Ludouici aut balteus argenteus, quem in auguratione regni habuit, quem postea in ciuitate Aquensi reliquit, non in vtero fuit corona, purpura, &c. Missæ porro intrinseca non sunt, nec ad eius essentiam spectant, quæ panis & vini consecrationem antecedunt, nec quæ consumptionem sacrificij, siue communionem sequuntur, aut vtramque interiacent: sed illa tantum sunt de essentia sacrificij, quæ Christum institutorem in cœna fecisse, restantur Euangelistæ.

Partes Missæ, quæ sacrificium redolere possunt, quinque notantur.

Prima; oblatio panis & vini, nam quælibet præcedentia sunt tantùm præludia, quæ Cathecumenorum Missa dicebantur, moxque exibant.

Secunda consecratio & transubstantiatio panis & vini in Christi corpus.

Tertia: oblatio corporis & Sanguinis, quæ sequitur consecrationem; *Vnde & memores eiusdem Christi offerimus de tuis donis hostiam puram, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis.*

Quarta, fractio & commistio Sacramenti *Particula immissæ in calicem.*

Quinta, distributio & consumptio eiusdem.

Oblatio *panis & vini non* facit sacrificium Missæ; non enim res terrenæ possunt esse illud vnicum sacrificium, quod in Ecclesia vigere pro omnibus veteribus sacrificiis Patres affirmant, negari tamen non debet panem & vinum aliquo modo offerri in Missa, & proinde pertinere ad rem, quæ sacrificatur: hoc patet primò ex ipsa liturgia, nam cùm ante consecrationem dicimus, *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam*, certè pronomen *hanc* demonstrat ad sensum id quod tunc manibus tenemus, id autem panis est. Secundò ex Patribus, qui dicunt Ecclesiam offerre Deo sacrificium ex creaturis, id est ex pane & vino, sic tradit Irenæus lib. 4. cap. 32. Cyprian. lib. 2. epistola 3. dicit Christum obtulisse Patri calicem vino & aqua mistum. & in serm. de eleemosyna, panem vocat sacrificium.

Oblatio. *Quæ sequitur consecrationem non*

Carriere in Professionem Fidei.

pertinet

pertinet ad essentiam sacrificij, id probatur ex eo quod eam oblationem Christus non adhibuit, imò nec Apostoli in principio, nam Greg. lib. 7. epistola 63. Scribit Apostolos ad consecrationem addidisse tantùm orationem dominicam, tum illa fit non in persona Christi, sed ministri & Ecclesiæ, *vnde & nos memores*, sacrificium autem principaliter offertur in persona Christi.

Fractio *Non est de essentia.* Nam si fortè hostia in calicem decidat, dum cum ipsa signum crucis exprimitur super calicem, non solet frangi, sed relinquitur ita integra vsque ad sumptionem, nec Christus videtur ea vsus sed fregit panem ante consecrationem.

De consecratione & sacrificij consumptione restat dubitatio Suarez disp. 75. & plures alij quos citat existimat rationem seu essentiam sacrificij Missæ in sola consecratione consistere; idq; primò, quia Euangelistæ institutionẽ huius sacrificij referentes, solius consecrationis meminerunt & non dicunt Christum in illa institutione sumpsisse & non est quidquam de factis & dictis Christi asserendum quod scriptura non tradat, maximè si ad essentiam mysterij celeberrimi id pertineat. Secundo quod huius sacrificij essentia consistat in ea actione, quæ est expressiua passionis & mortis Christi repræsentatio, cuiusmodi est consecratio, cum in illa vi verborum corpus seorsim à sanguine ponatur, & sic fiat mystica quædam separatio sanguinis à corpore; in qua quidem separatione realiter in cruce facta posita fuit vera & propria ratio sacrificij, in ipsa cruce peracta.

Tertiò, quod essentialis ratio huius sacrificij constituenda sit in actione illa in qua sacerdos fungitur vice Christi principaliter offerentis, & illius nomine aliquid offert: atqui in sola consecratione id reperitur; tunc enim solummodò sacerdos in persona ipsius Christi loquitur, & virtute verborum consecrationis victimam illam diuinam veluti sistit in altari, sicque eam Deo offert: omnes enim reliquæ oblationes, quæ ipsam consecrationem antecedunt aut subsequuntur, ab Ecclesia institutæ sunt, nec primis habebantur temporibus.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Consecratio corporis & Sanguinis Christi cum consummatione, constituunt essentiam sacrificij Missæ.

Probatur ex scriptura. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur.* prima Cor. 11. & Luc. 22. *Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur*; frangi non conuenit Christi Corpori, nisi in specie panis, quare Chrysost. hom. 24. in 1. Cor. scribit Christum in Sacramento pati fractionem, quam in cruce pati noluit, & quamuis vtcumque fractio etiam ad passionem Christi in propria specie accommodari possit propter confractionem cutis, neruorum, venarum &c. tamen vix dubium esse potest quin Apostolus respexerit ad species panis, cum ait *frangitur*, scriptura enim propriè vti solet hac voce, cùm de pane loquitur. Isai 58 *Frange esurienti panem tuum. Panis quem frangimus* 1. Cor. 10. *Frangebant circa domos panem Act.* 2. Sanguis funditur Luc. 22. vt est in calice, vnde, vt supra notaui, funditur non coniungitur cum voce sanguine, sed cum voce calix, vt ex Græco paret; dicendo autem hæc in institutione, rem totam perfecit, id est consecrauit, & idem fieri iussit. Et quia caro & sanguis ibi ponitur, vt victima *in remissionem peccatorum*, & habet esse Sacramentale, debet ad perfectionem Sacrificij consummari, taleque esse destrui per manducationem: vnde consecrationem & consummationem infero esse de essentia Missæ.

Probatur. ex SS. Patr. Irenæus lib. 4. cap. 32. dicit Christum tunc docuisse oblationem noui Testamenti, quam Ecclesia per orbem terræ frequentat, cum ait. *Hoc est corpus meum.* Cyprian. in serm. de cœna, cum verbis consecrationis panis benedicitur, tunc Eucharistia fit medicamentum simul & holocaustum. Chrysost. hom. de proditione Iudæ, dicit verba Domini, *Hoc est corpus meum*, vsque ad mundi consummationem, præstare sacrificio firmitatem.

Probatur ratione; ad rationem sacrificij, pertinet realis quædam immutatio seu destructio rei oblatæ: per consecrationem autem nulla fit corporis & sanguinis Christi destructio, sed potius noua ipsius, sub speciebus Sacramentalibus positio, quæ per communionem destruitur, per quam proinde fit, vt corpus Christi amittat esse Sacramentale, & sic realiter immutetur. Neque obstat quod corpus Christi nullam in se læsionem patiatur, neque esse suum naturale amittat cum manducatur Eucharistia, nam amittit esse Sacramentale & proinde desinit realiter esse in altari, desinit esse cibus sensibilis, cuius formam acceperat per consecrationem, quæ illum ad comestionem, & per hoc ad mutationem & destructionem ordinarat. Quod si Christus non exprimatur comedisse.

Resp. satis innui, accepit enim panem & calicem eo modo quo aliis accipiendum tradidit; scilicet ad manducandum & bibendum constatque ex obseruantia eorum quæ instituebar, vnde act. 1. dicitur *cœpit* Iesus facere & docere priusque baptizari voluit, quàm aliis baptismum imponeret. In persona autem Christi, sacerdos debet victimam consummare, cum id Christus fecerit, sicut in eius persona ipsam victimam consecrauit.

QVÆRES, *Quid propriè sacrificetur an species, an Corpus Christi.*

Respondeo, esse de fide, Christi corpus principaliter offerri & sacrificari, *frangi* enim *& fundi* sumuntur pro offerri: Tum sacrificium cruentum crucis & incruentum Missæ non differunt quo ad rem oblatam, sed res in cruce oblata est Christus prima Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*: Ergo etiam res oblata in Missa est Christus. Idem habet Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. *Christus corpus & sanguinem suum, sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac vt sub earundem rerum symbolis Apostolis tradidit vt sumerent & offerrent.*

At non offerimus corpus Domini absolutè, vt in propria existens specie, sed offerimus corpus Christi in specie panis, & ex pane confectum. Itaque licet panis & corpus Christi sint

sint res diuersæ, vnum tamen sacrificium faciunt, quod est panis in Corpus Christi transmutatus siue corpus Domini in specie panis oblatum.

Rationem affert Becanus. De ratione sacrificij visibilis est, vt res oblata sit visibilis, sed sacrificium Missæ est visibile. Ergo res oblata debet esse visibilis. Ergo Christus præcisè sumptus non est res oblata seu sacrificata, sed quatenus est visibilis per species panis & vini.

DIces, Ergo sacrificium Missæ non est idem quo ad rem oblatam cum crucis immolatione; in qua Christus solus sacrificatus est: Hic autem offertur compositum ex Christo & speciebus, Imò principaliter offerentur species quàm Christus, quia visibiles, imò non offeretur totus, sed sola caro sub specie panis, quia nihil aliud significatur ex vi verborum; perindeque dic de specie vini.

Respondeo, rem oblatam in cruce & in Missa esse eandem substantialiter, licet non accidentaliter: Christumque principaliter offerri, species autem quasi extrinseca accidentia rei oblatæ, ipsumque totum offerri, sicut totus est præsens sub speciebus, licet aliquid ipsius præsens sit vi verborum, & aliquid per naturalem concomitantiam.

QVÆSTIO IV.

De Missis Priuatis.

NOmen istud varie sumitur, primo ratione loci, Missa enim quæ priuato in aliquo oratorio celebratur, dicetur priuata comparatiuè ad eas, quæ in publico templo celebrantur; At sic priuatam fieri solitam docet scriptura Act. 2. *Frangebant panem circa domos* & Pontifices, non tantum in domibus, sed & in cryptis & speciebus, & vbicumque poterant ad declinandas persecutiones sacrificabant. Greg. namque in exigua cellula. Ambros. in domo nobilis matronæ rogatus obtulit, Theodoretus in cellula monachi. Vide scriptores.

Secundò à fine, quia scilicet pro singulari homine, vel negotio, vel defuncto agitur. Et quidem si Missa vni soli applicaretur, omnes alios excludendo, tunc verè priuata dici posset, sed nulla vnquam talis fuit in Ecclesia: nam Missa offertur à tribus, Christo, Ecclesia, & ministro; sed non eodem modo. Christus offert vt primarius sacerdos, & offert per sacerdotem hominem tanquam per suum proprium ministrum. Ecclesia offert vt populus per sacerdotem: Itaque Christus per inferiorem offert: Ecclesia per superiorem, nam sacerdos quatenus talis, maior est reliquo populo, quippe qui, vt mediator quidam pro populo apud Deum intercedit nec est propriè in ea re minister Ecclesiæ, sed Christi principalis mediatoris. A Christo ergo, à Populo seu Ecclesia à sacerdote, vt Christi ministro, omnis Missa offertur pro tota Ecclesia, siue quæ in cælis, siue quæ in terris & in purgatorio est, nam horum omnium mentio fit in qualibet Missa, quæ propriè est sacrificium ad laudem Dei & peccatorum expiationem iuxta institutum Christi.

Nota, licet Ecclesia offerat omnia sacerdotum sacrificia, ea tamen non offerre eodem modo, nam aliqui offerunt habitualiter tantum, qui nimirum absunt, nec de sacrificio cogitant, sed solùm habitualiter cupiunt offerri, alij actu qui intersunt, alij causaliter, qui causa sunt, vt sacrificium fiat, siue hortando vel iubendo. Denique minister ipse offert, vt sacerdos verus ministerialis, tamen sic vni applicat, vt non excludantur cæteri. Nec enim potest hoc facere cum Missa ex se vt sic pro omnibus de Ecclesiæ corpore sit instituta, sed tantùm applicat opus suum vni. Sic Missa hæc priuata dicitur in comparatione aliarum, quæ nulli in speciali applicantur.

Tertiò. Missa priuata dicitur, in qua sacerdos solus communicat, de ea altercantur Nouatores; quorum minus proterui, licet admittant antiquitatem Missæ tot Patrum testimoniis irrefragabilibus confirmatam, dubitant tamen an his non obstantibus approbanda sit illa in qua solus sacerdos communicat, quæ verè priuata nuncupari potest, siue, vt derisoriè loquitur Lutherus, *angularis*.

PROPOSITIO CATHOLICA.

SEmper licitum fuit Missam facere etsi solus sacerdos communicet in ea.

Probatur ex scriptura Leuit. 6. in vet. Test. quando victima offerebatur pro peccato, solus sacerdos comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi, vnde infero manducationem non esse de essentia sacrificij, & consequenter præceptum illud affirmatiuum offerendi corpus Christi pro peccatis, his duobus verbis expressum *hoc facite*, nullam inferre necessitatem ei pro quo offertur communicandi: aliàs Apostoli aut successores non potuissent celebrare, nisi ad assistentium placitum & præuiam, quæ prima Cor. 11. iniungitur dispositio, *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Sicque Christi præceptum de offerendo, penderet omnino à plebis arbitrio. Ecclesia Spiritu Dei illustrata aliter semper iudicauit, promouens quidem efficaci suasione fideles ad frequentem communionem, sine qua tamen non cessauit à quotidiano aut frequentissimo vsu Missæ.

Probatur ex SS. Patribus Chrysost. In cap. 9. Epistolæ ad Heb. & homil. 3. in epistola ad Ephesios, notat quotidie solitum offerri & sæpissime neminem communicare, vnde Constantinopolitarum tepiditatem increpat.

Frustra, ait, *est sacrificium quotidianum, frustra adstamus altari, nemo est qui participet. Hæc dico, non vt solum participetis, sed vt vos dignos reddatis*. Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt. Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit.*

Hinc Concilium Laodicenum, cui Græci hodie inhærent capit. 49. sic habet. *Non oportet in quadragesima panem offerri, nisi Sabbato & Dominica tantùm*, id autem decretum fuit ratione luctus publici Ecclesiæ: quod in-

nouatum fuit in Concilio Constantinopoli, sub Iustiniano Rinotmeta, in quo teste Balsamone decretum fuit, vt in quadragesima officium fieret ex præsanctificatis, id est ex hostia pridie consecrata, excepto tamen Sabbato, Dominica, & die Annuntiationis: vnde resultat quotidie in anno præter quadragesimam solitum celebrari, hæcque interstitia ordinata fuisse ob tepiditatem & infrequentiam non communicantium; qua nonobstante Græci celebrabant sine participantibus. Idem intelligitur ex Concilio Nannetensi capit. 30. quod citatur ab Iuone in decret. part. 3. can. 70. vbi habetur. *Presbyteri non celebrare soli Missam, nisi habeant saltem vnum secum qui respondeat.* Ex quo innuitur quosdam planè solos celebrare solitos, & proinde sine communicantibus. Ad hoc etiam coniecturandum facit, quod Missa sæpius fiebat pro causa ita particulari, vt non sit vllo modo verisimile ministraram fuisse communionem in eiusmodi sacris, vt verbi gratia, cum oblatum fuit iuxta cadauer Beatæ Moniceæ, aut in domo rustica ab vno ex Augustini Presbyteris, vt refert lib. 22. ciuit. c. 8. pro ea liberanda à malignorum spirituum vexatione.

Probatur ratione, Missæ Sacrificium omnibus in lege veteri præscriptis successit; ergo omnium vices supplere debet; horum autem holocaustum, verbi gratia, latreuticum erat, huícque nemo participabat, sed totum comburebatur. Alia erant pro peccato, cui Sacerdos tantùm participabat, alia pacifica, cuius & offerens partem habebat. Sic Cyprianus vocat Eucharistiam, *Medicamentum & Holocaustum*, quare etsi fideles non communicent, Deo tamen in latriæ cultum vti holocaustum offertur. Nec ideò Missa hæc priuata censetur, sed verè communis, partim quod ei populus spiritualiter communicet, partim verò quòd à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus Christi fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur, vt docet Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6. Adde quod nulla est Missa in qua non admittatur, qui participare voluerit.

Dices, non licere diuidere actiones, quas Dominus coniunxit, alioquin licebit consecrare, & non sumere.

Respondeo, non esse paritatem; nam Consecratio, & consummatio sunt de Sacrificij essentia, ideóque non possunt omitti. At dispensatio Sacramenti, nec est de essentia, nec de integritate, sed solùm affirmatiuo Dei præcepto necessaria, & ideò facienda est pro loco & tempore.

Instabis, nusquam rem melius intelligi, quam per doctrinam Apostolorum; Synaxis autem eorum per fractionem panis describitur Act. 2. Ergo Cœna Domini fieri debet cum distributione.

Respondeo, nihil verius dici, sed non inde sequi non posse vnquam Sacrificium fieri sine dispensatione: hoc enim posthac sic factum est; nam can. 18. Concil. Agaten. iubentur omnes laici saltem ter in anno communicare in Natali, Paschate, & Pentecoste, & tamen can. 47. iubentur singulis diebus Dominicis & Festis Missæ interesse vsque ad Sacerdotis benedictionem in fine solitam dari.

Dices, Christum instituisse Cœnam, vt esset communio totius Ecclesiæ, non vt esset priuata actio sacrificuli.

Respondeo, Missam Catholicorum nunquam esse priuatam actionem Sacerdotis; sed semper communem, vt declarat Tridentinum, proinde semper est in Missa communio Ecclesiæ, si per communionem fructum communem Sacrificij intelligamus: si autem Eucharistiæ manducationem intelligamus: fatemur Christum instituisse Cœnam, vt esset simul, & Sacrificium, & communio: sed non iussisse, vt illa duo nunquam separarentur, quasi non possit Deo offerri Sacrificium, quando nulli adsunt communicantes.

Dices, magnum & turpe fieri commercium Missarum, quæ pretio venduntur.

Respondeo, stipendiosum quod hodie datur non exigi pro Sacramento, & gratia Spiritus-Sancti gratis data & danda, sed pro opere ipso Sacerdotis, pro tempore, pro officio eius, ita ordinauit Christus. *Qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Vnde Paul. 1. Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum non est, si carnalia metamus.* Si qui notantur abusus, extirpentur.

Nota Missas priuatas sine cantu & assistentia populi inductas publicè circa annum 400. vt scribit Baronius; nam prius omnes canebantur, postea dici cœperunt submissa voce, & abbreuiati, propter populorum tepiditatem, qui tædio & prolixitate affecti discedebant ante absolutum Sacrificium. Anno 418. S. Aug. legatione à Zosimo Papa iniuncta in Cæsaream Mauritaniæ fungens, ibi prauos aliquos vsus, qui in Africanam Ecclesiam irrepserant, succidit falce verbi Dei, insectatúsque est eos, qui Missas negligenter audirent, vel recederent antequam absoluerentur, aut sermones in Ecclesia miscerent, aut propter impatientiam gulæ, cogerent Presbyteros abbreuiare, & ad libitum eorum cantare.

PARTES MISSÆ.

Quatuor distingui solent. Prima ab initio vsque ad Offertorium, quæ dici solet Missa Catechumenorum.

Secunda, ab Offertorio vsque ad Consecrationem.

Tertia, à Consecratione vsque ad Communionem.

Quarta, à Communione vsque ad finem.

Prima constat Psalmo, *Iudica me Deus*, quem Cœlestinus Papa introduxit litteraliter conuenientem; petit enim Sacerdos, vt discretus à gente non sancta dignè introeat.

Confessio subsequitur, quæ fit Deo, Sanctis & Adstantibus, quia omnes offendimus eum peccamus. *Tunsio pectoris*, est contritio cordis ad imitationem Publicani. Luc. 18. Qua intus peccata contestamur inclusa, vel ferimus quod in nobis est, antequam vel ne Deus feriat, vel cor mundari optamus: ritus iste ab Apostolis ortum habet ex Nauarro capit. 4. de Horis Canonicis.

Liturgia Beati Iacobi incipit à confessione; Sacerdos

Sacerdos osculatur Altare inter orandum, in signum venerationis & reuerentiæ, vt Esther osculabatur apicem scepti, seu virgæ Regis Assueri, huius cœremoniæ meminit Iustin. in fine apologiæ secundæ.

Initium Missæ, fit in cornu Epistolæ, vbi & orationes dicuntur: hoc insinuat Christum primò missum ad Iudæos, quorum reliquiæ in fine mundi saluabuntur; vnde ibi finitur Missa, vbi incœpta fuit.

Kyrie eleison, Græcè λιτανία, seu supplicatio dicitur, ex antiquo ritu Liturgiarum Sanctorum Iacobi, Basilij, Chrysostomi. Vnde Concilium Vasense sub Leone I. habitum anno 440. cap. 5. dicit. *Quia tam in Sede Apostolica quàm per totas Orientis & Italiæ Prouincias, Kyrie eleison dicitur, placuit nobis vt in omnibus Ecclesiis nostris ista sancta consuetudo ad Matutinum, & ad Missas; & ad Vesperas intromittatur.*

Gloria in Excelsis. Hymnus Angelicus introductus est à Telesphoro Papa, additionem à *laudamus te*, factam ab eodem, scribit Innocentius III. Quidam tamen Hilarium Pictauiensem agnoscunt authorem. Hymnum hunc in qualibet Missa, etiam defunctorum, dicit, Episcopus Bethleemicus, quia in regione eius, primò, ab Angelis decantatus est Luc. 2. In eius fine, fit signum Crucis, vt significetur Christum fuisse circumcisum, inquit Melchior Hucelanus.

Dominus vobiscum, seu salutatio populi habetur, quia pro ipso offertur Sacrificium. Episcopus autem prima vice dicit. *Pax vobis*, quia expresiùs repræsentat Christum, qui prima salutatione salutauit sic Apostolos.

Oratio, seu collecta, quia paucis verbis colligit, quod postulandum est à Deo, ad Patrem dirigi debet ex statuto Conc. Chartagin. III. cap. 23. sicque Canonis principium, *Te igitur clementissime Pater*, quia Sacrificium ad eum propriè, vt principium sine principio spectat, licet propter essentiæ vnitatem, indiuisè tres personæ simul inuocentur, vt rectè docet Tertullianus, totique Trinitati offeratur Sacrificium, vt probat Sanctus Fulgentius libro 2. ad Monimum cap. 2. imò ex conclusione orationis, quæ simultatem vitæ & regni trium personarum exprimere solet. Hoc satis indicatur *Amen*, respondetur quod significat *verè*, seu *fideliter*, Græcè γένοιτο, *fiat*: optat enim qui respondet verè & fideliter ita fieri, vt postulatur in oratione. Vsus istius responsionis antiquissimus est, 1. Corinth. 14. *Qui supplet locum idiota, quomodo respondebit Amen*, Fortè olim populus respondebat *Amen*, nunc Clerici tantùm.

Nota, quod olim numerus & varietas Orationum in tantum excrescebat, vt Concilium Africanum octauū constituerit, *Vt nullæ Preces, Orationes, Commendationes, vel Præfationes dicantur, nisi fuerint à Concilio approbatæ.* Nunc ordinata sunt omnia, & cùm Christus Matth. 6. dixerit. *Cùm oratis, nolite multum loqui*, vix trinus Orationum numerus excedatur.

Manus eleuatio, fit ad Orationem, vel quia Christus expandit eas in Cruce orans pro inimicis, vel quia ascendens ad Patrem in Ascensione, *eleuatis manibus, benedixit fidelibus*, vel quia Patriarchæ hunc ritum vsurparunt, Moses Exod. 16. Salomon. 3. Reg. 8.

Epistola, quæ est lectio ex Propheta vel Apostolo desumpta, legitur vel cantatur, si Missa sit solemnis, in dextra parte Ecclesiæ, quia Christus, ait Petrus Antisiodorensis, primò venit ad Iudæos, qui dicebantur esse in dextra, meliùs tamen fit in medio, ait Durant. quia Christus baptizatus fuit medius inter Prophetas & Apostolos, ritum antiquum colligimus ex Iustino apol. 2. vbi dicit in synaxi lectiones ex Prophetis & Apostolis legi consueuisse. Legitur autem ante Euangelium, cùm sit minoris dignitatis, quia designat officium Præcursoris Ioannis Baptistæ, qui fuit vtriusque testamenti, & vt animus audientium à minoribus ad maiora sentienda proficiat, inquit Rupert. lib. 2. cap. 32. Subdiaconus manus Celebrantis osculatur; quia Ioannes ad Christum discipulos destinauit, & sicut Christus Ioannem laudauit, ita Sacerdos benedixit Subdiaconum; clauso autem libro, ille accedit, quia in lege quam prædicabat Ioannes, claudebatur adhuc Christus, quem respicit dum contra Altare Epistolam cantat, ait Innocent. lib. 2. cap. 30.

Graduale, Alleluia, Tractus vel Prosa, ab Epistola ad Euangelium legitur aut cantatur, suntque aliquot versiculi ex Scriptura desumpti, id à Græcis primo introductum est, ne tempus quod Diacono requirebatur ad cantandum Euangelium ex ambone, seu pulpito ad quod per gradus ascendebatur, otiosè transigeretur, & ideò *Graduale* dicitur, quia canebatur, dum Diaconus ascendebat gradus eminenti è loco Euangelium, quod eminens est doctrina cantaturus.

Euangelium præscribitur in Liturgiis, necnon in Concilio Laodiceno cap. 6. & Chartag. IV. canon. 84. In Epistola autem decretali Anastasij Papæ I. iubetur audiri, stando ob reuerentiam Domini loquentis, quam cæremoniam ipse non instituit. Clemens enim libr. 2. Constit. cap. 57. dicit Apostolos præcepisse, vt omnes Clerici & Laïci assurgant cùm legitur Euangelium.

Nota in Missa solemni Papæ Euangelium legi Græcè & Latinè ad designandum Ecclesiam constare ex Græcis & Latinis.

Symbolum, rectè post Euangelium sequitur, *quia fides ex auditu verbi Dei, & confessio fit ad salutem.* Dicitur autem alta voce ex institutione Marci Papæ, anno 336. vt omnes illud addiscant. Omnis enim Christianus tenetur publicè profiteri fidem Catholicam, qui propterea in fronte signatur, ne erubescat. Symbolum quod vsurpatur non est Apostolorum, sed Concilij Constantinop. I. quod explicatiùs & expressiùs est, secundùm quod ab insurgentes hæreses Ecclesia fuit obligata fidem, quasi in Apostolico inuolutam extendere, aut declarare, aut definire: nec est Constantinopolitanum purum & præcisum; nam additum est, *Filióque procedit*, quod primo expressum fuit in Concilio Toletano I. ex Epistola Sancti Leonis Papæ àd ipsum anno 447. vt damnaretur Priscillianistarum error, qui impiè dicebant Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti, vnam atque eandem esse personam. Hodiernum symbolum verbatim habetur iu Concilio Tridentino

tino sess. 3. Nec enim Nicænum aut Constantinop. quæ symbola fecerunt descensus Christi ad inferos, aut Spiritus-Sancti processionis faciunt mentionem, sed hæc habentur in Symbolo Sancti Athanasij Patriarchæ Alexandrini, Treueris, vt fertur edito, Florentinum autem Concilium ex necessitate veritatis, quæ controuertebatur à Græcis declarandæ expressit, *Filióque procedit*, Hucvsque adesse poterant Catechumeni; perlecto enim Euangelio Diaconus ex pulpito acclamare solebat, *si quis catechumenus adest, exeat foras*, quod fiebat eo quod Catechumeni, licet sint in fide instructi, nondum tamen sunt baptizati, ideoque non sunt de corpore Ecclesiæ, sicut nec Iudæi nec Gentiles, quare sacris Mysteriis interesse vetantur, quæ non nisi renatis committuntur thesauri enim Ecclesiæ eius inimicis non debent ostendi: tunc autem omnes assistentes sacrificio communicare solebant, ideoque pœnitentes, qui nondum absoluerant pœnitentiam, emittebant foras, vnde est illa reprehensio Cypriani lib. 3. epistola 14. in quosdam admittentes ad Eucharistiam peccatores nondum absolutos. Diaconus in Græcis Liturgiis clamat *Sancta Sanctis*, hincque Catechumeni & peccatores exibant, quod intellige de iis qui pœnitentiam publicam faciebant.

Quæ iam sequuntur dici solebant propriè Missa fidelium.

Offertorium, cui præmittitur salutatio populi, & vox *Oremus*, vt moneatur ad cor redire, sicque dignam hostiam valeat offerre Deo, constat aliquo versu Scripturæ, aut Psalmi: huius introductio datur Cœlestino: alij dicunt Gregorio. Sacerdos autem patenam cum hostia accipiens, dicit orationem, similitérque accipiens calicem cum vino, cui permiscetur aliquantulum aquæ, quia, ait Alexander Papa, sanguis ex latere Christi effluxit, & canon. 32. VI. Concilij generalis dicitur, Iacobum fratrem Domini ex aqua & vino mysticum poculum peragi docuisse.

Olim autem populus offerre solebat, quæ ad sacrificium inseruire poterant, reliquiæ autem erant ad Cleri sustentationem, cantatur autem à Choro Offertorium, quia hilarem datorem diligit Deus, Sacerdos autem tunc non orat, qui dixit *Oremus*, sed accipit oblationes populi aut thurificat, quia hæc omnia ad orationem referuntur, & non cessat is orare, qui benè agit, maximè dum Deo sacrificat.

Aqua quæ Calici miscetur, benedicitur, quia populus qui per eam significatur, iuxta id Apoc. 17. *Populi multi aqua multæ*, benedictione eget cum cruce, vt Christo vniatur, ait Durandus: omittitur autem benedictio in Missa defunctorum; quia ij iam vniti sunt Deo, & de gratia sua securi, eadémque de causa *Pax* non datur; quia non sunt in turbatione huius mundi, vel quia hæc est indicium lætitiæ, quæ defunctorum Missæ non conuenit.

Lotio manuum puritatem indicat, vnde Cyrillus Catechesi 5. Mystag. *Vidisti Diaconum aquam lauandis manibus porrigentem Sacerdoti.*

Orate fratres, est imploratio intercessionis fidelium ad conficiendum tam augustum Sacrificium, ipse interim Sacerdos secretò orat pro necessitatibus Ecclesiæ, vt assistentes ad Mysterium se disponant, quos ad hoc inuitant per Præfationem. Notat autem Bellarminus, quod illud *Per omnia sæcula sæculorum*, pertinet ad superiores Orationes silentio recitatas, quod quasi earum conclusio dicitur alta voce, vt populus respondeat Amen, & sic eas confirmet. Ita Micrologus cap. 7.

Præfatio, incipitur per modum decalogi, Sacerdote alternatim & Clero, vel Ministro respondente, sic autem dicitur, quia est ad ministerium præparatio.

Notantur hic nouem Angelorum Ordines laudibus Dei intenti, vt homines magis ad laudem & reuerentiam Dei excitentur. Gelasius perhibetur dictasse nouem Præfationes, habentur tamen in antiquioribus Liturgiis, imò Clemens lib. 8. Const. capit. 16. Cyprianus sermone 61. de oratione Dominica, meminerunt verborum illorum, *Verè dignum & iustum est.* Vnde Chrysostomus passim & hom. de Euch. *Quid facis ô homo, nonne promisisti Sacerdoti, qui dixit sursum corda, & dixisti habemus ad Dominum.* hom. etiam 4. de natura Dei, reliqua verba vsque ad *Sanctus*, non sunt eadem in omnibus Liturgiis. Pelagius II. interrogatus ab Episcopis Galliæ & Germaniæ quænam & quot essent authenticæ Præfationes, respondit esse nouem. 1. De Natali Domini. 2. De Epiphania. 3. De Quadragesima. 4. De Cruce. 5. De Pascha. 6. De Ascensione. 7. De Pentecoste. 8. De Trinitate. 9. De Apostolis. Vrbanus II addidit decimã de Beata Virgine in Concilio Placentino anno 1070. teste Gratiano canon. Sanctorum, distinct. 70. Præfatio terminatur per trisagion, quod Isai. testatur cap 6. se audiuisse, & per Canticum Hebræorum Christo decantatum, in die Palmarum. Trisagion inseruit Sixtus I. sic Hymnus iste coalescit ex laudibus Angelorum & hominum, & habetur in Liturgiis Basilij, Chrysostomi, & de eo dicendo in omnibus Missis, extat peculiaris Canon, portò hic Canticum Angelorum canimus, quia per hoc Sacrificium, terrena cælestibus iungi non dubitamus, & ideò cum eis in excelsis saluari clamamus.

Sequitur *Canon*, qui secundùm quosdam est principium Missæ, quoniam cætera præfata sunt de solemnitate & præparatione ad ipsum. *Canon* autem Missæ, Oblatio, Actio, Sacrificium & Secreta vocatur. Vox est Græca, quæ Latinè redditur Regula, quia per eam regulariter Sacramenti huius fit confectio, vel quod patrum regulis sit compositus, vel quod Christus verus Sacerdos in eo repræsentatur, *Actio*, seu Agenda nuncupatur, propter Mysteria quæ in eo aguntur, & quia tunc agitur cum Deo causa nostra. *Sacrificium*, vocatur à parte sua digniori. *Secreta*, quasi nobis occulta, quia humana ratio nequaquam tantum Mysterium capit, vel quia Christus ad consecrationem corporis sui venturus, secretè, & solus orabat, vsque dum est suspensus in cruce, crediderim hæc secretò perfici, ne elatione vocis distrahatur Sacerdos hic, vbi maxima requiritur mentis attentio. Dic si velis, majestatem Mysterij hoc exposcere, ne Sacro-sancta verba vilescant; multùm enim confert ad dignitatem, & reuerentiam Mysteriorum conseruandam, vt

non

non assuescant homines eadem sæpiùs audire, & ad vulgi aures deferri, hincque Leuit. 16. solemne Sacrificium incensi; solus Sacerdos facit intra velum sanctuarij ingressus, ibique orat pro se & pro populo, omnibus aliis foris expectantibus, & non modò non audientibus, sed nec videntibus Sacerdotem, quo etiam ritu sacrificasse Zachariam patrem Ioan. Baptist. legimus Luc. 1.

Canon, dicitur institutus ab Ecclesia, & constare, tum ex verbis ipsis Dei, tum ex Apostolorum Traditionibus, ac SS. Pontificum institutionibus, antiquitas eius probatur ex eo quod in Romano nulla fit mentio SS. Confessorum, qui festa cœperunt habere in Conc. Moguntino anno 813. Innoc. III. credit finitum Canonem ante Syluestrum, tamen huic addidit vltimò Greg. Trid. dicit anathema in eos, qui dixerint Canonem continere errores, Canon extat in ordine Romano, qui eum, vt rem vsitatam in Ecclesia & celebrem refert, vnde ipso ordine Romano (quem citant Alcuinus præceptor Caroli magni, & Amalarius) antiquiorem esse infertur. Leo I. huic addidit *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam*. Gregor. I. *Diésque nostros in tua pace disponas*, integrè non fuit editus, vt extat à Gelasio, qui sedit anno 494. Gregor. hunc perfecit.

Canon, incipit ab inuocatione Patris, quia continuat præcedentia, *Tu es sanctus Deus, Te igitur rogamus*, inclinatur autem Sacerdos profundè, quia quasi præsentem eũ alloquitur.

Miraberis fortè, quod panis & vinum ante Consecrationem dicantur. *Hac dona, hac munera, hac sancta Sacrificia illibata*.

Resp. duplici seu synonimo nomine vocari, ad affectum, vel explicandum, vel excitandum, idque passim fit in Scriptura; licet autem symbola non sacrificemus, id est panem & vinum, hæc tamen possunt dici Sacrificia, quia sunt materia Sacrificij, & iam dedicata, & parata, vt ex iis fiat Sacrificium, quæ licet per priorem oblationem *Offertorij*, sint ad vsum diuinum addicta, & inde pura & sancta vocari possint, quia pura & sancta intentione offeruntur ab Ecclesia, tamen sanctiora fieri debent per mutationem in corpus Christi, ideóque rectè petimus, vt Deus *Accepta habeat & benedicat*, eáque sanctificet, vt sic fiant *Corpus & Sanguis Christi*. Nec insolitum est, vt aliquid vocetur nomine, quod mox accipere debet; oues adhuc, viuentes, quando adducebantur, vt immolarentur, vocabantur *Sacrificia*, vnde est illud Cypriani in serm. de eleemosyna, *Diues & locuples in Dominicum, sine Sacrificio venis?* Itaque panem & vinum rectè dicimus offerri pro Ecclesia, non quod oblatio ista sit propriè Sacrificium, sed quia est dedicatio rei ex quo faciendum est: quare cum dicimus nos offerre panem Deo pro Ecclesia, sensus est nos offerre panem consecrandum, ex quo per consecrationem verum Sacrificium Deo immolandum est pro Ecclesia, sic Leuit. c. 4. 5. & 6 & alibi iubentur singuli de populo offerre Agnum vel aliquid eiusmodi *in Sacrificium pro peccato*, & tamen non quilibet de populo sacrificabat, id enim solus Sacerdos facit, sed illi dicebantur offerre, qui offerebant materiam ex qua Sacrificium pro peccato faciendum erat.

Multa hic arguunt Hæretici, quod hæc verba, *Hac dona, &c.* Dirigerentur olim ad benedicendas & commendandas eleemosynas quas attulerant fideles. At constat agi de pane & vino oblatis, ante manuum lotionem, & Sacerdoti præsentibus mox consecrandis, seu transsubstantiandis. Arguunt item quod in Oratione, *Communicantes*, vbi dicitur *Memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis*, præferamus eam Christo, eiúsque intentum peruertamus, qui hoc instituerit Sacramentum in sui commemorationem, sed respondetur conclusionem Orationis esse per Christum, sicque majoritatem eius exprimi & declarari, quod illud *in primis*, relatiuum sit ad alios sanctos, quos præcedit Mater Christi.

Præpositis ergo multis precibus, non pro Christo quem velimus, (vt calumniantur hæretici) Deo reconciliare eum dicitur *suprà quæ propitio vultu respicere digneris*, hic enim oramus pro tenuitate & infirmitate nostra; etsi enim oblatio iam transubstantiata semper placeat Deo ex parte rei quæ offertur, & ex parte Christi, qui est principalis offerens, tamen ex parte Ministri vel plebis adstantis, qui simul etiam offerunt, potest non placere. Id igitur est quod petimus, scilicet vt Deus respiciat hoc munus, quatenus à nobis offertur.

Consecratur primò *panis* per verba, *Hoc est Corpus meum*; móxque genu flectit Sacerdos adorans Christum præsentem in hostia; statim enim adest corpus Christi, & per concomitantiam sanguis & anima rationalis, & Verbi diuini hypostasis seu persona, consequenter & tota Trinitas ratione circuminsessionis diuinarũ personarum: nam si à prolatione illorum verborum ad imitationem Christi facta, qui in Eucharistiæ institutione dixit Apostolis, consequenter omnibus futuris Sacerdotibus, *Hoc facite*, differretur tantillum præsentia realis Christi verba eius non essent vera.

Consecratio quam facit Sacerdos, nihil aliud est quam repetitio illius primæ, quæ à Christo facta est, vt docent PP. cum Chrysost. hom. 83. in Matth. ideóque Sacerdos in persona Christi consecrat; quod vt exprimat ait, *Qui pridie quam pateretur*, quæ verba Canoni, primus addidit Alexander I. Papa anno 109. sextus à B. Petro, idque ad majorem expressionem: nam hucvsque in Missa Sacerdos suam propriam personam egit, vt patet, quia eovsque orat vel laudat, ab illis autem verbis, *Qui pridie*, vsque ad finem consecrationis, agit personam suam & Christi.

Quod autem Christus consecrauerit his verbis, est Traditio Ecclesiæ, licet Innoc. III. lib. 4. de Myst. Miss. c. 6. opinatus sit Christum vsum fuisse potestate excellentiæ, & sola voluntate consecrasse, nobis verò formam verborum tradidisse, vide quæ suo loco dixi. Conc. Florent. rem determinauit, quod sic docet, *Forma huius Sacramenti, sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum.*

Nota verba hæc olim solita proferri alta voce, quibus populus respondebat *Amen*, sicque hactenus altè pronuntiat Ecclesia Græca, Syra, Æthiops, Armena, & populus respondet *Amen*. Hier. in l. 2. in Galat. *Ad similitudinem cælestis tonitrui populus respondebat Amen*. Idem tradunt Iustin. Ambros. Aug. docet autem Innoc. III. decretum fuisse, vt submissè dicerentur, ne sacra

sacra verba contemnerentur. Ex definitione Concilij resultat Patres Orthodoxos sensisse, quod Christus per eadem tradita nobis verba consecrarit: suffragatur ratio hæc, quando consecrauit instituit Sacramentum; ergo debuit ritu sacramentali consecrare, & illo ipso quo deinceps nos vti debebamus, at consecrare sola voluntate, quę inuisibilis est, non est consecrare ritu sacramentali, sed est miraculo quodam extraordinario effectum producere sacramentalis consecrationis, sine sacramentali consecratione sicuti cum idem Dominus Magdalenam sola absoluit potestate, non censetur Sacramentum instituisse; quia id non fecit ritu sacramentali. Addo quod tenemur dicere hæc verba quæ Christus dixit, hoc enim præceptum includitur in his, *Hoc facite*. Tum in omnibus omninò Liturgiis recitantur seorsim.

DIces, PP. passim scribere Eucharistiam precibus, inuocatione Dei, vel benedictione consecrari; verba autem quæ assumi solent, non habent formam, neque precum, nec inuocationis, nec benedictionis.

Resp. verba illa vt proferuntur à Sacerdote cum intentione faciendi Sacramentum, continent implicitè inuocationem virtutis diuinæ, quæ est causa primaria effectus sacramentalis; intendit enim Sacerdos per illa verba, vt instrumenta Dei consecrationem efficere; rectè ergo inuocatio, gratiarum actio, benedictio dici possunt. Notandum autem Patres per Consecrationem, totam Liturgiam, vel totam Canonis actionem vsurpare, & quia in eo sunt preces, inuocationes, gratiarum actiones & benedictiones, &c. Ideò nunc ab vna, modo ab alia parte totam denominant actionem.

Nota colligi ex Conc. Triden sess. 13. cap. 1. Christum instituisse hoc Sacramentum post panis & vini benedictionem, indicátque rituale Romanum, in quo hæc tria distinguntur, *gratiarum actio*, quæ propriè refertur ad Deum, & & ob id Sacerdos eleuat oculos ad cœlum, *benedictio materiæ*, & ideò cruce signatur, & *forma consecrationis*, quæ postea profertur: dicit ergo Bonacina cum S. Bonauentura, Suarez, & aliis, Christum post gratiarum actionem & benedictionem fregisse panem, illúmque consecrasse his verbis, *Hoc est Corpus meum*, illúdque tradidisse Apostolis, dicendo, *Accipite, & comedite*. Ita S. Thom. 3. p. q. 78. art. 1. & ita intelligendos Euangelistas per postpositionem verborum locutos. Nos autem consecramus, frangimus, distribuimus ait Bessarion Card.

DIces, si verba sunt præcisa Consecrationis, forma quæ vbicumque expressissima esse debet, vt pote dans esse rei, tam physicæ quàm morali, cur ipsi detrahitur & additur. In forma Romana Consecrationis corporis detrahitur, *Quod pro vobis traditur*, vel *frangitur*, Luc. 22. expressum & 1 Cor. 11. *Quod pro vobis tradetur*. Additur *enim* in Consecratione Sanguinis, adduntur multa. 1. *Noui & æterni Testamenti*. 2. *Mysterium fidei*; nam in Euangelio non habetur nisi *Noui Testamenti*.

Resp. ad primum, illa verba non haberi apud Math. & Marc. nec apud Iustin. apolog 2. Cyrill. Catech 4. Mystag. Euseb. Emissenum hom. 5. de Pasch. cùm tamen ij omnes referant formam Consecrationis, tum Liturgia nostra si credimus S. Tho. cit. art. 2. ad 4. & Leoni IX. Ep. ad Michaëlem cap 5. antiquior est ipso Euangelio Lucæ & Epist Pauli, vt pote qui à Petro emanauerit antequam ipsi addidissent. *Quod pro vobis datur aut tradetur*. Ad *enim* Respondeo non esse de necessitate Sacramenti; si enim illud omitteret Sacerdos non minus consecraret; nam illa quatuor exprimunt quod faciunt, proinde sunt absoluta forma dans esse rei. Sed quia *enim* exprimitur in forma Calicis quam recitat Matthæus c. 26. licet Marc. & Luc. taceant illud, inde colligitur illam particulam subintelligi in Consecratione panis; nam eadem est ratio vtriusque formæ; nihil autem absurdi est, si perspicuè exprimatur id quod alioqui subintelligendum est. Sat sit Petrum hanc formulam dedisse: sicque ad omnia quæ hodie vsurpantur in ordine Romano responderi debet, Traditio authoris sufficit, quæ tamen fundatur in Scriptura ex qua intelligimus verè esse *Mysterium fidei* cum sensus reclamet ad tot ibi credenda miracula & effectus remissionis peccati non controuertatur.

Ad hæc notandum est Euangelistas seorsim sumptos multa tam de verbis quàm de factis Domini prætermisisse propter breuitatem, quorum nonnulla Apostoli suppleuerunt, vt est quod Paul. 1. Cor. 15 scribit. *Visus est plusquam quingenti fratribus simul, deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis; nouissimè autem tanquam abortiuo visus est mihi*. Nam inter Euangelistas quædam omittuntur ab vno quæ supplentur ab alio, vnde cum tres Euangelistæ dicant. *Hoc est Corpus meum*. Solus Lucas addidit, *quod pro vobis tradetur*, & cum Matth. & Marc. dicant, *pro multis*, Luc. dicit, *pro vobis*, sed Matthæus adjecit, *in remissionem peccatorũ*.

Nota præterea demonstrationem pronominis *Hoc*, graues ingerere studiosis difficultates, quas suprà elucidaui. S. Thom. cit. docet non demonstrare præcisè panem, nec corpus, sed in communi substantiam quæ est sub illis speciebus.

Nota denique nomen Transubstantiationis euulgatum in Conc. Lateran. sub Innocent. III. 1215 in quo fuere duo Patriarchæ, Archiep. 70. Episc. 400. Abbat. 12. Priores conuentuales 400 Legati, Imper. & Regum. Græci iam vsi erant nomine μεταστοιχειώσεως transelementatio. Greg. Nyss. nomine μεταποίησις conuersio vnius creaturæ in aliam, alij Patres transmutationis nomen adaptarant, alij transformationis, cur ad expressionem rei, quæ verè constat & admittitur non licebit Ecclesiæ in Conc Gen. coadunatæ nomẽ aliquod inducere. Hinc c. 1. de fide Cath. dicit. *Verum Christi Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur transubstantiatis pane in Corpus & vino in Sanguinem potestate diuina*. Conc. Nicænum induxit ὁμούσιος Ephesinum θεοτόκος, verba sunt propter res exprimendas, facta Consecratione *Adoratur Sacramentum*, Sacerdos genu flectit, iuxta illud Philippen. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur*.

Eleuatur, vt cuncti adstantes illud videant, & vt populus non præueniens consecrationem sed ex hoc factam esse cognoscens & Christum super Altare venisse, prosternatur adorans: eleuatio hæc prænuntiata notatur Psal. 61. *Erit firmamentum*

firmamentum in terra, in summis montium, quod Rabbi Ionatan vertit ante Christi aduẽtum. *Erit placenta tritici in capitibus Sacerdotum.* Olim facta sub velis Consecratione mox vela reducebantur, & populus adorabat. Nec dicas Apostolos non adorasse Sacramentum. Respondeo enim Apostolos non debuisse maiorem honorem Christo latenti in specie panis quàm visibiliter in forma humana præsenti;non poterant autem semper prostrati agere cum Christo, præsertim in Cœna in qua recumbebant cum illo. Itaque certis vicibus illũ proni adorabant, aliàs mẽte tantùm venerabantur agnoscentes eum filium Dei. Tum nego non tunc adorasse; ad hoc enim non exigitur genuflexio & adoratio magis consistit in interno cultu quàm externo, nec dubito quin summa veneratione hunc nouum cibum acceperint, cum Paul.1.Cor.11.moneat *dijudicandum Corpus Domini*, id est longè aliter sumendum, quàm sumantur alij cibi.

Consecratur seorsim vinum, & fit Sanguis Christi, per verba *Hic est Calix Sanguinis mei, &c.* vbi figuram metonymiæ intellige;nam ponitur continens Calix pro contento, nec enim est sensus quod vi verborum sit ibi Calix; quia antea erat ibi, sed quod ibi sit Sanguis Christi Ecclesia interiecit, *Mysterium fidei*, vt moneat aliud esse in specie,aliud in fide,ait Iuo Carnot. c.264.dicitur etiam, *Noui & aeterni Testamenti*, quia per Christi mortem & effusionem sanguinis eius nouum Testamentum confirmatur, consequenter fit immutabile & æternum, ait Durand.cap.42. Testamentum autem hoc loco idem est ac promissio, Ioan.6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem,habet vitam aeternam,& ego resuscitabo eum.*

Eleuatur Calix, & seorsim à corpore ostenditur, ad denotandam separationem animæ à corpore in morte Christi,& sanguinis à venis, in Passione:impenditur adoratio;quia vbicunque Christus sit, Deus est,& consequenter adorandus, hicque maximè vbi recolitur effusio sanguinis pro redemptione mundi.

Oratio, Vnde & memores, &c. Malè audit apud Nouantes 1. quòd pro Christo videamur orare, sed responsum est suprà 2. quod petamus. *ferri in celum per manus Angeli in sublime altare.* Id quod comesturus est Sacerdos. Resp. non peti vt deferatur Sacramentum in cælum, sed est modus loquendi quo petimus fidem nostram, memoriam Passionis Christi, vota fidelium, præsentari Deo, eo modo quo Angelus dicitur ei obtulisse orationem Tobiæ, c.12. vel oramus acceptam fieri oblationem, quàm facimus de corpore Christi sub speciebus.

Memento Defunctorum, dicit eos dormire in somno pacis, qui igne torquentur, sed intellige respectu ad damnatos, tum securi sunt de futura gloria.Oratio autem pro defunctis in Missa descendit ab Apostolis,vt constanter docent Chrysost.hom.3.ad Philippen.& alibi Aug.tr.84.in Ioan.Conc.Vasense, ann.461. cap.6.agit de Missis Defunctorum.

Oratio nobis quoque peccatoribus impugnatur, quasi hæc verba, *per quem omnia semper bona creas, sanctificas, &c.* præsupponunt intelligi de plebis oblationibus antequam transubstantiatio crederetur: nam dicit Sacerdos eleemosynas respiciens, ait per Christum omnia creari, si autem præsens is esset ineptè vocaretur, *hæc omnia*, ineptiùs autem hæc omnia per Christum creare. Resp.cum Bellarm.lib.2. de Missa,c.26. *hæc omnia* panem, vinum, aquã, semper bona *creas*, secundùm causas primordiales, *sanctificas*, secundùm causas sacramentales *viuificas*, vt transeant in carnem & sanguinem,& *benedicis*,vt conseruent vnitatem & charitatem, vel ex Alcuino benedicis cum omnis benedictionis effectum recipiunt, vt scilicet Sacramenti efficacia caput cum membris vniat,& *præstas*,cum dantur sumenda vt vitam ex eis hauriamus. Itaque hic gratias agit Sacerdos de creatione panis,qui dicitur creari ratione materiæ primæ & sanctificari cum dedicatur per primam oblationem ad Sacramentum conficiendum.

Eleuatur Hostia, ritus huius meminerunt antiquiores Liturgiæ, Chrysost. Basil. & Dionys. expressè hanc habet.

Oratio Dominica, habetur in omnibus Liturgiis, huic Greg.præficit præfatiunculam,orationi subjungitur altera, qua pax petitur, hæc apud Alcuin. habetur,non autem in primitiua Ecclesia; quia Dominica exprimit omnia.

Frangitur hostia in tres partes, & vna immittitur Calici, vnde dicitur, hæc commixtio,frangitur autem ad figurandam trinam substantiam Christi, diuinam personæ diuinæ spiritualem animæ rationalis & materialem corporis humani,vel in memoriam SS.Trinitatis, vel triplicis status Christi:primus fuit in hominibus manens. Secundus in sepulchro incensi. Tertius immortalis in cælo existens vel ad tres partes corporis eius Mystici significandas: prima est in cælo triumphans 2. In terra militans. 3.Infrà terram purgatur. Vna pars immittitur calici, vt intelligamus hypostasim Verbi nunquam dereliquisse animam in limbos descendentem nec corpus iacens in sepulchro.

Nota quod olim vna pars reseruabatur vsque in finem Missæ pro Ministris, vel infirmis, ita antiquus ordo Roman. Vnde Gelas. exponit, quod pars in Calice posita significat Corpus Christi,quod de virgine sumpsit,pars sicca comesta significat omnes fideles: pars reseruata, gnificat omnes mortuos; quia vsque in finem sæculi corpora Sanctorum erunt in tumulis.

Nota, quod sub qualibet parte est Christus totus verus Deus & verus homo, sicut si frangitur speculum in qualibet parte eius resultat imago respicientis.

Commixtio hæc dicitur Blasphemia à Luthero,cùm vnus sit Christus & indiuisus, sed Catholici non intelligunt Corpus & Sanguinem in propria specie misceri. Sciunt enim id fieri non posse, nisi iterum Christus in mortali statu vulneretur,quod est iam impossibile,sed cõmixtio intelligitur fieri in specie panis & vini; nam sicut ratione specierum dicitur videri tangi & frangi, ita ratione earumdem dici potest commisceri.

Consecrationis, quæ cum illa commistione fieri dicitur:additio,non habetur apud Amalarium aut Innocentium,sed solùm *fiat commixtio corporis, &c.* & certè vix sanè potest intelligi, ordo Romanus hanc habet qua petimus, non vt nunc fiat consecratio, sed vt iam facta *fiat nobis in vitam*, posset etiam dici quod hic

agitur de noua quadam consecratione quæ ex commistione nunc primùm exurgit; nam in Liturgia Iacobi cùm fit commistio leguntur hæc verba, *Vnitum & sanctificatum est.* Porrò hæc consecratio nihil est aliud nisi noua significatio sacramentalis, sicut enim consecrari dicitur quod acquirit sacramentalem significationem; ita etiam dicitur iterum consecrari, quod acquirit aliam significationem sacramentalem. Amalar. innui vult resurrectionem in qua caro Christi item coniuncta fuit sanguini effuso; hæc autem commistio & consecratio dicitur fieri in salutem, non quod ipsa commiscendi actio & consecrandi saluet, sed quia res commistæ dum deuotè suscipiuntur prosunt ad salutem.

Commistio hac habetur in omnibus Liturgiis Græcis, & in Romana Iulius Papa vetat eam apud Gratian. quæ à nonnullis fiebat cum populo Eucharistiam porrigebant intinctam, quasi pro complemento cōmunionis, ait Conc. Bracar. III. *Hoc negans habere testimonium ab Euangelio; nam inquit quod intinctam dederit Dominus bucellam Iudæ id fecit, vt proditorem ostenderet, non tamen vt Sacramenti huius institutionem monstraret.*

Agnus Dei, ter dicitur à Sergio Papa inductum, quòd Christus ad tria venerit. 1. vt nos à culpa. 2. vt à pœna liberaret. 3. vt nobis daret de plenitudine gratiæ suæ: quantum ad duo prima dicitur, *bis miserere*, & pro 3. *dona nobis pacem*, quæ petitio pacis sequitur statim per singularem Orationem quæ requirit vt Ecclesiam *pacificet & coadunet*. Durant. notat olim dici *ter miserere nobis*, idque propter tria peccatorum genera quæ petimus condonari cogitationis in corde, locutionis in ore & actionis in opere, multis autem ingruentibus postmodum Ecclesię Rom. aduersitatibus ipsa cœpit clamare ad Dominum in ipsa immolationis hora, vt faciliùs audiatur, *Dona nobis pacem.*

Pacis osculum accipitur ab ipsa Eucharist. vt quibusdam placet, vel vt aliis ab ipso Altari repræsentante sepulchrum, & Sacerdos impertit osculum Diacono aut Subdiacono, vt per eos descendat ad alios. Solebant Christiani osculari se ante communionem in signum pacis, vt constat ex apol. 2. Iustin. Tertul. lib. de velandis virg. exoleuit mos ne quidpiam lasciuiæ irrepat, quod sæpiùs accidit in osculandis mulieribus protenditur hodie imago osculanda. Osculum illud indicat solnos adstantes Missæ communicare, quod crescente multitudine restrictum fuit ad Dominicos dies, idque cùm in desuetudinem abiit remissum fuit ad trinam in anno participationem, scilicet Natali, Paschate, Pentecoste, subrogato tamen duplici remedio, nimirum, vt singulis diebus pacis osculum daretur, & Eulogia seu panis benedictus distribueretur Dominicis diebus. Panis ille subrogatus est *Agapis*, id est conuiuiis, quæ ditiores parabant pauperibus, de quibus Can. 74. Conc. VI. *Ne Agapes seu charitates in Ecclesiis fiant, nec intus in æde comedantur aut accubitus sternantur.*

Sacerdos sumit species cum protestatione suæ indignitatis. Origen. homil. 6. in diuersa loca Euang. meminit ritus quo communicaturis dicit. *Domine non sum dignus*, ad imitationem Centurionis Matth 8.

Postcommunio, seu gratiarum actio ritè inducta dicitur à Cœlestino, vel Gregorio PP. ad imitationem Christi, qui post Cœnam hymnum dixit.

Osculatur Altare, Sacerdos ostendens per hoc se præmissis omnibus deuoto affectu assentiri, Missa incepit ab osculo altaris, eodem finiri debet decies impresso, si pax detur adstantibus, alioquin nouies, idque non sine Mysterio.

Ite Missa est, habetur in lib. 8. cap. 23. Clementis, sic *Ite in pace*, quod Vvaldens. tom. 3. tit. 4. cap. 44. deducit à Christo, qui facta Cœna dixit, *Surgite eamus*, huic respondetur.

Deo gratias, quod Dionys. cap. 3. hier. Eccl. & Aug. Epist. 59. ad Paulin. dicunt debere hic ad conclusionē participati Sacramēti vsurpari.


Benedictio datur, hæc in Clem. cit. exprimitur, & Hier. ad Rustic. de ea scribit Micrologus cap 21. causam addit, *Vt qui non communicatus discedit saltem benedictus à Sacerdote recedat.* Hanc iniungunt Conc. Aurelian. I. cap 28. Agath cap. 47. originem habet à Moyse num. 6 *Sic benedices populum meum.*



ARTICVLVS

ARTICVLVS XXVI.

Atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè & realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi.



INGVLARIA hæc Dei opt. max. studia, quæ Regius vates inter Gentes narranda iubet, de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento eiusque mirabilibus intelligenda pronuntiat titulus Psalmo nono præfixus: In finem pro occultis filij. *In eo enim Sacramento filius Dei maximè occultus habetur, ipsáque quæ ipsum circunstant miracula, quibus perscrutandis ne dicam vix discernendis intellectus bonus facientium eum, id est Sacerdotum, quorum est sacra dare, priusque nosse, non sufficiat; defecit quippe in salutare Dei regius ipse Dauid, defecit & discipulus ille quem diligebat Iesus vnde stupens ad tantum Mysterium quo omni studio magister eius corda & affectus hominum aucupans se ipsum eorum cibum & alimentum fecit vsque ad consummationem sæculi, extaticus supra pectus Domini recumbit & obdormit: Vtinam sic obdormirent singuli Christiani, vigilarent vtique mente & spiritu, & intelligerent hic in vltima Christi cœna adimpletam cumulatissimè solemnem illam promissionem quam discipulis & Iudæis de pane dando qui caro sua esset & potu qui sanguis suus esset firmiter spoponderat, & si sensus eorum deficiat ad firmandum cor, fides quæ est ex auditu horum verborum.* Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, *sufficiat ad assertionem & testimonium credibile nimis.*

Hac fide deficiente Sacramentarij Hæretici negauerunt Christi præsentiam in hoc Sacramento, reluctantes Antiquitatis confessioni, & omnimodè contradicentes veritati. S. Epiphanius appositè comparauit eiusmodi sectarios cani quem fingit Æsopus in suis Apologis, flumen transeunti, qui portans in ore magnum carnis frustum videns subter aquam vmbram ipsius, putansque illud quod apparebat in aqua grandius esse, dimisit verum, vt apprehenderet fictum, vnde contigit vt vtroque fuerit destitutus. Tales sunt Sacramentarij, qui pro figura, & vmbra relinquunt veram Christi carnem, vtrumque perdentes, nam nec in figura inueniunt vtilitatem, nec in carne Christi saporem, quem sola fides degustat. Hoc igitur incommodum Catholici vt vitent, primo firma fide credunt realitatem præsentiæ Domini, deinde intelligentiæ Mysterij omni studio vacant: Sic ego, Credidi propter quod loquor, *& infra propono quæ ad elucidationem tanti Mysterij spectare dignoscuntur.*

QVÆSTIO PRIMA.

De vera & reali præſentia Chriſti in Euchariſtia.

ALiqua iam prælibauimus de vera præſentia corporis & ſanguinis Chriſti Domini in Euchariſtiæ Sacramento, cùm vim & efficaciam formæ eius quæſt. 7. & 8. articuli xv. declarauimus. Sed veritas hæc Catholica funditus profitenda, & ſtabilienda locum hic habet.

PROPOSITIO CATHOLICA.

CHriſtus verus Deus & homo totus exiſtit ſub qualibet Euchariſtiæ conſecrata ſpecie.

Probatur ex ſcriptura, & primum ex figuris veteris teſtamenti, hoc modo, manna & agnus paſchalis figuræ fuerunt Euchariſtiæ, vt ſemper tenuit Eccleſia, & patet quò ad manna ex illa antitheſi Ioan. 6. *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem viuet in æternum*, & ex verbis illis Auguſtini tract. 26. in Ioan. *hunc panem ſignificauit manna.* Quoad Agnum verò, quia cœnæ in qua ſecundum ritum iudaïcum ille comedebatur mox à Chriſto ſubrogata ſit Euchariſtia velut vmbræ veritas. Non inficior hunc Agnum figuram fuiſſe immolati in cruce Domini, ſed magis adhuc fuit eiuſdem in Euchariſtia exhibiti, quia non immolabatur ſolùm, ſed etiam comedebatur Exodi 12. imo hoc erat præcipuum, ſiquidem non comedebatur vt immolaretur, ſed contra. Nunc ad rem figura ex omnium conſenſu longè imperfectior eſt re cuius eſt figura, vt conſtat ex picturis collatis cum ſuis prototypis, nec mirum ſane, quia res figurata non eſt propter figuram, ſed contra. At ſi Euchariſtia, verum Chriſti corpus non contineret, ſed nudum eius ſignũ, meruſque panis exiſteret, oppoſitum ſequeretur, id eſt figura rem figuratam antecelleret, manna quippe cum panis eſſet operâ factus Angelorum, & haberet ortum de cœlo, Sap. 16. & contineret in ſe omne delectamentum & omnem ſaporem ſuauitatis, ita vt ob id dictus ſit *omnis eſca* Pſal. 106. cum denique intra Arcam ipſam fœderis reconderetur Heb. 9. multis vtique partibus vulgarem panem ſuperauit aptatum piſtorum manibus, à fumo prodeuntem, vnico ſapore ac ſæpe ingrato guſtum afficientem, in abaco denique recondi ſolitum.

Agnus item paſchalis cum eſſet animal & quidem anniculum tenerrimum ex omni parte vtile & abſque macula dignitate pariter inanimatum panem longè antecelluit. Quod ſi verum Chriſti corpus ineſſe dicamus Euchariſtiæ, penè nihil erit manna huic comparatum, nihil item Agnus ille paſchalis.

Reſpondent nouatores Sacramenta noſtra quantum ad ſymbola externa præſtare antiquis, quia ſunt magis firma, nec amplius mutanda, & quia rem factam oſtendunt, non futuram vt illa, & quia ſunt ſimpliciora & pertinent ad populum numeroſiorem, & quia ſunt clariora non propter repræſentationem externam, ſed ex claritate verborum, quæ ibi proferuntur, vnde etiam ſequitur, quod maiorem fidem excitant, & ſic vberiorem fructum afferunt. Ac per iſtas prærogatiuas Petrus Martyr putat ſatisfieri argumento Catholicorum.

Sed minimè ſatisfit, nam quod attinet ad Sacramenta vt ſigna extrinſeca ſunt præfatæ prærogatiuæ, quod noſtra ſint durabiliora, quod rem præteritam & ad plures ſignificent, adde quod Euchariſtia cum fuit inſtituta mors Chriſti, quæ per eam ſignificatur, futura erat, & nihil habuit præ cœna typica Agni paſchalis, quorſum ergo Chriſtus iterauit cœnam, & Euchariſtiam tunc dedit? Comparatio, facienda eſt in ipſa ſignificatione ſi propria & intrinſeca dignitas ſignorum quæritur, ſigna vetera melius ſignificare quantum ad externam repræſentationem patet, Excellentiam deſumere ex verbis nihil iuuat, cum Aduerſarij ea dicant non eſſe de eſſentia ſignorum, verba inſtitutionis & promiſſionis ſunt veteribus, & nouis communia, & non ſunt de eſſentia, diſtinguntur enim per aduerſarios, ſicut diploma & ſigillum vel ſicut fœdus, & ſignum fœderis, vnde dicunt Sacramenta eſſe ſigna confirmantia promiſſiones, dato ergo quod verba eſſent clariora in nouis, non ſequitur tamen ea eſſe Sacramenta clariora, poteſt enim fieri vt diploma clarius obſignetur ſigillo obſcuriore, & diploma obſcurius, ſigillo clariore & meliore. Et hoc admittere coguntur aduerſarij, cum fateantur ſigna vetera fuiſſe, clariora quo ad externam repræſentationem. Quare ſi maior fides excitetur ex perceptione Sacramentorum nouorum, id non eſt ex vi ſignorum, ſed ex vi verborum, quæ diſtinguntur à ſignis eſſentialiter.

Adde pro efficacia argumenti Catholici, quod ſcripturæ & Patres non dicunt noſtra Sacramenta excellere veteribus, quia melius ſignificant, ſed quia illa erant figuræ, & iſta res figuratæ, & proinde res ipſæ conſiderandæ ſunt. Si autem res ipſæ conſiderentur, quis dubitat meliorem eſſe agnum pane, & manna etiam de cœlo, quam particulam hoſtiæ triticeæ in igne coctam. Et hæc eſt comparatio quam Chriſtus facit Ioan. 6. vbi non meminit ſignificationis, ſed dicit manna non fuiſſe panem verum, ſi cum pane Euchariſtiæ conferatur. Pari ratione Patres non dicunt Euchariſtiam eſſe præſtantiorem quam manna, quia melius ſignificat, ſed quia continet corpus Chriſti: vnde nunquam comparant manna cum pane, vt facere debuiſſent, ſi de ſignificatione ageretur, ſed cum ipſo corpore Chriſti.

Secundum argumentum communiter adducitur ex cap. 6 Ioan. vbi Chriſtus promiſſionem dat de inſtitutione huius Sacramenti facienda, *panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Negant equidem omnes hæretici hæc verba pertinere ad Euchariſtiam, volunt enim ibi per panem intelligi Chriſtum abſolutè, & per manducare & bibere inſinuari credere in Chriſtum. Nec deſunt Catholici idem ſentientes, ita vt Salmeronus Ieſuita, qui interfuit Concilio Tridentino referat tomo 8. tract. 23. *Quod noluerit Synodus nominatim illo tempore decernere quis eſſet maximè proprius & germanus verborum illorum Chriſti ſenſus apud Ioannem propter varias S. Patrum & Docto*

& Doctorum interpretationes in vtramque partem allatas. Et quidem ſi de manducatione quæ nondum ſtabilita erat loquatur in futuro: arguet Molineus dicere in præſenti. *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi, qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Explodendus autem eſſet qui ex verbis Chriſti in futuro, *qui crediderit & baptizatus fuerit*, inferret non inueniri quemquam ante prolationem huius ſententiæ, qui crediderit aut baptizatus fuerit: futurum illud *dabo* refertur inquit ad mortem futuram, quæ vera eſt animarum refectio. Quod ſi inſtes Chriſtum diſtinguere eſum à potu ad deſignandas duas Euchariſtiæ ſpecies, reſpondet vtrumque edere & bibere exprimi vt intimetur vtrumque in Chriſto plene & in morte eius haberi vti cibo ſpirituali, quare ad plenam ſatietatem beatorum exprimendam dixit Luc. 22. *Diſpono vobis regnum vt edatis & bibatis ſuper menſam meam*, in quo textu vti & Iſai 55. edere & bibere idem ſignificant & ſpiritualiter intelligi debent.

At his non obſtantibus ſtat veritas ibi in hoc verſu capitis (quod totum non agit de Euchariſtia, nam & de miraculo panum, & de fide, & de incarnatione agitur in magna parte capitis) in hoc inquam verſu 52. *panis quem ego dabo caro mea eſt.* Confirmatur ex Græco, *quam ego dabo pro mundi vita*, vbi illud ſecundum *dabo* non poteſt exponi niſi pro re verè & propriè futura ergo & primum *dabo* ita exponi debet.

Promiſit igitur Chriſtus carnem ſuam non abſolutè ſed in Sacramento ſumendam quod promiſſum impleuit in vltima cœna.

Confirmatur hæc expoſitio ex ſequentibus verbis: *Litigabant ergo Iudæi dicentes, quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* & ex illis paulo infra. *Durus eſt hic ſermo & quis poteſt eum audire!* Ex his enim colligitur tam Iudæos, quàm diſcipulos ipſos intellexiſſe aliquid nouum & mirandum proponi à Chriſto. Dominus autem eorum opinionem non correxit, ſed iterum inculcauit. *Niſi mãducaueritis carnem & biberitis ſanguinẽ &c.* Quis credat rem faciliorem qualis eſt credere in Chriſtum, voluiſſe Dominum cum tanto offendiculo diſcipulorum tot inuoluere obſcuriſſimis metaphoris, cum potuiſſet vno verbo rem totam declarare? & confirmatur quia ſolebat explicare diſcipulis quod parabolice interdum dixerat, vt patet de ſeminante Matth. 13. de regeneratione propoſita Nicodemo Ioan. 3. de paſtore, ouibus, oſtio. Ioan. 10. & ſimilibus. Hic autem non explicuit aliter, ſed dixit iis qui non receſſerant *vultis & vos abire?* quaſi diceret, Myſterium propoſui quod exigit fidem, qui nõ vult acquieſcere abeat. Vide Bellarm. lib. 1. de Euchariſtia cap. 5. proſequentem hanc verificationem ex teſtimonio Eccleſiæ, & ex maiori parte Scriptorum in Ioannem, qui ſi hic nihil ſcripſerit de Euch. primarium fidei Myſterium non attigiſſe probatur.

Nec importat, quod hic diſcurſus Chriſti habitus fuerit anno integro ante cœnam; ſiic Domino viſum qui in inſtitutione potuit mouere intellectum Apoſtolorum ad recordationem tunc dictorum de carne in cibum tradenda. Sic paulo poſt iſtum diſcurſum promiſit claues Eccleſiæ Petro, Matth. 16. quas tradidit poſt ſuam reſurrectionem Ioan. 21. ſub his verbis. *Paſce oues meas.*

Apertè conuincit hic agi de manducatione Sacramentali appoſitio aduerbij, *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus*, & appoſitum iuramentum. *Amen, Amen dico vobis niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Qui textus de conſeruatione vitæ ſpiritualis intelligitur (cum Euchariſtia non ſit regeneratio ſed manducatio, & ad adultos quos alloquebatur referri conſtet, ſicque abſoluta neceſſitas Euchariſtiæ (ſine qua multi ſaluantur) non debet inde inferri vnde concluderetur paruulos etiam ad Euch. obligatos quod ex eo maxime conſtat, quia vel hæc verba. *Niſi manducaueritis* ſonant præceptum vel medium ad ſalutem neceſſarium; ſi primum, excuſantur infantes. Si ſecundum certè ſolum eſt tale iis qui vitam amittere poſſunt, quales non ſunt qui carent vſu rationis. Ad Catholicos DD. qui verba hæc non interpretabantur de manducatione Sacramentali & potu.

Reſpondeo id feciſſe vt facilius ſe expedirent ab Huſſitis & Lutheranis inde euincentibus communionem ſub vtraque ſpecie. Porro ij ſemper parati fuere amplecti ſententiam Eccleſiæ, quæ verba capitis 6. Ioannis à verſu 52. de Sacramento Euch. exponit, vnde in feſto Corporis Chriſti lectio Euangelica inde deſumitur & Tridentinum Conc. de Euch. exponit illa verba. *Qui manducat me & ipſe viuet propter me.*

Tertium argumentum ex ſcriptura proponit claram huius promiſſionis exhibitionem, & Sacramenti inſtitutionem, in qua diſertis verbis Chriſtus dicit. *Hoc eſt corpus meum*, & ſignata eſt hæc inſtitutio per tres Euangeliſtas Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. qui omnes licet ſcripſerint diuerſis locis & temporibus, eundem tamen ſenſum expreſſerunt, imò eundem edoctus fuit Paulus ab ipſomet inſtitutore Chriſto, *Ego inquit, accepi à Domino quod & tredidi vobis.* Nemo iſtorum quatuor ſcripſit. Hoc ſignificat corpus meum hoc eſt figura corporis mei: nemo autem melius ipſo authore noſſe potuit quo nomine appellari deberet id quod in eadem poſtrema cœna ſuis exhibebat diſcipulis, cùm ergo illud clarè & diſertè vocauerit corpus & ſanguinem ſuum, verba eius iuxta proprietatem ſuam intelligamus. *Qui author eſt muneris teſtis eſt veritatis* inquit, Euſeb. Emiſſen. profecto longe veriſimillimum eſt, ſi non aliud quàm ſignum credidiſſent Euangeliſtæ, aliquem ipſorum expreſſurum illud partim proprietatis retinendæ ſtudio, partim ne aliàs vox *corporis* lectori præberet anſam errandi; ſic enim aliis in rebus grauioris momenti à Spiritu-ſancto prouiſum eſt, vt ſcriptor vnus ſermonis proprietatem retineret, quæ apud alium deſideratur, dicitur v.g. Matth. 6. *dimitte nobis debita noſtra* & ne aliquis ciuilia quædam cogitaret, interpretatus eſt clarius, Lucas cap. 11. & dixit *cum oratis dicite Pater noſter &c. dimitte nobis peccata noſtra.*

Ex verbis autem inſtitutionis ſic conſequenter argumentor. Chriſtus Dominus inſtituens Euchariſtiæ Sacramentum dedit in cibum id quod ſe daturum ante promiſerat. Atqui in cap. 6. Ioannis promiſerat ſe daturum in cibum

non ſignum corporis ſed ipſummet corpus Ergo dicendum eſt corpus ſuum verè & realiter & ſubſtantialiter dediſſe proindeque ipſum Chriſti Domini corpus vere & realiter in Sacramento Euchariſtiæ exiſtere.

Quartum ex ſcript. arg. ſumitur ex prima Cor. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt & panis quem frangimus nonne communicatio corporis Chriſti eſt?* Sed difficultas fiet an corporaliter realiter & proprie ſumatur ſanguis & caro, an ſolum ſignificatiuè & ſpiritualiter. Sed propriè intelligenda eſſe conuincunt verba inſtitutionis, expoſitio Chryſoſt. hom. 24. hic, Cyrilli qui lib. 10. in Ioan. cap. 13. probat ex hoc textu Chriſtum nobis vniri verè & corporaliter per Euchar. & intentum Pauli prætendentis auertere Corinthios à ſacrificiis gentium & ab eſu idololothytorum oſtendendo menſam longè præſtantiorem, hæc autem niſi ſubſtantiam Chriſti habeat, ſed tantum ſigna, non mouet.

Conuincit & ſequens ſententia. *Qui manducat indigne, iudicium ſibi manducat non diiudicans corpus Domini*, & ſupra, *Reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Quod ſi ex indigno eſu ſimplicis ſymboli incurritur damnatio, hoc detogat miſericordiæ, quæ nunquam Iudæos figuras edentes in peccato manna vel agnum paſchalem ob id damnaſſe legitur & ſi obiiciatur in vet. Teſt. non licuiſſe homini polluto edere de carnibus ſacrificij Leuit. 7. nec de panibus propoſitionis 1. Reg. 21.

Reſpondeo id facere pro nobis: illa enim quia erant typi quidam & figuræ Sacramenti Euch. exigebant munditiam quandam corporalem vt intelligeremus ſpiritualem munditiam quam exigit res figurata.

Probatur Realitas præſentiæ corporis ex SS. Patribus quorum conſentientem per omnes ætates, doctrinam in hac veritate profitenda oſtendunt Bellarm. libro ſecundo de Euch. integro, & alij de hac re ſpecialiter tractantes, Gualterius totus eſt in duodecim veritatibus Catholicis ſic per ſæcula probandis, quarum prima hæc ſtabilitur. Neque vero quidam ex SS. Patr. ſolum aſſerunt veritatem corporis Chriſti ſed etiam falſam Nouatorum interpretationem manifeſtè excludunt, Cyprianus ſerm. de cœna. *Panis iſte non effigie ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro.* Damaſc lib. 4. de fide cap. 14. *Panis vinumque & aqua per inuocationem Spiritusſancti ſupernaturaliter transmutatur in corpus & ſanguinem Chriſti & non ſunt duo ſed vnum & idem. Non eſt figura panis & vinum corporis & ſanguinis Chriſti; abſit enim hoc. ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum* Epiphan. *Nunquam inuenies neque Dominum neque Apoſtolos, neque Patres incruentum illud ſacrificium quod à ſacerdote offertur imaginem dixiſſe, verùm ipſum corpus & ipſum ſanguinem* Ambroſ. l. 4. de Sacr. c. 4. *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio de pane fit caro Chriſti.* Auguſt. in ſerm. ad Catechumenos. *Hoc accipite in pane quod pependit in cruce, hoc accipite in calice quod manauit de Chriſti latere* & in Pſal. 33. ſcribit in ſolo Chriſto impletum eſſe Pſalmi huius titulum. *Qui portabatur manibus ſuis*, neminem alium portare ſe poſſe propriis, Chriſtum autem portaſſe ſe ſuis, quando manibus in cœna tenens panem, dixit. *Hoc eſt corpus meum*, ſi putauit hunc panem figuram tantum eſſe Corporis Chriſti, ineptè profectò & falſo aſſeruit Auguſtinus ſic à ſe portari poſſe neminem alium, ecquam facile eſt Regi cuilibet ſeipſum in moneta velut in ſigno, vel ſi mauis monetam velut ſui ſignum geſtare manu?

Ad hæc Nota aliquos inueniri Patres qui vſi ſunt voce ſigni, & figuræ corporis Chriſti: hos coaceruauit Petrus Molineus in Anatomia Miſſæ cap. 26. inter quos Auguſtinum recenſet qui lib. contra Adimantum cap. 12. ſcribit. *Dominus non dubitauit dicere hoc eſt corpus meum cum daret ſignum corporis ſui*, Quibus omnibus per præuentionem

Reſpondeo, eos non excludere veritatem rei neque vnquam dicere ſolam eſſe figuram aut ſolum ſignum Quia vero hoc Sacramentum ita continet Chriſtum inuiſibiliter ſub ſpecie viſibili, vt ſimul ſit ſignum eius & repræſentet ipſum, vel pro nobis crucifixum, vel vt in cælo exiſtit glorioſum; Ideo ſub hac ratione ei nomen ſigni aut figuræ competere poteſt. Itaque corpus Chriſti ibi eſſe *Non eſt relictus ambigendi locus* ait Hilar. lib. 8. de Trinit. quia tamen ibi eſt ſub quodam Sacramento, ſacrum ſignum debet eſſe: ſignum inquam non vacuum, ſed plenum eodem corpore ſeipsū ſub propria ſpecie repræſentante. Sic nomen figuræ poteſt ei competere ſine realitatis præſentiæ excluſione, nam & filius Dei vocatur ab Apoſtolo *Figura ſubſtantiæ Patris* non quia veritate eiuſdem ſubſtantiæ careat, ſed quia per eam Patrem repræſentet, vnde S. Anſelmus ita de hac re loquitur in lib. de diu. officiis. *Chriſti benedictione panis fit corpus eius, non ſignificatiuè tantum ſed etiam ſubſtantiuè, nec enim ab hoc Sacramento figuram omnino excludimus, nec eam ſolam admittimus: veritas eſt quia corpus Chriſti eſt; figura eſt, quia immolatur quod incorruptibile habetur.*

Probatur ex Conciliis quæ omnia fecerunt aliqua decreta circa vſum ſanctiſſimi Sacramenti ad maiorem illius ſtatuendam venerationem, ſat in præſenti referre teſtimonium primi & vltimi generalis. Nicænum ſic in Actis eius docet vt videre eſt in Bibliotheca Vaticana. *Item etiam hic in diuina menſa, ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & calicem, ſed attollentes mentem fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa agnum illum Dei tollentem peccatum mundi, incruentè à ſacerdotibus immolatum & pretioſum ipſius corpus & ſanguinem verè nos ſumentes credere hæc eſſe noſtra reſurrectionis ſymbola: propter hoc enim neque multum accipimus, ſed parum vt ſciamus non ad ſatietatem ſed ad ſanctificationem ſumi.*

Tridentinum ſic habet ſeſſ. 13. cap. 1. *Docet ſancta Synodus & apertè ac ſimpliciter profitetur in almo Sancta Euchariſtia Sacramento poſt panis & vini conſecrationem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum atque hominem vere realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpecie rerum illarum ſenſibilium contineri: nec enim hæc inter ſe pugnant vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cælis aſſideat* iuxta

iuxta modum exiſtendi naturalem, & vt multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præſens, ſua ſubſtantia nobis adſit ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo cogitatione, per fidem illuſtrata aſſequi poſſumus & conſtantiſſimè credere debemus.

Probatur rationibus, nulla datur gloſſa, aut interpretatio, quæ verificare poſſit contrarium de contrario v. g. quod album ſit nigrum multo minus contradictorium de contradictorio. Ergo duæ propoſitiones illæ, *panis quem dedit caro eius eſt.* Et illa, *Panis quem dedit non eſt caro eius.* Nequaquam admitti poſſunt, tantàque eſt diſtãtia inter *hoc eſt corpus meum, & hoc non eſt corpus meum.* Vt in Myſterio fidei auguſtiſſimo ſaltem vnus extare debeat textus pro parte negatiua ad expoſitionem vel reciſionem tot expreſſorum pro parte affirmatiua. 2. ſumitur ex circumſtantia temporis, nullus eſt vir bonus & conſeruandæ inter ſuos pacis cupidus, qui diſceſſurus ex hac vita & conditurus teſtamentum non conſideratè aduigilet vt vbique ſit loquendo perſpicuus, ne alicuius verbi obſcuritas, aut æquiuocatio hominibus iam ſatis ad iurgium factis ſubminiſtret iurgandi materiam. Nullus Chriſto amantior pacis, quam etiam ſerio ſub finem inculcauit Ioan. 14. cum ergo ſuum in cœna condiderit teſtamentum, ita vt dicat Matth. 26. hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, nequaquam vſus fuiſſe credendus eſt tropicis locutionibus, ſed maximè propriis, proindéque nomine ſui corporis non eius ſignum intellexiſſe, ſed ſuum ipſum corpus verum, adde quod hac nocte terminabantur figuræ, & ceſſare debebant figuræ. 3. quotquot loquuti ſunt Prophetæ de aduentu Meſſiæ annuntiarunt legem eius in omnibus auguſtiorem Moſaïcâ vnde cõmuniter veterem timoris, & nouam amoris nuncuparunt, & Deus ipſe vt canit Pſalmiſta *diligit portas Sion*, ſeu vt exponitur, Sacramenta Eccleſiæ, *ſuper omnia tabernacula Iacob.* Quod autem pignus amoris, ſingularis habet à ſponſo, ſi carne ſua vacuum ſit iſtud Sacramentum. At ſi veram præſentiam vt verba inſtitutionis ſonant admittimus, tunc præſerentia Euangelij, quod corpus vmbræ, & figuris Moſaïcis ſubſtitutum habet, luculenter apparet; hæcque illam diſtinguit à ſynagoga, & pauloninus tantum minuit ab Eccleſia triumphante. Synagoga habuit Chriſtum, *qui legis finis & ſcopus erat*, non vere & realiter, ſed figuratum ſolummodo, & Eccleſia militans habet illum verè realiter, ſed non manifeſtum & viſibilem. Triumphans vero habet verè realiter glorioſè & apparenter. Eccleſia igitur habet magis quàm Synagoga, quia Chriſtus illi realiter eſt præſens, habet verò minus, quàm Triumphans, quia non manifeſtatum, ſed velaminibus obuolutum haberi, cóque ad meriti & fidei occaſionem.

Quarta ratio demonſtratur viſibiliter ex miraculis, quæ in dies notantur de auguſtiſſimo hoc Sacramento. Præſentiam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus horrent dæmones, & ad oſtenſionem earum ſæpiſſime coguntur ab obſeſſis exire corporibus, hanc perſentiunt ſtupidiora animalia, vt mulus Hæreſiarchæ Bouilli Toloſæ, qui triduana inedia famelicus herum proferentem auennam neglexit vt procumberet ante Euchariſtiam, quam B. Antonius de Padua adorandam imperabat: hanc odorantur animæ piæ quæ conſolationes copioſè ex ea hauriunt. Hanc profitentur populi omnes à ſolis ortu vſque ad occaſum vt conſtat ex frequenti vſu & cultu ſingulari tanti Sacramenti. Vide ſpeculum hiſtoriarum.

Adde pro muro æneo, Chriſtus dixit hoc eſſe corpus ſuum, & Euangeliſtæ quater retulerunt, eadem verba ſine gloſſa quacumque nuſquam autem ipſe vel illi dixerunt non eſſe Ergo cum ex ſcriptura eruantur articuli fidei & Eccleſia ab initio vſque hodie ſenſum hunc ſemper affirmarit, veritas hæc eſt de fide ſicq; ab exordio Eccleſiæ S S. Patres crediderunt ſine interruptione vſque ad Berengarium, qui eiurauit bis aut ter errorem ſuum.

DIces propoſitiones Sacramentales debent exponi Sacramentaliter: hæc *Hoc eſt corpus meum*, vna eſt, ergo ſignificat panem eſſe corpus Chriſti Sacramentaliter ſeu ſignificatiuè, nam de eſſentia Sacramenti eſt, vt ſit ſignum.

Reſpondeo propoſitionem dici tripliciter Sacramentalem, primò quia explicat Sacramentum ſeu ſignificationem Sacramenti, ſeu Myſterij, qualis illa Apoc. 17. *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, ſeptem capita, ſeptem montes ſunt*, & Geneſ. 41. 7. *Spicæ plenæ ſunt 7. anni vbertatis.*

Secundò, quia per eam Sacramentum inſtituitur aut perficitur, qualis eſt *Baptizo te. Hoc eſt corpus meum.*

Tertio dicitur propoſitio Sacramentalis, quia continet & ſignificat Myſterium reconditum, qualis eſt illa, *Deus eſt vnus & trinus. Verbum caro factum eſt.* Propoſitio primi generis ſemper eſt figurata, non autem ſecundi & tertij. Adde quod Sacramenta ſunt ſigna, ſed rerum præſentium, vt fumus ignis, iris pluuiæ incipientis aut deſinentis, ſceptrum corona, & purpura regiæ maieſtatis à qua geſtantur.

DIces ſi Chriſtus exiſteret ſub ſymbolis ſubiaceret fœditatibus & emiſſioni per ſeceſſum ſicut alij cibi quod eſt indecens.

Reſp. Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus indiuiſibiliter & ſacramentaliter, conſequenter non poſſe fœdari ſicut fœdantur ſpecies, alioquin idem dicendum eſſet de Deo exiſtente in quolibet loco, & de anima rationali in qualibet parte corporis exiſtente.

Inſtabis dixiſſe Chriſtum *me ſemper non habebitis*, & ſymbolum aſſerere ſeſſionem eius ad dexteram Patris in cœlo.

Reſp. hæc & ſimilia intelligenda eſſe de præſentia naturali qua in cœlo exiſtit, quæ non excludit Sacramentalem, qua eum habemus.

DIces verba Euchariſtiæ non eſſe intelligenda de manducatione orali ſeu corporali idque Chriſtum expreſſe declaraſſe, dum ait Ioan. 6. *ſpiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.* Ergo caro Chriſti non ſumitur realiter cum ex ſe nihil profutura ſit.

Reſpondeo.

Reſpondeo totum hunc ſermonem Chriſti factum in ſynagoga Capharnai de pane qui caro eius eſſet edendo idque ſub priuatione vitæ multos ſcandaliſaſſe, *durus eſt hic ſermo & quis poteſt eum audire*, Quia vt carnales erant Myſterium nondum percipiebant & ordinarium modum & proprium manducandi carnem attendebant, qui eſt vt ea viſibiliter ſecetur in partes & particulatim ſumatur, & cocta non cruda ſic equidem caro comedenda non promittitur, vnde SS. Patres. Chryſoſt. hom. 46. in Ioan. Cyrill. catecheſi 4. & Aug. tract. 27. in Ioann. per Chriſti verba allegata & ſubſequentia dicunt admoneri fideles, vt huius Sacramenti veritatem non carnaliter ſed ſecundum ſenſum humanum qui nihil prodeſt imo in percipiendis Myſteriis diuinis multum obeſt, ſed ſpiritualiter id eſt ſecundum veræ fidei ſpiritum intelligant, ſecundum quem caro Chriſti in hoc Sacramento non vt ſimplex, & nuda caro conſideratur, qua ratione nihil prodeſt, ſed vt caro diuino ſpiritu plena & verbo diuino perſonaliter vnita, quò pacto viuificare, & maxime prodeſſe poteſt.

Dices ſcripturam vocare panem quod Chriſtus accepit & porrexit diſcipulis.

Reſp. eam vocare quoque corpus Chriſti, eidemque familiare eſſe rem vnam nomine alterius cuius habet ſimilitudinem nuncupare v. g. Angelum hominem Gen. 18 vel ex qua facta eſt vt Euam os Gen. 2. & ſerpentem virgam Moyſis Exod. 7. & cœcos dicit videre Matth. 11. id eſt eos qui prius cæci erant, ſic dico cum S. Ambroſio lib. 4. de ſacr. cap. 4. Euchar. vocatur panis, non quod tunc vere panis ſit, ſed quia prius erat, retinetque prioris ſtatus externam ſpeciem.

Dices poſſibile non eſſe Chriſtum totum in tam parua hoſtia imò in illius minutiſſima particula realiter contineri: ſimul in cœlo & in tot locis ſuper terram realiter adeſſe: eius maieſtatem dedecere frangi, & conteri manducantium dentibus, imo poſſe ſic à beſtiis deuorari, igne comburi, pedibus conculcari, &c.

Reſpondeo ad hæc & ſimilia iſta videri poſſe impoſſibilia, & indecentia iis qui Dei poteſtatem incomprehenſibilem & inexhauſtam bonitatem ac vt Paul. Eph. 2. verbis vtamur *nimiam charitatē* ignorant. Fidelibus verò qui firmiter credunt, *non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum*, vt docuit paranymphus Incarnationis Luc. 1. firmiſſime ſibi perſuadent realem Chriſti præſentiam in hoc Sacramento tam expreſſis diuinæ veritatis teſtimoniis aſſertam Deo poſſibilem eſſe, licet poſſibilitatis illius modum ignorent, credunt etiam nihil in illo Sacramento dedecere infinitam eius bonitatem, neque manducatione aut quauis alia Sacramenti attrectatione corpus Chriſti glorioſum dehoneſtari, ſicut nec ſolis radius inficitur ex cœno, in quod illabitur, aut criſtalli ab eo illuſtrati fractione non violatur.

Realitatis huc uſque articulum Catholicum ſtabiliuimus, quia vero Euchariſtia eſt compendium mirabilium Dei, quæ *in pondere menſura, & numero*, Sapientia diuina patraſſe legitur, inquiramus hic potiſſima, quæ agnoſcit fides catholica in tam auguſto Sacramento & Sacrificio, nunquam ſatis admiranda miracula, quæ poſtea ad plenam Lectoris inſtitutionem diſcutiemus, & more Scholaſtico propugnabimus.

QVÆSTIO II.

De mirabilibus Realitatem Euchariſtiæ conſequentibus.

Non poſſum ſatis demirari modum quem obſeruat Regius propheta in perſcrutandis mirabilibus Dei, videtur enim abiicere & omnino excutere lumen naturale, & ſe ad ſtatum puerilem reducere. *Quoniam*, inquit, *non cognoui litteraturam introibo in potentias Domini* Pſal. 70. *Domine memorabor iuſtitia tua ſolius.* Profecerit ſic ad captiuitatis filiorum Ionadab vt habet titulus Pſalmi intelligentiam habendam, cùm iuſtus ſit Dominus & non ſine cauſa electos caſtiget, hanc ego methodum non ſuadeo in Myſterio fidei omnium profundiſſimo perſcrutando ineundam. Qui idiotæ ſunt, credant ſimpliciter, qui Sacerdotes & paſtores ſunt, quoniam cognouerunt litteraturam, introëant in potentias Chriſti inſtituentis Euchariſtiam, & ſtudioſe inquirant potentias Domini, & *auditas faciant omnes laudes eius*, quarum ſuſpicio,

I. Quod Euchariſtia ſit Sacramentum ſimul & ſacrificium, quæ contraria eſſe videntur cum in primo recipiamus: in altero offerre neceſſarium ſit, ad hæc vide annotata q. 2. de Miſſa.

II. Quod fides docet eſt totam ſubſtantiam panis & vini conuerti per verba Chriſti conſecratoria, quæ Sacerdos ad hoc aſſumit, in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, ita vt propterea hæc conuerſio vocetur nomine ſingulariſſimo, Tranſubſtantiatio, & articulum ſingularem in forma profeſſionis Catholicæ enuntiet huic 25 ſubſequentem, ideoque non minus accurate exponendum.

III. Mirabile quod hic aſſerit fides & ex priori ſequitur, accidentia, quæ ibi remanent eſſe ſine ſubiecto, v. g. albedo, rotunditas, ſapor, fluiditas, rubedo, &c. Nec aliud habere fundamentum cui aſſideant, & inhæreant præter quantitatem, quæ & ipſa accidens eſt, abſit enim vt dicamus ineſſe pani, quandoquidem tota ſubſtantia panis etiam materia, in Chriſti corpus ſit conuerſa. Et ita licet viſus, guſtus, tactus, odoratus, iudicent ibi eſſe panem, decipiuntur, niſi à fide corrigantur, olim Iſaac dum filius eius Iacob pro aucupanda benedictione acceſſit in omnibus ſenſibus deceptus fuit: in viſu quia caligauerant oculi: in odoratu & guſtu, quia putauit ſe comedere de venatione: in tactu ob pelles hædi quibus Iacob erat circumuelatus: ſola vox ei non impoſuit, nec decepit, *Vox quidem vox Iacob eſt.* Ita in hoc myſterio ſenſus omnes decipiuntur, ſolus auditus eos corrigit credens verbo Chriſti & redigens in obſequium fidei. Neque etiam accidentia illa dici poſſunt inhærere corpori Chriſti: nam neque illud, vt ibi apparet album eſt, aut rotundū aut inſtar panis ſapidum,

sapidum, cum sit gloriosum, vestitur tamen his accidentibus, licet ei non insint & illis circumuelatur ad significationem Mysterij, & exercitum meritiumque fidei nostræ.

IV. Mirabile quod hic credit fides, est, corpus Christi sub his speciebus esse æque magnum ac fuit in cruce &, est nunc in cœlo, quod inauditum est sub adeò exiguâ panis formulâ, corpus quinque aut sex pedum contineri sicut anima Gigantis Goliath æque extensa & magna erat in puncto conceptionis suæ, vti inueniebatur cùm Dauid truncauit eius caput. Sed id fit supernaturali virtute, & modo per quem licet quantitas corporis sit eadē qualis erat, cruce in hic non habet extensionem ad locum, & ita partes eius non impediunt se in eodem loco. Non ponitur tamen confusio partium corporis Christi: quia habent distinctionem, & ordinem corpori humano congruentem; & quamuis actu extensæ non sint aut locum non occupent, ita tamen inter se dispositæ sunt vt nisi supernaturaliter impedirentur, etiam actualem in loco extensionem habituræ forent. Itaque distinguunt Theologi extensionem actualem, & aptitudinalem siue intrinsecam, hæc posterior est essentialis quantitati corporis, per quam fit vt aptum sit occupare spatium extensum, illa autem prior actualis non est de essentia quantitatis. Et ita quia corpus Christi in Sacramento habet suam quantitatem, habet & illam aptitudinalem siue intrinsecam extensionem per quam fit vt sit ordo partium in toto, non habet autem, ob Mysterium actualem extensionem, & ideo non est ordo partium in loco, siue non occupat actu tantum spatium quantum naturaliter requirit, aut quantum in cruce, aut cœna de facto habuit, quia est ibi modo supernaturali, & non sicut locatum in loco, nec sub dimensionibus propriis, sed sub dimensionibus quæ prius fuerunt panis & vini. Sic filius Dei se ipsum abbreuiauit in Sacramento, qui prius abbreuiatus fuerat à Patre in Incarnatione. S. Thomas in opusc. de Euch, similitudinem affert, quæ aliquo modo iuuat ad intelligentiam modi huius admirabilis & supernaturalis, *Tam longa*, inquit, *est longitudo turris ac ipsa turris & tam lata latitudo ac ipsa turris, attamen species & figura turris tota comprehenditur & recipitur in oculo nostro, quia si non esset illa species longitudinis in oculo nostro, non posset homo per aspectum de illa longitudine iudicare. Idem dic de Sole & Luna & stellis quorum magnitudo in oculo paruo capitur. Si ergo hoc est admirabile & certum, non est incredibile corpus Christi posse contineri, sub hostia adeo parua licet id perfectè intelligere nequeamus.*

V. Mirabile est corpus Christi ita esse totum sub hostia vt sit etiam totum sub qualibet parte. Ratio est, quia est ibi per modum substantiæ; vnde sicut sub qualibet parte panis, est substantia panis, & sub qualibet gutta vini est substantia vini, ita sub qualibet parte speciei sacramentalis est corpus Christi, quod pani successit. Declarari id solet exēplo animæ, quæ tota est in corpore toto, & tota in singulis eius partibus, & ita tota in solo digito sicut in toto corpore. Declarari id etiam potest exemplo speculi in quò resultat imago nostra tota & si in plures partes illud diuiseris, in singulis partibus resultat imago nostra tota. Non incongruum etiam est exemplum verbi prolati, quod integrum procedit ab ore proferentis, & licet sparsum in aërem videatur diuidi, dum multi audiunt, tamen singuli non diuisum, sed integrum audiunt. Licet vero in his similibus multa quis inuenire possit dissimilia, tamen rudem aliquam intelligentiam huiusce rei (quam admiramur nec satis intelligimus) his qui peruicaces non fuerint præbere possunt: Interim non nisi fide assequi possumus per quam credimus, sub qualibet minima particula nos tantum accipere quantum, quis accipiat maximam sumens hostiam, figura quædam huius rei præcessit in manna, de qua cum colligeret alius plus alius minus, non tamen qui plus collegerat plus inueniebat, nec qui minus parauerat reperit minus, quod ad hoc Mysterium refert Rupert. *Hoc*, inquit, *pro virtute cibi & spiritualis potus id est corporis & sanguinis Christi sciendum & firmiter tenendum est.*

VI. Mirabile sequitur præcedens fractionem scilicet aut diuisionem hostiæ nullo modo attingere corpus Christi, sed solas species, siue quantitatem sub qua antea erat panis. Vnde si quandoque dicatur à S S. Patribus, frangi vel atteri dentibus sic Berengarij confessio loquitur, id solum verum est denominatione extrinseca, quia species Sacramentales franguntur vel alterantur sub quibus præsens est realiter: ipsum autem proprie non frangitur, quia nulla in ipso fit partium discontinuatio. Et licet ab impiis aliqua indigna confractio cōculcatio, aut indigna tractatio, fiat non tamē attingit corpus Christi, sed solas species, illud enim incorruptibile est, & impassibile nulliusque læsionis susceptiuum. Quocirca non plus illud læditur quàm radij solares lædentur ab insano homine, qui tentaret eos pedibus proterere, aut gladio in partes conscindere, aut luto commaculare. Quia tamen Deus est vltor iniuriæ Sacramento suo factæ, aliquando prodigiosus sanguis ex hostiis consecratis parricidali impiorum manu impetitis effluxit ad detestationem sceleris & probationem veritatis vt constat ex multis historiis.

VII. Mirabile est quod ab initio primitiuæ Ecclesiæ, vsque in finem sæculi fideles sumunt quotidie Corpus Christi, ita vt innumera hominū millia illud sumpserint integrum, nec tamen in aliquo fuerint diminutum, aut imminuendum, nec enim augeri potest, licet totus panis in orbe existens à sacerdotibus consecraretur: Nec imminui, licet omnes mundi homines illud sumerent, vnicum scilicet semper integrum perseuerat. Id adumbrare voluit Christus miraculo illo panum, quos benedixit, & tot millia hominum saturauit & nihilominus potentia diuina illos multiplicante nihil imminutum fuit, sed superabundauit: Ita à Sacramenti istius institutione corpus vnicum sufficit toti Ecclesiæ, multiplicatur sine multiplicatione idem semper existens: comeditur sine consumptione.

VIII. Mirabile præcedenti affine notatur Corpus Christi simul & eodem tempore esse in diuersis innumerisque locis, quia & in quibuscumque altaribus mundi post consecratio-

nem præſentia Sacramentali id eſt ad modum ſubſtantiæ ſine coextenſione ad locum totum ſub toto & totum ſub qualibet parte,itaque in cælo eſt circumſcriptiuè in loco,in Sacramento vero definitiuè & Sacramentaliter. Hoc inter cætera difficile eſt intellectu ideoque tanquam impoſſibile impugnari ſolet ab hæreticis , ſed certum eſt non repugnare corpori vt per omnipotentiam diuinam ſit in pluribus locis non tantum Sacramentali ſed etiam præſentia naturali in propria ſpecie. Declaratur id in ipſo Chriſto , qui quando apparuit Paulo Act. 9. fuit ſimul in cælo & in terra, ſiue aere terræ vicino & luce corporis ſui Saulum quaſi excæcauit, vnde ipſe Chriſto quem præſentiebat & primo vidit , tanquam homini præſenti loquitur. *Quis es Domine* , volunt autem Nouatores Chriſtum non diſceſſurum è cælo donec veniat ad iudicandum ; ergo ſimul erat tunc in duobus locis. Idem probat apparitio facta Petro dum Roma abiret fugiens perſecutionem, quem cum agnouiſſet Petrus & interrogaſſet. *Domine quo vadis ?* reſpondit Chriſtus. *Vado Romam iterum crucifigi* vnde Petrus confirmatus regreſſus eſt in vrbem,& in crucem actus eſt.Teſtis eſt huiuſce rei S. Ambroſius , & ſacellum in loco apparitionis conſtructum memoriam conſeruat miraculi.

IX. Quod præponderat omnibus & quæuis continet myſteria eſt ipſa concomitantia neceſſaria rerum quæ realiter exiſtunt in Euchariſtia.Chriſtus enim non ſolum continetur integer ſub qualibet ſpecie ſed perfectiſſime ibi eſt cum omnibus ſuis membris perfectiſſime diſtinctis , quatuor dotibus gloriæ veſtitis viuumque corpus ibi exiſtit vnitum diuinitati quæ nunquam fuit ſeparata ne quidem in triduo mortis,in quo quidem triduo ſi quis conſecraſſet vtramque ſpeciem , poſuiſſet corpus emortuum ſub ſpecie panis , & ſanguinem ſeparatim ſub ſpecie vini eo quod illa tunc ſeparata erant , fuiſſet nihilominus diuinitas iuncta corpori iuncta quoque ſeparatio ſanguini, quia à neutro nunquam abfuit, hæc Concomitantia neceſſaria dicitur ob realem vnionem quæ eſt eorum inter Chriſtum, qui ab inſtanti productionis ſuæ verus eſt homo & Deus. Itaque Euchariſtia commixtionem continet admirabilem ex deitate, anima , corpore , ſanguine Chriſti , cum ſpeciebus panis & vini.

X. Mirabile quod fides proponit experientia confirmatum. Accidentia ſpecierum nullis deſtituta eſſe ſuis proprietatibus naturalibus, quibus cum ipſis ſuppoſita erat ſubſtantia , affecta erant : vnde ex iis pariter congeneratur aliud compoſitum , vermis v. g. vel quid ſimile vinum v. g. conſecratum aceſſit, inebriat, &c. Hiſque naturaliter diſſolutis vel à natiuo calore ſtomachi vel ab aere circumſtante aut igne,aut alio quouis modo Corpus Chriſti deſiuit ibi eſſe ſine ſui deſitione aut annihilatione.


Hæc decem mirabilia (præ innumeris aliis quæ acutioribus innoteſcunt Theologis) diſcernere licuit tenuitati mentis noſtræ , quæ lectori ſimpliciter propoſuiſſe , crediderim non plenè ſatisfactum iri , niſi quælibet ad pondus & menſuram doctrinæ ſcholaſticæ diſcuſſa habeat congruentior examinis locus, poſt modum realitatis & plenam aſſertionem præſentię corporis Chriſti ſub ſpeciebus mihi videtur, pleraque enim connexionem cum Tranſubſtantione habent , alia illam ſupponunt , alia illam aut conuellunt aut ſtabiliunt , præcedat ergo articulus 26.



ARTICVLVS

ARTICVLVS XXVII.

Fierique Conuersionem totius substantiæ Panis in Corpus & totius Substantiæ vini in sanguinem. Quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.



EALIS præsentia Corporis Domini sub speciebus Eucharistiæ expressum habet in forma fidei articulum. Modus & ratio constitutionis illius singularem sibi vendicat, qui separatim enũtietur, & ab Expositoribus diligenter & accuratè in gratiam fidelium elucidetur. Est enim adeo sublime & augustum hoc Sacramentum, quod scriptura prophetica vocauit Memoriam mirabilium Dei, *vt iure optimo Christus institutor mysterium fidei antonomasticè nuncuparit. Quæ verba quamuis in Euangelio non reperiantur scripta, Christum tamen ea expressisse, quando vinum in suum sanguinem consecrauit, docet Catholicæ Ecclesiæ traditio, quæ his in consecratione calicis vtitur. Communis S S. Patrum sententia fuit, hæc verba Christi,* Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Ioan. 6. testimonium irrefragabile esse quo vera præsentia Corporis Christi in hoc eius Sacramento ad fidelium vitam spiritualem instituto confirmatur. Hanc orthodoxam veritatem diuersimodè exprimere conati sunt Patres Græci, μεταποιήσεως seu transformationis μετάληψεως transumptionis, μετασοιχειώσεως transelementationis vocibus: Hoc totum Latina Ecclesia nomine Transubstantionis in amplissimo Lateranensi Concilio mille & quingentorum Præsulum inducto, & ad hanc singularem & ineffabilem conuersionem significandam specialiter assumpto, medullitus declarat. Quod nomen nihilominus tanquam peregrinum & barbarum à Concilio inuentum detestantur nouatores, & quasi tesseram & Symbolum peregrinæ & barbaræ sententiæ habendum esse volunt. Quod quàm falso & iniuriosè obganniant, res ipsa de qua iam constat esse supra omne nomen & compellationem sat superque proteruioribus declarat, vt ex infra positis quæstionibus resultabit.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quomodo Christus sit in Eucharistia & quid sit Transubstantiatio.

INsolens & arduum nimis videbitur prima frōte hæc inquisitio, nā si in Mysteriis Christianismi professores illius credere nihil amplius habeant quam ea quorum modum capiunt & rationem callent, profectò pluribus illius articulis eos non assentiri, sed fide tantum pharisaicâ & fictâ credere dicendum erit. v. g. Quòd Christus Dominus sit filius Dei à Patre ante sæcula genitus. Quod idem in tempore factus homo natus sit ex Maria, eaque illibatâ virgine. Illa & plura firmiter admitti & credi à Christianis nemo est nescius, si ab iis tamen exprimendus mysteriorum modus requiratur, *Quomodo natus, quomodo factus homo*, respondebunt vnanimiter. Credimus in Deum huncque omnipotentem, nouit ipse qui *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra*. Rem credimus! *Quomodo*, nescimus. Sanè equidem & religiosè captiuatur intellectus humanus sub iugo fidei & meritoriè fatentur Catholici, Deum vt dicit 1. Ioan. 3. *Maiorem esse corde nostro*, non ob id tamen ab inquisitione operum Dei auocanda est mentis intelligentia in ea penitus exercenda: *Mirabilia* inquit rex Dauid. *Testimonia tua ideo scrutata est ea anima mea*.

Duplex profertur Quomodo infidele scilicet, & fidele, seu Capharnaitum & Christianum; illud possibilitatem rei conuellit & negat, *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum*, istud autem nostrum *Quomodo* supponit rem non tantum possibilem, sed & actu existentem & de ipsa religiosè quærit quomodo Christus sit in Eucharistia. Odiosum & vetitum est in arcanis fidei. *Quomodo possibilitatis*, hæreticis familiare & quasi innatum, at *Quomodo rei*, sanctos decet hosque docet: quærimus hic quomodo Corpus Christi est in Eucharistia an dumtaxat figuratiuè & significatiuè, an realiter & substantialiter? an simul cum substantia Panis & Vini? An per conuersionem illius in Corpus Christi: ardua equidem quæstio; nullatenus insolens vtpote à SS. Patribus passim examinata & sæpius definita, non ideo tamen apud omnes qui Christiano nomine gloriantur, stabilita.

Itaque fides Catholica docet, modum & rationem qua Corpus Christi incipit esse præsens & adesse in Eucharistia esse per Conuersionem substantiæ Panis & vini in Corpus Christi, quæ conuersio seu mutatio de substantia totali in totalem substantiam, dicta est Transubstantiatio. Ante propositionem dogmatis Catholici exponenda est definitio transubstantiationis, quæ dicitur Conuersio seu transitus totius substantiæ in aliam. *Dicitur conuersio totius substantiæ* ad distinctionem conuersionis partialis, per quam non tota substantia, sed sola forma desinit ad positionem alterius formæ, quæ dicitur generatio seu transformatio. *Dicitur substantiæ ad* distinctionem conuersionis accidentalis, qua vnum accidens desinit ad positionem alterius accidentis, vt quando desinit calor adueniente frigore.

Nota non esse hic propriè mutationem, nam in omni mutatione manet aliquod subiectum commune quod dicitur mutari, mutari enim est aliter se habere nunc quàm prius, at in transubstantiatione nihil commune manet: vnde Transubstantiatio non est possibilis virtuti creatæ, quia nulla potest agere in substantiam nisi præcedente motu vel mutatione dispositiua ad terminum illius actionis habendum, vt patet, ad transubstantiationem autem non requiritur talis dispositio, cùm fiat in instanti ex sola volitione Dei.

Ad hæc obserua veram conuersionem quatuor conditiones requiri.

Prima est, vt aliquid desinat esse, non enim est intelligibile vt vnum conuertatur in aliud, nisi id quod conuertitur desinat esse quod antea erat. Hinc August. lib. 18. de ciuit. cap. 18. docet non fuisse veras conuersiones illas quas iactabant gentiles factas à suis Magis vel Diis vt Arcadum in lupos sociorum Vlissis in varias bestias, sociorum Diomedis in aues, Iphigeniæ in ceruam, & alias similes, nam cum Iphigenia inuenta esset alibi viua post conuersionem in ceruam, intelligi potuit eam non verè conuersam fuisse, sed dæmonum arte subito inde abductam & in eius locum ceruam substitutam.

DIces in conuersione vxoris Loth in statuam salis nulla pars substantiæ fœminæ illius periit, sed tantum translata est anima in alium locum & in materia eius introducta est forma salis, & tamen ea vera fuit conuersio.

Respondeo, conuersio non requirit nisi vt desinat esse id quod conuertitur: quare si id quod conuertitur, sit aliquod compositum, satis est si desinat esse ipsum compositum, etiamsi fortè pars aliqua vel etiam omnes post dissolutionem compositi maneant. Ita igitur vera conuersio fuit fœminæ istius, quia illud compositum corpus carneum & illud animal rationale verè desiit esse, quomodo etiam Philosophi verè dicunt aquam conuerti in aërem, licet materia remaneat: quia quod conuertitur est aqua non materia & verè post conuersionem non remanet aliquid quod sit aqua. At si id quod conuertitur non solum est compositum, sed etiam partes eius, tunc etiam partes debent simpliciter desinere esse, & hoc fit in Eucharistia. Nam ideo Conc. Trident dicit conuersionem fieri totius substantiæ panis id est tam formæ quàm materiæ.

Secunda Conuersionis conditio est vt aliquid succedat in locum eius quod desinit esse, alioquin non esset conuersio sed corruptio, vel annihilatio si terminus illius actionis esset non esse rei. Atque hoc significamus cùm dicimus vnum conuerti in alterum, siue quod fuit vnum esse alterum, iudicamus enim sic loquendo vnum successisse alteri.

Tertia Conditio est, vt sit connexio quædam & dependentia inter desitionem vnius & successionem alterius, ita vt vnum desinat vt alterum succedat, & desitionis vi fiat successio; nam si ista non essent connexa, non esset vna actio quæ dici posset conuersio, sed essent duæ actiones

actiones per accidens se comitantes, quarum vna annihilatio, altera creatio diceretur, vt v. g. Si Deus annihilasset vxorem Loth,& postea vbi illa fuerat creasset statuam salis, nulla esset ibi conuersio, at conuersio fuit, quia illa actio per quam desiit illa fœmina, introduxit in eius locum statuam salis.

Atque hinc intelligi potest, cur Panis in Eucharistia reuera non annihilatur, licet nihil eius remaneat post consecrationem, quia nimirum actio per quam Panis desinit esse, non terminatur ad nihil, sed ad aliquid, nimirum ad corpus Christi: Annihilatio autem est actio quæ terminatur ad nihil. Id quod etiam cernimus in transmutatione naturali.

Nam cum aqua vertitur in aerem nihil prorsus remanet formæ aquæ,& tamen ea forma non annihilatur, quia actio qua illa destruitur non terminatur ad non esse illius formæ, sed ad esse formæ aëris: nam ab eodem agente, eadem actione: & iisdem dispositionibus vna pellitur, vt alia introducatur.

Quarta conditio conuersionis est vt terminus à quo & ad quem sint verè positiui. In hoc enim distinguitur perfecta conuersio, non solùm à creatione & annihilatione, sed etiam à naturali conuersione, nam licet ex vno fiat aliud, vt ex aqua aër, & proinde sit aliquo modo vterque positiuus terminus, tamen quia non introducitur forma aëris in materia aquæ nisi prius ea disposita sit per certas qualitates; inde est quod præcedit priuatio formæ aëris in materia aquæ ipsam introductionem formæ aëris: tunc enim materia dicitur priuata, cum habet dispositionem ad formam. Itaque terminus à quo in tali conuersione non tam est aqua, quam priuatio aëris,& proinde terminus à quo non est positiuus, sed priuatiuus propriè loquendo: At in conuersionibus supernaturalibus, qualis fuit vxoris Loth in statuam salis; & aquæ in vinum in Cana Galileæ, & virgæ in draconem tempore Mosis vterque terminus propriè positiuus erat. Non enim Deus disposuit materiam ad formam salis recipiendam aut aquæ ad Vini, aut virgæ ad formam Draconis, sed in instanti effecit vt vnum desineret in ordine ad alterius successionem; atque ita non fuit facta statua illa aut vinum aut draco ex materiâ habente priuationem, sed ex materia habente formam contrariam.

Ex quo intelligimus conuersionem Panis in Corpus Christi esse perfectissimam conuersionem, & distingui ab omnibus aliis mutationibus, similiorem tamen esse allatis supernaturalibus, solùm enim in duobus ab his distinguitur. Primò quod probabile est materiam primam mansisse sub vtroque termino, in hac autem certum est non manere. Secundo quod in illis accidentia aut omnia aut aliqua mutata sunt cum forma substantiali: in hac verò omnia accidentia remanent quæ prius erant, solâ substantiâ mutatâ. Hæ sunt conditiones & natura conuersionis.

Itaque Transubstantiatio non est creatio, quia non est desitio, sed rei nondum existentis positio in esse.

Non est annihilatio, quia hæc terminatur ad nihil: transubstantiatio vero est conuersio per quam Panis desinens esse terminatur ad aliquid non est generatio quæ licet ab Aristotele definiatur transmutatio totius in totum, eo quod illud ex partibus vere fuit vnum totum per se, quod non manet, sed aliud totum succedit scilicet noua forma; non tamen quælibet pars vnius totius succedit cuilibet alterius, quia manet materia communis, si quidem in materia corrupti introducitur forma geniti.

Non est alteratio aut quæuis alia mutatio, quia in his fit tantum mutatio accidentis, sed singularissima est conuersio sine exemplo quæ decem prænotata includit mirabilia: & quia in Conuersione debet aliquo modo vterque terminus mutari, Termini autem huius conuersionis sunt Panis & Corpus Christi, ideo subiectum in quo recipitur actio diuina huius conuersionis, partim est Panis, partim est Corpus Christi. Nam illa actio vt conuersio recipitur in pane, Panis enim est qui conuertitur, proinde Panis solus mutatur substantialiter. At illa eadem actio (siue sit productiua siue sit adductiua Corporis Christi sub speciebus, in hoc enim variant Doctores) in ipso Christi corpore recipitur, illud enim est quod vel producitur, vel quod adducitur, id est quod acquirit nouum esse sub speciebus, quod antea non habebat.

Quod autem S.Thomas & alij dicunt Corpus incipere esse in Sacramento non per mutationem sui, sed per mutationem Panis in ipsum, est verum, sed intelligi debet de mutatione deperditiua, non autem de omni mutatione. Nam verè Corpus Christi quod est in cælo non mutat nec substantiam, nec vlla accidentia nec ipsum locum, tamen acquirit aliquid quod non habebat, nimirum esse Sacramentale, quod sine aliqua mutatione intelligi nequit. Conuincit hoc ratio, nam si absque conuersione vlla in ipsum idem Corpus Domini in cælo manens poneretur à Deo etiam in terra, quod factum esse probant apparitiones ad Paulum & Petrum, certè negari non potest quin actio Dei qua Corpus positum esset in terra, in ipso corpore reciperetur, tanquam in subiecto,& proinde ipsum Corpus aliquo modo mutaretur. Eodem igitur modo cum per conuersionem Panis idem Corpus in Sacra hostia ponitur, actio illa in Corpore Christi recipitur, non quidem vt conuersio (ait cum Scoto Bellarm. lib. 3. cap. 19.) sed vt adductio est.

Præterea Corpus Domini per illam conuersionem acquirit nouam & realem relationem præsentiæ ad species Panis, & ad altare: ergo requiritur aliquod fundamentum illius relationis, quod sanè aliud fingi non potest præter mutationem aliquam.

Denique conuersio quatenus panem destruit non tam est actio quàm negatio actionis; Deus enim destruit panem dum desinit eum conseruare, At per negationem nihil positiuè & realiter fieri potest, ergo positio Corporis Christi sub speciebus quæ est quid positiuum, non fit ab illa conuersione vt ea est in pane, sed vt est & recipitur in corpore Christi. Nec dicas si Panis destruitur per negationem actionis & Corpus ponitur per actionem positiuam ergo Transubstantiatio non est vna actio, sed continet duo quædam, nimirum negationem actionis & actionem.

Resp. enim transub. esse vnam actionem, quia est quædam volitio Dei qua ipse vult non conseruare panem, vt in eius locum ponatur Corpus Christi.

Nota Transubstantiationem vocari interdum consecrationem ipsam, seu prolationem verborum sacramentalium, licet proprie loquendo consecratio, seu prolatio, non sit ipsa conuersio, quia nulla res causat seipsam, per consecrationem autem fit productio corporis Christi in pane, seu adductio ad species, concurrit ista prolatio, quæ & consecratio vocatur instrumentaliter ad actionem productiuam & ad conficiendum Sacramentum, Deus est causa effectiua huius mutationis, Sacerdos causa ministerialis, seu instrumentalis proferendo verba.

QVÆSTIO II.

An in Eucharistia fiat Transubstantiatio.

FIdes Catholica docet, non modo corpus & sanguinem Christi realiter in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis & vini existere, sed præterea nihil substantiæ panis & vini in eo remanere, totamque eorum substantiam transmutari, & conuerti in substantiam corporis & sanguinis Christi Domini.

Huic veritati multiplices opponuntur errores, quos hic recenseo, vt euidentius fiat, quid in hoc Mysterio credi, quidue repudiari debet.

Quidam igitur attendentes ad modum transmutationum substantialium, quæ naturaliter fiunt, in quibus vna tantum pars substantialis compositi, nempe forma transmutatur, materia primâ immutabili permanente, opinati sunt similiter in hoc Sacramento solam panis substantialem formam, per consecrationis verba mutari, materiam verò panis permanere, & ab anima Christi informari ad eum modum, quo cibus conuertitur in carnem nostram, & consequenter informatur ab anima rationali. Ita Durandus in 4. dist. 11. q. 3. Repugnat hoc Lateranensi Concilio, quod totalem ponit substantiæ conuersionem, tum accidentia, non essent hic sine subiecto, manente enim eorum naturali subiecto, scilicet materiâ, ei inhærere dicenda essent, adde quod hæc mutatio, non esset Transubstantiatio, sed transformatio, sicque incurritur hæresis, tum si materia manet, & Christi anima informatur; ergo dimensiones panis, dimensiones Christi erunt; ergo extensæ, & corporaliter Corpus Christi in loco erit: ergo verè & propriè diuidi, calefieri, corrumpi poterit. Dices nequaquam, quia gloriosum est; & incorruptibile. At hoc ipsum probat argumentum, corpus illud non esse gloriosum & incorruptibile, quia certè corpus gloriosum & incorruptibile lædi & corrumpi posse: experimur enim consecratum panem, qui per Durandum est materia panis, Christi anima informata alterari, diuidi & corrumpi. Rationes Durandi facilè soluuntur; nam non ponitur hic conuersio naturalis, quæ proinde materiam præexigat, quam naturalia agentia nequeunt producere, Deus est hic efficiens, qui vt creat ex nihilo, ita conuertere potest, quodlibet in quodlibet ex rebus creatis.

Alij arbitrati sunt substantiam corporis Christi, & substantiam panis simul in Eucharistia commisceri. Lutherus in lib. de captiuit. Babylo. cap. de Euch. docuit, non esse articulum fidei, quod substantia panis maneat, vel non maneat simul cum Christi corpore, ac vtrumque posse defendi, & in hoc valde dissentit à Caluinistis, qui Transubstantiationem dicunt esse sceleratam hæresim & rem prorsus impossibilem, destructiuam (vt nequam Apostata loquitur) humanitatis Christi.

Alij censuerunt panem in Euchar. hypostatice assumi à verbo diuino, eo prorsus modo quò natura humana assumpta est. Hoc docuit Rupert. Abbas Tuitiensis lib. enim 6. in Ioan. exponens illa verba, *Panis quem ego dabo caro mea est*, dicit verbum æternum per Incarnationem factum hominem, non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter humanitatem, & eodem modo per consecrationem Eucharistiæ, idem verbum fieri panem, non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter panem, vbi apertè fatetur Christum dici & esse panem facta consecratione, sicut dicitur, & est homo per Incarnationem: Ex quo sequitur panem esse Corpus Christi, sed corpus, non humanum, neque carneum, sed panaceum, & longè diuersum ab eo, quod de virgine sumptum est. Idem docet in 2. lib. de diuin. officiis cap. 1. hæc duo corpora posse dici vnum, quia vnum est suppositum vtriusque, siue vnus est Christus, qui vtrumque assumpsit, & disertis verbis dicit illa corpora panaceum & carneum esse vnum, quia idem Christus sursum, id est in cœlo est in carne, deorsum, id est in altari est in pane. Denique cap. 9. libri addit impios in communione accipere tantum panaceum corpus: pios vero vtrumque, quia in pane, inquit, sumitur tantum ore corporali, quod est commune piis & impiis, in carne autem, quæ sursum est, non sumitur, nisi ore spirituali, quo carent impij. Hæc scripsit anno 1111. qui notatur obiisse 1124. Refellitur hic error, quia repugnat apertissimis verbis Christi Ioan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est*. At panis, quem dicit assumptum à verbo Rupertus, est quidem corpus Christi, sed non caro Christi: neq; enim per assumptionem illã speciem suam mutat, vt patet, panis autẽ corpus est, caro non est; rursus Dominus ait Matth. 26. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. At corpus illud panaceum, non fuit pro nobis traditum, corpus igitur Apostolis in cœna datum, non fuit panaceum, sed carneum. Vel si contendas corpus panaceum datum discipulis, oportebit etiam fateri corpus panaceum pro nobis crucifixum fuisse, vt facetè deducit, Tertull. lib. 4. contra Marcionem, refutatur etiam hic error omnibus Patrum testimoniis, quæ exprimunt Corpus Christi carneum de virgine sumptum & crucifixum dari in Euch. Adde, improbabile omnino esse, vt vnio hypostatica Dei cum creatura fiat quotidie, & quotidie destruatur, nihil enim maius & mirabilius Deus creaturæ rationali donauit, quam suam ipsius personalita

personalitatem, cum verbum caro factum est. At quis ferat hoc pani dari & quotidie destrui? Praeterea haec opinio fidem nostram sine caussa facit odiosam, & ridiculam infidelibus, & dat ansam cum fundamento blasphemandi. Nam absurda quae haeretici falso colligunt, cum dicunt Christum in Euch. posse cadere, rodi à muribus, comburi, ire in secessum, &c. secundum hanc sententiam verissima essent. Si enim panis materialis per vnionem hypostaticam est Corpus Christi, atque adeo Christus ipse, quomodo negari posset Christum, siue eius corpus cadere, rodi putrescere, & cum panis roditur, putrescit, &c.

Transubstantiatio Catholica probatur ex scriptura, Matth. 26. *manducate hoc est enim corpus meum*, Circa quam propositionem, sic interrogo, pronomen, hoc, cum supponat omnium iudicio, pro eo quod subest speciebus panis, vel istud est Christi corpus, vel substantia panis, si primum, stat fides Catholica Transubstantiationis, seu conuersionis substantiae, nam cum prius esset substantia panis & ex hypothesi iam non sit, sed corpus Christi ei successerit, necesse est interuenerit nostra conuersio. Si secundum, falsa erit Christi propositio, quia idem pronomen semper supponit, vt dixi, pro substantia, quae subest visibilibus, accidentibus, quare si haec substantia sit panis, sensus erit substantia panis est corpus Christi, quod aperte falsum est, neque potest respõderi esse corpus significatiuè, vel corpus supponere pro signo corporis, haec enim explosa iam est interpretatio. Si quis autem dicat nullam fieri mutationem per verba Christi, is cogetur dicere, panem nullo modo mutatum datum esse Apostolis, & de illo esse dictum, hic panis triticeus verè & proprie est corpus meum. Atqui hoc nullo modo admitti potest, siue agamus de reipsa siue de propositione: nec enim vllo modo fieri potest, vt vna res non mutetur, & tamen fiat alia, esset enim ipsa & non esset ipsa. In propositione autem affirmatiua necesse est, vt pro eodem supponant subiectum & praedicatum, alioquin falsa esset praedicatio. Non igitur potest fieri, vt vera sit propositio, in qua subiectum supponit pro pane, praedicatum autem pro corpore Christi, panis enim & Corpus Christi res diuersissimae sunt.

Quod autem non intercedat hic mutatio moralis & significatiua corporis, euincitur ex proprietate verborum Christi, nam Christus dicit verum, ergo verè & realiter hoc quod in fine propositionis continetur est corpus eius: adde quod signum non potest dici verè & proprie res significata, quis enim hederam dicet esse proprie & verè vinum, sicut nec licuit dicere Arca testamenti verè est Deus simpliciter, ergo intelligenda est propositio Christi, & proinde intelligenda facta conuersio per verba.

Probatur ex SS. Patribus, & quia Aduersaris nouum hoc transubstantiationis nomen calumniatur, vt figmentum Innocentij III. Papae in Conc. Lateran. quod natiuitatem S. Thomae Aquinatis 9. vel decem praecessit annis, (vnde lapsus in historia Lutheri, Thomam authorem facientis deprehenditur) profero testimonia ab Apostolorum tempore. Iustin in 2. Apologia dicit *eum cibum, panem prece verbi Dei sanctificatum esse carnem Domini.* Ireneus lib. 4. cap. 34. *Quomodo constabit eis eum panem in quo gratiae actae sunt, esse Corpus Domini sui, &c.* Vterque igitur vult hanc propositionem esse veram, panis consecratus est Corpus Christi; atqui haec vera esse non potest sine mutatione in corpus Domini: neque enim panis manens panis potest esse corpus Domini. Tertull. lib. 4. in Marcion, *acceptum panem corpus suum fecit, dicendo hoc est corpus meum*, At quomodo potuit panis fieri corpus sine sui mutatione. Cyprian. serm. de coena, *panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus omnipotentia verbi factus est caro*; Hic plane vides panem mutari quoad naturam seu substantiam, & tamen effigiem, id est accidentia remanere: & hoc est quod vocamus Transubstantiationem, hi ab anno centesimo, Christi ad 300. floruerunt. Quarto saeculo hos adduco Cyrill. Hierosol. catechesi 4. *Aquam aliquando mutauit in vinum, & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit*, Ambros. lib. de initiandis cap. 9. *quantis vtimur exemplis, vt probemus hoc non esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, & maiorem esse vim benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur*, Gregor. Nyssen. in orat: catech. cap. 37. *rectè Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari.*

Ab anno 400. ad 500. Chrysost. hom. 83. in Matth. *Non sunt humanae virtutis opera proposita: nos ministrorum locum tenemus, qui vero sanctificat ea & immutat, ipse est*, Augustin. in serm. quem citat Beda in cap. 10. primae Cor. *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit Corpus Christi*, & serm. 28. de verbis Domini, *dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur panis dicatur, vbi Christi verba deprompta fuerint iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Subsequenter aliis saeculis Damascen. lib. 4. de fide cap. 14. *Panis vinumque & aqua per inuocationem, & aduentum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum & idem.* Vide alios. Testimonia producta superfluunt ad probandum antiquitatis sensum, vnde merito Conc. Trid. sess. 13. cap. 4. dicit Ecclesiae Catholicae semper fuisse persuasum ita transmutari panem in corpus Domini, vt substantia panis recedente sola maneret caro Christi sub accidentibus panis. Hinc ergo constat mentiri impudenter eos, qui mutationem hanc excogitatam esse dicunt, vel ab Innocentio. III. vel à S. Tho. falsissiméque Caluinum scribere lib. 4. Inst. cap. 17. vetustatis patrocinio destitui dogma de Transubstantione.

Probatur ex definitione, & consensu Ecclesiae ab annis 540. Concilium Romanum sub Nicolao II. coëgit Berengarium obturare haeresim, quam astruebat, docendo panem & vinum post consecrationem esse solummodò Sacramentum & non verum corpus & sanguinem Christi, fuit hoc Concil. generale habitum 1060. & quia asseclae Berengarij professioem editam sub Nicolao fraudulenter deprauabant.

Gregorius

Gregorius VII. anno 1079. aliam elicuit in alio Concilio Romano professionem à Berengario elatiorem, quæ talis est. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in Altari per verba nostri Redemptoris substantialiter conuerti in veram, ac propriam & viuificatricem carnem Domini nostri Iesu Christi, &c.*

Concilium generalissimum Lateranense sub Innocentio III. id definit, & habetur cap. *firmiter*, de Summa Trinitate. *In Sacramento Altaris Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini veraciter contineri transubstantiatis pane & vino in Corpus & Sanguinem.*

Constantiense, Florentinum, & tandem Tridentinum idem dogma definiunt. *Quæ conuersio*, ait Tridentinum citatum. *conuenienter & propriè à Sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.*

Probatur rationibus 1. quia si Christus non poneretur sub speciebus per desitionem substantiæ panis, & consequenter per Transubstantiationem falsa redderentur illa verba. *Hoc est corpus meum*: nam falsum est panem esse Corpus Christi, nam si quis dicat de aliquo dolio pleno vino & oleo, hoc est oleum, falsum dicit; quia vel loquitur de contento, vel de continente, si de primo falsum dicit, quia contentum non tantùm est oleum, sed etiam vinum: si de continente, falsum dicit; quia continens est dolium, & non oleum. Ita si substantia panis remaneret, non possent verificari ista verba. *Hoc est Corpus meum*, vel enim sermo esset de continente, vel de contento, si de continente falsum dicit; quia continens, vt sic non est Christi Corpus, vel est sermo de contento, & adhuc falsum dicit; quia contentum non tantùm est Corpus Christi, verum etiam panis, consequenter dici non posset, *Hoc est Corpus meum*, sed potiùs dicendum esset *Hic est Corpus meum.* Christus ergo constituitur sub accidentibus per Transubstantiationem, per quam desinit substantia panis adueniente Corpore & Sanguine Christi.

2. Ratio Corpus Domini manet sub accidentibus, non vt in vase, aut in loco, sed planè ad eum modum quo substantia panis manet sub suis accidentibus excepta informatione: nam ideò ex natura rei mouetur ad motum accidentium, & desinit esse sacramentaliter ad desitionem illorum. Quod si cum corpore Christi maneret substantia panis, tunc duæ substantiæ haberent ordinem ad eadem accidentia, & ab iisdem accidentibus tanquam externis signis demonstrarentur. Et quia substantia panis informaretur illis accidentibus; non autem Corpus Christi, primarius ordo ad illa esset substantiæ panis & secundarius corporis Christi, & consequenter ipsa accidentia per se primò demonstrarent & significarent panem; secundariò autem Corpus Christi, quod sanè absurdum est. Nam si quis peteret, quid sit quod est in Altari; respondere oporteret, est panis triticeus, est etiam corpus Christi, & si quæreret quid illa accidentia significant respondendum esset substantiam panis illic esse, & simul Corpus Christi, & si interrogaret, quid frangit Sacerdos, & communicantibus tanta distribuit religione, diceremus panem triticeum, & simul Corpus Christi; conuenientiùs ergo fuit, vt solùm Christi corpus ordinem haberet ad illa accidentia, & illi soli deseruirent. Tum dignitas rei exigit, vt non maneant simul cibus mentis & ventris, panis terrenus cum cælesti. Iam verò congruum fuisse, imò necessarium vt panis accidentia maneant. Probatur, quia si etiam abessent illa accidentia, nullum esset in Eucharistia signum sensibile, proinde nullum esset Sacramentum, nec Domini sententia, *Hoc est Corpus meum*, vera esset, si ita mutaretur totum in totum, vt nihil in vtroque termino commune remaneret, & sic majus est meritum fidei. Adde quod horror esset humanam carnem in propria specie manducare, vt dicunt Patres. Nec valet instantia, quod caro illa etsi velatur accidentibus, non tamen assatur, sed remanet cruda, & per hoc non tollitur horror. Respondetur enim horrorem prouenire ex laceratione & destructione carnis nostræ speciei, alioquin amor vehemens libenter amicum reciperet in pectore. Hic nulla horroris est causa; quia caro impassibilis proponitur in Mysterio à Deo ob amorem nostri instituto, vt sit nobis in cibum spiritualem.

3. Ratio in participatione Eucharistiæ admittitur communiter vnio communicantis cum ipso Christo declarata in Scriptura. *Qui manducat me, in me manet & ego in eo.* Vnum ergo de tribus est necessarium, aut quod communicans realiter & corporaliter per sumptionem Sacramenti fertur ad Christum, quem in cælo vsque ad iudicium volunt Aduersarij, aut quod vnimur ipsi, separati, & præsentes constituimur etsi absentes, quod sanè manifestam includit contradictionem, aut quod Christus ad nos venit. Primum de reali & corporali vnione sisteret nos in cælo & terra simul corporaliter, quod sensus enuntiat falsum, & si per fidem exponatur ea latio, plus ei quam omnipotentiæ concederetur. Ergo tertium quòd Christus ad nos venit admittendum est.

Adde quod in Scriptura verbum substantiuum *Sum, es, est*, significat *vertor*, vnde est quod hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, idem sonant & valent quod hæc, *hoc vertitur in* corpus meum. Probatur hoc ex Genesi 19. vers. 26. respiciénsque vxor Loth versa est in statuam salis, Hebraïcè legitur vattehi natsiu, melah, vbi apertè verbum *fuit*, idem significare videmus, quod *versa est*. Hinc Tremellius Caluinista traduxit, *statua salis effecta est*, & in margine notauit Hebraïcè, *fuit statua*, ostendens quod *fuit*, est idem quod versa est. Probant idem alia loca Exodi 7. vers. 19. *Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & vertantur in sanguinem, vayhu dam*, id est, *& erunt sanguis.* capit 8. vers. 17. *Omnis puluis terræ versa est in sciniphes, Coul buphir haarets haia* kinnim, id est; *Omnis puluis terra fuit sciniphes vel pediculi.* Iob. 3. vers. 4. Dies illa vertatur in tenebras haiom habu iehi hosech, id est, dies illa fit tenebræ. Sic innuitur manifestè, quod in modo loquendi Spiritus-Sancti, dum dicitur, *Hoc est Corpus meum.* idem planè est, ac si modo nostro expressisset, hoc vertitur in corpus meum, sicque conuersio substantiæ ipsáque

Transub

Transubstantiatio reperitur in ipsis verbis institutiuis Sacramenti, sicut fœlici anagrammatismo in his duobus dictionibus, *Eucharistia Sacramentum*, legitur *Cara Ceres mutata in Iesum*, ne ipsa Latina Grammatica suo desit calculo veritati Catholicæ transpositione litterarum suarum specierum aliquam Transubstantiationis ostendens.

Præterea consentiunt omnes aquam conuersam fuisse in vinum in Cana Galileæ, hoc enim fuit initium signorum seu miraculorum Christi, si ergo Christus de oblata aqua dixisset, hoc est vinum, nemo ambigeret de illa Transubstantiatione, cur ista controuerteretur quam analogia fidei œconomica salutis humanæ, præcipua dilectio in finem & testamentaria voluntas verbis expressissimis exigunt & demonstrant.

Neque obstat instantia Aduersariorum, qui afferunt vulgariter exemplum istud: si quis habens præ manibus imaginem Regis diceret, *Hoc est Rex*, non inde sequeretur quòd esset persona ipsa Regis, sed nuda esset figura, non obstat, inquam, nam non ignoramus non esse penes hominem mutare figuram in prototypum, aut vmbram in corpus, quod tamen potest Christus, vnde Ioan. 13. ait, sciens Iesus, quia Pater dedit ei omnia in manus; quare cum possit, & ex propositione sua constet hoc voluisse, sine dubio efficit Transubstantiationem, & panem & vinum conuertit in Corpus & Sanguinem suum.

Adde vltimo fidem Transubstantiationis & realis præsentiæ Christi in Eucharistia tam altas in cordibus fidelium fixisse radices, vt aduersus eam nec portæ inferi, nec continuæ aduersantes procellæ non modo non præualuerint, sed inconcussam & firmiorem effecerint: nec quisquam sanæ mentis tam sinistrè sentierit de bonitate Dei & charitate Christi erga Ecclesiam Catholicam quam sibi sanguine acquisiuit, quamque de perpetua sui præsentia & illustratione veritatis, certam reddidit vsque ad consummationem sæculi, vt eam tam fœdè panis Idololatricam ferret, cum interim prodierint in dies tot Doctores, Martyres, & Virgines, qui ad gloriam Dei veritatem Transubstantiationis cum dispendio vitæ ineluctabiliter sint professi credentes contra sensum animosa fide, quod sensum penitus fugit & captiuantes hic singulariter intellectum.

Denique non video quo iure arguatur & puniatur in iudicio Catholicus ob assertionem Transubstantiationis. Dicet enim habui ex Euangelio, quod ô Bone Iesu dixeris sacrosanctum Corpus tuum esse in Eucharistia, credidi & adoraui ob illa verba litteraliter illud asserentia *Hoc est Corpus meum*

At quam excusationem habeat Sacramentarius, dum inculpabitur de irreuerentia non video, increpabit eum Iudex cuncta strictè discussurus. Cur debito me fraudasti honore & obsequio? nunquid præsentiam mei verbo meo præpotenti statueram in Ecclesia? an expressius loqui poteram? an figuratum postliminium, æquiuocationes aut figuras inducere debebat? frustrà respondebit, Audiui equidem te Dominum meum dixisse, *Hoc est Corpus meum*, at ex implicantiis quas ratio humana suggerebat, quibus intellectum submittere difficile erat, credidi verba illa figuratiuè & pro signo tantum corporis tui intelligenda esse. Supponamus autem Christi præsentiam non haberi in Eucharistia. Catholicus magnæ fidei & reuerentiæ erga Christum notatur. Sacramentarius autem pertinaciæ, incredulitatis & superbiæ, qui potentiam & verbum Dei supponat captui.

Carriere in Professionem fidei.

Dices primò, Christus dixit, *Hoc est Corpus meum*, sed non exposuit quomodo esset corpus suum, cùm autem hoc dixit voluit instituere Sacramentum; ergo voluit verba sua concipi & exponi ad modum signi, vt natura Sacramenti postulat.

Respondeo ex ipsis Christi verbis non expositis aut interpretatis colligi ea non indiguisse interpretatione, sed directo proprio & litterali sensu ad exclusionem cuiuscunque tropici reconditi & allegorici sumenda esse: quotiescumque enim verba aliqua litteraliter sumi possunt (vti ista passim & ferè ab omnibus sumi, vt sonant experimur,) & nihilominus ea in sensu allegorico debent exponi, tunc pro certo indigent interpretatione, vnde ex reticentia interpretationis nusquam à Christo aut Apostolis ipsa quater repetentibus datæ infertur necessariò ea ad sensum primo occurrentem, nudè & simpliciter de corpore suo interpretanda esse, vt simpliciter sonant. *Hoc est Corpus meum.* Præsentia autem realis non excludit signum sensibile specierum quæ ad constitutionem Sacramenti & significationem nutritionis spiritualis testant.

Dices secundò, modus ille Transubstantiationis incomprehensibilis est, nomenque ipsum à Concilio Lateranensi, aut Capite eius Innocent. 3. inuentum.

Respondeo, Sacramentum istud esse memoriam mirabilium Dei, nostræ fidei objectum; ideò ex eo intelligimus (non intelligendo ipsum) quod Deus sit major corde nostro: si autem verba allegoricè sumerentur plana & obuia cuilibet esset vis eorum, non minus quam hedera appensa domui hebetiores mouet & monet de vino ibi vendibili.

Quæstio de nomine ludicra est, cùm de re sat superque constet, & plura cogamur admittere nomina in fidei Orthodoxæ forma, quæ nullatenus habentur in Scriptura, sed tantùm per necessariam consequentiam eruuntur: vnde Concilium Nicænum I. ad exprimendam naturam filij Dei, *Consubstantialis* verbum vsurpauit, Ephesinum induxit nomen θεοτόκος, ad Deiparæ Virginis Maternitatem diuinam asserendam; cur ergo Concilium Lateranense toto pene orbe consentiente ad Eucharistiæ veritatem expressiùs significandam, & ab erroribus vindicandam nomen istud Transubstantiationis non induceret?

Dices tertiò, Transubstantiatio, vel fit ante verba, vel post, vel simul: si ante; Ergo non vi verborum: si post, ergo verba sunt falsa: si simul, ergo fit successiuè & non in instanti, vt tamen creditur.

Respondeo, fit simul non toto tempore quo durat prolatio, sed in vltimo instanti enuntiationis terminatiuo: Etsi enim non de-

tur vltima pars illius motus, quo verba proferuntur, nec etiam temporis ei reſpondentis, datur tamen vltimum mutatum eſſe terminatiuum illius motus, & vltimum inſtans terminatiuum illius temporis. Ergo inquies tota vis conſecrationis conſiſtit in illo, *um*, terminatiua ſyllaba pronominis *meum*.

Reſpondeo, illud *um*, non operatur virtute ſua, quippe quod nihil per ſe ſignificat, ſed virtute totius ſententiæ, quæ tunc habet eſſe completum & finitum cum tota prolatio finitur: Primum ergo non eſſe verborum, eſt primum non eſſe ſubſtantiæ panis, & primum eſſe corporis ſub ſpeciebus.

Dices quartò, in Sacramento ſummæ realitatis nihil debet eſſe inordinatum & fallax, at ſi ſubſtantia panis non ſubſit accidentibus, quæ eius propria ante & poſt Conſecrationem dignoſcuntur, fallentur ſenſus, quos circa proprium objectum non decipi docet ipſa natura. Minor patet; nam accidentia externa ſunt ſigna naturalia internæ ſubſtantiæ, vnde & per illa à poſteriori indagatur.

Reſpondeo, eſſe ſpeciale priuilegium gratiæ, vt ordinem ſuum habeat ſuprà ordinem naturæ, & legem communem, vt verbi gratia, cùm virgo peperit: quare ſi attendatur ordo iſte non falluntur ſenſus; nam auditus renuntians iſta verba Chriſti, quæ neceſſariò vera eſſe debent. *Hoc eſt Corpus meum*, & ratio dictans Corpus Chriſti non eſſe panem, alij ſenſus non habent amplius iudicare modo naturali, & inferre ex ſignis naturalibus quæ naturaliter inferrent ſubſtantiam, ſcilicet panis ſubeſſe. Itaque in illis ſpeciebus, ſeu ſignis nulla eſt falſitas, cùm id ſolùm ſignificent naturaliter latere debere ſubſtantiam. Quod ſi imaginatio hominum fallitur hac in re, id ex eorum naſcitur vitio; nam vel ſunt fideles, ſicque non falluntur, verbo Dei edocti de veritate rei, ſi ſunt infideles falluntur, vel quia nolunt credere Deo & Eccleſiæ, vel falluntur ex ignorantia Myſterij, non ex falſitate quæ ſit in re. Et hoc non eſt abſurdum; nam & hoc modo fallebantur viri ſancti Abraham, Loth, Tobias, Manue, Gedeon qui Angelos in ſpecie humana ſibi apparentes veros homines credebant, & vt homines tractabant, & duo diſcipuli fallebantur, qui Chriſtum peregrinum & Magdalena hortulanum putabant.

Dices quintò, poſita Tranſubſtantiatione ſequitur Corpus Chriſti fieri ex pane; ergo & eum generari; ergo Deum & hominem (vti de Chriſto creditur) fieri à Sacerdote.

Reſpond. Ambroſius libr. 4. de Sacrament. cap. 4. Gaudentium tractat. 2. in Exod. & alios Patres ſic loqui. Non inde tamen ſequitur eſſe generationem, ſi iſta conuerſio terminatur ad ſubſtantiam. Eſto enim generatio diſtinguatur ab alteratione, quæ ad qualitatem, ab augmentatione quæ ad qualitatem à latione quæ ad vbi ſiue ad locum terminatur, quia ad ſubſtantiam terminatur, tamen non ignotum eſt creationem diſtingui à generatione, & ad ſubſtantiam terminari, ſicut & aliæ miraculoſæ conuerſiones aquæ in vinum, vxoris Loth in ſtatuam ſalis. Tranſubſtantiatio ergo terminatur ad ſubſtantiam, nec ideò eſt generatio, ſed conuerſio miraculoſa per quam Corpus Chriſti non producitur, ſed ſuccedit ſubſtantiæ panis.

Ad ſecundam conſequentiam Reſpondeo, Chriſtum non fieri abſolutè, ex pane enim Corpus eius efficere, non eſt ipſum producere, ſed in ipſum præexiſtentem commutare ſubſtantiam panis; quod ipſe Chriſtus vel Deus principaliter facit; Sacerdos autem proferens verba. Quanquam ſi de modo loquendi agatur, Hieronymus in Epiſtola ad Heliodorum, & in altera ad Euagrium, non dubitauit dicere, Sacerdotes Chriſti Corpus ore ſacro conficere.

Inſtabis, corpus quod fuit in vtero Virginis, & in Cruce, non fuit factû ex pane, ſed ex carne Virginis; At quod eſt in Euchariſtia fit ex pane, ergo non eſt illud quod eſt natum de Virgine.

Reſpondeo, Corpus Chriſti pro prima ſui exiſtentia factum fuiſſe ex carne Virginis. Ad minorem verò dico, non fieri ex pane pro prima ſui exiſtentia, ſed illud quod natum eſt ex Virgine & crucifixum fieri ex pane, hoc eſt, ſuccedere ſubſtantiæ panis, ſicque eſſe idem.

Dices ſextò, propria operatio rei ſequitur formam ſubſtantialem eius, ſed illud quod remanet in hoc Sacramento nutrit, & facit operationem omnem quam faceret panis exiſtens. Ergo forma ſubſtantialis panis remanet facta Conſecratione, ergo non datur Tranſubſtantiatio.

Reſpondeo, quod operationum panis quædam conſequuntur ipſum ratione accidentium, ſicut immutare ſenſum, & tales operationes inueniuntur poſt in ſpeciebus poſt conſecrationem; quia ipſa accidentia non mutantur: quædam autem operationes conſequuntur panem, vel ratione materiæ, vel ratione formæ ſubſtantialis (ſicut eſt operatio conſequens ſpeciem eius, puta quod confirmat cor & nutrit) & tales operationes inueniuntur in hoc Sacramento, non propter formam vel materiam quæ remaneat: ſed quia miraculosè conſeruantur aut conferũtur ipſis accidentibus: nã ſicut diuina virtute datur vt maneant in ſuo eſſe quod habebant exiſtente ſubſtantia panis aut vini, conſequens eſt, vt maneant in ſuo agere, quod prius poterant.

Et ideò ſi fit corruptio ſpecierum vt in nutritione humana, combuſtione, generatione, vermium, &c. tunc requiritur quidem materia, ſed ea ſubſtituitur à Deo in illo ipſo inſtanti, quo deſinunt illæ ſpecies, & in quo aliud generatur: idque ſine miraculo, ſicut enim cum ſufficienter diſpoſita materia corporis humani Deus creat animam & infundit, & hoc non dicitur miraculum; quia hoc exigit ordo inſtitutus à Deo; ita quando per alterationem ſpecierum panis aut vini eò venitur vt adſint diſpoſitiones requiſitæ ad aliquam formam introducendam, exigente rerum ordine Deus materiam ſubſtituit, & in illo ipſo inſtanti ab agente naturali mediantibus diſpoſitionibus præmiſſis introducitur forma ſubſtantialis. Certum eſt enim, quod quantitas non ſufficit vt ſpecies ſufficiant nutritioni aut generationi ſubſtantiali, ſed neceſſaria eſt aliqua materia. Primò, quia agens naturale

natruralenon potest educere formam substantialem ex solo accidente, sed ex substantiali potentia materiæ. Secundò, quia sola accidentia non possunt nutrire cùm ad nutritionem requiratur alimentum substantiale.

Si ergo in Eucharistia est sola alteratio, vt calefactio, condensatio, &c. tunc non requiritur materia seu substantia; nam accidentia habent pro subjecto quantitatem, vnde hostia consecrata dicitur alba, rotunda, parua, sapida; hæc enim omnia denominant quantitatem, alioquin non posset fieri ista denominatio; non enim accidentia de seipsis dicuntur in concreto, sed solùm de subjecto, excepta tamen quantitate, qua & dicitur quantitas & quanta, & sicut fieri potest vt maneant qualitates in quantitate separata à materia, sic etiam potest fieri vt introducantur nouæ qualitates in eandem quantitatem à materia separatam, ideò venenatæ aliquando introductæ referuntur, quibus per calicis speciem Victor III Papa, per hostiam, Henricus VII. Imperator, & vt refert Matthæus Parisiensis Hemic. Archiepisc. Eboracensis, Gallicè *Dyorch* intoxicati periisse leguntur. Quod si venenum consistat in aliqua substantia venenata, verbi gratia, in liquore, qui calici infundatur liquor ille non miscetur cum corpore Domini, licet sit in eodem calice cum vino consecrato: nihil enim verti potest in corpus & sanguinem Domini, nisi quod ipse Dominus instituit, id est, panis & vinum: quare falsò & impiè Molineus refert Deum venenatum dici solitum cum allatæ historiæ contigerunt.

Dices, ista præsentia plus incommodi affert quam commodi; nam minuit fidem, breuissimo tempore est, quandiu species conseruantur, inuisibilis est, nec perceptibilis mente, destruit totum ordinem rerum & in ratione Sacramenti sat erat si eam haberemus in signo; non minus enim nutriret animas quàm reipsa delitescens in pane. Anima enim nutritur fide & charitate, & hæ tam benè complecti possunt Christum existentem in cælo quam in Eucharistia, nec minus aqua Baptismi confert gratiam & regenerat animam licet non transmuterur in Christum aut Spiritum Sanctum, adde quòd manducatio per fidem, & non simplex sacramentalis (ex confessione Catholicorum) confert gratiam & nutrit.

Respondeo, Lutherum & Caluinum facere istud Sacramentum in solo vsu, quia aiunt, Christus dixit, *Accipite, edite*, & quia alia omnia consistunt in actione, & aliqui concedunt, tunc solùm esse Sacramentum & ipsum Corpus Christi dum frangitur, distribuitur; imò & dum immediatè ex Cœna fertur ad ægrotos. At Catholici tenent panem consecratum, siue Corpus Christi esse verè Sacramentum, siue sumatur, siue in pixide conseruetur; hinc magis excitatur in nobis charitas & reuerentia dum cogitamus Christum nobis hic vniri; magis enim afficimur erga Sacramentum quàm erga imagines quæ sunt mera Christi symbola. Conceditur hoc non fuisse absolute necessarium, sed sic voluit Dominus, qui non dixit, statim edite.

QVÆSTIO III.

Quid sit hæc præsentia Christi in Eucharistia.

Prima Opinio tenet hanc nihil aliud esse quàm indistantiam, seu negationem distantiæ à speciebus consecratis, hancque sufficere, vt Christus intelligatur realiter & substantialiter præsens accidentibus, quamuis in ipso nihil realiter producatur. Ratio est, quia si dicatur aliquid reale produci in Christo per consecrationem, sequetur illum realiter mutari, quod videtur absurdum, cùm corpus eius sit gloriosum. Tum quia verbum diuinum sine vlla sui mutatione potuit fieri præsens substantialiter humanitati assumptæ, ergo pariter corpus potest fieri præsens speciebus sine vlla sui mutatione.

Secunda Opinio facit hanc præsentiam esse tantum relationem seu respectum extrinsecus aduenientem, quo corpus refertur ad species consecratas.

Tertia, vult hanc præsentiam esse actionem corporis Christi circa species quas effectiuè sustinet, vt possint subsistere sine subjecto, sicut aliqui dicunt Angelum esse præsentem per operationem quam facit circa illud.

Quarta, solidior & communior est, hanc præsentiam esse realem & substantialem modum corporis Christi, intrinsecum quid & positiuum & in rerum natura existens; nam Christus est substantialiter sub speciebus cum consecratæ sunt, & antea non erat: dicendum hoc est, quia Concilium Tridentinum dicit corpus contineri substantialiter in Eucharistia. Et Diuus Thomas docet quæst. 76. art. 3. Corpus Christi esse in hoc Sacramento per modum substantiæ; vnde colligit totum Christum sub qualibet parte specierum contineri, siue frangatur hostia, siue integra remaneat; nam manifestum esse dicit, quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris, & sub qualibet parte panis est tota substantia panis, & hoc indifferenter siue dimensiones integræ sint, siue actu diuisæ.

PROPOSITIO THEOLOGICA.

Illa præsentia est quid reale.

Probatur ex Scriptura Matth. 26. *Accipite & manducate, hoc est Corpus meum.* Sicut enim manducatio est realis, eaque est non specierum vacuarum aut specierum dumtaxat, sed ipsius corporis. Ergo corpus ibi substantialiter est, sed talis est præsentia qualis est substantia à qua fluit; ergo præsentia est quid reale.

Probatur ex Sanctis Patribus, qui vnanimiter docent esse opus omnipotentiæ diuinæ, quod Corpus Christi fiat hic præsens.

Beda in sermone de Epiphania. *Panis & vini creatura in Sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili spiritus sanctificatione transfertur*, Theophil. *Transformatur arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem,*

& accessionem sancti-Spiritus in carnem Domini.

Hugo Lingonensis sic scribit ad Berengarium. *Sicut non capis, quomodo verbum caro factum est, sic non potes iterum capere quomodo panis iste mutetur in carnem & vinum in sanguinem, nisi te docuerit omnipotentia fidei.* Strabus auctor Glossæ ordinariæ in c.11.primæ Cor. *Nos incerta relinquentes quod ex authoribus certum est, profitemur, scilicet substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Domini conuerti. Modum vero conuersionis nos ignorare fateri non erubescimus. Quæ autem remanent de priori substantia accidentia scilicet color, sapor, odor, forma, pondus, nec ipsum Corpus Christi afficiunt, nec in ipso fundantur.*

Probatur ex Canone primo sess. 13. Tridentin. *Si quis negauerit in sanctissima Eucharistia Sacramento contineri vere realiter & substantialiter corpus & sanguinem &c. Sed dixerit tantummodò esse in eo, vt in signo, vel figura aut virtute anathema sit.*

Probatur ratione, quia ratione huius præsentiæ à nobis realiter sumitur Christus & intra nos existit, & hæc præsentia est fundamentum relationis realis, nempe propinquitatis & distantiæ, nam Christus existens in altari realiter, est nobis propinquior quàm ante consecrationem, est autem propinquior ratione præsentiæ, ergo hæc præsentia est aliquid reale. Vnde Scotus propter hoc admittit realem mutationem, non tamen deperditiuam prioris *Vbi*, quod habet in cælo: ratione autem hanc conuincit, quia nullo modo est transitus à contradictorio in contradictorium, esse hic, & non esse hic, quin sit quædam mutatio realis vel in isto, vel in illo cui præsens est, si enim nihil mutatur, cur pars hæc vel hæc vera est aut falsa? Mutatio autem specierum in subsistendo nihil facit ad hoc quod corpus de non præsente præsens fiat: nam illa habet alios terminos præcisè loquendo & ex vi talis mutationis, nam vt sacramentaliter, conceditur quod Christus ponatur sub speciebus.

Quod hæc præsentia sit quid intrinsecum Christo probatur, quia Christus non est realiter præsens per extrinsecam denominationem. Ergo per aliquid reale intrinsecum. Antecedens patet quia nulla est realis forma extrinseca à qua sumi possit illa denominatio. Nec dicas posse sumi à speciebus consecratis sine vlla mutatione Corporis Christi, sicut verbum denominatur homo ab humanitate illi vnita sine vlla mutatione ipsius verbi.

Respondeo enim Corpus Christi denominari posse à speciebus contentum, vel aliquo modo eis vnitum, sed tamen huiusmodi denominationes supponere præsentiam localem, nisi enim præsens esset in illo loco, in quo sunt species, non posset contineri sub speciebus, nec illis vniri, hæc autem præsentia localis non potest esse denominatio tantùm extrinseca à speciebus, sed debet esse aliquid in ipso corpore; si enim nulla fieret realis mutatio in corpore, & præsentia localis nihil aliud esset, quàm extrinseca denominatio sumpta à speciebus, iam Christi corpus manens in solo cælo posset denominari extrinsecè præsens à speciebus hic existentibus. Quod est absurdum, nec est simile de verbo diuino, hoc enim potuit sine vlla sui mutatione vniri humanitati, quia iam erat præsens in loco in quo erat humanitas, est enim vbique præsens.

Hæc Præsentia Christi in loco specierum consecratarum est aliquid distinctum ex natura rei à substantia corporis eius, & accidentibus quæ habet in cælo. Neque tamen distinguitur tanquam res à re, sed tanquam modus realis à re cuius est modus. Prima pars probatur, quia Corpus Christi neque ex vi substantiæ suæ, neque ex vi accidentium quæ habet in cælo fit realiter præsens in hoc loco, fit autem præsens ex vi præsentiæ localis, ergo hæc præsentia est aliquid distinctum à substantia & accidentibus quæ habet in cælo. Tum hæc præsentia acquiritur per nouam actionem realem, ergo distinguitur ab omnibus iis quæ erant ante in Christo. Adde quod potest amitti illis omnibus integrè remanentibus. Secunda pars probatur, nam non est necessaria alia distinctio quam modalis, cum seipsam exhibendo præsens fiat, sicut figura propter hoc non distinguitur a quantitate.

Scotus vocat eam relationem extrinsecùs aduenientem, seu respectum qui fit in corpore per actionem consecrandi, quia quod corpus sit in hoc vel illo loco est planè extrinsecum substantiæ creatæ.

Præsentia hæc non est aliqua actio Corporis Christi circa species, nam si quæ sit supponitur ad actionem. Ergo non est ipsa præsentia.

Dices corpus est hic præsens ratione conuersionis panis in ipsum, ergo conuersio (quæ est actio) est ratio huius præsentiæ.

Respondet Scot. conuersionem hanc esse viam ad præsentiam, siue per se primò, seu secundò terminetur ad hanc, non tamen est formalis præsentia in facto esse, patet, nam conuersio fit in instanti, præsentia verò permanet.

Ad prædicamentum *Vbi* reducitur, quia cum hic modus sit realis, debet ad aliquod prædicamentum reuocari: ad aliud autem nec esse nec pertinere potest, nec potest esse relatio rationis cum sit quid reale, nec est relatio realis, quia ipsa præsentia est fundamentum realium relationum, nempe propinquitatis & distantiæ, quæ resultant in corpore Christi ratione huius præsentiæ: hæc autem præsentia nullum habet fundamentum ex quo resultet, sed per se producitur actione seu mutatione propriâ, nec potest assignari terminus à quo pendeat nisi fortè species consecratæ, sed ab his non dependet essentialiter, quia Christus posset retinere suam præsentiam localem his destructis.

Nec modus iste pertinet ad Substantiæ prædicamentum, cum iam Christi corpus sine hac præsentia sit substantia completa. Non potest aliò referri quàm ad *Vbi* primò, quia sicut corpus v. g. homo, arbor, non solùm dicitur esse præsens in loco, quia habet superficiem ambientem, sed multò magis quia habet certum modum existendi in certo spatio, qui non mutatur necessariò etsi superficies ambiens mutetur, & hic modus pertinet ad *Vbi*, sic etiam dicendum de corpore Christi, non enim præ-

cisè

cisè dicitur esse præsens, quia continetur sub speciebus, sed quia est hic in hoc loco vel spatio, & in eo manere posset destructis speciebus, Ergo hic modus reuocatur ad vbi sicut modus præsentiæ aliorum corporum. Hoc interest quòd alia corpora sint diuisibiliter in spatio, Corpus Christi indiuisibiliter, est enim totum in toto & totum in qualibet parte. Secundò, quia Corpus Christi succedit in locum substantiæ Panis.

Difficultas notabilis. Impossibile est vt idem corpus habeat infinitas præsentias, quarum singulæ sint per se & integræ, ita vt vna non dependeat ab altera, sed hoc sequitur ex nostro modo dicendi, nam ponimus Corpus Christi in tota hostia, ac proinde in omnibus partibus, lineis & punctis illius hostiæ. Atqui sunt infinita puncta in hostiæ spatio: Ergo infinitas præsentias ponimus. Harum autem vna non pendet ab alia, quia Corpus Christi posset in quocumque vno hostiæ manere præsens, licet desineret esse in omnibus aliis. Sicut Angelus qui est in toto aliquo spatio adæquato potest in solo illius puncto se collocare.

Respondeo fateor Christum habere infinitas præsentias in potentia & vnam in actu, S. Thomas in 4. dist. 10. q. 3. ait Christum semel esse in actu in hostia & infinities in potentia, nam habet vnam præsentiam quasi continuè diffusam per totum spatium hostiæ, & præterea habet præsentiam in quolibet puncto illius spatij.

Dices ergo præsentia illa totalis, quæ diffunditur per totum spatium componitur ex infinitis præsentiis, quæ respondent infinitis punctis illius spatij, cùm ergo singulæ sint diuisibiles, necesse est totam præsentiam esse infinitè extensam, quia constat ex infinitis partibus extensis & diuisibilibus.

Respondeo, illæ præsentiæ totalem vnam componentes dupliciter spectantur.

Primò ex parte subiecti, & sic sunt diuisibiles, non tamen componunt præsentiam totalem.

Secundò ex parte spatij, & sic indiuisibiliter se habent, & sunt quasi termini componentes præsentiam localem, quæ continuò est diffusa & extensa per totam hostiam.

QVÆSTIO IV.

An præsentia hæc includat vnionem ad species.

MVlti dicunt Christum esse vnitum verè illis accidentibus, sed tamen genus istud vnionis ineffabile & incomprehensibile dicunt, ita S. Thom. in 4. dist. 11. & Caiet. 3. part. quæst 75. Conc. Lateran. vocat continentis & contenti. Soto in 4. dist. 9. vult, quod præter præsentiam adsit vnio; præsentia enim præcisè includit indistantiam, non autem necessariò vnionē, quia non omnia quæ sunt præsentia, sunt vnita (licet è conuerso, quæ sunt vnita sint præsentia) ita vt ex illis fiat vnum compositum, seclusâ inhærentiâ. Probat sententiam suam, quia ex corpore Christi & speciebus fit vnum. Sacramentum, ergo oportet vt intercedat vera vnio, tum quia fractis, tactis & motis speciebus corpus dicitur tangi, frangi & moueri per accidens. Hoc autem fieri non posset nisi adesset vnio inter corpus & ipsas species. Item nisi adsit hæc vnio, hæc propositio hoc est corpus meum non videtur vera. Scotus, Oxon. & alij negant dari vnionem realem & naturalem inter species & Christum, sed corpus esse tantùm præsens illis inseparabiliter per actum diuinæ voluntatis. Hoc autem est vnio Sacramentalis, nam species sunt signum seu Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi præsentis ex instituto diuino, vnio autem Sacramentalis nihil aliud requirit Quod autem nulla intercedat realis & physica vnio quâ sint verè vnum compositum physicum patet, nam tunc sequeretur quod vnum eorum haberet rationem actus & alterum potentiæ, quod est omnino falsum, quia ex substantia & accidente non fit vnum per se, species illæ sunt accidentia, Corpus Christi substantia, ergo non potest fieri vnum per se, vel fieret vnum compositum per accidens & hoc non, quia in omni composito componentia se afficiunt & denominant, forma enim accidentalis dat esse accidentale subiecto, vt albedo facit parietem album, similiter subiectum afficit formam accidentalem, quia dat illi esse per modum subiecti, at nullum horum est in præsenti, quia species non dant aliquod esse accidentale Corpori Christi, neque enim illud quantum est per quantitatem panis, nec album per albedinem panis, &c. similiter accidentia non accipiunt esse essentiæ à corpore Christi; quia essentia accidentis est absoluta, per se manens, neque à corpore Christi habet existentiam, quia tunc inhærerent corpori Christi, accidentis enim esse est inhærere, & præterea Corpus Christi non potest dare accidentibus illis existentiam, quia tunc esset quædam hypostatica vnio, sicut enim persona verbi dat subsistentiam naturæ humanæ, ita Corpus Christi daret existentiam illis accidentibus, & sic illâ existentiâ non existerent per se sine subiecto sed in subiecto: non est ergo intelligibile quod in hac coniunctione & præsentia Christi & specierum sit aliqua vnio realis & physica præter præsentiam & indistantiam.

Scotus pro sua sententia adducit exemplum vt si Angelus faceret se voluntariè præsentem lapidi, moueretur ad motum lapidis, & ad illius quietem quiesceret, & tamen nullum esset vinculum internum, nec vnio formalis inter Angelum & lapidem, ita vt moto lapide Angelus necessario moueretur, sed esset tantùm vinculum externum per voluntatem.

Ad compositum quod resultat Respondeo, fieri per accidens, illudque esse non naturale, sed artificiale.

Ad motum, tactum, fractionem Respondeo, sufficere vnionem per voluntatis actum, qui item sufficit ad verificandam propositionem, hoc est corpus meum, quia sensus eius est, quod continetur sub speciebus est Corpus Christi, corpus autem non continetur per vnionem physicam, sed per decretum voluntatis diuinæ, quæ vnio dicitur Sacramentalis, eaque ineffabilis, quia non potest reduci ad aliquem modum vnionis philosophicæ inter substantias

corporeas. Posito autem hoc necessariò connexu corporis Christi cum speciebus ex decreto voluntatis diuinæ, saluantur locutiones omnes de hoc Sacramento, quia sic illis est intimè præsens & ad specierum sumptionem ita corpus sumitur ac si ibi esset substantia panis, decretum autem est vt corpus sit præsens eis quatenus duraret sub illis substantia panis, ideo cessante duratione specierum per alterationem corruptiuam, causa efficiens illam præsentiam cessat eam operari, hoc ergo externum vinculum sufficit.

QVÆSTIO V.

An Corpus Christi sit in Eucharistia sicut in loco.

CErtum est Corpus Christi non esse in Sacramento secundùm proprium modum quantitatis dimensiuæ, quia ex 4. Physic. oportet locatum & locum esse æqualia, sed locus vbi est non Sacramentum est minor corpore Christi. Hic ergo est secundùm modum substantiæ, eo scilicet modo quo substantia continetur à dimensionibus, succedit enim substantiæ panis, vnde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia Corporis Christi, non tamen substantia eius est subiectum illarum dimensionum sicut erat substantia panis, & ideo substantia panis ratione suarum dimensionum erat localiter ibi, quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus, substantia autē Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis, ita quod è conuerso dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia quod est contra rationem corporis locati, vnde Corpus Christi non est hic localiter.

Nota modum localem essendi in loco duplicem esse, scilicet circumscriptiuè & diffinitiuè, primus ita est quod corpus totum sit in loco & circumscribatur ab eo ita vt pars sit in parte loci. Sic verò requirit quantitatis extensionem ad locum, quare cum Corpus Christi non sit modo quantitatiuo, consequenter nec est circumscriptiuè in Euch. Secundus modus seu diffinitiuus, est esse sic præsens in loco realiter, quod non sit in alio simul (vnde in hoc creaturæ distinguuntur à Deo quia Deus non est in loco diffinitiuè, sed vbique & totum in toto loco totumque sit in qualibet parte loci sicut inest anima corpori quod informat. Primus modus includit secundum nam esse circumscriptiuè est etiam esse diffinitiuè seu limitari & diffiniri ita quod lapis existens in vno *Vbi* non est in alio *Vbi* simul, esse vero diffinitiuè non includit esse circumscriptiuè quia esse sic, addit super definitum vt non solum totum sit in toto sed pars in parte, addit ergo situm & ordinem partium, locati ad locum quod non continetur in esse in loco diffinitiuè.

PROPOSITIO CATHOLICA.

IN Euch. Corpus Christi habet esse locale nec circumscriptiuum nec propriè diffinitiuum, sed ad modum substantiæ, ita S. Thomas 3. part. quæst. 76. art. 5. De primo modo constat, quia non est ibi secundum proprium modum quantitatis dimensiuæ: De secundo patet etiam, quia non ita est in hostia, parua vel magna etsi ibi definiatur, quin similiter simul sit in pluribus hostiis & sic propriè loquendo non est diffinitiuè sed mirabiliori modo. Quod autem non sit extra superficiem Sacramenti, nec in alia parte altaris non pertinet ad hoc quod sit ibi diffinitiuè vel circumscriptiuè, sed ad hoc quod incipit ibi esse per consecrationem & conuersionem panis & vini. Tum si ibi esset diffinitiuè, non esset alibi quàm in hoc altari, tamen est in cælo naturali modo, & supernaturali in pluribus hostiis.

DIces, locus specierum panis aut vini non est vacuus, natura enim non patitur vacuum, nec ibi est substantia panis aut vini, nam vt dicit Ambros. lib. 6. de Sacr. cap. 1. *Licet figura panis & vini videatur, tamen nihil aliud est quàm caro & sanguis Christi post consecrationem.*

Respondeo quod locus ille in quo est Corpus Christi non est vacuus, neque tamen propriè est repletus substantia Corporis Christi quæ non est ibi localiter & secundum modum quantitatis dimensiuæ, sed est repletus speciebus Sacramenti quæ habent replere locum vel propter naturam dimensionum, vel saltem miraculosè, sicut & miraculosè subsistunt per modum substantiæ.

Instabis, Corpus Christi est ibi cum omnibus suis accidentibus & quantitate dimensiua, sed esse in loco est accidens proprium corpori & vnum de nouem, ergo corpus Christi est in Euch. localiter.

Respondeo accidentia quæ sunt intrinseca corpori Christi esse hic ex concomitantia, esse autem in loco est accidens ad extrinsecum continens & ideo non oportet quod Christus sit in Euch. sicut in loco.

DIces quantitas non potest concipi sine figura, quia figura est intrinsecus terminus quantitatis, nec figura potest concipi sine extensione locali, quia consurgit ex tali extensione, & quotiescumque extensio localis mutatur, necessario mutatur & figura, & pariter ablata extensione locali necesse est auferri figuram: sicut ergo impossibile est quantitatem esse sine figura, ita & esse sine extensione locali.

Respondeo, duplex sicut est extensio quantitatis, ita duplex est figura, vna organica quæ pendet ad extensione quantitatis in se, altera localis seu situalis quæ pendet ab extensionē locali, Christus habet organicam non autem localem: hoc declarari potest exemplo manus, quæ toties mutat figuram localem quoties mutat extensionem locati, nam aliam habet figuram quando plicatur, aliam quando expanditur, semper tamen retinet eandem organicam.

Dices ſi Chriſtus eſt indiuiſibiliter, omnes partes ſunt confuſæ & non magis diſtat pes à capite quàm à femore quod eſt abſurdum, ſequela patet, quia omnes partes ſunt ſimul, in qualibet hoſtiæ parte, etiam in puncto indiuiſibili, ac proinde nulla inter illas eſt diſtantia, ſicque omnes æqualiter ſunt inter ſe propinquæ.

Quod autem hoc ſit abſurdum patet, quia eſt contra compoſitionem naturalem corporis quæ requirit certum membrorum ordinem ac diſpoſitionem, quæ non poteſt conſiſtere cum illâ partium confuſione.

Reſpondeo duplex eſt diſtantia, quantitatiua ſcilicet, & localis ſeu ſitualis, prima fluit ex intrinſeca extenſione quam quantitas habet in ſe, & conſiſtit in eo quod inter partes v.g. caput & pedes tanta quantitas intercedat & cum tanta denſitate & raritate quantùm ſufficit ex natura rei ad occupandum tantum ſpatium.

Secunda conſiſtit in eo quod partes corporis actu occupent partes ſpatij inter ſe diſtantes: ſi ergo ſit ſermo de prima diſtantia partes corporis non æquè diſtant inter ſe, ſi de ſecunda æquè diſtant, quia omnes indiuiſibiliter ſunt præſentes eidem ſpatio, & hoc ſenſu Hilarius dixit. *Vbi eſt pars ibi eſt totum.*

Inſtabis corpus quantum debet neceſſariò habere partem extra partem Ergo vbi vna eſt non eſt alia.

Reſpondeo bene colligi ſi hoc *Vbi* dicat ſitum internum partium in ſubiecto, non autem ſi dicat ſitum in loco.

Inſtabis corpus habet partem extra partem in ordine ad totum ſeu ſubiectum, ergo & in ordine ad locum, nam pars coexiſtit certæ parti loci, vel ergo eidem parti loci coexiſtit alia pars corporis vel non: ſi non ergo etiam in loco corpus illud quantum habet partem extra partem, & conſequenter non eſt totum in qualibet parte. Si coexiſtit, ergo etiam inter ſe partes coexiſtunt, at hoc nequit fieri cùm inter ſe diſtent & vna ſit extra aliam.

Reſpondeo nego primam illam conſequentiam, ſcilicet, ergo & in ordine ad locum habet partem extra partem. Ad probationem dico duas partes corporis coexiſtere eidem parti loci. Cum infertur ergo coexiſtunt etiam inter ſe.

Reſpondeo coexiſtere etiam inter ſe in loco non autem in ſubiecto, ratio eſt quia extenſio partium in ſubiecto non poteſt impediri cum ſit eſſentialis: extenſio & diſtantia quo ad locum impeditur cum Corpus Chriſti manet in Sacramento, imbecillitas ingenij humani vix hoc capit, ſed Deus id poteſt facere.

Quæstio VI.

An Chriſtus vt in Euchariſtia moueri poſſit localiter.

Motus dupliciter ſumi poteſt, primò prout eſt ad quantitatem, qualitatem & *Vbi* proprie acceptum. Secundò poteſt accipi magis extensè prout dicit quamcumque receptionem cuiuſcumque formæ ſeu abſolutæ ſeu reſpectiuæ. Si de primo agitur certum eſt Chriſtum eſſe immobiliter in hoſtia, quia non eſt in illa tanquam in loco, quod autem non eſt in loco non mouetur per ſe in loco, ſed ſolum ad motum eius in quo eſt. Si de Secundo patet moueri per accidens: hinc Bonacina ait prædicata illa quæ concernunt purum motum ſpecierum & exiſtentiam in loco verificari de Corpore Chriſti, quocirca corpus dicitur eſſe in ſacrario, eſſe ſurſum, vel deorſum, deferri, eleuari, porrigi, ore ſumi, traiici in ſtomachum, ſicut ipſæ ſpecies per ſe ponuntur ſurſum, deorſum vel traiici, Ratio autem cur hæc prædicata dicantur de Chriſto eſt, quia continetur ſub ſpeciebus, illiſque præſens eſt, Continente autem moto dicitur etiam moueri (ſaltem per accidens) contentum ipſum, ſic intelligendo quod mutatio localis primario fiat in ſpeciebus & ſecundariò in corpore Chriſti.

Quod autem motus localis non poſſit vi naturali imprimi Chriſto prout eſt in Euchariſtia nec ipſemet ſeipſum mouere ratio hæc eſt (non quod impoſſibile ſit idem eſſe motûm & quietum, Chriſtus in cælo quietus reſidet ſicque contradictoria de eodem verificarentur, nam cum aliquid eſt vnum ſubiecto & multiplex ſecundum eſſe, nihil prohibet ſecundum aliquid moueri & ſecundum aliquid immobiliter permanere) ſed quia agens corporale non poteſt mouere alia corpora niſi duobus modis. Primò trahendo, quod fit impreſſione alicuius qualitatis vt multi putant, ſeu per alterationem præuiam, quo pacto magnes trahit ferrum. Secundò impellendo, quod fit per contactum phyſicum, Primo modo agens extrinſecum non poteſt inducere alterationem aut mutationem quamcumque, nam corpus actiuum requirit paſſiuum approximatum ſibi, nec ſecundo, quia contactus requirit extenſionem localem.

Quod autem à ſeipſo per naturalem virtutem animæ ſuæ rationalis non poſſit Chriſtus vt in Euchariſtia moueri, patet, quia nulla virtus creata agit circa corpus ſi non ſit proportionaliter approximatum ſecundùm locum, ſed Corpus Chriſti in Sacramento non eſt vt in loco. Tum anima non poteſt naturaliter mouere ſuum corpus niſi per membra organica quibus non poteſt vti in Euchariſtia, licet habeat, nam motus naturalis horum membrorum requirit extenſionem localem, non enim poteſt vnum membrum impellere aliud niſi exiſtant in diſtinctis locis partialibus, quod non eſt in Euchariſtia.

Dices deſinit eſſe ad corruptionem ſpecierum, Ergo mouet ſe ab illis.

Reſpondeo deſinere cum hæ ceſſant eſſe, non quia ab illis dependeat ſed quia tollitur corpus ab illis, per quem modum Deus deſinit eſſe Dominus creaturæ deſinentis.

Nota prædicata quæ ſunt propria & abſoluta ſpecierum non dici de corpore Chriſti, quámobrem cum ſpecies dicantur albæ, rotundæ, molles, liquidæ, calidæ, &c. non poſſunt hæc prædicata dici de corpore Chriſti, ſicut vinum contentum in calice aureo vel argenteo, non dicitur aureum vel argenteum, ratio eſt quia huiuſmodi prædicata ſupponunt pro ipſamet, quantitate panis relicta quæ tanquam ſubiectum

ctum accidentium dicitur alba, rotunda, &c. Non verò supponit pro sub speciebus contento, seu pro corpore Christi.

Præterea illa prædicata, quæ ostendunt actionem & passionem specierum non verificantur, proprie loquendo, de Christi corpore, nam ad hoc requiritur extensio quam agens corporeum requirit vt agat Christus autem, non existit hic modo quantitatiuo, & per extensionem, possunt tamen verificari hæc prædicata de Christi corpore, denominatione extrinsecâ quare frangi dicitur de illo neq non & videri, tangi, quia species franguntur, & tanguntur. Ita S. Tho. Bellarm. Suarez, comeditur autem & bibitur proprie, quia Christus per modum ibi est, sicque traiicitur in stomachum, ita Conino. Nugnus, Henriques.

QVÆSTIO VII.

An Corpus vt in Euchar. possit physicè agere & pati.

Sicut homo compositus est ex corpore, & anima, ita habet partes vtrumque consequentes. Quæ consequuntur animam sunt in duplici differentia, aliæ conueniunt animæ primò, & per se & per animam toti, vt intellectus & voluntas; aliæ quæ non sunt animæ primò & per se, sed totius coniuncti ex corpore & anima vt sunt potentiæ sensitiuæ, & istarum quædam sunt magis corporeæ, illæ scilicet, quæ consequuntur naturam mixti vt sic, non verò vt animalis, quædam vero sunt magis approximantes ad naturam animalis vt illæ, quæ consequuntur animal tale.

Quæstio est hic de actione & actione naturali, item de corpore Christi, non glorioso quale fuit in vltimâ cœnâ, certum est enim corpus gloriosum, quale iam est Christi, non posse pati aut alterari ab agente naturali, quia est impossibile, etsi ab extrinseco vt docet Scotus.

PROPOSITIO COMMVNIS.

Christus vt in Euch. non potest pati ab agente naturali, hoc enim non agit nisi per contactum quantitatiuum requisitum ad extensionem localem, quam Corpus Christi non habet hic. Tum agens extrinsecum non potest naturaliter producere qualitatem materialem cum modo indiuisibiliter existendi, qui modus est supernaturalis: Ergo non potest dare calorem vel frigus corpori, vt in Euchar. nam talis calor deberet indiuisibiliter existere sicut Corpus Christi existit, non enim potest fieri vt accidens sit localiter extensum & subiectum, non sit extensum. Hinc sequi patet vnam partem Corporis Christi non posse pati ab alia, vel alterari nec corpus posse augeri, minui, nutriri, quia hæc omnia requirunt præuiam alterationem, nec posse corrumpi aut interfici.

Imo Christus vt in Euchar. non potest vti aliqua corporea potentia siue illa sit merè corporea siue illa sit actio animati, quia non existit modo conuenienti ad sensationem secundùm dispositionem situs in loco, corpus enim actiuum exigit passiuum sibi approximatum localiter, vnde non potest sentire, audire, videre, &c. quia non potest pati ab extrinsecis agentibus, ergo non potest recipere species sensibiles ab obiectis externis, nec potest per potentiam merè corpoream aliud à se transmutare, nec seipsum videre, nec actus sensuum internorum exercere, vel appetitus sentitiui, ij enim sunt materiales, qui naturaliter fieri nequeunt sine extensione locali.

Dices sensus interior cum suis speciebus sensibilibus existit indiuisibiliter, ergo potest exercere actum indiuisibiliter existentem cum sit proportio.

Resp. ex eo quod sensus indiuisibiliter existit, oritur impedimentum, quo minus possit operari naturaliter, deinde etiamsi operari posset, non tamen posset naturaliter producere qualitatem indiuisibili modo existentem, quia talis modus inest tantùm subiecto, per potentiam obedientialem & supernaturaliter.

Potest autem Christus, vt in Euchar. vti quacumque potentia actiua spirituali, quia illa non requirit ad actionem quod habeat esse localiter, probatur, quia si Angelus præsens sit Sacramento potest anima Christi cum illuminare & loqui illi locutione mentali, nam ad hoc, quod talis actio fiat, sufficit *vbi* determinatum seu diffinitiuum & ad illud approximatio nec exigitur *vbi* locale circumscriptiuum, potest ergo Christus hic intelligere & velle, quia intellectus & voluntas existunt ex se indiuisibiliter, ergo & actus elicere indiuisibiliter existentes.

Potest & habere actionem spiritualem ex parte principij, corporalem tamen ex parte termini, hanc enim Angelus habet mouens v. g. lapidem, anima siquidem hominis habet duplicem potentiam, actiuam motiuam, secundum locum respectu corporis, vnam organicam, qua mouet corpus ordinatè per partes eo modo quo fit motio corporis animalis in motu progressiuo, alteram qua mouet totum corpus simul, non ordinatè per partes, vnde & anima Christi in Euchar. potest transmutare aliud corpus approximatum, per potentiam illam non organicam, quæ naturaliter eius est, & inest ei.

QVÆRES, *an videri possit in Euch. oculo corporeo.*

Respondet S. Thomas quæst. 76. art. 7. nullum corporeum oculum posse pertingere ad visionem istam, cum Christus sit in Euchar. per modum substantiæ, quæ per se non est visibilis, neque vllo sensu aut imaginatione perceptibilis, ab intellectu autem creato posse clarè cognosci dummodo lumine gloriæ illustretur, quo deficiente non nisi obscurè ac per fidem percipi posse sacramentalem hanc existentiam Christi: vnde nequidem ipsi dæmones Christum hic existentem agnoscere possunt, nisi per fidem cui non assentiuntur voluntarie, sed ad eam euidentiâ signorum conuincuntur, prout dixit Iacobus 2. quod *dæmones credunt & contremiscunt.* Ratio responsionis est, quia corpus vt hic, non potest imprimere speciem visibilem in oculum, nec terminare visionem, quia tam causatio speciei,

quam

quam talis terminatio requirit debitam diſpoſitionem ſecundum locum, corpus autem Chriſti, non habet habitudinem ad medium, quod circumſtat hoc Sacramentum mediantibus propriis accidentibus, ſed mediantibus ſpeciebus ſacramentalibus: adde quod corpus exiſtens hic per modum ſubſtantiæ eſt inuiſibile imò & per ſe inſenſibile, vnde nec per potentiam diuinam cadere poteſt ſub ſenſum viſus, cum nulla potentia poſſit ferri extra latitudinem ſui obiecti.

Dices beatus videndo illas ſpecies, non decipitur, ſed ſi non videat poſſet decipi aut ſaltem dubitare ibi eſſe panis ſubſtantiam.

Reſp. beatus videt, ſeu intelligit, per viſionem eſſentiæ diuinæ. Scotus dat rationem ſecundæ, reſponſionis quæ intellectui creato concedit ſaltem ſupernaturaliter noſſe exiſtentiam Chriſti in Euchar. quia Corpus, inquit, Chriſti ſecundum ſe ſpectatum eſt res naturalis, ergo cum præſens eſt poteſt intuitiuè cognoſci ab Angelos, v. g. Nec refert, quod ſit præſens nouo modo ſcilicet exiſtens totum in toto & totum in qualibet hoſtiæ parte, quia hoc etiam cognoſci poteſt ab Angelo, qui optime nouit quantitatem & proprietatem eius, ſcilicet extenſionem ad locum, ergo cognoſcit etiam abſentiam illius extenſionis, ergo Corpus Chriſti exiſtere indiuiſibiliter & ſine extenſione locali.

QVÆSTIO VIII.
De miraculoſis apparentiis in Euchariſtia.

Certum eſt huiuſmodi apparitiones aliquando fieri, id teſtatur hiſtoria S. Ludouici, qui referentibus multis ſe videre puerum in hoſtia noluit inde in realitate Euchariſtiæ confirmari, quod inquit, per fidem certo certius ſciebat.

Amphilochius in vita S. Baſilij refert Hebræum, quendam ſolitum videre dari infantem manducandum communicantibus. Tum quibuſdam in locis aſſeruatur ſanguis, qui hoc modo apparuit.

Hæ apparitiones poſſunt tripliciter fieri, primò virtute diuina, ſecundò per illuſionem dæmonum, tertio ex vehementi imaginatione vel læſione & debilitate phantaſiæ, vt notat Alenſis 4. parte qu. 53. art. 3. Ad hæc exigitur ſingularis ſpirituum diſcretio.

Iſtarum finis varius eſſe ſolet, vel ad confirmationem fidei, vel ad indignorum terrorem, vel ad amicorum conſolationem à Deo cauſantur. Duobus autem modis fieri poſſe docet S. Thom. q. 76. art. 8. primò per immutationem oculi ex parte intuentium, qui tali immutatione immutantur ac ſi expreſsè viderent exterius carnem aut ſanguinem vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte Sacramenti. Et hoc videtur contingere, quando vni ſic videtur, aliis vero ſub ſpecie panis, vel quando eidem ad horam videtur ſub forma extraordinaria, & poſt modum ſub ſpecie panis, neque tamen hoc pertinet ad aliquam deceptionem, ſicut accidit in præſtigiis magorum, quia talis ſpecies formatur diuinitus ad aliquam veritatem figurandam, veritatem ſcilicet præſentiæ Chriſti intimandam, ſicut etiam Chriſtus ſine deceptione apparuit euntibus in Emaüs. Nec eſt vllum mendacium, quia vt dicit Aug. lib. 2. de quæſt. Euang. cap. 2. cum fictio noſtra refertur ad ſignificationem aliquam, non eſt mendacium, ſed figura veritatis.

Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte Sacramenti, manifeſtum eſt Chriſtum, non deſinere eſſe ſub Sacramento, facta apparitione, nec eſſe verum Corpus Chriſti, quod apparet.

Quandoque hæ apparitiones fiunt per immutationem ſpecierum, ſpecie carnis, vel pueri realiter exterius exiſtente ab omnibus viſâ & diu permanente. Sed nec tunc reuera Chriſtus videtur, ita S. Thom. & alij: nam quis credat quando viſus eſt ſanguis fluere ab hoſtia, ibi eſſe verum ſanguinem extra venas corporis Chriſti, ita vt tangi & bibi poſſit, & quando fruſtum carnis viſum eſt, nam indecens eſt carnem aut ſanguinem Chriſti aſſeruari extra corpus eius. Alenſis tamen, Gabriel, lectione, Si incanonem & alij contra ſentiunt. Becan. dubius manet, nec neceſſarium eſt tot multiplicare miracula, Imo dixerim, quod apparet, non eſſe veram carnem aut ſanguinem, nam nec humana, nec animalis eſt: ſatis eſt, quod ibi obiiciatur aliquid affectum colore & figura carnis aut ſanguinis.

QVÆRES, *vbi inhæreant hæc accidentia apparentia?*

Reſpondet Richardus, in corpore ſpecies circumdante, ſed negatur ſuppoſitio, quod mutatio fit in ſpeciebus.

S. Thomas, reſpondet colorem adhærere ſpeciebus quando apparitio, non eſt eis maior vel eis rarefactis. Quod ſi eſt tanta vt ſubſtantia panis ſi adeſſet, non conſeruaretur, ſpecies corrumpuntur & Chriſtus non manet ſub eis, quod declaratur ex eo, quod talis mutatio de ſe generet aliam ſubſtantiam diſpoſitiuè. Niſi reſpondeas eandem ſemper quantitatem manere, quæ eſt ſubiectum præſentiæ, & licet alteretur, per diſpenſationem tamen legis ordinariæ Chriſtum ſub ea manere, ſed hoc tenere dicitur, cum ſola quantitas non ſit ſignum inſtitutum.

QVÆRES, *an adoranda tales apparitiones caro, v. g. ſanguis puer?*

Reſp. etſi non ſint vera caro Chriſti, poſſe adorari tanquam ſignum, & veſtigium in quo fuerit Chriſtus, & relatiuè ad ipſum, ita vt adoratio, non ſiſtat in eo quod apparet.

QVÆRES, *an ſpecies ſacramentales in quibus talis fit apparitio, debeant conſumi?*

Reſp. S. Thom. conſeruandas eſſe in loco ſacro, nam ita non dantur in modum cibi, vt fecit Chriſtus inſtituens Sacramentum hoc, cùm in tali apparentia, non poſſint ſumi ſine horrore, qui alienus eſt à Sacramēto. At inquies integritas Sacrificij exigit conſumptionem.

Reſp. ſufficere tunc conſumptionem alicuius partis ſi maneat immutata: nec audiendi ſunt qui nouam ſuadent conſecrationem, quia hoc non eſt perficere, ſed aliud inchoare ſacrificium, quod ex vi prioris conſecrationis, non eſt præceptum.

QVÆSTIO IX.

Quid faciat Transubstantiatio circa Corpus Christi, & circa panem.

Dixi iam 1. quæst. de transubst. hanc esse perfectam conuersionem, in qua vterque terminus debet aliquo modo mutari, termini autem transubstantiationis sunt panis & Corpus Christi.

Nota ex Bellarm. lib. 3. de Euchar. cap. 18. ad veram conuersionem non requiri vt id in quod aliquid conuertitur, de nouo producatur, sed satis esse si vnum alteri succedat siue id tunc producatur, siue aliunde adducatur, siue alio modo fiat: Tribus enim modis fieri potest conuersio. Nam si terminus ad quem non existat, vi conuersionis necessario producetur, & inde vocatur à quibusdam ea conuersio productiua, qualis fuit conuersio aquæ in vinum in Cana Galileæ & aliæ multæ, si vero terminus ad quem existat, sed non est in eo loco vbi est terminus à quo, tunc vi conuersionis adducetur ad eum locum, & inde vocatur ea conuersio adductiua: talis fere est conuersio cibi in hominem per nutritionem, quod attinet ad introductionem animę, quamuis enim caro, quæ fit ex cibo verè producatur tamen anima non producitur, sed tantum per nutritionem fit vt incipiat esse in ea materia, vbi antea erat forma cibi. Si denique terminus ad quem existat, & in ipso eodem loco vbi est terminus à quo, vt v. g. si duo corpora æqualia se penetrent & vnum diuina virtute totaliter vertatur in aliud, tunc vi conuersionis, non producetur, neque adducetur terminus ad quem, sed solum conseruabitur & inde dicitur ea conuersio conseruatiua: nam cum non possint naturaliter duo corpora simul esse, si Deus vnum interimeret vt alterum ibi seruaret, diceretur vnum in alterum conuerti ex eo, quod vnum desineret esse vt alterum permaneret in esse.

Ex his colligit Bellarm. conuersionem panis in Corpus Christi, non esse productiuam, nec conseruatiuam, sed adductiuam, nam corpus præexistit ante conuersionem, sed non sub speciebus panis, conuersio ergo non facit vt Corpus Christi simpliciter esse incipiat, sed vt incipiat esse sub speciebus. Porrò adductiuam vocat istam conuersionem, non quia Corpus Christi, per hanc adductionem deserat suum locum in cœlo, vel quia per motum localem huc de cœlo adducatur, sed solum quia per eum fit vt Corpus Christi, quod antea solum erat in cœlo iam etiam sit sub speciebus, & non solùm sub illis, sit per simplicem præsentiam siue coexistentiam, sed etiam per vnionem quandam.

Scotus in 4. dist. 10. probat, quod ad saluandum Corpus Christi esse præsens speciebus absque deperditiones prioris loci, quem habet in cœlo, non necesse est recurrere ad conuersionem productiuam, quia conuersio substantiæ panis in Christum non est ratio formalis præsentiæ Christi sub Sacramento ex sua propria, & intrinseca natura. Et primò supponit, quod terminus proprius transubstantiationis est substantia Corporis Christi, vnde illa conuersio dicitur Transubst. & ex hoc supposito sequitur, quod præsentialitas corporis ad illas species non est terminus proprius & præcisus transubstantiationis, sed alius & diuersus, quia est separabilis à substantia Corporis Christi, vnde antequam fiat consecratio, talis præsentia, non inest corpori & desinentibus speciebus illa desinit. Ergo quando ipsi corpori inest, accidentaliter inest, & consequenter, non intrinsecè, his sic stantibus, arguit Scotus sic, per nullam mutationem habetur per se illud quod est posterius termino, per se illius mutationis, sed terminus per se Transubstantiationis est substantia Corporis Christi, præsentia vero est, quid posterius ergo ex vi conuersionis, non acquiritur præsentia Christi in hoc Sacramento.

Nota conuersionem sacramentalem includere de facto vtrumque terminum, ita quod substantia panis, fit Corpus Christi & hoc fit præsens, nemo de hoc dubitat, quia est de fide. Sed disputatio est inter S. Thomam & Scotum, an præsentia corporis sit hic ex vi conuersionis. Scotus hoc contra Thom. negat, quia sunt diuersi & distincti termini, & ideo mutatio ad vnum, non includit intrinsecè alium terminum. Motus verò distinguuntur per terminos, vnde alteratio distinguitur ab augmentatione, quia illa est ad qualitatem, ista ad quantitatem: At termini isti substantia corporis & præsentia eius sub Sacramento sunt res diuersæ & diuersorum generum, ergo motus ad illas distinguntur, neque per eandem mutationem produci possunt.

Respondet Caietan. Transubst. dupliciter considerari posse, vel absolutè vel quatenus est sacramentalis, primo modo, non inducit præsentiam, quia conuersio est ad terminum distinctum vt probat argumentum. At conuersio sacramentalis necessariò includit vtrumque terminum, scilicet substantiam Corporis Christi & præsentiam sub speciebus. Hinc negat maiorem Scoti, quia in mutationibus naturalibus videmus per eandem haberi, non solum principalem terminum, sed & concomitantem vt propriam passionem, nam per vnam & eandem mutationem habetur terra & grauitas eius, ignis & leuitas eius, vnde Aristot. 8. Metaph. ait grauia & leuia moueri, per se à generante.

Responsio Caiet. factum proponit, sed non exprimit an fiat ex vi transubstantiationis, & valere tantum potest in accidentibus propriis consequentibus necessario subiectum, non de accidentibus, communibus cuiusmodi est ista præsentialitas in Corpore Christi, potest enim abesse & adesse & de facto abest & adest.

Itaque ex Scoto necessariæ sunt duæ mutationes, quia illi duo termini corpus & præsentia, non possunt haberi per eandem cum sint distincti, ex vi transubstantiationis conuertitur panis in corpus. Est, & mutatio acquisitiua noui *vbi* sine deperditione *vbi*, quod Christus habet in cœlo, quare Scotus terminum totalem transubstantiationis docet esse Corpus Christi præsens hic, dist. 11. q. 2. diuidit transubst. in productiuam & in adductiuam, & docet primam terminari ad productionem sui termini, seu ad eius essę simpliciter,

ter, secundam verò ad præsentialitatem eius alicubi.

DIces hæc adductiua, non meretur nomen Transubst. quia eius terminus non est substantia, sed præsentia, quæ est accidens, sicque conuersio hæc est tandùm accidentalis.

Respondet Scotus, quod substantia Corporis Christi est terminus transubstantiationis adductiuæ, quia substantia succedit substantiæ, licet non habeat nouum esse substantiale, sed tantùm nouam præsentiam. Bellarm. autem respondet te minum ad quem istius conuersionis esse substantiam, non enim per conuersionem istam fit præsentia (relationes enim non fiunt, sed consequuntur,) sed fit vt Corpus Christi succedat pani, proinde substantia in substantiam transit, & vna alteri succedit, non enim panis conuertitur in præsentiam Corporis Christi, sed in ipsum corpus.

Placet productiua Transubstantiatio ob loquendi modum S. Patrum, hancque Scot. in quolibet 10. art. 2. post scripta in lib. sent. editis tenuit.

Transubstantiatio, ergo producit & facit Corpus Christi præsens sub speciebus panis & vini.

Circa panem vero facit desinere eius substantiam & accidentia eius manere sine subiecto idque est de fide, hoc enim importat forma consecrationis, quæ efficit Corpus Christi: congruentia autem affertur, quia non congruit manere in Sacramento, id quod per se non pertinet ad rationem Sacramenti, sed substantia panis (dato quod maneret) non pertineret per se ad sacramentum, quia non est per se sensibilis, sed per accidens. Tum Transubst. nomen hoc infert, omnesque S. Patrum loquutiones, vnde Damasc. lib. 4. de fide dicit, *panis & vinum transit in Corpus & sanguinem Christi.*

QVÆSTIO X.

An accidentia sint hic sine subiecto.

EAdem remanere accidentia in speciebus panis & vini facta consecratione & conuersione, quæ antea inerant, non solum fides docet, sed & sensus ipsi renuntiant: videmus enim albedinem, quantitatem, figuram, sentimus odorem, tangimus duritiem vel mollitiem & fluiditatem, gustamus saporem panis & vini. Et si aliquod accidens per se sensibile non maneret, Mysterium Transubstantiationis posset naturaliter cognosci v. g. si quod antea sentiebatur, post consecrationem non caderet sub sensum, declararet hæc ablata fuisse in vim verborum, cum autem substantia id est materia & forma substantialis panis conuersa sint in Corpus Christi, ipsumque vti impossibile, & gloriosum non possit affici iis qualitatibus, consequenter dicendum est illa accidentia virtute diuina manere sine subiecto.

Veritas hæc est de fide, eodémque modo probatur quo ipsa conuersio, & definita est in Concilio Tridentino sessiōn. 13. can. 2. & Propositio negatiua quæ Vvicleff erat, damnata est in Concilio Constant. sess. 8. Veritas autem debet intelligi de omnibus accidentibus coniunctim: si quidem Sanctus Thomas, & Scotus asserunt quantitatem panis & vini ab omni subiecto separatam diuina virtute in hoc Sacramento existere: reliqua verò accidentia esse in ipsa quantitate tanquam in subiecto.

Supposita hac veritate Catholica, quærunt Doctores, quomodo illa accidentia maneant sine subiecto. Sanctus Thomas censet dari hic nouum esse à Deo his accidentibus, quia ea dum substantia panis manebat, nullum aliud esse habebant, quam esse panis, quo destructo per conuersionem necesse est conferre eis nouum esse, pro cuius opinione

Nota accidentia nullum habere esse existentiæ in subiecto, vnde esse subiecti est per accidens esse ipsorum; ideò si separentur debent acquirere nouum esse. Præterea, cùm accidens sit in subiecto non est id quod est, verbi gratia, albedo in niue non est id quod est, sed est id quod nix est alba. Censet etiam quod sola conseruatio accidentis sine subiecto non constituit accidens actiuum in respectu actionum ad quas cum inhærebat substantiæ poterat esse principiūque seu quod idē est sola prędicta cōseruatio accidentis non constituit illud actiuum ad modum substantiæ, nec potentiam passiuam confert ad modum subiecti, sed si hoc acquirunt accidentia sine subjecto est ex modo nouo essendi, vt inde ex eis fieri possit quicquid poterant dum essent in subiecto.

Scotus verò asserit quantitatem & reliqua accidentia esse sine subjecto vltimato cui inhæreant & quantitatem nulli hærere, sed aliqua accidentia ei inhærere, nec eis tribui à separatione subjecti nouum modum essendi, sed tantùm negatiuum, scilicet non hærere.

Nota quod ex Scoto distinct. 12. quæst. 1. accidens quodcumque habet distinctum esse à subjecto, & distinctam entitatem, idque sic probat, quod est extra causam suam sicut habet entitatem propriam, ita & esse; ergo accidens vt est in subjecto habet proprium esse; nam esse sequitur essentiam quasi actus eius & modus extrinsecus, cum ergo alia sit essentia; ergo & aliud esse, albedo enim vt sic est ens; ergo habet essentiam propriam. Arguitur iam nouus Thomistarum modus, dum accidens separatur; nam vel habetur per generationem, & hoc non, cum terminus eius sit substantia, vel per augmentationem aut alterationem, & hoc non; quia hæc accidentia in Eucharistia, nec augentur, nec alterantur, vt patet.

Nota, hoc nomen accidens potest duobus modis sumi, vel pro per se significato, vel pro denominato, id est, accipi potest pro formali, & pro materiali, exemplum primi, vt ipsa inhærentia, siue vt ita dicam, ipsa accidentalitas. Secundi quantitas, qualitas, relatio, paternitas. Accidens autem pro materiali est duplex, scilicet absolutum & respectiuum, absolutum vt quantitas, &c. relatiuum, vt paternitas filiatio. Inesse subiecto sumitur, vel secundùm actum, vel secundùm aptitudinem.

Accidens pro formali, seu pro per se significato & accidens respectiuum non potest esse sine subjecto; est enim contradictio, quia significatum huius nominis nihil aliud impor-

tat quam respectum quendam ad subjectum, qui indicatur per hoc nomen inhærentia, siue accidens, siue accidentalitas; ergo sicut repugnat, quod inhærentia sit sine subjecto, ita repugnat accidens sumptum pro ipsa inhærentia, & pro formali esse sine subjecto. Idem probatur de respectiuo accipiendo subjectum in lata significatione pro fundamento in quo respectus fundatur, patet propositio, quia respectus essentialiter est habitudo inter duo extrema, quorum vno destructo statim tollitur respectus, sicut ergo ablato termino cessat relatio, ita ablato fundamento destruitur respectus; ergo necessariò quamdiu est respectus, est in fundamento, & est impossibile manere respectum & non esse in fundamento. Addit tamen Scotus competere accidenti respectiuo, non quatenus est accidens, sed quatenus est respectus. Hæc dicta sint pro declaratione inhærentiæ.

PROPOSITIO COMMVNIS.

Accidens pro materiali absolutum, vt quantitas, qualitas, potest esse & non inhærere actualiter subjecto, licet necessariò habeat aptitudinem ad illud, eâque inseparabilis sit. Hinc euincitur inhærentiam actualem non esse de essentia accidentis, quod non solùm veteres Patres, & omnes Theologi, ac Philosophi Christiani, sed etiam multi ex Ethnicis tenuerunt.

Ex Patribus Basilius asserit id de facto contigisse initio creationis; nam homilia 6. de opere sex dierum, docet lucem solis fuisse creatam primo die, & mansisse absque subjecto & vehiculo tribus diebus, & tandem die quarta creatum fuisse corpus solare, & in eo vt in subjecto positam fuisse lucem illam. Similia habet Damascenus libro 2. de fide orthodoxa, cap. 7. Thomas Vualdensis tom. 2. cap. 7. profert multa testimonia veterum Philosophorum, qui docebant posse accidentia existere sine subjecto.

Aristoteles quidem id non concedit; quia non potest naturaliter fieri: tamen apertè docet inhærentiam non esse de essentia accidentis; libro enim 3. de anima text. 9. dicit, *Aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse.* Quod si ipsum esse, id est existentia accidentis distinguitur ab eius essentia, certè multò magis inhærentia distinguetur, quæ est modus quidam existentiæ, rursus libro 4. phys. text. 58. quærit an spatium censendum esset vacuum, vbi solus esset color aut sonus, quæ sanè quæstio inanis esset omninò, si inhærentia esset de essentia, qui enim diceret colorem, necessariò includeret etiam subjectum, & proinde corpus.

Probatur ratione, si accidens absolutum, vt quantitas non posset esse actu sine subjecto, ita quod illi repugnaret, hoc proueniret; quia accidens tale dependeat essentialiter ad substantiam, sed accidens tale nullam habet essentialem dependentiam ad subjectum; ergo non est contradictio separari à substantia. Minor probatur, si essentialiter dependeret à subjecto, esset, vel quia subjectum est de essentia accidentis, vel quia accidens habeat esse à subjecto, tanquam à causa efficiente & conseruante in esse, vnde ablata substantia accidentis existentia rueret. At nullum horum dici potest; ergo accidens non pendet essentialiter à subjecto. Minor probatur, quoad primam partem, quia subjectum non est de essentia accidentis, vt patet; nam tunc homo albus, verbi gratia, non esset ens per accidens, quod est contra Aristotelem 5. Metaph. c. de ente text. 7. & 7. Metaph. cap. 3. text. 12. consequentia est euidens, quia addendo alicui id quod est de essentia eius, vt addendo homini animal non fit vnum per accidens, sed vnum per se, sed quando additur ens per se, quod tamen non est de essentia eius, nec est eius passio propria, facit cum eo vnum per accidens. Sed accidens est hoc modo ens; habet enim propriam essentiam, sua genera & species distinctas à substantiæ generibus & speciebus; sunt enim diuersa prædicamenta. Tum accidens habet propriam existentiam distinctam ab existentia subjecti, seu substantiæ, vt patet, quia terminat actiones reales, nam alteratio propriè qualitatem producit & augmentatio quantitatem. Secunda pars probatur, quoniam nulla res creata habet dependentiam simpliciter ad aliquam causam efficientem sine qua omninò sit impossibile existere præter quam ad primam causam quæ est Deus. Probatur hoc assumptum, quia Deus potest supplere causalitatem cujuscumque causæ extrinsecæ respectu cujuscumque causati. Ergo licet accidens pendeat essentialiter effectiuè à substantia creata, tamen Deus potest supplere illam causalitatem effectiuam causæ secundæ, & sic potest facere existere accidens absque eo quod dependeat ab illa causa secunda, licet illa esset essentialis dependentia.

Quòd si dicas subjectum esse causam materialem respectu accidentis, non autem efficientem: Deum autem non posse supplere vicem materialis causæ, sicut nec formalis. Ergo nec per potentiam diuinam accidens potest esse sine subjecto. Hoc impugnat Scotus ratione deducta ex Aristotele 8. Metaph. text. 12. Ibi enim habet hanc propositionem, quod accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua, sunt enim formæ simplices & dato quod haberent materiam ex qua, illa non est subjectum, quoniam materia ex qua cum eo quod constat ex illa materia non facit vnum per accidens, sed vnum per se, at subjectum cum forma accidentis semper faciunt vnum per accidens. Ergo subjectum non est materia eius. Falsum ergo est subjectum esse causam materialem accidentis, & proinde Deum non posse gerere vicem eius.

Dicet aliquis, quæ ergo est ratio propter quam vnanimiter Philosophi tenent accidens non posse esse sine subjecto.

Respondet Scotus, quia posuerunt ordinem causarum simpliciter necessarium, ita quod putarunt primam causam non posse causare causatum causæ secundæ sine causa secunda; subjectum autem est causa secunda respectu accidentis, quia habet aliquam causalitatem respectu eius; nam continetur inter causas naturaliter concurrentes ad productionem accidentis; ideo secundùm Philosophos est impossibile accidens esse & non esse in subjecto, & hoc modo ait Scotus intelligendum esse illud 1. Phys. text. 39. Intellectus quærens segregationem

tionem paſſionum à ſubjectis erit quærens impoſſibilia; non enim vult Ariſtoteles dicere, quod ſit impoſſibile ab intrinſeco ſeparare paſſionem, id eſt accidens à ſubjecto, ita quod ab intrinſeco, talis ſeparatio repugnet accidenti, ſed voluit dicere eſſe impoſſibile ab extrinſeco, id eſt propter ordinem cauſarum naturaliter ordinatarum, qui non poteſt auferri: nec impediri ſecundùm Philoſophos. Quod autem hoc debeat intelligi de prædicta extrinſeca impoſſibilitate, patet, quia ſi eſſet impoſſibilitas intrinſeca ſequeretur duo contradictoria verificari de eodem & tolleretur omnis regula diſputandi; idem enim eſſet & non eſſet, ſi enim accidens non poſſet eſſe ſine ſubjecto, & id proueniret ex intrinſeca repugnantia, ſequeretur quod accidens eſſet idem realiter quod ſubſtantia, hoc autem poſito cùm deſtruitur accidens, ſubſtantia quoque deſtrueretur, & tamen ſubſtantia manet; ergo idem maneret, & non maneret, eſſet & non eſſet.

Stat ergo Propoſitio, quod accidens abſolutum habet ſuam propriam entitatem, & conſequenter ſuum eſſe exiſtentiæ: ergo per abſolutam Dei potentiam poteſt eſſe & manere ſine ſubjecto, abſque eo quod Deus addat aliam entitatem, vel modum eſſendi quàm priùs: vnde licet accidens ſeparatum à ſubjecto habeat alium modum eſſendi quàm prius, tamen hic nouus modus eſſendi non addit aliquid poſitiuum, ſed tantùm negationem prioris modi eſſendi, ſcilicet inhærentiæ actualis, quæ erat accidens ſeparabile ab accidente abſoluto. Hoc ſolum adeſt diſcrimen, quòd vbi priùs entitas accidentalis dependebat in iſto à ſubſtantia poſt ſeparationem, dependet in iſto eodem eſſe & conſeruari à ſolo Deo ſupplente cauſalitatem ſubiecti, quod erat cauſa ſecunda, at ex parte entitatis, & eſſe accidentis nulla fit mutatio, nec additio alicujus entitatis quæcumque illa ſit.

Dices, iſta accidentia, vel ſunt in ſe, vel in alio, ſi in ſe, ergo ſubſiſtunt; ſi in alio ergo inhærent.

Reſpondeo, eſſe in ſe & non ſubſiſtere, quia ſunt in ſe negatiuè non poſitiuè; nam ideò dicuntur eſſe in ſe, quia non ſunt in aliquo ſuppoſito, & tamen reuera non ſubſiſtunt per actum poſitiuum qualis manat ex naturis ſubſtantialibus; ſic enim dico eſſe in alio, & non inhærere, quia ſunt in alio, vt in conſeruante, non vt in ſubjecto.

Inſtabis, ſicut accidenti conuenit inhærere in alio: ſic ſubſtantiæ non inhærere, ſed nullo modo fieri poteſt vt ſubſtantia inhæreat in alio: ergo nec vt accidentia non inhæreant.

Reſpondeo eſſe fallaciam, nam comparatur actus accidentis non cum actu ſubſtantiæ, ſed cum negatione actus accidentis, debet autem comparari actus accidentis cum actu ſubſtantiæ hoc modo: ſicut competit accidenti inhærere, ita conuenit ſubſtantiæ ſubſiſtere: vel ſic negatiuè, ſicut accidenti conuenit non ſubſiſtere, ita ſubſtantiæ non inhærere. Et ſic argumentum nihil officit, nam ſicut ſubſtantiæ conuenit naturaliter ſubſiſtere, & tamen ſupernaturaliter poteſt ſeparari à ſua ſubſtantia, vt patet in Incarnatione vbi natura humana eſt ſubſtantia, & tamen non ſubſiſtit, id eſt non exiſtit per ſe ſed ſuſtentatur à verbo, ita accidenti conuenit naturaliter inhærere, & tamen poteſt fieri diuinitùs vt non inhæreat, ſic etiam ſicut ſubſtantia nullo modo poteſt inhærere; ita accidens nullo modo poteſt ſubſiſtere per ſe nam in Sacramento licet accidentia non ſint in ſubjecto, tamen non per ſe ſubſiſtunt more ſubſtantiæ, ſed à Deo ſuſtentantur modo ſupernaturali. Ratio autem cur non poſſit ſubſtantia inhærere vel accidens per ſe exiſtere in promptu eſt, quia non poteſt effectus formalis ſeparari à cauſa ſua, à qua intrinſecè pendet, licèt è contrario poſſit cauſa ſeparari ab effectu, quia priùs non pendet à poſteriori. Porrò inhærere eſt effectus formalis accidentis ſicut ſubſiſtere ſubſtantiæ; inde ergo non poteſt vllo modo illa res inhærere quæ non eſt accidens, neque illa ſubſiſtere quæ non eſt ſubſtantia.

Inſtabis, accidentis eſſe eſt ineſſe ex 5. Metaphyſic. text. 35. Vnde accidens non tam dicitur ens quam aliquid entis, ſeu aliquid in ente exiſtens.

Reſpondeo, illas loquutiones nihil aliud ſignificare niſi accidenti imperfectam eſſe naturam & habere ordinem quendam ad ſubſtantiam ob cujus gratiam exiſtit; dixi enim ſupra accidens habere propriam eſſentiam. Contrà poſſibilitatem ſeparationis multas faciunt objectiones Philoſophi ſed euincunt in ordine tantùm naturali, hócque verum eſt, & hoc ſenſu exponendus eſt Auguſtinus Epiſtola 57. ad Dardanum, & lib. 2. ſoliloq. cap. 12. nec omittenda eſt ad ſolutionem diſtinctio de ineſſe ſubjecto, vel ſecundùm actum, vel ſecundum aptitudinem.

QVÆSTIO XI.

An quodcumque accidens in Euchariſtia ſit ſine ſubiecto.

Ex præfatis ſup. quæſt. intelligitur accidens conſtitui ex ente finito & inhærentia, non vt ex realitate & realitate, ſed vt ex realitate & modo, qui modus in actu primo dicit aptitudinem ad inhærendum, in actu autem ſecundo dicit actualem inhærentiam diuinitus ſeparabilem ab aptitudinali, actuque ſeparatam in Sacramento. Inter accidentia autem abſoluta quæ nata, ſunt primo afficere ſubiectum eſt quantitas & qualitas: quantitas addit modū materiæ extendendo quantitatiuè partes materiæ & immediatius dicitur afficere ſubiectum; qualitas illud qualificat in ordine ad agendum & reſiſtendum. Hæc autem accidentia deprehendi in Euchariſtia probat ipſa experientia, iam quæritur vtrum quodlibet ſit ſine ſubiecto.

Nota duplex eſſe ſubiectum, vnum vltimatè terminans dependentiam alicuius, alterum non vltimatè ſed proximè. Sola ſubſtantia habet rationem vltimatè terminantis, quia etſi alia accidentia fundentur in quantitate, tamen vltimatè inclinantur ad terminari ad ſubſtantiam.

PROPOSITIO THEOLOGICA

INter accidentia absoluta quantitas est sine subiecto, & qualitates post consecrationem sunt in quantitate tanquam in subiecto proximo non autem vltimò terminante. Ita S. Tho. Scot. & fere omnes Theologi.

Probatur ratione, quia videmus aliquid quantum ibi esse coloratum & aliis accidentibus affectum, neque in talibus decipitur sensus, ergo hæc fundantur in quantitate dimensiua, quæ est prima dispositio primi subiecti, scilicet materiæ. Vnde Philosophus docet primas differentias materiæ esse magnum & paruum, lib. 1. Metaph. text. 6. & 7. & quia primum subiectum est materia, consequens est quod omnia alia accidentia referantur ad subiectum mediante quantitate dimensiua, sicut & primum subiectum coloris dicitur esse superficies Confirmatur, quia qualitas in Sacraméto est extensa vt patet idque non propriâ extensione, quia quantitas distinguitur realiter à qualitate. Ergo est extensa per accidens, quia scilicet recipitur in extenso, scilicet in quanto. Ergo quantitas est subiectum qualitatis.

Quod si quis cum nominalibus teneat quantitatem non esse accidens distinctum à substantia vel ab aliis accidentibus absolutis, sed extensionem in substantia esse ipsam substantiam, extensionem in qualitate esse ipsam qualitatem & sic de aliis: secundùm hanc opinionem dicendum est omnia accidentia absoluta esse in Eucharistia sine subiecto. Falsum est autem fundamentum nominalium, nam eadem quantitas siue dimensio quæ erat sub albedine remanet sub nigredine albedine destructa, Ergo quantitas est realitas distincta à qualitate, vnde iuxta hoc Arist. dicit in prædicamentis cap. de quantitate, quanta est superficies tanta est albedo. Confirmatur secundò Propositio, nisi qualitates existentes in Eucharistia existerent in quantitate tanquam in vno tertio subiecto omnium, sequeretur quod ad motum coloris in vino non moueretur dulcedo, quod tamen falsum est experientiâ docente, quando enim albedo hostiæ consecratæ transfertur de loco in locum, transferuntur simul aliæ qualitates quæ sunt in eadem hostia, quod non fieret nisi essent inter se vnitæ, aut certè nisi fingamus nouum miraculum quod fieri non debet sine causa: At non possunt tales qualitates vniri immediatè inter se, neque enim vna est actus, altera verò potentia. Ergo vniuntur in aliquo tertio quod non datur nisi quantitas, ergo in ea vniuntur.

DIces nihil potest esse subiectum alicuius, nisi sit per se subsistens. Sed quantitas cum sit accidens non potest per se subsistere, ergo neque potest esse subiectum qualitatis neque aliorum accidentium: maior probatur ex Arist. 4. Metaph. text. 14. & confirmatur ratione, quia nulla potest assignari ratio propter quam quantitas sit subiectum aliorum accidentium, si quis enim hanc assignet, quia videmus quantitatem albam, dicam ex opposito albedinem esse quantam, ergo pari ratione possumus dicere quantitaté inhærere qualitati, vel neutrum inhærere alteri: remanet ergo dicendum, quod quia vniuntur eidem subiecto se mutuo denominant.

Respondeo duplex esse subiectum accidentium, aliud est vltimate terminans dependentiam accidentium, aliud non vltimatè, sed tantum proximè. Ad Confirm.

Respondeo rationem qua dicimus quantitatem subiectum, hanc esse quoniam videmus quantitatem esse proximiorem substantię qualitate & videmus in eadem quantitate mutari qualitates, accedere & recedere, ideo dicimus quantitatem esse subiectum, quia hæc est vera methodus & ratio inuestigandi subiectum in rebus compositis.

Nota in qualitatibus panis & vini nullam fieri mutationem vi consecrationis seu Transubstantiationis, quia hæc non mutant inhærentiam, ac proinde non acquirunt nouum existendi modum qualem tamen acquirit quantitas, per se scilicet existendi neque actionem nouam conseruatiuam habent independentem à subiecto, nullo ergo modo realiter mutantur.

DIces amittunt vnionem quam habebant cum substantia panis & vini.

Respondeo non habebant immediatam, sed tantùm mediante quantitate, ac proinde non mutantur in se & in sua entitate, sed in quantitate: sicut si humanitas Christi amitteret vnionem personalem cum verbo, accidentia eius non mutarent modum existendi in se, sed tantùm in humanitate, quia non vniuntur immediatè verbo, sed mediante tantùm humanitate.

QVÆSTIO XII.

An accidentia habeant actiones sibi in subiecto proprias.

QVæstio hæc resoluta habetur maiori ex parte in responsione ad Dices sextum quæstionis secundæ, nulla est difficultas, quin accidentia possint immutare corpora exteriora, alioquin non possent sentiri, sentiri enim aliquid per hoc quod immutatur sensus à sensibili vt dicitur 2. de anima text. 51. imò habent omnes illas actiones, quas habebant coniuncta, quia manent eadem, forma autem manens eadem habet idem principium agendi, nihil enim aufertur ab illis accidentibus, nisi respectus inhærentiæ quantitatis ad substantiam, talis autem respectus non est ratio agendi eorum, omnia patent experientia possunt moueri, si de passione eorum loquamur, alterari, intendi, remitti, frigefieri. Si de actione loquimur possunt imprimere species sensibiles seu intentionales possunt alterare.

Difficultas est de corruptione per quam vt dicit Philosophus generatur aliud. Et quænam sit transmutatio corrumpens Eucharistiæ species.

Ad primum Respondet Scotus accidens separatum, aut non separatum non posse producere substantiam. Nec obstat quod accidentia Eucharistiæ possunt alterare alia accidentia existentia in alia substantia, etiam vsque ad corruptionem illius, non enim infertur inde,

quod

quod habeant aliquam actionem ad ſubſtantiam, nam illa actio accidentium non eſt productiua ſubſtantiæ, ſed eſt tantum alteratio præuia ad ſubſtantiam.

Ad ſecundum Reſpondet Scotus ſi loquamur de tranſmutatione ſecundum qualitatem, illam eſſe corruptiuam quæ eſt ad gradum illum, ſecundum quem non poſſet ſtare cum pane ſi maneret & hoc licet quantitas maneat eadem. Loquendo etiam de tranſmutatione ſecundum quantitatem, illa eſt corruptiua ſubſtantiæ quæ diuidit quantitatem in partes ita minutas vt ſub altera illarum non poſſet manere ſubſtantia panis, quia Deus decreuit Euchariſtiam manere quamdiu ſubſtantia panis ſi adeſſet perduraret ſub ſpeciebus.

QVÆRES, *Quomodo quantitas in Euchariſtia poſſit corrumpi ab agente creato* cùm ipſa in ſubiecto exiſtens non habeat contrarium vt docet Ariſtoteles, vnde cum in ſubiecto corrumpitur hoc neceſſariò prouenit ex defectu ſubiecti aut alicuius conditionis requiſitæ ad quantitatem. At in Euchariſtia non poteſt corrumpi per ablationem ſubiecti, quia iam eſt ſine ſubiecto, neque ratione alicuius conſequentis ad ipſam, quia omnia accidentia inſunt ei accidentaliter. Ergo ab agente naturali non eſt corruptibilis.

Reſpondeo id à ſolo Deo fieri, quare ſi in rarefactione noua quantitas producitur, ea fit immediatè à ſolo Deo. Et nota quod non eſt neceſſe reſpectu agentis diuini corruptionem comitari generationem.

QVÆRES, *An ex mixtione liquoris alicuius vino conſecrato deſinat Euchariſtia.*

Reſpondeo hic ſupponenda eſſe multa Philoſophicè agitata de vera mixtione, quare breuiter dico vinum non conſecratum apponi poſſe conſecrato, illud autem non erit conſecratum quia ſola verba Chriſti poſſunt materiam conſecrare, ſemper autem manet ſanguis, quia non eſt vera mixtio ſed tantum iuxtapoſitio in qua partes ſubſtantialiter non corrumpi docent Philoſophi, Ariſt. lib. 2. de generat. cap. de mixtione docet mixtionem duplicem eſſe, impropriam quæ verè eſt iuxtapoſitio vt cum aliquà miſcentur ad inuicem ſecundùm minutiſſimas partes quæ tamen ſubſtantialiter non corrumpuntur ſed manent in ſuo eſſe ſubſtantiali. Et perfectam quæ eſt miſcibilium alteratorum & deinde corruptorum vnio, adeo quod in vera mixtione fit generatio nouæ formæ ſubſtantialis ſcilicet mixti & miſcibilia tranſeant in tertiam naturam quæ eſt mixtum, vide Philoſophos.

Nec inſtes ad Reſponſionē quod aqua benedicta in maiori quantitate benedicit adiunctam non benedictam. Nam non eſt ſimile, quia aqua conſecratur, per benedictionem Eccleſiæ, quæ voluit in admixtam extendi, cum in ea nulla eſt conuerſio, ſed ſanctificatio quædam, at Euchariſtia fit tantum in materia præſenti, quæ tranſubſtantiari debet. Gutta ergo illa aquæ immixta vino conſecrato conuertetur in vinum, & ſub eius qualitate & accidentibus introducetur ſubſtantia vini, ſicut ſi ipſa vini ſubſtantia eſſet in ſpeciebus conſecratis. Hoc enim facit quantitas, quod faceret ſubſtantia vini, vel Deus ipſe facit ex ordine ſtabilito & ſic iuxta poſita ſpeciebus conſecratis manet atque illis imperfectè mixta.

QVÆSTIO XIII.

An idem corpus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis?

EX difficultatibus quas ingerit hæc quæſtio Aduerſarij impoſſibilem contendunt Tranſubſtantiationem. Dupliciter autem intelligi poteſt. Primò, an corpus poſſit eſſe in pluribus locis modo extenſo & quantitatiuo. Secundò, an in vno extensè ſicut Chriſtus eſt in cælo & inextensè vti eſt in Sacramento.

Quæritur autem de potentia ſupernaturali: nam certum eſt de naturali vnum corpus eſſe tantum in vno loco adæquato & proprio, qui eſt ille qui locato ita adæquatur, vt nihil aliud contineat quàm locatum, ſicque diſtinguitur ab inadæquato, ſiue communi qui eſt ille qui continet plura corpora ſimul, vt aula quæ ſimul continet plures homines & dicitur locus illorum & vniuſcujuſque illorum, ſed inadæquatus & communis. Ratio autem eſt, quia ſicut quodlibet numero corpus eſt in ſe indiuiſum, & à ſe inſeparatum, ita nec poteſt duo occupare loca naturaliter, cùm ſua quantitate quantum eſt de ſe ſit determinata ad hunc locum, ita quod non ad alium: adde quod locus vt dixi debet eſſe æqualis locato & locatum ſuo loco; non eſſet autem huiuſmodi æqualitas ſi vnum corpus in pluribus locis eſſe poſſet.

PROPOSITIO CATHOLICA.

IDem corpus per diuinam potentiam conſtitui poteſt in pluribus locis ſimul, modo naturali & quantitatiuo vel modo naturali in vno & modo inextenſo in pluribus.

Probatur ex ſcriptura Act. 9. Chriſtus apparet Paulo in via Damaſci, ego *ſum Ieſus quem perſequeris.* Quæ verba excludunt expoſitionem qua ſpecies aliqua apparens & vox non ex Chriſti ore, ſed quædam diuinitus facta deſignatur ab aduerſariis. Quod autem realiter Chriſtus apparuerit, nouit ex inſpiratione Ananias, qui cap. 22. dicit ei. *Deus præordinauit vt cognoſceres voluntatem eius & videres iuſtum & audires vocem ex ore eius* & cap. 26. Chriſtus ipſe Paulo dicit. Ad hoc apparui tibi vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum quæ vidiſti, vbi facit illum Apoſtolum & teſtem oculatum reſurrectionis, non fuiſſet autem verus teſtis niſi ipſum corpus vidiſſet oculis corporalibus quod reſurrexerat Paulus prima Cor. 9. & 15. enumerans teſtes oculatos, tandem ait. *Nouiſſimè tanquam abortiuo viſus eſt & mihi* quæ probatio nihil valeret niſi vidiſſet ipſe vt viderant alij.

Reſpondeo Caluin. 4. inſt. cap. 17. Paulum vidiſſe & audiiſſe Chriſtum ſed in cælo exiſtentem, ita vt virtute diuina factum fuerit vt oculi & aures Pauli penetrarent cælos. At lux apparens in terra Paulum circumfulſit vt eum penè excæcauerit, ſi propinqua non fuiſſet, oculos eius non læſiſſet. Tum comites eius

lumen quoddam viderunt & sonum quoque vocis audierunt quod est argumentum certissimum in terra vel in aere proximo Christum apparuisse, nec enim comites Pauli summum cælum oculis & auribus penetrare potuissent. Ad hæc licet comites Pauli audierint vocem, non tamen distinctè intellexerunt quid Dominus dixerit Act. 22. Quare propinquior Paulo Dominus fuit quàm aliis & quasi in aurem ei loquutus est. Si autem de cælo vox facta fuisset ad Paulum omnes æquè audiuissent. Act. 23.

Hoc argumentum aliæque apparitiones efficaciter probant corpus extitisse simul in duobus locis, si verum sit vt contendunt nouatores quod Christus nec priuatim nec publicè descensurus sit de cælo vsque ad diem iudicij, absolutè autem non conuincit, quia non est improbabile Christum ad breue tempus descendisse de cælo post Ascensionem, S. Tho. 3. part. quæst. 57. art. 6. dicit non derogare dignitati Christi si quandoque de cælo descendat vt priuatim se ostendat.

Probatur ex SS. Patrib. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio *O miraculum! ô Dei benignitatem qui cum Patre sursum sedet in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur ac se ipse tradit volentibus illū accipere & amplecti* ò Basilio in Liturgia. *Veni ad sanctificandum nos qui sursum Patri consides & hic nobis inuisibiliter coes: dignare manu tua forti dare nobis sanctum & intaminatum corpus tuum & pretiosum sanguinem & per nos peccatores populo tuo.* Greg. Nyss. orat. de Pasch.. *Sicut diuinitas replet mundum & tamen vnus Deus est, ita innumerabilibus locis consecratus & tamen vnum corpus est.* Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 16. proponit quæstionem verum cum in diuersis locis simul, fiant miracula ad memorias alicuius martyris, sit ipse martyr. præsens vno tempore tam multis locis, an ista fiant ministerio Angelorum? ac respondet quæstionem esse supra ingenij vires; ex quo intelligimus non existimasse Augustinum esse impossibile, vt vna res sit in diuersis locis, alioqui non dubitasset sed apertè dixisset (vt Caluinistæ dicunt) implicare contradictionem vt sit vnum aliquid in diuersis locis simul.

Probatur ratione, hoc non implicat contradictionem nec ex parte Dei, qui infinitæ virtutis est supra naturam, nec corporis, quia locus est posterior corpore sicut accidens est posterius substantia, saltem contradictio non est hactenus verificata, illa enim dumtaxat censentur implicare quæ pugnant cum essentia rei, ita vt res dicatur esse & non esse, at esse in loco non est de essentia corporis, sed quid extrinsecum & accidentarium, nam vltimum cælum est verum corpus, & non est in loco, ergo non repugnat essentiæ corporis esse in vno vel pluribus locis, cùm sint omnia extrinseca & ipsâ essentiâ corporis posteriora. Item hoc non repugnat spiritui, qui est in qualibet corporis parte totus, alioqui enim si extenderetur ad extensionem corporis, esset materialis, & à corpore penderet, proinde non esset immortalis, quod vniuersali hominum fidei repugnat. Quod sit creditur animam totam esse in quibuslibet partibus corporis & in infinitis punctis eius imaginabilibus, ratione vnionis animæ cum corpore, cur quæso quod vnio facit, non poterit omnipotentia diuina? Dices forte animam, totum corpus & Deum ipsum occupare totum mundum non vt plura loca, sed vt vnum, cuius rei in anima signum est, quod si separetur vnum membrum à corpore humano, in eo desinit esse anima, quia membrum illud incipit esse corpus aliud per se existens. At esto naturaliter in absciso non possit esse, posset tamen Deus conseruare in absciso membro animam vt ante abscissionem erat. Exemplum à voce, sono, harmonia desumptum singulariter illustrat hanc possibilitatem ponendi vnum corpus pluribus in locis, hæc enim pluribus in sensibus seu auribus consequenter & locis plenè recipitur, species quoque humana eadem simul apparet in diuersis speculi fragmentis.

Adde difficiliora admitti in fide catholica, vt mysterium Incarnationis, in quo vnam hypostasim in duabus naturis perfectis & dissimillimis confitemur. Et quia longè maior vnio est inter hypostasim & naturam quàm inter locatum & locum, cum illa intrinseca & essentialis, hæc extrinseca & accidentalis sit, profectò mirabilius est vnam esse hypostasim in duabus naturis, quàm vnum corpus in pluribus locis. Adde quod hypostasis illa identificatur prorsus realiter & formaliter cum altera naturarum, id est cum natura diuina, & tamen vnitur intimè cum natura humana quæ realiter & formaliter differt à natura humana. Ex quo sequitur vt sit plane incomprehensibile, quomodo illa vnione vel non confundantur naturæ, vel non diuidatur hypostasis.

Difficilius etiam est mysterium æternitatis, vt vnum instans durationis simul sit in diuersis temporibus, siue coexistat diuersis temporibus, quàm vt vnum corpus simul sit in diuersis locis. Tempora enim fluunt & impossibile est simul manere præteritum & futurum, At loca simul permanent licet distincta & separata ab inuicem. Iam æternitas est vnum instans durationis non fluens, & proinde coexistens tôti tempori præterito & futuro, & tamen nec ipsum instans diuiditur, nec tempora confunduntur, quod planè superat humanum captum.

Propositio facta intelligitur tam de modo circumscriptiuo quam de eodem & de non quantitatiuo. Nam si constat posse modo non naturali siue sacramentali seu non commensurato ad locum. Ergo Deus potest quod corpus sit in pluribus locis modo quantitatiuo.

Probatur consequentia, quia in faciendo primum, est duplex miraculum, vnum quod idem corpus sit in pluribus locis simul, alterum quod sit in illis modo non naturali: In faciendo autem secundum est tantum vnum miraculum, scilicet quod idem sit in pluribus. Nec valet dicere quod modus sacramentalis sit ex conuersione panis in corpus, nam conuersio hæc non est præcisè ratio & causa præsentiæ Corporis Christi sub illis speciebus, sed mutatio localis acquisitiua noui. *Vbi* confirmatur à Scoto, quia transeunte conuersione substantiali corpus manet præsens sub speciebus. Ergo præsentia corporis sub illis non fuit terminus formalis mutationis, quæ est conuersio, quia illâ manente maneret eaque ablata auferretur, nam terminus formalis non est sine

causa

causa formali, neque enim homo est rationalis sine ratione, forma, quæ est anima rationalis.

Quod si dicas conuersionem illam vt præteritam fuisse causam præsentiæ illius. Contra arguo Deus de potentia absoluta facere nequit conuersionem præteritam non præteriisse, ergo si conuersio vt prætetita est causa huius præsentiæ non posset Deus facere quod Corpus Christi factâ conuersione non esset præsens sub speciebus. Dicet aliquis species derelictas post conuersionem esse causam præsentiæ corporis sub speciebus, Reiicitur, quia species illæ non insunt formaliter corpori, vnde Corpus Christi non est quantum quantitate panis, nec quale per panis accidentia, sed per sua propria. Dices sufficere quod panis accidentia habeant aliquam vnitatem siue alligationem cum substantia Corporis Christi, At iam ostendi nullam esse vnionem realem & physicam inter substantiam Christi & panis accidentia.

Confirmatur ratio principalis, quia præsentia Christi sacramentalis est æquè præsentia realis ac vera, sicut præsentia Christi naturalis in cælo & vt erat in terris, ergo æquè est fundamentum, propinquitatis & distantiæ localis sicut naturalis, vnde Corpus Christi existens in Sacramento est æquè distans à loco in quo non est sacramentaliter sicut corpus existens naturaliter in loco distat à loco, in quo non est naturaliter, Ergo si ad multiplicationem præsentiarum localium naturalium sequitur necessariò diuisio vel multiplicatio numeralis corporis, (vt arguit contraria opinio) sequitur etiam quod in multiplicatione præsentiarum sacramentalium multiplicetur idem corpus numero; At ad hoc non sequitur, ergo nec ad istud.

Ad solutionem omnium apparentium contradictionum 4. regulas dat Scotus.

Prima est quandocumque aliquod corpus ponitur in pluribus locis, quæcunque accidentia sibi insunt quæ præcedunt *Vbi*, eadem sibi insunt vbicumque ponatur.

Secunda, quæcumque accidentia posteriora *Vbi* insunt alicui corpori in vno loco, non est necesse quod insint eidem alio in loco.

Tertia quandocunque aliquod corpus est in diuersis locis, sic est aptum natum immutari in quolibet loco sicut si esset in vno tantum à quocunque agente imprimatur sibi aliquod absolutum.

Quarta, quandocunque aliquod corpus est in diuersis locis, sic est aptum natum agere in quolibet, sicut in vno.

Dices quod est vnum numero est indiuisum à se & diuisum à quocunque alio, ergo est impossibile quod aliquid sit vnum numero & sit diuisum à se. At quod est in locis diuersis necessariò est diuisum à se: probatur quia idem numero non potest replere plura loca distincta nisi sit in se diuersum & distinctum vel distans à seipso.

Respondeo negando assumptum, nam ex duplici locali præsentia non sequitur eandem rem diuisam esse in se, sed præsentias inter se diuisas, & distinctas inesse eidem rei: hoc autem non est contra rationem vnius ex parte subiecti, sed ex parte præsentiæ localis, nos autem nos dicimus esse vnam præsentiam localem sed plures in vno subiecto præsentias.

Instabis, corpus existens in altari non continuatur cum eodem existente in cælo, Ergo diuisum est.

Respondeo verum esse ratione præsentiæ localis, non autem ratione præsentiæ secundum se, est enim vnum & indiuisum corpus quod habet duas præsentias locales non continuatas ac proinde localiter diuisas. Hinc etiam soluitur instantia, quòd distaret à seipso, id enim verum est secundum diuersas præsentias non autem secundum suam entitatem. Vel ex Scoto non secundùm idem id est absolutè & quatenus est corpus vel tale subiectum, sed ratione diuersorum *Vbi*, seu distinctarum præsentiarum.

Dices non potest aliquid simul esse in duobus temporibus, ergo nec in duobus locis, tum multæ sequuntur contradictiones, in vno enim occidi poterit, in alio viuere &c.

Respondeo primum esse dissimile, nam non pendet ex ipsa re sed ex temporibus quæ cum semper fluant nequeunt esse simul.

Ad 2. Respondeo absoluta quæ recipiuntur in corpore non multiplicari quia corpus vnum est, non multa, itaque si in vno loco occidatur, in alio etiam morietur, imaginatio equidem non potest concipere vnum corpus in pluribus locis, sed maior est Deus corde nostro. Adde quod vnitas rei nō pendet ab vnitate loci; prius est enim rem esse vnam quam esse in loco.

QVÆSTIO XIV.

De desitione Transubstantiationis.

Communiter dicitur quod Corpus Christi sub speciebus tamdiu conseruatur quandiu conseruaretur panis substantia si sub illis speciebus existeret. Ratio est quia Christus ex institutione ipsius Sacramenti succedit in locum panis, ergo tandiu perseuerare debet quandiu obseruaretur substantia banis. Ita S. Tho. quæst. 80. art. 3. & DD.

Hinc sequitur præsentiam Christi hic non amitti per quamlibet alterationem specierum sed per eam solam per quam desineret substantia panis, eosque errare qui asserunt statim desinere atque in os recipitur aut in ventrem traiicitur, quia non ita statim desineret esse substantia panis. Tum quia cap. *Si quis per ebrietatem* decernitur vt si quis per eam non valeat retinere Sacramentum sed species integras eiiciat, species conseruentur tanquam continentes Corpus Christi.

S. Bonauentura docet quod Christus non vadit in muris ventrem, quia non est sub Sacramento nisi quatenus est ordinabile ad vsum hominis, scilicet ad manducationem, at cum mus rodit inhabile facit ad id, & definit præsentia Christi sub specie. Probat, quia si mus baptisetur nihil recipit Ergo nec hic. Refutatur communiter, cum Christus sit vnitus

ſpeciebus quandiu hæ manent nec horreat peccatoris ventrem. Non eſt autem paritas de Baptiſmo, quia is conſiſtit in vſu applicando ſoli homini. Hic autem realiter habetur Chriſtus & permanenter.

QVÆRIS, *An per deſitionem Chriſtus mutetur.*

Reſpondeo certum eſſe præſentiam eſſe rem aliquam veram & modum realem in natura exiſtentem, Chriſtus enim ſubſtantialiter eſt ſub ſpeciebus, hæc autem præſentia amittitur in deſitione, vnde aliquo modo mutatur Chriſtus, ſicut in poſitione, cùm de nouo factus eſt præſens. Mutatio autem iſta eſt tantùm priuatiua, nam nihil poteſt cogitari, quod de nouo acquirat, vt patet ex inductione Prædicamentorum. Quædam poſſet eſſe dubitatio de *Vbi*, ſed euacuatur, quia ſi cum deſinit eſſe ſub ſpeciebus acquirit aliud *Vbi*, vel illud eſt proprium & quantitatiuum vel eſt eiuſdem rationis cum ſacramentali vt ſit totus in toto, iſtud dici non poteſt, quia hoc modo dumtaxat eſt in Sacramento. Si primum dicatur, quæro quis ille locus? non cæleſtis quem nunc habet: ſi alius diſtinctus, ſequitur eum habere tot loca quot factæ ſunt conſecrationes. Hoc patet exemplo Angeli, nam Angelus exiſtens in loco adæquato poteſt relinquere partem eius & in alia parte manere nihil acquirendo de nouo, & tunc fit in eo quædam mutatio, nam aliter ſe habet quàm prius, & tamen non poteſt eſſe niſi localis qua amittitur & non acquiritur aliquid loci. Idem dici poteſt de anima quæ vnam partem corporis amittit, nam aliter ſe habet, & tamen nihil acquirit propter quod ratione vnionis ſubſtantialis poſſit dici mutatio ſubſtantialis, purè tamen eſt priuatiua.



ARTICVLVS

ARTICVLVS XXVIII.

Fateor ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verúmque Sacramentum contineri.

SACRIFICIVM Miſſæ Realitatem Corporis Chriſti ſub panis & vini ſymbolis, ſubſtitutionémque ſubſtantiæ ſucculentioris quam eorum natiuam tres diſtincti ſtabilierunt Articuli, vt in ore ſeu aſſertione trium ſtet omne verbum de Euchariſtia quam animaduerto frequentiorem ſui vſum, ardentiorem ſui amorem, profundiorem ſui reuerentiam in cordibus fidelium excitare, quo magis ab Aduerſarijs impugnatur, & obſtinatius veritas à fundamentis excutitur. Hucvſque veniſſe tempeſtuoſum hæreſeos mare, ſat erat, hicque tumentes fluctus ſuos confregiſſe ſperabam. At nouam ſuſcitant Nouatorum turbines procellam, nouóque æſtu commouent Eccleſiam Catholicam, quam fœdifragam, ſacrilegam, & ideò adulterinam paſſim apud ſuos & exteros proclamant, quòd ſubtrahendo vſum Calicis in Laïcorum communione ſanctiſſimum mutilauerit Sacramentum in cibo & potu diuinitùs inſtitutum: quaſi verò Concilium Conſtantienſe iuſtis de cauſis & ipſomet Chriſto (qui in medio legitimæ Synodi eſſe debet) promotore reductionem iſtam non definierit. Quaſi verò Chriſtus totus non ſit in alterutra ſpecie cibus, ſimúlque potus. Quaſi verò minus eſſentialiter in alterutra ſpecie quàm in vtraque aſſumatur! Quaſi verò qui ſemel aut bis legitur dixiſſe, Bibite ex eo omnes, *pluries non dixerit de ſolo pane.* Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. *Et* qui manducat hunc panem viuet in æternum. *Quaſi verò Eccleſia quæ* eſt columna & firmamentum veritatis, *minus habeat in œconomiæ diſpenſatione quàm vnus Apoſtolorum qui ritum ſynaxeos ſe ordinaturum ſcribit.* Cætera cum venero diſponam. *Quaſi verò non habeamus de Chriſtianis Act. 2.* Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis. *& Act. 20.* Paulus conueniſſet ad frangendum panem. *Quaſi verò quæ ſuprà ſcripſimus de veneratione Sacramenti Euchariſtiæ non conuincant, in ſolida panis ſpecie ſolitos vt plurimum communicare Fideles quam domi aſſeruabant. Quid in contrarium vrgeant Aduerſarij audiamus, legamus, intelligamus.*

QVÆSTIO PRIMA.

An tota ratio Sacramenti in vna ſpecie reperiatur?

EXpreſſit hucvſque profeſſio noſtra quæ circa Sacramentum & Euchariſtiæ Sacrificium fideliter credenda erant: nunc vſum eius primarium ſeu participationem declarat, de qua vna iamdudum principalis exorta eſt, & definita controuerſia, vtrùm videlicet neceſſariò participanda ſit Euchariſtia ſub vtraque ſpecie. An ſatis ſit ſub altera. Hæretici nihil magis improperant Eccleſiæ Romanæ, quàm quod contra expreſſum Dei verbum & intentionem Chriſti, qui tanto honore dignari voluerit populum ſuum quantus eſt illum corpore & ſanguine proprio cibare, paſcere, nutrire, cum poculo ſacro defraudemus & mutilum offeramus ei Sacramentum. Æneas Syluius in hiſtoria Bohemorum capit. 35. ſcribit exortam controuerſiam de Communione ſub vtraque ſpecie Pragæ in Bohemia 1410. opera cuiuſdam Iacobelli ibidem tunc concionatoris qui inculcauit populo neceſſarium eſſe Laïcis ſub vtraque ſpecie Communionem ob verba Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Hinc Germani inſultare cœperunt vſui Catholico, & ad eorum imitationem procaciùs Caluiniſtæ in Gallia eandem inter cæteras, ob cauſam, vnde vt plurimum defectionem Romanæ Eccleſiæ inferre contendunt.

Quare vt à fundamentis conuellatur hæc prætenſa neceſſitas diſcutitur, præfixa quæſtio quæ totam Sacramenti rationem in vna ſpecie reperiri docet.

Nota ad Euchariſticæ integritatis communionem diuerſas rerum ſpecies pertinere, quarum quædam ſpectant ad integritatem ſignificationis, & aliæ ad integritatem ſubſtantiæ ipſius communionis, id eſt ſubſtantiæ exhibitæ per communionem. Quæ ſunt de integritate ſignificationis, poſſunt pro temporis exigentia ad Eccleſiæ diſpenſatricis libitum aliquando variari, & cum additione aut diminutione expreſſionis ſeu perfectionis illius celebrari quantum ad integritatem ſignificationis. Quod autem ſpectat ad integritatem eſſentiæ Communionis, quòd ſcilicet totus Chriſtus ſubſtantialiter vnà cum omnibus quæ ſunt de eius compoſitione & conſtitutione, qualia ſunt Corpus, Sanguis, Anima, Diuinitas plenè integrè ſumatur; hoc nullatenus mutari, alterari, minui, vel mutilari nequit, quia ad eſſentiam Communionis hæc omnia ſpectant quæ ſine conſecratione & adminiſtratione Sacramenti fieri nequit, ſed dari & exhiberi poteſt pro integritate rei ſignificatæ ſub altera ſpecierum, quia Chriſtus indiuiſè & integraliter totus ſub qualibet continetur. Scopus igitur integritatis Communionis eſt, vt Chriſtum totum integraliter ſumamus, quod integraliter & complete per alterutram fieri conſtat. Scopus integritatis ſignificationis eſt vt recordemur corpus & ſanguinem illum, quibus paſcimur diuiſa fuiſſe in cruce, ſanguinemque pro nobis in remiſſionem peccatorum effuſum fuiſſe, vnde Paul. 1. Cor. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Mandatum Chriſti de Corpore & Sanguine eius ſub Sacramenti velo ſeu ſigno externo ſumendo pertinet ad integritatem eſſentialem Communionis, nec vllam diſpenſationem aut immutationem patitur. Inſtitutio ſumendi illum diſtinctè ſub vtraque ſpecie diſiunctim pertinet ad integritatem ſignificationis, & expreſſiorem memoriam ſeparationis ſanguinis à corpore factæ in cruce pertinet: hæc autem integritas ſignificationis magis vel minus exprimi poteſt ſi in vtraque ſpecie fiat Communio, hæcque ſine dubio expreſſior eſt cum in ſynaxi communicant omnes ſub vtraque ſpecie, quilibet enim ſic facilius attendit aut recordatur de ſeparatione & effuſione pretioſi illius ſanguinis, minus expreſſa videtur haberi hæc ſignificatio ſeu recordatio cum ſolus conſecrans in vtraque communicat ſpecie, hoc autem ſufficit ad ingerendam mentibus fidelium ſeparationem illam, cum perpendimus Sacerdotem Miniſtrũ publicum Eccleſię, qui nomine omnium fidelium celebrat Corpus & Sanguinem ſub diuerſis, & diſparatis ſpeciebus ſumere. Quod ergo ſub Sacramento Corpus & Sanguinem Chriſti ſumere teneamur eſt de eſſentia & integritate Communionis. Quod iuſſerit Chriſtus conſecranti illud ſub diuerſis ſpeciebus ſumere eſt de integritate ſignificationis, quod Chriſtus & Apoſtolus ab ipſo edoctus Paulus idem faciendum iniunxerint communicationis, hoc ad expreſſiorem integritatem ſignificationis ſpectat. Iſtud autem præceptum relaxari poteſt, & pro temporis exigentia declarari ab Eccleſia, quod vtique factum à primis Apoſtolorum temporibus docet chronicon, ex quo habemus celebratam ſæpe ſæpius Communionem in ſola ſpecie panis. Qui enim Euchariſtiam domi aſſeruabant, qui collo ſuſpenſam deferebant vt reſultat ex Ambroſ. de obitu fratris Satyri, is enim in naufragio conſtitutus diuinum Sacramentum popoſcit à Chriſtianis, quos nouit hoc habere in naui, & Pœnitentes qui poſt defectionem in perſecutione ab vſu Sacramentorum excluſi erant, & in articulo mortis reſtituebantur, ij omnes in ſola ſpecie panis communicabant. Adde, quod communicabant veteres aliquando infantes, ſed ſub vnâ tantum ſpecie nimirum inſtillando in os eorum aliquid ſanguinis Domini, vt patet tum ex Cypriano ſerm. de lapſis, tum ex manifeſta ratione, quia non poſſunt infantes cibum aliquem ſolidum ſumere. Nec deſunt antiquorum ſcripta, quæ communionem ægrotorum ſolitam vt plurimum ſub vna tantum ſpecie fieri, ſicque à ſanctis viris interdum vſurpatam memorant.

Quod ſi in Euchariſtię Sacramento alia pręrenditur ſignificatio, qualis ſine dubio eſt internæ refectionis, nec non & vnionis fidelium inter ſe & cum Chriſto, vtraque in qualibet ſpecie reperitur. Nam in ſpecie panis ſignificatur ſufficienter refectio animæ, etiamſi non adderetur ſpecies vini, & ſimiliter in ſpecie vini licet non adderetur panis. Nam etiam ſi

ſpecies

ſpecies panis non ſignificet refectionem ſpiritualem, niſi per modum cibi & ſpecies vini non ſignificet eandem refectionem niſi per modum potus, tamen vt aliquid poſſit dici abſolute, & verè ſacramentum, ſatis eſt ſi ſignificet refectionem aliquam ſpiritualem, & eandem reuera efficiat. Quocirca duo illa ſigna ſpecies videlicet panis & ſpecies vini, non tam eſſentiales, quàm integrales partes huius Sacramenti eſſe videntur: ex quo ſequitur vt Euchariſtia ſub vna ſpecie ſit verum & integrum ſacramentum eſſentialiter, licet etiam poſſit dici pars Sacramenti, ſi partes materiales ſymboli externi conſiderentur, dixi autem (ex parte ſymboli externi) nam ex parte rei ſignificatæ id eſt ex parte refectionis ſpiritualis, nihil deeſt vlli ſpeciei, ſiquidem in refectione ſpirituali non diſtinguntur cibus & potus, ſed vna & eadem res & nutrit, quod eſt cibi officium, & refrigerat ſiue irrigat & inebriat mentem, quod eſt officium potus. Itaque in diuinis litteris iuſtitia & ſapientia & ſimilia dicuntur eſuriri & ſitiri vt cibus, & potus Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur*, Vides eandem rem dici & cibum eſſe & potum. Et Eccleſi. 24. *Qui edunt me adhuc eſurient & qui bibunt me adhuc ſitient.* Et Cyprian. ſerm. de cœna Domini diſertis verbis dicit ad eandem rationem pertinere cibum & potum ſpiritualem, idemque docet Auguſt. in illud Pſal. 103. *panis cor hominis confirmet.* Quare licet Chriſtus dicat Ioan. 6. *caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus*, tamen ibidem ait, *qui manducat hunc panem viuet in æternum*, & *qui manducat me, viuet propter me.*

Iam quod attinet ad aliam ſignificationem manifeſtum eſt in ſpecie panis etiam ſolâ optimè ſignificari vnionem fidelium cum Chriſto, & in ſe. Nam panis quatenus conſtat ex multis granis in vnum redactis ſignificat vnionem fidelium, quatenus conſtat ex farina & aqua ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia, vt Cyprian. teſtatur lib. 2. Epiſt. 3. ad Cœcilium. Quocirca cum Paulus dixiſſet *vnum corpus ſumus qui de vno pane participamus*, non putauit eſſe addendum & de vno calice bibimus, quia nimirum intelligebat ex ſola panis ſpecie hanc vnionem ſignificari. Idem dici poteſt de ſpecie vini, vinum enim quod ex multis vuis conflat vnionem fidelium inter ſe deſignat; quod autem in ſacro calice aqua vino admiſceatur, eodem Cypriano teſte vnionem Chriſti cum Eccleſia repræſentat. Quod ergo ad hanc ſignificationem attinet, nihil deſiderari poteſt in qualibet ſpecie ad verum & integrum ſacramentum. Iam vero quo ad cauſalitatem ſeu efficientiam, eadem reperitur in qualibet ſpecie Sacramenti huius, nam tota efficientia naſcitur ex ipſo Chriſto, qui ſub illis ſpeciebus continetur, quare eadem cauſalitas eſt in ſpecie panis, quæ eſt in ſpecie vini & eadem in ſingulis, quæ in vtriſque ſimul ſumptis.

Qvæstio II.

An Sacramentum Euchariſtiæ ſit vnum vel plura.

De vnitate numerica eſt quæſtio, & difficultas eſt in loquendo, nam certum eſt formas diuerſas eſſe numero, & verba conſecrationis multiplicari, conſtat etiam ſpecies, per diſcontinuationem amittere phyſicam vnitatem & phyſicè multiplicari.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Licet Sacramentum Euch poſſit dici materialiter duplex ſeu plura, eſt tamen vnum vnitate ſpecifica ſeu ſpecificè, ſeu vnum *ſpecie atoma integrâ & perfectâ*. Probatur ex ſcriptura in Con 10. vnus panis & vnum corpus multi ſumus omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. S. Thom. 3. part. q. 73. art. 2. inde concludit Euchariſtiam eſſe vnum ſacramentum, quia inquit hæc eſt ſacramentum Euchariſticæ vnitatis, quod ſimilitudinem gerit rei cuius eſt ſacramentum.

Probatur ex SS. Patribus Auguſt. lib. 3. de Doct. Chriſti cap. 9. *Pauca pro multis eodemque factu facillima ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina ſicuti eſt baptiſmi ſacramentum & celebratio Corporis & Sanguinis Domini*, Damaſcen. ideo ſacramentum dicitur communio, quia communicamus per ipſum Chriſto, Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 8. *Vocat ſignum, vnitatis vinculum charitatis pacis & concordiæ ſymbolum.*

Probatur ratione, formalis & ſpecifica Euchariſtiæ ratio eſt ſignificare ſpiritualem refectionem, & eam ſignificando efficere, ſed hæc ſignificatio eſt vna formaliter, quia tam Corpus Chriſti ſignificat ſpiritualem refectionem quàm ſanguis, cum ſicut vtraque ſpecies reficiat corpus, ita vtraque & quælibet contineat Chriſtum, & ſignificet animæ refectionem iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus, verè eſt potus.* Ergo ſacramentum Euchar. eſt vnum formaliter cùm eandem habeat rationem formalem & ſpecificam. Tum ſi eſſent plura formaliter ſeu duo diſtincta ſpecie, conſequenter debemus aſſerere duplicẽ effectum diſtinctum ſpecie. Adde quod moraliter loquendo fuit vna inſtitutio, & vnum eſt contentum, & licet ad conſtitutionem huius Sacramenti plura concurrant, tamen hæc omnia ſcilicet panis & vinum, componunt vnum integrum ſignum rei.

Nota ex Ariſt. 5. Metaph. tex. 9. vnum dici non ſolùm, quod eſt indiuiſibile, vel quod eſt continuum, ſed etiam quod eſt perfectum, ſicut dicitur vna domus, & vnus homo. Eſt autem vnum perfectione ad cuius integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem eius, ſicut homo integratur ex omnibus membris neceſſariis ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus, quæ ſunt neceſſariæ ad inhabitandum. Sic Euchariſtia dicitur vnum ſacramentum, ordinatur enim ad refectionem ſpiritualem, quæ corporali conformatur ad quam cibus, qui eſt

 alimentum

alimentum siccum & potus qui est alimentum humidum requiri constat, vnde ad integritatem significationis vt dixi cibus & potus spiritualis hic est.

Dices ibi est diuersitas formalis & specifica vbi est materia & forma specie diuersa, sed in Sacramento, sub specie panis est materia diuersa à specie vini diuersaque consecrationis forma, imo & diuersus effectus, nam in vim verborum primo ponitur corpus in prima & in secunda sanguis.

Resp. negando minorem, licet enim panis & vinum differant in se, specie tamen non differunt in ratione formali & specifica signi Sacramentalis ad quod assumuntur, nam vtraque species significat refectionem spiritualem si dicas esse plura signa concedam materialiter, formaliter vero & perfectiue sunt vnum.

Dices in Collectis Missæ sæpius vocari Sacramenta vt dominica 14. purificent nos Domine tua Sacramenta.

Resp. & subdi hoc tuum sacramentum, non sit nobis reatus ad pœnam & in postcom. dominicæ 2. tui perceptio Sacramenti.

Quæres, *vtrum plures hostiæ consecratæ dicantur plura Sacramenta.*

Resp. si hæ considerentur secundum se, dici plura Sacramenta materialiter, seu plura indiuidua Sacramenti, ratio est quia sunt distinctæ numero materiæ, imo possunt esse distinctæ numero formæ, si sumamus hostias diuerso tempore, vel à diuersis sacerdotibus consecratas. Neque obstat dicere vnum esse numero Christum & consequenter esse vnum tantùm indiuiduum Sacramenti, nam hinc solùm colligitur contentum Sacramenti esse vnum numero, non vero plures hostias esse vnum nunero Sacramentum seu vnum indiuiduum Sacramenti.

Si vero Hostiæ considerentur quatenus vno actu sumuntur, sunt vnum sacramentum. Ratio est tum quia habent rationem vnius refectionis: tum quia sicut dicitur vnum conuiuium, etiamsi plura fercula eodem tempore sint in mensa. Ita dicitur vnum conuiuium spirituale & vnum Sacramentum, etiamsi diuersæ species sumantur, vt facit Sacerdos vel diuersæ particulæ.

Hinc sequitur, quod licet quælibet particula integrum sacramentum contineat, tamen cum adiungitur alteri, non multiplicantur Sacramenta, sed solùm augetur, quod est materiale in symbolo.

Ex his abunde constat dari populo integrum sacramentum, non mutilum vel dimidiatum, si quidem in qualibet specie seorsim inuenitur veri atque integri Sacramenti ratio, nec plus in duabus quàm in alterutra sumitur, nec duæ simul sumptæ, duo, sed vnum faciunt Sacramentum formale, licet materialiter illud plurificet.

QVÆSTIO III.

An totus Christus contineatur sub vtraque specie.

Fundamentum & cardo super quo vertitur hic fidei articulus, quem exponimus de Communione laïca, est hæc veritas & fides, quæ semper fuit in Ecclesia, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis & vini specie vna cum ipsius anima & diuinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini & sanguinem sub specie panis animamque sub vtraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi iam non amplius morituri inter se copulantur, diuinitatem vero propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypostaticam vnionem.

Concomitantiam hanc rident sacramentarij, cùm corpus & sanguinem tantùm in signo non autem reipsa in Sacramento Euchar. esse velint: signum enim corporis sine vlla Christi iniuria vel læsione corpus significat & signum sanguinis solum sanguinem.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Totus Christus sub vtraque disiunctim specie existit. Probatur ex scriptura Ioan. 6. *Qui manducat me viuet propter me*, at non mâducatur Dominus nisi sub specie panis, ergo in specie panis non est solum corpus, sed totus Christus, neque enim de solo corpore diceret, *qui manducat me.* Ibidem ego sum panis viuus. Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, Ex hoc principio sequitur in specie panis, non esse corpus sine sanguine & anima. Ex vnione autem hypostatica Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, sequitur quod vbicumque sit Corpus Christi non habere aliam quàm diuinam subsistentiam, & quia subsistentia idem est re cum diuina essentia, nec vllo modo potest ab eo separari, inde efficitur vt vbi est Corpus Christi, ibi etiam sit diuinitas Christi. Hæc similiter dicuntur de calice.

Probatur ex SS. Patrib. Andræas Apostolus apertè dicit offerri in altari agnum immaculatam & manducari à populo, & tamen viuum & integrum permanere, Basil. in Liturgia sic alloquitur Christum latentem. *Qui supra cum Patre sedes & hic inuisibiliter nobiscum es.* Hiero. reprehendens illos qui post actum coniugalem non audebant in Ecclesia sumere Eucharistiam, & tamen domi sumebant, *An*, inquit, *alius in publico alius in domo Christus est?* adduci possunt authoritates de realitate præsentiæ.

Communis est Christianorum sensus vt in Euchar. sub specie panis credant se accipere, nón aliquod cadauer, sed ipsum viuum atque integrum Christum. Apud hæreticos autem, qui concomitantiam negant, non solùm sumitur cadauer ipsorum opinione, sed etiam eorum

eorum miniſtri, quoties cœnam faciunt toties Chriſtum reipſa occidunt, vel certe occidere ſe credunt: quæ ſanè abſurdiſſima ſunt.

Probatur ratione, quandocumque aliqua ſunt & manent inter ſe coniuncta, niſi nouum miraculum fiat, non poteſt vnum eſſe alicubi vbi non ſit etiam alterum manente illa coniunctione, ſed Corpus Domini, Sanguis, & diuinitas inter ſe coniuncta ſunt, nec poteſt iam ſolui illa coniunctio: ergo vbi eſt corpus ibi ſunt reliqua, & ſimiliter vbi eſt ſanguis ibi ſunt reliqua. Nec dicas inde concludi, quod vbicumque eſt diuinitas ibi etiam eſſe Chriſti Corpus & ſanguinem, quæ eſt hæreſis vbiquiſtarum.

Reſpondeo enim maiorem, ſeu regulam illam debere intelligi ſano modo. Quæ enim adæquatè vniuntur, ita vt vnum non pateat latius, quàm alterum, in iis regula eſt ſimpliciter vera. Si vero vnum latius pateat, tunc vbicumque eſt minus ibi etiam & maius, non è contrario.

Probata eſt propoſitio pluribus miraculis nam vt credamus in ſpecie panis eſſe corpus, cum ſanguine non ſemel ex fractione panis copioſus ſanguis manauit, vide ſpeculum hiſtoriale lib. 3. cap. 24.

Dices, concomitantia illa non exprimitur in ſcriptura, ſed contra Chriſtus oſtendens panem dixit eſſe corpus ſuum & calicem vocauit ſanguinem, ergo panis non eſt ſanguis neque calix aut vinum eſt corpus.

Reſpondeo ex principiis fidei & Patrum conſenſu haberi euidenter hanc connexionem ſeu concomitantiam. Licet autem Chriſtus diſtinxerit verbis & ſignis corpus & ſanguinem, quia oportebat ita repræſentari paſſionem ſuam non ideo corpus & ſanguis re ipſa ab inuicem diuulſa ſunt.

QVÆSTIO IV.

An plus gratiæ recipiatur ſub vtraque ſpecie communicando quam ſub vna.

Quæſtio præcisè eſt de fructu, qui recipitur ratione Sacramenti, non de illo quem maior vel minor præparatio obtinere poteſt, nec de fructu, quem Lutherani quærunt in Sacramentis, ſcilicet ſolam excitationem fidei vel confirmationem: dicunt enim Sacramenta non aliter prodeſſe, quam ſignificatione ſua tanquam viſibili verbo repræſentando promiſſiones Dei, iſte autem fructus melius obtinetur & apprehenditur, per oculos videndo ſacramentum in menſa quam illud manducando, nam dum manducatur cito perit ſignificatio, at dum cernitur & attentè cogitatur ſemper rememorat & repræſentat, nihil ergo fructus perit communicantibus ſub vna ſpecie, quia licet vnam tantum ore ſumant, tamen oculis vtramque ſumunt non minus quàm Sacerdotes, & poſſunt ſi volunt ex illo aſpectu ſignificationem percipere.

PROPOSITIO THEOLOGICA

Nihil gratiæ capitur ex duabus ſpeciebus, quod non capiatur ex vna. Non eſt definita de fide, eſt tamen Communis Doctorum (Aleſi excepto, & paucis recentioribus,) quam Bellarm. in concione aſſerit proponendam, hancque indicat, licet non definiat Trident Conc. ſeſſ. 21. can. 3. cum dicit ſub vna ſpecie ſumi integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, ſignificat enim ex his verbis ſumi ſub vna ſpecie omnem gratiam, quæ ab Euchar. expectari poteſt, vita ſcilicet ſeu conſeruatio vitæ ſpiritualis animæ, eiuſque coniunctio cum Chriſto. In Concilio etiam Baſileenſi ea conditione calix conceſſus fuit Bohemis (teſte Ruardo,) vt crederent non plus ſumi ex duabus ſpeciebus quàm ex vna. Probatur ex S. Thom. q. 80. art. 12. qui ait nec exinde ſequitur aliquod detrimentum, quia Chriſtus ſub vtraque ſpecie, continetur. Idem docent alij Doctores.

Probatur ratione, ſi vtraque plus daret quam vna id neceſſario oriretur, vel ex Symbolo continente vel è re contenta. Ex Symbolo id naſci non poteſt, quia Symbolum non operatur niſi per virtutem ſibi impreſſam, in Euchar. autem loco virtutis impreſſæ eſt Corpus Chriſti, non igitur ex Symbolo oritur maior gratia.

Dices licet Symbolum operetur per virtutem impreſſam, tamen operatur id quod ſignificat, ergo quando ſymbolum cumulàtius & plenius ſignificat, pleniorem effectum operatur. At duæ ſpecies cumulatiùs & plenius ſignificant quàm vna.

Reſp. Symbolum efficit quod ſignificat, ſed non efficit per ſignificationem, ſed per vim operatiuam, ſignificatio enim non operatur niſi in mente excitando affectum aliquem dum apprehenditur. Id ergo ſymbolum ſi quod ſignificat cumulatius & plenius, ſi ſignificet plenius, id eſt, aliquid plenius & melius, tunc ſine dubio operatur etiam pleniorem effectum, quia virtus operatiua proportionatur ſignificationi. Si autem ſignificet plenius, id eſt diſtinctius & clarius rem eandem, non facit meliorem vel maiorem effectum: alioqui moneta melius impreſſa plus valeret, quàm alia, & litteræ quibus diplomata continentur quò accuratius ſcriptæ eſſent eo maioris eſſent authoritatis: Baptiſmus trinâ merſione collatus magis iuſtificaret, & hoſtia ſacra cum imagine Crucifixi impreſſa in exteriore ſuperficie magis reficeret. Talis autem ſignificatio eſt duarum ſpecierum, quia nimirum exactius & clarius ſignificat Chriſtum eſſe alimentum animorum, non tamen aliquid ſignificat, quod ab altera ſpecie, licet paulo obſcurius, non ſignificetur.

Omiſſo igitur Symbolo ad rem contentam veniamus. Si ex re contenta maior illa gratia oritur, id fit vel quia res contentæ in vtraque ſpecie ſunt reuera duæ & diuerſæ, & quælibet operatur aliquid in animũ ſuſcipientis, & hoc dici non poteſt, cùm vnus & idem Chriſtus ſit in vtraque ſpecie: vel quia vna res quidem & eadem in vtraque ſpecie continetur,

netur, sed ea bis sumitur cùm sumitur vtraque species, semel autem sumitur cùm vna species sumitur. At neque hoc dici potest, nam non augetur gratia, vel fructus quando sumitur bis eodem tempore, quia sumitur per modum vnius refectionis, alioqui qui duas vel tres particulas sumeret, vnam post alteram in eadem participatione Mysterij maiorem gratiam acciperet quàm qui vnam tantùm: nam in singulis particulis Christus continetur. Et pari ratione, cum Sacerdos non vno haustu, sed duobus aut tribus sumit sanguinem Domini, plus gratiæ acciperet, quàm qui vno haustu totum ebibit, quæ sanè absurdissima sunt omnium consensu, licet aliqui vt Nugnus q. 73. Henriquez lib. 8. cap. 44. & Bonac. probabile teneant Sacerdotem sub vtraque specie communicantem recipere plus gratiæ, quàm laïcum sub vna, quia inquiunt perfectio spiritualis perfectius significatur, sub vtraque, significatio autem Sacramenti est practica, & effectiua, sed supra ad id esse responsum patet.

Dices, Eucharistia sub specie panis sacramentum est, ergo confert gratiam vel igitur superaddita sumptio calicis gratiam auget, vel non auget: si primum, ergo ex duplici specie maior fructus habetur: si secundum, ergo verum sacramentum non confert gratiam: Ergo frustra sumitur à sacerdotibus.

Respondeo idem argumentum fieri posset de duabus particulis consecrati panis & duobus haustibus vini consecrati. Dico sumptionem sub pane conferre gratiam ipsamque referri in sumptionem vtriusque speciei vt in vnam caussam, quandoquidem ad vnam refectionem vtraque species confert. Et quia cum sequitur vtraque species non censetur absoluta refectio, potest dici gratiam dari post sumptionem vtriusque, quæ data esset si vnica sumeretur, sicut in Baptismo cum adhibetur trina mersio non datur gratia nisi in vltima, cùm tamen post primam detur cum vna sola adhibetur. Neque ideo frustra accipitur calix, non enim est inutile, quod aliquid facit, licet sine eo id fieri potuisset. Id quod patet manifestè in miraculis Domini, is enim, aliquando sola voluntate operabatur miracula, vt quando aquam in vinum conuertit; aliquando voluntate & verbo; vt cum suscitauit Lazarum, aliquando voluntate verbo & contactu & alio instrumento, vt sputo, vt cum cœcum illuminauit. In his omnibus nihil erat inutile & superfluum, quia omnia operabantur, & tamen non omnia erant necessaria, neque maiorem producebant effectum omnia simul, quam vnum aut duo tantùm. Non enim melius reuixit puella, quam Lazarus etiamsi eam & voce appellauit, & manu apprehendit, Lazarum autem solum vocauit. Præterea Sacerdotes non solum non inutiliter sumunt vtramque speciem, quia vtraque vt dixi operatur, sed etiam, quia ea sumptio licet non sit necessaria ex parte sumentis, est tamen necessaria ex parte Sacramenti, nam quia sub duplici specie illud institutum est, vtraque species necessario ab aliquibus sumenda est, sed non necessario ab omnibus, sed à sacrificante idque ob sacrificij perfectionem.

Dices, vtraque species seorsim est diuersum instrumentum & distinctum, ergo distinctam confert gratiam. Antec. patet, nam in pane est solum Corpus Christi non autem sanguis aut anima saltem ex vi consecrationis.

Resp. corpus & sanguinem, non esse duo instrumenta formaliter, sed vnum: instrumenta enim formaliter differunt per diuersam virtutem operatiuam, quæ eadem est in corpore aut sanguine ex coniunctione ad diuinitatem.

Instabis, alius est effectus cibi, alius potus, cibus enim famem sedat, potus sitim extinguit. At Euchar. sub specie panis est cibus, sub specie vini est potus, ergo Euchar. sub vtraque specie plures producit effectus, quàm sub, vna.

Resp. alius est effectus cibi, qui solum est cibus, & alius est potus, qui solùm est potus. At non alius est effectus cibi & potus quando vterque continet vtrumque, qualis est in rebus corporalibus lac quo infantes nutriuntur, est enim ille potus cibalis, qui & sitim & famem sedat, & panis vino vel aqua maceratus, qui est cibus quidem, sed potum continens. Talis igitur est cibus vel potus animarum, vna eadem enim res siue detur sub specie panis, siue sub specie vini, siue vtriusque, & famem & sitim animæ sedat. Nec vlla differentia, nisi in symbolis externis cerni potest, quibus per similitudinem quandam effectus & proprietates alimenti spiritualis explicantur.

QVÆSTIO V.

De causis inductæ Communionis sub vna specie.

IN controuersia de Communione laïca non venit in quæstionem. An Christus sub vtraque specie instituerit sacramentum, vel an id Apostolis sub vtraque porrexerit in Cœna, vel an Ecclesiæ, & Christianis omnibus liberum reliquerit sub vtraque, vel altera sumendi. Hæc enim omnia sunt in confesso. Sed dato quod institutio Eucharistiæ sit in duabus speciebus. An sit præceptum de vtraque sumenda specie hocque etiam concesso, Quæstio est an Ecclesia possit relaxare præceptum Domini, & an ad id iustas habuerit causas.

Ad primum responsio patet ex dictis institutionem exigere dumtaxat, vt Corpus Christi, seu Christum sumamus, qui totus est in vtraque disiunctim specie. Aliud autem est institutio diuina & præceptum, multa sunt à Deo instituta, quæ tamen non sunt omnibus præcepta vt matrimonium, ordo, prædicatio Euangelij, officium baptizandi & similia, non enim ad hæc tenentur omnes, vnde sicut ex institutione matrimonij, non licet colligere præceptum respectu omnium, ita neque ex institutione Communionis sub vtraque specie.

Dices, hæc exempla solum ostendere non omnes teneri ad ea vsurpanda, quæ à Deo sunt instituta, sed si quis tamen velit ea vsurpare tenetur hoc facere secundum diuinam institutionem v. g. si quis velit inire matrimonium,

trimonium, vel baptizare tenetur hoc facere ſecundum diuinam inſtitutionem : pariter ſi quis velit communicare tenetur id facere ſub vtraque ſpecie, quia Chriſtus ſic inſtituit.

Reſpondeo hanc Regulam generatim acceptam ſine dubio eſſe falſam, nam ſi vera eſſet ſequeretur eum qui vellet communicare teneri id facere veſperi poſt ſumptam cœnam, quia ſic Chriſtus inſtituit, ad id autem non teneri concedunt omnes.

Diſtinctione ergo opus eſt. Ea quæ à Deo inſtituuntur ſpectari poſſunt dupliciter primò quo ad ſubſtantialia. Sucundo quo ad accidentalia ad priora tenetur, non ad alia, v. g. modos circumſtantias. Horum autem diſpoſitionem eſſe penes Eccleſiam, quæ diſcretionis & exigentiæ rerum ſpiritum habuit; conſtat exemplis ſingularibus. Primo Eccleſia tempus Communionis mutauit, illa enim non ſolum à Chriſto poſt cœnam inſtituta eſt, vnde Dauid Pſal. 140. dixit. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Quod Cyprian Epiſt. 83. de inſtitutione Sacrificij Euchariſtici exponit, ſed & ab Apoſtolis poſt cœnam celebrata legitur in actis idemque refert Paul 1. Cor. 11. qui inde Euchariſtiam vocat Cœnam. Non ignorauit Eccleſia tempus hoc cœnatorium fuiſſe Myſticum, quo deſignabatur ſubrogatio Euchariſtiæ in locum Agni paſchalis, qui nocte immolabatur ex præſcripto legis : hoc non obſtante Eccleſia cœnam in prandium commutauit, ſeu ientaculum ſpirituale, ad maiorem tanti Sacramenti reuerentiam, & ad vitandas indignitates, quas parere poterat indulgentia cœnæ & crapula, vt plurimum apud plebeios ei annexa. Nec immerito hæc affero hic, qui enim in Concilio Conſtantienſi pro vtraque ſpecie in Communione decertabant. De eodem reſtituendo tempore pro celebratione ſynaxis inſtabant Huſſitæ. Hinc eſt ait Concil. generale, quod declarat, decernit & definit contra hunc errorem, quod licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit, ſub vtraque ſpecie panis & vini hoc venerabile ſacramentum : tamen hoc non obſtante ſacrorum canonum authoritas & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit & ſeruat, quod huiuſmodi ſacramentum, nec conficiatur poſt cœnam, nec ſumatur à non ieiunis niſi in caſu infirmitatis aut alterius neceſſitatis à iure, vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo. Et ſimiliter quod licet in primitiua Eccleſia huiuſmodi ſacramentum acciperetur à fidelibus ſub vtraque ſpecie, tamen hæc conſuetudo ad euitandum aliqua pericula, & ſcandala eſt rationabiliter introducta, quod à conficientibus ſub vtraque ſpecie & laïcis tantum modo ſub ſpecie panis ſuſcipiatur, cum firmiſſime credendum ſit, integrum Chriſti Corpus & Sanguinem tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter contineri. Quapropter pertinaciter aſſerere, quod hanc conſuetudinem & legem obſeruare ſit ſacrilegium aut illicitum, cenſeri debet erroneum & hæreticum.

Item præcipimus ſub excommunicationis pœna, quod nullus Preſbyter communicet populum ſub vtraque ſpecie panis & vini. Hæc Concil. ſeſſ. 13. ex quibus multa intelligit Lector illudque in primis, quod præceſſerat conſuetudo ex authoritate ſacrorum canonum ſpeciem vnicam aſſumendi. Cardinalis Hoſius in dialogo de Communione ſub vtraque ſpecie refert id decretum fuiſſe pro laïcis in Concilio Epheſino celebrato anno Chriſti 430. cuius quædam tantùm fragmenta typis excuſa habemus, vnde non mirum ſi ex actis eius non appareat illud, quod tamen non inficiari eos, qui ſe præciderunt ab Eccleſia Catholica ſcribit, nominatim vero teſtem eius rei profert Vrbanum Regium, qui ſuis in locis Communibes, ita ſe rem habere confeſſus fuerit eo quod, ait, Neſtorius cuius errores Concilium Epheſinum induxerunt, doceret, corpus ſine ſanguine ſub ſpecie, panis, ſanguinem ſine corpore ſub ſpecie vini contineri, vnde ad extirpandam hanc hæreſim ſublatus fuerit illo tempore vſus vtriuſque ſpeciei.

Vnum lego apud eminentiſſimum hunc ſcriptorem, qui in Concilio Tridentino vices egit Romani pontificis; Poloniam ex quo Chriſti fidem, & Euangelium recepit nunquam aliter, quàm ſub vna ſpecie panis communicaſſe. Sed quid immoror in antiquitate talis vſus comprobanda cum tempore Apoſtolorum nonnunquam inualuerit, ad hoc enim panem conſecratum deferebant domi fideles. Hoc inducere potuit, ait Conc. Conſtantienſe, ſacrorum canonum authoritas.

Veniamus ad aliam, quam induxit Eccleſia immutationem. Chriſtus inſtituens Baptiſmi ſacramentum, quod eſt omnium primum & vniuerſale, immerſionem in aquam ſtatuerat, non autem aſperſionem ſeu irrorationem capitis, verba Chriſti Matth. 28. *Baptizantes in nomine Patris, & Filij & ſpiritus,* id eſt ſubmittite aquis & immergite in aquis credentes. Hoc habet & importat verbum Græcum βαπτίζειν, quod non ſignificat aſpergere, ſed in aquas immittere, hinc ad exprimendam ſubmerſionem nauis dicunt ipſam eſſe baptizatam, quare cum Ioannes Baptiſta aut Apoſtoli initiabant credentes, ducebant eos ad ripas fluminum ibique totum corpus eorum aquis immergebant hincque eſt, quod Chriſtus reſpondet Petro alludens ad baptiſmum, quem ſuſceperat, *qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet*, & Paul. Tit. 3. vocat baptiſmum. *Lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti.* Hincque fideles à balneo abſtinebant ea hebdomada, qua baptiſmo initiati erant, vt refert Tertull. lib. de coron, militis cap. 3. idque ad reuerentiam ſacri balnei, ſeu lauacri in quo abluti erant.

Hoc Chriſti præceptum de totali corporis immerſione erat de integritate ſignificationis baptiſmi, per hanc enim ſignificabatur ſepultura Chriſti cum quo per ſimilitudinem hanc externã ſepulturæ in aquis baptiſmi ſe conſepultos proteſtabantur, exiliendo autem ex aquis ſignificabatur reſurrectio Chriſti. Hoc abunde habetur in epiſtolis Pauli Rom. 6. Coloſſ. 6. *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum* vnde Baſil. lib. de bapt. docet. *Baptiſmum eſſe ſimilitudinem crucis, mortis, ſepulturæ, nec non & reſurrectionis mortuorum.*

Hæc ergo immerſio à Chriſto Domino inſtituta & primis temporibus accuratè obſeruata à qua ſolos infirmos in extremis conſtitutos

diſpenſatos Cyprianus ſuo tempore ſcribit, boſque ſolos aſperſione baptiſatos, & ideo clynicos dictos, ſeu in lecto initiatos κλίνη, enim id eſt lectus, hæc inquam immerſio, quæ trina fieri ſolebat immutata fuit ab Eccleſia, ob incommoda quædam inde oriri ſolita, periculum videlicet infantium, & verecundiam mulierum, quæ nuditatem vix ferebant in ſuſcipiendo baptiſmate, vt ex fuga aliquot initiandarum ſabbatho ſancto ob improuiſum, & tumultuoſum militum ingreſſum in Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſcripſit Chryſoſtomus ad Innocentium Epiſt. 1. Cur quæſo eadem Eccleſia fidelis myſteriorum Dei diſpenſatrix Euchariſtiæ ſacramentum ad vnam ſpeciem pro laïca Communione iuſtas ob cauſas reducere, non poterit, cum in vtraque totus Chriſtus & fructus ſpiritualis habeatur.

Septem occurrerunt cauſæ ob quas interdixit communem vſum calicis. Prima, quia Chriſtus ſæpius meminit de hoc Sacramento, & loquitur de vna tantum ſpecie, veluti. *Qui manducat ex hoc pane viuet in aeternum.* Secunda, quia maximè cauendum erat ne Sanguis Domini in terram effunderetur, quod difficillimè poteſt vitari, vbi magnæ multitudini miniſtrari oportet, vnde Cyrillus Hieroſolytamus Catech. 5. *Quaſi iacturam membri corporis tui reputa ſi quid pretioſi ſanguinis effuderis in terram.*

Et Chryſoſtomus citatus habet pro monſtruoſo ſcandalo, quod irruentes Arcadij Imperatoris milites in Eccleſiam Sacratiſſimum Sanguinem Chriſti effuderint hocque veſtes eorum aſperſæ fuerint.

Tertia, cùm Sacra Euchariſtia pro ægrotis ſemper debeat eſſe parata ſi oporteret illos ſub vtraque ſpecie communicare neceſſe fuiſſet diutius ſeruare ſpecies vini ex quo ſæpe fieret, vt aceſceret, quod irreuerentiam grauem inferret Sacramento.

Quarta, multi ita abhorrent à vino, vt nequidem odorem eius ferre poſſint eoque delibato incitantur ad vomitum. Alij non abhorrent quidem, ſed quia febri laborant vinum etiam modicum eiuſque odoratus illis interdicitur, quare ne ſacramentum ſalutis ſpiritualis eſſet nocumento ſaluti corporis, ſancita eſt Communio ſub vna ſpecie panis.

Quinta, in pluribus prouinciis ſumma vini penuria laboratur, quod non ſine maximis impenſis laboribus, & corruptionis periculis conduci poteſt. A Coſta lib. 4. capite 4. teſtatur ampullulam vini trecentis aureis in boreali prouincia diuenditam fuiſſe, non decuit autem fideles aliquos qui ſunt de grege Domini communicare, vno modo alios alio, quare ſancitum eſt opportune, vt communicatio ſub vna ſpecie in vſum adduceretur.

Sexta & præcipua ratio eſt, vt veritas fidei catholicæ magis aſſereretur, & quaſi ob oculos credentium poneretur oſtendendo, quod totus Chriſtus eſt ſub vtraque ſpecie.

Septima, vt hæreſis illa conuelleretur, quæ pertinaciter aſſerit corpus eſſe ſine ſanguine & exanime ſub ſpecie panis.

Addo ego octauam vt fideles inſtituerentur in fide & adminiſtratione ſanctæ matris Eccleſiæ humiliter requieſcere.

Dices, non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum nunquid præuidit Chriſtus allegata incommoda? an vſque ad tempus Concil. Conſtanr. 1417. ſancientis Communionem laïcam in ordinata fuit Eccleſia, & ſpiritus ſancti directione deſtituta? Num indixit Chriſtus vtramque ſpeciem, niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem.

Reſpondeo nihil ignotum Chriſto, ſed ſatis fuiſſe eſſentialia ſacramentorum indiſpenſabilia effeciſſe, reliqua diſpoſitioni Eccleſiæ reliquit, quæ ex ſuggeſtione ſpiritus Dei leges opportune pro tempore ſancit. Vſus Sacramenti ſeu Communio, non eſt ipſa eſſentia Euchariſtiæ, cum ſit ipſa poſterior ſitque actio tranſiens, Euchariſtia autem res permanens.

Eſto vtraque ſpecies vſurpata fuerit ad hæc vſque tempora, ſi velis, (Hanc enim Eccleſia, vel Papa cuilibet concedere poteſt cum expedire iudicauerit) ſat ſuperque declarauit Chriſtus præceptum hoc quod vtramque ſpeciem exprimebat adimpleri in ſola Communione panis, cum poſt illud edictum, *Niſi manducaueritis & biberitis*, ſubiunxerit, *qui manducat hunc panem viuet in aternum.*

Dices, vis præcepti conſiſtit non ſolum in manducatione Corporis Chriſti, ſed etiam in modo manducandi & bibendi ſub tali & tali ſpecie, quæ exprimitur.

Reſpondet Concilium Tridentinum non inde colligi, præceptam eſſe Communionem ſub vtraque ſpecie, vtcumque ſermo ille Ioann. 6. iuxta varias Patrum ſententias intelligatur. Nam qui dixit, *Niſi manducaueritis & biberit* dixi quoque, *ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet.* Et qui dixit, *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem*, dixit etiam, *panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*, & denique qui dixit, *qui manducat meam carnem & bibit*, &c. in me manet dixit nihilominus, *qui manducat hunc panem viuet in aeternum.* Itaque Chriſtus non facit vim in modo iſto ſumendi ſanguinem ſub ſpecie potus, nam ſolum intendit vt ſumatur eo modo quo opus eſt, vt habeatur vita ſpiritualis, hoc autem modo ſumitur quando, ſumitur ſub ſpecie panis, quandoquidem dixit, *qui manducat hunc panem viuet in aeternum*, & vita ſpiritualis proprie & præcipuè pendet non à ſpeciebus, ſed ab illo qui ſub iis continetur: nihilominus quia naturaliter caro manducatur ſub ratione cibi & ſanguis propriè bibitur, & ſumitur ſub ratione potus, placuit ei inter loquendum accommodare ſe ſe eiuſmodi naturali & conſuetæ rationi, & ſanguinis ſumptionem exprimere per bibitionem.

Nec dicas inurbanitatem maximam eſſe porrigere panem ſine potu ad refectionem.

Reſpondeo enim ea, quæ dantur ad refectionem ſpiritualem habere cibi potuſque rationem

tationem ſicut eſuriri & ſitiri dicuntur, eſto aliqua externam ſpeciem habeant cibi non potus, alia contra, nec Deus cum manna dedit ſine potu, nec Chriſtus cum panibus & piſcibus multitudinem ſatiauit ſine potu inurbanus aut parum munificus dici poteſt, quia potus ſatis ſupplebatur virtute diuina his cibis eximiis, qui vt figuræ quædam fuerunt Euchar. tacitè indicarunt eam ſub vnica potius ſpecie quàm ſub duabus populo diſpenſandam.

Inſtabis, edictum eſſe Dei quo omnes de iure diuino teneantur ad vtramque ſpeciem Matth. 26. *bibite ex eo omnes.*

Reſpondeo dictum ſolis Apoſtolis vt patet ex Marc. 14. *& biberunt ex eo omnes*, qui replicauit *omnes*, vt ſignificaret omnes bibiſſe, qui iuſſi erant bibere.

Vrgent Lutherani. non ſine Myſterio Dominum non dixiſſe, *Manducate ex eo omnes ſicut dixit bibite ex eo omnes*, Nimirum præuidebat futuros, qui dicerent panem omnibus dandum, calicem non item.

Reſpondeo dictum etiam *manducate ex eo omnes*, id tenet Eccleſia ex traditione, ideò canoni inſeruit hæcque refert Ambroſius libro 4. de Sacramento capite 5. Eſto autem non dixerit, ratio cur de calice adiunxerit *bibite ex eo omnes*, eſt in promptu, Dominus enim Panem fregit & vnicuique partem ſuam dedit, non autem panem integrum dedit quem inter ſe diuiderent, ideo non fuit neceſſe dicere, *Manducate ex eo omnes.* At calicem vnum & eundem dedit, quem Beda libro de locis ſanctis aſſerit fuiſſe argenteum, hinc inde duas habentem anſulas & ſextarij Gallici menſuram capientem ſuo adhuc tempore Hieroſolymis ſumma induſtria aſſeruatum: dedit, inquam, vt ex eodem biberent omnes. Dixit igitur *bibite ex eo omnes*, vt intelligeret primus, non totum ſibi exhauriendum, ſed tantum relinquendum quod omnibus ſufficeret.





DE LEGE DIVINA SEV Decalogo.



CVM luculenter iam constet Christianos teneri ad obseruantiam legis diuinæ, quæ communiter Decalogus dicitur, & præterea obligari ad præcepta sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ipsos regenerauit in Christo & de suo nomine Catholicos dixit, Operæ pretium est ea breuiter & dilucidè exponere. Vtraque autem sub nomine decalogi, veteris scilicet & noui, siue diuini & Ecclesiastici. Nam primò quem Iudæis Deus imposuit Exodi 20. innouato confirmato & promulgato à Christo summo legislatore in varijs Euangelij locis Matth. 19. Marci 10. & Luc. 18. Ecclesia Catholica alium adiunxit, non ad iugum quod portare non possimus sed ad Diuini Decalogi pleniorem obseruantiam, qui vt ait S. August. est summa & epitome omniū legum, & S. Thom. est prima regula omnium actuum humanorum, omnia vitia prohibens & virtutes omnes præcipiens Huic Christus in tota vita sua subditus factus est: illi omnes suas actiones conformauit & in passione singulas illius transgressiones hominum expiauit. Hac lege Iudex ipse viuorum & mortuorum Christus in die obitus cuiusque vtitur, vt sententiam ferat particularem. Eadem in die iudicij vtetur ad generalem sententiam de omnibus proferendam. In hac lege præscribitur quicquid homines facere & omittere debent vt pœnas æternas euadant, & vitam æternam consequantur. In hoc Decalogo omnes leges humanæ tam Ciuiles quàm Canonicæ sunt fundatæ, ab illo deriuatæ, & ad eiusdem obseruantiam destinatæ, imo forma ipsa Professionis Catholicæ, cui exponendæ incumbimus tota in Decalogo includitur, qui tanta breuitate hoc est decem verbis vt vox Decalogi sonat & res ipsa docet à Deo ipso datus est vt quadraginta ipsius Articuli in quos distribuitur vix sufficiant ad plenam decem præceptorum explanationem. De his ergo, prout à Christo Domino explicata & Christianismo inserta & imposita sunt agere intendo, quod vt facilius exequar duo præsertim circa vnumquodque præceptum demonstrabo. Primum quid in illo præcipiatur, aut prohibeatur. Secundum quot modis in illud peccetur his vero omnibus præfigenda est.

QVÆSTIO PRIMA.

De Decalogo in genere

VT habeatur plena cognitio rei alicuius explicari debent quatuor causæ quæ communiter concurrere dicuntur ad omnia, quasque in tractatu de Sacramentis methodo singulari percurrimus.

Causa efficiens Decalogi est Deus ipse in veteri Testamento & Christus in nouo. Deus enim pro sūma sua in homines authoritate & supremo Dominio legem aliquam & aliqua præcepta in quolibet eorum statu eis iniunxit.

Si statum Innocentiæ consideres inuenies speciale præceptum de non edendo fructu scientiæ boni & mali, nempe Deus voluit se hominis Dominum ostendere voluitque vt homo se agnosceret creatum seruum ad obtemperandum Domino. *Non erat autem* inquit August. in Genesim. *Vnde se homo habere Dominum cogitaret nisi & aliquid ei iuberetur & aliquid prohiberetur.* Et ita voluit eius & fidelitatem & obedientiam præcepto experiri. Nec non & ostendere hominem esse liberi arbitrij, qui posset transgredi præceptum vel adimplere, bonum facere vel omittere, alioqui si libertate caruisset homo non oportuisset ei legem ponere pœnamque minari si transgrediatur, vnde S. Aug. in Enchir. cap. 14. sic dicit.

dicit. *Oportuit sic hominem primus fieri ut bene velle posses & male, nec gratis si bene, & nec impunè si male. Postea vero sic erit vt malè velle non possit, sicut Beati qui in bono sunt confirmati, aut sicut damnati in malo confirmati vt non possint velle bonum.*

Præter illud vero præceptum quod erat positiuum, habebat homo in statu innocentiæ legem naturalem menti insitam ab ipsa creatione de qua non incongruè potest illud Psal. 4. intelligi. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* quia lex illa est quoddam lumen à Patre luminum dirigens hominem in his quæ agenda sunt & vitanda cuius ductum si sequatur homo non aberrat.

Habuit quoque ab initio legem supernaturalem fidei, spei & charitatis per quam ad finem supernaturalem, ad fœlicitatem æternam dirigeretur. Et facile ei iucundumque fuisset in illo primæuo statu iuxta has leges agere earumque directionem sequi, si voluisset, quia adhuc integer erat, & incorruptus concupiscentia non obluctante.

Verùm post peccatum Adæ primò perinde inualescente concupiscentia, inundantibus prauis motibus, & diuturna peruersitate hominum dominante cùm lex naturalis & supernaturalis,& lux diuina secundùm illas dirigens obscurata foret, populo ad idola, ad carnis vitia, ad innumera corruptæ naturæ peccata defluente, oportuit hanc Decalogi legem legis naturalis præcepta renouantem & explicatiùs proponentem, populo promulgari, vnde vt sui timorem legisq; huius rigidam obseruationem fortiùs fidelium cordibus Deus imprimeret miras terrificasque cæremonias in eius promulgatione & acceptatione voluit obseruari, vt videre est Exodi 19. & 20. Nec satis fuit supremo creatori per Angelum Vicarium suum voce tubali de summitate montis Sinaï qui Horeb. nuncupatur articulatim promulgasse decem præcepta quæ à toto populo seu plusquam à tribus millionibus hominum distinctè audita & concepta fuerant. Hæc digito suo in tabulis lapideis scripsit hasque in testimonium & memoriale sempiternum iussit in Arca fœderis collocari, quod incunctanter fecisse Mosem patet ex lib. 3. Reg. cap. 8. *In Arca autem non erat aliud nisi duæ Tabulæ lapideæ quas posuerat in ea Moyses in Horeb. quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel.* Legimus autem in lib. 2. Machanæorum cap. 2. Hieremiam abscondisse tabernaculum. Arcam & altare incensi in spelunca montis Sinai quando Babylonij sanctam ciuitatem & templum Salomonis deuastarunt, & prophetasse quòd locus foret ignotus. *Donec congreget Dominus populum suum,* id est vt exponit Isaias cap. 10. *Cum reliquiæ Israelis conuertentur ad Deum,* seu vt vulgò creditur in fine mundi, hæc annotasse indigitabit quàm difficile sit nosse veram & germanam distinctionem decem præceptorum in his tabulis, quare cum Ecclesia indefinitam reliquerit. Multi disconueniunt in modo distinctionis Præceptorum, etsi in numero quem nomen Decalogi importat conueniunt omnesque duas admittant tabulas iuxta duplex obiectum, Deum scilicet & proximum circa quod hæc præcepta diuina versabantur.

Principium & finis Decalogi materiam controuersiæ ingerunt quia plura habent quæ vel vnum aut diuersa possunt facere præcepta Hebræi, & ab ipsis Iosephus Philo, Origenes. Athanas Procopius,omnia quæ spectant ad concupiscentiam contrahunt in vnum præceptum quod est vltimum, primum autem in duo partiuntur sicque ordinant Primam tabulam.

1 *Non habebis Deos alienos coram me.*

2 *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem,non adorabis ea neque coles, ego Deus Zelotes &c.*

3 *Non assumes nomen Dei tui in vanum*

4 *Memento vt diem Sabbathi sanctifices, sex diebus operaberis, septimum autem Sabbathum Domini Dei tui est.*

Secundam tabulam sic dispositam volunt.

5 *Honora patrem tuum & matrem tuam vt sis longæuus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

6 *Non occides.*

7 *Non mœchaberis.*

8 *Non furtum facies.*

9 *Non loqueris contra proximum falsum testimonium.*

10 *Non concupisces domum proximi tui nec desiderabis vxorem eius,non seruum,nec omnia quæ illius sunt.*

Alij vero cum S. Augustino quæst. 71. hic & epistola 119. cap. 11. Hieron. in Psal. 32. Clemente Alexand.lib. 6. stromatum & communiter Scholastici in 3. dist. 37. duo priora præcepta contrahunt in vnum cùm non sint nisi plenior vnius & eiusdem rei explicatio. Præceptum autem de non concupiscendo diuidunt in duas partes, quarum vna quæ constituit nonum præceptum vetet concupiscentiam in rebus venereis, altera verò quæ decimum constituit vetet concupiscentiam in aliis rebus externis: hæc enim duo toto genere inter se differunt, constituuntque peccata inter se omnino distincta, ac proinde non minus in actibus internis vetari debent duplici præcepto, quàm in actibus externis duplici præcepto vetetur furtum & impudicitia, ita vt præcepto non mœchaberis respondeat præceptum Non concupisces vxorem proximi tui & præcepto Non furtum facies respondeat præceptum non concupisces rem proximi tui, vnum enim pertinet ad materiam Temperantiæ, alterum ad materiam iustitiæ.

Priorem diuisionem auidissimè sequuntur moderni Iconoclastæ vt demonstrent verbis illis. *Non facies tibi sculptile* aliquid aliud vetari quàm illis. *Non habebis Deos alienos coram me,* adeoque non tantum adorationem,sed & confectionem imaginum esse vetitam Hoc tamen concesso nihil concluditur contra Catholicum vsu imaginum, nam Hebræa vox *pesel* à verbo *Pasal* id est sculpere,dolare,nunquam vsurpatur à scriptura quam pro idolis aut statuis idololatricis vel earum ornatu. Tum pro sculptile Septuaginta habent εἴδωλον atque ita citant Patres communiter, Origenes, Cyprian. Hieron. Theodoretus,de idolo autem 1. Cor. dicitur. *Scimus quia idolum nihil est in mundo* hinc Concil. Nicænum 2. recipiens & venerari mandans imagines hæc habet. *His*

DE LEGE DIVINA SEV Decalogo.



VM luculenter iam constet Christianos teneri ad obseruantiam legis diuinæ, quæ communiter Decalogus dicitur, & præterea obligari ad præcepta sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ipsos regenerauit in Christo & de suo nomine Catholicos dixit, Operæ pretium est ea breuiter & dilucidè exponere. Vtraque autem sub nomine decalogi, veteris scilicet & noui, siue diuini & Ecclesiastici. Nam primò quem Iudæis Deus imposuit Exodi 20. innouato confirmato & promulgato à Christo summo legislatore in varijs Euangelij locis Matth. 19. Marci 10. & Luc. 18. Ecclesia Catholica alium adiunxit, non ad iugum quod portare non possimus sed ad Diuini Decalogi pleniorem obseruantiam, qui vt ait S. August. est summa & epitome omniũ legum, & S. Thom. est prima regula omnium actuum humanorum, omnia vitia prohibens & virtutes omnes præcipiens Huic Christus in tota vita sua subditus factus est: illi omnes suas actiones conformauit & in passione singulas illius transgressiones hominum expiauit. Hac lege Iudex ipse viuorum & mortuorum Christus in die obitus cuiusque vtitur, vt sententiam ferat particularem. Eadem in die iudicij vtetur ad generalem sententiam de omnibus proferendam. In hac lege præscribitur quicquid homines facere & omittere debent vt pœnas æternas euadant, & vitam æternam consequantur. In hoc Decalogo omnes leges humanæ tam Ciuiles quàm Canonicæ sunt funaatæ, ab illo deriuatæ, & ad eiusdem obseruantiam destinatæ, imo forma ipsa Professionis Catholicæ, cui exponendæ incumbimus tota in Decalogo includitur, qui tanta breuitate hoc est decem verbis vt vox Decalogi sonat & res ipsa docet à Deo ipso datus est vt quadraginta ipsius Articuli in quos distribuitur vix sufficiant ad plenam decem præceptorum explanationem. De his ergo, prout à Christo Domino explicata & Christianismo inserta & imposita sunt agere intendo, quod vt facilius exequar duo præsertim circa vnumquodque præceptum demonstrabo. Primum quid in illo præcipiatur, aut probibeatur. Secundum quot modis in illud peccetur his vero omnibus præfigenda est.

QVÆSTIO PRIMA.

De Decalogo in genere

VT habeatur plena cognitio rei alicuius explicari debent quatuor causæ quæ communiter concurrere dicuntur ad omnia, quasque in tractatu de Sacramentis methodo singulari percurrimus.

Causa efficiens Decalogi est Deus ipse in veteri Testamento & Christus in nouo. Deus enim pro sũma sua in homines authoritate & supremo Dominio legem aliquam & aliqua præcepta in quolibet eorum statu eis iniunxit.

Si statum Innocentiæ consideres inuenies speciale præceptum de non edendo fructu scientiæ boni & mali, nempe Deus voluit se hominis Dominum ostendere voluitque vt homo se agnosceret creatum seruum ad obtemperandum Domino. *Non erat autem* inquit August. in Genesim. *Vnde se homo habere Dominum cogitaret nisi & aliquid ei iuberetur & aliquid prohiberetur.* Et ita voluit eius & fidelitatem & obedientiam præcepto experiri. Nec non & ostendere hominem esse liberi arbitrij, qui posset transgredi præceptum vel adimplere, bonum facere vel omittere, alioqui si libertate caruisset homo non oportuisset ei legem ponere pœnamque minari si transgrediatur, vnde S. Aug. in Enchir. cap. 14. sic dicit.

dicit. *Oportuit sic hominem primu fieri vt bene velle posset & male, nec gratis si bene, & nec impune si male. Postea vero sic erit vt malè velle non possit, sicut Beati qui in bono sunt confirmati, aut sicut damnati in malo confirmati vt non possint velle bonum.*

Præter illud vero præceptum quod erat positiuum, habebat homo in statu innocentiæ legem naturalem menti insitam ab ipsa creatione de qua non incongruè potest illud Psal. 4. intelligi. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* quia lex illa est quoddam lumen à Patre luminum dirigens hominem in his quæ agenda sunt & vitanda cuius ductum si sequatur homo non aberrat.

Habuit quoque ab initio legem supernaturalem fidei, spei & charitatis per quam ad finem supernaturalem, ad fælicitatem æternam dirigeretur. Et facile ei iucundumque fuisset in illo primæuo statu iuxta has leges agere earumque directionem sequi, si voluisset, quia adhuc integer erat, & incorruptus concupiscentia non obluctante.

Verùm post peccatum Adæ primò perinde inualescente concupiscentia, inundantibus prauis moribus, & diuturna peruersitate hominum dominante cùm lex naturalis & supernaturalis,& lux diuina secundùm illas dirigens obscurata foret, populo ad idola, ad carnis vitia, ad innumera corruptæ naturæ peccata defluente, oportuit hanc Decalogi legem legis naturalis præcepta renouantem & explicatiùs proponentem, populo promulgari, vnde vt sui timorem legisq; huius rigidam obseruationem fortiùs fidelium cordibus Deus imprimeret miras terrificasque cæremonias in eius promulgatione & acceptatione voluit obseruari,vt videre est Exodi 19. & 20. Nec satis fuit supremo creatori per Angelum Vicarium suum voce tubali de summitate montis Sinaï qui Horeb. nunçupatur articulatim promulgasse decem præcepta quæ à toto populo seu plusquam à tribus millionibus hominum distinctè audita & concepta fuerant. Hæc digito suo in tabulis lapideis scripsit hasque in testimonium & memoriale sempiternum iussit in Arca fœderis collocari, quod incunctanter fecisse Mosem patet ex lib. 3. Reg. cap. 8. *In Arca autem non erat aliud nisi duæ Tabulæ lapideæ quas posuerat in ea Moyses in Horeb. quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel.* Legimus autem in lib. 2. Machabæorum cap. 2. Hieremiam abscondisse tabernaculum. Arcam & altare incensi in spelunca montis Sinai quando Babylonij sanctam ciuitatem & templum Salomonis deuastarunt, & prophetasse quòd locus foret ignotus. *Donec congreget Dominus populum suum,* id est vt exponit Isaias cap. 10. *Cum reliquiæ Israelis conuertentur ad Deum,* seu vt vulgò creditur in fine mundi, hæc annotasse indigitabit quàm difficile sit nosse veram & germanam distinctionem decem præceptorum in his tabulis, quare cum Ecclesia indefinitam reliquerit. Multi disconueniunt in modo distinctionis Præceptorum, etsi in numero quem nomen Decalogi importat conueniunt omnesque duas admittant tabulas iuxta duplex obiectum, Deum scilicet & proximum circa quod hæc præcepta diuina versabantur.

Principium & finis Decalogi materiam controuersiæ ingerunt quia plura habent quæ vel vnum aut diuersa possunt facere præcepta Hebræi, & ab ipsis Iosephus Philo, Origenes. Athanas Procopius,omnia quæ spectant ad concupiscentiam contrahunt in vnum præceptum quod est vltimum, primum autem in duo partiuntur sicque ordinant Primam tabulam.

1 *Non habebis Deos alienos coram me.*

2 *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem,non adorabis ea neque coles, ego Deus Zelotes &c.*

3 *Non assumes nomen Dei tui in vanum*

4 *Memento vt diem Sabbathi sanctifices, sex diebus operaberis, septimum autem Sabbathum Domini Dei tui est.*

Secundam tabulam sic dispositam volunt.

5 *Honora patrem tuum & matrem tuam vt sis longæuus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

6 *Non occides.*

7 *Non mœchaberis.*

8 *Non furtum facies.*

9 *Non loqueris contra proximum falsum testimonium.*

10 *Non concupisces domum proximi tui nec desiderabis vxorem eius,non seruum,nec omnia quæ illius sunt.*

Alij vero cum S. Augustino quæst. 71. hic & epistola 119. cap. 11. Hieron. in Psal. 32. Clemente Alexand.lib. 6. stromatum & communiter Scholastici in 3. dist. 37. duo priora præcepta contrahunt in vnum cùm non sint nisi plenior vnius & eiusdem rei explicatio. Præceptum autem de non concupiscendo diuidunt in duas partes, quarum vna quæ constituit nonum præceptum vetet concupiscentiam in rebus venereis, altera verò quæ decimum constituit vetet concupiscentiam in aliis rebus externis: hæc enim duo toto genere inter se differunt, constituuntque peccata inter se omnino distincta, ac proinde non minus in actibus internis vetari debent duplici præcepto, quàm in actibus externis duplici præcepto vetetur furtum & impudicitia, ita vt præcepto non mœchaberis respondeat præceptum Non concupisces vxorem proximi tui & præcepto Non furtum facies respondeat præceptum non concupisces rem proximi tui, vnum enim pertinet ad materiam Temperantiæ, alterum ad materiam iustitiæ.

Priorem diuisionem auidissimè sequuntur moderni Iconoclastæ vt demonstrent verbis illis. *Non facies tibi sculptile* aliquid aliud ve-tari quàm illis. *Non habebis Deos alienos coram me,* adeoque non tantum adorationem,sed & confectionem imaginum esse vetitam Hoc tamen concesso nihil concluditur contra Catholicum vsu imaginum, nam Hebræa vox *pesel* à verbo *Pasal* id est sculpere,dolare,nunquam vsurpatur à scriptura quam pro idolis aut statuis idololatricis vel earum ornatu. Tum pro sculptile Septuaginta habent εἴδωλον atque ita citant Patres communiter, Origenes, Cyprian. Hieron. Theodoretus,de idolo autem 1. Cor. dicitur. *Scimus quia idolum nihil est in mundo* hinc Concil. Nicænum 2. recipiens & venerari mandans imagines hæc habet. *His*

qui venerandas imagines idola appellant, anathema: his qui dicunt quod Christiani imagines vt Deos adorant Anathema.

Quod autem hic non prohibeatur fabricatio extra latriam & possint licitè confici imagines aut pro ornatu, aut pro doctrina patet, nam artes pictoriæ, sculptoriæ &c. non sunt prohibitæ, ergo neque obiectum & subiectum earum, Deus enim infudit artes istas in eminenti gradu Ooliab & Beseleel iisque vti iussit ad Cherubim effigiandos, eademque vti voluit Mosem in serpente æneo efformando Numer. 21.

Si ergo determinatum aliquod sculptilis genus tantùm vetuit, vnde illa determinatio petatur meliùs quàm ex verbis immediatè præcedentibus, videlicet vt sic accipiamus. *Non facies tibi sculptile* id est sculptiles Deos alienos. Idipsum significat vox *tibi* cum ait. *Non facies tibi sculptile.* Quod scilicet tibi sit instar Dei & idoli. Idem significat id quod sequitur. *Non adorabis ea neque coles*, quæ ea? nisi sculptilia, hæc enim sola adorantur, ita Caietan. Sed de his proprio de imaginibus articulo.

Causa materialis Decalogi triplex assignatur, tria enim sunt materia illius, aliqua sunt materia remota, alia minus remota, quædam proxima materia notantur.

Materia remota sunt omnes homines, omnes potentiæ & passiones & partes & sensus illorum; nullus enim homo est, nulla pars hominis est cui Decalogus tanquam regula à Deo datus non sit. Materia vero minus remota sunt actiones hominum quæcumque illæ sint, siue corporis siue animæ, siue cordis oris aut operis has enim regulat Decalogus. Materia proxima sunt omnes virtutes & vitia omnia quæ in humanis actionibus reperiuntur, Decalogus enim omnes præcipit virtutes & vitia prohibet quæcumque illa sint. Hæc autem triplex materia ita subordinata est, quia lex diuina regulat homines, sed id quod in eis regulat sunt actiones, & quod in actionibus regulat sunt virtutes & vitia, & ideo istæ materia proxima dictæ sunt.

Qværes, vbi in Decalogo detur præceptum de virtutibus Theologicis.

Respondeo in tribus primis præceptis sed præcipue in Primo: In his enim circa cultum Dei regula data est, ideo omnes virtutes Theologicæ præcepta, & vitia illis opposita prohibita sunt, Charitas vero in toto Decalogo ordinata est.

Vbi præcipiuntur Virtutes Cardinales.

Respondeo in singulis præceptis, dum enim Deus præcipit aliquem actum, ostendit iustitiam illius præcipitque abstinendum à vitio opposito, imperat fortitudinem in exequendo & ordinat prudentiam, nempe vt opportunè & pro loco ac tempore fiat.

Vbi datur præceptum de operibus misericordiæ spiritualibus & corporalibus?

Respondeo in quinto præcepto, in ipso enim præcipitur vt per dicta opera mors vel animæ vel corporis proximi impediatur.

Vbi prohibentur septem vitia capitalia.

Respondeo, superbia prohibetur in omnibus quia singula præcepta obedientiam imperant, hæc autem soror est humilitatis & inimica superbiæ. Auaritia in septimo & nono. Luxuria & Gula in sexto & decimo. Ira & Inuidia in quinto & octauo. Accidia in omnibus prohibita est. Hæc in singulorum præceptorum elucidatione sigillatim ostendentur.

Causa formalis Decalogi est eius ratio vel modus tum directiuus tum præceptiuus, tum obligatiuus quo lex ista à Deo data est, obligat enim sub ratione culpæ & pœnæ, transgressor enim alicuius ex istis decem præceptis non solum amittit gratiam & amicitiam Dei, sed etiam incurrit odium capitale illius, vnde iustè infligitur ei pœna priuationis æternæ fælicitatis & pœna sensus seu ignis æterni.

Causa finalis Decalogi est regulatio actionum hominis & illius ad finem vltimum seu creatoris sui possessionem directio. Nam sicut ad Dei prouidentiam spectabat ordinare hominem ad aliquem finem, ita eiusdem erat illum dirigere & adiuuare ad propositum finem, quare non satis fuit Deo optimo maximo legem naturalem naturæ humanæ inserere, & per scripturam refricare & quasi renouare, nisi etiam cor hominis per gratiam illustraret, & quasi dilataret ad faciliorem præceptorum obseruantiam, & copiosiorem inde fructum temporalem & æternum consequendum.

Dic si velis finem & intentum Decalogi esse bonum omne ad quod hominem dirigit, est autem triplex bonum, diuinum, publicum & priuatum, tria autem præcepta primæ Tabulæ dirigunt homines ad bonum diuinum: præceptum autem secundæ tabulæ dirigit ad publicum & reliqua ad bonum priuatum.

Qværes, *Cur circa bonum diuinum seu cultum Dei tria sint data præcepta!*

Respondeo quia iustum erat vt in cultu Dei totus homo id est cor, lingua & manus eius occuparetur, ideo conueniens fuit vt tria darentur præcepta, primum cordi, secundum ori, tertium exteriori.

Cur circa bonum publicum seu quod populis est commune & in tribus consistere dicitur, in bonis legibus, bonis magistratibus & bono populo legum obseruante vnicum est præceptum.

Respondeo quia illud vt dicitur sufficiens est.

Cur de bono priuato sex extant mandata.

Respondeo prænotandum quatuor esse bona priuata, animæ, corporis, famæ, & fortunæ seu facultatis temporalis. Item quòd dicta bona quatuor modis possunt vel amari, vel offendi, nempe corde, ore, & opere. Cum ergo Deus vellet præcipere vt omnia dicta bona diligerentur & omni modo nempe corde, ore, & opere, sex dedit præcepta, tria de dilectione operis, vnum de dilectione linguæ, duo de cordis amore. Quintum & sextum & septimum data sunt de Opere, quintum enim præcipit ne quis occidat seu offendat, imò vt diligat opere ipso, tum animam tum corpus sui, ac proximorum. Sextum vetat ne quis opere inordinato diligat aut seipsum aut proximum. Septimum ne quis offendat famam aut fortunam proximi sui. Octauum præceptum linguam diligit & dirigit, vetat enim ne lingua

lingua proximum lædat duo vltima cordis concupiscentiam frænant. Sic totus dirigitur & perficitur homo per decem præcepta quæ si medullitus considerentur, duplicia videbuntur, & in viginti excrescent, nam quodlibet constat ex duabus partibus, quarum vna est affirmatiua quæ præcipit actum virtutis; altera negatiua quæ vitium dictæ virtuti oppositum omnino excludit. Certum siquidem est ex Philosopho quod in affirmatione virtualiter continetur negatio & in negatione affirmatio, veluti in hac affirmatione. *Dies est*, continetur hæc negatio. *Non est nox*, & in hac negatione. *Modò non est dies* continetur hæc affirmatio. *Modò nox est.* Sic igitur in præceptis est, si præceptum dicit negationem. *Ne offendas* virtualiter in tali negatione continetur affirmatio, nempe. *Diligas* & si dicit. *Diligas* virtualiter dicit. *Ne offendas* sic igitur præcepta sunt intelligenda.

Addo causæ finali legis diuinæ virtutes & vitia includi, illas vt acquirendas, hæc vt fugienda sic lex Dei perfecta est, & hominem perfectum facit directione sua.

Decalogi sufficientiam explicat S. Tho. prima secundæ quæst. 100. Sicut præcepta inquit legis humanæ ordinant hominem ad quandam communitatem humanam, ita præcepta legis diuinæ ordinant eum ad quandam communitatem seu Rempublicam sub Deo. Ad hoc autem quod quis in aliqua communitate bene commoretur duo requiruntur, quorum primum est vt bene se habeat ad eum qui præest communitati. Aliud autem est vt bene se habeat ad alios communitatis consocios & comparticipes.

Oportet igitur quod in lege diuina primò ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum, & inde alia quædam ad alios proximos simul conuenientes sub Deo, Principi autem communitatis tria debet homo 1. fidelitatem 2. reuerentiam 3. famulatum, fidelitas quidem ad Dominum in hoc consistit vt honorem principatus ad alium non deferat & quantum ad hoc accipitur primum præceptum cum dicitur. *Non habebis Deos alienos.* Reuerentia autem ad Dominum requiritur vt nihil iniuriosum in eum committatur, & quantum ad hoc accipitur secundum præceptum. *Non assumes nomen Domini tui in vanum*, famulatus autem debetur Domino in compensationem beneficiorum quæ ab ipso percipiunt subditi & ad hoc pertinet sanctificatio Sabbathi in memoriam Creationis rerum.

Ad proximos autem aliquis se bene habet & specialiter & generaliter, specialiter quidem quantum ad illos quibus est debitor vt eis debitum reddat & quantum ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum, generaliter autem quantum ad omnes, vt nulli nocumentum inferatur neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo quandoque in propria persona quantum ad consistentiam personæ, & hoc prohibetur per hoc quod dicitur. *Non occides.* Quandoque autem in persona coniuncta quantum ad propagationem prolis idque prohibetur cum dicitur. *Non mœchaberis.* Quandoque autem in rem possessam quæ ordinatur ad vtrumque, & ideo dicitur. *Non furtum facies.* Oris nocumentum vetatur cum dicitur, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Nocumentum autem cordis prohibetur cùm dicitur. *Non concupisces.* Et secundùm hanc differentiam possent distingui tria præcepta ordinantia in Deum, quorum primum pertinet ad opus vnde habetur. *Non facies tibi sculptile.* Secundum ad os. *Non assumes nomen Domini in vanum.* Tertium pertinet ad cor, quia in sanctificatione Sabbathi secundum quod est morale præceptum præcipitur quies cordis in Deum. Vel secundum S. August. in Psal. 32. concione 1. per primum præceptum redememur vnitatem primi principij, per secundum veritatem diuinam, per tertium eius bonitatem, qua sanctificamur & in qua quiescimus sicut in fine.

Porrò omnia quæ præcepit Deus pendere intelliguntur ex his decem Decalogi mandatis, aut in illis includi tanquam in principiis. Omnia autem fundantur in dilectione Dei & proximi, vtraque vero facilis est, nam amare creatorem beneficum, Patrem amantissimum, deinde & carnem suam in fratribus suis non est difficile. *Qui autem diligit legem impleuit.*

Nota autem præcepta Decalogi esse naturalia seu in lege naturæ fundata, Sabbathi autem præceptum mixtum est ex naturali & cæremoniali Deum enim colere natura dictat, quod autem fiat tali die cæremoniale est, vt notant S. August. Irenæus S. Thom. consequenter mutabile, nec enim naturâ ad cultum Deo deferendum præcisè tali die inclinamur, quare ex causa rationabili Ecclesia diem septimum transtulit in octauum. Iudæi siquidem sperabant temporalia quæ totis sex diebus creata septimo autem completa sunt, Christiani autem sperant æterna ad quæ octauo die Christus per suam resurrectionem reserauit aditum.

QVÆRES, *Quis tandem sit fructus & vtilitas obseruati vnis Decalogi.*

Respondeo fructus obseruatæ legis luculenter describi Psalmo 118. beatosque anticipatè dici qui ambulant in lege Domini, hos autem innumerabiles proponit Cathechismus Romanus quos ad viginti recenset, hos ego ad numerum ternarium reduco. Primus itaque legis datæ in Decalogo fructus impenditur obseruantibus quod sit eis frænum à malo coercens & calcar ad bonum instigans. Hoc indicat Dauid, qui laudes huius legis celebrans de ea sic loquitur. *Lex Domini immaculata conuertens animas* &c. ~~hæc enim meritò~~ *Immaculata.* Dicitur quæ nulla fœditate inquinatur, cùm nihil contineat nisi conforme rationi consonum gloriæ Dei, & congruum bono proximi. *Conuertens animas* quia educit hominem à via praua & deducit ad viam iustitiæ quem coercet, quasi fræno dum diuinam ei indicat voluntatem cui obtemperare tenetur hinc Dauid dicit. *In quo corrigit adolescenteor viam suam? in custodiendo sermones tuos.*

Secundus fructus est benedictio spiritualis per inhabitantem Deum, *Apud eum veniemus & mansionem faciemus.* Et temporalis. *Quærite primùm regnum Dei & hæc omnia* Quibus scilicet indiget vita, *Adiicientur vobis* Hinc Paulus 1. Timo. 4. *Pietas ad omnia*

vtilis

vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.

Tertius fructus est vita æterna, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata* respondit Christus adolescenti sciscitanti quid faciam vt habeam vitam æternam.

QVÆSTIO II.

De Primo præcepto Decalogi,

Non habebis Deos alienos coram me.

HAbetur Exodi 20. prooemium seu præfatio singularis quæ maiestatem Dei legem dantis intimat populo vt ea commotus legem facilius & promptius acceptet, sic enim præfatus est Deus seu Angelus Dei vicarius. *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti & de domo seruitutis.* In qua propositione maiestas Dei & beneficium quod Iudæis contulerat breuiter exponitur. Illud verbum. *Ego sum* declarat Deum esse in seipso æternum & immortalem, cætera vero omnia per ipsum esse & sine ipso non esse. Illa vox. *Dominus* ostendit Dominium quod habet in omnia, per quod iustè potest omnibus legem dare. Illa vox *Deus*, significat in ipso esse summam potentiam, sapientiam & bonitatem, ideoque legem ab ipso latam esse magni faciendam, cum summa sapientia ac bonitate plena sit, habeatque legislatorem qui possit sua potentia conterere eos qui suæ legi noluerint obedire. Illud verbum *Tuus* explicat specialem erga homines Dei bonitatem, dominium atque prouidentiam.

Beneficium liberationis à seruitute Ægyptiaca peculiare quidem est Iudæorum, tamen si interiorem salutis vniuersæ rationem spectemus, multo magis ad Christianos homines pertinet, qui non ex Ægyptiaca seruitute sed & peccati regione & à potestate tenebrarum à Deo erepti, atque in regnum filij dilectionis suæ translati sunt. Pater enim indulgentissimus per filium suum filios qui erant dispersi congregauit in vnum, vt iam non vt serui peccato, sed iustitiæ seruiamus illi in sanctitate & iustitia, cuius beneficij in Christianos conferendi magnitudinem intuens Hieremias prædixit illud cap. 16. *Ecce dies venient dicit Dominus, & non dicetur vltra viuit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Ægypti, sed viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de vniuersis terris ad quas eieci eos, & reducam eos in terram suam quam dedi patribus eorum. Ecce ego mittam piscatores multos dicit Dominus, & piscabuntur eos.* Hoc Apostolis Christianismum propagantibus congruere patet.

Hoc primum Decalogi præceptum. *Non habebis Deos alienos coram me*, Duplex est, vt obseruat Cathechismus Romanus, ex vna enim parte aliquid iubet, ex altera vero aliquid prohibet, estque illius sensus (vt ibidem habetur & communiter exponitur) *Me verum Deum cole, & diis alienis cultum non adhibebis*, ex quo patet illud partim affirmatiuum esse, partim negatiuum. Hoc primo præcepto vera fundatur Religio, & falsa prohibetur, cum cultus supremus seu Latreuticus Deo soli addicitur. Hoc tamen non interdicit honorem alium à latria deferendum Sanctis aut Imaginibus, Reliquiis, Cruci. Si enim rex edicit ne quis honorem sibi debitum alteri deferat, nemo sanæ mentis credet aut interpretabitur interdici honorem debitum Magistratibus. Infereretur equidem vetari nè ipsum officiales aut alij habeantur tanquam reges aut supremi Domini, non autem quod tanquam ministri coronæ aut Reipublicæ honorentur Ita præceptum hoc non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile &c. quæ non sunt aliud præceptum, sed ad dictum primum pertinent & quasi illius sunt explicatio, vetans dari Sanctis honorem Deo debitum id est supremum seu latreuticum non interdicit dari isto cultu inferiorem, qui vt intendit & docet Ecclesia vltimatè respicit Deum in quantum Sancti non coluntur aut honorantur nisi ob vnionem quam cum Deo habent. Cultus autem qui impenditur Sanctis, etsi non sit latreuticus seu habens pro obiecto supremum dominium Dei, potest dici adoratio, cum honor delatus hominibus sic in scriptura nuncupetur, Gen. 18. *Tres viri apparuerunt Abraha & adorauit in terram* 1. Paral. 29. *Adorauerunt Deum, deinde regem.* Numer. 22. Iosue 5.

Hoc præcepto quatenus affirmatiuum est continentur actus varij virtutum & specialiter religionis actus quibus cultus Deo debitus exhibetur, quos elicere tenemur vt ei debitum obsequium persoluamus, Catechismus reducit has virtutes ad Theologicas seu ad actus fidei spei & charitatis quo sensu S. August. in Enchir. cap. 3. dicit. *Fide, spe ac charitate Deum esse colendum*, S. Thom. addit quartam virtutem, quæ dicitur Religio, quæ licet ad tres dictas reducatur vti definita *Virtus per quam homines Deo debitum cultum & reuerentiam exhibent*, tamen cum Theologicis annumeratur, quia addit speciales actus deuotionis, orationis, Laudis, Sacrificij, voti, oblationis &c.

Fidei actus quos præcipit hoc Decalogi præceptum sunt credere omnes & singulas Christianæ religionis veritates saltem fide implicita; fide vero explicita, quæ docet Symbolum Apostolorum, & ea quæ proponit Ecclesia ad Sacramentorum naturam & rationem pertinentia, eorum saltem quæ ab ipsis suscipiuntur aut suscipi debent; ac reliqua denique omnia quæ secundum exigentiam, status aut conditionis cuiusque ad salutem æternam consequendam sunt necessaria.

Actus autem fidei eliciendi sunt necessario in tribus potissimum casibus.

Primò cum alicui Mysteria fidei primo sufficienter ad credendum proponuntur.

Secundo, cum quis ad actum aliquem virtutis exercendum obligatur qui sine fide exerceri nequit, vt cùm quis tenetur de peccato pœnitere & conteri, Sacramentum aliquod suscipere.

Tertio, quando quis iuridicè & publica authoritate interrogatur de fide, tunc enim ad fidem tum interius eliciendam, tum exterius profitendam

fitendam obligatur licet ex tali professione mors illi immineat: imo qui ab aliquo priuato de fide interrogaretur, illam non modo non negare, sed etiam exterius profiteri teneretur si ex illius professionis omissione diuinus honor notabiliter lædetetur, vel aliquod graue scandalum in proximum redundaret. Ita S. Thom. & alij.

Spei actus requiruntur, quia tenemur per spem firmam in Deum rendere, nam per creationem ab illo exiuimus, per spem pergimus, per glorificationem peruenimus, ipse est primum principium, & finis vltimus in quo consistit nostra fælicitas. Et ipse cum natura sua sit ipsa pietas & misericordia, oportet in illo confidere, cui contra naturam est, non recipere supplicem, non iuuare impotentem, non remunerare hominem sibi seruientem, non seruare suam promissionem. Hanc autem perfectam fiduciam non possumus in alio constituere tanquam salutis authore & spei fundamento.

Nota, spei nomen hic sumi pro virtute supernaturali Theologica, virtus autem Theogica immediate Deum respicit pro obiecto, primario & præcipuo ipsumque ait Scotus habet pro regula humanorum actuum & infunditur immediate à Deo tanquàm à causa efficiente.

Spes quatuor modis sumitur 1. pro re quam speramus Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes* 2. subiectiuè pro eo in cuius auxilio speramus, vt Psal. 21. *tu es spes mea* 3. formaliter pro actu sperandi, vt Rom. 8. *spe salui facti sumus* 4. formaliter pro habitu spei 1. Cor. 13. *nunc autem manent tria hæc fides spes charitas.* Obiectum primarium Spei est Deus ipse seu gloria æterna, alias spes non esset virtus Theologica: secundarium sunt auxilia gratiæ, quæ requiruntur ad gloriam consequendam, hinc Hugo, *fides dirigit, spes erigit, charitas coniungit.*

Virtus Spei habet quatuor actus circa Deum quatenus est summum bonum seu æterna nostra beatitudo nempe amorem concupiscentiæ desiderium, spem, & delectationem. Amor concupiscentiæ est primus actus virtutis spei circa Deum & differt ab amore beneuolentiæ seu charitatis, quod altero amemus Deum quatenus est nobis bonus, altero verò quatenus est in seipso bonus. Ex hoc amore concupiscentiæ nascuntur hi tres actus circa idem obiectum nempe desiderium, spes & delectatio, qui quidem inter se sic differunt, desiderium versatur circa Deum quatenus est bonum nostrum absens sine conatu obtinendi. Spes circa bonum absens, cum conatu obtinendi delectatio circa bonum præsens, & iam obtentum. Amor est circa bonum præsens, vel absens, abstrahit enim ab vtroque.

Dices, quare virtus hæc vocatur spes cùm non solum producat actum spei, sed etiam actum amoris, desiderij, & delectationis?

Resp. aliquando fit vt virtus, quæ habet plures actus denominetur ab vno vel principali, vel difficiliori. Sic virtus Pœnitentiæ sortitur nomen ab actu pœnitendi, cùm tamen præter illum actum habeat etiam alios actus nempe propositum satisfaciendi & emendandi. Idem est de virtute spei, quæ ab actu sperandi tanquam difficiliori nomen adepta est. Spes habet certitudinem in suo actu est enim virtus, quæ inomni potentia & fidelitate Dei promittentis innititur, vnde Paul. Heb. 6. vocat eam, *anchoram animæ firmam & tutam.* & Rom. 8. demonstrat se habere certitudinem in actu spei suæ, *certus sum quod, neque mors neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Quamuis autem fiducia illa quatenus Deum respicit firmissima esse debeat: quia tamen ex parte nostræ cooperationis multi defectus accidere possunt, quibus promissionum diuinarum effectus impediatur, ideo monet Apostolus Philippen. 2. *vt cum timore & tremore salutem nostram operemur*, vt enim dicit S. August. serm. 15. ad fratres, *qui sperat & non timet negligens est, qui autem timet, & non sperat depressus est, & descendit in profundum quasi lapis.*

Certitudo spei non est vt fidei, quæ excludit dubitationem, & opponitur errori, vnde per fidem quis est certus tam de euentu quàm de ordine, per spem autem datur certitudo solùm de ordine, illa enim certificat, quod per merita Christi bona opera ordinanr ad salutem, sed non certificat, quid sibi eueniet; ista ergo certitudo est conditionalis & non absoluta, sicque non excludit timorem, sed diffidentiam de diuina bonitate & restat diffidentia de propria fragilitate.

Præceptum de spe quatenus est affirmatiuum non obligat omni tempore vt formaliter eliciatur actus, sed tantum virtualiter. Summistæ assignant tres casus in quibus ad satisfaciendum huic præcepto actus sit eliciendus: primus est quando primùm homini adulto innotescit se à Deo creatum esse ad vitam æternam seque teneri vitam illam æternam & media necessaria à Deo sperare. Secundus est quando ad aliquid faciendum obligatur, quod actum spei velut dispositionem necessariam prærequirit, v. g. quando tenetur de peccatis pœnitere, ad illorum siquidem remissionem diuinæ misericordiæ spem prærequiri docet, Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. Tertius est quando grauis aliqua tentatio vrget, quam aliter homo superare non potest, nisi actum spei eliciat.

Nota habitum spei infundi in baptismo & iustificatione vnà cum habitu fidei & charitatis, vnus autem corrumpi potest sine alio, nec dicas talem non dari eo, quod in anima sint tantùm duæ potentiæ perfectibiles respectu obiecti increati, scilicet intellectus & voluntas, & sicut intellectus perficitur vno habitu scilicet fide respectu Dei, ita & voluntas charitate, ergo spes non erit necessaria?

Respondeo enim intellectum habere vnicum actum circa Deum qui est assentiri ei propter reuelationem seu vt est prima veritas. At voluntas duplici affectione attingit Deum immediatè: prima est affectio iustitiæ, qua per actum amicitiæ tendit in Deum vt est bonum in se, alia est affectio commodi, quæ per actum concupiscentiæ in Deum tendit vt est bonum huic, & vterque actus potest esse ordinatus, & habere habitum Theologicum inclinantem ad ipsum. Actus itaque spei sunt desiderare

desiderare, sperare, petere & inniti diuino auxilio & potentiæ, & hi actus proponuntur per orationem dominicalem.

Charitatis actus, quos in vim primi huius præcepti tenemur elicere sunt in Deum toto corde ferri eumque diligere, non amore concupiscientiæ quatenus nobis bonus est ac beneficus, sed quatenus in se est infinitè bonus ac perfectus ac proinde infinitè diligibilis.

Charitas non modo est virtus Theologica cœteris omnibus perfectior, sed est veluti virtutum aliarum forma in quantum scilicet illis vltimam, & completam perfectionem eorum actus ad vltimum finem ordinando tribuit. Charitatis actus alij sunt imperati, quales sunt illi qui per ipsius charitatis imperium exercentur, vt cum quis dat eleemosynam pauperi non modo vt eius indigentiam subleuet, sed præsertim, vt Deo placeat eique opus gratum exhibeat: Alij vero sunt eliciti qui illius proprij sunt & ex eius formali motiuo concipiuntur, & quibus homo fertur erga Deum vt summè dilectum, siue per vnionem affectuum idem volendo, quod vult Deus eius præcepta & concilia, & alia quæcumque illi placent appetendo & exequendo non alia ratione, nisi vt voluntatem suam diuinæ voluntati quàm perfectissimè vniat & conformet: siue per viam beneuolentiæ, qua Deo omnia bona velit, quæ ipsi velle potest, bona quidem intrinseca & essentialia ipsi Deo, per veram & perfectam in illis conplacentiam, bona vero ipsi extrinseca; puta gloriam, honorem, amorem, obseruautiam & alia religionis reliquarumque virtutum officia ipsi Deo tam à se quam ab aliis creaturis exhibenda, per andentissimum desiderium, quo hæc omnia, non solum velit & optet Deo, sed etiam quibuscumque modis potest, vt re ipsa exhibeantur, efficiat. Actus charitatis est propter Deum summè dilectum cœtera omnia, quæ vult diligi diligere.

Habitus charitatis non producitur physicè per actus sicut de habitibus virtutum moralium docent Philosophi, sed à Deo infunditur iuxta id, quod Rom. 5. dicitur. ***Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis***, & ex consequenti secundum communem sententiam Theolog. augetur ab ipso Deo, non verò per actus ali quos nisi tantùm dispositiuè, & meritorie, vnde Trident. Concil. sess. 6. cap. 10. obseruat Ecclesiam illud augmentum postulare, in quadam collecta, cum dicit *da nobis fidei*, & Charitatis augmentum.

QVÆRES, quo tempore præceptum illud de diligendo Deo actu quodam interno obliget.

Resp. primò nos teneri ad actum charitatis eliciendum, cum ad actum perfectæ contritionis eliciendum obligamur; siue in articulo mortis, cum aliter Deo reconciliari non possumus, siue cum in statu peccati mortalis sacramentum aliquod suscepturi vel administraturi sumus; deestque copia confessoris, actus enim perfectæ contritionis debet formari charitate, vt habetur in Conc. Trid.

Resp. 2. probabile esse, quod Nauarrus cap. 11. num. 8. & quidam alij docent. hominem ad actum charitatis exercendum obligari, vbi primùm rationis vsum adeptus est, ipsique sufficienter innotescit Deum esse summum bonum, & vltimum finem ad quem se suaque omnia per Charitatis actum ordinare tenetur. Bonacina tamen & alij non faciunt omissionem actus illius peccatum mortale in eo qui de illa obligatione nihil vnquam audierat, vide Doctores.

QVÆSTIO III.

Quot modis peccetur in hoc decalogi præceptum.

QVa parte hoc primum præceptum affirmatiuum est, exigit ad sui obseruantiam actus cordis humani, fidem, spem, & charitatem, quibus ritè colitur Deus. Quia autem vt notaui quodlibet affirmatiuum includit negatiuum. Eodem præcepto prohibentur omnia vitia, quæ contrariantur tribus virtutibus Theologicis & Religioni.

Contra hoc præceptum peccant primo, qui Idololatriam vel Iudaismum profitentur, aut à fide vel religione Catholica per apostasiam siue hæresim recedunt. Qui dogmatibus hæreticorum aliisque erroribus ab Ecclesia damnatis & proscriptis pertinaciter adhærent: qui hæreticos in causa hæresis fouent & protegunt: qui cum illis temere, de fide disputant, eorum libros legunt aut concionibus vel cæremoniis intersũt. Qui de alicuius articuli fidei veritate dubitant, qui fidem negant vel dissimulant, cum illam exterius profiteri tenentur: qui fidei Mysteria præcipua aliaque ad salutem scitu necessaria, vt symbolum Apostolicum orationem dominicam decalogum & Sacramenta culpabiliter ignorant.

Qui de misericordia & gratia Dei præsumunt, vel de illa desperant, qui Deum propter flagella sibi inflicta oderunt, de eius prouidentia obmurmurant, vel eius obsequium animo deliberato fastidiunt.

Qui Deo cultum superstitiosum, & indebitum vel creaturæ cultum soli Deo debitum impendunt: qui dæmonem expresse vel tacitè inuocant, vel pactum expressum vel tacitum cum eo ineunt.

Qui rerum futurarum vel occultarum cognitionem per modos superstitiosos & indebitos inquirunt, vt per præstigia, somnia, necromantiam, geomantiam, &c. item per Astrologiam iudiciariam ab Ecclesia reprobatam augurium, aruspicum, omnem, chiromantiam, sortes & alios similes modos à dæmonibus inuectos in perniciem hominum.

Qui diuinos & ariolos de rebus illis futuris vel occultis consulunt, ab iisque, quid sibi prosperum aduersumque futurum sit perquirunt, qui vt communiter dicitur, cribrum farinaceum aut annulum vertunt, vt v. g. furti alicuius authorem detegant.

Qui reliquias vel imagines sanctorum cum quibusdam obseruationibus superstitiosis collo vel brachio appensas ferunt, Qui orationes quasdam, & ieiunia adhibent tanquam media infallibilia ad scientias aliquas sine vllo studio comparandas.

Qui

Qui ad sanitatem recuperandam vel aliis conferendam certis verbis, orationibus, characteribus & aliis similibus modis nullam ex natura sua ad talem effectum producendum vim habentibus vtuntur, qui variis & friuolis quibusdam obseruationibus euentura sibi bona ominantur.

Qui maleficiis amatoriis aut veneficiis vtuntur, qui per quasdam ligaturas matrimonij vsum & consummationem impediunt.

Qui Deum tentant neglectisque mediis ab eius prouidentia ordinatis, effectum aliquem sine vlla necessitate, aut ratione ab eo expectant.

Qui sacrilegium aliquod perpetrant, personas Deo sacras polluunt, vel iniuriose vti sacras percutiunt, aut immunitates, earum iniuste violant.

Qui templa profanant eorúmque vasa, & ornamenta ad vsus prophanos, vel superstitiosos adhibent: imagines sanctorum contumeliosè tractant, sacræ scripturæ verbis ad res falsas superstitiosas, vel pediculas abutuntur, addique possunt ij, qui sacramenta indignè suscipiunt, vel ministrant.

Denique huic primo præcepto opponitur odium Dei, quod peccator concipere potest ex consideratione effectuum diuinæ voluntatis, qui deprauatæ suæ voluntati repugnant, qualis est inflictio pœnæ peccatis debitæ, Deum enim propter se præcisè odisse nullus potest, cum in eius natura nihil nisi infinitè diligibile occurrat.

Acedia etiam repugnat huic præcepto, quæ vt docet S. Thom. nihil aliud est, quam tristitia & tædium quoddam voluntarium, & deliberatum de spirituali bono, in quantum est bonum diuinum, id est quatenus per illud bonum spirituale, puta per sacramentorum susceptionem, aliaque bona opera homo tendit in Deum, illi obsequitur, illum glorificat &c. & vt sic opponitur perfectæ charitati, cuius proprius effectus est gaudium de bono diuino. Nihil hic dico de peccatis contra charitatem proximi, nam commodius explicantur in secunda Tabula.

QVÆSTIO IV.

De Secundo præcepto primæ Tabulæ,

Non assumes nomen Domini tui in vanum.

RECtè post primum præceptum, quod cordi humano seu voluntati datum est, præceptum impositum linguæ succedit, lingua enim hominis priuilegium singulare habet præ linguis animalium, quod particularis illius vsus sit in locutione seu prolatione verborum, verbum autē est vox explicatiua eorum, quæ sunt in anima, siue conceptuum, siue passionum, siue affectuum, hæc autem expressio: seu manifestatio data est homini non tantùm ad mutuum inter homines commercium, mutua officia & disciplinam seu instructionem inferioribus per superiores communicandam, sed potissimum vt cultus, quem occultè cor exhibet Deo per linguām patenter, & publicè exhibeatur eidem. Et quia homo potest bene & male vti lingua sua in ordine ad Deum: ideo datur ei præceptum, quo dirigatur, præcipiendo virtutes, quæ dirigunt bonum vsum, & prohibendo vitia in quibus malus vsus linguæ erga Deū posit⁹ est, dixi supra quodlibet Decálogi mandatum partim affirmatiuum, & partim negatiuum esse, & duo distincta præcipere. Istud qua parte affirmatiuum est, obligat ad exhibendum Deo summam reuerentiam, iuramenta seruando, & vota ipsi facta fideliter obseruando: qua parte est negatiuum, prohibet abusum diuini nominis & illam irreuerentiam, quæ committitur à blasphemis, periuris, aut temerè iurantibus. Quapropter ad Præcepti pleniorem expositionem de tribus præsertim hic agendum est scilicet de iuramento, de blasphemia & de voto, prænotando, quod in Tabula cum nomen Dei proponitur non intelligatur nudum ipsum verbum aut syllabæ & litteræ nominis Dei, sed illud, quod ab ipso verbo & nomine significatum est, nempe sempiterna vnius ac trini numinis maiestas atque diuinitas, cui multa sunt imposita nomina v. g. Dei, Domini, omnipotentis, Æterni & similium, quare quod de vno in singulari dicitur non assumendum in vanum, æqualiter de omnibus est intelligendum, quia parem eandemque venerationem habent omnia.

Transgressio huius mandati pœnam adiunctam habet, ***Non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra***, quæ & grauitatem peccati demonstrat & proclìuitatem hominum ad illud committendum coërcere debet.

De iuramento.

IVrare est Deum testem inuocare, vt ait S. August. serm. 28. de verbis Apostoli, ***quid est iurare per Deum, nisi testis est Deus***, Quare S. Thom. 22. qu. 89. docet iuramenti nomine significari actum religionis, quo quis Dei testimonium inuocat in confirmationem eorum, quæ asserit, vel promittit, eaque ratione profitetur diuinam veritatem esse indefectibilem, iuramentum differt ab oratione, quia in ea non inuocatur nomen Dei in testimonium seu fidei faciendæ causa, sed gratiâ petendi auxilij.

Ortus seu fundamentum iuramenti est ipsa fides, qua homines credunt Deum totius veritatis esse authorem, qui nec decipi vnquam possit, nec alios decipere cuius oculis nuda sunt omnia & aperta, qui denique vniuersis rebus humanis admirabili prouidentia consulit mundumque administrat.

Fit autem iuramentum vel expresse, cùm quis iurat per Deum aut Christum, vel tacitè cum iuratur per creaturas aliquas quatenus in illis diuina bonitas vel potentia elucet. vt quando quis iurat per sanctos, per animam suam, per solem, ignem, &c. in his enim & similibus iuramentis censetur creatura in testem adduci non per se, sed quatenus dicit ordinem ad Deum aut in quantum diuina veritas aut potentia in ea manifestatur sicut iuramus per Euangelium, id est per Deum cuius veritas in

Euangelio manifestatur & per Sanctos qui hanc veritatem crediderunt & obseruauerunt Ordo autem ille innuitur, præsertim si addatur nomen ipsius Dei v. g. Si iuretur per solem, ignem Dei &c. Quod si quis creaturas illas nominaret sine vllo ad Deum respectu, ille non censeretur iurare: vnde etiam Nauarr. cap. 12. & alij Doctores existimant istos loquendi modos per fidem meam, in fide probi viri, in conscientia, non sufficere ad veram & propriam iuramenti rationem; qui enim iis vtuntur si nihil aliud intendant, significare tantum videntur se aliquid asseuerare ex veracitate & veritate, quæ virum probum decet. Est etiam alius iurandi modus quem S. Thom. art. 6. dicit fieri per execrationem, quando quis sibi vel suis malum aliquod imprecatur, sicque Deum non modo in testem, sed etiam in vindicem vocat, nisi dicta sua consonent veritati.

Quocumque modo iuretur vt id licite fiat, & istud genus asseuerandi aliquid non sit vitiosum, tres in eo conditiones requiruntur, vt scilicet iuretur in veritate, in iudicio, in iustitia vt dicitur Hierem. 4. *Iurabis viuit Dominus in veritate, in iustitia, in iudicio.* Veritas iuramenti in eo consistit, vt explicat S. Thom. art. 3. vt id quod iuramento asseritur existimetur esse verum ab eo qui iurat. Iustitiâ vt iuramentum fiat de re licita & honesta. Iudicium vt non fiat, nisi ex graui & necessaria causa. Iudicio caret iuramentum incautum, veritate, mendax. Iustitia iniquum siue illicitum.

Iuramentum, duplex est, assertorium, quod de re præsenti affirmatur aut negatur, Et promissorium & comminatorium, quod futurum tempus spectat.

Istorum autem proprium est, quod is qui sub iuramento promisit se aliquid facturum teneatur sub peccato mortali illud adimplere licet res promissa sit parui momenti. Ita Tolet. & cum illo communiter omnes.

Sunt tamen aliqui casus, vt monet ipse, in quibus nulla est, vel cessat obligatio iuramenti, vt si quis iuret de re aliqua mala facienda, tunc enim iurans peccat, nec tenetur imò nec licitè potest eam exequi. Similiter cessat obligatio iuramenti, si res per illud promissa fiat impossibilis, vel si absque peccato impleri non possit. Tollitur etiam eadem obligatio dispensatione Episcopi & aliis modis quibus voti obligationem cessare infra dicetur. Spectanda est etiam in multis casibus intentio iurantis vt ex illa iuramenti interpretatio petatur: v. g. Qui iurat se filium aut seruum castigaturum, non ita intendit se ad id obligare, quin sibi reseruet facultatem, si ita expedire videatur, pœnam illam remittendi: similiter qui volens alteri honoris causa primum locum cedere, se in illo non cessurum iurat, non intendit ita se obligare: quin si alius acceptare nolit, possit locum illum sibi retinere. In iis tamen & similibus casibus consultius est à iuramentis eiusmodi abstinere, cùm nulla sit tunc iurandi necessitas, vnde illa iuramenta excusari nequeunt à peccato saltem veniali.

Quamuis verò iuramentum licitum sit, non est tamen de genere bonorum vt rectè monet S. Thom. art. 5. quæ sunt per se bona & appetenda, vt oratio, eleemosynæ &c. Sed illorum, quæ tantùm bona sunt & appetenda posita aliqua necessitate, sicut medicina quæ non nisi premente ægritudine prodest, vnde similiter iuramentum, cum sit veluti remedium quod in fidei humanæ defectum assumitur, non nisi raro & vrgente necessitate vsurpandum est: quo sensu Christus Dominus dixit Matth. 5. *Ego autem dico vobis non* iurare omnino neque per cælum &c. quæ verba explicans S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 17. *Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum, ne iuretur ne quisquam sicut bonum appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem delabatur, quapropter intelligit non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrenet se quantum potest, vt non ea vtatur nisi in necessitate.* Sic prohibetur simpliciter. *Non occides*, tamen occisio debitis suis circumstantiis vestita non vetatur, qualis fit à Iudice, vel ab eo qui vim vi repellere cogitur. August. serm. in decollatione Ioan. Baptist. *Non est peccatum* ait *iurare, sed grande peccatum est falsum iurare: Dominus ergo qui prohibuit iurare, noluit te ambulare super ripam, ne pes tuus in angusto labatur & cadas. Sed inquies iurauit Dominus, securus iurat qui mentiri nescit, ipse quoque Dominus est.*

Dices contra vsum iuramenti Christus cit. dixit. *Sit sermo vester, est, est, non, non: quod autem amplius est à malo est.* Quomodo ergo bonus est vsus iuramenti.

Respondeo, quia propter humanam imbecillitatem iuramentum institutum est, reuera à malo prouenit, quia aut iurantis inconstantiam indicat, aut contumaciam illius cuius causa iuratur, qui sine iuraméto nõ vult credere, quod autem Christus non supprimat absolutè iuramentum, sed prauum eius vsum: patet ex textu reprehendit enim peruersum Iudæorum iudicium, qui existimabant nihil in iuramento cauendum esse præter mendacium: & ideo de rebus leuissimis & nullius momenti iurabant, & ab aliis iuramentum exigebant. Hunc morem Christus redarguit docetque non esse iurandum omnino, nisi cogat necessitas: vnde non dixit. *Ne iuretis omnino.* Sic enim totaliter vsus iuramenti prohiberetur. Sed dixit. *Nolite iurare*, id est, non habeatis ex voluntate vsum iuramenti, sed tantum ex necessitate & causa; obserua etiam Christum non dixisse quod iurare sit malum, sed *à malo* quod innuit originem iuramenti esse à malo.

Quod autem Dominus non prohibeat omnimode iuramentum patet non solùm ex natura eius, quæ est actus religionis & per ipsum Deus honoratur, scopus & finis vt hominum iustitiam & innocentiam probet, finemque litibus & controuersiis imponat, sed maxime constat ex communi vsu sanctè vsurpato, Deus iurat Psal. 34. *Quibus iuraui in ira mea si introibunt, quod si sonat non* vel vt alij interpretantur. *Non sim Deus* Isai 5. *In memetipso iuraui egredietur de ore meo iustitiæ verbum, quia mihi curuabitur omne genu.* Angelus iurat Apoc. 10. Patriarchæ iurabant Gen. 14. Abraham exigit ab Eliezer œconomo suo, vt iuraret subter femur eius, quod vt exponit Greg. erat iurare

iurare super carnem Iesu venturi, quia per membrum illud descensura erat caro eius qui filius Abrahæ esset ex humanitate, quasi diceret tange filium meum & Deum meum. Dauid iurat 1. Reg. 3. & 3. Reg. 9. apud Prophetas quandoque reperitur hæc forma iuramenti. *Viuit Dominus viuit anima mea.* Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, Christus in Euang. Amen amen dico vobis. Paulus prima Cor. 1. *Testem inuoco Deum in animam meam.* Rom. 1. Hinc Mercantius in tract. 3. Horti Pastorum concludit hæresim esse negare, vt dicunt Anabaptistæ ex Matth 5. quandoque licitum esse iuramentum dicitur enim Deutero. 6. *Dominum Deum tuum timebis & per nomen eius iurabis* & Psal. 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.*

De Blasphemia.

Blasphemia assumit nomen Dei non solùm in vanum, sed contumeliosè & probrosè, estque grauissimum peccatum quod homicidio grauius esse docet S. Thom. quæst. 13. art. 3. Vnde Deus Leuit. 24. lapidationi addixerat Blasphemos, & frequenter illos ipse puniuit: Nicanoris lingua in partes discissa est & data auibus cæli, quia Blasphemarat. 2. Machab. 15. Herodes ob Blasphemiam à vermibus consumptus expirauit. Antiochus insanus & inuisibili plaga percussus Sennacherib. Holophernes aliique à Deo sunt puniti Lex Ecclesiastica & ciuilis fæuiunt in hoc crimen, quod nihilominus est commune inter Christianos cùm damnatorum sit proprium vt Apoc. 16. dicitur. *Blasphemauerunt nomen Domini habentis potestatem super plagas* passim in ludis, in tabernis, imò & in aula vox hæc blasphema auditur. *Ie renie Dieu, maugre Dieu en despit de Dieu.* Et similis locutio quam vnaquæque natio habet diuersam iuxta corruptionem morum.

Blasphemia ad infidelitatem spectat, estque verbum apertè iniuriosum in Deum vel Sanctos quos quis ex prauo affectu cordis contumeliam eis infert vel negando aliquid quod ipsis proprium est, vel aliquid imponendo quod eis, non conuenit, blasphematur autem vel ore vel sola mentis conceptione distinguitur autem Blasphemia in simplicem, & in hæresi coniunctam: illa dicitur hæresi coniuncta quæ aliquid de Deo asserit vel de illo negat, quod est fidei contrarium: vt si quis dicat Deum esse crudelem, non prouidum &c. Sicque esse pertinaciter credat. Simplex ea est quæ non tam fit per modum assertionis seu enuntiationis, quam per modum detestationis ac veluti cuiusdam imprecationis in Deum, vt si quis Deo maledicat, aut probrosa verba in eum proferat: item si contumeliosè partes quasdam Corporis Christi nominet, vt caput, sanguinem mortem Dei quasi ob ista Dei filium contemptibilem æstimet illique exprobret, quod carni & Sanguini communicare voluerit & in carne assumpta pro nobis mori.

Ad Blasphemiam reducitur peccatum illud quod perpetratur maledicendo creaturas quod quatuor modis fieri potest vt notat Tolet. lib. 4. cap. 13. primo eas considerando quatenus sunt creaturæ Dei, & hac de causa illis maledicendo & hoc est peccatum Blasphemiæ 2. ratione alicuius creaturæ rationalis cuius illæ sunt v. g. maledicere aut imprecationem aliquam facere contra armenta, vineas &c. quia huius vel illius sunt: & hoc est peccatum contra charitatem proximi 3. creaturæ irrationales aut inanimatæ considerari possunt secundum se præcisè: & ea ratione illis maledicere est actus otiosus & peccatum veniale 4. Denique considerari possunt ratione alicuius mali vel incommodi quod inferunt, & ea ratione illis maledicere non est peccatum, est enim hoc potiùs ipsi malo, quam creaturæ maledicere Sic Iob maledixit Diei suo natali, Dauid montibus Gelboe in quibus Saül occisus est.

De Voto.

Tractatus de Voto ad secundum præceptum reduci solet, quia votum ordinariè fit verbis, siue corde, siue ore prolatis, verba autem ad hoc secundum præceptum relata sunt.

Votum, si propria spectetur natura, nihil aliud est quam sponsionis quoddam genus, quo quispiam ætatis, aut saltem rationis maturæ deliberatione & proposito antegressis aliquod excellens bonum quod in sua libera potestate situm est, Deo sponte promittit. Estque latriæ actus summa religione seruandus, tum propter fidem per ipsum diuinæ maiestati datam, tum etiam propter eius non mediocrem vtilitatem: quippe quo fit vt eadem recta opera ab aliquo virtutis genere profecta maioris & ponderis & meriti sint apud Deum, quàm aliàs erãt futura. Duplex notatur votum simplex & solemne, simplex quod est nuda & simplex promissio Deo facta, diuiditur in reale in quo fit promissio de re veluti de eleemosyna, personale in quo obligatur persona veluti ad ieiunium vel orationem. Et mixtum in quo fit promissio de re & persona, veluti peregrinario & eleemosyna. Solemne est illud cui adiuncta est susceptio ordinis sacri, aut monastici instituti seu religionis approbatæ professio, & effectus istius voti est impedire matrimonium contrahendum, & dirimere iam contractum.

Votum breuiter diffinitur. *Promissio deliberata Deo facta de aliquo meliori bono* dicitur, *Deo facta*, quia votum cum sit actus religionis & latriæ, vt docet S. Thom. 2. secundæ quæst. 88. Soli Deo fieri debet: quod si interdum apud authores vota Sanctis nuncupari dicuntur, id intelligi debet ad eum modum quo templa & altaria Sanctis dicari dicuntur, quia Deo in honorem Sanctorum dedicantur; vel in quantum censetur homo vouere ipsi Deo id quod Sanctis se impleturum promittit. Quod si promissio alicuius pij operis fiat alicui Sancto præcisè ad honorem eius & Sanctitatis ac gloriæ testificationem, tunc eiusmodi promissio sacra quidem est, & ad Dei cultum mediatè ordinata, sed non est propriè votum, neque actus latriæ, sed solum duliæ, siue obseruantiæ dicitur. *De meliori bono* vt explicetur materia voti quæ bona & honesta esse debet, alioquin non obligat ait Bonacina, omnis enim promissio alteri fit, vt ei grati-

ficemur, id autem non fit quàm per aliquod bonum & illi gratum, particula hæc *de meliori*, non ita intelligitur, vt id quod vouetur debeat esse optimum, sed vt sit melius, quàm eius oppositum, nam materia voti debet esse aliquid Deo gratum, id autem est Deo gratum, quod est melius, quàm eius oppositum, ita Suarez lib. 2. de voto cap. 8. Tolet. lib. 4. cap. 17. Hinc sequitur primo eum, qui vouet ieiunium validè vouere, quia etsi illud non sit optimum inter omnes actus virtutum, est tamen melius, quam eius oppositum, id est quam non ieiunare.

Secundò votum non obligare si fiat de eo, cuius oppositum est melius, Deus enim non acceptat promissionem cuius omissio magis ei placet, quàm eius executio. Imò qui ita vouet Deo facit irreuerentiam promittens, quod ei non placet.

Tertiò inualidum esse votum castitatis vel religionis, vel non nubendi factum ab eo cui salubrius est matrimonium ob incontinentiam, & lapsum in res venereas, ita Bonac. ex Ledesma tract. 10. cap. 2. & aliis apud Sanches lib. 4. ratio est, quia votum debet esse de meliori bono in tali autem casu non est de meliori cùm salubrius sit matrimonium.

QVÆRES, *vtrum votum rem faciat magis laudabilem & meritoriam?*

Respondeo cum S. Thom. art. 6. dignitatem operis pensari ex dignitate virtutis, votum autem est actus latriæ, quæ imperatur à Religione, quæ præcipua est virtutum moralium, vnde est quod actus inferioris virtutis melior est, & magis meritorius ex hoc quod imperatur à superiori virtute, sicut actus fidei, & spei melior est si imperetur à charitate, & ideo opera aliarum virtutum moralium, puta ieiunare, quod est actus abstinentiæ, & continere, quod est actus castitatis, sunt meliora si fiant ex voto, quia sic iam pertinent ad cultum diuinum quasi quædam sacrificia, vnde August. lib. de virgin. cap. 8. dicit quod neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur. Tum qui vouet aliquid & facit plus se Deo subiicit, quam qui solùm facit, subiicit enim se non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliter facere sicut plus daret, qui arborem cum fructibus, quam qui solos fructus, vt Anselmus lib. de similitud. cap. 84. dicit & inde est, quod etiam promittentibus gratiæ aguntur, quia se obligant ad dandum, & tunc quodam modo dant, sicut dicitur fieri aliquid, cum fit eius causa, quia effectus continetur in virtute causæ. Adde quod facere ex voluntate firmata in bonum pertinet, ad perfectionem virtutis ex Arist. 2. Ethic. cap. 4. sicut etiam peccare mente obstinata aggrauat, & dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, votum autem firmat voluntatem in bonum.

DIces, voluntas quam firmare dicitur votum non potest magis firmari, quam cum actu facit, ergo non melius est facere cum voto, quàm sine voto.

Resp. facientem habere tunc voluntatem immobilem respectu operis, quod facit, & tunc quando facit: non autem manet voluntas firmata in futurum sicut vouentis, qui voluntatem obligauit ad aliquid faciendum, & ante quam faceret illud singulare opus & fortasse ad pluries faciendum.

Instabis 2. Cor. 9. Paulus docet seruiendum Deo prout destinauerit homo in corde suo non ex tristitia aut ex necessitate. Sed multi quæ vouent faciunt ex tristitia, quæ procedit ex necessitate, quam votum imponit.

Resp. quod necessitas coactionis in quantum est contraria voluntati tristitiam causat, vt dicit Arist. 5. Metaph. tex. 6. necessitas autem voti in his, qui sunt bene dispositi in quantum voluntatem confirmat causat gaudium, si tamen ipsum opus secundum se consideratum triste, & inuoluntarium redderetur post votum dum tamen remaneat voluntas adimplendi votum adhuc magis est meritorium, quam si fieret sine voto, quia impletio voti est actus religionis, quæ est potior virtus quàm abstinentia, cuius actus est ieiunare. Ad hæc nota votum cum sit voluntarium influere in omnes actus libertatem, consequenter illos dici liberos, quod ergo dicitur Psal. 53. *voluntarie sacrificabo tibi*, & quod Paulus habet ad Philemonem. *Ne veluti ex necessitate bonum tuum sit, sed voluntarium*, non opponitur necessitati, quæ oritur ex voto aut ex præcepto, sed coactioni, qua quis v. g. trahitur, quo ire non vult. Votum autem, factum fuit libere.

DIces, melius est donare aliquid gratis, quam ex obligatione ergo melius est facere sine voto.

Resp. 1. si illa obligatio orta sit ex liberali promissione, quod ex ea datur etiam gratis datur, non enim obligatio, quæ nascitur ex promissione liberali repugnat liberalitati, sed est effectus eius, 2. etsi hominibus gratius sit, vt aliquid eis gratis detur, quàm vt detur ex obligatione, (quia cùm gratis accipeunt videntur aliquid lucrari) Deo tamen non est semper gratius, quia non quærit lucrum ex operibus nostris: sed id semper est ei gratius, quod ex pluribus, vel melioribus effectibus procedit.

QVÆRES, *vtrum expediat aliquid vouere.*

Resp. affirmatiuè, vt colligitur ex Psal. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*, nihil frequentius apud Patres habetur, qui exemplo suo id docent, nec ratio quidquam magis, suadet, cum quæ Deo exhibemus nostram in vtilitatem cedant, homini quidem ad eius vtilitatem promittimus, Deo autem propter nostram, voto autem firmamus voluntatem ad id, quod expedit facere, & ideo expediens est vouere, adde quod opus ex voto habet duplicem laudem, quod ex se sit bonum & quod sit ex voto.

DIces, vouere est se periculo iniicere, quia quod ante votum sine periculo præteriri poterat, post votum si non seruetur damnosum est.

Resp. quando periculum nascitur ex ipso facto tunc illud non est expediens puta, quod aliquis per nauim ruinosam transmiet fluuium;

uium; sed si periculum imminet ex eo, quod homo deficit ab illo facto, non desinit propter hoc esse expediens, sicut expediens est ascendere equum, quamuis periculum immineat cadenti de equo, alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quæ etiam per accidens ex aliquo euentu possunt esse periculosa.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Fide tenendum est bonum esse vouere Deo opus non præceptum, animo deferendi cultum, & illi placendi.

Probatur ex scriptura Psal. 75. *Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius offertis munera: terribili, & ei qui aufert spiritum Principum.* Vbi etiam ponitur causa cur meritò vouere & vota reddere debeamus, nempe, quia *terribilis* est, & vitæ necisque in omnes summum ius habet. Isaiæ 19. *cognoscent Ægyptij* (id est Gentes conuersæ) *Dominum, & colent eum in hostiis, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent,* Hæc de Christianis prædicta esse Hierosl. Cyril. & alij exponunt, Timot. 5. vbi de viduis, quibusdam Paulus dicit, *Cum luxuriatæ fuerint Christo nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt,* quo loco per primam fidem omnes interpretes intelligunt votum continentiæ. Aug. in Psal. 75. *quid est,* inquit, *primam fidem irritam fecerunt: vouerunt & non reddiderunt,* adde quod vota antiquissima sunt cum Iacob patriarcha Gen. 28. *votum vouit, si fuerit Dominus mecum erit mihi in Deum, cunctorum decimas offeram.*

Probatur ex SS. Patribus, quos vel authores vel cultores fuisse, votorum & instituti monastici constat ij, autem non fecerunt alio intento, quàm colendi Deum, & inde sanctimoniam adeptos saltem ex parte, non ambigendum.

Probatur ratione, implicat fieri votum, & non animo colendi Deum, saltem implicitè, cum votum intrinsecè, sit quidam Dei cultus; nulla enim Deo fit promissio vel oblatio causâ leuandæ inopiæ vel vtilitatis conferendæ, sed solum causa honorandi, & gratum deferendi obsequium, vt vsus omnium gentium testatur. Secundò si votum ob aliam causam fieri potest, cur non etiam vt Deus honoretur, eique placeamus, nam Paulus hortatur vt omnia ad Dei gloriam faciamus, & constat ex scripturis vota placere Deo, cur ergo non poterimus vota facere animo cultus, id est vt Deo placeamus, sic enim cultus interpretandus est. Adde quod ratio naturalis dictat bonum esse, Numini vota nuncupare, illudque sic honorari, vnde omnes Gentes diis suis vota faciunt & soluunt putantque se hoc modo illos colere, & si ea non impleuerint grauiter in illos delinquere. Tum Deus colitur omni actu virtutis etiam non præcepto, nec ex voto facto, sed facto tamen propter Deum ergo multo magis, si is fiat ex voto.

Vide Bellarm. lib. 2. de monachis cap. 16. denique Deus ipse seuerè exigit vota ei facta Deutero. 23. *Si votum voueris non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus, & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum; si noluerus polliceri, absque peccato eris,* Ergo signum euidens est votum esse cultum Dei specialem, illo enim protestamur actus virtutum, (de quibus solis potest esse votum) ei vt pote summo bono placere.

Dices, quotquot fidem Christi profitemur, eo ipso toti sumus ei adstricti, quid igitur voto nos rursus ei tradimus? ridiculus porrò haberetur filius, qui tabulis obsignatis atque testibus vellet sese subdere patriæ potestati.

Resp. nos & omnia nostra Deo esse debita, & obstricta in hoc sensu, quod illa omnia accepimus ab eo, & eius beneficio retinemus, & proinde potest ille si velit omnia repetere, & nos tenemur facere, quicquid iusserit, tamen quia ille nobis reliquit multa libera, in quibus pro arbitrio possumus hoc aut illud facere, idcirco multa sunt Dei, & nostra simul: Dei, quia beneficio eius illa habemus: nostra, quia possumus disponere de illis pro arbitrio, dummodo non contra Deum. Quocirca quando vouemus, & offerimus aliquid Deo de rebus eius damus, & tamen verè damus, quia res illæ etiam nostræ erant, & potuissemus non dare. Ad exemplum.

Resp. filium non fore ridiculum si in iis rebus se subdat, in quibus alioquin sui iuris erat, nec enim parentes possunt omnia filiis imperare, & in iis etiam, quæ possunt sæpe non imperant, sed filiis dant optionem v. g. liberum est filiis vxorem ducere, vel non ducere, nec in hoc possunt à parentibus cogi.

Instabis promissionem factam in Baptismo de lege Dei seruanda, & renunciando pompis diaboli esse verum votum, præter quod superuacaneum sit aliud.

Resp. ex S. Thom., & Bonau. in 4. dist. 38. res imperatas à Deo non cadere propriè sub votum, quia illud est spontaneum nulloque modo necessarium. At promissio, quæ fit in baptismo, necessaria est, omnes enim ad baptismum obligantur lege diuinâ, etsi ea promissio esset votum, omnia Christianorum peccata essent duplicia, quia contra legem essent & contra votum, & sacrilegia essent, quia contra voti religionem.

Obligationem inducit votum cuius violatio est peccatum mortale ex genere suo, quia est contra reuerentiam debitam, Deo & notabilem contemptum, & vilipensionem Dei continere videtur, sicut qui fidem homini datam violat, censetur illum parui æstimare. Tenuitas tamen materiæ sæpe facit veniale, etsi enim nihil censendum sit parui momenti, quod ad Dei honorem pertinet cùm vitam æternam promereatur, tamen in ordine ad votum, & honorem Dei, partem leuem voti omittere non est mortale. Ita cum Lessio Doctores.

Cessat hæc obligatio quatuor aut quinque præsertim modis.

Primus est, quando talis, & tanta rerum mutatio accidit, quæ si ab initio præuisa fuisset votum in tali casu emissum non fuisset, ita Nauarr. Suarez dist. 4. q. 2. de voto, Bonac. v. g. si quis voueat se diebus veneris ieiunaturum, illique superueniat ægritudo, quæ ab obseruatione ieiunij, Ecclesiastici excusaret, tunc

tunc non censebitur ad ieiunium illud seruandum obligari. Aufertur commutatione, irritatione & dispensatione.

Commutatio est mutatio materiæ in aliam & potest fieri vel in æquè bonum & tunc in commutante requiritur potestas, & ex parte vouentis causa, vel fit in maius bonum veluti ieiunium ordinarium in strictius v. g. panis & aquæ, & hæc fieri potest à vouente.

Irritatio est quando materia quam vouemus vel voluntas vouentis subiecta est aliquo modo alienæ potestati & ab eius consensu dependens, tunc enim votum habet tacitam conditionem nisi superior, contradixerit, qui potest rescindere vt Abbas monachi, tutor pupilli, vir vxoris & si irritet & annullet tunc cessat & aufertur obligatio talium votorum.

Dispensatio est declaratio, quod aliquis non teneatur ad obseruantiam voti, hæc autem fit ab habente authoritatem Ecclesiasticam, vt sunt Prælati & Papa Appositè obseruant aliqui hanc esse differentiam inter dispensationem & irritationem, quod illa propriè spectat ad potestatem spiritualem, & vt valida sit causam legitimam requirat: irritatio verò pertinet ad potem dominatiuam siue spiritualis illa sit, siue naturalis, vel politica, neque ad hoc vt valida sit aliam causam requirat præter voluntatem Superioris.

Certum autem est in Ecclesia esse veram & legitimam potestatem dispensandi in votis & aliis obligationibus quibus homo erga Deum obstrictus tenetur, quod constat tum ex illimitata potestate soluendi Ecclesiæ data à Christo Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram erit solutum in cælo* tum ex titulo Pontificis Romani qui Vicarius est Christi tum ex Ecclesiæ perpetua praxi & Papæ vsu, qui tam in simplicibus quam in solemnibus votis dispensasse legitur, quia solemnitas voti sola Ecclesiæ constitutione est introducta vt habetur expressè c. vnico de voto in 6. ergo Ecclesia potest in ipsa dispensare: quia potest relaxare suam constitutionem. Alexander III. dispensauit cum Nicolao Iustiniano Monacho professo vt posset vxorem ducere ne familia tam illustris extingueretur, ex qua susceptis sex filiis & tribus filiabus ad monasterium rediit miraculis postea clarus. Habetur apud Volaterranum lib. 4 Hist. Idem Papa dispensauit cum Arragoniæ rege, qui cum esset monachus professus, & eius pater siue liberis obiisset, solutus est votis monasticis vt vxorem duceret: habetur in Annalibus Hispaniæ, dispensauit etiam cum Constantia filia Regis Siciliæ Moniali professa vt nuberet Henrico VI. Refert Platina in Cælestino III. Omitto alios & alia, quæ ad istam de voto materiam spectant.

QVÆSTIO V.

Quot modis peccetur in secundum Præceptum.

CONtra secundum Decalogi præceptum peccant illi qui iuramento falsum asseuerant scientes aut existimantes esse falsum, aut dubitantes, num sit verum, siue id contingat in re leui aut graui, siue iocandi, aut se excusandi gratia id faciant: & qui se periculo falsum iurandi se exponunt, aut qui aduertentes ex praua iurandi consuetudine se frequenter iurare falsum, de emendatione non curant Qui iuramento pollicentur quod non intendunt facere: qui de re mala facienda iurant, qui verum sed absque necessitate & in re leuis momenti, hoc autem veniale vt plurimum est nisi forte ob prauam consuetudinem & periculum peierandi fiat mortale.

Qui Blasphemias in Deum vel Sanctos proferunt, illos iniuriose nominando, qui rebus turpibus aut nefariis corpus, caput & sanguinem Dei interponunt. Peccant denique, qui vouent aliquod malum vel aliquod bonum sed malo fine. Item qui votum adimplere omittunt aut illius executionem sine vlla necessitate vel causa differunt. Qui vota realia illius cuius exceperunt hæreditatem adimplere non curant, qui alios ad vouendum vi, metu vel dolo inducunt, qui voti dispensationem obtentu causæ alicuius falsæ impetrare nituntur. Qui vota Sanctis nuncupata non implent, nam Prouerb. 20. dicitur. *Ruina est homini deuorare sanctos & post vota retractare.*

QVÆSTIO VI.

De Tertio Decalogi Præcepto,

Memento vt diem Sabbathi sanctifices.

CElebritas diei festi iure optimo præscribitur in 3. Decalogi mandato, cùm enim duobus prioribus tollantur impedimenta veræ religionis, nempe Idololatria, infidelitas &c. consentaneum fuit addi tertium aliquod præceptum quo pertrahantur homines ad veram religionem ad quam pertinet externo signo cultum vero Deo exhibere, ita S. Thom. 2. 2. quæst. 122. art. 4. Et quia præcepta Decalogi sunt quasi quædam prima & communia legis principia, ideo præcipitur cultus exterior Dei sub signo communis beneficij, quod ad omnes pertinet, scilicet creationis à qua requieuit Deus die 7. in cuius signum hæc dies sanctificari mandatur, id est seruitio Dei deputanda: hinc Exod. 20. ratio assignatur sanctificationis Sabbathi. *Quia sex diebus fecit Deus cælum & terram & in 7. die requieuit.*

Sabbathi obseruatio & sanctificatio non solum est tempore Mosis sed est ab origine mundi; vt, innuitur Gen. 2. *Benedixit diei septimo & sanctificauit illum quia in ipso cessauerat ab omni opere suo.* Nec dicas eius obseruationem non memorari in scriptura nisi post exitum ab Ægypto.

Respondeo enim præceptum istud tempore idololatriæ & seruitutis fuisse obliteratum & obliuioni traditum, sed tunc à Domino restitutum, ideo dicitur. *Memento* addo Sabbathum ante hanc legem obseruatum. Exod. 16. Dum pridie Sabbathi populus iubetur duplicem colligere mannæ mensuram & dicitur. *Requies Sabbathi sanctificata est Domino cras.* Quasi dicat, cras est Sabbathum sanctum

&

& Deo dicatum, ergo ab omni opere vacandum & Deo est seruiendum.

Hoc Decalogi præceptum partim morale est, partim ceremoniale, morale quidem quatenus per illud præcipitur vt homo sepositis aliis negotiis aliquod vitæ suæ tempus diuino cultui & religionis exercitiis deputet; Ceremoniale verò quatenus dies Sabbathi designatur, in quo temporalia opera intermittere & solius Dei cultui vacare iubetur: idque in memoriam beneficij creationis.

In quantum morale est, omnes semper obligat, inest enim homini inclinatio naturalis ad hoc quòd cuilibet rei necessariæ deputet aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & aliis huiuscemodi. Et sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum diuinis cadit sub præcepto. Sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi sic est ceremoniale, & ita præfixum Iudæis quod pœna violati erat mors ipsa, Exod. 31. *Qui polluerit Sabbathum morte moriatur.* & Numer. 5. de illo qui in die Sabbathi ligna collegerat cum essent filij Israel in solitudine Dominus dixerit ad Moysem. *Obruat eum lapidibus omnis turba extra castra*, nec licebat cibum coquere aut ignē ait Philo accēdere, nec quicquam vendere vel emere vel onus aliquod portare aut vltra domum iter facere, vltra mille (vel vt alij bis mille passus. Ceremoniale item fuit Iudæis vt celebrarent memoriam liberationis ab Ægyptiaca seruitute sicut dicitur Deut. 5. *Memento quod seruieris in Ægypto & eduxerit te Dominus Deus in manu forti, ideo præcepit tibi vt obseruares diem Sabbathi.*

Vt ceremoniale morte Christi antiquatum est, sicut & cæteræ legis ceremoniæ, & conuenienter in diem dominicum commutatum est ab Apostolis, vt notaui in Articulo de Traditionibus, in memoriam Resurrectionis determinauit autem Deus populo Hebræo diem Sabbathi quia illi populo rudi minus expediebat habere facultatem vt tempus diuino cultui deputandum suo arbitratu deligeret, ne forte Ægyptiorum sacra imitaretur.

Præceptum hoc affirmatiuum est, & negatiuum, & sanctificatio festi vtrumque habet annexum. Affirmatio exigit accedere ad Dei templum & ibi pia sinceraque animi intentione Sacro sancto Missæ sacrificio interesse & diem cultui diuino aliisque piis operibus impendere.

Ad hoc vero vt præcepto auditionis Missæ quam exigit Ecclesia satisfiat, duo præsertim requiruntur, Primum vt homo sit præsens corpore & mente attentus: qui enim sciens in aliqua Ecclesia Missam celebrari domi se contineret mentemque solam circa Mysteria Missæ applicaret, huic præcepto non satisfaceret, sicut nec ille qui corpore quidem præsens esset sed animo vanis cogitationibus, per notabilem partem Missæ deliberatè distraheretur. Non est verò necessarium vt notat Toletus lib. 6. cap. 6. auribus audite vel intellectu percipere ea quæ in Missa dicuntur, vel celebrantem videre oculis, sed moralis præsentia corporis & virtualis saltem attentio mentis sufficit.

Potest etiam quis, ex Tolet. & aliis, pro tempore quo Missæ interesse tenetur, simul recitare horas canonicas precesque alias ad quas obligatur, & vtrique obligationi simul satisfacere dummodo vt monet Nauar cap. 21. preces illas ita recitet, vt attentionem auditioni Missæ necessariam non omittat sciatque & velit Missam audire & saltem virtualiter huius sacrificij oblatione Deum colere.

Debet autem audiri integra Missa vsque ad Sacerdotis benedictionem cap. *Cum ad celebrandas* de consecrat. dist. 1. qui enim partem aliquam prætermittit absque iusta causa peccat, venialiter quidem si pars sit exigua, mortaliter si notabilis ait Nauar. Notabilem faciunt quæ extenditur vsque ad initium Euangelij. Syluester, Coninch. Azor, addit autem Tolet. posse vtcumque huic præcepto satisfieri si partem aliquam ab vno sacerdote & alteram ab alio audiat &c. obseruat nullam esse obligationem audiendi plures Missas ne quidem in die Natalis Domini.

Porro à præcepto Ecclesiastico audiendi Missam excusat impotentia siue Physica, siue moralis quando summa difficultas aut graue damnum spirituale vel temporale proprium vel alienum incurritur, idque iuxta regulam iuris 6. *Ad impossibile nemo tenetur.*

Præceptum hoc in quantum est negatiuum prohibet opera seruilia, seruile vocat S. Thom. quæst. 122. Illud ad cuius exercitium seruos deputatos habemus, vt Mechanica quæ seruis propriè conueniunt etiamsi per liberos nonnunquam exerceantur. Eaque opera prohibentur etiam iumentis, quia eorum vsus non potest esse sine opera hominis.

Docet autem Nauar. ex S. Thom. art. 4. Sex operum genera diebus festiuis posse exerceri. Primò ea quibus in diuino cultu aliquod obsequium exhibetur Secundò illa quibus spiritualia exercentur vt docere verbo vel scripto. Tertiò quæ sunt necessaria ad salutem propriam animæ vel corporis Quartò quæ ad salutem proximi spiritualem vel corporalem necessaria sunt, & propter hoc Machabæi non polluerunt Sabbathum pugnantes in eo ad sui defensionem vt legitur 1. Matth. 2. Vnde Matth. 12. Christus excusat discipulos colligentes spicas. Quinto quæ ad euitandum damnum suum vel proximi sunt necessaria. Sexto denique quæ ad ciborum præparationem requiruntur.

Et generatim loquendo quæcumque opera etiam seruilia licita redduntur ratione alicuius vrgentis necessitatis siue publicæ vt dicitur cap. *Licet* de Feriis siue priuatè, vt cum tempore Messis segetes ob pluuiam superuenturam exportantur, vel simile opus fit ad graue aliquod damnum euitandum vel ex necessitate, quæ iudicio prudentis viri iusta esse videatur; nam Ecclesia non obligat cum graui incommodo, & in legibus humanis datur Epicheia vt notat Bonacin.

DIces obseruantia diei dominicæ subrogatur Sabbatho, in quo nec itinerare, neć piscari nec cibos coquere licitum erat. Ergo prædicta opera nequaquam licent.

Respondeo subrogari non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ & consuetudine Christianorum. Nec huiusmodi obseruatio est figuralis sicut fuit obseruatio Sabbathi

bathi in lege. Et ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die dominica sicut in die Sabbathi, figura pertinet ad protestationem veritatis quam nec in modico præterire oportet ideo Iudæis stricte obseruanda erat, quia Deus totaliter cessarat & feriabatur à creatione nouarum saltem specierum, opera autem secundum se considerata maximè in Euangelica lege possunt pro loco & tempore immutari ad dispositionem Prælatorum.

QVÆSTIO VII.

Quot modis peccetur in Tertium Præceptum.

PEccant in primis qui diebus festis contra Ecclesiæ prohibitionem opera seruilia absque vlla legitima causa exercent. Qui alios ad id cogunt vel inducunt: peccant etiam Magistratus qui subditos permittunt vacare seruilibus. Et non curant vt audiant Missam.

Item qui citra necessitatem mercatus exercent. Qui totum diem festum aut maximam illius partem aleis, choreis & comessationibus &c. impendunt. Qui Missam audire contemnunt, aut sine attentione non audiunt.

Nota violatores festorum vt plurimum puniri à Deo exemplariter.

Dixi Festorum, & non tantum Dominicæ quia etsi Deus sabbathum solum sibi sacrum reseruasset concessis aliis sex diebus hebdomadæ operibus vsui hominum, multos tamen dies festos legimus institutos apud Iudæos ob aliqua beneficia recolenda. Et ob eandem causam Ecclesia Christiana dies qui redemptionis nostræ Mysteriis sunt consecrati aut rememoratiui feriari edixit, nec non & illos qui Sanctissimæ Virgini Matri Apostolorum Christianismi fundatorum aliorumque Sanctorum, religiosè coli voluit, vide quæ scripsi in traditione de festis.

QVÆSTIO VIII.

De Primo præcepto Secundæ Tabulæ, Quarto Decalogi.

Honora patrem tuum & Matrem tuam, &c.

DIuisio Legis diuinæ in duas partes seu Tabulas à Deo ipso facta est, vt ordinaretur charitas quæ est obiectum legis & quia charitas est virtus qua diligenda diligimus & odio habemus quæ odio sunt digna, seu amamus bonum & auertimur à peccato quod est per se malum, ideo in prima tabula data sunt præcepta quæ dirigunt & regulant dilectionem quam summo bono seu Deo debemus, corde, lingua & opere colendo ipsum summo amore & reuerentia. Iam conuenienter ordinatur charitas quæ respicit proximum. Inter proximos autem primum locum obtinent parentes nostri, qui sunt principium particulare nostræ existentiæ. Ideo primum præceptum secundæ tabulæ præscribit reuerentiam parentibus à libens præstandam & mercedem huic obseruantiæ adscribit vt sis longæuus super terram, quod S. Thom. intelligit non solum quantum ad futuram vitam, sed etiam quantum ad præsentem, iuxta illud 1. Timo. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.* Idque rationabiliter, qui enim gratus est benefico, meretur secundum quandam congruentiam vt sibi beneficium conseruetur, beneficium autem vitæ corporalis post Deum à parentibus habemus.

Nomine honoris iniuncti intelligitur non solùm actus exterior honorantis, quo honorans testatur & indicat reuerentiam & præeminentiam eius qui honoratur, sed etiam dilectio, obseruantia, obedientia & cultus, & subuentio in necessitate corporali & spirituali iuxta illud Prouerb. 3. *Honora Dominum de tua substantia.* Nec mirum si hæc omnia debeamus parentibus, cum Philosophi ipsi agnouerint Diis Parentibus & Magistris non posse æquiualens reddi. Philo vocat parentes, *Deos visibiles* quibus summè obligamur eo quod ab eis habeamus tria, essentiam, educationem, instructionem vt non mirum sit, si propterea rependere debeamus amorem, obedientiam & sustentationem. Ecclesiasticus ista insinuat cap. 7. Hæc omnia elucidantur à Casuistis, vnum sufficiat hic notare Filios teneri subuenire parentibus si possint in re corporali, & maximè in spirituali, procurando eis in articulo mortis Sacramentorum susceptionem, nec impediendo ne testamentum faciant, aliquidque erogent pauperibus in animæ suæ vtilitatem, nec priuando eos debito honore exequiarum, nec differendo solutionem legatorum, sic enim contra iustitiam peccarent, qua debita soluere tenentur & contra pietatem debitam parentibus Ita DD.

Obedientia debita limitatur ad ea quæ pertinent ad domesticam gubernationem, nec extenditur ad vitæ statum in materia religionis & matrimonij ait Bonac. quia in his filius est sui iuris. Ecclesia tamen prohibuit celebrari matrimonium insciis & inuitis parentibus, quia iure naturæ parentum consilium requiritur, cùm hoc conducat ad rectam domus & familiæ gubernationem.

Nec obiicias filium non teneri in hac materia sequi consilium patris, ergo nec illud petere.

Respondeo non teneri quidem sub peccato mortali ei adhærere, teneri tamen præmittere consilium.

Nomine *Patris & Matris* quatuor genera Personarum hic intelligi docent Summistæ 1. Parentes à quibus immediatè vel mediatè generationem accepimus, vt sunt Pater, Mater, auus, abauus, proauus 2. Superiores qui salutis nostræ curam habent, vt sunt Episcopi, Pastores & Sacerdotes, hi enim lacte ex vberibus Ecclesiæ deducto generant per verbum Dei & alunt per Sacramenta, vnde Heb. 13. *Obedite præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.*

3. Imperatores, Reges Magistratus, Tutores Curatores, Magisti, hi enim rempublicam administrant,

ministrant, in qua viuimus, & isti curam institutionis nostræ habent.

Quomodo peccetur in hoc primum secundæ Tabulæ præceptum satis ex contrapositione dictorum constat; Christi autem exemplum ad obseruantiam illius nos maximè moueat, qui fuit subditus Patri, Matri, Sacerdotibus Annæ, & Caiphæ, iudici Pilato, Regi, Herodi, & aliis.

QVÆSTIO IX.

De secundo præcepto, secundæ Tabulæ, quinto Decalogi

Non occides.

PRæter præcepta quibus homines religionis & pietatis operibus in Deum, & in parentes instituendi fuerunt, necessarium fuit addere alia præcepta quibus, ait, S. Thom. erga cæteros iustitiam seruare & colere iuberentur. Et ideo sex sequentia, quæ negatiua sunt, & nocumenta excludunt, quæ inferri possunt proximis (ad ea enim tanquam ad quædam Communiora & principaliora referri possunt) apposita fuerunt Decalogo. Licet autem non sufficiat ad salutem, quod quis non noceat proximo suo, & negatiuè ad eum se habeat, sed vt dicitur Rom. 13. *reddenda sint omnibus debita*, honoris, dilectionis & subuentionis, cùm teneamur, *proximum diligere sicut nosmetipsos*, Matth. 19. tamen quia quæ proximo sunt exhibenda diuersimodè, exhibentur diuersis; eaque charitas ipsa sufficienter dictat, ideo decalogus non continet affirmatiua præcepta de beneficiis exhibendis, sed implicitè tantum habet.

Hoc præcepto Non Occides secundum explicationem & ampliationem à Christo Domino summo legislatore appositam, tria præsertim prohibentur. Primum est quodcumque nocumentum corporale proximo iniustè illatum, vel per seipsum, vel per alium, iubendo, consulendo, consentiendo, aut alia quacumque ratione cooperando, vt explicat Catechismus Rom. Secundum est quodcumque conuitium, aut probrosum & iniuriosum verbum ex ira, & vindictæ appetitu prolatum. Tertium est quilibet deliberatus iræ motus, & vindictæ appetitus iniustus, etiamsi neque actu, neque vllo verbo aut signo exteriori se prodat. Hoc aperte colligitur ex verbis Christi Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis: Non Occides, ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo reus erit iudicio: Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit consilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quibus verbis Christus docet hoc Decalogi præcepto, non modo prohiberi homicidium, sed etiam quemlibet iniustum vindictæ appetitum, & quodlibet probrosum, & conuiciosum verbum, aut aliud iræ, & maleuolentiæ extertus signum, quibus veluti gradibus inter rixantes ad vltimum iræ & vindictæ effectum, homicidium scilicet, peruenitur. A fortiori prohibetur occisio animæ quæ fit per inductionem in peccatum mortale per quod amittitur gratia Dei: si enim Deus dixisset, *nec occidas corpus*, suam ad cædem corporis locutionem determinasset; sed absolutè dixit *ne occidas*, ergo de animæ occisione dictum intelligi debet eo maxime, quod hæc non prohibetur in aliis præceptis, nam si minor prohibetur cædes, quis non videat maiorem intelligi debere? si prohibetur furtum, ergo multo magis rapina.

Nota ex S. Ambros. cædem fieri posse positiuè & priuatiuè, afferendo causam mortis positiuam. Veluti iugulationem, aut negando, quæ ad conseruationem vitæ sunt necessaria: ideo si quis videat fame morientem, & non det panem causa priuatiua mortis illius est.

Nota hoc præcepto non vetari bestias occidi, quoniam illis vesci concessum est hominibus à Deo, consequenter & illas occidere.

Neque prohiberi iustam sanguinis effusionem & cædem male-factorum, qui perniciosi sunt Republicæ in quos Magistratus ex officio animaduertere debent, & more Medicorum extirpare membra, per quod totum corpus incurrit periculum mortis, & ad hoc Deus & ius Gentium Principi gladium dedit, vt ait Paul. Rom. 13. *Non frustra portat gladium, vindex enim est ad vindictam malorum & laudem bonorum*, & in Deuter. 19. Dominus dicit, *auferes malum de medio tui, non parcet oculus tuus vt miserearis*, &c. Sic puniuntur morte Latrones, homicidæ aliique perniciosi malefactores, iuxta leges prouinciarum. Ratio est, quia pars est propter totum, quare ob totius conseruationem potest exscindi, ergo ob reip. incolumitatem ille cui procuratio boni publici ex officio incumbit potest, & debet facinorosos occidere, ad innocentium conseruationem. Hac ratione ne illi quidem peccant, qui iusto bello non cupiditate aut crudelitate impulsi, sed solo publicæ vtilitatis studio vitam hostibus adimunt. Neque huius præcepti reus est, qui non sponte neque meditatò, sed fortuito hominem, occidit modo tamen in re iusta vacaret, & non incautè, sed circumspectè se gesserit, denique si quis vitæ suæ defendendæ causa, omni adhibita cautione, & moderamine inculpatæ tutelæ alterum interemerit, hac lege non tenetur, vide casus singulares apud Summistas.

QVÆRES, *an possit aliquis seipsum occidere.*

Respondeo quod non, quia homo non est liber, sed subiectus Deo, à quo vitam habet quam iure naturæ conseruare tenetur, nec est Dominus sui aut membrorum suorum, vt habetur lege liber homo ff. ad legem Aquiliam. Confirmatur ex Conc. Bracarensi, in quo decernitur, vt pro illis qui seipsos occidunt nulla fiat oblatio, vel oratio & cadauera non donentur Ecclesiastica sepultura, imò pœnam confiscationis bonorum addit lex ciuilis.

Hinc colligitur eum peccare, qui priuata authoritate occidit aliquem volentem aut consentientem, nullus enim potest dare facultatem hanc, cum nullus, sit vitæ suæ Dominus.

DIces, laudati & coli tanquam martyres, quosdam, qui seipsos directè occiderunt v.g. Samson qui columnas domus concutiens sibi mortem intulit. Lucretia violata à Tar-

quinio crudeli ferro mortem sibi consciuit multæ in Christianismo virgines sibi causa mortis fuere ne violarentur, quædam se in flumina, aliæ in flammas præcipitarunt.

Respondeo ex August. lib. 1. ciu. cap. 26. neminem spontaneam mortem inferre debere sibi, veluti fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas, neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter sua peccata prætetita, propter, quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari, neminem velut desiderio melioris vitæ quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit, quare Razias, qui ne in manus Nicanoris deueniret seipsum gladio peremit fortiter potius quàm prudenter fecit, ait August. Saul autem, & armiger eius non minus miserè quàm impiè Achitophel, & Iudas dum laqueo sibi vitam præripiunt flammis æternis se vouent. Theoprotus, qui vt refert August. legens librum Platonis de immortalitate animæ spe, & desiderio vitæ futuræ seipsum interfecit, sic vitam tam mortalem, quàm immortalem irrecuperabiliter perdidit. Lucretia quoque reprobanda. Ad Samsonem & Virgines.

Resp. Aug. cit. ex inspiratione diuina specialiter hoc factum, qua seclusa possent excusari per ignorantiam inculpatam, nam se occidere ob patriæ salutem, aut pudicitiæ custodiam non est ita euidens esse malum, quin inculpate ignorari possit, credique licitum, cum apud Ethnicos Stoïci, & apud Christianos Hiero. in cap. 1. Ionæ Palladius cap. 150. referendo historiam fœminæ Lausiacæ, quæ cum accerseretur à tyrando seipsam interfecit Ambros. & Eusebius commendando similes casus ob conseruationem pudicitiæ, hoc sensisse videantur. Virgines autem tales coluntur, vti martyres, quia ob Christi fidem ait Lessius, ad hoc fuerunt impulsæ, vnde cum illæ non peccarint, in tali facto censentur moraliter ab ipsis persecutoribus fidei occisæ.

QVÆRES, *an liceat se mutilare.*

Resp. affirmatiuè quando id necessarium est ad corporis salutem, quia membra sunt ob bonum totius.

An autem ob animæ salutem v. g. ad carnis tentationes vitandas aut superandas.

Respondeo id nunquam licere vt patet can. 21. Apost. & 1. Nicæn. Conc. ratio est quia id nunquam est medium necessarium ad animæ salutem, membra enim non afferunt homini perniciem, sed malus eorum vsus, alioquin Deus prauè naturam instituisse diceretur, quare qui ob hanc causam membrum aliquod secant, iniuriam & blasphemiam Deo irrogant. Adde neque etiam esse remedium conueniens aut vtile, quia castratio, de qua præcipuè est, quæstio, non tollit tentationes carnis, sed solùm impedit generationem, quin potius illi qui castrantur, præsertim in virili ætate magis incitantur libidine, vt docent Basil. lib. de Virginit. vbi id rationibus, & exemplis probat, Chrysost hom. 63. in Matth. quæ in Communi virginum refertur in breuiario, *Gratias Deo agas quod cum mercede atque corona idem sustines, quod illi* Eunuchi ex ventre matris aut ab hominibus facti. *Imò vero non, idem, quia non ita ingentibus concupiscentiæ fluctibus iactaris.* Idem docet August lib. 6. contra Iulian. cap. 5. vnde passim reprehenditur Origenes, qui anno Domini 208. simpliciùs interpretatus textum Matthæi 19. de castratione propter regnum cœlorum, & quia cum esset adolescens, & non solum cum viris, sed etiam cum mulieribus frequenter, de rebus diuinis sermones conferret, vt omnem obtrectationis causam calumniatoribus adimeret, seipsum secretè castrauit, vt refert Eusebius lib. 6. capite 7. hist.

Scribunt aliqui S. Marcum pollicem sibi præcidisse ex humilitate ne cogeretur sacris initiari. Ergo ob similem casum licita erit mutilatio.

Respondet Baron. ad annum 45. fuisse quemdam Monachum anachoretam Marcum nomine, qui nisi diuina fecerit inspiratione, vel ignorantia probabili excusetur, non est in eo laudandus.

QVÆSTIO X.

Quot modis peccetur contra hoc præceptum.

PEccant in primis, qui iniustum vindictæ appetitum deliberatè concipiunt, qui se motu aliquo iræ vltra rationis, aut charitatis limites abripi sinunt: qui verba contumeliosa & conuitiis plena in alios proferunt, qui sibi ex desperatione mortem optant, vel inferre conantur: Qui temerè & sine vlla rationabili causa se mortis periculo exponunt.

Qui aliquem sibi non subditum verberant, vel subditum sine causa, aut si ex iusta causa, cum excessu vnde læsio grauis sequatur, vel mors. Item qui sine legitima authoritate alterum mutilant, vel occidunt, aut cum legitima authoritate, sed sine iusta & sufficienti causa, vel ex praua intentione. Qui alium occidunt ob vitæ, vel honoris, aut pudicitiæ, vel fortunarum defensionem, sed non seruato moderamine inculpatæ tutelæ: Qui alium casualiter, quidem & præter intentionem occidunt, sed non adhibita sufficienti diligentia, aut qui ex ignorantia, vel negligentia omittunt aliquid, quod tenebantur, ex quo mors alterius sequitur.

Duellum acceptantes & ad illud prouocantes, consentientes, aut non impedientes cum possint. Qui duello tanquam patrini, vt dicitur, aut spectatores intersunt, qui consilio, fauore, aut quauis alia ratione duello cooperantur, qui omnes censuris Ecclesiasticis à Conc. Trident. quas Clem. VIII. renouauit & extendit anno 1592. 16. Calendas Septembris inuoluuntur, ibi excommunicatio, omnium bonorum proscriptio, perpetuæ infamiæ nota, morientibus in ipso conflictu priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ decernitur.

Peccant etiam contra hoc præceptum mulieres, quæ pharmacum sumunt, aut aliquod aliud adhibent remedium directè tendens ad impediendam conceptionem fœtus, vel ad expulsionem, & abortum illius siue animatus, sit siue non: peccant matres, quæ infantes in eodem

eodem lecto secum ponunt, cum periculo illos opprimendi.

Remedium præsentissimum huic peccato, inter ea quæ in proximum fiunt grauissimo, quod ideo dicitur in Genesi inclamare vindictam, *vox sanguinis fratris tui*, Abelis, *clamat ad me de terra* est considerare, quod non tam homini, quam Deo iniuriosum sit, quia cùm homo sit imago Dei viuentis, qui viuam eius imaginem destruit, Deo reus fit læsæ maiestatis, adde quod homicidium iniustum destruit Euangelium, quod in obliuione iniuriarum & charitate fundatur.

QVÆSTIO XI.

De Tertiæ præcepto, secundo Tabulæ, Sexto Decalogi,

Non mœchaberis.

POst præceptum homini datum de non nocendo, vitæ proximi per homicidium, recto ordine datur singulare, quo sanctum matrimonij vinculum adulterij scelere violari prohibetur. Vetat autem hic Deus omnem concubitum extra matrimonium omnemque membrorum illorum, quæ generationi destinata sunt abusum, scilicet fornicationem, stuprum, adulterium, incestum, raptum, & peccatum contra naturam, quod distinguitur à Casuistis in mollitiem, id est pollutionem voluntariam, sodomiam, & bestialitatem. Ex parte enin notiori & famosiori putâ mœchia, siue adulterio totum libidinis genus intelligi voluit & omnem impuritatis, & impudicitiæ modum, quo corpus polluitur. Quam expositionem non tantum habent, S. Ambros. hic, August. qu. 71. super Exodum, sed & sacra scriptura cum veteris tum noui Testamenti variis in locis innuit, adde & prohiberi inducentia, tactus impudicos, litteras, &c.

Dixi supra, quodlibet præceptum dici posse duplex, quia affirmatiuum includit negatiuum, & istud inuoluit affirmatiuum. Hoc de non mœchando includit affirmatiuum de obseruanda Temperantia, quæ voluptatem circa res venereas regulat ad normam legis diuinæ, cui recta ratio conformatur consequenter omnis impudicitia vetatur, & castitas animi & corporis præcipitur.

Exprimitur autem, adulterium, quia præter turpitudinem, quæ illi cum aliis intemperantiæ generibus communis est, iniustitiæ quoque peccatum non solum in proximum, sed etiam in ciuilem societatem adiunctam habet; adde quod sacramentum matrimonij, & fidem naturalem violat, vnde S. Thom. de sacrilegio, & proditione accusat adulteros.

Circa hoc præceptum duo probanda habeo ad instructionem veri Catholici, Fornicationem scilicet & mollitiem esse peccata mortalia, de cæteris enim luxuriæ speciebus non dubitatur.

PROPOSITIO CATHOLICA.

SImplex fornicatio seu concubitus soluti, cum soluta est peccatum mortale, est de fide, &c.

Probatur ex scriptura in veter. Test. Deus prohibet fornicationem, *Non erit meretrix de filiabus Israel*, Nec scortator de filiis Israel. Deuter 22 & 23. abominationem vocat, *Non offeres mercedem prostibuli quoniam abominatio est.* Tobias instruens filium ait cap. 4. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuum non patiaris crimen scire.* 1. Cor. 6. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, nque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt*, Galat. 6. *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, &c. *quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.* Ephes 5. *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immũdus, aut auarus, quod est idolorum seruitus non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei, nemo vos seducat inanibus verbis.* Heb. 6. *fonicatores & adulteros iudicabit Dominus.*

Porrò rectè obseruat Lessius lib. 4. de iustit. & iure cap. 3. fornicationem in Christianis specialem haberi deformitatem ratione Sacramentorum Baptismi & Eucharistiæ, quibus corpora nostra facta sunt membra Christi, & in templum Spiritui sancto consecrata, vnde Paul. cit. ait, *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi, tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit* & infra. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno.* Vbi tribus argumentis deterret à fornicatione, primum est, quod per fornicationem suffuramur Christo corpus nostrum, & in eius iniuriam tradimus illud meretrici, 2. quod Spiritui sancto fit iniuria, hunc enim aliquo modo eiicimus dum per fornicationem templum eius, quod est corpus nostrum prophanamus, *si quis autem violauerit templum Dei disperdet illum Deus*, videtis, inquit, August. lib. de 10. chordis, quomodo minatur, *Non vis corrumpi domum tuam quare corrumpis domum Dei?* 3. oportet, inquit, Apostolus vos magnifacere corpora vestra, & non ea dæmoni obstringere, & quasi gratis dare breui turpique voluptate, quæ tanto pretio Sanguinis Christi empta sunt, *Glorificate ergo Deum*, magni faciendo corpus & castum illud seruando in obsequium Dei & Christi.

Probatur ex S S. Patribus August. lib. de 10. chordis, *facis iniuriam Deo dum teipsum corrumpis & vnde inquis? vnde tibi facit iniuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam in qua imago tua est. Cùm vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis, per fornicationes, & per diffluentias libidinis non attendis cuius imaginem violasti, cui contumeliam fecisti?* Hiero. in epist. *O ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla praua colloquia, cuius*

sumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna. Beda in templo Salom. *Breuis est voluptas fornicationis, sed perpetua pœna fornicationis.* Idem docent Scholastici. Nec obstat quod aliqui Iurisperiti concubinatum dicant esse, *Legitimum coitum*, ita Bartolus in L. penult. tit. de concubinis & quidam alij, quia solùm volunt dicere legibus permitti & non puniri, vt enim in lege dicitur. *Quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis pœnam est.* Sed melius diceret esse lege permissum, quàm legitimum vt notat Couarr. de sponsalib. part. 1. cap. 4 num. 3.

Probatur Ratione. In fornicatione prætermittitur illa conditio quam naturæ lex in generatione humana ad eius finem, qui est bona prolis institutio obtinendum, requirit, ac proinde ipsa repugnat illi fini: atqui hæc inordinatio est grauis & in re graui. Ergo est peccatum mortiferum Maior probatur, nam sicut Deus instituit id quod erat necessarium ad prolem concipiendam & pariendam, nimirum vim generandi & organa opportuna ita instituit id quod erat necessarium ad prolem rectè educandam & promouendam ad perfectum statum hominis. nam finis generationis humanæ est proles perfecta: hoc autem est vinculum insolubile maris & fœminæ posito mutuo consensu; quod matrimonium vocamus, sine enim tali vinculo humano more fieri non poterat vt proles rectè educaretur cum ad hoc non solum materna sed etiam paterna cura sit necessaria. Nec refert quod incommodo prolis educandæ, possit occurri alia ratione, vt si cum certa pensione constituatur vir probus qui curam prolis suscipiat, tum quia in paucioribus locum habet, nimirum in diuitibus, & ita his solis non autem pauperibus licita vel non mortifera erit fornicatio, & quo quis ditior erit eò cum pluribus fornicari poterit, quæ sunt absurda, tum quia id non tollit inordinationem quam actus per se habet, quatenus in eo prætermittitur illa conditio personarum quam ipsa natura instituit & requirit in illo actu ad prolis suscipiendæ perfectionem.

Secunda ratio petitur ex Arist. Ethic. 7. *Delectabile quod est in tactu & gustu non est eligibile propter se, sed propter aliud, vt cibus propter conseruationem indiuidui, & tactus venereus propter conseruationem speciei.* Ergo fornicatio quæ solam delectationem habet pro fine est contra naturam. Quod si dicas te intendere susceptionem prolis ab ea quam carnaliter cognoscis: respondebo accipiendam ergo esse in vxorem & non in concubinam, cum filij legitimi spuriis sint præferendi. Instabis forte quod ad concubinam diuertas quia vxor tua sterilis es, nec satisfaciat desiderio tibi innato habendæ prolis.

Respondeo ex August. lib. de bono coniugali. *Melius est sine liberis mori quam eos ex illicito concubitu gignere,* propensio itaque generandi sui simile modo licito & conuenienti seu rationabili quem viri probi agnoscunt esse solum matrimonium est effectus in homine naturæ bene ordinatæ, at delectatione sola & voluptate ad hoc ferri deuiare est à iusto dictamine naturæ rationalis quæ scopum & finem actionis suæ respicit, & in brutum animal quod sensus voluptatem solam imaginatur declinare.

Ipsa autem natura quæ animalibus implantauit affectum commixtionis sexuum indidit pariter inclinationem curandæ & educandæ sobolis, idque ita prouidè vt masculum fœminæ determinarit, quando ambo cura requiritur, vt patet in volucribus inter quos determinatus masculus particularibus femellis agnoscitur. Quod autem id in terrestribus non deprehendatur animantibus, est, quia ad lactationem & educationem sufficiat fæmella, & inde est quod confusa vaga & promiscua sit inter animantes commixtio, pluresque vt plurimum masculi vnam & eandem insiliant femellam.

Apage vero quale in mundo animal magis indigum speciali ad educationem cura & sollicitudine progenitorum suorum ipso homine Necesse ergo certos & determinatos ad hanc parentes habere debet qui extra matrimonium non agnoscuntur. Indeque est quod fornicatio sit præter & contra ordinem naturæ, periclitatur enim soboles aut saltem cura & sollicitudine patris non sine singulari damno caret.

Dices in fornicatione, quando prouidetur educationi prolis parua est inordinatio, quia nec est contra dilectionem Dei, proximi, suipsius, ergo hæc non est peccatum mortale eo maximè quòd stimulet natura.

Respondeo inordinationem esse grauem cum sit omissio debiti ordinis, qui iure & instituto naturæ est necessarius in illo actu ad prolis complementum, & sane si leuis esset iure naturæ, ius diuinum superueniens prohibensque non efficeret grauem, sed relinqueret eam in suo gradu; Nam Deus prohibens aliquid iure naturæ illicitum, non facit illud peius, sed eius malitiam inculcat & expressius proponit: non enim ideo malum est quia prohibetur, sed quia malum ideo prohibetur, vt patet in mendacio, verbo otioso & similibus, quæ ex genere suo leuia sunt: Tum fornicatio reduci potest ad ea peccata quæ sunt contra charitatem proximi, cum sit contra bonum prolis nascituræ, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 154. Nec obstat si aliquis fornicando sufficienter prouideat proli, quia id quod cadit sub legis determinatione iudicatur secundum id quod communiter accidit, & non secundum id quod in aliquo casu accidere potest.

Dices nullum peccatum mortale præcipitur à Deo, sed Osee 1. iniungitur sumere sibi vxorem fornicariam & facere filios fornicationum. Ergo non est peccatum.

Respondeo non iniungi fornicationem sed legitimum concubitum matrimonialem quem exprimit vox *Vxoris* prius fornicationi deditæ, quòd si filij dicantur fornicationum id est Hebraismus, quo prius nomen retinetur interdum, vel est ad Mysterium indicandum propter quod tale præceptum datum fuit Prophetæ, scilicet vt filij qui suis nominibus & ordine nascendi repræsentaturi sunt, filios Israel (qui erant vere filij fornicationum per assiduam & multiplicem idololatriam fornicantes à Deo) vltionem diuinam eis impendentem repræsentarent, vnde hic non agitur de actu

actu carnali fornicationis permittendo.

Dato autem quod præciperetur à Deo fornicatio, inde concluderetur tantùm licitam esse dispensationem à Deo, tuncque non esset peccatum, nam fornicatio dicitur esse peccatum in quantum est contra rectam rationem, ratio autem hominis recta est secundum quod regulatur à voluntate diuina quæ est prima regula, quod ergo ex ipso fit, licet sit contra ordinem naturæ vt occisio filij, Abrahæ iniuncta, non est contra rectam rationem, sed perfecta obedientia.

DIces legem humanam non animaduertere in fornicationem simplicem, quia sine gratia speciali, quam dare non potest natura, hanc homo vitare non potest, vel ergo iusta est lex ciuilis non puniens, consequenter non supponit criminosam esse fornicationem aut certè iniustitiæ damnanda.

Respondeo legem ciuilem habere pro obiecto pacem publicam, quæ nequaquam haberetur si corporaliter puniret scortationes & fornicationem, melius enim est conniuere alicui malo, quam destructiuum Reipublicæ incurrere. *Tolle meretrices de ciuitate, & cætera libidinibus conturbabis.* Sat est quod infamiæ nota inurat meretrices, & filios illegitimos arceat ab hæreditaris paternæ successiuo iure. Esto autem lege humana permittatur, aut non puniatur fornicatio, quia natura non dat continentiam quæ est speciale donum à Deo per gratiam obtinendum, lex diuina hanc vetat vt expresse notaui ipsaque suppeditat Christiano gratiam, quare qui incidit in fornicationem non potest excusari à peccato mortali, quod solum excludit à regno Dei, de ipsa autem dicitur Galat. 5. *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Hoc præcepto prohiberi peccatum quod vocatur Mollities, seu pollutio voluntaria (quam inter peccata contra naturam recensent Doctores) satis constat de qua Apostolus 1. Cor. 6. *Neque molles possidebunt regnum Dei.* Idque quia est contra primarium finem naturæ qui est generatio vel conceptio prolis, vnde caret principali ordine & habitudine quam natura in decisione seminis humani requirit. Confirmatur, quia si fornicatio est peccatum mortiferum, quæ tamen solùm caret debito ordine ad prolis educationem: magis hic actus qui repugnat conceptioni. Si tamen voluntarius sit, nam vt docent cum S. Thom. DD. nocturna pollutio secundum se non habet rationem peccati, omne enim peccatum dependet ex iudicio rationis. In dormientibus autem ratio non habet liberum iudicium. Quod si in scriptura notentur datæ dormientibus increpationes, vel instructiones, vel merita, id factum est quia apprehensio rationis non ita impeditur per vaporum sensitiuas interiores vires opprimentium turbulentiam, sicut iudicium quod perficitur per conuersionem ad sensibilia, quæ sunt prima principia cogitationis humanæ Et ideo nihil prohibet hominem dormiendo apprehendere aliquid de nouo, vel ex ipsis reliquiis præcedentium cogitationum, & phantasmatibus oblatis, vel etiam ex reuelatione diuina.

DIces fas est detrahere sanguinem sanitatis causa, imo & secare membrum, cur non & excernere semen superfluum quod nocet sanitati, & infestissimas acuit tentationes.

Respondeo, quod tentationis leniendæ causa non licet procurare pollutionem, sic enim tentatio non vincitur sed ei succumbitur. Si id liceret, cur Sancti tantam inediam & asperitates subierunt carnis domandæ causa! Cur hoc certamen durissimum, & præcipuum hominis Christiani à SS. Patribus est habitum, vnde Isidor. lib. de summo bono cap. 39. dicit genus humanum magis subditur Diabolo per carnis luxuriam quàm per aliud peccatum, quia scilicet difficilius est vincere vehementiam huius passionis, & August. lib. de honestate mulierum cap. 2. *Inter omnia Christianorum certamina sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana pugna & rara victoria.*

DIces nemini facio iniuriam, non possum ebullientis ætatis ardorem sustinere, ergo vel mulieris accessu, vel exteriori euacuandus humor.

Respondeo verum esse quod Sap. 8. dicitur continentiam non posse haberi sine auxilio Dei, hoc autem non denegat petentibus cum sit paratum si homo faciat quod in se est: iubendo ait Conc. Trid. monet facere quod possis, petere quod non possis, & adiuuat vt possis quod si vteris, nube. Vnicum hoc est remedium iis qui sui sunt iuris.

De modis quibus peccetur in hoc præceptum Decalogi satis constat.

QVÆSTIO XII.

De IV. Præcepto II. Tabulæ VII. Decalogi.

Non furtum facies.

VEtus fuit mos in Ecclesia ait Catechismus Romanus inculcare populis per Parochos vim & ratione huius præcepti, quia tali Doctrina non solùm frequentia temporum illorum contra hoc præceptum peccata corrigebant, sed etiam rumores tumultuosos ac lites sedabant aliasque malorum causas quæ furto commoueri solent excidebant, cum enim bona temporalia & illorum Dominium vel possessio vel vsus quæ sunt materia huius præcepti data sint homini in creatione, Genesis 1. *Dominamini piscibus maris, volatilibus cæli & vniuersis animantibus quæ mouetur super terram,* & iure gentium distincta fuerit possessio horum bonorum (quam hoc septimo præcepto Deus confirmat, dum prohibet ne quis rem alienam accipiat) qui eam surripit peccat contra humanam societatem, contra particulares proximos & consequenter contra seipsum, quæ omnia non solùm sunt contra charitatem, sed etiam contra iustitiam. Alia etiam sequuntur ex furto incommoda, illi quibus occulte ablata sunt bona, faciunt multa iudicia temeraria cogitantes quod iste vel ille abstulerit, vnde erumpunt odia,

odia, suscitantur inimicitiæ, existunt interdum acerbissimæ hominum innocentium damnationes hinc, Deus qui in tutelam veluti suam bona nostra exteriora suscepit, ita strictè præcipit ne iniustè aut inuitis Dominis quisquam ea surripere aut detinere possit, quin iniuria illa in ipsum refundatur, ac obedientia illi debita violetur, & quod singularissimè est notandum nolit absolui reum peccati pœnitentem nisi restituat ablatum, furti enim effectus sunt peccatum & obligatio restituendi. Magni ergo facienda est huius præcepti obseruatio, & singulari examine illius obligationes peruestigandæ sunt, præsertim cum innumeris prope modis in illud peccetur. Non inordinatè tamen prænotauero exprimi furtum in hoc præcepto & non Rapinam, quæ violentiam in expilando habet, & maius est peccatum. Quia furtum latiùs patet, & ad plura pertinet quam rapinæ quas tantummodo facere possunt qui potentia & viribus præstant. Ex prohibitione autem furti prohibitio Rapinæ vt pote grauioris facinoris sat intelligitur.

Furtum ex genere suo esse peccatum mortale, constat, tum ex virtutibus quibus opponitur Charitati & iustitiæ, tum ex lege diuina quam violat, quæ variis in locis scripturæ vti ab hac Decalogi emanata repetitur. Exodi 22. *Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, quinque pro vno restituet pro boue, & quatuor pro oue.* 1. Cor. 6. *Neque fures neque auari possidebunt regnum Dei* 1. Petri 4. *Nemo vestrum patiatur vt homicida aut fur, aut maledicus aut alienorum appetitor.* supple sit, Zachar. 6. *Omnis fur iudicabitur & veniet ad domum furis maledictio, & eum consumet & ligna eius & lapides eius.* Furtum dicitur quasi quod fert, seu aufert tuum. Definitur autem à Theologis. *Occulta rei alienæ acceptio inuito Domino.* Iurisperiti autem l. 1. §. Furtum sic habent. *Furtum est contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi gratia vel ipsius rei vel etiam vsus vel possessionis.* Hic quatuor causæ furti exprimuntur materia est res aliena, hæc autem consistit, vel in ipsa re, vel Dominio vel possessione vel iure vel fructibus rei, denique per alienum intelligitur omne quod non est eius qui accipit, sed alterius. Forma explicatur tribus verbis. Primum est *contrectatio* quæ significat omnem iniustam vsurpationem siue damnificando, vt comburendo, siue accipiendo aut auferendo siue vtendo vt alienum equum equitando, siue retinendo, vt si nō restituas quod debitum est. Secundum est. *Occulta* vt distinguatur à rapina quæ palam rem alienam vsurpat. Tertium est *inuito Domino.* Quia de consensu Domini quis potest vti re aliena, expresso vel præsumpto, si quis enim putet non displicere Domino non faciet furtum quando occultè aliquid capiet eò quòd fortè per verecundiam ait Lessius vereatur petere: debet autem Dominus esse cum ratione inuitus, vnde qui occultè accipit in extrema necessitate non est fur. Item qui compensandi causa, quando aliter quod suum est recuperare nequit. Efficiens furti est ille qui aufert & omnes cooperatores, scilicet ij qui furari imperant: qui non modo sunt ipsi furtorum socij & authores, sed etiam in furum genere deterrimi. Consilium dantes, consentientes furto. Participes illius. Non impedientes cum possint prohibere. Non indicantes & se scire dissimulantes. Omnes furtorum adiutores quique illis receptaculum præbent & domicilium & furtum custodiunt. Nec huius sceleris omnino sunt expertes, furtorum Approbatores & Laudatores imò nec filij familias & vxores qui à patribus & viris pecunias surripiunt. Modi isti memoriæ iuuandæ causa duobus versibus complexi sunt à DD.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Finis furti dependet à fure estque vt plurimum luxus, crapula, ludus &c.

Furtum diuiditur ex parte materiæ, quæ surripitur & ex parte modi & ex parte efficientis. Id propriè *Furtum* dicitur quod priuato homini surripitur. Si publico, vocatur *Peculatus* v. g. communitatis pecuniæ, si homo liber v. g. aut seruus alienus abducitur, *Plagium* seu crimen plagiatus si fiat ad vendendum vel retinendum mancipium, si verò fiat ad fruendum dicitur raptus, si res sacra, aut profana in loco sacro tanquam in asylo deposita aufeferatur, committitur peccatum *Sacrilegij.* Quod specialiter punire solet Deus in hac vita, vt constat de Balthasare Danielis 4. de Antiocho 1. Machab. 6. Heliodoro à Seleuco Asiæ rege missa vt diriperet thesauros templi ab Angelis fœdissimè flagellato 2. Machab. 3.

Ex parte modi si cum violentia & sciente Domino eum is maximè contemnatur, maior proculdubio est offensa, hinc vocatur Rapina.

Ex parte efficientis furtum est ipsa externa actio furandi & contrectatio iam dicta, quæ inducit peccatum & obligationem restituendi, aliquando vero est tantum furtum mentale seu desiderium surripiendi rem alienam, hoc sequitur peccatum, quia vt August. ait quæst. 71. in Exod. 1. hoc septimo præcepto prohibetur non solùm quæuis iniusta rei alienæ acceptio & detentio, quæ furti nomine designatur sed etiam quæuis alia iniusta rei alienæ contrectatio aut damni illatio. Nec non & quæuis deliberata voluntas alterius rem vsurpandi, vel detinendi aut damnum illi inferendi. Nam Lex Dei est spiritualis, quæ animam fontem cogitationum & consiliorum inspicit, de *corde enim* inquit Dominus *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta &c.* Dixi supra furtum ex genere suo esse peccatum mortale, intellige, nisi rei paruitas excuset. Difficultas est quænam quantitas sufficiat ad peccatum mort. Nauarrus putat dimidium regalem qui tempore suo quinque solidis aut circiter æstimabatur. Toletus vnum vel duos respectu ditissimi requirit, Sotus lib. 5. quæst. 3. vnum vel duos aureos. Probabilius est summam taxandam esse arbitrio prudentum pro varia personarum & locorum conditione. Quia quod respectu vnius censetur notabile, respectu alterius non censetur tale sed parui momenti. Medina & Toletus statuunt absolutè duos regales esse quantitatem notabilem quamuis etiam minor summa talis censeri possit, si notabilem læsionem secum trahat, vt si pauperi surrepta fuerit quod confirmari potest ex Nauarro, qui refert in quibusdam Episcopatibus solitam fieri

fieri excommunicationem ob furtum duorum regalium. Id autem vetat Conc. Trident. sess. 25. cap. 3. statuens vt huiusmodi excommunicationes non ferantur, nisi ob rem non vulgarem causâ per Episcopum diligenter examinata.

Addo prohiberi hoc præcepto omnem iniustitiam, fraudem, & dolum quo damnum infertur emptione, venditione iniqua, vel negotiatione illicita, vbi aduerte negotiationem quidem illicitam, sed multa inuoluere pericula, quæ considerans Ecclesiasticus cap. 25. dixit, *tres species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt, difficile exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum*, Ratio est, quia obnoxia est multis fraudibus, dolis, mendaciis, iuramentis, & lucris iniustis, lucrum autem iniustum non potest esse sine damno iniusto, vnde August. *Lucrum in arca damnum in conscientia*, & cum plurimi negotientur vt ditescant vix id statim fit absque aliquibus iniustis lucris, vel vsuris.

Fraudes in negotiatione hæ solent notari. Primò circa rei pretium 2. circa substantiam, aut qualitatem 3. circa mensuram & pondus. Quantum ad primum non est licitum quolibet pretio vendere, sed solum legitimo, quod vel à magistratu determinatum est, vel pro loco ac tempore æstimatur, quod quidem non consistit in indiuisibili, vt aiunt, sed aliud dicitur rigorosum aliud moderatum aliud infimum, si vltra rigorosum accipit venditor peccat contra hoc præceptum, & tenetur ad restitutionem: Hinc peccant illi, qui videntes pauperem in necessitate cogunt cariùs emere quàm res valeat, & qui vt res excedat pretium iustum monopolio facto mercis alicuius speciem totam comparant. Nota tamen induci posse multam varietatem à loco, tempore, & aliquo accidente. Peccant & illi qui egestatis tempore res vsibus, & victui hominis necessarias detinent, vt annonæ caritatem augeant, hinc Prouerb. 11. dicitur, *qui abscondit frumenta maledicetur in populis*. Ecclesi. autem 4. dicitur, *maledicentis tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio* Sæpeque visum est maledictionem Dei sequi popularem.

Qantum ad 2. circa rei substantiam, aut qualitatem peccantes in venditione rei fiunt huius præcepti, adulterantes monetam, vitiantes, aut miscentes vinum, &c.

Quantum ad 3. si fraudetur pondus, aut mensura est abominandum Prouerb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum & pondus æquum voluntas eius*, & Deuter. 25. *Non habebis diuersa pondera maius, & minus, pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi.*

Omnes status heminum, quadam iniustitiæ macula aspersos notamus, & contra hoc præceptum Decalogi, per cupiditatem peccare, quod considerans Ieremias 6. dicebat, *Extendam super habitantes terram manus meas dicit Dominus, à minore quippe vsque ad maiorem omnes student auaritiæ, & à propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.*

Peccatur præterea contra hoc præceptum his modis quos enumerat Catechismus.

Qui furto sublatas res emunt.

Qui res occupatas, aut ademptas contra ius retinent.

Qui seruis, aut mercenariis stipendium debitum detinent, aut absque vlla ratione illius solutionem notabiliter differunt, quod quidem peccatum adhuc grauius est si ex illa dilatione damnum notabile illis adueniat.

Qui ad lucrum in ludis, vel sponsionibus faciendum fraude, vel dolo vtuntur.

Qui res inuentas, cum possint vero Domino non restituunt, vel diligentiam requisitam ad illum dignoscendum adhibere non curant.

Qui fictis simulatisque verbis, quiue fallaci mendicitate pecuniam extorquent.

Qui dominorum facultates non fideliter tractant. Et Custodes infidi, quos detestabiles vocat Catechismus, quia fures clauibus excluduntur, ipsis autem nihil occlusum esse potest.

Operarij & artifices integram mercedem exigentes, cùm iustam & debitam operam non præstarint. Ad rapinam recensentur.

Qui debita vectigalia magistratibus, aut Prelatis decimas iustas non persoluunt, vel interuertunt, aut ad se transferunt.

Iudices qui venalia habent iudicia, & pretio muneribusque acceptis causas optimas pauperum euertunt, & iniustam contra eos ferunt sententiam.

Qui dant operam vt necessaria ad victum cariora fiant.

Fraudatores creditorum, qui statuto tempore promissa non soluunt, hinc enim fit vt mercatores ob damnum inde sequutum carius omnia vendant, cum detrimento notabili populorum, ideo Propheta ait Psal. 36. *Mutuabitur peccator & non soluet.*

Fœneratores sunt rapaces acerrimi, qui ex mutuo vsuras exigentes variis artibus palliatas, miseram plebem expilant ac trucidant vsuris, vsura enim prohibita est iure diuino ideo Psal. 14. inter conditiones veri iusti hæc apponitur, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui pecuniam suam non dederit ad vsuram*, & Luc. 6. Christus expressis verbis edixit, *Mutuum date nihil inde sperantes*. Vide summistas; ex quibus intelligitur nihil expectandum esse à mutuatario vltra sortem principalem tanquam debitum ratione ipsius mutui, vnde S. August. in Psal. 36. dixit, *fœnerari est mutuam pecuniam tuam dare ei à quo aliquid, plus quam dedisti expectes accipere.* Ex quo docemur vsuram tripliciter committi posse, scilicet vel sola voluntate & intentione, vel pacto explicito, vel implicito, vnde consurgit vsura mentalis, formalis, & palliata.

De restitutione.

QVodlibet decalogi præceptum bipartitum docui: istud septimum, quod explicite negatiuum est includit affirmatiuum præcipiens, vt res sua vnicuique tribuatur. Ad istud ergo reducitur Restitutio, quæ est rei prius debitæ compensatio, vel rei ablatæ positio in pristinum statum.

Materia restitutionis sunt quatuor bona hominis, nempe animæ, corporis, famæ & facultatum, hæc enim cùm sunt, vel offensa, vel iniustè retenta, vel aliquo modo alienata, restitutioni subiecta sunt.

Forma restitutionis est iusta compensatio, qua satisfit offensæ, vel indebitæ retentioni.

Finis restiturionis est iustitia, vt vnicuique, quod suum est tribuatur: vt inter homines vnio, pax & charitas adsit, & vt tollantur lites, inimicitiæ, iudicia temeraria, & alia mala, quæ rei alienæ retentionem consequi solent. Efficiens seu obligatus ad restitutionem est cooperator, quicumque iniustæ acceptionis vide summistas, Restitutio autem ita est necessaria ad salutem, vt non modo non possit absolui, qui alienum iniustè retinet, nec illud vult restituere: sed etiam vt probat Lessius cap. 12. dub. 3. continuetur peccatum pro ratione dilationis si commodè possit restituere: quod euincitur ex damno, quod insequitur, propositio de se patet, cui apponimus suffragium S. August. epist. 54. ad Macedonium, *si res aliena propter. quam peccatum est reddi possit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur: non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, si restitui possit.* Materia hæc restitutionis dubia non pauca habet, quæ ex professo soluunt Casuistæ. Hæc indigitasse sufficit instituto meo.

Excusationes ordinarias diluo, quia Deus eas non admittit, nam si Christus damnat non facientes eleemosynam, quid furibus, & rapacibus faciet? Abac. 2. *Vehe ei qui multiplicat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum*, hinc Christus non dixit Zacheo, *hodie huic domus, salus à Deo facta est*, Nisi postquam promisit restituere. Multa exempla docent multos esse damnatos ex defectu restitutionis, quæ quam difficilis sit, intelligi potest ex comparatione diuitiarum *spinis*, & ex compellatione idolorum seruitutis, quam Paulus dat Auaritiæ.

Aliqui se excusant à restitutione dicentes se furari res alienas, quia & alij furati sunt res suas.

Resp. nemini licere iniurias persequi, & nullum esse iustum iudicem in causa sua, nec licere vt quis sumat pœnam ab innocente de peccato, quod ab alio patratum est.

Alij quòd locupletibus, qui nihil damni sentiant surripuerint, misera sanè & pestifera defensio, nam facultates hominum sunt sub tutela, & custodia Dei repositæ, ideo qui furto, aut rapina tollit ordinem Dei, & ius gentium confundit.

Alij quòd sine furto amplitudinem, & æstimationem familiæ, & maiorum suorum sustinere nequeant, Quibus?

Resp. obedire Deo magnam esse gloriam. Diuites, & potentes iusto Dei iudicio ob suas, vel maiorum rapinas in paupertatem, & miseriam reduci, quod notauit, Eccles. cap. 40, *Substantiæ iniustorum sicut fluuius siccabuntur; & sicut tonitru magnum in pluuia personabunt*, Potiusque esse incommoda temporalia experiri, quam commoda Deo odiosa, iniusta & peccato acquisita.

Legitimam excusationem facit extrema necessitas, aut damnum graue, quod debitor in rebus propriis incurreret, vt in vita, libertate, fama, vel in distractione possessionum suarum vili pretio facienda, ait Abely, dummodo tamen creditor simile, non patiatur. Excusat debiti condonatio libera, & non extorta fraude vide Casuistas.

QVÆSTIO XIII.

De Quinto præcepto, secundæ Tabulæ, octaui Decalogi.

Non falsum testimonium dices.

HOc octauum præceptum est prima Regula omnium verborum & locutionum respectu sui, & proximorum, cuius materia remota sunt homo ipse, & proximi illius, minus remota, fama, honor & gloria illorum, minus adhuc remota sunt actus seu verba, seu locutiones linguæ de ipso & de proximis. Proxima materia sunt virtutes, & vitia circa illa, Nomine proximi intelligitur homo ipse, qui loquitur & omnes de quibus loquitur, vel homines viuentes & defuncti.

Præceptum istud, vti reliqua, duas habet partes, Negatiuam expresse, quæ vitia prohibet linguæ, ne scilicet male seu vitiose loquatur homo contra seipsum & proximum. Affirmatiuam inclusiuè, quæ virtutem veritatis in dictis, & factis colere præcipit, quod est obligare ad benè & vere, & virtuose loquendum, vt docet Apost. Ephes. 4. *Veritatem facientes in charitate crescamus in Christo per omnia.*

Vitia linguæ hîc prohibita sunt non solum iniustitia & iniuria, quæ per falsum testimonium, aut quauis alia ratione in iudicialibus actibus contra proximum committitur, sed etiam ea, quæ extra iudicium per detractionem, contumeliam, iudicium temerarium, calumniam, derisionem, maledictionem, susurrationem, adulationem, & similia, quæ ordinarie cùm mendacio coniungi solent, irrogantur. Ita Nauar. disp. 18. Bonac. disp. 10. & communiter Theologi exponunt præceptum istud.

Testimonium falsum graue esse peccatum probatur ex scriptura Prouerb. 6 *Sex sunt quæ odit Dominus, proferentem mendacia testem fallacem*, & 21. *testis mendax peribit.* Deutero 19. falso testi pœna talionis decernitur, accusatores Susannæ conuicti mendacij, lapidibus obruti sunt. Declaratur ex ratione, quia falsus testis peccat in Deum, in iudicem, in reum, in rempublicam: in Deum quidem, quia peierando eum contemnit, & fraude falsi testis vilescit thronus Dei, tribunal scilicet veritatis Dei thronum repræsentans. Nam iudex est organum, oraculum, & interpres Dei 2. Paral. 19. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini.* In iudicem peccat, qui eum mentiendo fallit, & causa est, vt vel nocentem absoluat, vel innocentem plectat deceptus falsi testis nequitia. In reum verò, quia falso testimonio in innocentem ruit, illi eripiens, vel famam,

vel bona, vel vitam. Vel si nocens est peccat in Rempub. dum testatur innoxium esse, quia Respub. priuatur fine, & intento iudiciorum, quod est pax ciuium, & punitio delinquentium. Et sicut corpori censetur noxius, qui impedit, ne membrum putridum rescindatur, cum ab illo, sit periculum reliquis sanis membris corporis. Ita qui falso testimonio impedit ne is qui Reip. noxius est præscindatur ei per impunitatem relinquit incentiuum delinquendi.

Hæc itaque attendant falsi testes, videant, quàm multipliciter peccent non solùm dum contra veritatem testantur, sed etiam dum veritatem ipsam supprimunt, obligati iuramento suo eam aperire, vt enim rectè dicit Isidorus. *Vnum pene crimen habent, & qui falsitatem promit & qui supprimit veritatem, quia & ille obesse vult, & iste prodesse non vult. Beatus cuius testimonio innocens ab obiecto scelere purgatur, & cuius proditione etiam iniquus perimitur.*

Grauitas falsi testimonij patet ex pœnis, tum ab Ecclesia, tum à Deo illatis, iure Ecclesiastico falsi testes sunt perpetuò infames, vt patet causa, 3. qu. 5. cap. Constituimus Deus autem iuxta sapientiam, & prouidentiam suam grauissimas falsis testibus vindictas inflixisse legitur in diuersis historiis ad perpetuam eorum infamiam, & aliorum exemplum. Falsitas hæc in iudicio inhibetur quibuscumque personis. Iudici ne ferat iniquam sententiam, hæc enim continet falsitatem, cuiusdam testimonij per authoritatem, sed inique prolati: Aduocatis, Notariis, Procuratoribus, Graffariis quorum aliqui falsa allegando peccant alij falsa supponendo instrumenta aliisque fraudibus, partem aduersam circumueniendo; & hos maximè contingit corrumpi auro, & venalem habere linguam calamum & animam.

Prohibetur quoque Iudicium temerarium de proximo: ratio est, quia per tale sibi ipsi falsum testimonium homo reddit de proximo suo.

Licet autem, quandoque fundata videantur hominum iudicia, tamen sunt periculosa, & vt plurimum falsa, facile enim malus fit bonus, & è contra.

Iudicium temerarium est peccatum mortale ex suo genere, si de re graui ex leuioribus indiciis fiat, ratio est, quia per illud diffamare censeris, & vilipendere proximum apud temetipsum sine causa sufficienti non habens talem æstimationem probitatis eius, qualem ex charitate teneris habere. Ad hoc autem, vt tale iudicium, sit peccatum debet esse firmum, vnde licet suspicio sit fraternæ charitati contraria, ordinariè tamen non est mortalis, debet etiam esse absolutus consensus in illud iudicium, nam multos contingit tentari, & inquietari temerariis iudiciis, tamen non perfectè consentire, & tunc verum est illud S. Bernardi *non est sensus vbi non est consensus.* Hoc vitium habet diuersas radices primò solet oriri ex odio & inuidia, sicut contra, cum quis alteri afficitur omnia eius gesta interpretatur in bonum, quia charitas non cogitat malum, sed pallium etiam inuenit, quo aliorum delicta operit.

Malitia etiam dicitur parens temerarij iudicij, qui fur est alios putat fures, & vt Eccles. 10. *stultus in via ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.*

Mendacium prohibetur, nam est quoddam falsum testimonium, & ideo hic reprobatur siue sit iocosum, siue officiosum, maximè autem perniciosum, & si graue, sit nocumentum tunc mendacium mortale est, nisi inde liberatio, & paruitas materiæ excuset, vt habetur in regulis de peccatis. *Mendacium proprie est locutio contra mentem*, Cùm videlicet aliud loquimur exterius, aliud interius sentimus: nomine *locutionis* accipi potest omnis significatio, siue verbis fiat, siue gestu seu scripto, vel alia ratione potest enim scripto fieri mendacium, nutibus, & gestibus, hæc enim assumuntur, quasi verba ad expressionem cogitationis. S. August. lib. 1. contra mend. cap. 42. docet esse enuntiationem falsam cum voluntate ad fallendum prolata, vnde secundum eius sententiam duo ad rationem mendacij requiruntur, scilicet voluntas fallendi, seu falsum enunciandi, & locutio, seu enunciatio, vel significatio aliqua mentis exterior eius iudicio contraria.

Nota olim non defuisse, qui putarent mendacium aliquando non modo licitum, sed etiam necessarium esse, quando videtur necessarium ad vitandum aliquod graue incommodum, vel obtinendum maius bonum. Ita sensit Origen. in 6. stromatum vbi approbat sententiam Platonis, quam habet lib. 3. de Repub. *Deo quidem indecens, & inutile esse mendacium, hominibus vero quandoque vtile, & necessarium, vt eo tanquam medicamento vtantur.* Idem fusè tradit Abbas Ioseph apud Cassianum collat. 17. cap 8. vbi inter cætera dicit, *mendacio vtendum tanquam ellebore, quod sumitur imminente aliquo exitiali morbo*, Cui Cassian. consentit. Eandem sententiam videtur approbare Chrysost. in fine lib. 1. de Sacerdotio, & hom. 32. & 53. in Genesim, denique Hiero. Theodor. Theophil. Oecumenius & plerique Græci in cap. 2. ad Galatas dum docet obiurgationem Pauli fuisse simulatam, & factam ex composito: licitum esse boni alicuius causa, vti simulationibus, atqui *simulatio est mendacium in facto.*

Probabunt isti exemplis scripturæ, quæ testatur plures viros Sanctos, & mulieres, quædam mendacia protulisse, Abraham dixit Saram esse sororem suam. Michol supposuit statuam in lecto Dauidis, Iacob dixit se esse Esau primogenitum Isaaci. Iudith multa dixit ad Holophernem. Sed Respondetur communiter illicitum omnino esse mendacium, esseque intrinsecè malum: ac proinde peccatum quando formalis ratio mendacij in eo reperitur, & scripturam referre, quod factum est, non autem approbare, quasi quodam casu liceat mentiri. Tum allegata, vel possunt excusari per ignorantiam, vel etiam ea, quæ apparenter videntur mendacia, vt ab eorum intentione procedebant mendacia non erant. Quia quandoque licet obscuris verbis vti, quæ in aliquo sensu veritatem habent, licet illum sensum aliqui audientes non percipiant, de qua re passim Doctores. Ideo non

est mentitus Abram, sic aliqui excusant Iacob dicentem se Esau primogenitum quia talis erat iure sibi acquisito etsi non personaliter erat Esau, primogenitura Esau censebatur & ius ad benedictionem habebat.

Verum hæc sententia tanquam erronea & sacræ scripturæ contraria refutata est à S. August. lib. 1. contra mendacium cap. 5. & sequentibus & ab Innocent. III. *Superior* de vsura, vbi dicit scripturam sacram prohibere ne quis etiam pro alterius vita seruanda mentiatur. Ex quo sequitur omne mendacium esse intrinsecè malum & proinde peccatum, quando formalis ratio mendacij reperitur. Duplex est enim falsitas vt rectè obseruat. S. Thom. 2. secundæ quæst. 110. alia materialis dumtaxat quam dicit esse. *Præter intentionem loquentis* quando scilicet aliquis falsum dicit putans esse verum, qui vt ait August. cap. 18. Enchir. *Iudicandus est non mentiri quoniam quantum in ipso est non fallit ille sed fallitur.* Alia vero formalis quando quis ex intentione fallendi seu ex intentione significandi falsum aliquid tanquam verum asseuerat quod putat esse falsum, siue reuera id falsum sit, siue contra eius opinionem verum existat, quia vt notat. S. Thom. quicquid sit de illa re quam asseuerat, etiamsi de facto vera sit, *Actus eius in quantum est voluntarius & moralis habet per se falsitatem & per accidens veritatem.*

Propositio probatur ex scriptura Prouerb. 13. *Verbum mendax iustus detestabitur* & cap. 30. *Vanitatem & verbum mendacij longè fac à te* Coloss. 3. *Nolite mentiri inuicem* hæ locutiones vim habent vniuersalis Osee. 4. *non est veritas in terra sed maledictum & mendacium inundauerunt.* Ierem. 8. *A Propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium,* Hoc deploratur tanquam exitiale Psal. 5. *Audisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Sap. 1. *os quod mentitur occidit animam.* Hæc duo sunt perniciosa Deo vel proximo.

Probatur ex SS. Patribus, August. de verbis Apost. *Cùm humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris mentiendo efficeris quod euitaueras.* Gregor in cap. 3. Exod. *Nonnulli obstetricum mendacium conantur asserere non esse peccatum, maximè quia illis mentientibus scriptum est quod ædificauit eis Dominus domos, in quo magis recompensatio cognoscitur quàm mendacij culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces quæ eis in æterna potuit vita retribui, præmissa culpa mendacij in terrena est recompensatione declinata.* Chrysost. sup. 21. Matth. *Mendacia si non habent quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur sicut ait Psalmus, mentita est* iniquitas sibi. Isidor. de conflictu vitiorum & virtutum *Nec artificiosa ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam; quia quolibet modo mentiatur quis offendit.*

Probatur ratione, quia abusus signorum & vsus eorum contra naturalem institutionem & fidem (in quo consistit malitia huius peccati) est magna deordinatio, cum enim signa, non sint data nisi ad exprimendum iudicium mentis, illis vtimur contra mentis iudicium, ita vt sit contradictio inter mentem & linguam, quod enim lingua affirmat mens negat & contra, atqui per se turpe & vituperabile est vt in vno eodemque homine inter interiora & exteriora sit contradictio, cum exteriora debeant interioribus conformari. Adde quod mendacio proximus decipiatur, vnde offendit amicitiam & politicam conuersationem, falsa enim ingeneratur audienti opinio.

Nota tamen mendacium per se non esse peccatum mortale, sed solùm veniale, quia inordinatio illa neminem grauiter lædit: & deceptio proximi quando nihil interest sic an aliter res habeat est parui momenti, nec euertit vitam socialem, etsi illi nonnihil incommodet Quod si August. lib. de mend. cap. 6. apertè indicat omne mendacium esse peccatum mortiferum: nam vult etiam illum qui pro vita corporali vel sua vel aliena conseruanda mentitur, amittere æternam, vnde sequitur esse mortiferum.

Respondeo maiorem illius libri partem. *In inquisitionis disputatione versari* vt ait ipsemet lib. 1. retract. cap. vlt.

QVÆRES, *An Papa possit dispensare ad mendacium.*

Respondeo negatiuè, nam mendacium est per se intrinsecè malum, & Papa non potest mutare naturas rerum.

Dices furtum est intrinsecè malum, & tamen in extrema necessitate licitum est rem alienam capere. Ergo erit etiam licitum iusta de causa ob bonum finem mentiri, licet mendacium sit intrinsecè malum.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est quia adueniente necessitate extrema, omnia fiunt communia & Dominus est irrationabiliter inuitus. At ob bonum finem non tollitur prauitas mendacij sicut tollitur prauitas furti, alioqui tolleretur peccatorum omnium prauitas ex intentione boni finis quod est absurdum. Ita Azor. & sicut non licet furari ad eleemosynam faciendam, cum non vrget extrema necessitas, ita nec licitum est mentiri ob bonum finem. Bonum enim est ex integra causa, ait Dionys. cap. 4. de nom. Diu. malum vero est ex singularibus defectibus.

Prohibetur hoc præcepto Detractio, quæ est *Iniusta & occulta alienæ famæ denigratio seu violatio* vbi aduerte duo requiri ad detractionem. Primo vt aliquid dicatur, vel eo modo dicatur vt alicuius famam & æstimationem quam habet in animo alterius extinguere aut imminuere valeat. Secundò vt fiat occultè saltem iuxta intentionem dicentis, si enim quis in præsentia alterius famæ detrahere intendat iam non erit simplex detractio sed *Contumelia,* quæ dictis vel aliis signis incoràm violat alterius honorem & maiorem contemptum importat vt docet S. Thom. quæst. 72.

Dixi detractionem esse iniustam famæ alienæ denigrationem, quia non erit detractio si iustè fama aliena denigretur v. g. Si quis ex motiuo iustitiæ vel charitatis alicuius crimen quod vel bono publico perniciosum est, vel alteri iniuriosum & nociuum superiori aut alicui alteri aperiat, qui remedium afferre potest. Quod si fama auferatur intentione nocendi tunc illius ablatio ad detractionem pertinet.

Hæc autem intentio nocendi vt obseruat. Tolet. cap. 63. dupliciter in detrahente reperiri

riri poteſt: vno modo directè, cum quis per detractionem reipſa nocere intendit; altero modo indirectè, cum licet expreſſè id non intendat, eo tamen dicit ex quibus nocumentum famæ alterius ſequitur vt, qui ex ioco vel loquacitate alteri notabiliter detrahit & Leſſius cap. 11. dub. 3. docet eſſe quidem materialem tantùm detractionem, quia læſio alterius non eſt directè volita, tamen eſſe peccatum lethale ſi id quod narratur grauiter lædit, quia inquit, intenditur implicitè dum quis vult illud vnde per ſe læſio ſequitur. Notatque non incurri mortale narrando defectus naturales & alios veniales proximorum, quia cùm nemo fere ab his ſit liber, non notabiliter lædunt famam, imo nec grauia peccata reuelare ſi ratione conditionis perſonæ fama illius non lædatur, vt ſi quis declaret militem commiſiſſe duellum, decepiſſe puellam &c.

Quam graue ſit iſtud genus peccati conſtat ex obiecto ſuo, violatio ſcilicet famæ, quæ eſt maximum bonum, cum ſcriptura dicat. ***Melius eſt nomen bonum quam diuitiæ multæ.*** Famam Iuriſperiti definiunt. ***Illæſa dignitatis ſtatum legibus & moribus comprobatum*** 1. Cognitionum 5. de extraord. cognit. vel vt alij dicunt. ***Fama eſt multorum exiſtimatio de vita & moribus alterius.*** Hoc peccatum Deus deteſtatur Prouerb. 24. ***Cum detractoribus non commiſcearis, quoniam repente conſurget perditio eorum.*** Rom. 1. ***Detractores Deo odibiles ſunt.*** Comparatur ſerpenti. Eccleſ. 10. ***Si mordeat ſerpens in ſilentio nihil eo minus habet qui occultè detrahit.***

Obligat ad reſtitutionem, quia damnum infert proximo contra iuſtitiam lædens eius famam, vnde quanto maius eſt bonum famæ læſum, tanto maior eſt obligatio illam reparandi ſi enim ablata pecunia reſtituenda eſt multo magis & fama, vnde Auguſt. ***Non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum.***

Auditor detractoris etiam peccat mortiferè qui ita audit vt inducat vel excitet ad detrahendum, aut lætatur damno proximi ſic illato, nam vt ait. Paul. Rom. 1. ***Qui talia agunt digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*** Quare qui poteſt reſiſtere debet, vide DD.

Prohibentur Suſurratio Adulatio & cætera vitia linguæ ***Suſurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes.*** Eccleſ. 28. Per adulationem perhibetur alteri falſum teſtimonium, dum attribuitur ei quod non habet, vel ei datur quod laude indignum eſt, imo potius vituperio dignum. Hoc peccatum maximè regnat in domibus magnatum. Conſtantinus vocabat adulatores tineas & ſorices palatij.

QVÆSTIO XIV.

De nono & decimo Decalogi Præcepto

Non concupiſces vxorem proximi tui: non concupiſces rem, neque agrum neque bouem &c.

HÆc duo vltima Decalogi præcepta maximè neceſſaria erant ad obſeruantiam totius legis, ad vtilitatem hominum & ad perfectionem mandatorum Dei commendandum. Hinc Catechiſmus Rom. ea definit. ***Primam regulam actuum cordis humani erga ſeipſum & proximos.*** Quorum materia remota ſit cor hominis, minus remota concupiſcentia illius, & proxima virtutes & vitia, quæ circa dictam concupiſcentiam reperiuntur.

Ad obſeruantiam legis, quia in his duobus ratio ferè datur & modus conſtituitur quo cætera præcepta obſeruentur; nam quod his verbis præſcriptum eſt, eo ſpectat vt ſi quis ſtudet ſuperiora legis iuſſa ſeruare, hoc maximè faciat, ne concupiſcat, quoniam qui non concupiſcet, ſuis contentus, aliena non appetet, aliorum commodis gaudebit, Deo immortali gloriam tribuet, gratias eidem maximas ager, Sabbathum colet, id eſt quiete perpetua fruetur, maioreſque ſeu parentes venerabitur, neminem denique neque re neque verbis, neque vllo alio modo, lædet. Ratio eſt, quia praua concupiſcentia, eſt omnium ſtirps malorum ac ſemen, quæ qui ſtimulati & incenſi ſunt præcipites feruntur in omne flagitiorum ac ſcelerum genus. Ideo carere illa via ad omnes virtutes eſt.

Ad vtilitatem hominum, quia qui ſuas moderatur concupiſcentias, maxima perfruitur iucunditate, & importuna ſollicitudine liberatur, vnde fælicitatem quandam & mentis quietem habet. Adde quod vtile eſt homini quod nemo poſſit res ſuas non ſolum auferre, ſed neque concupiſcere.

Ad legis diuinæ præſtantiam, quia quamuis ea quæ his duobus mandatis prohibentur iam ſexto & ſeptimo interdicta eſſe videantur, in quibus vt in aliis, vetantur non ſolùm actus exteriores, ſed etiam interiores diuinæ legi repugnantes, nihilominus, vt rectè obſeruat S Thom. 1. 2. quæſt. 100. art. 4. & 5. non ſine maxima ratione hæc duo vltima præcepta Deus ſubiunxit aliis præcedentibus, tum vt legum ſuarum perfectionem & ab humanis legibus differentiam oſtenderet. ***Leges ſiquidem humanæ rebus tantùm exterioribus contentæ ſunt; nec dant cordi præcepta, quia homines dant præcepta eorum, quæ cognoſcunt & vident, cum ergo cor incognitum ſit hominibus, illi nequeunt iuſſa præſcribere diuinæ verò ipſius animi puram ſinceramque caſtitatem atque integritatem requirunt***, tum etiam vt expreſſiùs moneret quàm cauti & ſolliciti eſſe debeamus in deuitandis illis peccatis, quæ ſola

cogitatione & animi proposito committuntur, cùm vt habetur in Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. *Nonnunquam animam grauius sauciant & periculosiora sint iis quæ in manifesto admittuntur.*

Nec dicas internum concupiscendi affectum in præcedentibus præceptis implicitè prohibitum, sat superque à Iudæis intellectum & indubitatè receptum. Id enim à populo carnali vix capiebatur vt intelligitur ex Iosepho lib. 12. antiquit. cap. 13. qui more gentis suæ putauit sexto præcepto. *Non mæchaberis* & septimo. *Non furtum facies* prohiberi tantùm actum externum, internum vero cupiditatem scilicet adulterandi aut furandi modo effectu non fuisset completa, non fuisse vetitum. Deus ergo præceptis specialibus hanc concupiscentiam vetat, & expresse specificat concupiscentiam fœminarum, & Bonorum temporalium, estò enim quodam naturæ lumine intelligatur alienæ vxoris potiundæ cupiditatem prohiberi vetito adulterio (nam si concupiscere liceret, fas item esset potiri) tamen plerique ex Iudæis peccato obcæcati in eam opinionem adduci non poterant vt crederent id à Deo prohibitum esse, quos propterea Christus verus Dei interpres corrigit, Matth. 5. *Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo.*

Nota non prohiberi hoc duplici præcepto concupiscendi vim quæ nobis ab authore naturæ indita est, sed prauum illius vsum & effrænatam illam cupiditatem quæ fines à regula diuina seu recta ratione constitutos transgreditur, prauus autem vsus seu mala concupiscentia ex duobus cognoscitur, nempe ex parte rei concupitæ, & ex parte modi concupiscendi, qui enim concupiscit rem alienam siue malam, seu à Deo prohibitam, habet malam concupiscentiam ex parte rei, appetendo v. g. adulteria, ebrietates, vindictam: qui appetit licita veluti lucrum licitum vel emere domum aut agrum alienum sed modo illicito seu immoderatè & cum excessu, malam habet concupiscentiam ex parte modi v. g. si quis diligat vel concupiscat ea quæ Deus concupiscere permittit, veluti sanitatem filij, sed adeò inordinatè id faciat vt etiam per superstitiones & incantationes velit procurare, tunc talis concupiscentia mortale est peccatum: quia etiam per peccatum mortale paratus est obtinere: & Theologi dicunt quod in tali casu homo ponit vltimum finem sui in illa re, & ideo illam diligit plusquam Deum. Idem erit de ludo, lucro, amicitia, aliisque multis quæ per verbum. *Domus* vel *Serui* in textu expressum intelligi possunt, vt hæreditas, status, fama, dignitas, nobilitas, nam si Deus parua expressit non inuidenda, *Bouem & asinum*, à fortiori vetantur, concupiscenda quæ hominis affectus magis irritant & ad quæ magis inclinatur homo, ex quo incuruatus fuit per peccatum originale.

Itaque his duobus præceptis non præcipitur vt nullos concupiscentiæ carnis aut oculorû seu voluptatis aut vtilitatis sentiamus, sed tantùm ne illis consentiamus. Ratio est, quia non est, in potestate nostra carere omni concupiscentiæ motu, aut cogitatione alliciente ad malum, sed tamen est in potestate nostra illi resistere nec consentire. Multi concupiscentiæ motus rationem & libertatem præueniunt, nec illi in nobis sunt peccata, quia non sunt voluntarij, nec illis ratio superior consentit, de illis verificatur quod Paulus Rom. 7. *Non ego illud operor sed quod habitat in me peccatum* id est libere determinatè actu humano & voluntario non operor illud, sed Concupiscentia operatur in me. Hanc Paulus vocat peccatum, quia ex peccato originali orta est, & quia allicit ad peccatum. Est ergo effectus primi peccati, & causa peccati, in nobis: sed nihil nocet nisi quando mente delector & consentio & seruio illi: quapropter scriptura alibi explicans illud.

Non Concupisces dicit Ecclef. 18. *Post concupiscentias tuas non eas* & Paul. Rom. 6. Satis hoc exprimit dicendo. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore vt obediatis concupiscentiis eius* aduerte quod non dicit, non sit, non habitet fomes peccati, *Sed non regnet*, non dominetur, eius commotioni & desideriis non obediatis, imò obluctamini & resistite. In hoc consistit militia Christiana vt prauis concupiscentiis & cogitationibus aduersemur, vide art. 22. in quo agendo de peccato originali Concupiscentiam prauam ex eo ortam elucidaui, ne quid autem circa ipsam obganniant Hæretici qui censent in his duobus præceptis quæ in vnicum redigunt, vetari concupiscentiam quæ à peccato, & reliqua, puta motus appetitus sensitiui inordinatos qui rationem & liberum voluntatis assensum præueniunt, quod apud Catholicos falsum est.

Nota Concupiscentiam esse commotionem quandam ac vim animi qua impulsus homo quas non habet res iucundas appetit & est triplex, naturalis, spiritualis, & carnis.

Naturalis hoc est recta concupiscendi vis quæ Deo authore à natura nobis insita est, vt sunt appetitus comedendi, bibendi, calefiendi, frigescendi, dormiendi &c. quæ si moderata sit suisque contineatur, sæpe etiam non mediocres vtilitates præbet. Nam illud primo efficit vt ad Deum conuertamur & ab eo supplices petamus quæ maximè cupimus, oratio enim cupiditatis nostræ interpres est. Efficit præterea vt chariora sint nobis Dei munera, quo enim vehementiori alicuius rei cupiditate flagramus, eo charior illa nobis res est, atque iucundior, cùm eam adepti sumus. Tum delectatio ipsa quam ex re desiderata sentimus, facit vt maiori pietate gratias Deo agamus.

Spiritualis qua ad eorum appetitionem incitamur, quæ carni repugnant. Hæc vsque adeò non est prohibita vt ad eam nos sacræ litteræ adhortentur Sap. 6. *Concupiscite sermones meos* & Ecclef. 24. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Psal. 44. *Concupiscet rex decorem tuum* 83. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Itaque hoc interdicto non ipsa concupiscendi vis qua tum ad bonum tum ad malum vti licet, sed vsus prauæ cupiditatis, quæ carnis concupiscentia, & peccati fomes vocatur, & si animi assensum adiunctum habet, semper in vitiis numeranda est, & omnino prohibetur.

Carnis illi scilicet motus qui nullum rationis modum habent neque finibus à Deo constitutis

tutis continentur. Hæc cupiditas damnata eſt, vel quia malum appetit, veluti adulteria, homicidia & alia ſcelera.

Et ſi res natura ſua malæ non ſunt, cauſa tamen aliunde eſt cur illas concupiſcere nefas ſit; quo in genere ſunt ea quæ ne poſſideamus Deus aut Eccleſia prohibet, vt fuerunt in veteri Teſt. aurum & argentum ex quibus idola conflata erant.

Ob eam præterea cauſam hæc cupiditas vitioſa prohibetur, quoniam quæ appetuntur aliena ſunt, vt domus, ager &c. Scilicet iniuſte curando ea habere.

QVÆRES, *cur concupiſcentia duo faciat præcepta.*

Reſpondeo quod omnis concupiſcentia conuenit quidem in vna communi ratione vnde Paul. Rom. 7. dicit. *Concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret non concupiſces* quia tamen in ſpeciali diuerſæ ſunt rationes concupiſcendi, ideo S. Auguſt. & alij diſtingunt diuerſa præcepta de non concupiſcendo, differunt enim ſpecie concupiſcentiæ ſecundùm diuerſitatem actionum vel concupiſcibilium vt dicit. Ariſt. lib. 10. Ethic. cap. 3. & 5.

Peccatur in nonum præceptum non modo concupiſcendo alterius vxorem adultero affectu, ſed etiam eam deſiderando in vxorem præmaturo & inordinato affectu, idque ad deſponſatas extendit Catechiſmus, has enim concupiſcere non licet ſicut nec pacta ſponſaliorum reſcindere, aut fidem datam violare licitum eſt.

Peccant in decimum & vltimum præceptum qui nimis auidè expetunt diuitias eaſque prauis & illicitis artibus augere concupiſcunt, qui ludis ob lucrum immoderate afficiuntur. Mercatores qui rerum penuriam & caritatem exoptant, qui ægrè ferunt vt ſint alij præter ipſos qui emant aut vendant, quo ipſi cariùs vendere, aut vilius emere poſſint: Qui alios egere cupiunt vt vendendo & emendo magis lucrentur. Milites qui militiæ nomen dant vt furari ipſis liceat. Medici qui morbos deſiderant. Aduocati, Procuratores & Iudices qui lites multiplicari & protrahi cupiunt. Artifices qui quæſtus auidi penuriam rerum neceſſariarum exoptant vt inde diteſcant. Hæc enim deſideria noxia & inordinata oſtendit Paul. 1. Timot. 5. *Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum Diaboli & deſideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum. Radix omnium malorum cupiditas.*



DE

DE PRAECEPTIS ECCLESIÆ.



ECALOGI præcepta obseruanda esse nemo sanæ mentis ambigere potest cum hæc data sint à Deo qui supremum in homines habet dominium. Lex hæc est Patris nostri qui in cælis & vbique est, quem ei obtemperando sanctificamus. Præterea tamen alius Catholicis præscriptus est à Sancta matre Ecclesia Decalogus, non quidem quasi nouum iugum quod portare non possimus, sed quasi Euangelicum Deuteronomium, seu iteratio legis diuinæ cuius elucidatio potius est vocandus quam noua lex. Scio quod hæc Ecclesiæ præcepta communiter tantum quinque enumerentur, vt videre est apud Petrum Canisium in summa doctrinæ Christ. cap. 3. Multi tamen in Catechismo distingunt in decem. Hoc modo.

1 *Sacrum Missæ officium diebus Dominicis & festis reuerenter audito.*

2 *Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato*

3 *Ieiunia quadragesimæ, Vigiliarum obseruato & Quatuor anni Temporum indicta.*

4 *Peccata tua Sacerdoti proprio semel in anno confitetor.*

5 *Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno idque in Paschate sumito.*

6 *Ab esu Carnis diebus veneris & Sabbathi abstineto.*

7 *Excommunicatos vetato.*

8 *Absolutionem Excommunicationis requirito.*

9 *Decimas soluito.*

10 *Extra tempus constitutum nuptias ne celebrato, id est à Dominica prima Aduentus vsque in diem Epiphaniæ, & à feria Quarta cinerum vsque in Octauam Paschatis inclusiuè sic decreuit Synodus Tridentina.*

Alij sic enumerant.

1 *Diem Dominicam & festos colens audiendo Missam.*

2 *Ieiunia quadragesimæ Vigiliarum & Quatuor anni temporum, nec non & abstinentiam ab esu carnis in diebus veneris & Sabbathi obseruato.*

3 *Peccata tua Sacerdoti semel in anno confitetor.*

4 *Sacrosanctam Eucharistiam saltem in Paschate sumito.*

5 *Decimas soluito.*

Ecclesia diuersas leges pro diuersitate personarum & conditionum sanciuit. Has autem omnibus fidelibus inuiolatè seruandas iniunxit quas obligare in conscientia (etiam citra scandalum aut contemptum quem casum duntaxat admittunt Nouatores) in comperto est cum Præsules habeant à Christo veram iurisdictionem & veras leges ferre possint. Neque responderi potest eos qui legem ieiunij indicti v. g. aut alium violant peccare solum propter scandalum vel contemptum. Nam lex Ecclesiastica distincta est à lege diuina & naturali, scandalum autem & contemptus siue contumacia prohibetur diuina & naturali lege ergo lex Ecclesiastica alio vinculo subditos astringit.

Tum lex Ecclesiæ, quæ ieiunium certis diebus præscribit, facit actum illum ieiunandi esse actum temperantiæ necessarium, ergo qui legem illam non seruat, peccat vitio intemperantiæ. etiamsi absque scandalo & contemptu id faciat, vt si quis clàm in Quadragesima carnes comedat, idque non ea intentione vt Ecclesiam contemnat, sed tantum vt concupiscentiæ satisfaciat, quare S. Ambros. in serm. 25. scribit. *Non leue peccatum esse indicta ieiunia ventris voracitate dissoluere,* vbi non constituit peccatum non ieiunantis in contemptu Ecclesiæ, aut scandalo pusillorum, sed in intemperantia quam ventris voracitatem nominat. S. Basil. non ieiunantes arguit quod ob eduliorum voluptatem indicta ieiunia violent. Denique Conc. Tolet. 8. can. 9. Non contemptores aut scandalisantes sed gulæ addictos & intemperantes reprehendit.

Quod autem hæc vel quinque, vel decem præcepta Ecclesiæ non sint nouum iugum, sed singularis alleuiatio, & facilitas ad Decalogi diuini expeditiorem obseruantiam facile intelligitur. Primum præceptum de sanctificando die dominico, & festis indictis inclusiuè habetur in primo primæ tabulæ Decalogi, facta tantum translatione sabbathi in diem dominicum, de qua, vide quæ diximus in articulo 13.

Et si dies dominicus distinguatur in numero à diebus festiuis, quos instituit Ecclesia, tunc primum de festis colendis notandum est præceptum. Audire autem missam præcipuus indicitur modus celebrandi, & sanctificandi festa, vt habetur de Consecrat. dist. 2. can. Missas vbi citatur Concil. Aagath. can. 31.

Missas die dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint publicè ab Episcopo confundantur.

Quantum ad Festorum sanctificationem iam prælibaui in art. de Traditionibus, & in 3. Decalogi præcepto, constare solo naturæ dictamine dicandam esse Deo aliquam temporis partem ad eius beneficia recolenda, cum autem determinatio eius ab hominum instituto dependeat, Apostoli commutarunt Sabbathum in diem dominicam, eademque de causa præter dominicam festos dies indixit ob ingentes,

ingentes, quibus Deo deuincimur obligationes ex quorum celebratione fructus nostræ salutis accrescit. Ad hoc autem Ecclesia obseruauit speciale tempus quo Christus præcipua fidei nostræ Mysteria operatus est, aut quo Sancti fidem propagantes nobis martyrio suo profuerunt. Sic in lege Moysi plura inducta fuere festa, vti Paschatis, Tabernaculorum, Scenoopegiæ, Consecraionis templi, & alia licet de solo sabbato legem dederit Deus.

Dies feriandi habentur de Consecrat. dist. 3. can. *pronuntiandum* in Concil. Lugdunensi.

Pronnntiandum est Laïcis vt sciant tempora feriandi per annum, id est omnem dominicam à vespera, vsque ad vesperam ne Iudaismo capiantur feriandi vero per annum isti sunt dies Natalis Domini, S. Stephani, &c.

In Canone *Irreligiosa consuetudo* de Consecr. d. 3. expresso à 23. can. concilij Tertij toletani ibi Patres arguunt populum de indeuotione, vt pote qui histrionibus spectaculis, & ludis frequens assistat, & Ecclesiam non adeat indicitque synodus Episcopis, & Presbyteris vt talem extirpent abusum.

In Canone *Licet* decretal. lib. 1. de feriis Alexand. III. permittit dare operam conseruationi fructuum qui, in agris periclitantur ob-instantem animalium incursionem, non tamen aliter.

Quantum ad *Ieiunium*, quod ad vnicum præceptum restringitur ab his, qui quinque præcepta Ecclesiæ enumerant, habetur de Consecr. dist. 2. can. *placuit* ex Conc. Agathensi cap. 8. Placuit vt omnes Ecclesiæ filij (exceptis diebus dominicis) in quadragesima etiam in die sabbati Sacerdotali oratione, & discretionis communione ieiunent, & dist. 5. de Consecr. can. *Quadragesima.*

Quadragesima summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea nisi quem infirmitas impedierit nullatenus soluatur.

Quatuor temporum Ieiunium Calixtus Papa circa annum 217. induxit, quod ter tantum celebrabatur ex decreto Apostolorum, vt testatur S. Leo serm. 8 de ieiunio, quare Calixtus decreto pontificali firmauit vsum & quatuor distinxit propter fructuum terræ abundantiam iuxta prophetiam Zachariæ c. 8. vt sicut annus per quatuor voluitur tempora sic & nos quaternum agamus ieiunium, per quatuor anni tempora, & sicut per quatuor tempora replemur à Domino frumento, vino oleo, & fructibus ad alenda corpora, sic repleamur ieiunio ad alendas animas,

Ieiunium *Vigiliarum* S. Bonifacius Papa testatur ea à tempore Apostolorum inducta, nam pridie magnorum festorum non solùm agi vigilias per noctem, sed etiam interdiu ieiunari scribit S. Bernard, in serm. de vigilia S. Andreæ, Burchard. lib. 13. decretal. cap. 16. Innocent III. cap. 1. & 2. de obseruat ieiun. Bonifacius autem vigiliam nocturnam, quam populus celebrabat in Ecclesiis, aut memoriis martyrum, vnde Tertull. vocat *nocturnam conuocationem*, mutauit in ieiunium de præcepto circa annum 420.

Abstinentia à carnis esu diebus singulis Veneris & Sabbat demandata fuit in memoriam mortis Christi, & quia toto sabbato iacuit in sepulchro: Olim autem ex institutione Apostolica abstinebant Christiani à carnibus, qualibet feria quarta & sexta, imò, & ieiunabant: refrigescente autem deuotione satis fuit Ecclesiæ illa in abstinentiam à carne feria sexta, & sabbato commutare concessa duplici refectione, & vsu lactis & ouorum.

Innocentius tertius concessit ob excellentiam Festi vt si feria sexta Natiuitatem Domini venire contigerit eo die carnibus vesci liceat exceptis professis, & vouentibus. Habetur ex cap. *quia dies* dist. 5. de consecr. in aliquibus etiam Galliæ partibus concessus est esus carnium diebus sabbati à Christi Domini natali vsque ad Purificationem. Seruatur etiam abstinentia à carnibus in festo S. Marci & in tribus Rogationum, quod quidem in Ecclesia Romana vsitatum fuisse testatur ordo Romanus c. de Litania maiore. Gregorius VII. in synodo celebrata Romæ vt refertur de Consecr. dist. 5. canone, Quia hæc edixit.

Quia dies sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, Nos eorumdem authoritatem sequentes salubriter admonemus, vt quicumque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die (nisi maiori festiuitate interueniente, vel infirmitate impediente) abstineat. De die veneris consentiunt omnes abstinendum saltem ab esu carnis in memoriam passionis Christi, & ad recolendum Redemptionis humanæ beneficium, vnde Constantinus Imp. constituit anno Christi 321. vt cuncti Romano imperio subditi in honore haberent sextam feriam, quoniam eo die Christus crucifixus est, sic refert Sozomenus lib. 1. cap. 8.

QVÆRES, *Quid ad debitam Ecclesiastici ieiunij obseruationem requiratur.*

Respondeo tria præsertim requiri. Primum est delectus ciborum seu abstinentia à carnibus, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 6. & constat ex perpetuo Ecclesiæ vsu, & traditione cuius testes sunt S. Basil. homil. 1. de ieiunio, August. lib. 20. contra Faust. cap. 5. & alij apud Azorium lib. 7. cap. 10. quæsit 6. Quamuis autem olim non à carnibus solùm, sed etiam ab iis, quæ à carne procedunt, vt ab ouis, & lacticiniis in diebus ieiuniorum esset abstinendum, vt habetur ex rescripto S. Grego. Papæ ad August. Anglorum Episc. imò in quibusdam solemnioribus ieiuniis v. g. sex diebus hebdomadæ sanctæ cibis tantum aridioribus pane videlicet aqua, & oleribus vesci liceret, vt testatur S. Clemens lib. 5. cap. 17. Epiphan. hæres. 75. Ecclesia tamen ob causas rationabiles de pristino illo rigore nonnihil remisit, & abstinentiam illam strictiorem cuiusque deuotioni relinquens in Quadragesima, quidem vniuersim à carnibus & ouis abstinendum esse censuit, & lacticiniorum vsum in plerisque locis indulsit, in aliis autem ieiuniorum diebus per annum etiam ouorum vsum concessit, de quibus tamen, vt recte monet Bonacina consuli debet, & seruari cuiusque loci legitima consuetudo, quæ est optima legum Ecclesiasticarum interpr. Secundum est vnica in die refectio, vt docent Doctores, quod melius

probari non poteſt, quam ex perpetua, & vniuerſali Eccleſiæ praxi; cum nullum ſuper hac re decretum reperiatur.

Tertium denique eſt certum refectionis tempus, ita vt refectio illa vnica non prandij, ſed cœnæ rationem obtineat vt tradit S. Thom. & conſtat ex S. Ambroſ. ſerm. 8. in Pſal. 118. & Greg. hom. 36. in Euang. Et olim quidem aliis ieiuniorum diebus hora nona, quæ eſt tertia poſt meridiem erat ordinarium ſoluendi ieiunij tempus: In Quadrageſima vero vſque ad veſperam prorogari ſolebat vt teſtatur S. Bernard. ſerm. 3. de Quadrag. Eccleſia tamen his poſterioribus ſæculis, tum ob infirmitatem corporum, quæ mundo ipſo ſeneſcente minus vigoris hab.nt, tum ob alias rationes tacito conſenſu indulſit, vt hora illa veſpertina licitè anticipetur, & in Quadrageſima diebuſque aliis præſcriptis circa meridiem ieiunium ſolui poſſit, atque vt præter illam refectionem modicum aliquid cibi ſerò per modum cœnulæ, ſeu collatiunculæ vt vocant, ſumeretur. Ita docent Nauarr. Armilla. Leſſius, Azor. Reginald. Tolet. & alij Diximus modicum, qui enim notabiliter excederet, ieiunium frangeret. Porrò quantum cibi ſumere liceat in eiuſmodi cœnula difficile eſt determinare. Azor. & alij apud Bonac. ſentiunt quantitatem trium vel quatuor vnciarum panis, & fructuum licitè ſumi poſſe; Reginaldus putat non eſſe notabiliter excedendam quartam partem eorum, quæ ipſi ieiunanti ad ordinariam cœnam ſufficerent. Tolet. omnium optimè cenſet in eo ſpectandum eſſe morem locorum prout à piis, & timoratis perſonis ſeruari ſolet ieiunium, & intra illius limites vnumquemque licitè ac tuto continere ſe poſſe.

Rectè tamen monet Laymanus cautè intelligendum eſſe id, quod docet Caietanus cap. 1. de obſeru. ieiun. non referre, quod quiſque in ſerotina cœnula ſumat, ſi modum non excedat additque conſuetudinem Eccleſiæ à piis, & timoratis ſeruatam hanc eſſe vt in cœnula illa ſerotina non modo quantitas, ſed etiam qualitas, & delectus ciborum ſeruetur, vtque cum pane niſi fructus aliquot, vel olera in modica quantitate ſumantur, neque ſibi probari, quod aliqui nimis liberaliter adhibent placentas, & alia ſimilia obſonia butyro frixas, quamuis iuſculi cocti vſum vrgente præſertim aliqua infirmitate, aut neceſſitate licite indulgeri poſſe exiſtimet.

Ex dictis colligitur 1. crebriore potus ſumptione non ſolui ieiunium, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 6. nec dicas hominem nutriri cibo, ita & potu, nam iſte magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quàm ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat, & ideo licet ieiunantibus pluries bibere citra modum intemperantiæ. Infertur 2. neque etiam ſolui ieiunium, ſi aliquid ſumatur per modum medicinæ ſecluſa fraude ieiunij.

Infertur 3. eum non ſoluere ieiunium, qui ob negotium aliquod à menſa auocaretur, & menſam interrumperet & abſoluto eo prandium ſeu cœnam perficeret.

QVÆRES, *vtrum anticipare notabiliter horam refectionis, ſit peccatum mortale.*

Reſpondeo ex Toleto, Leſſio, & aliis non niſi venialiter peccari, imò nullum eſſe peccatum ſi iuſta aliqua cauſa ſubſit: ſicut nec ſi veſpertina cœnula mane, vel meridie vrgente cauſa notabili ſumeretur, cœnâ in veſperum dilatâ.

Præceptum de annua Confeſſione extat in Conc. Later. ſub Innoc. III. habito an. 1215. & recenſetur lib. decretal. can. *omnis* de pœnitentiâ, & remiſſionibus cap. autem 21. Concilij ſic legitur. Omnis vtriuſque ſexus poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, vel alieno, prius tamen à proprio ſacerdote impetrata venia, quoniam aliter ille ipſum non poteſt abſoluere, vel ligare, & iniunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere.

Confeſſionem facere de peccatis mortalibus poſt baptiſmum commiſſis tenentur fideles non ſolum ex iure diuino, verum etiam Eccleſiaſtico primum apertè docet Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 15. ex inſtitutione, ait, Sacramenti Pœnitentiæ vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutum eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere, quia Chriſtus aſcenſurus ad cœlos, Ioann. 20. Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit tanquam præſides, & iudices, ad quos mortalia omnia crimina deferantur in quæ Chriſti fideles ceciderunt, quo pro poteſtate clauium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient, conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent ex verbis Ioann. *accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata remittuntur*, &c. Sic elicitur demonſtratio, qui commiſit aliquod peccatum mortale non obtinet remiſſionem illius niſi abſoluatur à Sacerdote, cùm ad eum pertineat remittere, vel non remittere ſeu retinere; Vel ſaltem niſi per actum contritionis habeat votum obtinendi abſolutionem ſuo tempore.

Sed non poteſt abſolui à Sacerdote niſi peccata ſua pãdat ei. Ergo tenetur confiteri Sacerdoti peccata ſua, alioqui fruſtra eis eſſet cõceſſa poteſtas niſi peccatores tanquam rei tenerentur hiſce iudicibus ſe ſe ſubiicere, & cauſam ſuæ conſcientiæ cognoſcendam exhibere.

Præceptum annuæ Confeſſionis eſſe Eccleſiaſticum non ſimpliciter, ſed quo ad determinationem temporis patet, quia Eccleſia ſolùm determinauit confeſſionem ſemel in anno fieri. Non verò abſolutè præcepit confeſſionem, cùm fideles adhuc tenerentur confiteri, quamuis tempus ad confeſſionem faciendam non eſſet ab Eccleſia præfixum, & determinatum. Ex quo infertur Eccleſiam poſſe huiuſmodi determinationem auferre, ſicuti enim poteſt condere, ita etiam poteſt abrogare leges à ſe conditas. Non tamen poteſt cum aliquo diſpenſare, vt nunquam confiteatur, vel non confiteatur in articulo mortis, nã confeſſio eſt de iure diuino, & obligat fide-

les

les in articulo mortis, etiamsi eodem anno confessi fuerint. Ratio est quia præceptum diuinum confessionis si vnquam obligat certè in probabili articulo mortis, quando scilicet talis superuenit casus in quo mors sequi consueuit, & timetur probabiliter secutura, quilibet enim tenetur præcauere periculum damnationis, suæque magnæ vtilitati consulere, & sicut præceptum eleemosynæ obligat saltem in extrema necessitate, ita præceptum confessionis videtur à fortiori tunc obligare cum magna salutis æternæ actualis necessitas immineat. Ita Doctores.

Secunda pars, quod præceptum annuæ confessionis sit Ecclesiasticum patet ex Con. Trid. cit. & can. 8.

Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum qualem Ecclesia seruat esse impossibilem, & traditionem humanam à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes, & singulos vtriusque sexus Christi fideles iuxta Concily Lateran. sub Innocetio III. Constitutionem semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadragesima, anathema sit.

Præceptum *de Communione ad minus in Pascha* indicitur in eodem 21. cap. *Omnis vtriusque sexus*, & obligat fideles ex quo capaces extant agnoscendi mysterium id est ab anno duodecimo, vt communiter dicitur, Olim communicandum erat ter in anno scilicet in Paschate, Penteceoste, & Natali ex decreto, quod statuerat Fabianus Papa anno 242. vt habetur in eius Epist. 3. ad Hilarium Epist. Canon autem 9. sess. 13. Trident. sic habet.

Si quis negauerit omnes & singulos Christi fideles vtriusque sexus cum ad annos discretionis peruenerint teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta preceptum sancta matris Ecclesia, anathema sit.

Paschatis nomine hoc loco non intelligitur præcisus ipse dies, sed tempus à dominica palmarum vsque ad octauam paschæ, vt ait S. Thom. in 4. dist. 13. q. 3. Azot. Suarez, & alii, quorum aliqui extendunt à Dominica Quadragesimæ ad octauam paschæ, si ita consuetudine receptum sit, nam præcepta humana obligant quatenus recepta sunt, ita Valentia, Suarez Henriq. & alii.

Nota autem ex præcepto isto teneri fideles communicare in propria parrochia de manibus proprij pastoris aut alterius Sacerdotis de illius licentia. sic declarauit Congregatio interpretum Trident die 21. Ianuarij anno 1586. Quia, inquit, cap. 21. Conc. Lateran. Omnis vtriusque sexus, &c. sicut vult, quod quis proprio parrocho confiteatur, ita à proprio etiam Eucharistiam sumat, quare qui in paschate communicauit extra propriam parrochiam absque consensu sui pastoris non dicitur satisfecisse præcepto Ecclesiastico.

Nota ex Bonac. disp. 4. q 7. p. 2. quemlibet posse suscipere Sacramenta in Ecclesia cathedrali, modo sit illius diœcesis, quia in ea proprius omnium parrochus residet, scilicet Episcopus. Addit idem posse quemlibet diœcesanum adire Episcopum pro suscipiendis Sacramentis inuito parrocho, nam Episcopo principaliter commissa est cura omnium suæ diœcesis animarum, cap. *Quacumque* q. 1. & cap. *pracipimus*. Ita Polleuin cap. 7. num. 57. Sa verbo *Sacramentum* & alij.

Quam rationabiliter autem Ecclesia determinauerit tempus paschatis pro communione patet, nam Christus in illo instituit Eucharistiam, quā præcipuè figurabat Agnus paschalis eodem tēpore ex lege comedendus, qui agnus vocatur pascha L. 22. *necesse erat occidi pascha.*

Præceptum *de vitandis Excommunicatis*, passim habetur in decretis Pontificum, singulariter Can. *Nuper* Can. *si aliquando* Decretal. l. 5. tit. 29 de sententia excōmunicationis & in eodem libro Innocent. III. epist. ad Assumtin. Episc. hæc habet.

Fraternitati tua respondemus, quod nisi Excommunicati à te super absolutione sua litteras nostras, vel illius cui vires nostras in hac parte commisimus reportauerint, aut alio modo legitimè de illorum absolutione tibi constiterit, tu ipsos pro excommunicatis & prius habeas, & facias euitari.

Concilium Constantiense ad euitanda scandala præceptum hoc declarauit determinando duo tantum Excommunicatorum genera, euitari debere, nempe publicos clericorum percussores, & eos qui per sententiam sunt vt dicitur, nominatim Excommunicati. Ita exprimit Bulla Martini. V

Præceptum *de requirenda, quàm primùm absolutione Excommunicationis*, colligitur à præcedente, nam si vitandi sunt qui subiacent huic censuræ, à fortiori excutienda est à nobis ipsis Concil. Trident. sess. 28. habet cap. tertium exhortatorium ad Episcopos, vt non temerè, sed mature, & magna cum circumspectione excommunicationis gladio vtantur, in fine autem capitis sic loquitur. *Excommunicatus* verò quicumque si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur, sed si obdurato animo censuris annexus in illis *per annum insorduerit*, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit.

Ex quibus verbis euidenter constat præcipi cuique fideli, vt absolutionem excommunicationis incursæ, quàm primùm requirat.

Ad hæc *declaranda est doctrina de excommunicatione.*

Excommunicatio duplex est, alia maior, alia minor. Maior est censura Ecclesiastica, qua homo Baptizatus priuatur communione fidelium, id est participatione aliquorum bonorum, quæ sunt fidelium communia, dixi aliquorum non omnium, non enim priuat gratia, sed priuationem illius per peccatum & contumaciam præsupponit: imò fieri posset vt quis perfectæ contritionis actu gratiam recuperasset priusquam ab excommunicatione absolueretur. Similiter non priuat bonis spiritualibus particularibus v. g. effectu orationum quas aliquis priuatim pro excommunicato offert, sed tantum communibus quæ (vt docet Bonacina & alij communiter sex præsertim numerantur.

Primò enim priuat administratione & receptione Sacramentorum.

Secundò participatione suffragiorum communium Ecclesiæ, quæ scilicet à clericis quatenus

tenus Ecclesiæ ministris pro fidelibus offeruntur.

Tertiò iure audiendi Missam & assistendi officiis diuinis publicis, tenetur tamen clericus in sacris constitutus aut Beneficiatus quamuis excommunicatus priuatim solus officium recitare, sed in illa recitatione abstinere debet ab illis verbis. *Dominus vobiscum* vt docent Nauarr. & alij apud Bonac.

Quartò electione passiua ad quæuis beneficia & dignitates Ecclesiasticas.

Quintò sepultura Ecclesiastica.

Sextò communicatione omni humana & ciuili cum aliis fidelibus quod doctores hoc versiculo exprimunt.

O sorare, vale, communio, mensa, negatur.

Os significat allocutionem & confabulationem siue fiat per litteras, nutus aut alia signa Item quæcumque alia signa exteriora amicitiæ, vt oscula, amplexus &c.

Orare significat simul cum excommunicato orationem facere, diuinum officium recitare &c.

Vale id est excommunicatum salutare aut honorem aliquem verbis aut gestis illi exhibere.

Communio id est quæuis societas cum excommunicato in habitatione vel exercitio aut contractu &c.

Mensa id est simul cum illo & in eadem mensa comedere.

Quæ communicationes cum excommunicato prohibentur in quantum per illas vnio & amicitia mutua inter fideles fouetur.

Qui autem cum excommunicato communicant, peccant grauiter quidem ac mortaliter si hæc communicatio fiat in diuinis; venialiter verò si in aliis casibus, & qui cum illo communicant incurrunt excommunicationem minorem, quæ priuat tantummodo susceptione Sacramentorum & electione passiua ad beneficia aut dignitates Ecclesiasticas vt habetur ex cap. *Si celebrat* de clericis excom. ministr.

Sunt tamen hic duo obseruanda. Primum est id quod habetur in Bulla Martini V. quæ incipit. *Ad euitanda* & confirmata fuit à Leone X. in Conc. Lateran. referturque à Nauarro cap. 27. num. 35. Qua quidem summus Pontifex ad euitanda animarum pericula statuit vt nemo deinceps & quemquam ratione alicuius sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ à iure vel ab homine generaliter promulgatæ in Sacramentorum administratione, receptione aut aliis quibuscumque rebus diuinis vel externis vitare aut interdictum obseruare teneatur, nisi sententia vel censura eiusmodi contra certam personam, Collegium, Ecclesiam &c. Specialiter à iudice publicata vel denuntiata fuerit eo excepto qui ob sacrilegam manuum iniectionem in clericum excommunicationem canonis notoriè incurrit vt factum eius nulla tergiuersatione celari & nullo iuris suffragio excusari. Possit: nam ab eiusmodi etiam non denuntiati communione abstinendum est. Postea verò subiungitur: *Per hec autem non intendimus ipsos excommunicatos, suspensos, interdictos in aliquo subleuare vel quomodolibet eis suffragari* id est vt explicat Layman p. 2. c. 1. de excom. quod quamuis incommodum aliorum hac Pontificis indulgentia vti possint excommunicati illi qui non sunt denuntiati aut notorij Clericorum percussores, quando tamen agitur de ipsorum excommunicatorum commodo, eadem hæc indulgentia ipsi suffragari minimè possit.

Secundum est ratione necessitatis vel vtilitatis vel pietatis interdum licitam esse communicationem aliquam cum excommunicato etiam denuntiato vel notorio clericorum percussore, vnde Doctores ex cap. *Quoniam multos* 11. quæst. 3. Causas aliquas colligunt ob quas eiusmodi communicatio licitè haberi potest, quas hoc versiculo communiter exprimunt.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vtile significat vtilitatem spiritualem excommunicati aut illius qui cum eo communicat.

Lex obligationem illi reddendi quod ei debetur, vt si debitor creditori mutuum restituat, si vxor viro debitum coniugale reddat.

Humile designat subiectionem & obsequium quod filius parenti, seruus Domino deferre tenetur.

Res ignorata iuris aut facti ignorantiam inuincibilem seu inculpabilem.

Necesse necessitatem spiritualem aut etiam temporalem si notabilis sit: vnde licitum est v. g. in graui necessitate corporali eleemosynam petere & accipere ab excommunicato denuntiato.

QVÆRES, *Quot sint & quinam casus in quibus incurritur. Excommunicatio maior,* minorem siquidem in sola communicatione cum excommunicatis in casibus supra explicatis incurri constat.

Respondeo in duobus generatim casibus incurri. Primò quando fit vel omittitur aliquid quod à iure prohibitum est, vel præscriptum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Secundò quando iudici Ecclesiastico vel Prælato aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ præcipienti, & monitiones aliquas eo fine adhibenti non obtemperatur.

Et primi quidem generis excommunicationes plurimæ per totum corpus iuris canonici reperiuntur, quas Toletus collegit lib. 1. cap. 18. Casus singularis habetur cap. *Si quis* 17. quæst. 4. his verbis. *Si quis suadente Diabolo in clericum vel monachum manus violentas iniecerit, anathematis vinculo subiaceat,* vbi notat. Bonac. disp. 2. de exc. non incurri excommun. Si eiusmodi manus iniectio fiat ex aliquo subito & indeliberato animi motu, aut si iniuria vel contumelia illata, viri prudentis iudicio talis non sit, quæ ad peccatum mortale non sufficiat.

Secundi generis excom. vt plurimum feruntur à iudice Ecclesiastico non modo contra eos qui aliquod crimen commiserint vt iis quorum interest satisfaciat, sed etiam contra illos qui crimen aliquod patratum esse probè scientes, illud denuntiare aut reuelare noluerint.

Difficultas est vtrum in quibusuis casibus teneatur quis iudici denuntiationem aut declarationem eiusmodi sub pœna excommunicationis

cationis imperanti obtemperare, & nisi fiat vtrum semper excommunicationem incurrat.

Respondeo varios esse casus in quibus nulla est obligatio ad reuelationem, & proinde ex illa omissione non incurritur excommunicatio. Ad hos dignoscendos.

Regula prima est neminem teneri in delictis quæ in proprium damnum ab aliis commissa sunt, seu in propria causa denunciare delinquentem nisi forte publicum & commune bonum id postulet: cum quilibet possit iniurias sibi factas condonare.

Secunda regula est neque etiam esse obligationem denuntiandi, quando ex tali denunciatione notabile aliquod damnum aut periculum immineret denuntianti; neque enim lex humana aut præceptum superioris cum tanto incommodo censetur obligare: vnde sequitur neque vxorem teneri ad denunciandum crimen mariti, neque maritum vxoris, neque filium Patris, quia scilicet damnum mariti vel Patris non potest non redundare in vxorem aut filium, vel è contra: imò Auila & alij Doctores apud Bonac. hanc regulam extendunt ad generos, soceros, fratres, & alios intra quartum gradum & etiam ad seruos & domesticos, quando ex tali denuntiatione inimicitiæ, rixæ aut alia similia incommoda oriri possent: excipiuntur tamen crimina illa quæ vergunt in maximum communitatis aut Reipublicæ detrimentum, vt hæresis, læsæ maiestatis, bonum enim commune debet præferri bono particulari.

Tertia Regula est neminem teneri ad reuelandum id quod nouit ex secreto naturali v. g. quando quis auxilij vel consilij petendi gratia pro salute animæ vel corporis, aut pro defensione honoris, bonorum, &c. crimen suum alicui sub secreto manifestauit: qua ratione Medici, Aduocati, Obstetrices &c. non tenentur, imò non debent reuelare id quod hac tantum ratione cognouerunt.

Quarta Regula est neminem obligari ad denunciandum crimen illud quod scit probari non posse, v. g. is qui solus vidit furtum aliquod committi, quod nullis aliis testibus aut indiciis scit probari posse, non tenetur ad hoc denunciandum, crimen enim quod probari non potest, ita se habet ac si nesciretur, vt colligitur ex cap. *Qualiter & quando* de accusationibus: excipitur tamen crimen hæresis, aut aliquid vergens in graue communitatis damnum, vt docent Bannes, Filucius & alij. Quod similiter dicendum est, quando quis nouit impedimentum aliquod matrimonij; vnus enim testis sufficit ad impediendum matrimonium vt habetur cap. *Postea* de sponsalibus.

Quinta Regula est nullam esse obligationem reuelandi ea quæ verè & cum certitudine aliqua morali non cognoscuntur, ita vt denunciatio illa nullam in foro externo fidem facere possit, qualia sunt quæ audita sunt ex rumore aliquo incerto, vel à personis à quibus quæ non sunt fide dignæ, vel quando quis audiuit à fide digno, sed non meminit quis ille sit à quo audiuit. Item quando audiuit ab eo qui iam denunciauit.

Addit Bonac. nec etiam esse obligationem reuelandi quando certò vel probabiliter creditur, nullum remedium facta eiusmodi reuelatione adhibendum esse à superiore.

Est autem hic obseruandum excommunicationis sententiam siue à lege siue ab homine nunquam ferri posse contra Communitatem aliquam aut Collegium vt habetur ex cap. *Romana* de excom. in 6. Ratio est quia vt ibi dicitur. *Exinde contingere posset innoxios huiusmodi sententia irretiri*; proindeque, *in illos duntaxat de collegio vel communitate quos culpabiles esse contigerit promulgari debere.*

QVÆRES, *Ob quam causam infligatur excommunicatio.*

Respondeo infligi ob peccatum mortale exterius opere commissum cum contumacia dicitur ob peccatum, quia pœna vt iustè infligatur supponit culpam, idque mortale vt grauiori censuræ v. g. excom. maiori, suspensioni ab ordine, interdicto generali &c. sit locus: has enim pœnas cum sint grauissimæ non nisi ob culpam grauem iustè infligi posse docent DD. & habetur ex cap. Episcoporum & cap. Nullus sacerdotum 11. quæst. 3. & Trident. sess. 23. cap. 3. vnde sequitur ait. Layman. nullam incurri censuram grauiorem quandocumque ob ignorantiam aliquam aut inaduertentiam seu imperfectionem actus peccatum commissum non censetur mortale.

Dicitur. *Exterius* quia ob peccatum merè internum censura infligi non potest cum Ecclesia de rebus occultis & mere internis non iudicet vt cap. *Erubescat* & cap. *Sicut tua* de simonia habetur & docent DD.

Dicitur opere completum, nam legislator effectum completum intendit punire, vnde si quis ex voluntate occidendi sacerdotem, sagittam in eum proiiciat, sed illum non attingat etsi peccauerit, non incurrit excomm.

Dicitur. *Cum contumacia* cum enim censura sit pœna medicinalis vt dicitur cap. 1. de sent. excom. non intelligitur per modum vltionis & vindictæ, sed exhibetur per modum medicinæ ad aduertendum hominem à peccato, & ex consequenti supponit semper admonitionem aliquam præcedentem, quæ sine contumacia respici non potest.

QVÆRES, *Quæ sit forma obseruanda in ferendis censuris.*

Respondeo Praxim Ecclesiæ duo requirere. Primum vt admonitio aliqua præcedat vt habetur ex cap. *Sacro* de sent. Excom. & ex cap. *Reprehensibilis* de appellationibus & ex cap. *Statutum* de sent. excom. in 6. Ratio est. quia censura fertur tantùm in contumaces contra Ecclesiam vel superiorem, nisi autem admonitio aliqua præcedat, non potest quis censeri contumax.

Hæc est autem differentia inter censuras quæ infliguntur pro præteritis culpis eluendis, & illas quæ pro futuris cauendis, quod hæ non requirant admonitionem distinctam ab ipsa lege vel prohibitione, quæ eo ipso quo promulgatur vel notificatur, sufficientem admonitionem continere censetur, illæ verò expressam & distinctam admonitionem requirant, vt docent Suarez, & Filiucius apud Bonac. Triplex autem regulariter admonitio præmitti debet tribus distinctis dierum aliquorum interuallis vt habetur ex cap. *Omnes decimæ* 16. quæst. 7. &

& cap. *Constitutionem* de sent. excom. in 6. Nisi necessitas aliqua aut rationabilis causa trinam illam admonitionem aut plurium dierum interuallum impediat, vt habetur ex cit. cap. de sent. excom.

Secundum vt censura feratur in scripto quo exprimatur species censuræ, quæ infligitur & causa ob quam infligitur aliàs ferens censuram solo verbo sine scriptura mortaliter peccat vt ex communi DD. consensu docet Bonacina punct. 8. Incurritque suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, quam etiam suspensionem incurrit is qui parti petenti sententiæ latæ exemplar non concedit intra mensem vt habetur ex cap. *Cum medicinalis* de sentent. excom. in 6. Eximuntur ab hac pœna Episcopi ferentes censuram sine scripto: non enim in citato capite fit mentio Episcoporum. Eximuntur etiam ab hac pœna quicumque superiores ferentes censuram sine scripto quando id solummodo faciunt ob vrgentem aliquam & iustam causam vt obseruat Bonac qui etiam rectè monet quod quamuis nulla huiusmodi causa vrgente illicitum sit censuram aliquam ferre sine scripto, hæc tamen censura valida est.

QVÆRES, *Quænam causæ ab incurrendis censuris excusent.*

Respondeo quatuor præcipuas recenseri.

Prima est ignorantia inuincibilis seu inculpabilis tam iuris quàm facti, ratio est quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, sed vbi adest eiusmodi ignorantia, nulla committitur contumacia, habetur ex Casuistis & ex cap. de constit. in 6. vnde colligitur illum qui scit quidem delictum aliquod esse diuina lege vetitum, sed nescit illud esse quoque ab Ecclesia speciali lege prohibitum, si delictum illud committat licet peccet grauiter, nullam tamen censuram incurrere. Idem dicitur de ignorantia facti v. g. si quis sacerdotem occidit putans se occidere laicum. Addit Suarez, Nauarr. Bonacina etiam ignorantiam pœnæ id est censuræ excusare ab ipsa censura incurrenda v. g. illum qui sciret quidem Sacerdotis percussionem esse diuina & Ecclesiastica lege prohibitam, sed ignoraret, prohibitam sub excom. Si sacerdotem percutiat peccat non tamen incurrit excomm.

Secunda causa excusans est appellatio iusta & debitè facta: quæ tamen causa locum habet dumtaxat in censuris illis quæ sub conditione feruntur, vt quando iudex vel Prælatus inferior præcipit aliquid sub interminatione censuræ, vt aliquid faciat vel omittat: in eiusmodi enim causa si fiat appellatio ad superiorem, excusabit ab incurrenda censura; non verò si postquam conditio illa posita fuerit. Ita Syluester Nauar. Henriquez, & alij v. g. præcipitur alicui sub excom. ipso facto incurrenda vt compareat coram iudice Ecclesiastico intra tres dies: si ab ea sententia ex causa aliqua rationabili appellet ante tres illos dies expletos, appellatio impedit quo minus incurrat excommunicationem, non impedit autem si post tres illos dies appellationem differat.

Tertia causa est impotentia id faciendi, quod sub interminatione censuræ faciendum præcipitur: siue impotentia illa sit physica siue moralis tantum; quando scilicet aliquis vel nullo modo vel sine graui aliquo incommodo id facere non potest: quod similiter dici debet quando quis ob metum aliquem grauem & cadentem in constantem virum eiusmodi præcepto non obtemperat, quia inquiunt DD. apud Bonacinam Ecclesiæ præcepta benignè sunt accipienda, nec credibile est illam cum tanto rigore obligare velle, proindeque cum huiusmodi impotentia vel metus excuset à contumacia, excusat etiam à quauis censura incurrenda.

Quarta denique causa est voluntas & intentio illius in cuius fauorem lata est censura aliqua v. g. Si quis creditor ab Ecclesiastico iudice obtineat sententiam excommunicationis aduersus debitores suos, nisi intra sex menses restituant; prorogat vero postea inscio illo iudice terminum illum vsque ad annum, debitores illi non nisi post annum elapsum incurrent excommunicationem.

QVÆRES, *in quasnam personas censuræ ferri possint.*

Respondeo in quascumque baptizatas rationis & doli capaces, in statu viæ existentes illiusque subditas à quo censuræ feruntur.

Prima conditio Baptismi supponit Ecclesiæ personam, alioquin nullam iurisdictionem habet iuxta illud Pauli 1. Cor. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare*, quod etiam constat ex cap. *Gaudemus* de diuortiis & cap. Iudæis dist. 45.

Secunda patet, quia censura est peccati pœna, peccatum vero supponit vsum rationis, & capacem esse doli, hinc nisi, post pubertatis annos censura datur.

Tertiam probat Gratianus causa 24. quæst. 2. Non enim ait, Dominus dixit. *Quæcumque ligaueritis sub terra sed super.* Hinc S. Leo *Horum causa Dei iudicio reseruanda est.* Potest quidem Ecclesia vel Prælatus declarare mortuum aliquem dum viueret censuras incurrisse easque aduersus eum executioni mandare v. g. illum priuare Ecclesiastica sepultura, vetare ne pro illo suffragia aut sacrificia offerantur; & è contra si aliquis excommunicatus moriens contritionis & pœnitentiæ signa exhibuit, à pœna excommunicationis illum eximere, non quidem absoluendo, sed permittendo aliis vt eum in loco Sacro sepeliant & pro illo suffragia & sacrificia offerant.

Quarta constat, sicut enim nullus potest legibus suis obligare non subditum sic nec pœnis cogere, vel renuentem censuris punire.

QVÆRES, *Qui absoluere possit à censura, & quæ in absoluendo conditio exigatur.*

Respondeo quod quicumque habet potestatem absoluendi à peccatis mortalibus, potest & censuras quæ nemini reseruantur absoluere.

Reseruatus verò superior aut successor aut delegatus habetur ex cap *Per tua* & ex cap. *Sacro* de sent. excomm. Imò Episcopi à quibusuis delictis annexam censuram Papæ reseruatam habentibus absoluere possunt dummodo delicta, sint occulta id est non sint publica vel notoria, aut famosa nec deducta in forum contentiosum Ita DD.

In articulo verò mortis potest quilibet sacerdos etiam suspensus & degradatus absolu-

uere à quibuslibet censuris : cum onere tamen vt sic absolutus si periculum euadat superiorem adeat executurus quod ab eo sibi præscribetur, vt habetur ex c. *Eos* de sent. excom. in 6.

Ad absoluendum quælibet verba prolata vel scripta absolutionem exprimentia sufficiunt, nec vlla certa forma est necessaria, vt docent Suarez, Filiucius &c. Ex parte vero illius qui absoluitur, duo præsertim requiruntur scilicet petitio absolutionis, & debita satisfactio, si censura ob illatum alicui damnum illata sit, aut saltem sufficiens cautio de illa præstanda, & præterea si censura illata sit ob aliquod graue delictum, debet absoluendus polliceri sub iuramento se non amplius patraturum tale crimen, seque in posterum mandatis Ecclesiæ obtemperaturum. In absolutione verò solemni debent seruari quæ præscribit Rituale.

PRÆCEPTVM

De nuptiis non celebrandis extra tempus.

OLim strictiùs agebat Ecclesia in determinatione temporis ad solemnitatem nuptiarum concessi, vt videre est in cap. *Capellanus* de feriis in decretalibus, nam ab Aduentu vsque ad Epiphaniam, à septuagesima vsque ad octauam Paschæ, & à Rogationibus vsque ad octauam Pentecostes non licebat nuptias celebrare Conc. Trident. sess 24. cap. 10. de reform. Matr. tempora designauit hoc modo.

Ab aduentu Domini nostri Iesu Christi vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque in octauam Paschatis inclusiuè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari Sancta Synodus præcepit : in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit : quas Episcopi vt ea qua decet modestia & honestate fiant, curabunt ; sancta enim res est matrimonium & sanctè tractandum.

Nota quocumque tempore potest Matrimonium contrahi coram Parocho, sed nuptiarum solemnitates, conuiuia, inductio ad domum, & carnalis copula certis temporibus prohibentur.

Qui in tempore prohibito solemnitatem facit, peccat mortaliter, licet ob id matrimonium non dirimatur. Ita Sanchez, disp. 7. Matiensis in Gloss. 1. numero 147. Ceneda ad decreta collect. 22. Ratio peccati est, quia in re graui contradicitur Ecclesiæ, quæ iustis ex causis prohibitionem solemnitatis nuptiarum indixit, quod dicere tyrannicam superstitionem ab Ethnicorum superstitione profectam vetat sub anathemate canone 11.

PRÆCEPTVM

De decimis iustè soluendis.

ANastasius Papa can. Statuimus causa 16. quæst. 1. hæc habet. Statuimus vt si quis oblationes Ecclesiæ vel decimas quas populus dare debet contenderit tenere, vel extra baptismalem Ecclesiam dare voluerit præter conscientiam Episcopi, vel eius cui huiusmodi officia commissa sunt, nec cum eorum voluerit agere consilio bannum nostrum componat & communione priuetur.

Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. præcipit solutiones decimarum, impedientes fieri iubet excommunicari, nec absolui nisi plena restitutione secuta. Non sunt, inquit, ferendi qui variis artibus Decimas Ecclesiis obuenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis soluendas temere occupant, & in rem suam vertunt, cùm decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur S. Synodus omnibus cuiuscumque gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, vt eas ad quas de iure tenentur in posterum Cathedrali aut quibuscumque aliis Ecclesiis vel personis quibus legitimè debentur, integrè persoluant. Qui vero eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absoluantur.

Nota, certum esse decimas non esse eleemosynas, sed subsidium debitum sacerdotibus propter ministerium spiritualium vt sess. 8. Conc. Constantin. contra Vuiclefum decretúm est, quia iure diuino & naturali ministrantibus populo spiritualia debetur sustentatio vt ostendit Paulus 1. Cor. 9. vbi inter catera ait. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* hic *Magnum* interrogatiuè dictum facit vt pro *Paruum* sit intelligendum & 1. Timot. 5. *Dignus est operarius mercede sua* & Christus ipse Luc. 10. *In eadem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua.* Sustentatio autem hæc per decimas præstatur, cùm enim aliquid certi à singulis de populo dari debeat, vt sustentatio ministrorum sit stabilis & sufficiens Ecclesia imitatione diuina in veteri Testamento proposita constituit decimam partem fructuum terræ huic rei esse segregandam : qua taxatione semel facta singuli lege iustitiæ debent decimas, sicut posita determinatione principis qua statuit quantum à singulis ad ipsius statum sustentandum, vel ad bellum gerendum, vel ad aliud opus necessarium, contribuendum sit, singuli ex iustitia tenentur illam quantitatem dependere. Idem Probatur iure Canonico, vide in decreto 16. quæst. 1. & in decretal. titulo de decimis.

Hinc solutio decimarum sub excomm pœna imperatur quod Nauarr. cap. 21. num. 32. intelligit de iis qui restituere possunt ante mortem vel ante tempus, quo tenentur communicare.

QVÆRES, *Cur Ecclesia in noua lege voluerit decimas de omnibus quæ in veteri dabantur tantum de frugibus & animalibus sub virga pastoris transeuntibus* Leuit. vlt.

Respondeo in vet. Testamento singulæ familiæ habebant suos agros vnde decimas soluere possent & ita non erat necesse exigere decimas personales quæ ex negotiatione, artificio, militia, famulatu, procedunt, secus

verò

verò tempore nouæ legis, vbi non solum familiæ multæ, sed etiam vrbes & Respublicæ quædam agris carent, vt Veneta, Genuensis & similes, vnde oportuit decimas personales imperare, alioquin plerique nihil contribuissent, & vbi nulla sunt prædia rustica clerus sustentari non potuisset.

Deinde quia singuli nunc longè plura à sacerdotibus beneficia accipiunt quam in vet. lege. Tum quia sacerdotes nunc longè pluribus egent. Parochi enim & Episcopi & alij Ecclesiastici debent esse patres pauperum, Orphanorum & viduarum, vnde non solum debent habere quod illis sufficiat, sed etiam quo aliis subueniant, quod si non fecerint cum possunt, grauiter peccant Tum multò digniores sunt, vnde pluribus egent ad dignitatis suæ statum in populo tuendum, qui enim egestate premuntur, contemnuntur, iisque nihil abiectius reputatur, quo fit vt vilissimis ministeriis inseruire cogantur. Adde quod magna opus est illis eruditione ad quam comparandam requiruntur magni sumptus, & impediuntur aliæ rationes lucrandi quæ sacerdotes non decent. Tum in lege vnicum erat templum omni sua supellectili instructissimum. In noua sunt innumerabilia quorum singula suis ornamentis & sacra supellectili instrui & sarta tecta conseruari debent.

Adde quod in vet. legis sacerdotibus maximum emolumentum proueniebat ex innumeris sacrificiis quæ offerebantur, nihil tale hodie habetur.

Adde quod decimæ manebant in familiis & transmittebantur ad posteros, vnde fiebant admodum diuites, secus in lege noua.

Quartò decima personalis potest exigi vt cognoscamus non solùm fructus terræ, sed etiam omnem alium quæstum licitum Dei munere prouenire, nam vt ait August. *Quodcunque te pascit ingenium Dei est & inde decimas exigit vnde viuis.*

Nota personales decimas soluendas ab iis solis qui Sacramenta percipiunt & Ecclesiæ à qua sumunt, idque iuxta consuetudinem receptam. Colligitur ex cap. *Ad Apostolicæ* de decimis. Aduerte autem sublatas esse multis in locis, & in quibusdam eas solui in fine vitæ vt Venetiis. Alibi in fine anni, simili modo multæ prædiales & mixtæ variis locis abolitæ sunt ex consensu Ecclesiæ, quæ cum notaret ægrè solui nec iudicaret compellendos esse homines ad vitandum scandalum condonauit. Vel quia tam multa fuerunt sensim Ecclesiæ à potentatibus & aliis fidelibus relicta vt putarentur vel sola cum certo decimarum genere sufficere posse.

Consuetudine etiam passim abolitum est ius Primitiarum, quod & præscriptio 40. annorum sine alio titulo sufficienter tollere dicitur. Hinc in declarationibus Conc. Trid. hoc submittitur. Qui ex antiqua consuetudine non soluebat decimas ex hoc decreto capitis 12. ad eas soluendas cogi non potest. Vide quæ dixi art. 13. Traditio.



DE

DE LEGE IN GENERE, & in ſpeciali.

DECRETVM *duodecimum Concil. Trident. in ſeſſ. 6. cap.* 11. Iuſtificatus non liberatur ab obligatione ſeruandi mandata, & cum Chriſto patiendi, *Expoſtulauit à me præcedentem Decalogi, & Præceptorum Eccleſiæ expoſitionem, ne quid autem plenæ Lectoris informationi deſit, diſcutiendæ ſunt Quæſtiones de Legibus in genere, & in ſpeciali, quæ multum conferunt ad reſolutionem dubiorum, quæ tam Catholici, quàm Nouatores proponere ſolent.*

QVÆSTIO. PRIMA.

Quid ſit lex.

LEx à ligando dicta eſt, quia obligat ad agendum, vel à legendo, quia ex ſcripto legitur, vel à legendo actiuè, quia legit ſeu delegit, quid ſit agendum, aut omittendum. Definitur ***ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis promulgata.*** Vel regula & menſura actuum ſecundùm quam quis inducitur ad agendum, vel retrahitur ab agendo.

Duo ſunt officia legis dirigere ſeu illuminare & obligare, dirigit enim quatenus eſt regula actuum humanorum: Obligat autem quatenus tenemur hanc regulam ſequi ſiue illa obligatio oriatur ex natura rei, ſiue ex voluntate, & poteſtate ſuperioris, vt fit in legibus poſitiuis. Secundum ex primo ſequitur, nam lex imponitur ſubditis per modum regulæ,& menſuræ ideo tunc habet vim obligandi, quando applicatur omnibus regulandis ſicut oportet applicari regulam regulabili. Talis autem applicatio legis fit per hoc, quod in notitiam ſubditorum deducitur ex promulgatione. vnde patet quod promulgatio eſt neceſſaria ad hoc, quod aliquid habeat vim legis, vnde dicitur in decretis,quod ***leges inſtituuntur cum promulgantur.***

Licet autem perſona priuata poſſit inducere hominem ad virtutem,(quod eſt officium legiſlatoris per monitionis viam non;, tamen hoc poteſt per vim coactiuam, quam debet habere lex vt dicit Ariſtot. 4. Eth. 1. Hanc autem vim coactiuam habet multitudo, vel perſona publica ad quam pertinet pœnas refractariis infligere. Hinc habes differentiam inter legem, & conſilium, iſtud enim non habet vim obligandi.

Nota principem non cenſeri legem proponere, vt princeps, & cum poteſtate obligandi niſi promulget legem ritu ſoléni. Ratio eſt, quia legiſlator ſuſtinet duplicem perſonam, priuatam quâ par eſt aliis, & publicam, qua ſuperior eſt, vt ergo certò conſtet eum, id facere ex publica poteſtate debet ſolemniter promulgare.

Deus non indiget hac ceremonia, quia ſine illa poteſt efficere, vt certò conſtet ſe velle diuina poteſtate obligare: fieri hoc poteſt per internam reuelationem, vel externam propoſitionem, ſine ſolemnitate primo modo patefecit Chriſto præceptum moriendi pro hominibus: ſecundo modo Chriſtus multa mandauit Apoſtolis per externam locutionem ſine ſolemnitate. Legis naturæ promulgatio dicitur eſſe ex hoc ipſo, quod Deus mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam.

Nota regulam hanc, quam vocamus legem poſſe conſiderari tripliciter,vel vt in ſe eſt, vel vt in legiſlatore, vel vt in ſubdito ſeu regulato, ſpectata in ſe eſt objectum intellectus practici non ſimplex, ſed complexum v.g. hoc complexum furtum eſt fugiendum eſt quædam regula, quæ nos in agendo dirigit, & hoc idem complexum eſt objectum noſtri intellectus, quia apprehendimus illud intellectu, & iudicamus eſſe ſequendum in actionibus noſtris, hinc apparet in quo ſubjecto ſit. Lex in ſe ſpectata eſt enim fundamentaliter in rebus ipſis, objectiuè autem in intellectu, nam in ipſo furto &,eſt ratio furti,& ratio fugiendi, & præterea connexio harum duarum rationum,hæc vero connexio conſtituit hanc regulam ſeu hoc complexum, furtum eſt fugiendum.

Si lex conſideretur, vt eſt in legiſlatore, nihil aliud eſt, quam actus ille quo legiſlator iudicat, vult, imperat vt hæc aut illa regula ſeruetur à ſubditis vbi; Nota tres potiſſimum actus requiri in legiſlatore. Primus eſt iudico expediens eſſe bono communi vt hæc regula ſeruetur, 2. eſt volo eam ſeruari. Tertius impero, vt deinceps obſeruetur.& quidem actus primus pertinet ad prudentiam legiſlatoris,qui prudenter iudicare debet an expediat bono communi, & hoc ſenſu dici ſolet. Sapientis eſſe leges condere Prouerb. 8. *per me legum conditores iuſta decernunt.* Reliqui duo actus pertinent ad authoritatem legiſlatoris. Porrò tertius eſt quaſi ſignum & explicatio ſecundi,nam legiſlator non poteſt ſuis ſubditis manifeſtare ſuam voluntatem, quæ in animo latet

latet nisi per imperium & promulgationem.

Si consideretur Lex vt est in subdito nihil aliud est, quàm iudicium eius practicum quo iudicat hanc, vel illam regulam à superiore præscriptam & promulgatam sibi esse seruandam, porrò hoc iudicium in subdito non vocatur, lex nisi quia legem proponit, dirigit autem per modum objecti cogniti, sicut exemplar, quod artifex intuetur, dirigit eum in operando.

Obligat lex subditum non quidem effectiuè causando in eo obligationem, hæc enim oritur, vel ex natura rei, si sit lex naturalis, vel ex superioris potestate si lex sit positiua, sed terminatiuè quia scilicet Lex in se spectata est terminus obligationis, est enim id ad quod sequẽdum homo obligatur, quo pacto etiam objectum dicitur mouere voluntatem, non quod effectiuè producat in ea motum, sed quia id est in quod voluntas tendit per suum motum & operationem.

Quæstio an Lex pertineat ad intellectum, vel voluntatem defensores vtrimque habet. S. Thom. stat pro intellectu, quia illius est dirigere & illuminare. Scot. pro voluntate, quia illius est mouere & obligare.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit Lex.

TRes sunt celebriores diuisiones legis, quæ apud Iuristas vocatur nomine Iuris, æterna, naturalis, & positiua & hæc positiua subdiuiditur in legem positiuam diuinam, & legem positiuam humanam, quæ quidem positiua humana duplex est Ecclesiastica scilicet, & Ciuilis.

Lex æterna nihil est aliud, quàm ratio diuinæ sapientiæ quatenus omnium actionum, & motuum est directiua, sicut enim in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ per artem fiunt, ita etiam in quolibet gubernante præexistere debet ratio directiua eorum, quæ ab iis qui eius gubernatione reguntur agenda, vel omittenda sunt, Deus autem sicut per suam sapientiam rerum conditor est, ita etiam & gubernator: vnde sapientia illa in quantum, per eam cuncta creata sunt, habet rationem exemplaris, & ideæ, in quantum vero per eandem cuncta diriguntur in finem debitum, habet rationem legis æternæ.

Ista lex prout est in Deo legislatore idem est realiter, cum idæa, & prouidentia diuina, sed tamen ab iis ratione distinguitur, & quidem ab idæa distinguitur dupliciter, primò, quia idea est conceptus rei faciendæ.

Lex est conceptus rei gubernandæ. Secundò idæa non includit voluntatem obligandi creaturam, quam includit Lex Totidem modis distinguitur ab ipsa Prouidentia: primò, quia prouidentia respicit res singulas in indiuiduo, nam alia est prouidentia circa Petrum, alia circa Iudam. Lex non respicit primo res singulas, quia singulis non imponuntur singulæ leges, sed vna eademque lege tenetur totum genus humanum. Secundo prouidentia non includit voluntatem obligandi sicut lex.

Huic legi æternæ omnes creaturæ omnimode subiuntur, irrationales quidem per impressionem ordinis ipsius seu per executionem Psal. 148. *Ignis, grando nix glacies, quæ faciunt verbum eius*, & Psal. 118. *Ordinatione tua perseuerat dies quoniam omnia seruiunt tibi.* Rationales per quandam irradiationem diuinæ sapientiæ, quæ mentem earum illustrat, & in operationibus suis dirigit iuxta Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, vnde S. Augus. lib. 1. de lib. arbit. cap. 6. dicit, *Notionem legis æternæ, quibuscumque hominibus esse impressam.* Dic si velis irrationales subiici huic legi per naturalem tantum inclinationem: Rationales vero, per cognitionem & iudicium. Vnde fit vt hæ liberè, illæ autem necessario subdantur, item vt hæ propriè loquendo obligentur, illæ impropriè, nam vbi non est libertas, non est obligatio sub peccato. Hinc sequitur legem æternam non habere propriè rationem legis nisi respectu hominum, & Angelorum, quia illi habent liberum arbitrium ac proinde soli possunt obligari, Deus autem propriè non est subjectus legi æternæ ait S. Thomas, quia subjectum esse legi nihil aliud est quam secundum eam gubernari, sed Deus propriè non gubernatur, quia non habet superiorem à quo gubernetur 2. quia vbi est summa æqualitas, & idemtitas, ibi non potest esse subjectio, sed inter Deum, & legem æternam est summa æqualitas & idemtitas, cum lex æterna sit conceptus mentis diuinæ, qui est ipsa essentia.

DIces, nec respectu Angelorum, aut hominum hanc propriè esse legem, nam vt æterna est non est promulgata, quia creatura incæpit in tempore?

Resp. legem æternam distingui ratione ab idæa, quod per eam cuncta quasi per exemplar creata sunt, sed hæc idæa quatenus mouet ad debitum finem habet rationem pro tempore.

DIces multi se subtrahunt sponte ab illa leg, ergo illi saltem non sunt subjecti legi æternæ, tametsi esse teneantur.

Respondeo esse nihilominus, nam subiici legi nihil aliud est, quam per eam gubernari, at tam boni quàm mali secundum eam gubernanatur, hoc interest, quod boni qui sequuntur eius ductum ad finem à lege præscriptum perueniant, mali verò secundùm legem puniuntur, S. Thom. sic respondet, mali quantum deficiunt à lege æterna ex parte actionis, tantum supplerur ex parte passionis, prout scilicet in tantum puniuntur, quod lex æterna dictat August. confess. cap. 12. *Iussisti Domine, & sic est vt pœna sua sibi sit omnis animus inordinatus.* Lex æterna vt est in seipsa soli Deo, & beatis nota est.

Lex naturalis est ipsum naturale iudicium, seu rationis dictamen, quo per lumen nobis à Deo tanquam authore naturæ inditum, & ab æterna eius lege deriuatum cognoscimus ea esse facienda, quæ recta & iusta sunt, & è contra vitanda esse ea, quæ à iustitia & rectudine deflectunt.

Iuristæ & Theologi hic discrepant si non in re, saltem in modo loquendi & explicandi, nam Iuristæ ius naturale seu legem naturalem vocant

vocant, quod est commune homini cum brutis, vt coniunctio maris & fœminæ, liberorum procreatio, & educatio, Theologi autem aliter definiunt? Ius naturale vocant, quod ex instinctu naturæ rationalis omnibus hominibus inter se commune est. Iuristæ Ius Gentium vocant, quod solis hominibus inter se conmmune est, vt religio erga Deum, obsequium erga patriam & parentes, & hoc iure dicunt introducta esse bella, seruitutes, diuisiones agrorum, dominia, contractus ff de iustitia, & iure lege 1. Hinc sequitur omnia Decalogi præcepta pertinere ad ius gentium, non autem ad naturale, non enim communia sunt homini cum brutis, sed ipsis hominibus inter se. Theologi ius Gentium vocant, quod ex consensu populorum illis omnibus, aut fere omnibus commune est pro quo:

Nota naturam rationalem dupliciter spectari posse 1. secundùm se & absolutè 2. quatenus degit in ciuili societate, & communi viuendi consuetudine.

Igitur ius naturale, quod aliqui vocant primæuum conuenit naturæ rationali secundum se consideratæ. Ius Gentium, quod vocant secundarium conuenit eidem naturæ in societate, & republica constitutæ.

Hinc sequitur ad legem naturalem pertinere omnia præcepta quæcumque recta ratio ex instinctu naturali dictat esse seruanda homini absolutè considerato, vt Deum esse colendum. Parentes honorandos, nemini faciendam iniuriam.

Ad ius Gentium, quæ in ciuili societate communi populorum consensu constituta sunt vt diuisiones bonorum, dominium, contractus, bella, captiuitates, seruitutes, & quæ similia sunt.

Lex itaque naturalis est participatio legis æternæ in rationali creatura, talis autem in homine, aut Angelo non dicitur, quòd per eam quodam impetu naturæ feratur, vt bruta, sed quia per lumen naturale menti impressum mouetur ad honestè agendum.

QVÆRES, *an Lex naturalis prout distinguitur à iure gentium habeat plures regulas practicas, quas ex instinctu naturali iudicamus esse seruandas.*

Respondeo esse vnum quasi primarium ac generale præceptum legis naturalis ex quo reliqua omnia dependent, nempe. *Bonum esse prosequendum, & malum esse fugiendum*, vt docet S. Thom. q. 94. ratio eius est, quia sicut primum objectum intellectus est ens, ita primum objectum voluntatis est bonum, quicquid enim percipitur ab intellectu habet rationem entis, & quicquid à voluntate appetitur habet rationem boni, ergo sicut primum principium speculatiuum, quo intellectus dirigitur debet fundari in ente: sic principium primum practicum, quo voluntas dirigitur debet fundari in bono. Primum autem principium speculatiuum, quod fundatur in ente est. *Idem non potest simul esse & non esse.* Ergo primum principium practicum, quod fundatur in bono est. *Bonum est prosequendum & malum fugiendum.*

Ex hoc primo principio practico deducuntur proximè tanquam ex quodam fonte alia præcepta legis naturalis, vt Deum esse colendum, parentes honorandos nemini faciendam iniuriam, propriam vitam conseruandam, & generatim omnia Decalogi præcepta & illis affinia, nam recta ratio ex naturæ rationalis instinctu dictat bonum esse Deum colere &c. similiter iudicat malum esse Deum odisse, blasphemare, parentes contemnere, propriam vitam prodigere, mentiri, furari, & alteri facere, quod tibi fieri non vis.

Nota legem naturalem vnam, & eandem esse apud omnes homines, quo ad prima & generalia principia, cum hæc omnibus agnoscantur, & approbentur v. g. bonum esse faciendum, malum fugiendum, rationi obtemperandum, quo ad vero conclusiones, & particularia iura, quæ ex illis deducuntur, sæpe contingit multos à recta ratione deficere propter prauam peccandi consuetudinem, & inde exortam intellectus obscurationem, & sic à lege naturali aberrare, vnde videmus apud multas gentes olim idololatriam, & alia flagitia legi naturali contraria approbata esse, & vsu recepta de quibus, Rom. 1. *obscuratum est insipiens cor eorum, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & serpentum.*

Varietas etiam circumstantiarum conclusiones ex lege naturæ deductas variare potest, vnde etsi ex illo principio generali, *quod tibi fieri non vis alteri ne feceris*, Communiter sequatur gladium reddendum Domino petenti, non tamen si contingat Dominum eo velle se, vel alium occidere.

Cæterum quia eo minus conclusio euidens est, quo magis distat à primis principiis, hinc facile colligi potest multa præcepta naturalia à simplicioribus posse inculpabiliter ignorari.

Lex naturalis obligat hominem ab eo tempore, quo rationis vsum accipit, & per illam inter bonum & malum discernere incipit, hic enim rationis vsus est veluti ipsius legis naturalis notificatio. Ita autem obligat vnumquemque, vt in nullo casu ab illa seruanda eximi possit. Atque in primis certum est exemptionem illam humana authoritate dari non posse, cum ipsa Lex naturalis ab æterna Dei deriuetur, vimque suam accipiat. Ita autem immutabilis in se est vt abrogari non possit, ita S. Thom. & August lib. 3. de Doct. Christ. cap 14. & expresse habetur in decreto Gratiani ratio euidenter id ostendit, quia ius naturale nihil aliud est, quàm dictamen rectæ rationis quod vbique idem est, & immutabile, quia fundatur in natura rationali, quæ eadem semper est, tum, quia legis naturalis obligatio oritur ex ipsa rerum natura, hæc verò mutari nequit, ergo nec illa.

Hinc sequitur omnia præcepta legis naturæ, quæ aliquando obligarunt, semper & vbique obligare saltem, quo ad prima principia, quale est: hoc bonum est amplectendum, & malum est fugiendum. Quoad vero præcepta particularia, quæ ex illis deducuntur, quæ secundaria dicuntur, lex ipsa naturalis, quodam modo mutari potest propter circumstantiam occurrentem, materia enim legis tunc mutatur sicque subtrahitur ei obligatio. Ad hæc.

Nota multa esse de iure naturali concessiuo, quæ non sunt de iure præceptiuo, ideóque in iis posse contingere mutationem ob circumstan-

tias v.g. ius naturale permittit vt homines sint liberi, bona communia, matrimonium clandestinum validum, non tamen præcipit vt hæc ita se habeant, adeoque non prohibet quin oppositum statui possit, quemadmodum etsi dici possit de iure naturæ, quod homo sit nudus, non tamen dici potest prohiberi hoc iure, ne vtatur vestibus.

S. Thom. censet Deum non posse dispensare in lege naturæ permanente omni circumstantia sub qua viget, & obligat, nam lex hæc nihil aliud est vt dicit S. August. lib. 83. qu. 53. quam, *ipsius æternæ legis atque adeo summæ ac incommutabilis rationis ipsius diuinæ sapientiæ in mentibus hominum facta transcriptio*, atqui *Deus* 2. Timot. 2. *seipsum negare non potest*, Tum quicquid est conforme rectæ rationi hoc ita bonum est, vt non possit fieri malum, quamdiu manent circumstantiæ secundum quas est bonum, & contra quicquid rectæ rationi repugnat, ita malum est, vt bonum fieri nequeat, proinde licita non potest esse dispensatio, nam dispensare in lege naturæ est facere vt aliquis non teneatur seruare illam, & vt faciat contra ipsam, vt viget.

Dices, Deus dispensauit cum Abraham, ita vt filium occidere posset, cum Osee vt fornicari, cum Israelitis vt bona Ægyptiorum furarentur seu retinerent iis inuitis, cum Machabæis, vt sabbatum violarent.

Resp. in supradictis nullam esse dispensationem, sed appositionem certæ circumstantiæ, qua posita ipsa naturalis obligatio cessat.

Abraham non propria authoritate, sed Dei in filium manus iniiciebat, Oseas contraxit matrimonium, Israelitæ donatione Dei supremi omnium Domini habuerunt ius in vasa Ægyptiorum, furtum autem consistit in eo, quod non liceat accipere rem alienam quandiu aliena est inuito rationabiliter Domino, ea autem per donationem Dei facta erat Israelitis. Lex de sabatho, quæ partim naturalis partim positiua est non fuit dispensata vt naturalis, sed secundo modo, nam si naturæ est dictaminis vt Deum colamus, aliquando positiuæ legis est, vt fiat tali die sicque potest dispensationem admittere, Machabæi vsi sunt interpretatione, quam Christus Matth. 12. Marc 3. Luc. 6. admittit.

Idem respondeo de polygamia in qua nullam dico fuisse dispensationem pro Patriarchis, sed tantum ablationem alicuius circumstantiæ, qua facta cessat obligatio naturalis, nam lex, quæ pluralitatem vxorum prohibet consistit vt nullij quandiu inhabilis est liceat accipere secundam, aut tertiam voxorem, in hoc non dispensauit Deus, sed abstulit circumstantiam inhabilitatis, & ex persona inhabili fecit habilem, ablata enim hac circumstantia, iam non obligat lex naturalis vetans polygamiam, non enim obligat nisi personas inhabiles, quæ inhabilitas in eo consistit, quod vir qui semel per contractum matrimonialem dedit potestatem sui corporis vni fœminæ, non potest alteri dares, quandiu prior superstes est vt explicatur Rom. Cor. & 1. 77. & hoc sensu homo dicitur inhabilis ad secundum matrimonium, hanc autem inhabilitatem Deus potest auferre non vt legislator, sed vt supremus omnium Dominus, qui potest vsum corporis vni obligatum permittere esse communem pluribus, & sic ex quadam parte priorem contractum rescindere; facta autem hac permissione potest vir aliam ducere, nec amplius obstat ei lex naturalis vetans polygamiam, quæ inhabiles tantum personas obligat.

Lex positiua diuina superaddita fuit legi naturali, nam præter illam necessaria fuit ad directionem naturæ humanæ, imo & lex humana ratio additionis primæ affertur à S. Thom. quia cum homo creatus sit, vt aliquando supernaturali beatitudine fruatur, debuit ad hunc finem dirigi media aliqua supernaturali, & diuina lege. Lex naturalis non est satis determinata ad casus particulares, ideo vt sine errore dirigatur homo data fuit lex diuina erroris incapax, qua homo scit, quid agendum, & ei cauendum sit. Hæc autem Lex diuina duplex est *Mosaica* & *Euangelica*, quæ inter se non distinguuntur specie, sed tanquam perfectum & imperfectum in eadem specie vt patet ex Paulo, qui Galat. 3. comparat veterem puero existenti sub pædagogo, nouam verò viro perfecto, quod etiam colligitur, quia Lex vetus ad bona sensibilia, & terrena *proximè* ordinabat. Noua vero ad intelligibilia & cœlestia dirigit, illa actus externos tantum regulabat, hæc etiam internos, & ideo dicitur, quod Lex vetus cohibet manum. Noua vero animum, & hinc fortè Ezechiel. 20. dicitur *non bona* id est imperfecta comparatiuè ad nouam, vel quia etsi bona in se, & à Deo data per Moysem & promulgata, vnde Rom. 7. vocatur *Lex sancta & mandatum sanctum & iustum & bonum*, tamen non dabat vires, & gratiam ad præcepta implenda, sed tantum, quid faciendum aut omittendum esset propriè demonstrabat, vnde Paulus ad Rom. & Galat. dicit hominem non iustificari ex operibus legis, sed ex fide in Christum.

QVÆRES, *quomodo sancti veteris legis iustificati sint.*

Resp. non ex lege Mosaïca, sed ex Euangelica, cuius futura virtus ad eos vsque quantumuis longè adhuc remotos porrigebatur, habebant enim, quasi anticipatam fidem, & gratiam ex Euangelio, nam noua lex virtualiter continebatur in veteri continente figuras Mysteriorum, quæ explicatè data sunt in Euangelica.

Communiter Lex vetus dicitur Timoris. Noua Amoris, quod non tantum respectu ipsarum legum est intelligendum, vtraque enim comminationes & præmia habet, & præcepta cuiuslibet legis dantur de actibus virtutum, sed comparatiuè ad eos quibus dantur, ad quos actus diuersimodè inclinantur perfecti & imperfecti. Isti cùm careant habitu virtutis, & abundantia gratiæ in lege Mosis inclinantur ad opera virtutis ab extrinseco, putà ex comminatione pœnarum, aut promissione præmiorum. Hi vero cùm virtute prædiri sint, & abundantiore gratia inclinantur ex amore.

Cæterùm distinctio referenda est ad statum vtriusque legis, non ad singulas personas, si quidem non pauci erant in vet. Test. qui ducebantur amore, & contra in nouo plurimi, qui erroribus ad bona compelluntur.

Soli Iudæi ad legem Mosis tenebantur, quia illis

illis solis promulgata fuit Exod. 19. & 20. & Probatur ex eo quod absque illius obseruatione multi ex gentilibus saluati sunt vt docet S. Dionys. cap. 9. cælestis Hier.

Desiit Lex Mosaica in totum, id est non tantùm quoad præcepta cæremonialia & iudicialia sed etiam (vt cum Suarez lib. 9. de legib. cap. 11. plures asserunt) quoad moralia, ita vt eorum obligatio penitus cessauerit in quantum hæc moralia lege veteri præcipiebantur, licet alioquin ad illa seruanda tam lege naturæ quam Euangelica teneamur. Abrogatio legis intimatur pluries in scriptura Luc. 16. *Lex & propheta vsque ad Ioannem.* Galat. 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo, at vbi venit fides iam non sumus sub pædagogo,* Heb. 7. *Translato sacerdotio necesse est vt & legis translatio fiat* & Ephes. 2. loquens de Christo dicit illum. *Legem mandatorum decretis euacuasse.* Ratio multiplex datur quia continebat figuras quæ adimpletæ sunt vt lib. 19. contra Faust. cap. 13. docet S. August. quia Christus Ephes. 2. *Fecit vtraque vnum* id est ex duobus populis Ethnico & Iudaico fecit vnum ouile, & proinde debuit dissoluere medium parietem legis Mosaicæ qui separabat vnum populum ab alio & vna eademque lege euangelica vtrumque concludere Tum quia imperfecta erat comparatiue ad Nouam, nec non & graue iugum vt Act. 15. dicitur. Tum impleuit omnia Christus Ioan. 19. *Consummatum est.*

Dices ex Baruc. 4. *Liber mandatorum Dei hic & Lex quæ est in æternum.*

Respondeo ex S. Thom. legem dici esse in æternum, secundum moralia quidem simpliciter & absolutè, secundum cæremonialia verò quantum ad veritatem per ea figuratam.

Instabis circumcisio fuit instituta in signum fidei Abrahæ, obseruatio Sabbathi ad recolendum beneficium creationis, & solemnitates aliæ ad alia beneficia Dei recolenda, ergo hæc saltem remanere debent.

Respondeo Circumc. fuisse signum fidei in Christum venturum fides enim commendata fuit quod credidit diuinæ promissioni de futuro semine in quo benedicerentur omnes gentes, & ideo quamdiu hoc erat futurum oportebat protestari fidem Abrahæ in circumcisione, sed postquam iam hoc est perfectum oportet idem alio signo declarare, scilicet baptismo qui in hoc circumcisioni succedit. Coloss. 2. *Circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis sed in circumcisione Domini nostri Iesu Christi, consepulti ei in baptismo.* Idem dic de aliis, nam nouæ solemnitates succedunt pristinis & sabbatum in dominicum diem mutatur, in quo commemoratur noua creatura in Christi resurrectione. Ita S. Thom. 1. secundæ quæst. 103. art. 3.

Mortifera fuit Lex post Pentecosten id est peccasset qui eam seruasset vt 2. & 5. ad Galat. dicitur. *Si circumcidamini Christus nihil vobis proderit* nihil autem præter peccatum mortale excludit fructum Christi. Ergo. Petrus tamen & Paulus aliquos notantur seruasse ritus Act. 16. & 21. Ne Iudæo Christianos confunderent & Synagogam cum honore sepelirent.

Lex noua seu Euangelica instituta est à Christo, quem legislatorem annuntiarat Isaias cap. 33. *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster saluabit nos.* & in Euangelio Christus passim loquitur de lege sua Ioan. 14. *Mandata mea seruate.* Matth. 28. *Docete eos seruare omnia quæ mandaui vobis.* 1. Cor. 7. & 9. & Heb. 3. Paulus confert inter se Christum & Moysem tanquam duos legislatores, & ait si transgressores legis Mosaicæ puniti sunt, multo magis à Christo latæ.

Lex Christi continet præcepta moralia, Sacramentalia & fidei.

De moralibus constat. Matth. 5. 6. 7. Vbi Christus explicat & perficit præcepta decalogi quæ ad mores spectant & Matth. 16. vbi prohibet diuortium & libellum repudij, decernitque vt vinculum matrimonij deinceps non dissoluatur.

De sacramentalibus patet. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto non potest introire in regnum Dei.* Ioan. 9. Nisi *Manducaueritis carnem filij hominis* &c. Marc 16. *Qui crediderit & baptisatus fuerit* Ioan. 8. *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

Hoc tamen interest inter hæc triplicia præcepta, quòd Sacramentalia sint verè & propriè instituta à Christo: reliqua non tam instituta quàm aucta vel explicata Et quidem moralia cum sint iuris naturalis non egebant institutione sed explicatione.

Præceptum fidei aliquo modo auctum est, non de nouo institutum, cum antiqui non saluarentur nisi per fidem in Christum nam Christi natiuitas passio, mors, resurrectio, & reliqua mysteria quæ à Iudæis implicitè & obscurè credebantur, iam expressè & distinctè creduntur à Christianis.

Lex Christi omnes homines vbiuis terrarum existentes obligat, nam Matth. & Marc. vlt. iniungit Apostolis vt eam prædicent omni creaturæ, edicitque condemnandos esse qui credere ac legem illam recipere noluerint.

Quod autem lex hæc vsque ad finem sæculi perseueratura sit fide tenendum esse docet S. Thomas 1. secundæ quæst. 106. eliciturque ex Matth. 24. *Dico vobis quod non præteribit generatio hæc donec omnia fiant* quod Chrysost. hom. 78. in Matth. exponit de generatione fidelium Christi, ergo status eorum durabit vsque ad iudicium.

Lex humana quæ duplex est Ecclesiastica & ciuilis. Lex humana secundum se nihil est aliud quàm quædam rationis ordinatio ad commune bonum ab eo qui communitati præest cum intentione obligandi promulgata. Vtile autem fuit aliquas leges ab hominibus constitui, quia vt tradit S. Thom. 1. secundæ quæst. 95. quamuis homo habeat naturalem inclinationem ad virtutem, eius tamen perfectionem non potest assequi nisi mediante aliqua disciplina, quam à se sufficienter habere nequit, eo quod virtutis perfectio in eo sita est vt homines retrahat ab indebitis delectationibus ad quas valde pronus est, quare necessaria fuit disciplina legum quæ metu pœnæ proteruós à vitiis retraheret, & ad virtutem induceret.

Lex omnis humana dicitur à lege naturali

deriuari idque dupliciter, vel ficut conclusiones ex principiis, vel ficut determinationes quædam aliquorum communium. Primus modus similis est ei quo in scientiis ex principiis conclusiones demonstratiuæ producuntur. Secundò verò modo simile est, quod in artibus formæ communes determinantur ad aliquid speciale: ficut artifex formam communem. Domus necesse est, quod determinet ad hanc, vel illam domus figuram: deriuantur ergo quædam à principiis communibus legis naturæ per modum conclusionum: ficut hoc quod est. *Non esse occidendum*, & conclusio quædam deriuari potest ab eo quod est. *Nulli esse malum faciendum.* Quædam vero deriuantur per modum determinationis: ficut lex naturæ habet quod qui peccat puniatur: sed quod tali, vel tali pœna, hoc est quædam determinatio ad legem naturæ. Vtraque igitur inueniuntur in lege humana tam Ecclesiastica, quam ciuili, sed ea quæ sunt primi modi continentur in lege humana non tanquam sint solum lege posita, sed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali. Quæ sunt secundi modi ex sola lege humana vigorem habent.

Qvæstio III.

De materia legis forma & effectibus.

QVod spectat ad materiam legis humanæ certum est in primis, eam non posse præcipere actum qui sit lege naturali, vel positiua diuina prohibitus, nullum item posse prohibere qui sit hac vel illa lege præceptus: lex enim, humana legi naturali contradicere non debet, cum naturalis sit indispensabilis, vt dixi, & multo minus legi diuinæ cum vt Act. 5. Petrus dicit. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* vnde S. August. 1. de lib. arb. cap. 6. dicit. *In ista temporali lege nihil esse iustum atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines deriuauerint.*

Certum est deinde lege humana prohiberi posse actum externum quemcumque, lege diuina vel naturali minimè præceptum: posse item præcepti actum externum quemcumque hac vel illa lege non prohibitum; vnde Christus Matth. 23. *Omnia* inquit *Quæcumque dixerint vobis seruate* & facite quod tamen sic intelligi debet dummodo prohibitio illa vel præceptio sit honesta, iusta possibilis, bono communi vtilis, potestas enim legislatiua hominibus à Deo concessa est. *Ad ædificationem non ad destructionem* ait Paul. 2. Cor. 10.

His duobus præsuppositis controuertitur apud Theologos. *An humana lex possit quoque actus internos præcipere vel prohibere.*

S. Thomas 1. 2. quæst. 91. art. 4. probabiliùs asserentibus negat, nisi quatenus exterioribus quibusdam actibus præceptis, vel prohibitis, actus interni necessariò coniunguntur, ita vt sine illis humana lex moraliter loquendo impleri nequeat, vt attentio in officij diuini recitatione, tunc enim illi censentur simul iniuncti, vel prohibiti cum externis. Ratio conclusionis est, quia de iis potest homo ferre legem suam de quibus potest iudicare, iudicium vero hominis esse non potest de interioribus motibus qui latent, sed solum de actibus exterioribus qui apparent vnde Innocent III. cap. 33. de sinomia. *Nobis* ait, *datum est de manifestis tantummodo iudicare.*

Quod si actus internus non sit absolutè necessarius & lex humana seruetur, sed tantum vt melius, tunc sub legem cadere non censetur. vnde S. Thom. quæst. 100. Dicit modum præcepti non cadere sub præcepto v. g. quod quis ieiunet in quadragesima ex motiua temperantiæ, vel pœnitentiæ, quod Missam diebus festis audiat ex motiuo religionis, vel obedientiæ, quocumque enim ex motiuo humana lex impleatur modo illud sit honestum & bonum, lex ipsa sufficienter impleri censetur.

Porrò circa materiam legis humanæ illa mutari potest pro variis hominum temporumque conditionibus hinc August. ait lib. 1. de arb. cap. 6. *Lex temporis quamuis iusta sit commutari tamen per tempora iustè potest* & Innocent III. in Conc. Lateran. & refertur cap. *Non debet* extra de consanguinit & affinit. *Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quoque varientur humana, præsertim cum vrgens necessitas vel euidens vtilitas id exposcit.*

Forma legis petitur ex eius definitione, quam attuli in prima quæstione, hanc enim oportet esse honestam, iustam, possibilem secundùm naturam, loco, tempori conuenientem, vtilem, & pro communi bono scriptam esse, quia forma vniuscuiusque rei quæ est propter finem, determinari debet secundum proportionem ad finem, promulgatio est de forma quoque. Hic præterea supponitur authoritas in legislatore.

Effectus legis sunt hic circa subditos, primus est dirigere, Secundus obligare, hinc dicitur habere vim directiuam, & coactiuam, Tertius est facere transgressorem obnoxium culpæ & pœnæ, Quartus facere bonos subditos, Quintus permittere indifferentia statuendo v. g. rem talem esse liberam, hic enim est proprius effectus legis, qui tamen reuocari potest ad præceptum vel prohibitionem, Sextus permittere minora mala ad euitanda maiora, quod duobus modis potest conuenire legi 1. negatiuè, quia non prohibet neque pœnam statuit in eos, qui talia mala committunt, hoc modo lex ciuilis permittit meretrices & vsurarios in ciuitatibus, quia nec prohibet nec punit. 2. positiue, quia exprimit se permittere tali malum & hominem, propterea non debere puniri, talis est lex Gracchus in C. ad legem Iuliam de adulteriis & stupro, quæ sancit non esse puniendum eum, qui alterum cum vxore deprehensum in adulterio occidit.

Effectus circa materiam de qua lex disponit varius etiam est.

Primus est reddere personas inhabiles ad aliquod munus, vel dominium acquirendum, vel ad aliquem contractum ineundum, tunc enim ipsæ personæ sunt materia legis. Huiusmodi lex est, quæ vetat bigamum promoueri ad ordines. Spurium institui hæredem. Consanguineos contrahere intra quartum gradum.

Nota tamen inhabilitatem aliquando iufligi per legem ob culpam, & tunc habet rationem pœnæ

pœnæ & pertinet ad effectum legis qui est punire.

Secundus est irritare contractus non quidem propter inhabilitatem personarum de qua iam dictum est, sed propter aliam causam v. g. propter defectum solemnitatis præscriptæ à lege: huiusmodi lex est quæ irritat testamenta quibus deest præscripta solemnitas, & quæ irritat clandestina matrimonia propter defectum præsentiæ Parochi & testium.

Tertius est taxare rerum pretia & æstimationes quod plus est quam obligare subditos, quia non solum peccant subditi, quando v. g. vendunt frumenta vltra pretium iustè constitutum à Magistratu, sed etiam contractus ex parte est irritus & tenetur restituere quod est vltra taxam.

Quartus est reuocare priuilegia & facultates antea concessas.

QVÆSTIO IV.

Quinam potestatem habeant Leges condendi.

CVm Leges humanæ duplicis sint generis Ecclesiasticæ scilicet & Ciuiles, duplex etiam est legislatiua potestas, Ecclesiastica nimirum & ciuilis, quæ differunt inter se ratione originis: Ecclesiastica enim immediatè à Deo instituta est, ciuilis vero quamuis à Deo sit, *Non enim est potestas nisi à Deo* inquit Paul. Rom. 13. non tamen immediatè, ex institutione illius, sed ex ipsorum hominum institutione: ratio enim naturalis ipsis hominibus diuinitus indita sicut homines ad vitæ societatem adigit, sic etiam dictat societatem humanam diu conseruari non posse nisi publica aliqua potestate gubernetur iuxta illud Sapientiæ Prouerb. 11. *Vbi non est gubernator, populus corruit*, vnde moderamine suaui prouidentiæ Dei factum est vt homines vbique terrarum aliquam regiminis formam inter se constituerent; & alij quidem communi consilio se ipsos regerent; alij verò penes aliquos optimates, vel penes vnum principem seu Regem aut Imperatorem omnem iurisdictionem transferrent, vnde rerum publicarum regnorum ac imperiorum variæ formæ exortæ sunt factumque est, vt ad regimen communitatis alij democratiam quæ populum admittit alij Aristocratiam quæ optimates aliquot alij Monarchiam quæ vni tantum reipub. gubernationem transfert amplecterentur.

Differt præterea hæc vtraque potestas ratione obiecti; potestas enim Ecclesiastica per se & directè versatur circa res spirituales ad cultum diuinum & salutem animarum pertinentes. Potestas vero ciuilis per se ac directè temporalem solùm commoditatem ac pacem spectat, vt colligitur ex 1. Timo. 2. vbi Paulus orare iubet. *Pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus.*

Ad ferendam vtramuis legem requiritur in vtrouis legislatore authoritas ac potestas publica siue legitima in foro exteriori iurisdictio.

Hæc autem duplex est, alia ordinaria quam quis ratione proprij muneris & officij obtinet; alia delegata, quam non ex munere vel officio, sed ex commissione & facultate sibi concessa exercet.

Rursum alia est iurisdictio contentiosa, alia voluntaria ad illam pertinet leges condere, prohibere, punire, causas seu lites tum ciuiles, tum criminales dirimere, &c. Quamobrem proprium tribunal postulat quod contentiosum dicitur à partium contentione. Voluntaria autem iurisdictio versatur circa alios publicæ potestatis actus, quales sunt legitimare dispensare conferre beneficia &c.

Differunt vero inter se quod illa etiam in inuitos exerceri possit; hæc non nisi in volentes, vnde etiam nomen accepit. Deinde quod iurisdictio contentiosa extra proprium territorium non extendatur, nam vt dicitur cap. 2. de constitut. cap. 5. *Extra territorium ius dicenti impune non paretur*: ex quo fit vt nec Synodales constitutiones nec aliæ leges alicuius diœcesis particulares extra illius territorium obligent; nec diœcesani quando illinc absunt ad earum obseruationem v. g. ad festorum illius diœcesis particularium celebrationem teneantur: sicut è contra peregrini & aduenæ dum in illa diœcesi commorantur vel per illam iter faciunt consistentes tenentur obseruare leges illius.

Voluntaria verò iurisdictio extrà proprium territorium validè exerceri & plerumque licitè potest, quando scilicet nulla inde oritur cuiusquam offensio nullumve scandalum. Ita Suarez, Nauarr. Syluest. & alij.

Ecclesiastica potestas leges condendi obligans in conscientia subditos ad obedientiam probatur esse penes Pontifices & inter ipsos præcipuè penes Romanum tanquam Christi Vicarium & S. Petri successorem.

Probatur ex Scriptura Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Matth. 16. Tu es Petrus, &c. sed quia hæc veritas Catholica singularem infra habet articulum, ex professo exponendum, sat hic indigitasse de pastoribus vniuersè.

Probatur Luc. 10. *Qui vos audit, me audit & qui vos spernit me spernit.* Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus.* Act. 20. Spiritus-Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Hoc idem dicendum de Conciliis generalibus quæ repræsentant totam Ecclesiam, in quibus immediate vel per Legatos præest Papa, & decreta condunt Episcopi.

Ciuilis potestas probatur ex scriptura Matth. 22. *Quæ sunt Cæsaris Cæsari reddite.* Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Heb. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete illis.* Prouerb. 8. *Per me reges regnant & legum conditores iusta decernunt.* In omnibus iis ab vtraque potestate emanatis determinata est pœna transgressoribus, ergo tam Ecclesiastici quam ciuiles Præpositi habent potestatem regendi per leges particulares suos subditos eosque puniendi. Patet ex 1. Cor. 4. *Quid vultis in virga veniam ad vos! an in Spiritu mansuetudinis.* 1. Cor. 13. *Hæc absens scribo vt non præsens duriùs agam secundum potestatem quam Dominus mihi dedit.* & hac potestate frequenter vsus est Paulus,

Primò

Primò quando excommunicauit Corinthium incestuosum 2. Quando Hymeneum & Alexandrum propter hæresim tradidit Satanæ 3. Quando reprehendit Corinthios quòd iudicio contenderent apud infideles 4. Quando scripsit Thessaloni. *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate & non commisceamini illi.* Suffragatur vtriq; potestati ratio ipsa, quia ideo Deus superiores præfecit hominibus in quouis statu, vt eos regant & gubernent in ordine ad finem proportionatum: Ad hoc autem duo sunt necessaria, alterum vt qui præsunt aliis habeant potestatem statuendi quæ in ordine ad finem intentum magis conducere videntur. Alterum vt subditi superiorum legibus teneantur obedire. Confirmatur, nam nisi essent leges humanæ quibus aliqua præciperentur, aliqua prohiberentur, magna esset rerum confusio tam in religione Christiana quam in Republica ciuili.

Dices ex his colligi quidem esse, potestatem in Ecclesia & Republica aliquid præcipiendi, non tamen leges condendi; est enim discrimen illud inter præceptum & legem, quod præceptum expirat post mortem præcipientis. At lex durat nisi à successore reuocetur, licet autem quis posset primum, non tamen sequitur posse secundum.

Respondeo vtrumque sequi, nam cùm potestas condendi leges, sit in Ecclesia ab ipso Christo qui nunquam moritur, mirum non est quod leges authoritate illius latæ vim habeant, etiam post mortem Pontificis. Leges etiam ciuiles durant post mortem principum, quia potestas eas condendi est à Republica, quæ non moritur cum suo principe.

Instabis non sequi ex potestate quam habent prælati subditos suos regendi & puniendi, & ex subiectione subditorum ad ipsos, quod ipsi leges condere possint, quia possunt regere & punire secundum leges diuinas & præcipere vt seruent mandata Dei & punire transgressores. Quod si præcipiant aliquid præter id quod à Deo præceptum est, subditi non tenentur in conscientia obedire.

Respondeo potestatem prælatorum latius se extendere quam ad ea quæ sunt iuris diuini. Primò quia allata scripturæ testimonia non astringuntur ad solum ius diuinum 2. quia Apostoli multa præceperunt Christianis quæ non sunt iuris diuini, nam in Conc. Hierosol. Act. 15. prohibuerunt sanguinem, suffocatum & immolata quæ tunc temporis non erant prohibita de iure diuino, ius enim veteris testamenti erat abrogatum, nec nullum aliud ius diuinum extabat, qua illa prohiberentur. Similiter Paulus 1. Timo. 3. legem statuit de bigamis ad Episcopatum non admittendis: & alibi præsertim 1. Cor. 7. distinguit sua præcepta à præceptis Christi & 2. Thessal. 3. *Si quis ait non obedit verbo nostro ne commisceamini*, quod sine dubio aliud est quàm si dixisset si quis non obedit verbo Dei. Denique legantur Canones Apostolorum, Concilia generalia, decreta Pontificum, in quibus multæ sunt leges Ecclesiasticæ de iis quæ iure diuino in particulari determinata non sunt. Et sane si nihil aliud esset sufficerent præcepta Ecclesiæ de Confessione de Cõmunione de ieiuniis &c.

Dices Deutero 4. Exodi. 12. prohibetur ne quid addatur ad verba Dei & præcepta legis & Matth. 28. Mandatur Apostolis seruare quæ præcepit Christus nec non & docere populos vt ea obseruent, non autem dicitur eis vt doceant seruare præcepta Apostolica.

Respondeo ad primum vetari additionem repugnantem legi diuinæ, idque dictum duntaxat Iudæis, ne quid de ritibus gentilium ad præscriptos à Deo adderent.

Ad 2. Respondeo mandata Christi populis intimanda comprehendere obedientiam ad præcepta Prælatorum, hæc enim diuina saltem mediata reputantur, Luc. 10. *Qui vos audit me audit.*

QUÆSTIO V.

An Lex ciuilis obliget sub peccato.

Sanctus Thomas 1. secundæ quæst. 95. art. 4. dum generaliter de lege humana id quærit, intelligit tam de lege ciuili quam de canonica seu Ecclesiastica, concludit autem leges humanas quæ iustæ sunt obligare in foro conscientiæ, non à se, sed à lege æterna à qua deriuantur, vnde infert eas eatenus obligare quatenus ipsi legi æternæ sunt conformes.

Nota legem multis modis posse dici iniustam. Primò quando repugnat legi & præcepto diuino & tunc non obligat, *Quia Deo magis quam hominibus obedire oportet.* Act. 4. Ex quo patet vitium à principe præcipi non posse vel si præcipiatur non esse executioni mandandum, tum quia vitium repugnat legi diuinæ, tum quia est materia inepta præcepti affirmatiui, tum quia si virtus prohiberi non potest nisi fortè ob maius, bonum, ita neque præcipi potest vitium. Sic Molina, Suarez & alij.

Secundò quando aduersatur bono communi, tamen non est iudicandum aduersaria quoties non clarè constat, nam possessio stat pro lege & in foro externo præsumitur in fauorem superiorum habentium facultatem condendi leges: idem autem est iudicium fori interni & externi, quando forum externum non nititur falsa præsumptione. Idem dicendum est quando non constat an lex lata sit ex causa sufficienti.

Tertiò iniusta est quando excedit facultatem legislatoris, sicut enim ille dicitur iniustè obligare qui potestatem obligandi non habet, ita lex dicitur iniusta quæ legislatoris potestatem excedit & hanc legem non obligare constat, cum ad obligandum requiratur iurisdictio, vnde patet legem humanam qua præcipiuntur actus merè interni, inualidam esse, quia legislator non habet circa illos potestatem.

Quartò lex dicitur iniusta quando onus imponitur improportionatum causæ, vel cum inæqualitate, ad subditorum facultates, vt si pauper sine rationabili causa æquali aut maiori grauetur onere soluendi, quàm diues.

Quintò dicitur iniusta materialiter, quando fundatur in falsa præsumptione contra rei veritatem

ritatem notum illi contra quem fertur lex. Idem dicendum est de sententia, vnde si Caius in iudicio per falsos testes conuincatur esse debitor Titij & ob id compellatur per sententiam, sententia dicitur iniusta materialiter, quia fundatur in tali præsumptione, consequenter non obligat, ratio est, quia destructo fundamento necesse corruere quod in eo fundabatur, tum quia in foro conscientiæ non habetur ratio præsumptionis falsæ sed veritatis, & statur dictis pœnitentis, quia tantummodo agitur de præiudicio animæ ipsius. Ita communiter Summistæ verbo lex.

Addo Caium facta solutione vi prædictæ sententiæ posse rem suam clam recuperare aut compensare, quia non amisit ius in rem suam per iniustam sententiam, nec ille cui res applicata est acquisiuit ius, consequenter eam sibi retinere non potest.

Sexto dicitur iniusta, quando ex malo fine fertur, tamen si non vergat in damnum publicum non dicitur simpliciter iniusta, ita vt non obliget, nam finis prauus legislatoris non tollit potestatem sed ipsum culpabilem facit de mala intentione.

PROPOSITIO THEOLOGICA

LEx humana canonica scilicet & ciuilis obligare potest in conscientia, ita vt eam transgrediendo incurratur peccatum mortale.

Probatur ex Scriptura 1. Petri 2. *Hæc est gratia si propter conscientiam sustineat quis tristitias patiens iniustè. Subiecti igitur estote omni creaturæ propter Deum siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam à Deo missis in vindictam malorum, hæc est enim voluntas Dei.* Rom. 13. *Qui potestati resistunt, Dei ordinationi resistunt, ideoque sibi damnationem acquirunt, ideo subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Hinc elicitur obligare ad peccatum mortale cui soli irrogatur damnatio.

Probatur ratione (de sæculari ago, quia maiorem habet difficultatem) recta ratio dictat debere in Repub. extare Principes & superiores quibus subditi parere teneantur. Tum quia constat Principes sæculares iubere quæ iure diuino aut naturali præcepta non sunt, vt patet ex lege soler ff. de officio Proconsulis & lege Cassius ff. de senatoribus, ergo signum est potestatem ciuilem posse præcipere seu obligare, & hoc valet etiamsi nulla esset lex diuina, vt docet Vasquez, part. 2. disp. 158. cap. 2. & 4.

Ad hæc nota legem aliam esse præceptiuam, quæ sancit aliquid faciendum vel omittendum nulla constituta pœna. Aliam pœnalem, quæ transgressoribus pœnam statuit determinatam, aut iudicis arbitrio determinandam: de lege pœnali, multi negant obligare sub mortali, præsertim ciuilem, modò aliunde non constet legislatorem velle obligare sub mortali, vel modo non adsit scandalum aut contemptus. Ita Nauar. in manuali cap. 23 Iason. Decius Gomez, Angelus verbo Pedagium, Beia in suo libello casuum. Henricus de Gandauo quodlibet 3. quæst. 22. Ratio eorum est, quia lex pœnalis est odiosa, ergo benignè quantùm fieri potest, explicanda iuxta Regulam iuris. *Odia restringi fauores conuenit ampliari.* Tum quia legislator apponens pœnam temporalem censetur excludere quod tacet, cap. *Nonne* de præsumptionibus. Tum quia subditi probabiliter opinari possunt legislatorem contentum esse pœna quam expressit, & quam credidit sufficere ad impedienda delicta & eliciendam obedientiam. Neque obstat dicere pœnam non infligi nisi ob culpam.

Respondeo enim esse duplicem culpam, moralem scilicet propriè conuenientem peccato, & ciuilem seu politicam: hanc autem non esse coram Deo peccatum, nec dicas actus iste caret rectitudine ei debita, ergo moraliter est malus, ergo peccatum *Hæc distinctio culpæ in moralem & ciuilem multum confert negatiuæ parti.*

Respondeo enim actum deflectentem à lege quæ non obligat ad culpam, sed ad pœnam esse moraliter malum quoad homines, ideoque pœnam taxatam ab eis incurri, non esse autem malum quo ad Deum, ita Valentia p. 2. disp. 7. ex hac negatiua parte. S. Ioan. Gerson. de vita spirit. lect. 4. Almaynus de potest Eccles. quæst. 1. casu 10. Nec desunt eis rationes plausibiles, quia potestas politica est merè temporalis, ergo nihil habet cum conscientia 2. quia finis legum ciuilium est pax externa, non autem pax conscientiæ 3. princeps sæcularis non iudicat de internis, sed tantum de externis 4. non potest infligere pœnam spiritualem, ergo nec ad eam obligare, non potest absoluere in conscientia, ergo nec ligare, 6. non intendit ligare sub peccato. 7. Sic idem bis puniretur semel hic à principe sæculari & semel à Deo post hanc vitam: Adde quod sæcularis vix cogitat de foro interiori legem ferendo, hæc autem non obligat vltra mentem legislatoris à qua dependet. Nec populus leges has cum tanto grauamine acceptat, vnde apud Bonacin disp. 1. p. 7. de legibus, qui stant ex affirmatione concedunt non omnes leges humanas obligare sub mortali, vt lex venationis, piscationis, delationis, quarumdam vestium, aut armorum nocturno tempore, vel similium. At insto, quæ maior ratio vnius quam alterius: digerere nequeo quod Princeps sæcularis aut communitas qui nihil de conscientia cogitant, eam grauare & onerare possint, plus enim possent quam forum Ecclesiasticum quod directè in animam tantum agit, & à sanguine abhorret, gladius autem principis pœnam sanguinis & capitis inferret, & pœnam animæ, per peccatum quod contraheret reus quam solus Deus Dominus supremus infligere potest, imponeret.

Instantia, ex parte deriuationis politicæ potestatis à iure diuino non concludit ad peccatum mortale, sed ad pœnam & reatum foro competentem, nam inferior potestas non potest imponere legem in iudicio superioris potestatis, humana autem præsertim politica est infra diuinum. Ergo non potest imponere legem quantum ad iudicium diuinum, cum quæ à Deo sunt, ordinata sint & limites suos habeant, itaque qui resistit politicæ, censendus quidem est resistere diuinæ potestati, sed intra terminum reatus humani.

Difficultas apud Doctores est circa vectigalium solutionem. Caietan. verbo vectigal § *Ex forma*

forma. condemnat vectigalia constituta super rebus quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur, & ea tantùm admittit quæ imponuntur rebus causa negotiationis. Adstipulatur Driedo lib.2. de libert. Christiana cap. 5. quia in illis iusta tributorum forma non seruatur, quæ postulat vt pauperiores non magis onerentur quàm diuites. Multi Doctores censent non esse peccatum mortale fraudare hæc vectigalia, eorum enim lex obligat tantùm ad pœnam. Vide Lessium lib. 2. cap. 33. quod non ausim dicere si iustè sint imposita.

QVÆSTIO VI.

Quibus modis cesset obligatio legis seruandæ.

IVstitiæ legis à legitima authoritate emanatæ requiritur ad obligandum acceptatio communitatis, vt docet Gratian. in decret. dist. 4. cap. 3. Syluest. Nauar. Valent. Vnde est illud Iuliani ff. de legib. lege 23. *Leges nulla alia ex causa nos tenent quàm quod iudicio populi recepta sunt.* Et illud Telesphori Papæ, quia moribus vtentium approbatur non aliter agentes transgressionis reos arguit, ratio est, quia possunt abrogari à communitate per contrariam consuetudinem. Hoc idem tenent de legibus Pontificiis Authores citati & Felin. Azor Innocentius, Ostiensis qui volunt obligationem legis suspendi ne detur occasio peccandi quamdiu lex non est recepta, quod deducitur ex 2. Cor. 13. vbi Paulus dicit Christum dedisse potestatem Prælatis. *Non ad destructionem sed in ædificationem* ergo præsumendum est eos vti non velle ea contra communem consensum subditorum, sic enim vterentur in destructionem.

His omnibus positis, certum est apud authores obligationem legis cessare per abrogationem à successore legislatoris, nam æquali pollet authoritate, consequenter eam reuocare potest, & cum par in parem non habeat imperium, non potest huic ille validè præcipere ne legem à se latam reuocet. Cessat etiam quando legis causa & ratio cessat, ita S. Thom. q. 103. art. 4. quia vt habetur cap. *Cum cessante* de appellationibus. *Cessante causa cessat effectus* & sicut lex ab initio non subsisteret si absque causa & ratione lata esset, ita definente causa & ratione ob quam lata est, ipsa etiam esse ac proinde obligare desinit: quod tamen intelligi debet in praxi, quando certum est & euidens causam eiusmodi legis cessare, aliàs si dubitatur tutiùs est consulere superiorem.

Cessat legis obligatio per dispensationem, sicut enim legislator potest ex causa legem reuocare & abrogare, sic & particularem subditum ab illius eximere obligatione. Dispensationem datam sine causa validam esse docent Innocent. Nauar. & alij, illicitam tamen.

Cessare potest legis obligatio in aliquo casu speciali per legis interpretationem, seu emendationem, quæ fit per virtutem quam epikeiam seu æquitatem vocant Theologi cuius proprium est vt docet S. Thom. quæst. 120. legem humanam vniuersim aliquid præcipientem in aliquo casu, in quo illius obligatio cessat, vel interpretari vel emendare cum enim ait, actus humani de quibus lex fertur in singularibus contingentibus consistant, quæ variari possunt infinitis prope modis quos legislator præuidere nequit, qui cum in ferenda lege communem spectet vtilitatem, ad id præsertim attendit quod in pluribus accidere solet, hinc fit vt occurrat casus in quo lex deficiat, ita vt non solum tunc nulla sit ad illam seruandam obligatio, sed nec quidem eius obseruatio licita sit v. g. Lex quæ iubet vt deposita restituantur iusta est & tamen contingere potest vt proditor vel furiosus arma deposita reposcat, ille ad patriæ impugnationem, hic ad sui vel alterius necem, patet restitutionem tunc esse contra rationem & proinde illicitam. Hinc Celestinus Papa cap. *Humanæ aures* 22. quæst. 5. *Non debet aliquis verba considerare sed intentionem ac voluntatem quia non debet intentio verbis deseruire sed verba intentioni.* Legislatoris intentio potest intelligi ex fine, causa & ratione ob quæ lata est lex & ex circumstantia interpretanda est.

Cessat ex desuetudine, nam consuetudo habet vim constituendæ legis, ergo & abrogandæ vt docent Theolog. quod probari potest ex cap. vlt. De consuetudine, in quo Gregorius IX. declarat posse consuetudinem aliquam *Iuri positiuo* (humano scilicet) *Præiudicium generare, si rationabilis fuerit & legitima præscriptio*, Doctores decennium agnoscunt ad præscribendum contra legem ciuilem, quod ius ciuile reputat longum tempus vt constat ex lib. *Super longo* cap. de præscript. longi temporis In iure verò ecclesiastico censetur esse quadraginta annorum vt constat ex cap. *De quarta* & cap. *Ad aures* de præscrib. consulantur super hac re Doctores.

Ad hoc autem vt consuetudo aliqua vim legis obtineat quatuor requiruntur conditiones, Prima vt rationabilis sit & bono communi vtilis vt habetur cap. *Erit autem lex* dist. 4. 2. vt tempore iam assignato durauerit 3. vt consensus saltem tacitus Principis interueniat qui tunc haberi censetur, si sciens hunc morem cum posset impedire noluerit ita S. Thom. 4. vt mos ille seruetur à maiori parte populi quasi ex obligatione seu animo introducendæ obligationis vt notat Suarez, quare mos talis definitur ab Isidoro. *Ius quoddam moribus institutum quod pro lege suscipitur.*

ARTICVLVS

ARTICVLVS XXIX.

Conſtanter teneo Purgatorium eſſe animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis iuuari.

P*RÆFIXVM huic Articulo aduerbium* Conſtanter teneo, *hoſtiles impugnantium conatus acerrimos, & indeſinentes Hæreticorum ſignificat inſultus, quos non leui obniſu, ſed forti conſtantia retundere, & reprimere oporteat: vt requie temporanea gaudens Eccleſia militans requiem æternam ſuffragiis ſuis promereatur Eccleſiæ languenti, ſicque viui fideles proficiant defunctis per communionem, quæ eſt inter Sanctos. Parum eſt prauitati hæreticæ cælum & terram commouere. Deo quaſi criminum authori conſequenter, & reprobationis promotori ſummam apud omnes conflare inuidiam. Sanctis qui cum Chriſto regnant in cælis honorem, & cultum debitum impiè denegare. Eccleſiam Dei non obſtante, quacumque diuini Spiritus aſſiſtentia erroribus paſſim obnoxiam, & inuolutam proclamare. Summum eius Pontificem quaſi anti-Chriſtum, & filium perditionis contumelioſè diffamare. Sacrificium Chriſtianæ religionis, ſi qua poſſit abolere, baſilicas, aras, calices, veſtes ſacras, & omnia ad ſolemnem Myſterij ritum ſpectantia prophanare fœdare, diripere, demoliri, imò, & ipſos Epiſcopos, Sacerdotes Monachos & Catholicos, quoſlibet cæca rabie perſequi, & diris quibuſlibet deuouere ferro, fumo, flammis, aquis, præcipitio exterminare. Reſtabant fideles defuncti, qui poſt mortem Purgatorij pœnis mancipantur ad quos extenderetur iniquitas* clamando *ad imperium Lutheri lib. de Euchar. ad Vualdenſes & Caluini inſt. cap. 5. §. 6.* Non modo vocis, ſed gutturis ac laterum contentione Purgatorium impoſturam eſſe, *cuius* igne olla Papæ luculenter ebulliat, *Animaſque omnes, vt à corporibus ſeparantur, vel in cælum euehi, vel in infernum detrudi: At quàm conſtanter Catholica Eccleſia teneat Purgatorium exiſtere, quàm affectuoſe languentibus in Purgatorio, qui purgantur ardore nimio ſtudeat ſubuenire nemo non videt, quàm autem religioſè, & iuſtè patebit ex infra dictis.*

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine Purgatorij.

ADuerſantur horrentque nomen iſtud Luterani, & Caluiniſtæ docentque eſſe exitiale diaboli commentum, quod Chriſti merita & crucem euacuat, quod contumeliam non ferendam Dei miſericordiæ irrogat: obcœcati omnino, & malitios è diſſimulantes, quod ſi Purgatorium obſiſtat, & repugnet copioſæ Chriſti redemptoris expiationi, & purgationi peccatorum mundi, idem plane dicendum erit de Baptiſmo, cùm baptizare & purgare ſignificent mundare, diuerſimodè quidem, is per aquam, iſtud vero per ignem, in quo vno effectu diſſimilia conueniunt elementa.

Senſu generali nomen iſtud ſignificat, & exprimit ea omnia, quæ ad Purgationem & expiationem peccatorum deſeruiunt, ſicque primò & originaliter conuenit ſanguini Chriſti vt docet Paul. Heb. 1. *Purgationem peccatorum faciens ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* Secundo attribuitur bonis operibus gratia Chriſti informatis vt habetur Luc. 11. *date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Tertio exprimit flagella, & aduerſitates, quibus ſancti probantur à Deo in hac vita, & à

maculis, quas contrahere possunt purgantur de quibus sap. 3. dicitur *tanquam aurum in fornace probauit illos*, & Malach. 3. *ipse sedebit, quasi ignis conflans & quasi herba fullonum, & purgabit filios Leui*. Eccl. 23. *vasa figuli probat fornax, & iustos tentatio tribulationis.*

Hic per purgatorium Catholici intelligunt locum quemdam subterraneum, in quo tanquam in carcere post hanc vitam ad certum & determinatum tempus detinentur, ac purgantur animæ fideles, quæ in statu quidem gratiæ, sed tamen nondum plenè à peccatis purgatæ è corporibus exierunt, vbi fidelium viuorum orationibus & suffragiis, ac præsertim sanctissimo Missæ sacrificio possunt subleuari. Christus Dominus vocat hunc locum carcerem Luc. 12. *Cùm autem vadis, cum aduersario tuo ad principem da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori & exactor mittat te in carcerem, dico tibi non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.* Zacharias cap. 9. vocat hunc locum sine aqua, *Tu* Christe scilicet *in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non est aqua*, communiter de Purgatorio exponunt SS. Patres.

QVÆSTIO II.

De loco Purgatorij.

CErtum est existentiam rei supponere locum, in quo res sit, Locus quidem Purgatorij varius assignatur à Doctoribus, quia Ecclesia, nihil definiuit de Vbi eius, & sine dispendio fidei credi potest animas purgari variis in locis, prout Dei iustitia determinat.

Hinc multi tenuere animas purgari vbi peccauerunt, Deus enim pro sua omnipotentia miris modis potest vbique eas torquere, colligitur ex lib. 4. dialog. S. Gregorij cap. 40. & 55. referente animam Paschasij, & cuiusdam alterius in balneis quibusdam purgatas, nec non ex epist. Petri Damiani de miraculis sui temporis, vbi describit visionem animæ S. Seuerini in quodam flumine. At quod omnes puniantur vbi peccauerunt non est probabile, nam contingit aliquem peccasse in multis locis, nec est verisimile in omnibus illis purgandum.

Præterea visiones prædictæ contrarium ostendunt; nam Paschasius Diaconus peccauerat Romæ in electione Papæ, purgabatur autem in thermis Puteolanis. Seuerinus peccauerat in palatio Imperatoris, & purgabatur in flumine.

Alij scripserunt locum pœnalem animarum non esse terram, sed aërem istum caliginosum, vbi dæmones versantur, ita Gregor. Nyssenus in lib. de anima, & resurrectione Chrysost. homil. de præmiis beatorum. Autor operis imperfecti in Matth. hom. 53. cui sententiæ fauet historia S. Furseì apud Bedam lib. 3. histor. Anglorum cap. 19. illo enim defuncto, cum ab Angelis in cœlum deduceretur, ostensi sunt maximi ignes super aërem, qui seruabantur, vt Angelus dicebat ad mundi conflagrationem, & interim examinabantur ibi hominum opera.

Alij communiter cum Scholasticis asserunt purgatorium esse intra viscera terræ, inferno ipsi vicinum. Constituunt enim Scholastici communi consensu intra terram quatuor sinus, siue vnum in quatuor partes diuisum, vnum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus sine baptismo abeuntibus, quartum pro iustis, qui moriebantur ante Christi passionem, qui nunc vacuus remanet: quorum sinuum sufficientia sumitur penes genera pœnarum, sunt enim hæc omnia loca pœnalia, omnis autem pœna aut est tantum damni, aut etiam sensus & rursus, aut æterna, aut temporalis: pro pœna ergo solius damni æterna est limbus puerorum, pro pœna solius damni temporali erat limbus, Patrum pro pœna damni, & sensus æterna, est infernus pro pœna damni & sensus temporali est Purgatorium.

Id probatur Act. 2. *quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni*, quod ab August. de pœnis Purgatorij intelligitur, vnde Ecclesia dicit in Missa defunctorum *libera animas de pœnis inferni, & de profundo lacu.* Confirmatur ex visione, quam refert Beda lib. 5. cap. 13 historiæ, vbi apertè visum est Purgatorium esse inferno contiguum.

Limbus puerorum vocatur à Conc. Florent. sess. vlt. infernus, dispatibus tamen pœnis August. lib. 1. de bapt. paruul. cap. 8. & lib. 5. hypognostici dicit fidem Catholicam non nosse nisi duo loca vbi homines sint futuri perpetuo, cœlum beatorum & infernum damnatorum.

Est autem opinio communis Scholasticorum limbum puerorum esse in loco inferni altiore, quàm sit Purgatorium, ita vt ignis ad eum non perueniat, quam secutus est Innoc. III. cap. *maiores*. Quod denique Limbus Patrum fuerit in inferno in parte suprema deducitur ex 1. Regum cap. 18. anima enim Samuelis visa est de his locis subterraneis ascendere, Eccles. autem 46. ponitur in laudibus Samuelis, quod mortuus prophetarit, & regi quæ ventura erant annuntiarit, quæ diabolus scire non poterat. Nec dicas impium esse, quod iussu Pythonissæ anima iusti euocetur?

Respondeo iussu Dei eam euocatam, & impediuisse effectum magicæ artis, præuenit enim Samuel aduentu suo effectum incantationis, & contrario modo ascendit, quàm solerent magicè euocati, & hæc causa cur Pythonissa turbata fuerit, & sibi impositum diceret, si enim verum est, quod Rabini scribunt vmbras mortuorum, quæ vi artis magicæ euocantur, capite deorsum verso ascendere, Samuel recta figura ascendit, ita vt primo caput deinde pectus, vltimò pedes è terra emergere visi sint.

QVÆSTIO III.

De existentia Purgatorij.

HIc maxime pugnandum est Catholico pro focis & aris, cùm veritas hæc sit de integritate fidei, quare ad asserendum Purgatorium selectas afferam scripturas veteris, & noui Testamenti, & quâ cœpimus methodo dogma istud præ cœteris stabiliemus. Prætermissis itaque pluribus locis, quos Patres ex omnibus

omnibus fere Bibliorum libris proferunt quatuor conuincentes adduco. Primus est 2. Machab. cap. 12. vbi postquam scriptura narrauit. Iudam Machabæum misse in Hierusalem 12000. dragmas argenti in sacrificia pro mortuis expendenda, subiungit: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare*, Quæ verba cum nec de beatis, neque de damnatis intelligi possint, sequitur vt de quodam tertio hominum genere sint intelligenda, qui habeant adhuc aliqua vincula è quibus post mortem solui possint; proindeque de illis, qui in Purgatorio detinentur: vnde necessario resultat primò non expiari semper in morte omnes peccatorum reliquias, vt Lutherani contendunt, nam isti pro quibus orari iussit Iudas mortui erant morte violenta, & pro religione, tamen credebat Iudas adhuc illos non plenè esse Purgatos. Secundò posse hominem sanctè & pie mori, & tamen habere debitum aliquod soluendum, vel propter venialia peccata non remissa in vita, vel propter satisfactionem pro mortalibus remissis, non plenè expletam, nam scriptura hoc loco dicit eos pro quorum peccatis mandabatur orari, cum pietate dormetionem accepisse. Tertio sequitur hoc esse dogma fidei, Ad hunc locum Nouatores respondent dupliciter primò librum non esse canonicum, sed obstat antiqua Conc. Carthag. cui subscripsit S. August. anno Christi 397. approbatio, recensque confirmatio Tridentini in decreto de canonicis scripturis sessione 4. vnde August. lib. 18. ciuit. cap. 36. dicit. *Libros Machabæorum non Iudai, sed Ecclesia pro canonicis habet*, vide quæ notaui in art. de scriptura.

Respondent 2. hanc oblationem factam non pro leuamine mortuorum, sed in testimonium externum pœnitentiæ publicæ, & in protestationem fidei resurrectionis. Verum quidem est quod testimonium de resurrectione datur cum pro mortuis fit oblato, sed causa oblationis est ipsum peccatum mortuorum, quod restat expiandum: exprimit hoc textus, *vt à peccatis soluantur.*

Expendo locum, Iudas cum post Pentecosten aggressus fuisset Gorgiam. Præfectum Idumæorum, in hoc conflictu perierunt aliqui Iudæi, inquiruntur cadauera ad sepeliendum, sub aliquorum tunicis inuenta sunt de donariis idolorum, quæ in deprædatione Iamnitarum quos ante istum congressum profligauerat Iudas, à quibus concupiscendis aut sibi assumendis vetatur Deutero 7. suspicatur Iudas hoc fuisse causam mortis eorum, idemque reliqui de exercitu sunt opinati, collectionem fecit 12. millia drachmarum argenti: drachma est valor, quinque assium, ex 12. pro scuto habentur mille scuta, quæ misit Hierusalem ad emendas hostias expiatorias, quibus animæ defunctorum à contracta culpa seu pœna ei debita (quam credebant Iudæi in loco pœnarum luere) soluerentur.

Hæritici errasse Iudam contendunt, quod iubeat orationes fieri pro iis quos in peccato mortali decessisse constat, vnde factum eius arguunt superstitionis, vel non orari iussit pro animabus illis, sed solum vt solaretur afflictos milites, vel consanguineos, vel vt ostenderet se approbare resurrectionis fidem, de qua ob Saducæorum hæresim hanc negantium multi poterant dubitare. Tum non sequitur oratum & sacrificatum est pro mortuis. Ergo erant in Purgatorio, namq; potuerunt esse in inferno. Tum non debemus vnius hominis exemplum imitari. Nec obstat, quod laudatur hoc loco, nam in eodem libro laudatur exemplum Rasiæ qui se occidit cap. 14. nec scriptura legem facit eum imitandi.

Respondeo, Ad peccatum interfectorum potuisse esse veniale, & Iudam cum suis tale iudicasse, quod si mortale fuit, potuere in mortis articulo conteri de ipso, vnde quo ad culpam remissionem obtinuerint iuxta illud Psalmi, 77. de Iudæis in deserto, *cum occideret eos* in deserto, quærebant eum & reuertebantur, sicque iudicasse constat ex textu, *& quia considerabat eos, qui cum pietate dormitionem acceperant.* Ad ostensionem fidei resurrectionis.

Resp. expungi per illud *misit offerri sacrificium pro peccatis mortuorum.*

Consequentia vero nostra non est, oratum est pro illis. Ergo erant in Purgatorio, sed orarunt pro defunctis, Ergo crediderunt posse fieri vt essent in Purgatorio, vel hæc Oratio pro defunctis laudatur in scriptura, Ergo Purgatorium extat in alia vita, alioqui in vanum oraretur pro defunctis, & scriptura erraret laudando talem errorem.

Ad exemplum vnius non sequendum. Resp. 1. Iudam non solum tali imbutum fide, sed totam Iudaïcam Ecclesiam, nam multi dederunt stipem, & recipientes in Hierusalem ad sacrificia acceptarunt, Ad exemplum Rasiæ.

Respondet S. August. non laudari, quod piè & sancte fecerit, sed quod fortiter & viriliter. Vel si probatur est omnino dicendum, Rasiam habuisse inspirationem & præceptum à Deo vt hoc faceret, sicut habuit Samson teste August. 1. ciuit. cap. 21. Adde his omnibus solemnem haberi apud Iudæos ritum orandi pro mortuis, & in libro Mahzor, seu rituali hæc inter alia in sepeliendo cadauera decantari per Apostrophen. vos Patres sæculi, qui in Hebron quiescitis aperite portas horti Eden. ô Angeli loci illius custodes huic reserate portas. Exaudi Domine preces nostras & fac misericordiam huic animæ, quæ de hoc sæculo exiuit vt ad locum, quietis suæ migraret Oratio hæc consonat illi, quam Salomon lib. 3. Reg. cap. 2. pro patre obtulit, *Dauid autem & semini eius & Domui, & throno illius sit pax vsque æternam à Domino*, Nec dicas non fieri mentionem in hac scriptura Purgatorij, sed solùm resurrectionis, dicitur enim iussisse orare, *piè de resurrectione cogitans.*

Respondeo enim non esse necesse fieri mentionem expressam Purgatorij, cum satis apertè colligatur ex iis, quæ hic habentur. Neque enim de nomine, sed de reipsa contendimus, neque sensus est iussisse orare, vt resurgerent ij, sed Iudam cum religiosè cogitaret resurrectionem futuram, & proinde animas esse immortales, & formidaret ne animæ militum suorum interfectorum punirentur in alio sæculo propter peccatum aliquod iussisse pro eis orari, & sacrificari, vt à peccatis soluerentur.

Ad hæc dato non concesso, quod Libri Machabæorum non essent canonici, fidem tamen faciunt sicut libri profani, v.g. Titus Liuius, Herodotus,

Herodotus, Plutarchus de antiqua consuetudine orandi pro mortuis, quam Patres eleemosynis pro animabus defunctorum, & erogatione ciborum conuiuiisque pauperum Tobiæ 4. nec non ieiuniis pro defunctis, & fletibus 1. Reg. vlt. 2. & 3. sollicitè consociarunt. Huc etiam spectat illa sollicitudo Patriarcharum, qui cupierunt in terra promissionis sepeliri, Gen. 47. & 50. nimirum vt essent participes precum, & sacrificiorum, quæ ibi offerebantur.

Bellarminus nouem alios textus ex ver. Test. profert à S S. Patribus assumptos. Probatur ex nouo Matth. 12. vbi Dominus dicit, quædam esse peccata, quæ non remittuntur in ho, sæculo, neque in futuro, *qui dixerit verbum contra spiritum sanctum, &c.* Vnde colligunt Patres, quædam remitti in futuro sæculo post hanc vitam per orationes, & suffragia Ecclesiæ, ita August. 21. ciu. cap. 24. & lib. 6. contra Iuliam cap. 5. Greg. 4. dialo. cap. 39. Beda in cap. 3. Matth. Bern. hom. 66. in Cant. Glossa ordin. & interlin. qui enim homicidæ diceret frustra Parisiis, aut Romæ te conferes ad abolitionem obtinendam, certè præsupponeret, quod vtrobique posset reus sperare veniam: Sic ex Christi verbis colligimus pœnas aliquas condonari hic, & alias in futuro sæculo.

Respondent Nouatores hæc dici per exaggerationem. At sic eludentur textus de inferno, tum exaggeratio non debet esse inepta qualis est cum sit partitio, & vni membro nihil respondet.

Instat Caluin. Christus loquitur de remissione culpæ, ergo male allegatur hic locus pro remissione pœnæ Purgatorij.

At respondemus in Purgatorio remitti etiam culpas veniales præterea falsum est Christum loqui de sola culpa, sensus hic est. Peccatum in Spiritum S. non remittur in hoc sæculo, neque in futuro, neque quantum ad culpam, neque quantum ad pœnam, cum alia peccata, vel remittuntur in hoc sæculo, quoad culpam, & in alio interdum, quo ad pœnam, vt mortalia, vel & hic & ibi quo ad culpam & pœnam vt venialia.

Instat, sæculum hic poni pro iuditio isto, & nouissimo in quibus peccatum tale non remitteretur, sicque nulla sit mentio Purgatorij. At contra, nam qui erunt illi quibus non est remissum & in iudicio remittetur? nonne illi, qui aut venialium purgatione indigebunt, aut solius pœnæ debitores erunt? Qui enim hinc cum iniustitia decedunt, certè in iudicio non absoluentur,

Tertius locus est 1. Corint. 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis? si mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis* Græcum originale, quo Paul. scripsit, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, & ex Bezæ versione *super mortuis*, quod Geneua corrupit traducens moribundis, vel morientibus, vt autem vis loci intelligatur. Nota baptizari in scriptura tripliciter dici, primò accipere Sacramentum baptismi, Matth. 28. 2. pro pœnitentiam, agere mortem pati, Luc. 12. *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor vsque a lhuc* & Marc. 10. *potestis bibere calicem, & baptismo baptizari, &c. quo ego*, & sic exposuerunt Tertull. lib. de bap. Cyprian. in Epist. ad Iubaian & Philastrius contra Nouatianos, qui modus loquendi sumitur ex more scriptorum sacrorum, qui sæpius aquam sumunt pro afflictione, Psal. 65. *transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos*, Psal. 68. *saluum me fac quoniam intrauerunt aquæ* &c. 3. Sumitur pro ablui communi modo Marci 7. baptismata manuum, calicum &c. Paulus hic vult probare resurrectionem, & immortalitatem animarum de quibus tempore Saducæorum ex errore quorumdam, qui baptismum suscipiebant nomine alicuius sui amici, qui decesserat sine baptismo, credebant enim, quod sicut orationes, & ieiunia viuorum prosunt defunctis, prodesset & baptismus, ita exponunt Tertull. lib. de resurr. Ambros. Ansel. Haymo. ex qua interpretatione colligitur hoc loco oratio pro defunctis, quam quidem Paul. approbat, licet reprobet intentionem istorum, qui baptismum pro suffragio defunctorum sumebant. Hæc expositio solida non est, quia Paul. debebat hunc errorem saltem insinuasse ne daret occasionem errandi, tum non solidè argumentaretur ab errore quorumdam, nec bene confirmaret resuerrectionem sicut enim errant in eo, quod baptizant vnum pro alio, sic etiam possent errare in eo, quod credant futuram resurrectionem. Vera ergo expositio est, quod Paul. loquatur de baptismo lacrymarum & pœnitentiæ, qui suscipitur orando, ieiunando, eleemosynas faciendo, sic qui orant pro mortuis, & ieiunant, quid facient si non datur resurrectio, sic exponunt Dionys. Petrus Cluniac. Hugo & alij, & patet ex contextu. *Quid & nos periclitamur omni hora & si ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgunt.* Vides apertè Paulum intelligere tribulationes per baptismum, quas pro fidelibus patiebatur. Sic Greg. Nanz in oratione Epiphaniæ ait. *scio quartum baptisma, quod per martyrium fit, scio & quintum lacbrymarum & pœnitentiæ.*

Quartum locum eruo ex 8. Act. Planctus ille magnus super corpus Stephani vsque ad Septuagesimum diem à viris timoratis & fidelibus conuincit Purgatorij doctrinam: his enim diebus fideles ex cubantes sacras cantabant hymnodias, & sacrificium offerebant, vt inter alios plurimos testes probat Hieron. Epist. 27. August. 9. confess. 13. rursumque 8. 20. 30. 40. at. 60. die consueuisse agi memoriam defunctorum testantur antiqui Libri Rituales, nec desunt passim certissima antiquorum Patrum testimonia de anniuersaria die. Tertull. lib. de monogam. lib. de corona militis, Greg. Nanz. orat. in funere Cæsaris. Quæ autem his coniuncta esse videntur suffragia ab Ecclesia pro defunctis exhiberi solita, ea non recenter inuenta, sed ex Apostolica promanasse Traditione constanter affirmat Augustinus serm. 32. de verbis Apost. & lib. de bapt. cap. 24. Si autem viuentium suffragiis animas adiuuari posse ac liberari docuerunt Apostoli, certè non omnes continuò recipiuntur in cœlum, nec item omnes merguntur in infernum, pro eiusmodi enim nulla sunt offerenda suffragia, cùm nec illæ opus habeant, nec istis prosint. Est ergo adhuc tertius locus, quo illæ animæ quæ venialium peccatorum sordibus inquinatæ decesserunt, & pœnæ temporariæ mortalium obnoxiæ sunt, detinentur donec ab omni penitus macula expiatæ recipiantur in æternam beatitudinem

Genes. 50. Ioseph 77. diebus planxit obitum patris David & socij scissis vestibus fleuit ieiunantes pro Saule & Ionata 2. Reg. 1. idemque fecit pro Abner mortuo 2. reg. 2.

titudinem.

Probatur ex SS. Patribus Dionyſ. cap. vlt. Eccl. Hier. conſuetudinem orandi pro defunctis vt antiquam, & vniuerſalem toti Eccleſiæ expoſuit, Ambroſ. qui pro fratre Satyro & Imperatore Theodoſio Deum rogauit, qui etiam mentionem facit tertij, ſeptimi, trigeſimi, & quadrageſimi diei commemorationis defunctorum, & antiquam hanc Chriſtianorum conſuetudinem ſacris litteris probauit. Tertull. mentionem facit anniuerſarij lib. de coron. Auguſt. lib. de cura pro mortuis ſuadet defunctorum corpora *ad memorias Sanctorum ſepeliri, vt ſancti illi defunctorum conſtituantur patroni, ipſiſque ab iis, qui templa frequentant oratione commendentur.*

Et lib. 21. ciuit. cap. 24. ſcripſit, *Pro defunctis quibuſdam Eccleſia preces exaudiri, qui videlicet in Chriſto renati non ita vixerunt in corpore, vt tali miſericordia habeantur indigni, nec ſic purè vt inueniantur tali miſericordia non egere, tales etiam conſtat*, inquit, *ante diem iudicij per pœnas temporales, quas eorum* ſpiritus *patiuntur purgatos receptis corporibus æterni ignis ſupplicüs non tradendos.*

Hiero. in Epiſt. ad Pammachium de obitu Paulinæ ſororis, *Cæteri mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas roſas, lilia, floreſque purpureos. Pammachius noſter ſanctam fauillam oſſaque veneranda eleemoſyna balſamis rigat, his pigmentis atque odoribus fouet cineres, quieſcentes, ſciens ſcriptum, ſicut aqua extinguit ignem ita eleemoſyna peccatum.*

Gregor. lib. 4. dialog. cap. 55. *Multum ſolet animas etiam poſt mortem ſacra oblatio hoſtiæ ſalutaris adiuuare, ita vt hanc nonnunquam ipſæ defunctorum animæ expetere videantur.* Beda lib. 4. & 5. Hiſt Angl. præclara refert miracula ad ſacrificium Deo pro defunctis oblatum edita, neque eſt veterum aliquis, qui non orationes, & ſacrificia pro defunctis & magni ſemper fecerit, & ſibi expetierit, hinc Liturgiæ Græcorum B. Iacobi Baſilij, Chryſoſtomi, Armenorum quoque, & Chaldæorum precationem ſingularem habent pro defunctis, & alio loco, quam pro martyribus, quemadmodum S. Auguſt. notauit ſerm. 17. de verbis Apoſt. *Cum martyres ad altare recitentur, non vt pro ipſis oretur,* inquit, *iniuria eſt enim pro martyre orare cuius nos debemus orationi commendare, ſed vt ſocij cognoſcantur Chriſti triumphantis: pro cæteris autem defunctis rogetur Deus vt participes fiant altaris atque incruenti ſacrificij*: quod pro ſe offerri rogauit Sancta mater eius Monica, pro qua ſæpius eſſe celebratum teſtis eſt idem Auguſt. lib. 9. confeſſ. cap. 11. 12. 13. Adde decreta Conciliorum.

Ad hæc Caluin. 3. inſt. cap. 5. quatuor dicit. Primo ſic ait *ante mille & 300. annos vſu receptum fuit vt precationes fierent pro defunctis, ſed omnes fateor in errorem abrepti ſunt.* Secundò dicit veteres oraſſe pro mortuis non vt eos iuuarent, ſed vt oſtenderent erga eos pium affectum, & vt ſeipſos conſolarentur. Tertio dicit vulgus Chriſtianorum cœpiſſe orare pro mortuis ex imitatione Gentilium. Patres autem ſe accommodaſſe opinioni vulgarium, vt patet ex Auguſtino, qui frigide, & hæſitāter diſputat de Purgatorio, quod ſi prò matre orauit id fecit, inquit, Caluin. quia anile votum matris non examinauit ad ſcripturas, & priuato quodam affectu omnibus probari voluit.

Quarto dicit Patres nihil aſſeruiſſe de Purgatorio, vnde pro re in certa illud habuiſſe infert.

Primum ſufficit ad damnandum Caluinum, impoſſibile enim eſt Eccleſiam per annos 1300. in tam craſſo verſatam errore, & nullum fuiſſe ex antiquis, qui reſtiterit excepto Eerio quem & nos & Caluiniſtæ pro hæretico habemus, de quo Auguſt. lib. de hæreſibus hær. 53. *Eerius in Arianorum hæreſim lapſus fertur propria quoque dogmata addidiſſe, nonnulla dicens orare, vel offerre pro mortuis, oblationem non oportere*, id dogmatiſabat anno Chriſti 350.

Secundum ex verbis Patrum ruit, dicunt enim animas iuuari, & diſtinguunt ſolatia viuorum ab auxiliis mortuorum, ſic Auguſt. in Enchir. cap. 110. & lib. de cura pro mort.

Tertium eſt apertum mendacium, nam Patres nunquam fuerunt diligentiores in Ethnicorum ritibus prohibendis, quàm cum multi Ethnici conuertebantur Tertul. & Cyprian. ſeueriſſimi caſtigatores fuerunt omnis Ethnicæ ſuperſtitionis adeo vt Tertul. acerrimè reprehenderit Chriſtianos milites, qui coronam geſtarent more militum Ethnicorum, & tamen iſti ipſi hortantur ad orandum, pro defunctis. Tum Patres non ſolùm, non reprehendunt hunc vſum, ſed ſtatuunt ſic faciendum, idque ex Apoſtolica Traditione habēt que Eerium qui contrarium ſentiebat pro hæretico, quod autem vocet anile votum S. Monicæ Caluin. id facit ex impietate & procacia. Quartum ſapit imperitiam, & impudentiam, nam primò licet Patres nuſquam nominaſſent Purgatorium, tamen ſatis, intelligitur, quid de eo ſenſerint ex eo, quod perſpicuè docent animas quorumdam fidelium egere refrigerio & iuuari orationibus viuentium. Nec deſunt loca vbi expreſſe aſſeritur ab eis Purgatorium, quare cum Auguſt. cap. 36. libri 21. ciu. & 69. Ench. dicit poſſe dubitari, & quæri an poſt hanc vitam animæ torqueantur igne Purgatorio: non dubitat de pœna animarum, ſed de modo & qualitate. Vide Patres.

Probatur rationibus, prima. Quædam ſunt peccata venialia ſolaque pœna temporali digna. At fieri poteſt vt cum ſolis talibus homo decedat ex hac vita. Ergo neceſſe eſt in alia vita poſſe purgari Maior probatur 1. Cor. 3. *Qui ſuperædificat ligna, fœnum, ſtipulas ſaluus erit quaſi per ignem*, hic deſcribitur veniale ex leuitate materiæ, vel ex imperfectione actus, quomodocumque autē verba Apoſtoli intelligamus. ſiue de doctrina ſiue omnibus operibus neceſſario cogimur exponere per ligna, fænum, ſtipulas peccata venialia, quandoquidem, qui iſta habet ſaluatur, quaſi per ignem. Hæc Aug. lib. 83. quæſt. 26. explicat *Alia ſunt*, inquit, *peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ, infirmitas contraria eſt virtuti imperitia ſapientiæ, malitia bonitati, quiſquis igitur nouit, quid ſit virtus, & ſapientia Dei, poteſt exiſtimare, quæ ſint peccata venialia, &c.* Ratio autem id conuincit, nam intelligi non poteſt quomodo verbum otioſum ex natura ſua dignum ſit perpetuo odio Dei & ſempiternis flammis.

Quod

5

Quod autem cum eiusmodi peccatis aliqui interdum decedant & proinde in alia vita egeant purgatione temporali probatur sic: potest quis dum moritur habere voluntatem permanendi in peccato veniali, ergo tale peccatum non potest deleri in morte: præterea cum *Septies in die cadat iustus* Prouerb 24. & multi moriantur repente, quomodo credibile est non mori aliquos cum peccato veniali? Secunda cum peccatores reconciliantur Deo non semper ablata culpa aufertur omnis pœna peccatis debita, sed interdum restat temporalis satisfactio subeunda: potest autem fieri & sæpe fit vt in tota vita aliquis non plenè satisfecerit pro illa pœna: ergo necessariò statui debet Purgatorium. Maior constat ex script. num. 20. Moses ad aquas contradictionis offendit reconciliatur Deo eiusque familiaritatem primariam & gratiam recuperat, pœnam tamen luere debuit istius peccati, nempe non introducere populum in terram promissionis, sed ante traiectum Iordanis morte mulctari num. 12. Cum Maria murmurasset contra Dominum punita est morbo lepræ. Orante autem pro ea Moyse dimissa est ei culpa: voluit tamen Deus vt per hebdomadam lueret pœnam. 2. Reg. 12. Dauid post confessionem. *Peccaui Domino* audit à Nathan Propheta. *Deus transtulit peccatum tuum. Hæc dicit Dominus Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua & tollam vxores tuas nec recedet gladius* &c. quæ omnia ipsi euenisse constat in seditione Absalonis filij. Denique primorum parentum inobedientia tametsi & ipsis remissa fuerit, & nobis in Baptismo condonetur, manet tamen sententia Dei. Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, in dolore paries filios, & morte morieris.*

Ad hæc & similia respondent Caluinistæ ex cap. 4 Inst. lib. 3. Duo esse genera flagellorum Dei, quædam enim sunt propriè pœnæ & infliguntur à Deo vt iudice in vindictam peccatorum præteritorum ad iustitiæ satisfactionem: quædam autem sunt castigationes quæ infliguntur à Deo vt patre ad futurorum remedium nimirum vt homo flagellis admoneatur ne iterum facilis sit ad peccandum, primum genus ait pertinere ad solos inimicos 2. ad solos amicos & ideò cùm istæ pœnæ non sint ex iustitia luendæ, non esse opus vt earum debitum maneat post mortem quando non est periculum recidiuandi.

At frustra laborat Caluinus nam etsi fatendum est flagella iustorum esse etiam paternas castigationes & remedia contra peccata futura, tamen simul est agnoscenda vera pœna & satisfactio debita culpæ præteritæ ex iustitia, nam in primis 2. Reg. 12. exprimitur causa cur puniretur Dauid & non dicitur. *Ne iterum pecces*, sed *Quia blasphemare fecisti nomen Domini* deinde mors est vera pœna peccati originalis. Rom. 6. *Stipendia peccati mors* & eam luunt homines iusti non vt abstineant à peccato, sed vt satisfaciant iustitiæ diuinæ, quod patet quia non est inflicta à Deo post peccatum vt sunt castigationes paternæ, sed est lege statuta ante peccatum, tanquam pœna peccati & eadem perseuerat post peccatum & peccati remissionem. Denique mors non potest esse flagellum paternum ad peccatum cauendum institutum, qui enim moritur non potest amplius emendari. Præter mortem istam communem quæ est pœna peccati orig. habemus exempla alia in scriptura eorum, qui puniti sunt morte violenta, cùm eis remissum esset peccatum, cum tamen mors non possit esse castigatio paterna in remedium peccati futuri, Exod. 32. Deus pepercerat populo orante Moyse & tamen Moyses in vindictam peccati iussit occidi multa millia de populo sine vllo delectu, & similiter num. 14. & 3. Reg 13. Propheta inobediens etsi sanctè obiisset à Leone occiditur & 1. Cor. 11. dicitur. *Ideo inter vos multi imbecilles & dormiunt multi.* Ambros. & alij exponunt quod in primitiua Ecclesia multi eorum qui indignè communicassent puniti sunt morte, quibus remissam antea culpam indicat Paul. *à Domino corripimur ne damnemur*, testatur hanc doctrinam August. tract. 24. in Ioan. & Psal 50.

Probatur iam minor Argumenti; nam multi qui peccata plurima obmiserunt conuertentur in articulo mortis, quando nullam agere possunt pœnitentiam, ex quo sequitur vt post hanc vitam satisfacere debeant Respondent in morte deberi omnia, contra nam mors: est pœna peccati originalis, & ideo communis omnibus etiam infantibus; ergo pro actualibus debet inueniri alia pœna. Præterea Deus iniuste ageret nec videretur habere prouidentiam nostri, si vna & eadem pœna, id est, naturali morte puniret peccata magna & parua, multa & pauca.

Tertia ratio sumitur à communi opinione omnium Gentium credentium Purgatorium Hebræi, Mahumetani, Gentiles, &c nec explodatur hoc argumentum, vt fabulam, & errorem habens; nam illa in quibus omnes ferè Nationes conueniunt vix possunt aliunde prouenire quàm à lumine naturali omnibus communi, quæ enim conficta sunt ab hominibus, varia sunt & diuersa pro varietate Gentium; videmus autem mori alios valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter malos vel bonos, quocirca iudicamus lumine naturali post hanc vitam esse pœnas æternas pro valde malis, præmia æterna pro valde bonis, & pœnas transitorias pro mediocriter bonis vel malis: sic ratiocinatus est Plato lumine naturali.

Quarta ratio petitur ab apparitionibus animarum quæ se esse in Purgatorio renuntiarunt atque suffragia à fidelibus implorarunt, quas apparitiones cum viri grauissimi & piissimi retulerint, credere oportet Sanctus: Gregorius lib. 4 Dialog. cap. 40 Beda hist Ang cap. 19. Bernardus in vita Sancti Malachiæ. Brigitt. in reuelationibus, nec dicas illas esse meras Dæmonis præstigias & quamuis non essent nefas, tamen esse ad cuiuslibet instantiam audire aliquid Dei verbo non comprehensum; hoc autem Dei verbum nullo in loco approbare suffragia quæ dicimus. Respondeo enim ex Augustino in libro de cura pro mortuis, quòd sicut quædam illusoriæ sunt; ita ineptum nimis sit ad hoc genus omnes reuocare, plurimas quippe carere fuco & esse verarum animarum repræsentationes, vt in Samuele patet 1. Regum 28. in Ozia 2. Mach. vlt. in Moyse & Elia Matth. 17.

DIces, sublata causa tollitur effectus, culpa est causa pœnæ: ergo ea deleta per contritionem vel confessionem nihil restat.

Respondeo, in naturalibus majorem esse veram, extincto enim igne perit fumus ex eo ortus: in moralibus autem, & quæ ab hominis vel Dei voluntate pendent non sic est, effectus potest remanere ablata causa, verbi gratia, in peccato quod est actus quasi momentaneus culpa restat, donec per gratiam auferatur, & pœna ei respondens sæpè non aufertur tota; nam dependet à Deo totam vel partem data gratia condonare, sic Numer. 20. egit Deus cum Moyse & Aarone, *Non introducetis populum*, sic Dauid 2.Reg. 24.concessa Absaloni venia de occiso fratre Amon, tamen duos annos exilij à curia indixit.

Instabis Deus perfectè condonat peccata sicut vult nos condonare nostris debitoribus, proinde quemadmodum non vult vt homo offensus grauiorem pœnam in leuiorem commutet veluti extremum supplicium in flagellationem vel publicam ignominiam, sed vult vt omnis iniuria condonetur & tollatur de cordibus nostris, pari ratione ipse pœnam æternam non commutat in temporalem, sed omnia perfectè condonat; ergo nullus est Purgatorius ignis quo peccata semel remissa puniantur.

Respondeo, duplici modo. Primo Deum in Sacramento Pœnitentiæ dimittere omnia peccata sicut vult, vt nos dimittamus debitoribus nostris; vult enim Deus vt offensi demus veniam & iram omnem, desideriúmque vindictæ ex animo deponamus, non requirit ta men neque vult semper vt res nobis iniustè ablatas negligamus, quin potius aliquando iubet vt homo sibi restitui curet famam violatam, & pecuniam furto sublatam, licet inde reus sustinere cogatur incommodum & verecundiam. Ita Deus tametsi omnem offensam remittat, exigit tamen etiam dimisso peccato restitutionem rei sibi iniustè ablatæ, quouis enim peccato furatur homo sibi delectationem non datam à Deo, quæ delectatio licèt non semper sensu percipiatur est tamen in omni peccato dum homo repudiata diuina voluntate suam implet. Tum honori & gloriæ Dei iniuriam quantum in nobis est facimus, cùm præceptum eius contemnimus, & Deum quasi pro nihilo ducimus, sicut non parum contemnitur pater cum filius publicè præcipienti irreuerenter reluctatur. Huius igitur delectationis, & huius honoris facienda est restitutio per pœnam temporalem.

Respondeo secundò, quod Deus perfectè peccata dimittit, quando Sacramenta per quæ ad remissionem peccatorum Christi passio nobis applicatur planè & eo quo decet modo recipiuntur. Quia igitur tres sunt Pœnitentiæ partes, hoc est, tria in pœnitentia sunt necessaria, vt plenam assequantur remissionem peccatorum; Contritio cordis, Confessio oris, & Satisfactio operis, qui tres partes has ad Sacramentum adhibuerit, consequetur plenum Sacramenti effectum, qui est remissio peccatorum, tam quo ad pœnam attinet, quàm quod ad culpam. Qui autem vnam ex his partibus neglexerit, nimirum satisfactionem, consequetur ille quidem remissionem culpæ; non autē dimittetur omnis pœna, quòd Sacramenti omnes partes non adhibuerit. Et mirum videri nō debet, quod aliquando Sacramenti effectus non plenè consequantur, cùm ex suscipientis dispositione gratia Dei nobis temperetur, sicut lumen pro ratione corporis perlucidi aut opaci, vel coloribus affecti recipitur. Adultus enim homo Sacramenta suscipiens sine proposito melioris vitæ accipit quidem effectum aliquem veluti in Baptismo, Confirmatione, Ordine, caracterem in Matrimonio, vinculum indissolubile, &c. non tamen gratiam vel peccatorum condonationem.

Instabis ex 1. Ioan. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* & Hebr. 1. *Purgationem peccatorum faciens, qui dedit semetipsum hostiam.* Ista oblatio sufficientissima est, cur ergo duas solutiones exquiret Deus, hanc abundantissimam Christi, & combustionis animæ.

Respondeo, vt suprà omninò sufficere primam si plenè applicetur, id autem ex parte nostri exigitur vt misericordia & veritas in omnibus viis Dei inueniantur nisi totum misericordiæ conferat: exemplum ab hominum conuersatione, quæ talem sæpius largitur remissionem, non concludit; nam homo ita facere debet ex Dei præcepto; Deus autem modum faciendi non habet ab homine; Scriptura autem declarat ipsum solere exigere satisfactionem etiam data venia, nec mirum est; quia offensa minima in Deum grauior est quacumque culpa in homines, nec proferas Ezech. 18. *Cum auersus fuerit impius ab impietate sua non recordabor amplius omnium iniquitatum eius*, quomodo autem non recordatur; si tam seuerè punit in Purgatorio.

Respondeo enim, non recordari poni ibi pro voluntate non puniendi iuxta exigentiam iustitiæ, consequenter non recordari est condonare, sed pro modo Dei qui ordinauit, vt culpa deleatur & maneat reatus ad pœnam temporalem, nisi aliquo modo satisfiat iustitiæ.

DIces, in Purgatorio non est meritum; ergo nec satisfactio, idem enim ad vtrumque requiritur, & omnis satisfactio est meritoria

Respond. negando consequentiam, nam ad vtrumque quædam quidem communia requiruntur, scilicet Dei gratia, sed quædam vtrique sunt propria: ad satisfactionē requiritur vt opus quod fit sit pœnale quod non requiritur ad meritum. Ad istud requiritur libertas quam consequitur laus, id autem non requiritur ad satisfactionem, qui enim cogitur à Iudice soluere debitum verè satisfacit etiamsi coactus: ad meritum, præterea status viæ requiritur; Deus enim statuit præsentem vitam pro stadio: hinc igitur animæ quæ sunt in Purgatorio; quia mediæ sunt quoad statum inter Beatos & damnatos; nam sunt confirmatæ in bono, & tamen retardantur adhuc à consecutione summi boni; ideò possunt satisfacere, & non mereri; cùm nos vtrumque possimus, Beati & damnati neutrum.

Nota autem ex Sancto Thoma in 4. distinct. 21. & ex Patribus, culpas veniales remitti in Purgatorio per actum dilectionis & patientiæ,

acceptatio enim pœnæ inflictæ cum ex charitate prodeat, dici potest quædam virtualis pœnitentia, & licet non sit propriè meritoria, quia non meretur gratiæ vel gloriæ augmentum tamen remissoria est peccati venialis ratione status qui aliquid de via & de termino habet.

Dices, qui deferuntur ad Purgatorium, vel benè moriuntur, vel malè: si benè ergo nullos sentiunt cruciatus; si malè, ergo non moriuntur in gratia.

Respondeo, benè mori nempe in gratia, & cum certa expectatione gloriæ, non tamen inde sequitur, quòd nihil patiantur; ille enim dicitur benè ambulare, qui terminum suum certo attinget, licet non sine labore.

Instabis, Apocal. 14. *Beati qui in Domino moriuntur, à modo dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.*

Respondet Sanctus Anselmus illud *à modo* non significare à morte vniuscuiusque, sed ab extremo iudicio, de quo Ioannes agit in toto capite.

Richardus, Victorinus, & Haymo. exponunt de perfectis, & præsertim de Martyribus; eos enim consolatur hic qui simpliciter in Domino moriuntur, nec aliquid purgandum ferunt secum.

Dic Scripturam loqui de labore operationis ad merendum, & non de labore Passionis ad purgandum. Sic exponetur Psalm. *Cum dederit somnum ecce hereditas.*

Dices, de Resurrectione generali Christus sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis Roman. 8. certè & pro animabus quæ torquentur in Purgatorio; cur ergo non soluentur quæ à Papa solui dicuntur, nonne præualebit intercessio Redemptoris.

Respondeo, nostrum non esse Legem Deo præscribere, vnum scimus pretium Redemptionis sufficientissimum esse mediante applicatione mediorum ab ipso ordinatorum pro hac vita. At de modo quo Christus pro Defunctis, aut orat, aut exaudiri vult ignoramus, sicut placet Domino; ita fit, ordinariè tamen cui applicantur per Vicarium Christi merita & satisfactiones, liberatur.

Instabis, thesaurum satisfactionum Christi remissum esse in manus Papæ: curergo non omnes soluit.

Respondeo illum debere esse fidelem, & prudentem dispensatorem iuxta Domini sui voluntatem.

Dices, in Baptismo qui est ingressus Ecclesiæ condonatur omnis culpa & pœna à fortiori debet hoc fieri in ingressu alterius vitæ cum non possumus promouere salutem nostram.

Respondeo ex Paulo Hebr. 6. voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, id est, post Baptismi illuminationem non relinquitur hostia pro peccato, id est, alius Christus patiens & moriens, cui possimus rursus commori per Baptismum, aut æquiualens remedium, quod culpam omninò & pœnam deleat ex pacto Dei, sicut Baptismus in quo Christus liberalissimum se præbet plusquam in aliis Sacramentis, sed remanet terribilis expectatio iudicij & ignis æmulatio quæ consumptura est Aduersarios vbi pro igne intelligitur Purgatorium; nam si gehennam inferni tantùm significaret sequeretur omnes qui post Baptismum peccant esse necessariò damnandos; nec enim rectè dicimus peccanti post Baptismum non relinquitur alius Baptismus, sed gehenna, si præter Baptismum sunt alia remedia. vt reuera sunt, vnde inferendum est Paulum intelligere ignem in genere, aut perpetuum, si homo non conuertatur aut temporalem, si conuertatur, qui ignis erit in alio sæculo nisi ignis voluntariæ afflictionis purgauerit hominem, & hæc est quam vocamus satisfactionem.

Instabis ergo ex parte aliqua erimus Redemptores nostri, nec totam salutem debebimus Christo.

Respondeo, si de verbis est quæstio, Scriptura apertè dicit Daniel 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Philippen. 4. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Vbi homo suiipsius Saluator dicitur, nec propterea fit vlla Christo iniuria, siquidem tota virtus operum & satisfactionum nostrarum pendet à Christi meritis, hincque potiùs additur ad gloriam eius, qui etiam dare possit aliis vim operandi.

Instabis, si Christi satisfactio applicatur nobis per opera nostra, vel sunt duæ satisfactiones simul iunctæ, vna Christi, altera nostra, vel vna tantùm, si duæ, ergo bis punitur eadem culpa & duæ pœnæ respondent vni culpæ; si vna tantum vel illa est Christi, & tunc nos non satisfacimus, vel nostra, & tunc excluditur Christus, aut verè diuidemus honorem cum Christo; nam ille soluet pro culpa, & nos pro pœna.

Responderi potest duas esse, sed vnam dependere ab altera; nam licet vna sufficeret, tamen ad majorem Dei gloriam, cui satisfit, & majorem hominis satisfacientis, placuit Deo, seu Christo coniungere nostram suæ, quomodo etiam totum sanguinem pro Redemptione dedit, licet vna eius actio satis fuisset, idque ad majorem copiam fecit; quomodo etiam iustus adultus duplici titulo ius habet ad gloriam, vno ex meritis Christi sibi communicatis per gratiam, altero ex meritis propriis.

Dic, si velis, vnam tantum esse satisfactionẽ actualem nostram, nec hinc excluditur satisfactio Christi; nam per gratiam eius habemus quod satisfaciamus, & hoc modo dicitur applicari nobis eius satisfactio, non quod immediatè Christi satisfactio tollat pœnam temporalem nobis debitam, sed quod mediatè eam tollat, quatenus scilicet ab ea gratiam habemus, sine qua nihil valeret satisfactio nostra.

Dices, *contra suffragia*, vnde scire possumus aliquem addictum esse Purgatorio, & quis in tanta loci intercapedine poterit ei significare aliquas in hac vita preces pro se offerri cum Eccles. 9 sic de mortuis dicatur *Nec habent partem in hoc saeculo, & in opere quod sub cælo geritur.*

Respondeo ad primum, sufficere probabilem coniecturam, quod ibi versetur, aut etiam metus

metus ne versetur quo substante, piè moueamur ad orandum pro anima illa vt si forte ibi sit, reueletur, sin autem non sit, suffragium nostrum prosit cæteris & acceptetur à Deo tanquam opus charitatis & misericordiæ.

Ad secundum Respondeo nihil necesse esse id ei significari, sufficit patere Deo vota patrocinantium & Deum ei placatum pœnas illas mitigare, quod cum illa persentiat, facile ratiocinatur, aliquem ex amicis pro se supplicasse Deo, vel reuelatur ei per Angelos, sapiens autem nihil aliud vult, quam mortui careant vsibus huius vitæ, potu, cibo, conuersatione &c. non agit autem de auxilio spirituali quod defunctis affertur.

QVÆSTIO IV.

De grauitate Pœnarum Purgatorij & diuturnitate.

DVplex assignatur pœna in Purgatorio: prima est carentia visionis diuinæ non enim possunt animæ illæ non dolere quod videant se propter suas culpas impediri à fruitione summi boni, quæ vocatur pœna damni: secunda est pœna sensus quæ consistit in aliquo alio dolore quàm ex carentia visionis diuinæ, sicut enim qui peccat se auertit à summo bono & conuertitur inordinatè ad creaturas, ita postea puniri debet non solum carentia summi boni sed etiam afflictione inflicta ab aliquo obiecto creato.

Ignis communiter ponitur innuitque Scriptura 1. Cor. 3. *Saluus erit quasi per ignem* & Matth. 25. *Ite in ignem æternum.* tum Patres vocant pœnam Purgatorij ignem. Dubium tamen est an proprie vel metaphoricè sit ignis & si propriè est quomodo agat in animas separatas, Greg. lib. 4. Dial. cap. 29. dicit ex igne visibili animam trahere pœnam inuisibilem, id est nobis occultam. August. 21. ciuit. cap. 10. dicit animus torqueri miris sed veris modis. Dic quòd sicut potuit Spiritus vniri carni vt vitam illi communicet, ita potest Spiritus igni vniri vt ab eo pœnam trahat, licet modus vtriusque vnionis sit prorsus incognitus, Patres pœnam illam & damni atrocissimam asserunt. August. in Psal. 37. quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis quàm quicquid potest homo pati in hac vita, Greg. in Psal. 3. pœnitent. illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti intolerabiliorem existimo idemque censent Beda. Bern. Ansel. Suffragatur ratio saltem de pœna sensus, nam tam ad dolorem quam ad gaudium tria concurrere patet, obiectum, potentia & coniunctio vnius cum altero, potentia rationalis est capacior animali, nam quantum ad apprehensionem intellectus est veluti fons appetitus inferior est tanquam riuulus, cum ergo anima ipsa immediatè torqueatur, ille dolor debet esse maximus ex parte patientis, nunc enim non tam anima quam corpus torquetur, & per corpus aliquis etiam dolor ad animam transit. Quantum ad obiectum si ibi est verus ignis, erit omnino acerrimus, cum ad hoc solum sit institutus vt sit instrumentum iustitiæ diuinæ. Si non sit ignis verus erit aliquid multò horribilius, quale Deus ad potentiam ostendendam parauerit. Quantum ad coniunctionem maxima erit, nam hic vbi omnia sunt corporalia, non fit coniunctio, nisi per contractum extremitatum & superficierum, at ibi animam ipsam intimè pœna illa penetrabit. Reuelationes atrocitatem declarant vt videre est apud Brigitam & Dionys. Chartus hocque pronuntiat status alterius sæculi, vbi omnia mediocritatem excedunt.

Atrocitatem sic colligit S. Thomas: in Purg. duplex est pœna, vna damni in quantum scilicet retardamur à visione diuina, alia sensus secundum quod ab igne corporali punientur, & quantum ad vtrumque, minima pœna Purgatorij excedit maximam huius vitæ, quanto enim aliquid magis desideratur, tanto eius absentia est molestior, affectus autem quo summum bonum desideratur post hanc vitam est intentissimus in animabus sanctis, quia non retardatur iam mole corporis, & quia terminus fruendi iam aduenisset, nisi aliquid impediret, ideo de retardatione maximè dolent: Similiter cum dolor non sit læsio sed læsionis sensus, tanto aliquis magis dolet de aliquo læsiuo quanto est magis sensitiuum, vnde læsiones quæ fiunt in locis maximè sensibilibus, maximum dolorem causant; & quia totus sensus est ab anima, ideo si aliquod læsiuum ipsam in animam agat, oportet de necessitate quod maximè affligatur. Supponimus autem quod anima patiatur ab igne corporali, cum Dominus dicat Matth. 25. ignem paratum Diabolo qui est incorporeus.

Modus hoc exponendi varius est, licet enim corpus naturaliter agere nequeat in spiritum, tamen vt est instrumentum diuinæ iustitiæ vindicantis, quæ exigit vt anima quæ peccando se subdidit rebus corporalibus, iam in pœna eis etiam subdatur, instrumentum autem non solùm agit in virtute propriæ naturæ, sed etiam in virtute principalis agentis, qui est spiritualis vti dicitur de Sacramentis quæ animam sanctificant.

Non sufficere hoc, dicunt aliqui, nam requiritur & actio propria instrumenti, vnde oportet etiam aliquam actionem ignis dari in animam quæ sit ei connaturalis, sicut aqua lauando corpus in baptismo sanctificat animam, & ferra secando lignum producit formam domus.

Dic corpus non posse naturaliter agere in spiritum nisi secundum quod aliquo modo corpori vnitur sic enim inuenimus quòd, *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Sap. 9 Spiritus autem corpori vnitur dupliciter, vno modo vt forma materiæ vt ex eis vnum fiat simpliciter, & sic Spiritus vnitus corpori & viuificat corpus & à corpore aliqualiter aggrauatur: sic autem Spiritus hominis vel dæmon igni corporeo non vnitur. Alio modo sicut mouens mobili, vel sicut locatum loco eo modo quo incorporalia sunt in loco, & secundum hoc Spiritus incorporei creati loco definiuntur ita in vno loco existentes quod non in alio; quamuis autem res corporea ex natura sua habeat quod Spiritum incorporeum loco suo definiat non tamen ex sua natura habet quod

Spiritum incorporeum loco definitum detineat vt ita alliget illi loco quod ad alia diuertere non possit, cum spiritus non sit ita in loco naturaliter, quòd loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo in quantum est instrumentum iustitiæ diuinæ vindicantis, quod sic detinet spiritum & ita ei efficitur pœnalis retardans eum ab executione propriæ voluntatis ne scilicet possit operari vbi vult & secundùm quod vult.

August. 21. ciuit. cap. 10. dicit quod ignis ex natura sua habet quod Spiritus incorporeus ei coniungi possit vt loco locatum & in quantum instrumentum Dei vt ipsum retineat alligatum & in hoc veraciter est spiritui nociuus & sic anima ignem vt sibi nociuum videns, ab igne cruciatur.

Diuturnitatem detentionis animarum in Purgatorio Deus solus nouit, qui eam vt iudex taxat. Dominicus à Soto 4. sent. dist. 19 q. 3. Scribit neminem manere in Purg. ad 10. annos, quia si hic aliquibus pœnis & satisfactionibus liberari possumus ab omni culpa, cur non multo citiùs in Purgat. cum in infinitum intensior & grauior sit eius pœna. Tum extensio compensari potest intensione.

At quod hic hoc notetur mirum non est, quia sæculum istud misericordiæ est, aliud autem iustitiæ. Deus autem compensare non vult, quod probatum est multis visionibus & apparitionibus purgandorum post 20 & 10. imo 100. annos. Tum Ecclesiæ consuetudo habet orare pro iis qui à 100. vel 200. annis mortui sunt, quod certè non faceret si crederet non puniri vltra decem annos.

Dices si suffragia particularia prosunt illi soli cui applicantur si indiget & applicetur Indulgentia plenaria vni animæ, Ergo nihil restat ei satisfaciendum cùm ex thesauro oblata sit pro ea solutio debitæ pœnæ: idque credere videtur sedes Apostolica quæ liberationem animæ ad intentionem orantis sæpe concedit. Ergo frustra continuatur dies anniuersaria vel oratio pro tali anima quæ Indulgentiam plenariam habuit.

Responderi posset Papam non habere directum Dominium in defunctos licet gratia coniunctos cum Ecclesia militante, quia non sunt amplius de ouili, nec plenè potest eos pascere verbi administratione, Sacramentorum communicatione aliisque modis concessis viatoribus, ideo offerre per modum suffragij solutionem, non autem iudicialem absolutionem à pœna: nescitur autem an anima illa sit disposita vt sic plenariè vna solutione iuuetur. Ita Caiet. tom. 1. opusc. tract. 16 q 5. Docens animas iuuari quidem communibus suffragiis ac particularibus quæ pro ipsis fiunt non iuuari nisi illas quæ particulariter meruerunt vt sibi talia prodessent, dicit autem eas peculiariter mereri quæ hic in terris specialem deuotionem habuerunt ad claues Ecclesiæ & solliciti fuerunt pro animabus aliorum.

Bellarminus docet hoc dici non posse, nam fundamentum communicationis suffragiorum est status gratiæ, non autem peculiare aliquod meritum, qui status est communis omnibus, vnde cum suffragium pendeat ex intentione applicantis, certè solutio erit pro tali, & non pro altera anima. Nec valet similitudo suffragiorum ad lucernam quæ lucet omnibus cum accenditur in aula, sed qui acutiori sunt oculo clariùs vident, nam indulgentia est potius quasi solutio pecuniæ, quæ vni prodest & non alteri. Hinc credendum valere Indulgentiam plenariam pro tali liberanda.

Ad continuationem applicationis & diuturnarum fundationum pro tali liberanda. Responderi potest nesciri præcisè si applicans sit ritè dispositus etsi exterius faciat quod sonat Indulgentia: adde quod per continuam applicationem augetur gaudium accidentale animæ liberatæ & communicatio in alias animas, continuatur cultus. Dei publicus. Addo ego quamlibet Indulgentiam supponere ad effectum suum quod sit in concedente authoritas (quam suppono in Pontifice) verbaque Christi. *Quod solueris super terram erit solutum in celis*) non dici ad exclusionem eorum qui non sunt super terram vt aliqui exponunt, sed referri ad verbum solueris, & ad actionem factam super terram. Quod sit in causa pietas; at quis scit an executio iustitiæ diuinæ circa talem animam cui applico plenariam Indulgentiam non magis conferat ad gloriam Dei? de fundamento tertio quod sit charitas in suscipiente non dubito, cum certum sit animas Purgatorij esse in gratia.

QVÆRES. *An anima Purgatorij habeant certitudinem salutis.*

Respondeo affirmatiue idque nosse ex habitu charitatis quem habent, nec ignorare quod separatio à corpore seu mors sit ipsis quod casus est in dæmone, scilicet quod exinde immobiles sint tam in bono quàm in malo, tum animæ vident intuitiuè se ipsas, nec pendet amplius earum intelligentia à phantasmatibus, norunt se Dei resignatas voluntati, vnde Ecclesia dicit eas dormire in somno pacis, quare non sunt anxiæ de salute, sed habent consolationem & pacem mentis propter spem salutis, licet summè crucientur.

Dices contrarium ab Ecclesiæ oratione euinci. *Libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni, ne absorbeat eas Tartarus.*

Respondent aliqui Ecclesiam orare pro agonizantibus ne damnentur, at hi non dicuntur animæ defunctæ Alij dicunt orare pro damnatis qui interdum liberantur, vt fertur de Traiano per orationem S. Gregorij liberato, sed de iis non diceretur *fidelium*, tum iam ceciderunt & absorpti sunt.

Respondeo orari vt à Purgatorio liberentur, Ecclesia tamen vtitur hoc loquendi modo quasi animæ tunc migrarent à corpore, essentque in periculo salutis, quia commemorat & repræsentat diem obitus, sicut enim in celebritatibus Incarnationis, Natalis, Passionis, Ascensionis Ecclesia ita orat ac si tunc Christus deberet vel incarnari aut nasci, quia repræsentat illa Mysteria vt præsentia, & tamen non intendit ad litteram precari vt carnē assumat, vel nascatur, sed vt fructus illorum Mysteriorum nobis applicetur: ita in Missa Defunctorum qua commemoratur dies obitus illorum, Ecclesia ita orat ac si tunc morerentur, & tamen intendit orare vt liberentur eo modo quo

quo possunt, id est vt non diutius torqueantur, vel refrigerentur: denique sicut non est absurdum nunc post annum 1656. in Aduentu Domini dicere. *Rorate cœli, veni Domine* ita nec absurdum est dicere pro defunctis Libera animas ne cadant.

Idem plane fit in illo responsorio vbi anima per Prosopopeiam introducitur orans sic. *Libera me Domine de morte æterna, Nec amplius me videat visus hominis & similia*, commemoratur enim anxietas quam patiebatur in agonia mortis

QVÆRES, cur verba illa. *Qui dormiunt in somno pacis* dicantur de Purgatorij animabus quæ cruciantur igne, licet de spe salutis certæ sint, Christus nec Martyres etsi quam citiùs essent beatificandi non dormierunt in tormentis. Hinc Nouatores contendunt hæc pro defunctis vsurpari, & orari à primitiua Ecclesia ante figmentum Purgatorij ea tantùm intentione vt resurrectionis fidelium mentio fieret, nam in Scriptura dormire assumitur pro obitu, quare verba illa. *Qui dormiunt in somno pacis*, non fuere assumpta pro existentibus in purgatorio, eo maximè quòd inusitatum non esse prodant orare pro iis quos beatos credidissent, vel vt citius resurgant, sic refertur S. Ambrosium orasse pro Gratiano & Valentiniano imperatoribus. *Te quæso summe Deus vt charissimos iuuenes matura resurrectione suscites vt immaturum vitæ istius cursum naturalem resurrectione compenses.* Vel quia putabant purgari debere post hanc vitam tam bonos quàm malos vno Christo excepto.

Dissimulant isti Pseudohistorici intentionem Patrum qui ob dicta Pauli 1. Cor. 3. *Vniuscuiusque quale sit opus ignis probabit*: vbi de examine iudicij quod profectò omnium opera probabit loquitur, & comparat illud igni sic sano modo intelliguntur qui dixerunt omnes transire debere per ignem purgantem, Hilar. in Psal. 118. B. Virginem non excipiens Ambros. in 4. Gen.

Ad quæsitum Respondeo Ecclesiam quæ non orat nisi pro fidelibus, quæ in communione & vnione sua mortui sunt, ita loqui, quia hæ animæ decesserant cum pace Ecclesiæ, imo & olim cum osculo mortuis dari solito vt exprimeretur communio cum Ecclesia catholica, obiere ergo hæ animæ cum pace Ecclesiæ licet non omnino respectu iustitiæ diuinæ quæ punit & purgat sicuti & post absolutionem peccati solet in hac vita castigationes paternas infligere Quod autem oratum fuerit pro iis qui Sancti habebantur.

Respondet Cyril. Hieros in commemorationem eorum hoc factum, vt per eorum merita Deus acceptaret orationes fidelium vel vt notat S. August. fiebat hoc in gratiarum actionem de eorum beatitudine.

QVÆRES, *An animæ regredi possint ad nos.*

Respondeo nihil obstare dum Deus permittit, Tostat in 4. Reg. quæst. 57. è limbo Patrum suscitatos quosdam refert: imò & de inferno suscitati aliqui leguntur, vti filius Præfecti qui S. Agnetem stuprare volebat quem Diabolus necarat, & alij ab Apostolis suscitati horum autem damnationis sententiam suspensam dicit S. Thomas.

QVÆRES, *Vnde introductum festum animarum.*

Respondeo quod Abbas Cluniacensis Odilo audiuit circa annum 998. (86. à fundatione Monasterij per Guilhelmum ducem Guiennæ, & comitem Aruerniæ) à religioso redeunte à Palestinæ & Hierosolymæ visitatione, quòd in Siciliæ partibus Vulcano monti circumstantibus crebræ voces & vlulatus Dæmonum audiebantur plangentium quod animæ defunctorum per eleemosynas & orationes fidelium de potestate eorum eruebantur, & specialiter per suffragia Monachorum Cluniacẽsium. Hinc Sanctus Odilo omnibus suæ obedientiæ, monasteriis indicit vt commemorationem omnium fidelium defunctorum annuatim celebrarent secunda die Nouembris, quæ festum omnium Sanctorum consequitur. Qui vsus mox inualuit in pluribus diœcesibus, teste Sigeberto receptusque fuit à sede Apostolica pro vniuersali Ecclesia.

Notat tamen Baron. in Martyrologio secunda die Nouembris id ante Odilonem fuisse in vsu ex sæculo 2. Tertulliani, qui in lib. de Cor. Mil. cap. 3. ait in fine anni oblationes facimus pro defunctis, & cap. 4. *Si horum similiumque rituum legem in Scriptura quæris, non inuenies. Traditio eas profert, vsus confirmat, & fides obseruat.*



ARTICVLVS XXX.

Similiter & Sanctos vna cum Christo regnantes venerandos.



ETSI in omnibus Controuersiis, quæ nunc malè vexant Ecclesiam Dei, Impugnatores veritatis pro sua virili veritatem pro se stare nitantur ostendere; in hoc tamen Articulo de Veneratione Sanctorum, quos iam suscepit futurum sæculum, petulantius iactant triumphum ante victoriam. Non quòd hic habeant solidiora fundamenta quàm in aliis, quorum illud est præcipuum, & quod nunquam non in ore illorum versatur, huiusmodi cultum & venerationem, quæ Ecclesia exhibet Sanctis & Electis Dei in Sacris Litteris minimè contineri: cuius fundamenti falsitas abundè à nobis demonstratur. Sed quia magnum se Deo putant præstare obsequium noui isti Dei cultores, & Iesu Christo Redemptori nostro, si cum ipso aliquam aliam rem venerari aut aduocari non patiantur, quod in causa est, vt vanos & ambitiosos titulos sibi arrogantes, apud se solos regnare veram doctrinam, castámque morum disciplinam, & purum Euangelium audacter affirment, ac subinde Sanctam Ecclesiam apud vulgus magna irreuerentia traducant, affirmantes cum impio Porphyrio, Vigilantio, & Pigardis, Valdensibus progenitoribus suis, in ea regnare Ethnicismum & abominandam idolomaniam, quòd Sanctos Ritu sacro & religioso colat, eorumdémque Reliquias & Imagines piè veneretur. Et quo rem vulgi irrisionibus magis exponant nonnullos abusus interuiscent, quos indocti forsan & superstitiosi homines ex simplicitate vel ignorantia, aut ex contemptu fortè, & ex auaritia in huiusmodi cultum introduxisse referuntur. Hoc enim semper fuit Hæreticorum ingenium abusus hominum cum dogmatibus veritatis quasi emblemata quædam interserere quò facilius nomen veritatis cui obsistunt apud simplices magis odiosum efficiant. Quare muneris mei hic est, quod purum, castum, selectum, & Apostolicum in hac Catholicismi doctrina habetur, sincerè ostendere, & viriliter propugnare ad Dei Optimi Maximi & Sanctorum eius gloriam, quos primo regnare cum Christo ostendo.

QVÆSTIO PRIMA.

An Sanctorum animæ iam regnent cum Christo?

ARticulus de veneratione Sanctorum supponit Beatitudinem ipsorum, quæ cum dubia apud aliquos fuerit, qui eam volebant retardare vsque ad extremum iudicium, hanc in præsentiarum ostendo.

PROPOSITIO CATHOLICA.

SAnctis animabus ab obitu patet beatitudo.

Probatur ex Scriptura Luc. 23. Latro à dextris positus audit à Christo. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Cùm ergo dies de quo loquitur iamdudum præterierit, nondum tamen contigerit vniuersale iudicium, falsum est Sanctorum animabus è corporis ergastulo exeuntibus non patere aditum ad beatitudinem ante commune iudicium Act. 7. *Domine Iesu*, ait Stephanus, *Suscipe spiritum meum.* Nemo autem præter irrisores solet alium ad quidpiam

piam accipiendum inuitare, nisi qui statim, aut certè non ita multo post accepturus est, aut potest accipere. Philippens.1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Vide quomodo Paulus dissolutionem animæ à corpore proximè colligauerit cum conjunctione ejusdem cum Christo, non facturus profectò, nisi animæ beatitudo statim succederet morti non expectato die judicij finalis; hoc enim si non esset possibile intempestiui & imprudentis voti accusari potuisset Apostolus, cui diceretur quandocumque dissoluaris cum Christo esse non poteris ante diem communis resurrectionis. Apocal.6. dantur singulæ stolæ albæ animabus Martyrum, quæ cùm expectant ardenter corporum suorum redemptionem, vt ibi dicitur, sunt in statu gloriæ antecedente Resurrectionem, stolæ illæ albæ, ait Ambrosius, gloriam repræsentant, additque; ideò ante Resurrectionem non binas, sed singulas dari; quia corpora ipsa, quibus propriè seruantur nondum resurrexerunt.

Ad hæc legimus Ecclesi.11. *Facilè est Deo reddere vnicuique in die obitus secundùm vias suas*, quod nihil aliud dicere est, quàm Deum solitum id facere, vt intelligi satis potest ex consimili phrasi 4. Reg.20. *Facilè est vmbram crescere decem lineis.*

Probatur ex Sanctis Patribus, is Sanctos sic alloquitur. *Per ipsum vos rogo, qui vos elegit qui vos tales effecit, de cuius pulchritudine iam satiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis,* Et libro 7. de Baptismo c. 1. *Cyprianus quidem iam corpore, quod corrumpitur non aggrauante animam, nec deprimente terrena inhabitatione sensum multa cogitantem serenus perspicit veritatem, quam meruit adipisci per charitatem.* Beda serm.18. de Sanctis. *Hodie omnium Sanctorum sub vna Solemnitatis lætitia celebramus festiuitatem, quorum societate cælum exultat; Dei enim ineffabilis bonitas prouidit, vt post huius mundi tenebras visuri essent lucem, & accepturi beatitudinem.* Cyprianus libro de mortalitate. *Magnus illic in Paradiso nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum, frequens nos turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis, & passionis victoriam coronatus.*

Bernard. serm. 5. de festo omnium Sanctorum. *Ad quid Sanctis laus nostra? ad quid glorificatio nostra, pleni sunt, bonorum nostrorum non egent, nec quicquam eis nostra deuotione præstatur, ipsorum substantia in cælis est, ipsi per præsentiam, nos per memoriam, si de ipsis cogitamus.*

Probatur ex definitione Concilij Florentini, sessione vltima in decreto vnionis Latinorum cum Græcis, & Concilio Tridentino sessione 25. Idem quoque Benedictus 12. anno 1334. Ioannis 22. (qui hanc quæstionem posuerat in controuersiam non tamen definiuit) immediatus successor, post longas disputationes definiuit in Extrauaganti, quæ incipit *Benedictus Deus*; quam totam refert Alphonsus à Castro, verbo *Beatitudo.*

Probatur ratione, Deus magis misericors, quàm seuerus dicitur Psalm.144. Miserationes eius super omnia opera eius, at Luc. 16. constat epulonem post mortem iudicatum & detrusum fuisse in infernum, eodémque modo mox detrudi, quotquot eius more in peccato mortali decidunt; à fortiori ergo post obitum sancti & pij; qui liberi ab omni reatu deprehendentur, admittentur statim ad beatitudinem.

2. Repugnat iustitiæ differre salarium mercenariorum, Tobiæ 4. & Iacobi 5. increpantur, qui debitam operariis mercedem retinent, & Prouerb.3. dicitur. *Ne amico tuo dicas, vade, & reuertere, & cras dabo tibi cùm statim dare possis.* Atqui beatitudo datur per modum mercedis, atque ita ex iustitia, aut ergo fatendum est eam conferri statim post mortem sanctis nihil habentibus, propter quod tantum bonum debeat differri, aut Deum esse iniustum, quod absit cogitare.

3. Petitur ex differentia animæ à corpore in operando benè, vel malè. Anima est principium cujuscumque actionis humanæ, ita vt corpus tantummodo se habeat per modum instrumenti, sicut ergo illa in actionem bonam, vel malam, multò magis quàm corpus influit, ita par est, vt priusquam istud præmio afficiatur, vel supplicio, atque ita non præstoletur vniuersalis iudicij diem, contra Caluinum in Psychopannychia, & libro 3. institut.c.25. num. 6.

Dices, ex 1.Cor.5. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque prout gesserit in corpore, siue bonum, siue malum.* Ergo præmium non confertur ante iudicium finale.

Respondeo, Paulum loqui de mercede totius hominis, cuius corpus ante illum diem, nec damnabitur, nec beabitur. Tum esto intelligamus præcisè, animæ accipiunt in priuato iudicio, quod fit in morte corporum, quod eis debetur, vnde quædam in cælum euolant statim, quædam tardiùs, ita vt in Purgatorio aliquæ semper futuræ sint vsque ad supremum illum diem. Vide Apologiam Ioannis XXII. Papæ.

QVÆSTIO II.

De veneratione debita Sanctis.

Ad clariorem hujus Articuli expositionem notandum est ex Sancto Thoma 2. 2. quæst.84.91.& 103. Inter laudem, honorem, & adorationem, hoc esse discrimen, quod laus sit quædam excellentiæ testificatio, quæ in verbis consistit: Honor etiam in factis, & aliis signis externis. Adoratio verò præter illam testificationem excellentiæ includit essentialiter submissionem aliquam erga id quod adoratur. In quo differt à laude & honore: siquidem laudamus & honoramus etiam æquales, vel inferiores, non adoramus verò nisi superiores, vnde adoratio definitur à Sancto Damas. orat.3.cap. 4. animi cedentis, demissi, & humilis significatio.

Notandum præterea, duplicem in vniuersum

sum esse adorationem, sicut duplex excellentia est ratione cuius potest aliquis nobis esse superior, vna increata, altera creata.

Adoratio illa quæ ratione increatæ excellentiæ, seu diuinæ, quæ infinita certè est, sicut ipsum esse Dei, vsu in Ecclesia communiter receptæ, *Latria* vocatur: quo vocabulo significatur cultus ille religiosus, qui soli Deo debetur in signum & protestationem infinitæ suæ dignitatis & supremi dominij, quod in res omnes creatas obtinent, quæ absolutè tam in suo esse quàm conseruari à diuino eius nutu pendent. Vide quæst. de Conseruatione, sicque adoratio sumitur in Scriptura, in qua falsorum Deorum cultus nomine idololatriæ exprimitur. Act. 17. *Videns idololatriæ deditam Ciuitatem*, & falsorum Deorum cultores, *Idololatræ* vocantur. 1. Cor. 10. *Neque Idololatræ efficiamini*. Eo quod cultum illum latriæ qui soli Deo debetur ad idola transferrent. Et eodem etiam sensu illud latriæ vocabulum sumitur in 7. Synodo generali, art. 3. 4. & 6. & & in Conc. Trid. sess. 13. cap. 5 & 9. & apud S. Basil. in c. 1. Isai. Aug. lib. 1. ciu. cap. 2. & lib. 1. contra Faust cap. 9.

Imò & ipsa vox adorationis passim ex communi vsu iam recepta est ad significandum illum cultum, qui soli Deo debetur, vnde dicimus solum Deum esse adorandum.

Cultus autem ille religiosus, qui ob creatam excellentiam defertur communiter dulia vocatur, quo nomine ex vsu Ecclesiæ significatur seruitus & submissio non quælibet abjecta & vilis, qualis est mancipiorum, neque etiam honoraria & politica qualis est subditorum erga Principes, & inferiorum erga Superiores, sed religiosa & pia (quæ à virtute Religionis, cujus vnum dictamen est pietas & cultus rerum sacrarum) quæ scilicet Sanctis defertur ob eorum virtutem & sanctitatem.

Et quoniam inter Sanctos insigniter supereminet Dei pœna; virgo ideò singulari cultu, qui hyperdulia nuncupatur ab Orthodoxis omnibus coli solet.

Nota denique adorationem ac religiosum cultum esse duplicem; vnum exteriorem, qui corporis administratione & externo aliquo gestu, ac significatione exhibetur, veluti inclinatione capitis adgeniculatione & similibus; alterum interiorem, qui in mentis actione consistit, & exteriorem quodam modo animat & informat, fit autem dupliciter, nam & intelligentia capimus & profitemur excellentem dignitatem illius qui à nobis colitur, & voluntatis affectu in eum rapimur, vt honestatum & in gloria positum eum esse cupiamus. Etenim qui duplici natura constamus, ait S. Damasc. libr. 4 cap. 13. aspectabili, & in aspectum non cadente, hoc est, intelligibili, ac sensibili; ideò duplicem conditori nostro adorationem offerimus.

Ex actu exteriori discerni non potest verùm cultus qui defertur, Latriæ sit, vel Duliæ, iisdem enim actibus & signis externis, quibus Deum adoramus, Sanctos etiam sæpissimè colimus; sicut enim Deo, sic & illis caput aperimus, genua flectimus, &c. Quare hoc ex interno mentis affectu, & voluntatis discernendum est: si enim exterior ille, verbi gratia, genuflexionis actus dirigatur ad protestandam infinitam Dei super omnes creaturas eminentiam, nostrámque omnimodo ab illo dependentiam, erit adorationis seu Latriæ actus, si verò illa genuflexione intendamus cultum religiosum alicui Sancto ob eius virtutes vel gloriam deferre, erit actus Duliæ. Neminem autem sobrium & prudentem pigebit, eo more iisque vocibus animi sui sensa & notiones exprimere, quas à Majoribus acceperit, nec tam in vocabula rerum, quàm in res ipsas, ac sententias inquiret. Quamobrem etsi Græcum προσκυνεῖν adorare, ac δουλεύειν, id est, seruire & huius generis alia verba minorem ex se se ἔμφασιν non habeant, quàm λατρεία, ob quam promiscuè vsurpari mereantur, potiùs quàm ista, nihilominus communi sermonis consuetudine, par est eos obsequi, qui sic loqui curant vt intelligantur non secus ac nummis vtimur seu moneta volgo receptis, & cuius hoc interest authoritate probatis.

Hic ipse loquendi arbiter & magister vsus antiquorum testimonio sancitus nos docuit cætera præter λατρείαν religiosi cultus vocabula interdum ad cuiuslvis gradus venerationis significationem assumere.

His prænotatis, tam pro isto de Sanctis, quàm pro de Imaginibus Articulo plenè resoluendo.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Angeli & Sancti à nobis religiosè colendi sunt.

De Angelis probatur ex Scriptura Gen. 18. & 19. vbi Abraham & Loth dicuntur Angelis sibi apparentibus honorem aliquem singularem & religiosum detulisse. Idem dicitur de Iosue cap. 5. & de patre ac matre Sansonis. Iudic. 13. de Sanctis probatur Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit honorificabit eum pater meus.* 1. Reg. 2. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Ps. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum.* Ps. 111. *In memoria æterna erit Iustus.* Eccl. 44. *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua.* Luc. 1. Virgo Deipara prædicit, *Ex hoc Beatam me dicent omnes Generationes.* Rom. 2. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.*

Probatur ex Sanctis Patribus, Irenen. libr. 3. cap. 20. aduers. Hæres. *Ad tantam temeritatem progressi sunt quidam, vt etiam Martyres spernant.* Euseb. l. 4. citans vsum Ecclesiæ Smyrn. circa Diuum Polycarpum discipulum Ioannis. *Ignorant Iudæi perfidi, quod Christum non possumus derelinquere nec enim alium quemquam colimus, quàm verum Deum, qui solus colendus est; Martyres verò, tanquam discipulos Domini diligimus & veneramur, quasi integrè seruantes fidem Magistro & Domino, quorum nos quoque in fide & perseuerantia optamus esse participes.* Origen. hom. 5. in diuersos. *Benè & secundum voluntatem Dei Innocentum memoriam Sancti Patres celebrari mandauerunt sempiternam in Ecclesiis, vel vt pro Domino morientium, vel vt pro Iudæis & Gentibus credituris, vel etiam pro ipsis parentibus.* Greg. Nyss.

orat. in Sanctum Theodorum. *Cui Regum*, inquit, *talis honor habetur! quis ex iis qui supra modum inter homines excellere visi sunt talis memoria celebratur? Quis Imperatorum adeò honoratur, vt hic miles pauper, &c.* Damasc. lib. 4. de Fide cap. 16. *An non honorandi, qui totius humani generis patronos se profitentur, ac Deo nostro causa supplicant: honorandi certè, & quidem ita est, vt in eorum nomine Deo Templa extruamus.*

Cyprianus Epistola 5. libri 4. *Laurentius & Ignatius palmas à Domino, & coronas illustri passione meruerunt: Sacrificia pro iis semper offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus.* Ambros. serm. 1. in festo Sanctæ Luciæ. *Quotiescumque Martyrum memoriam celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus, sine aliqua dilatione concurrere debemus, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem profusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacrata hostia pro nostra propitiatione Domino sunt oblati, præsertim cùm dicat ad Sanctos suos, qui vos honorat, me honorat, & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.* Idem sermon. de Nazario & Celso ferè habet. Hieron. Epist. 53. ad Riparium. *Honoramus Martyrum reliquias, vt eum cuius sunt Martyres adoremus, honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait, Qui vos suscipit, me suscipit.* Idem ad cap. 3. Sophoniæ. August. lib. 20. contra Faust. cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur; ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamuis in memorias Martyrum constituamus Altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum Martyrum assistens Altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane; sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit*: & mox; *Colimus ergo Martyres in cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, sed illos tantò deuotius quantò securius post certamina superata.*

Probatur tertiò, ex eo ritu qui in vniuersa Ecclesia semper viguit. Templa & Basilicas in honorem Sanctorum ædificandi, illorúmque festa celebrandi. Cuius rei fidem faciunt omnes ferè Sancti Patres, & Ecclesiastici Scriptores, qui videri possunt apud Iodocum Coccium tom. 1. lib. 1. de Sanctis Ecclesiæ. Et certè, vel ipsa antiquissima Basilicarum, & sacrorum Ædificiorum monumenta in honorem Sanctorum Dei consecrata, quæ vbique terrarum inuisuntur satis apertè testantur, Sanctis ab vniuersa Ecclesia cultum religiosum semper fuisse delatum; minorem quidem illo qui Deo debetur, sed longè maiorem quouis honore politico, & ciuili, qui Principibus, & Regibus in terra defertur. Vnde Ethnici, Iudæi, & Hæretici semper accusarunt Christianos idololatriæ, propter cultum Sanctorum, quod certè non fecissent, nisi vidissent à Christianis Sanctos passim religiosè coli: Ethnici, vt legitur apud Eusebium lib. 8. cap. 6. histor. dicebant Christianos adorare cadauera mancipiorum suorum, & Diis eorum cultum denegare. Iulianus Apostata, inquit Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 6. contra eundem, *Vnum*, aiebat, *colitis, pro multis Diis colitis hominem, imò multos homines miseros vsos lege dura quadam, & aspera, agrestémque barbariem spirante, &c.* Nunc autem vobis euenit quod sanguisugis qui pessimum exsugunt sanguinem & puriorem relinquunt. Faustus Manichæus Catholicos dicebat mutasse Idola in Martyres. Imperator Constantinus Copronimus edixit abrogari in nuncupatione Martyrum nomen Sancti, hósque simpliciter voluit Georgium, verbi gratia, Stephanum Apostolum Martyrem nnncupari. Vigilantius Mahomet festorum, & Sanctorum memorias abolere studuerunt, quos nouissimè Caluinianì pro viribus imitati sunt.

Probatur Ratione, si honor ciuilis debetur ciuili virtuti, sapientiæ, potentiæ, & nobilitati. Ergo honor plusquam ciuilis debetur supernaturali virtuti, sed Sancti cum ferueant diuina charitate, cum sint confirmati in adoptione filiorum Dei, regnéntque cum Christo in gloria, cultu sanè religioso prosequendi sunt.

Tum Deus pro infinita sua benignitate bonorum suorum omnium, nec non gloriosorum nominum participes & consortes eos esse voluit (nam & Deos, & filios & fratres Christus non dubitauit illos dicere, sic in honoris communionem vocatos, vt habita ratione vsus & vsurpationis nominum illorum cultus & venerationis genus eis deferretur, cùm 1. Reg. 2. dixerit. *Qui honorificauerit me, glorificabo eum.* Adde quod ipsi ex charitate solliciti de nostra salute orant pro nobis, quibus exempla virtutum insignia reliquerunt, quare iure optimo colendi & honorandi sunt; Denique cum honor correlatiuus sit excellentiæ, procul dubio Sancti sunt colendi & honorandi ad mensuram gratiarum quas Deus eis contulit, iuxta id Esther. 6. *Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare.* Nunquam tamen honor & deferentia nostra diuinam eis præstitam adæquabit. Addo illum non errare, qui Deum imitatur, is autem Sanctos nimis honorat.

Dices, ex Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Cui simile est illud Pauli, *Soli Deo honor & gloria.* 1. Tim. 1. Et cum Diabolus Matth. 4. postulasset aliquam inclinationem προσκύνησιν nec latriæ meminisset, Christus eum repulit dicens, scriptum est Deut. 6. Dominum, &c. vbi ostendit non posse creaturæ inclinationem vllam religionis causa deferri, quin illa ad idololatriam pertineat, & Gal 4. Iis qui natura non sunt Dij seruiebatis, in Græco est ἐδουλεύσατε; ergo neque dulia potest tribui quàm Deo ipsi.

Respondeo, prænotando vocem adorationis in Scriptura aliquando creaturis delatam, sicut cum Loth Gen. 19. dicitur duos Angelos adorasse Abraham filios Heth 23 Nathan Dauidem 3. Reg. 1. Iacob fratrem suum Esau, filii Israël Iosephum fratrem, vnde euincitur adorationem duplici modo vsurpari, vno vt soli Deo conuenit, alio vt etiam creaturis, quare Aug. quæst. 61. in Gen. annotauit ideò non esse

dictum solum Deum adorabis, & illi soli seruies; quia adoratio conuenit etiam creaturis; non autem seruitus latriæ, quæ hic exprimitur in Græco λατρεύς, & quamuis esset scriptum illi soli δυλεύσεις eodem modo exponi deberet illi soli seruies, certo quodam seruitutis genere; non autem absolutè illi soli seruies; nam Gen. 27. dicitur Iacobo ab Isaac. *Seruiant tibi populi, & adorent te filij matris tuæ.*

Præterea, sicut hic legimus illi soli seruies, ita 1. Tim. 6. *Qui solus habet immortalitatem.* & tamen scimus Angelos & Animas esse etiam immortales suo quodam modo.

Ad Matth. 4. dico Diabolum postulasse inclinationem in signum latriæ, quare repulsum habuit.

Ad Galat. Respondeo, verbum δυλεύειν esse commune seruituti Dei & creaturarum, & proinde exponi debere pro loci exigentia; hic autem sumitur pro cultu solius Dei, id enim circumstantiæ loci necessariò postulant.

Dices, Angelus Ioanni adoranti se dixit, Apoc. 19. *Vide ne feceris, conseruus tuus sum, Deum adora.* Et tamen non ignorabat Angelus non sibi exhiberi latriam; sed duliam

Respondet Augustinus quæst. 61. in Genes. correctum fuisse Ioannem, non propter errorem adorationis, sed personæ, putauit enim fuisse Christum, cuius personam gerebat, vel neque duliam voluit Angelus ob reuerentiam humanitatis Christi, ex quo enim incarnatum fuit Verbum Angeli priùs adorationem exquirentes noluerunt adorari, præsertim ab Apostolis.

Ad hæc nota prænotata de essentia adorationis & vsu istius vocis ex sensu Ecclesiæ.

Dices, ex communi adagio multa corpora Sanctorum venerantur in terra, quorum animæ sepultæ sunt in inferno.

Respondeo, non agi hic præcisè de honore reliquiarum, qui specialem subsequenter habet Articulum. Hoc autem vulgare effatum dico, non sic intelligi debere, vt nonnullos, quos Ecclesia inter Sanctos habet & colit temerè putemus damnatos, etsi interdum falsum esse possit iudicium de Sanctitate eorum, sed quod interdum contingat, aut errore, aut nebulonum imposturis, vt supposititiæ reliquiæ nomine Sanctorum obtrusæ honorentur pro veris.



ARTICVLVS

ARTICVLVS XXXI.

Atque Inuocandos esse.



NVOCATIONEM Sanctorum maximè conferre ad religiosum eorum cultum, quem duliæ statuimus, nemo est etiam aduersariorum, qui dubitet, sic enim bonore afficitur Deus, cùm illi supplicatur eo, quod hoc modo insigni bonitate constare demonstretur, quâ velit benefacere, & potestate, qua possit. Cur non itidem Sancti, qui cum Christo regnant? Sed zelum mentientes Agiomachi tuendi diuini honoris, affirmant istiusmodi honorem soli Deo deferendum, nec absque immani sacrilegio alio transferri posse, mirum quanta fiducia hoc vrgere solent, crederes hoc in aurem dixisse illis, Spiritum Sanctum. At quam dolosè mentiatur iniquitas sibi quantaque malignetur in Sanctos produnt calumniæ, & blasphemiæ, quas in Catholicos, vel in Sanctos euomunt Nouatores, quos legere est apud Caluinum lib. 3. instit. cap. 20. qui paragrapho 21. dicit, apud Papistas nullam vnquam fieri Christi mentionem, & cum semper orent Sanctos, nunquam eis in precibus occurrere Christum, quod certe tale mendacium est, vt periculum sit, ne diabolus mendacis cognomen amiserit, quid enim? nonne Litanias auguramur & terminamus per Kyrie eleyson, Christe exaudi nos, & orationes Ecclesiæ nonne concluduntur per Christum Dominum nostrum, & §. 20. Sanctos cum Christo regnantes passim vocat mortuos, laruas, vmbras colluuiem, quæ incredibilis blasphemia est. Summa hæreseos hac in parte est docere inutile esse, & illicitum inuocare sanctos, siue Angelos, siue homines: inutile quidem, quia non habent tam longas aures (ita loquitur Caluinus,) vt preces nostras audire possint: illicitum, quia hinc obscuratur gloria Christi, qui est vnicus mediator, & intercessor noster ad extirpationem tantæ prauitatis, Catholicum dogma funditus expendo.

QVÆSTIO PRIMA.

De modo Inuocandi Sanctos.

PRæponenda fuit hæc inquisitio, aperiendaque intentio Ecclesiæ Catholicæ in vsu inuocationis, ad conuellenda mendacia, & calumnias Hæreticorum, qui vt simplicibus suam ipsorum sententiam, seu errorem de solo Deo inuocando persuadeant, solent nobis imponere, quod diuinitatem, & vim cognoscendi mentium cogitationes tribuamus sanctis, quod nemo Catholicorum vsquam cogitauit, asserimus enim eos cognoscere nostras preces non vt sunt in mentibus nostris, sed vt relucent in Deo quem vident & qui ea ipsis ostendit.

PROPOSITIO CATHOLICA

SAncti non sunt inuocandi absolutè vt datores beneficiorum, id enim soli Deo competit, sed vt intercessores & deprecatores, qui referunt preces nostras, & interuentione sua acceptabiles Deo ipsi, vel Christo faciant.

Probatur ex scriptura Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, Psal. 170. *leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram*, Montes sunt homines sancti vt hic exponit August. & tract. in Ioan. & lib. de Pastoribus cap. 8. iubemur ergo leuare oculos ad sanctos & ab eis auxilium expectare, sed vt intelligamus ab eis auxilium expectandum esse non vt ab auctoribus, sed vt ab impetratoribus, ideo statim subditur. *Auxilium meum à Domino* Iacob. 1. *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.*

Probatur ex vsu Ecclesiæ, nam in orationibus, quæ leguntur in Missa, vel officio nihil aliud petitur, quam vt precibus sanctorum Deus nobis concedat beneficia.

Probatur ex SS. Patrib. August. 8. ciu. cap. vlt. & lib. 12. cap. 10. & ex Theodoreto lib. 8.

ad Græcos, qui disertè docent Sanctos non esse inuocandos vt Deos, sed vt qui impetrare possint à Deo, quod volunt. Itaque preces nostræ non terminantur finaliter ad ipsos, sed vti relatiuæ & transitoriæ rectà tendunt ad Deum à quò est omne bonum.

Probatur ratione, nam ea quibus indigemus superant vires creaturæ, ac proinde etiam sanctorum. Ergo nihil debemus à Sanctis petere, nisi vt à Deo impetrent, quæ nobis vtilia sunt.

Nota cum dicimus non debere peti à Sanctis, nisi vt pro nobis orent non nos agere de verbis, sed de sensu verborum, nam quantum ad verba licet dicere S. Petre miserere mei, salua me, da mihi sanitatem, da patientiam, &c. Dummodo intelligamus miserere, salua, orando pro me, da mihi hoc tuis precibus, & meritis, sic enim loquitur Greg. Nanz. orat. in Cyprian. & Basilium, & alij multi veterum, nec non Ecclesia vniuersa cum in hymno ad Virginem dicit, *Tu nos ab hoste protege, &c.* in hymno Apost. *sanate egros moribus*, & sicut Paul. de se dicit Rom. 11. *Vt saluos facerem aliquos ex illis* & 1. Cor. 9. *vt omnes saluos facerem*, non vt Deus, sed iuuando concionibus, precibus.

Veritas propositionis apertè constat ex diuerso modo loquendi Ecclesiæ in Litaniis, & aliis orationibus, nam cum oratio dirigitur ad Deum, vel Christum dicitur *miserere, exaudi*, ad sanctos *orate pro nobis.*

Dices, Catholicos non inuocare Sanctos, sed vt indicat formula orationum fere omnium, Deum orari vt faciat orare Sanctos pro nobis, quod plane absurdum est, Intercessio nos quæsumus Domine beati N commendet.

Respondeo orari Deum vt dignetur exaudire Sanctos, quos scimus orare pro nobis, tum ex charitate, tum ex ordine à Deo stabilito, *hi sunt, qui multum orant pro sancta ciuitate, & pro populo*, & id proprie significat *Commendet oratio*: tum Litaniæ diriguntur ad Sanctos.

QVÆSTIO II.

An Sancti beati sint inuocandi.

Quæstio est an liceat inuocare Sanctos in cœlo existentes sub hac formula, quam vsurpant Catholici *Sancta Maria ora pro nobis. S. Petre ora. Omnes Sancti intercedite pro nobis.*

PROPOSITIO CATHOLICA.

Sancti siue Angeli siue homines pie ac vtiliter à viuentibus inuocantur.

Probatur ex scriptura Gen. 48. vbi Iacob benedicens filiis Ioseph. sic ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis* Iob. 5. *voca si qui est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere*, Vbi nomine Sanctorum August. docet hic intelligi Angelos Exod. 32. Moyses sic orat. *Recordare Domine Abraham Isaac & Israel seruorum tuorum*, In quem locum scribens Theodoret. qu. 67. dicit Mosem cum se non existimaret sufficientem ad placandam Deum, adhibuisse etiam patrocinium Patriarcharum. Vbi nota, quia ante Christi aduentum, qui moriebantur non intrabant in cœlum nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium, ideo non fuisse consuetum dicere sancte Abraham ora pro me. Sed solum orabatur Deus, & allegabant homines merita sanctorum, qui obierant vt ex iustitia & sanctitate eorum iuuarentur & exaudirentur.

Respondet Caluin. non peti eiusmodi verbis auxilium à meritis Sanctorum, sed solùm commemorari pactum, quod Dominus cum Patriarchis fecerat de protegendis & adiuuandis eorum posteris. At solutio non satisfacit, nam & pactum Dei, & iustitia Sanctorum simul commemorantur vt patet Psal. 131. *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius*, & *infra propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui* Daniel. 3. *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum*, &c. Vnde August. q. 149 in Exod. sic ait, *Admonemur cùm merita nostra nos grauant ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.* Idem docet Chrysost. hom. 42. in Genes. & 27. in Matth. Probatur ex Luc. 22. *erunt sicut Angeli in cœlo*, vbi Christus declarat sanctos futuros similes in cognitione, charitate, & similibus priuilegiis ipsis Angelis, quos inuocatos audiuimus.

Probatur 2. Conc. Chalcedon. act. 11. vbi Patres sic loquuntur, Flauianus post mortem viuit Martyr. pro nobis oret, deinde in 6. Synodo generali cap. 7 sic dicitur, *Solo Deo creatore adorato inuocet Christianus sanctos vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur.*

Et in 7. Synodo generali hæc verba habentur. Cum timore omnia agamus postulantes intercessionem incontaminatæ Deiparæ, & SS. Angelorum, omniumque Sanctorum.

Probatur ex doctrina primitiuæ Ecclesiæ, quæ Liturgiis inseruit nomina B. virginis Deiparæ, & sanctorum Martyrum postmodum, & Confessorum. Romana post canonem facta commemoratione Sanctorum addit, *Quorum precibus & meritis concedas vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.* Cyrill. Hierosol. de Lyturgia sui temporis hæc refert offerimus tibi Domine hoc sacrificium in commemorationem eorum, qui decesserunt Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt intercessione eorum orationes nostras exaudias Basiliana & S. Chrysostomi Liturgia, qua Græci vtuntur idem fere habent, vnde euincitur ritum illum inuocationis descendere ab Apostolica Traditione iuxta regulam S. August. de bapt. contra Donat. lib. 2. cap. 7. *Quod ab vniuersa obseruatur Ecclesia nec ab illius aut Conciliis fuit institutum, est traditionis Apostolica.*

Probatur ex SS. Patribus qui & ipsi sanctos inuocarunt, Dionys. cap. 7. Eccl. Hier. *Qui Sanctorum flagitat preces & natura ipsorum consentaneas operationes abigit, superflua spe ille suspensus est*, Iren. lib. 5. contra Hær. *Est sicut illa Eua seducta est vt effugeret Deum, sic hæc*

hac Maria suasa est obedire Deo vt Virginis Eua virgo Maria fieret aduocata, Athan. in serm. de Annunt. *inclina aurem tuam Maria in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui*, Basil. orat. 20. in 40. Martyres, *qui aliqua premitur angustia ad hos confugiat, qui rursum latatur hos oret, ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus latis* Chrysost. hom. 66. ad pop. *nam, & ipse qui purpuram indutus est accedit illa complexurus sepulchra & fastu deposita stat sanctis supplicaturus*, hom. 5. & 8. in Matth. & in 1. Thessal hortatur ad supplicandum Sanctis. Damasc. lib. 4. de fide cap. 16. *per eos* Sanctos iam defunctos, *Demones abiguntur infirmi curantur, caci vident, leprosi mundantur, tentationes & tristitia soluuntur, omne donum bonum à patre luminum per eos, qui inhasitabili fide petunt descendit.* Ex Latinis Hilarius, Psal. 129. *intercessione Angelorum indiget infirmitas nostra, missi enim sunt propter eos, qui hareditabunt salutem, Deo nihil ex his, qua agimus ignorante*, &c. Similia dicit de intercessione Apostolorum in Psal. 124. Amb. lib. de viduis, Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, obsecrandi martyres, quorum videmur nobis, quoddam corporis pignore patrocinium vendicare: possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, si quæ habuerunt lauerunt peccata, &c. Hiero. in vita Hilarionis. *Non mihi videtur tacenda Constantia illius sanctissima mulieris deuotio, filia hac erat Constantini Imp. solita hac erat peruigiles in sepulchro eius noctes ducere, & quasi cum prasente ad adiuuandas orationes suas sermocinari.* Idem in epitaphio Paulæ, *Vale ô Paula & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua, fides, & opera tua Christo te sociant, prasens facilius, quod postulas impetrabis.* August. trac. 84 in Ioan. *ideo quippe ad ipsam mensam*, inquit, *nos sic martyres commemoramus quemadmodum alios, qui in pace Christi requiescunt vt etiam pro eis oremus, sed magis vt ipsi pro nobis orent.* Item serm. 17. de verbis Apostol. *habet*, inquit, *Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt cùm martyres eo loco recitant ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur. Iniuria enim est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.* Item lib. de cura mort. cap. 4. vide plures apud Bellar. lib. 1. de SS. beatitud. cap. 19. Rufin lib. 2. hist. cap. 15. antiquam in sanctos deuotionem sic commemorat Theodosius Imp. cum Sacerdotibus, & populo omnia orationum loca circuibat & ante Martyrum, & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat.

Ad hæc Patrum loca respondent Nouatores inconstantissime, nunc eos errasse, nunc plura inserta fuisse scriptis eorum, nunc per apostrophen ad sanctos, tam in concionibus, quam in scerptis proposita, nominaque mortuorum inuocata ac si viuerent sicut interdum inter declamandum alloquimur cœlum & terram, vel mortuos, quos tamen scimus non audire. At anilia sunt hæc, nam in primis nulla, celebritas Martyrum produci potest quin notentur veræ, & reales orationes & inuocationes Sanctorum, per quorum merita Deus ipse terminatiuè, & finaliter supplicabatur. Et, hæc Sanctorum festa celebrabantur in Ecclesiis & Basilicis Deo dicatis in memoriam Sanctorum eodem autem tempore, quo hæ Apostrophæ in concionibus, aut in homiliis Patrum reperiuntur, habetur & dogma catholicum de inuocatione Sanctorum, quare dici nequit apostrophas has induxisse formales orationes ad Sanctos, cum non possit verificari apostrophas præcessisse vsum inuocationis Sanctorum, Caluin. lib. 3. inst. cap. 20. respondet Patres voluisse quidem prohibere hanc superstitionem, sed non potuisse frangere impetum vulgi; id quod, ostendit ex Conc. Chartag. 3. cap. 23. vbi prohibetur ne in precibus, quæ in altari funduntur oratio dirigatur ad alium, quàm ad Patrem. Ex quo colligit Patres saltem voluisse ne Mysterium Cœnæ profanaretur, Inuocatione mortuorum.

Vanum est illud refugium, nam quod Conc. noluerit prohibere inuocationem, patet ex adhortatione ad ipsam præceptoque de ea dato neque in Chartag. habetur verbum de inuocatione S S. sed præcipitur tantùm vt oratio sacrificantis dirigatur ad personam Patris, non filij aut Spiritus Sancti, quod etiam modò seruamus, quamuis toti sacrificemus Trinitati, & & August. 22. ciu. cap. 20. docens Sanctos non inuocari à Sacerdote sacrificante vult solùm ipsa prece, quia Sacrificium, offertur Sanctos non inuocari, sed Deum cui soli sacrificatur, nam quod in ipso Sacrificio memoria fiat martyrum, & inuocentur, vt pro nobis orent, idem August. docet trac. 84. in Ioan. & serm. 17. de verb. Apost. Cyril. Chrysost.

Probatur inuocatio Rationibus. Prima. Constat ex Scriptura pium ac vtile esse inuocare Sanctos in terra degentes eosque apud Deum patronos adhibere, Numer. 11. *Ora, vt tollat à nobis serpentes, & orauit Moyses* lib. 1. Reg. cap. 7. dicunt filij Israel ad Samuelem, *ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum vt saluet nos de manu Philistinorum.* Iudith. 8. *ora pro nobis Dominum, quia mulier sancta es*, & Iob. vlt. Deus ipse ait. *Ite ad seruum meum Iob, qui orabit pro vobis* Rom. 15. Paul. ait, *obsecro vos fratres vt adiuuetis me in orationibus vestris apud Deum*, 2. Thess. 3. *orate vt sermo Dei currat.* Ephes. 6. Colos. 4. & Heb. 13. Ergo etiam pium, & vtile est inuocare Sanctos cum Christo regnantes; præsertim, cum horum intercessio non minus efficax sit quàm istorum. Patet consequentia, quia nulla apparet ratio dissimilitudinis, magna autem cur potius fas sit beatorum quàm mortalium authoritatem interponere, cum sint sanctiores & amplioris meriti, & de salute nostra magis solliciti & magis honoretur diuina maiestas illorum interpositu, vt pote eminentiorum, quàm superstitum: nulla inquam apparet dissimilitudinis ratio, quia si absque beatis bonis est Deus, & preces nostras audire potest, & non iubet vt illorum imploremus patrocinium, & ob id non videtur implorandum: eadem plane de causa implorari non debebit patrocinium viuentium. Argumentum indissolubile est.

Respondet quidem Caluin. aliam esse rationem inuocationis viuorum & mortuorum, quia viui omnes subnixi vna Christo intercessione, tam pro se quàm pro aliis Deum rogant, quia sunt inuicem membra, & quia Scriptura hortatur vt oremus pro inuicem Iacobi 5. At dico

idem de mortuis dici posse, nam & illi sunt membra eiusdem Ecclesiæ, & vna Christi intercessione nituntur, quicquid enim nobis petunt à Deo per Christum petunt.

Vrget equidem aliquo modo, quod nullum extat in Scriptura mandatum, vel exemplum, vel promissio de inuocatione Sanctorum vti habetur de interuentu viuentium. Atsi hæc instantia concluderet suppressionem inuocationis mortuorum, efficeret etiam Sanctos non orare pro Ecclesia, nec in genere, nec in particulari, quod tamen primum concedit Apologia Confessionis Augustanæ, *tametsi*, ait *testimonium nullum extet in Scriptura de mortuis orantibus præter illud somnium sumptum ex libro Machabaeorum posteriore*, Deinde nullum requiritur mandatum, quando ipsa necessitas nos impellit. Promissio denique non deest, cùm innumerabilia signa, & beneficia Deus præstiterit ad Sanctorum inuocationem, quibus testatur audire eos, qui patrocinium Sanctorum adhibent.

Addo quod si extra formale Dei verbum, nihil sit admittendum sicut legis est præcipere bonum ita & vetare malum, Psal. 30. *Declina à malo & fac bonum*, ergo si opus est expresso textu ad vsurpandam inuocationem, quam tamen Catholici eruunt à Traditione Apostolica & per analogiam ad præceptum datum à Deo Iob vltimo viciſsim Aduersariorum est proferre textum prohibitionis quem nusquam producent.

II. Ratio, vel ad Sanctos dirigere preces non licet, quia inutiles sunt vel superuacaneæ, vel à Deo prohibitæ vel eidem iniuriosæ; At nihil horum dici potest, imo contraria omnia, ergo licet inuocare Sanctos, maior est certissima, minor vero probatur.

Non sunt inutiles, quia infinitos pene homines fecerunt voti compotes, v.g. optatæ valetudinis, victoriæ, sobolis liberationis à naufragio, & periculis aliis vt copiose testantur annales Ecclesiastici.

Exemplum sub Clodoueo Francorum rege, Vienna in delphinatu insolitis quatiebatur terræ motibus, & vrsi infestabant omnia teste Gregorio Turon lib. de gestis Franc. cap. 34. Quid fecit S. Mamertus loci illius Episcopus, vt tantum malum auerteret? Litanias instituit quarum vsu statim clades omnis sublata est, ita vt propter manifestam harum precum efficacitatem mos illas recitandi, sit ex eo tempore in vniuersam introductus Ecclesiam: nihil autem sunt Litaniæ quàm breues orationes directæ in primis ad Deum, deinde ad omnes Sanctorum ordines.

Superfluæ item non sunt, quia superflua dici non possunt sine quibus, nec Deum, nec Sanctos possumus omnibus modis rationi consentaneis colere, ex quibus vnus est agnoscere & profiteri his beatis cœli ciuibus à Deo datum vt possint ac velint intercessionibus suis magno nobis esse præsidio. Agnoscimus autem & profitemur dum illis in hunc finem preces nostras offerimus. Et quia sic honorem illis habemus, honor autem seruis exhibitus redundat in Dominum, vt supra docuit S Hiero. fit vt cùm sic honorantur cultum aliquem Deo deferamus, quo alias priuaretur. Superuacanea item haberi non possunt quibus interpositis multa nobis obtingunt bona, quæ alias negarentur experientia autem compertum est plurimorum orationes prolixas Deo immediatè oblatas non impetrasse dona, & gratias quarum magno tenebantur desiderio. Cùm autem variorum Sanctorũ ac præsertim Deiparæ virginis iuerunt imploratum suppetias in locis vbi præcipuè coluntur, vt Laureti in Italia, ad Montem serratum in Hispania, Anicij in occitania, &c. id breui consecutos, quod rogatum venerant. Non quod Sanctis impotentior sit Deus, aut egeat his suppetiis vt bene faciat, sed quod gloriæ consulat & consulere velit Sanctorum suorum, de sua quasi non sollicitus, quippe satis superque suo lumine clarus. Hinc ad Iob seruum suum remittit Eliphan Themanitem, & socios vt oratione sua accersat illis veniam, *ite*, inquit, *ad seruum meum Iob, orabit pro vobis faciem eius suscipiam, vt non imputetur vobis stultitia*, Quasi scilicet non parciturus illis nisi hac interueniente prece. Nec dicas viciſsim non pauca postulamus Sanctis interpositis, quæ non assequimur. Nihil id moror quandoquidem multa quoque immediatè à Deo flagitamus, quæ iusto eius iudicio non impetramus, Iacob. 4. *petitis & non accipitis*, ex quo interim nemo inferre audeat eiusmodi preces esse irritas ac superuacaneas, quia ideo Deus interdum non largitur, quod petitur, quia instanter non petitur, aut si instanter, melius est nobis eius loco habere aliud quipiam ob idque illud negatur vt istud concedatur sicut & claudo aurum & argentum Act. 3. quod petebat vt sanitatem acciperet, quam non petebat: dicam amplius reuelet Deus alicui ex hypothesi fore vt consequatur, quod postulauerit nullo accersito Sanctorum patrocinio, adhuc argui non debet orando Sanctos, quasi inani aut inepta vtens circuitione, quia ad hoc saltem prodesse poterit eiusmodi patrocinium vt citiùs obtineatur. Exemplum, promiserat Christus Matth. 8. Centurionis filio sanitatem dicens *veniam & curabo illum*, nihilominus instante illo accelerauit sanare eum, nec distulit sanitatem quovsque ad domum perueniret, sed statim contulit inquiens, *vade & sicut credidisti fiat tibi*.

Sed neque sunt interdictæ, nam si sunt, proferatur vel vnus interdicti locus, & dabo manus Commendatas potius oportet dicere, tum ob verba illa indefinita Iob 5. ad aliquem Sanctorum conuertere, quæ etsi de solis Sanctis nondum vita functis intelligenda esse peruinceres, satis tamen nos admonent æquæ fas esse, ne dicam magis implorare patrocinium in cœlo existentium, vt intelligit Ecclesia à spiritu sancto edocta.

Deo denique iniuriosæ non sunt, quia iniuriam illi afferre dici nequeunt, nisi quia nullas præterquam ad se dirigi voluerit, vel quia indicent nos non satis diuinæ confidere liberalitati ac prouidentiæ. Neutrum autem dici potest, non primum, quia preces omnes terminantur, & diriguntur vltimate ad Deum vt docui, & preces ad Sanctos directæ transitorie & relatiuè, vt ad Deum permeent differunt ab iis, quibus se vnum coli iubet, adeo vt si preces, quas ad Sanctos dirigimus, Deo offerrentur non iis coleretur, sed dedecore magno afficeretur, Sanctos enim compellamus vti precatores,

res & interuentores; Deum verò vti datorem omnium bonorum.

Secundum, non sapit diffidentiam, sed modestiam & humilitatem non audentis immediatè Deum alloqui; hoc autem placere Deo intelligimus ex Deut. 5. vnde cum dixisset populus hac motus reuerentia. *Tu magis accede, & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisque ad nos, & audiemus, & faciemus ea:* intulit Dominus, *Audiui vocem populi huius, benè omnia sunt locuti, quis det talem eos habere mentem, vt timeant me.* & Ioan. 13. *Petrus non est ausus immediatè Christum interrogare de proditore, sed Ioannem mediatorem adhibuit.* Adde, quod satis constat ex beneficiorum collatione probari sibi Sanctorum intercessionem, quia hac ratione majorem Deo conciliamus existimationem indicando tantam illius esse majestatem, vt eam à peccatore qualem quisque se reputare debet immediatè adiri non multum deceat. Denique talem Deus stabiliuit ordinem inter creaturas, vt non nisi subalternis interpositis stet harmonia mundi, & causæ vniuersales non influant, nisi mediantibus aliis causis secundis. Non omittam morem Principum, quos adire solemus mediantibus Dynastis & Aulicis; hoc autem in bonam partem accipiunt Principes.

Dices, iniuriam fieri Christo, qui 1. Tim. 2. dicitur. *Vnus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Si ergo solus ipse est Mediator, iniuriam ei facit, quicumque per alium ad Deum accedit. Tum Matth. 11. Christus dicit. *Venite ad me omnes qui laboratis, & Ego reficiam vos.* Infirmiores autem exquirunt exquisitos Medicos; iure ergo peccatores ad Christum recurrere debent.

Respondeo, Sanctorum interuentionem nullo modo derogare qualitati Mediatoris, quæ Christo Domino competit, quamquam illi Paulus tribuit, tum quia loquitur ibi Paulus de mediatione Redemptionis, quod ex sequentibus verbis patet, *Qui dedit semetipsum Redemptionem pro nobis.* Qua ratione solus & vnicus Mediator est Christus. Tum quia quocumque modo dicatur Mediator, semper hæc illi dignitas salua & integra manet cum Sanctorum intercessiones & interuentiones, non nisi ex ipsius Christi meritis, & ex illorum vnione cum Christo, vt capite valorem hauriant. Vnde quantuncumque Ecclesia Sanctorum suffragia apud Deum impendat, semper tamen Orationes, ac petitiones suas concludit his verbis. *Per Christum Dominum nostrum.* Ex quibus euidens est Sanctorum mediationem nullatenus officere dignitati Christi; imò vim omnem suam ab eius mediatione accipere.

Ad Matth. Respondeo, ibi non agi de oratione, sed de fide & charitate Christi suscipienda, cum Christus doctrinam salutis præscribat, *Venire* ergo *ad Christum*, hic est suscipere fidem, & se submittere Euangelio.

Dices, Inuocatio Sanctorum cedit in Dei iniuriam; nam Rom. 10. dicitur. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt.* Ergo ille solus inuocatur in quem credimus, non autem credimus, nisi in Deum. Ergo, vel solum Deum inuocare habemus, vel Sanctos faciemus Deos.

Respondet Bellarminus, ibi agi de Inuocatione, qua aliquis inuocatur, vt Deus & primus author bonorum; præcedit enim: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Dico præterea reuera, sicut Deum non potest inuocare vt Deum, qui in eum non credit, id est, qui eum non credit esse Deum, & qui ei non credendo non sperat in eo; nec eum diligit, ita etiam eum non posse Sanctos inuocare, vt Sanctos & amicos Dei, qui suo modo in eos non credit, id est, non credit esse Sanctos, nec in eis sperat, vt in patronis, nec eos, vt tales diligit.

Dices, Matth 6. & Luc. 11. *Cum Christus cessasset orare, discipulus quidam dixit ad eum, doce nos orare, & ait, Cùm oratis, dicite, Pater noster, &c.* Pater igitur inuocandus est, vt Christus fecit Ioan. 12. & 17. *Pater clarifica me.* Non igitur Angeli aut mortui inuocandi sunt.

Respondeo, cùm Christus docuit orare, non de eo qui orandus est, sed de iis rebus quæ petendæ sunt admonere voluit discipulos; satis enim constabat Deum esse orandum, & solum etiam Deum eum author bonorum quæritur, sed de modo orandi, siue de rebus petendis Apostoli ambigebant, cùm dicerent, *Doce nos orare.* Tum cùm Orationem Dominicam ad solum Patrem referendam exprimant verba Christi, & velint Nouatores. Quæro, liceat ne Filium, & Spiritum-Sanctum inuocare? Respondebunt licere, vt docent Magdeburgenses, & ex Baptismi forma euincitur. Non ergo concludit argumentum, Christus verbo & exemplo solum Patrem inuocari docuit. Ergo Filius, & Spiritus-Sanctus non sunt inuocandi. Addo, nec tunc opportunum fuisse loqui de Sanctis, cùm nondum apertum esset cælum, nec quisquam introiisset: inuocatio Sanctorum, est vna de veritatibus à Spiritu-Sancto post Pentecosten reuelatis, de quibus Christus dixerat, ille docebit vos omnem veritatem.

Instat Caluin. lib. 3. Instit. cap. 20. § 23. *Vnde vermibus tanta licentia, vt Deo patronos obtrudant, quibus munus iniunctum legitur?*

Respondeo, non facimus Sanctos causidicos, siue patronos eius generis, cuius sunt hic in terris, qui iure agunt causásque defendunt quique non misericordiam, sed iustitiam petunt, hos enim à Magistratibus admitti necesse est. Tribuimus autem Sanctis illud solum munus, quod hic familiares Principum habere notantur, qui sæpe pro miseris intercedunt, nec vlla noua facultate ad id faciendum egent.

Dices, hæc inuocatio plena est superstitionis & Paganismum reducit in Christianismo. Ergo amandanda. Probatur; nam ad imitationem Paganorum & Tutelares. Sancti ne dicam Dij coluntur & curationes particularibus assignatæ magna cum superstitione ab illis exquiruntur, imo officia & Missæ propriæ leguntur pro diuerso officio & præsidentia Sanctorum, cùm tamen in primitiua Ecclesia Deus solus inuocaretur & ad nullum aliud quàm

quàm ad ipsum vel Christum preces dirigerentur Cultus Ethnici imitatio. Probatur: diuersi erant Paganorum Tutelares, Babylonij Belum, Ægyptij Isim & Ositim, Africani Neptunum. Rhodij, solem habebant. Samij Iunonem, Paphij Venerem Delphij Apollinem Romani. Quirinum, Athenienses Mineruam Ephesij, Dianam colebant Similiter Papistæ suos habent Tutelares, Galli S. Dyonisium, Hispani, Iacobum, Alemani Georgium, Heluetij S. Mariam, Romani S. Petrum, Mediolanenses Ambrosium, Veneti S. Marcum, Parisienses S. Genouefam. Sic Pagani Deos elementares habebant, Iouem cœli & ignis, Iunonem terræ, Neptunum Maris, Plutonem terræ & inferorum.

Papistæ inuocant Agatham pro igne, Nicolaum pro Mari, Valesianum & Theodorum procellis præsidentes colunt.

Pagani Deos fructibus terræ assistentes venerantur Apollinem, pro quolibet genere, Bacchum pro vino, Cererem pro frumento, colitur & inter Papistas, Iodocus pro fructibus, Vrbanus pro vino, Pagani bestiis ipsis Deos assignarant, Apollinem & Pana. Plures notamus inter Papistas nimirum N. ouibus Eligium equis, Pelagium bobus, Antonium porcis, Pagani artibus mechanicis, & liberalibus singulares addixerant, Apollinem, & Mineruam, pro litterarum studiosis, Vulcanum pro fabris ferrariis, Æsculapium pro medicis, Martem pro militaribus, Dianam pro venatoribus, Castorem & Pollucem pro nautis, seu naucleris, Venerem & Floram pro meretricibus Ita & in Ecclesia Romana Gregorius & Catharina Patroni agnoscuntur, Litteratorum, Lucas pictorum, Cosmas, & Damianus Medicorum, Iuo Causidicorum, Eligius Marescallorum, Crispinus Sotulariorum, Gutmanus Sutorum, Guarus Figulorum, Eustachius Venatorum, Magdalena Luxuriosorum. Notantur denique inter Paganos specialibus morbis præfecti Dij Apollo epidimiæ, Hercules morbo caduco, Lucina partui, & generaliter vniuersis morbis Æsculapius. Ita Sebastianus & Rochus inuocantur hodie contra pestem, Petronilla contra febres, Apollonia contra dolorem dentium, Liberius contra calculum, Valentinus aduersùs morbum caducum, Anastasia reclamatur pro dolore capitis, Margareta pro dolore partus, Ioannes Euangelista, & Benedictus pro veneno, Otilia pro albuginibus oculorum, Erasmus pro colicis doloribus, Blasius pro faucium occlusione. Quin imò vestitus & ornatus Deorum datus est Sanctis Geniales, seu Dij Penates canem à latere habebant, hoc notatur in imagine Rochi. Iani figuræ dabatur clauis in manus, hoc in Petro animaduertitur, Iupiter Amon cornutus depingebatur, sic & Moses, Isis cytharam gestabat, Geruasius habet cimbalum, Circuli, quibus caput Sanctorum obduci solent, quid repræsentant, quam vmbellam & capitella, quibus statuæ Deorum à puluere præseruabantur.

Sed quis, vrget quidam Apostata, imitationem Paganismi non videt in conformitate festorum Romanensium cum celebritatibus Ethnicorum? Isti habebant Lupercalia, Agonalia, Carmentalia, Consualia, Compitalia, Imperialia, pari modo notantur in Ecclesia Romana festa publica, popularia & familiarum, seu Ordinum particularia, vti olim Claudiani, Æmiliani suas habebant ferias immobiles, quæ certis & statis diebus agebantur, solemnes & anniuersariæ pro Diis majoribus, pro minoribus, pro cælestibus, pro infernalibus, & pro iis quos tanti facit Plautus, nonne in diebus consecratis Patronis suis conuiuia faciunt; Ethnicorum more, vt videre est in minimo claustro, vel confraternitate, quæ tamen olim omittebant Christiani, vt notat Augustinus libro 8 ciuit. cap. 27. quæ & interdixit Ambros. teste eodem Augustino 6. Confess. cap. 2. quia Paganismum redolebant, & parentalibus eorum, seu funebribus festis conformia videbantur. Romani festum Stultorum, Quirinalia dictum agebant, die 18. Februarij; Ecclesia Romana festum Innocentium agit post natale. Festum Candelarum successit Februaliis Lupercalibus, Proserpinalibus & Floralibus, quæ eodem die celebrari solita erant cum luminaribus & cereis in honorem Cereris & Proserpinæ tota nocte accensis, si qua fortè hæc afflicta mater filiam ad tantum splendorem reperire posset Processiones, item per Vrbes & Campos non omittebant: Loco Iani indictum est festum Circumcisionis Domini, & celebritas Epiphaniæ, seu trium Regum ortum duxit à festo Ethnico Saturnalium, quod eodem die & ritu agebatur. Festum Martis Deorum magno cum apparatu colebatur in principio Veris magna hæc mater Cybeles primum in Pantheon Romano locum obtinebat, & commemorationem omnium Deorum trahebat, túncque principaliter omnia genera ludorum & laruarum fiebant, in quibus effrænata impudicitia exercebatur Ecclesia Romano huic subordinauit festum Virginis Mariæ: Nemo tamen ignorat quam effrenatè & scandalosè Catholici specialiter Romani mense integro ante Quadragesimam Bacchanalia agant. Item Ethnici Romani certis diebus dictis Palilij; quia consecrati erant Deæ Palis Pastorum & Pascuorum præfectæ circuibant caulas & greges, certos exorcismos obmurmurando, vt inde ouibus benè esset per annum, & Pastores aliique ignem transiliebant. Nonne hæc est cæremonia vigiliæ Sancti Ioannis Baptistæ. Festum vinculorum Sancti Petri successit diei consecrato catenæ aureæ Augusti, sicuti & festum Cathedræ Petri subrogatum est diei quo Pagani cibos cum vino offerre solebant Diis super tumulos parentum, vnde olim hoc festum vocabatur conuiuium Sancti Petri Pagani festa celebrabant pro vini conseruatione, hoc datur Sancto Martino, & Rogationes nonne locum obtinent Robigaliorum festorum ad conseruationem annonæ indictorum. Denique hæc Kyriela, seu diuersitas Festorum duplicium, semiduplicium iure successionis hæres legitima & filia Paganæ solemnitatis agnoscitur.

Nec prætermittenda iniqua superstitio qua falsò & mendaciter proponuntur multi inuocandi, qui non modo non Sancti, sed nec homines fuerunt, phantasmata & figmenta Doctorum mendacij, vt sunt Christophorus præcelsæ staturæ transuadans flumina sine periculo, cuius imago in porticibus Templorum portæ Christum communitur propria est, cuius tamen

tamen historiam Baronius verificare non potuit, & Bellarminus lib. 1. de Ecclesia triumphante incertam admittit, solâque temporum memoria celebrem. Fingitur Sanctus Georgius armis conspicuus, qui draconem virginem deuoraturum lancea occidit, quod quam falsum sit testatur Bellarminus in Annotationibus Martyrologij, repræsentationem hanc mysticè exponens & temeritatis insimulans authorem Legendæ aureæ, qui hæc sine probatione quasi historiam proposuerit; imò Gelasius Papa Canone *Sancta Romana*, dist. 15. historiam Sancti Georgij inter Apocryphas numerat; si Georgium Cappadocem pro Sancto habent, certum est inuocari hæreticum, qui cum Arrio negabat diuinitatem Christi, vt testatur Athan. in Apologia fugæ suæ. Fictitia est historia Sanctæ Catharinæ, quæ Virginum Martyrum catalogo inseritur, & filia Regis Alexandriæ, qui Costus dicebatur, liberalibus disciplinis instructissima & quinquaginta Philosophorum à Maxentio vocatorum ad Virginem conuincendam, & ad Christianismi eiurationem compellendam victrix celebratur, vnde & Litteratorum Patrona habetur, quæ Maxentij iussu occisa fuerit, cuius corpus per Angelos in monte Sinai traductum fuerit. Hæc omnia sine testimonio authentico admittuntur.

Idem planè dicendum de Sancto Dionysio, quem multi cum Methodio scribunt capite truncatum Parisiis & dissectum caput detulisse integro milliari: hodie recognitio historiæ & exactum computum conuincunt illud erroris: siquidem antiquissimus omnium in Galliis Historiographus Sulpitius Seuerus probat nullum fuisse extinctum martyrio in Galliis tempore Domitiani, idque tantùm cœpisse sub Marco-Aurelio filio adoptiuo, simul cum Lucio Vero Antonini Imperatoris, cui successit anno Christi 63. à morte Domitiani 66. Ex quibus omnibus aliisque similibus patet, quàm superstitiosè, abusiuè, & suppositiuè Inuocatio Sanctorum habeatur in Ecclesia Romana, quæ nec certa est de Sancta Vrsula, & sociis eius.

Respondeo, exinanitam omninò fœcem hæreseos in præfato historiæ temporum & Paganismi examine, quare nec amplius inde hauriant peccatores terræ, sanctitatis & Ecclesiæ Dei Aduersarij.

Dico primò nullo modo Sanctos pro Diis haberi, aut coli à Catholicis, nec ad eos recurri terminatiuè, sed oratores, precatores, postulantes existimari, qui orationes supplicantium Deo per Christum offerant; nam is alium non orat, quam Deum, aut Christum, qui aliquem orat de membris, seu amicis Christi, vt pro ipso ad Christum intercedat, & oret.



ARTICVLVS XXXII.

Hosque Orationes pro nobis offerre.



OVATORES, Euangelij, vt ipsi se dicunt, sectatores & religionis reformatæ Professores, in tribus eorum dogmatibus laudandos non inficior In eo quo mirificè exaltant summam Dei Optimi Max. Misericordiam. In eo quo defectus hominum & imperfectionem actionum humanarum, non diffitentur. Et in eo quo omnia quæ ad salutem conferunt meritis & satisfactionibus vnius Redemptoris & mediatoris Christi religiosè adscribunt. Sed proh dolor! & vanitas fragilitatis humanæ, semen bonum seminasse & bene sic de Deo sensisse perhibentur. At Satan qui in veritate stare non potuit, nec homines in ea ferre, non potest animaduertens eos nimia inductos & seductos philautia, persuasit ipsis tres ex aduerso errores quibus primæua eorum laus tota corruit simulque in eodem subiecto reprehensibiliores facit quàm prius essent commendandi. Is enim ex summa illa spe & confidentia de bonitate Dei iampridem concepta præsumptionem de misericordia eiusdem formauit. In abiectione actionum humanarum, proscriptionem bonorum operum fundauit, & ex meritis & copiosa redemptione Christi, intercessionem & orationes Sanctorum cum eo regnantium explodere non est veritus, sicque electorum qui ruinas eius in cœlis implent gratiæ & gloriæ pertinaciter inuidus ignem accendit in terris, Christianismum in fauillam pene redacturum, nisi obstaret efficax oratio Christi fidem Petri & Sanctorum venerationem inconcussam retinens.

Profitetur equidem Ecclesia Catholica Christum mediatorem vitæ æternæ & aduocatum fidelem & præpotentem apud Patrem pro fidelibus. Sed simul admittit Sanctos consortes gloriæ, sollicitos esse ex charitate de viatorum salute eosque multum orare pro populo & vniuersa Sancta ciuitate, quod præsens articulus declarabit.

QVÆSTIO PRIMA.

An & quomodo Sancti cognoscant preces mortalium.

QVòd Sanctis Spiritibus cum Deo in cœlis regnantibus conueniat re ipsa per gratiam & virtutem Dei orationes & desideria nostra cognoscere, vix dubitant qui statum beatitudinis eorum percipiunt. *Non veneramur Sanctos*, scripsit olim Theodoretus lib. 8. de Martyribus. *Quasi Deos. Sed oramus eos vti homines diuinos vt pro nobis intercedant.*

PROPOSITIO CATHOLICA.

SAncti cognoscunt preces & vota viuentium.

Probatur ex Scriptura 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est, & similes ei erimus.* Cor. 13. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*, id est alios cognoscam sicut meipsum cognosco, vel potius sicut Deus meipsum nouit. Tobiæ 12. constat Angelos nosse hæc inferiora. *Ego sum Raphael Angelus, quando orabas obtulio rationem tuam Domino.* Hoc idem Apoc. 8. confirmatur. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* At Matth. 22. dicitur. *In resurrectione homines erunt sicut Angeli in cælo.* Angeli autem orationes nostras non possunt offerre quin eas nouerint. Ergo homines Angelis æquiparati eas cognoscent. Daniel. 9. Gabriel. qui apparuit dixit ei.

Ex

Ex exordio precum tuarum veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum ei & cap. 10. *Noli metuere, ego veni propter* pœnitentialem afflictionem tuam & *sermones tuos.* vide Angelum nosse cordis cogitationes & pœnitentiam quæ coram Deo in secreto fit, Luc. 15. *Gaudium erit in cælo coram Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente.* Ex quo loco duo colligo, alterum quod gaudent Angeli de pœnitentia peccatorum existentium in terra. Alterum quod gaudent ipsi existentes in cœlo. Cum ergo gaudium sit passio quæ ex consecutione rei desideratæ in appetitu rationali gignitur (nemo enim propriè gaudet nisi quando rem desideratam cognoscit se consecutum) cognoscunt ergo creaturæ cælestes in cœlo pœnitentiam quam faciunt peccatores in terra, quæ cum in displicentia peccatorum & actionibus internis animæ principaliter consistat, sequitur Angelos beneficio Dei agnoscere intima cordis hominum, non in vno loco duntaxat existentium, sed in quibuscumque locis 1. Cor. 14. *Prophetia occulta cordis manifesta fiunt* quod 4. Reg. 5. testatur Eliseus ad Giezi *Cor meum* absens cum essem *erat tecum.* Paulus autem 1. Cor. 13. testatur lumen gloriæ perfectius esse prophetiæ spiritu, *Cùm autem venerit quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est.* si autem Eliseus absens vidit quod faciebat Giezi à fortiori Sancti in gloriæ lumine videbunt quæ fiunt in terris & præsertim preces ipsis factas.

Probatur ex SS. Patribus Basil. lib. de vera Virginit. *Nullus est eorum* Martyrum aliorumve Sanctorum. *Qui vbique omnia non videat.* Ambros. lib. de viduis. *Sancti* inquit, *Præsidentes & speculatores sunt actionum nostrarum.* Prospero lib. 1. de vit. cotemplat. cap. 4. *Nihil secretum occultum erit perfectè beatis, mira res! Deum ipsum pura mentis acie videbunt.* Greg. Mag. in Iob. *Nullatenus dubitandum est animas quæ in ipsismet Dei claritatem vident, quin omnia exteriora mundi discernant.* quid enim nesciunt in hac æterna hæreditate qui sciunt Deum omnia scientem! August. in soliloquio. *Quoties rectè agimus lætantur Angeli* & epistola 6. ad Italicam expresè affirmat beatos Spiritus post mortem se inuicem cognoscere vsque ad mentis penetralia; quod si August. lib. de cura pro mort. cap. 16. dixerit. *Non ideo putandum esse viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuuandis Martyres adsunt, sed ideo potius intelligendum est quod per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus intersint, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt.* Hoc suam habet distinctionem de cognitione & conuersatione naturali, à qua alienati sunt: habent autem supernaturalem cognitionem.

Probatur Ratione: non repugnat Sanctorum Spiritibus cognoscere desideria & preces nostras quà Spiritus aut quà creaturæ, nam Angelis qui creaturæ & Spiritus sunt hoc tribuunt Scripturæ loc. cit. & Luc. 15. Vide quæ dixi de Verbi diuini productione fol. 138. quod de se repræsentatiuum est, consequenter in eo percipiuntur & repræsentantur vota nostra. Tum Luc. 16. anima Epulonis in inferno sepulti videt Abraham à longe & pauperculum Lazarum in sinu eius quem deprecabatur, vt sui misereretur, vnde huic tam perspicax cognitio, quòd cum magnum & ingens chaos esset inter animam Sancti Abrahæ & ipsum, tam longè ipsum cognosceret & deprecaretur. Et vnde animæ Abrahæ tam viuax & potens auditus, vt epulonis animam posset audire & cum eo colloqui, insuper quod quinque fratrum suorum in terra viuentium recordaretur illa anima damnata, adeo vt illos viuentes tunc intelligeret! profectò hæc vera historia manifestam cognitionem eorum quæ ad nos pertinent in separatis animabus clarè ostendit, & tantam quidem, quanta sufficit ad earum beatitudinem vel miseriam pro qualitate suorum operum statuendam.

Modus apud Theologos varius assignatur S. Thom. 3. parte quæst. 10. & secunda secundæ quæst. 83. art. 4. docet Sanctos videre in Deo omnia à principio suæ beatitudinis quæ ad ipsos aliquo modo pertinent, & proinde orationes nostras ad se directas. Alij tunc solùm eas reuelari quando eas fundimus. Sic enim Prophetæ Deo reuelante cognouerunt futura, & multi sanctorum donum habuerunt, quo cogitationes & facta occultissima cognoscerent, vt de Samuële 1. Reg. 9. de Elisæo 4. Reg 5. & de Petro Act. 5. & de aliis narratur. Atque ex his duabus sententiis prior videtur ait Bellarm. probabilior, quia si Sancti indigerent noua reuelatione, Ecclesia non diceret ita audacter omnibus Sanctis. *Orate pro nobis,* sed peteret aliquando à Deo vt eis reuelaret preces nostras. Deinde non posset reddi ratio tam facile cur Sancti nunc inuocentur, & ante aduentum Christi non inuocarentur.

Dic si velis Sanctos cognitione naturali pro illo statu, nosse preces quæ actu exteriore fiunt, supernaturali autem eas quæ sola mente nostra concipiuntur, vel vtrumque genus nosse in verbo, seu intuendo essentiam diuinam.

Dices ex Scriptura mortuos ignorare quæ hic fiunt, Iob. 14 Eccles. 9. Isai 63. 4. Reg. 22. & Deum solum scrutatorem esse cordium 3. Reg. 8. Apoc. 2.

Respondeo prima loca intelligi de Patribus in limbo, quibus nondum collata erat visio Dei nec ordinariè dabantur reuelationes rerum istius sæculi.

Ad cordis notitiam Respondeo Deo soli propria virtute competere, Sanctis verò ex visione Dei aut per reuelationem.

Dices esto assiduè orent Sancti pro necessitatibus Ecclesiæ militantis, hæque illorum generales orationes multum valeant ad impetrationem gratiarum, quæstio est an indiuiduas inuocantium hic mortalium ad se directas preces quilibet Sanctorum intelligat & audiat, si vocales, ergo omnia genera linguarum mox à beatitudine percepta callere debent. Si solo corde conceptas, Ergo scrutatio cordis non est amplius perfectio quæ Deum à creaturis discernat, quam tamen Christus profert ad indubitatam fidem faciendam suæ diuinitatis, Apoc. 2. *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda* & Paralip. 6. dicitur de Deo. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.*

Respondeo constare ex Doctrina Christi

Sanctos futuros in cœlo sicut Angeli Matth. 22. *Erunt* sicut. *Angeli Dei in cœlo* quod & habent Marc. 12. Luc. 20. Videmus autem in energumenis omnia genera linguarum, cur minus sciant beati in statu perfectionis ? Quod si Deus solus dicitur scrutator cordium, dicitur pariter. *Solus habet immortalitatem*, 1. Timot. 3. quod tamen non est in præiudicium immortalitatis Angelorum, & animæ rationalis, quod enim Deus possidet essentialiter ex se, Angeli & animæ habent per participationem, in quantum Deus eam illi confert, sicque respondeo de notitia concessa Sanctis in lumine gloriæ in cælo, & in terra Prophetis per donum Prophetiæ 1. Cor. 14. *Occulta cordis eius manifesta fiunt.*

Instabis intelligibile esse, quod creatura cuius operationes & duratio successione mensurantur, possit in momento innumeras nosse & audire orationes ab innumeris locis & personis protensas: hoc sane videtur vbiquitatem exigere, quæ nec Angelorum nec hominum Spiritibus congruit.

Respondeo mendaces esse stateras mortalium hominum ad operationes hominum beatorum æqua lance expendendas, quas. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor ascenderunt.* Petrus 2. epistola 1. Diuinæ consortes naturæ efficiendos asserit homines. Ioan. 1. Epistola 3. *Similes Deo futuros* scribit. Christus ipse Apoc. 3. *Eos in throno suo sessuros*, id est participatione gloriæ suæ fruituros declarat, quidni ergo si de Christo non dubitatur nosse, quæ vndequaque offeruntur ei vota & supplicationes, de Sanctis ambigitur. Tum ex Tobia 12. scimus Raphaëlem obtulisse Deo orationes Tobiæ quas prænosse oportuit, & Apoc. 8. constat, *Angelos offerre ante thronum Dei orationes Sanctorum* tecolatur quæso quod 1. Cor. 13. Paulus docet. *Cum autem venerit quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est*, id est imperfectio & limitata cognitio intellectus creati qui tunc in lumine gloriæ plura simul intelligit, quid ni? *Si videntem omnia videt.*

At inquies, data à Sanctis applicatione intellectus & attentione ad infinitas supplicationes, interrumpitur eorum quies & fælicitas quæ eos penitus in Deo absorbet.

Respondeo imperitam hanc esse consequentiam, quæ prouidentiam Dei attingentem quaslibet creaturas, eisque intendentem conuellit, sic pariter destruitur beatitudo Angelorum, de quibus dicitur. Heb. 1. *Omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Si charitas reciproca, qua inuicem loquuntur modo suo, & qua mortalibus intendunt, auerteret eos à diuino obiecto. Vide quæ dixi de visione creaturarum in verbo. Ad instar ergo Dei (cuius immutabilitas, æternitas & simplicitas rerum omnium notitiam & curam compatitur, quia eminenter & sine imperfectione continet omnia & antropopathos multæ enunciationes de Deo admittuntur, vt quòd pœniteat eum v. g. de homine facto Genes. 6. Quòd hominem amet, quòd peccatorem oderit &c.) intellectus creatus Angeli vel hominis iuxta mensuram beatitudinis nouit in Deo per species impressas, quæ quasi lineæ terminantur in centro, quæcumque ad statum eius pertinere potest notitia, qualis sine dubio admittenda est eorum quæ ad eos diriguntur.

Dices multos SS. Patres dubitasse de hac Beatorum notitia precum nostrarum Hiero. Epistola ad Nepotian. *Quàm felix est Nepotianus qui hæc terrestria non videt.* Augustin. lib. de cura pro mortuis cap. 13. *Si parentes* non intersunt qui sunt alij mortuorum, qui nouerunt quid agamus, quid verò patiamur ? Isaias Propheta dicit Abraham nos nescivit & Israël non cognouit nos. Gregor. Nanz. in orat. ad Gorgoniam sororem suam, Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc Sanctis animis à Deo munus vt talia rescifcant suscipe nostrum sermonem epitaphiorum loco.

Respondeo Hyer. & August. loqui de cognitione & conuersatione naturali, id enim ibi solum contendunt mortuos non conuersari nobiscum, nec esse sollicitos de rebus nostris, nec eas cognoscere sicut faciebant cum hic viuerent, nam quod supernaturaliter diuina reuelatione sciant quæ his aguntur docet apertè August. ibidem cap. 15. Illud (Si) Gregorij non est dubitantis, sed affirmantis vt cum Paulus ad Philemon. dicit. *Si habes me socium suscipe illum.* Nam Greg. passim asserit Sanctos nostra videre vt orat. in Athanasium illud vero. Si affirmatiuum esse euinco ex eodem Greg. orat. 53. cum dicit, si negotiis nostris præsidet prouidentia diuina, notunt enim Grammatici substitutum si pro nam, cum ipsemet omne dubium excludat loquendo de Sancto Athanasio. *è cœlo omnia nostra videt, hoc non ignoro.*

QVÆSTIO II.

An Sancti orent in cœlo pro nobis.

Fundamentum præcipuum Inuocationis Sanctorum, est interuentio ipsorum, & præsupposita certitudo, quod clientum preces ipsi nouerint, aliàs viatores non ambirent illorum opem, ne ambiendo operam perderent, & consilio Ecclesiastici repugnarent cap. 32. *Vbi non est auditus, ne effundas sermonem.*

PROPOSITIO CATHOLICA.

Sanctis defunctis, pro nobis intercedunt non solùm in genere, sed etiam in particulari.

Probatur ex Scriptura. Hyerem. 15. dixit Dominus ad me. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo Moses & Samuel iam mortui poterant & solebant orare pro populo Iudæorum, & hic locus satis indicat curam esse Sanctis particularem de rebus nostris.

Respondet Caluin. colligi potius contrarium, nam significatur eos non stetisse scilicet ad orandum, & si isti præcipui Prophetæ non orabant, quantò minus alij.

At contra, quia etsi fortè significatur eos tunc non orasse, quia intelligebant rem esse iam desperatam, tamen significatur eos aliàs orare consueuisse, quando se impetrare posse putabant,

bant, alioquin inepta eſſet hæc Dei loquutio. 4. Reg. 19. *Hæc dicit Dominus de rege Aſſiriorum, non ingreditur ciuitatem hanc & ſaluabo eam propter, & propter Dauid ſeruum meum:* quod non diceret niſi Sanctorum merita poſt mortem, Deum inclinarent vt ciuitatis illius miſereretur quæ verba Chryſoſt. hom. 11. in Pſal. 1. tractans ait *ô rem admirandam & ineffabilem clementiam Dei Dauid mortuus eſt & Eſechiæ viuo patrocinatur, ô iuſtorum etiam poſt conſummationem impugnabilis pugna virorum Dauid mortuus eſt, & poſt mortem ſuam inuenitur viuentibus tam grande præſtitiſſe ſolatium.* Nec torqueri poteſt hoc exemplum ad repromiſſiones quæ factæ fuerant Dauidi de Meſſia naſcituro, vt propter has nolit Deus perdere ciuitatem, non propter ipſius orationem & merita; nam executio Incarnationis non pendebat à defenſione Hieruſalem, quæ tunc obſidebatur, nam poſtmodum capta fuit, nec propter hoc impedita fuit promiſſio Dauidi facta; loquitur ergo planè deliberatione ab obſidione Aſſyria, quæ Dauidi non fuerat repromiſſa meritis tamen eius tunc conceſſa 2. Matth. vlt. Iudas in viſione quadam vidit. *Oniam Pontificem & Hieremiam Prophetam, qui tunc obierant orantes pro populo Iudæorum.* Apoc. 5. 24. *Seniores dicuntur offerre orationes* pro infirmorum, vt exponunt Patres apud Oecumenium ſtabilitate Luc. 16. *Epulo orat pro fratribus.* Ergo magis orant, iuſti pro fidelibus. Apoc. 6. *Animæ Martyrum petunt vindictam de interfectoribus ſuis*, ergo multo magis petunt miſericordiam pro fratribus ſuis. Reſpondet Brentius has orationes intelligi figuratè; Sancti enim dicuntur clamare ad Deum, quia preces quas effuderunt viuentes reſonant adhuc in auribus Dei. At Epulo dum viueret non orauit pro fratribus & Martyres non petebant hic vindictam de perſecutoribus, ſed potius vt eis ignoſceretur, Ergo oratio qua petunt vindictam noua eſt, nam dum viuerent, quia peccare poterant & periculum erat, ne ſi vltionem peterent, id facerent ex cupiditate non petebant: nunc autem eam petunt intuitu & amore iuſtitiæ ait Beda 2. Petri 1. *Dabo operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Hinc SS. Patres colligunt apud Oecumenium Sanctos poſt obitum gerere curam viuentium, opera enim quam Petrus poſt mortem pollicetur nulla eſſe poteſt, quàm per interceſſionem ad Deum & liquet ex textu quòd cum dixiſſet inſtare ſibi mortem & credentes ad conſtantiam, fuiſſet adhortatus conſolari eos voluerit quaſi gementes ob inſtantem tanti paſtoris abſentiam, hoc autem facit promittens illam ſuam erga eos prouidentiam.

Adde communionem Eccleſiæ triumphantis cum militante toties inculcatam Heb. 12. Eph. 2 Galat. 4. Communio autem iſta exigit, vt membra pro inuicem ſollicita ſint & inuicem ſe iuuent, cùm ſint ſub vno capite Chriſto viuentia, vt docetur Rom. 12. & 1. Cor. 12.

Quod autem Sancti orent non ſolum in genere pro fidelibus, ſed etiam in particulari, probatur ex ſpeciali cura quam Scriptura Angelos de nobis habere teſtatur Tobiæ 12. Zachar. 1. Apoc. 8. Daniel. 10. Pſal. 90. Matth. 18. quam ad Sanctos pertinere non eſt dubium, quia ſunt membra Eccleſiæ nobis magis coniuncta, quàm ſint Angeli, & experti ſunt miſerias & pericula noſtra Luc. autem 20. dicitur de beatis erunt ſicut Angeli & Apoc. 2. Chriſtus promiſit regentiam populorum beatis. *Qui vicerit dabo illi poteſtatem ſuper gentes & reges eius.*

Probatur ex SS. Patribus Cornelius Martyr. & Papa tempore Decij Epiſtola 2. ad fideles. *Accepimus* inquit, *Corpus beati Apoſtolorum principis Petri, & condecenter poſuimus illud iuxta locum, vbi crucifixus eſt inter corpora Sanctorum Epiſcoporum in templo Apollinis, in monte aureo, in Vaticano palatio Neronis. 3. Calend. Iulij orantes Deum & Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, vt intercedentibus ſuis Sanctis Apoſtolis maculas peccatorum veſtrorum purget, & in fructu boni operis vos perſeuerantes reddat.* Orig. hom. 3. in Cant. *Omnes ſancti qui de hac vita diſceſſerunt habentes charitatem erga omnes eos, qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur curam ſalutis eorum gerere & iuuare eos precibus ſuis atque interuentu ſuo apud Deum non erit inconueniens ſcriptum namque eſt.* in Machab. libro. *Hic eſt Ieremias Propheta qui ſemper orat pro populo.* Epiphan. & Euſebius in hiſtoria tripartita affirmant Ægyptios ſæpe liberatos fuiſſe oratione, & meritis Ieremiæ à morſibus aſpidum & crocodilorum, Baſil. Epiſtola ad Iulian. apoſtat. *Suſcipio* inquit. *Sanctos Apoſtolos, Prophetas, Martyres, qui pro me apud Deum ſupplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi ſit Deus.* Et orat. in 40. Martyres *ô cuneum inexpugnabilem, ô communes humani generis cuſtodes optimi curarum ſocij.*

Hilar. in Pſal. 124. *Neque deſunt ſtare volentibus Sanctorum cuſtodia, neque Angelorum munitiones.* Greg. Nanz orat. 20. in laudem Baſilij. *At nunc quidem ille in cœlo eſt pro populo preces fundens: neque enim ita nos reliquit, vt prorſus reliquerit.* Ambroſ. lib. 8. in Lucam. *Sicut Angeli proſunt, ita & hi qui vitam meruerint Angelorum.* S. Leo ſerm. 2. de anniuerſario ſuæ aſſumptionis. *Petrus* inquit. *Nunc plenius & potentius ea quæ ſibi commiſſa ſunt peragit, & omnes partes officiorum atque curarum in ipſo per quem glorificatus eſt exequitur.* Cyprian. lib. 1. Epiſtola 1. Chriſoſt. ſerm. de Iuuentio & Maximo. Hyer. hanc ipſam concluſionem ex inſtituto probat libro contra Vigilantium.

Auguſt. atteſtatur hoc dogma in pleriſque ſuæ doctrinæ locis lib. 11. quæſt. Exodi cap. 108. *Deus* inquit: *Propitiatur peccatis populi ſui orationibus ſanctorum Martyrum.* Extant ipſius familiares preces ad beatam Virginem. Meditationum cap. 24. hoc modo concludit. *Orate omnia agmina Sanctorum & vniuerſi cætus beatorum, vt veſtris precibus meritiſque adiuti ſalua naue & integris mercibus peruenire mereamur ad portum ſalutis perpetuæ.* Vide plura apud Authores.

Probatur Ratione, Si Sancti (præcipuè quando rogantur) non orant pro nobis id fit, quia preces noſtras non audiunt, nec neceſſitates norunt, aut quia nolunt iuuare nos, aut quia prohibentur, aut quia non poſſunt. Atqui audiunt & norunt ex ſuper. q. & volunt quandoquidem charitate feruent, & Deo pleni ſunt, qui eſt charitas atque ita de ſalute poſte-

rorum mitè sunt solliciti, siquidem. *Res est solliciti plena timoris amor.* Nec possunt non velle promouere opportuna salutis remedia. A Deo non prohibentur, cum Deus talem boni inhibitionem interdicat Prouerb. 3. *Noli prohibere benefacientem*, & Luc. 7. non increpauerit Christus seniores Iudæorum intercedere conantes pro Centurione eiusque seruo, data denique est illis potestas iuuandi superstites, quia alias deterioris essent conditionis, quàm mortales & falsò promitteret illis Christus, Luc. 22. singularem in cœlo participationem suæ iurisdictionis, & potentiæ dicens, *Dispono vobis regnum sicut disposuit mihi Pater vt sedeatis super sedes 12. iudicantes 12. tribus Israel*, Christus autem in cœlo præcipuè exerit vim suam iuuando mortales, Ioan. 16. *si abiero mittam paracletum*: Esset insuper graue ac per se indicens, si iam postquam peruenerunt ad locũ præmij minus posset, quàm cũ essent in loco laboris & meriti, & nequirent mortalibus par reddere à quibus multa bona acceperũt, nam & dolet nobis in hac vita si vim nobis deesse sentiamus iuuandi propinquos, aut amicos oppressos aut in periculo, maximè autem si auxilium nostrum implorent.

Christus quidem sufficientissimus est ad promouendam salutem electorum: postulat tamen prouidentiæ diuinæ suauis dispositio vt frater iuuetur à fratre, similis à simili, quare Raphael Angelus iussit Tobiæ iuniori vt obcæcati patris oculis fel piscis ad curationem admoueret P. ex apparitionibus Sanctorum, qui apertè testati sunt se orare pro nobis etiam in particulari vt referunt Basil orat de S. Mamante, Greg. Nazi. orat de S. Cæsario. Ambros. in serm. de SS. Geruasio & Protasio. Sulpitius in in vita S. Martini, qui omnes authores ante mille annos floruerunt.

Secundò legimus Luc. 16. Epulonem orasse pro fratribus suis ne venirent in locum tormentorum, maiori autem erga viatores zelo flagrare sanctos indubitatum est, & consequenter non deesse ipsis subsidi orationum. Adde, quod Apoc. 6. vindictam, & vltionem de tyrannis quærunt à Deo, *Vsquequo Domine sanctus & verax, non indicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Potiori ergo inclinatione mouentur ad conciliandam fratribus Dei misericordiam, cuius gratia gloriam possident hoc de Apostolis præfatur in Missæ Sacrificio Ecclesia Catholica in præfatione Apostolorum, quam sexto sæculo edidit B. Gregorius. *Vt iisdem Rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores.* Huic autem B. Gregorij consonat, quod scripsit S. Hilar. Psal. 124. *Neque desunt stare volentibus Sanctorum custodia, neque Angelorum munitiones.*

Tertio charitas in cœlo est in vltimo gradu pefectionis ergo anxia est de nostra salute, Ergo Sancti ab ea inclinantur ad orandum pro nobis. Tum certum est Angelos id facere etiam in speciali, Tob. 12. Zachar. 1. Apoc. 8. Daniel. 10 Psal. 90. & Matth. 18. Ergo multo magis id spiritus hominum beatorum faciunt, nam nihil deest eis eorum, quæ Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cùm sint præditi intelligentia & voluntate, & adsint semper Deo, & nos vehementer diligant, imò aliquid habent præ Angelis, quod sunt membra corporis Ecclesiæ nobis magis coniuncta expertique sint miserias, & pericula nostra. Nec dicas hoc argumentum concludere si ostenderimus sanctos hominũ spiritus hominibus præesse eosque custodire, vt palã est, de Angelis, nã

Respondeo hoc idem Christum promisisse Matth. 24. *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit sic facientem, amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum.* Bona enim Domini ait Hilarius Ecclesia est, Apoc. 2. *Qui vicerit & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes & reget eas in virga ferrea* & infra, *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo*, loquitur Ioan. hîc de spiritibus mortuorum, & loquitur de tempore ante resurrectionem, constat ex his *custodierit opera mea & reget.*

Quarto euincitur ex analogia communionis sanctorum in via, in qua frater adiuuatur, quæ sane maior esse debet in patria.

Dices, ex Heb. 7. *Christus accedit per semetipsũ, ad Deum sẽper viuens, ad interpellãdũ pro nobis*, ergo superflua est aliorũ intercessio.

Respondeo hanc instantiam derogare pariter communioni orationum inter viuos, quæ tamen superflua non creditur, licet oratio vnica Christi efficax sit; dico ergo certum esse Christum interpellare pro nobis apud Patrem, & ad Christi imitationem Sanctos ad Christum conuerti, & per ipsum ad Patrem.

Instabis vt quid petitur, quod actu fit, Christus orat pro mundo, quid facit sanctorum ad Christum oratio?

Resp. facere communionem Sanctorum, seu communicationem inter Ecclesiam triumphantem & militantem: hæc autem habetur expressa per orationes, vt probaui ex locis scripturæ.

Dices nulla extat mentio inuocationis, & intercessionis sanctorum ante tempora Cornelij Martyris, (quod ego viderim.)

Respondeo id fortè causatum ab humilitate & modestia Apostolorum. Quid enim dicerent, qui eos hanc docentes, audirent, nisi quod de se magna præsumerent, & se quasi Deos facerent. Cum, ergo toti intenti essent prædicationi & diuulgationi Euangelij, & aliarum rerum, quæ magis ad substantiam salutis attinebant (possumus enim saluari recurrentes ad Christum solum eiusque vnica intercessio salutem abundè conferre potest,) & captum etiam hominum excedebant, expectabant circa hæc apertam Dei voluntatem frequentiâ miraculorum non multo post declaratam, quam fortè Deus distulit vsque ad illa tempora manifestare in quibus post explosam idololatriam erant hæretici, qui carnis resurrectionem negabant, vel idem corpus, quod mortuorum fuerat suscitandum esse non credebant, quò magis fidem resurrectionis astruerent, cùm viderent ab ipso tanti fieri cineres sanctorum suorum vt dæmonia, & infirmitates eorum expelleret, & alia supernaturalia Deus ipse faceret. Nec enim omnia simul voluit Deus omnibus esse manifesta, nec cuncta dogmata statim prædicarunt, & docuerunt Apostoli, sed paulatim & successiue, Christi enim, & Spiritus Sancti diuinitas, eorum denique cum patre substantialitas non passim, neque omnibus in principio prædicabantur ab Apostolis, sed seorsum veluti solidus cibus cum aliis Mysteriis, quæ resultãt ex notioribus, tradebãtur defectis.

ARTICVLVS

ARTICVLVS XXXIII.

Atque eorum Reliquias esse venerandas.



ICET præcipuus honor & cultus Sanctorum in recta de eorum gratia & virtutibus opinione, & vitæ eorum imitatione consistat, vt rectè docent Sanctus Hieronymus & Augustinus, tamen ipsa naturalis ratio suadet, vt quorum sanctitatem admiramur, & virtutes cum Dei auxilio imitari conamur, corpora etiam, ossa & memorias, & quæ alia ipsorum Sanctorum propria fuisse videntur, Christiana quadam reuerentia veneremur & honoremus: Maximè cùm hæc sacra pignora frequenter assumantur à Deo ad ingentia patranda miracula, verbi gratia, ad morbos depellendos, ad abigenda dæmonia, ad mortuos viuificandos, quod sanè est magno ea afficere honore, & afficienda demonstrare: idque non sine causa; fuerunt enim corpora Sanctorum, dum in terris viuerent, habitacula Spiritus-Sancti, vt dicit Apostolus 1. Corinth. 6. Et post diem iudicij, cùm mortale hoc induerit immortalitatem à Deo coronabuntur, gloria & honore. Piam & religiosam hanc venerationem eliminant Nouatores, & superstitionis idololatriæ insimulant. Lutherus Reliquias, vt seductiones fidelium altissimè sub terra abscondendas scribit in sermone de Cruce. Caluinistæ passim eas exurunt, & cineres in flumina abijciunt; quia Caluinus in libro de necessitate reformandæ Ecclesiæ, dicit Sanctos à Catholicis, non solùm adorari loco Christi, sed etiam eorum ossa, vestes, calceos, & simulacra: cui impudenti mendacio Sanctus Hieronymus olim respondit, agens cum Hæresiarcha Vigilantio idem obijciente, Christianos Reliquias Sanctorum honorare, & osculari, vt sacra pignora Patronorum suorum, sed minore cultu, quàm eorum spiritus venerari, nequaquam tamen Reliquias adorare, vt Deum, nec eas inuocare, vt Sanctos ipsos. Quod vt planum fiat Lectori beneuolo Dogma Catholicum propono, & sequentibus expendo quæsitis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quod Sanctorum Reliquiæ sint venerandæ.

Argumenta quæ Sanctorum cultum, pium & vtilem esse in Ecclesia, ritéque inductum probant, & miraculis à Deo approbatum testantur, eadem concludunt venerandas eorum Reliquias, cùm honor & cultus redundet in eum, cuius sunt reliquiæ, & ab eo in Deum ipsum qui sanctum glorificauit, refundatur & terminetur; nam vt docet Hieronymus, Epistol. 51. ad Riparium contra Vigilantium. *Reliquias Martyrum honoramus, vt adoremus eum pro quo sunt Martyres, seruos colimus, vt honor in eorum Dominum redundet.* qui Matth. 10. dicit. *Qui vos recipit me recipit.* His non obstantibus Heresiarchæ Eunomius, & Vigilantius olim, & nouissimè Lutherus & Caluinus debacchantur in cultum Reliquiarum, priores fidelium pietatem & obsequium, pro stoliditate habebant, Luther abscondendas altissimè sub terra Reliquias iudicat ne seducantur Christiani. Caluiniana reformatio igni cremandas, aut aquis absorbendas tradidit, quas potuit ab Ecclesiis Catholicorum extrahere Reliquias Sanctorum impiè & contumeliosè prius raptatas per vicos, & stercora, & frustratim discerptas aliisque derisionis & efferatæ crudelitatis palam & publicè violatas.

PROPO

PROPOSITIO CATHOLICA.

NOn abijciendæ, sed magno in honore, & veneratione habendæ sunt Sanctorum Reliquiæ.

Per Reliquias autem, intelligimus non tantùm ipsorum corpus & ossa, sed etiam vestes & alia similia, quibus ipsi specialiter vsi sunt.

Probatur ex Scriptura, Exodi 13. Moses discessurus cum populo ex Ægypto in Palestinam noluit ibi relinquere ossa Sancti Iosephi, sed ea honorificè secum asportauit & transtulit in terram promissionis. quod Patriarcha Iacob moriturus de corpore suo transferendo in idem solum iureiurando obtinere à Iosepho contenderat. 4. Reg. 13. Ossa Elisei cum tetigissent mortuum quendam hominem, continuo ad vitam illum reuocarunt, quod insigne miraculum voluntatem Dei, de honorandis Sanctorum Reliquiis manifestat 4. Reg. 23. cum Iosias delubra Idolorum euerteret, & omnem idololatriam delere vellet, tantùm abest, vt Reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, vt cùm aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redegisset; ossa tamen Sancti Prophetæ, ibidem reperta asseruari iusserit. Psalm. 33. *Custodit Dominus ossa eorum iustorum, vnum ex his non conteretur.* & Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Marc. 5. *Mulier quæ erat in profluuio sanguinis, venit in turba retrò, & tetigit vestimentum Christi, & sanata est.* Act. 5. *Vmbra Petri sanat quos attingit.* Act. 19. *Super languidos deferebantur Pauli sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores & spiritus nequam.* Isaiæ 11. *In eum*, Messiam videlicet, *Gentes sperabunt, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Hunc locum de sepulchro Christi intelligi certum est, tum ex verbis, tum ex Roman. 15. *In ipsum Gentes sperabunt.* Quod autem non intelligatur de sepulchro dumtaxat pro tempore, quo ibi Christus iacebat, sed etiam pro tempore futuro, ac proinde Reliquias honorandas, docet Hieronymus in Epistola ad Marcellam, vbi dicit Isaiam prædixisse id quod modo fit vt sepulchrum Domini ab omnibus honoraretur Deuter. 34. *Moses seruus Domini mortuus est in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius.*

Deus itaque ministerio Angelorum sepeliuit Moysem, & quia Iudæi tunc procliues erant ad idololatriam loco hominibus incognito sepeliuit, dum ergo corpus eius sepeliri per Angelos, & nonnisi decenter per eos tractari voluit Deus, exemplo suo nos docuit, quàm Sanctos eorúmque Reliquias venerari debeamus: malè autem contra eas torquent Hæretici, hoc factum, eásque ob periculum idololatriæ subducendas esse contendunt: Catholici siquidem latreuticum cultum non exhibent Sanctis, aut eorum Reliquiis, sed longè inferiorem honorem.

Probatur ex Sanctis Patribus, Clemente libro 2. Recognitionum, vbi legitur, duos Sanctos fratres pro Christi nomine mortem passos Hierosolymis, cùm adhuc Apostoli, & Discipuli ibi agerent; diuina autem virtute sepulchra eorum quotannis in Anniuersaria die mortis dealbata apparere, quo miraculo, inquit Clemens, multorum aduersùs nos repressus est furor, cum viderent nostros in memoria haberi apud Deum.

Ignatius Apostolorum discipulus Epistola ad Trallianos affirmat, feroces bestias venerari corpora Martyrum, *Quas inuitabo*, ait, *ad deuorationem mei, & deprecabor ne fortè quod cum nonnullis fecerunt timeant attingere corpus meum.* Immanibus ergo bestiis se ostendunt immaniores, qui quod bruta instinctu & voluntate Dei agunt corpora Sanctorum reuerendo, non solùm ipsi non faciunt, sed & alios ab iis piis officiis impendendis deterrent. Quid dico bruta? insensibiles creaturæ muta elementa, signa reuerentiæ Sanctis viris, & eorum corporibus coram omni populo exhibuerunt. Narrat namque Eusebius libro 4. cap. 14. Quod cùm Diuus Polycarpus Ioannis Euangelistæ auditor in rogum ignis validissimum mitteretur ignis in modum cameræ sese extulerit, & corpus eius absque læsione continuerit. Quare gladio transverberatur, & ex profluuio sanguinis totus ignis extinctus fuit, instant Iudæi, vt incineraretur cadauer annuit Iudex Ethnicus; colligebant autem Christiani incredibili auiditate Reliquias illas, *Ac si essent*, ait Epistola Ecclesiæ Smyrnensis ad Ecclesiam Philomelij, *lapidibus pretiosissimis pretiosiores*: Eas autem collectas à Christianis ad cultum, patet ex contentione Aduersariorum; Iudæi enim, atque Ethnici resistebant, ne Reliquiæ prætextu pietatis raperentur; existimabant enim corpora à Christianis adorari, vt in eodem loco Eusebius testatur. Epistola autem Smyrnensis, ait, *Collegimus ossa combusta, ac sicut conueniebat ex more condidimus, quo in loco etiam nunc præstante Domino solemnes agimus, celebrésque conuentus, maximè quidem in die Passionis eius, sed & cum eo eorum memoriam, qui prius passi fuerunt celebramus.*

Cornelius Papa & Martyr anno 251. extruxit è Catacumbis corpora Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, multúmque honoris eis præstitit, eius exemplum sequutus Deo dignus Martyr Stephanus successor in Papatu, scribens ad Sacerdotes & Episcopos afflictos hæc habet. *Continuò vobis compatimur Deum orantes pro liberatione & subleuatione vestræ afflictionis, quæ vobis ab iniquis in dies irrogatur, & ante corpora Apostolorum pro vobis preces fiunt quotidie.* Eusebius libro 8. suæ historiæ tradit, quod cum tempore Diocletiani grassaretur inaudita persecutio Christianorum. Pagani effodiebant corpora Martyrum, & proijciebant in mare, dicentes. *Ne fortè Dij efficiantur Christianorum, & illi qui Deos adorare nolunt, seruos nostros incipiant adorare.* Tanta erat Religio, & Christiana deuotio circa venerationem corporum Sanctorum, vt Gentiles externa honoris specie decepti putarent, inquit Eusebius, quod diuinus à nostratibus honor Martyribus deferretur

Idem Eusebius libro 7. cap. 15. agens de sede lignea Sancti Iacobi Apostoli. *Seruatur cum ingenti studio, velut à Maioribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur.*

Sanctus

Sanctus Athanasius legatarius pallij triti quod ipse nouum Antonio eremitæ dederat. Antonium in Antonij muneribus & tanquam magna hæreditate ditatus lætanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis.

Hieronymus de eodem magno Antonio refert in vita S Pauli Eremitæ, cum eiusdem Pauli tunicam foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob ipsius Pauli reuerentiam illam induere solitum in diebus tantùm solemnibus Paschæ, & Pentecostes.

S. Basilius, illustre exhibet huic dogmati Catholico testimonium in tribus suæ doctrinæ locis primò in serm. de S. Barlaam Martyre, *Antea, inquit, flebant Sanctorum mortes vt Ioseph, Moyses, Samuël, nunc non prosequimur Lachrymis, Sanctorum mortes, sed tripudiis diuinitus inspiratis super sepulchra eorum choreas ducimus.* Ecce honores Martyrum dicit diuinitus inspiratos: qui quorsum Martyribus Sanctis in Ecclesia exhibeantur explicat in concione quam habuit pro Gordio Martyre. *Qui vitas eorum qui in pietate perseuerarunt recensemus, glorificamus primum Dominum per seruos. Laudamus autem iustos per testimonium eorum quæ nouimus, populum verò per honestorum factorum narrationem exhilaramus.* Psal. 115. *Quando iudaicè quis moriebatur abominabilia erant morticinia: cùm pro Christo autem contingit mors, pretiosæ sunt reliquiæ Sanctorum. Antea dicebatur de Sacerdotibus & Deo dicatis non contaminabitur ex aliquo mortuo: nunc autem qui contingit ossa Martyris, quandam sanctificationis societatem assumit, ex gratia corpori insidente.* Tantum tribuit S Basilius, Sanctorum cineribus vt peculiarem gratiam & virtutem in eis esse concedat, quæ deuote eos tractantibus communicetur quod non inconcinnè dictum arbitratur, Episcopus Peresius in suo de diuinis tradition. libello idque vt credo quòd virtus Christi quæ exiens de corpore suo omnes eum tangentes sanabat, corporibus Sanctorum qui membra Christi dicuntur Cor. 6. communicatur aliquo modo. Hoc ipsum tribuere videtur S. Chrysost. serm. 31. de virtut. & vitiis, Sanctorum cineribus, vbi dicit. *Quòd sicut virtus erat in vmbra Petri, & veste Pauli ad sanandum ægrotos, ita in Sanctorum cineribus ad expellendos dæmones.*

Idem Chrysost. serm. de SS. Iuuentio & Maximo. *Idcirco sæpius eos inuisamus, tumulos adornemus magnaque fide reliquias eorum contingamus vt inde benedictionem aliquam assequamur: etenim sicut milites vulnera quæ in præliis acceperunt Regi monstrantes fidenter loquuntur, ita & illi in manibus abscissa capita gestantes & in medium afferentes quæcumque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt.*

Damascen. lib. 4. de ortho. fid. cap. 16. ait *Fontes nobis salutares Deus præbuit Sanctorum reliquias multimodis beneficiis scaturientes.*

Greg. Nanz. orat. in Cyprian. *Omnia, inquit, potest puluis Cypriani cum fide vt sciunt hi qui ipsi experti sunt & miraculum ad nos vsque transmiserunt.* Hieronymus mira dicit de veneratione reliquiarum in dissertatione quam habuit cum Vigilantio eam impugnante, & singulariter cap. 2. 3. 4. vbi argumento ad hominem ait. Ergo sacrilegi sumus quando Apostolorum basilicas ingredimur: sacrilegus fuit Constantinus Imperator qui Sanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, &c. Idem Epistola 17. ad Marcellam, Martyrum vbique sepulchra veneramur & Sanctam fauillam oculis apponentes, si liceat etiam ore contingimus.

Augustinus, Ambrosius serm. 93. de Sanctis Nazareo & Celso. *Quod si dicas mihi, inquit, quid honoras in carne iam resoluta & consumpta, honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viuentis memoriam perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus quod mihi Dominum ostendit diligere, cur autem non honorent corpus illud fideles quod reuerentur & dæmones!*

Augustin. Epistola 103. ad Quintianum Tomo 2. *Portant sanè* latores epistolæ, *reliquias beatissimi & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra sicut & nos fecimus quàm conuenienter honorare debeatis,* & lib. 22. ciu. cap. 8. narrat plurima miracula ad feretrum S. Stephani facta, inter ipsa, quod cæca mulier visum recepit admouendo oculis flores, qui de reliquiario educti fuerant.

Taceo diuum, & magnum Leonem, qui Epist. 37. gratulatur Pulcheriæ Augustæ, quod reliquias sanctæ memoriæ Flauiani ad Ecclesiam cui bene præfuit curauerit cum debito honore reuocari. Taceo Bernardum, Anselmum, Gregorium & alios sequentes Patres in quibus nihil frequentius, nihil magis obuium Lector inueniet, quàm Sanctorum intercessionem, & reliquiarum venerationem, inter quas lignum sanctæ Crucis præcipuas obtinet partes, vt suo loco notaui in articulo 13.

Probatur ex Conciliis Gangrensi in Paphlagonia circa annum 324. quod can. vltimo anathema dicit iis qui ad confessiones, seu loca vbi sunt martyrum reliquiæ celebratos conuentus, & ministeria execrabantur. Eustachiani enim contra quos coactum fuit Concilium nolebant ingredi basilicas Martyrum ne eorum corpora, (quæ ipsi immunda putabant) venerari viderentur. Chartagin. V. iubet cap. 14. vt nulla altaria, & basilicæ sine Martyrum reliquiis consecrentur, sic & habetur can. placuit de consecr. Dist. 1.

Bracaren. 3. in quo statuitur can. 5. thecam. Reliquiarum gestari debere à Leuitis, quod si Episcopus per se reliquias deportare delegerit, pedester eat. Epaunensi in Gallia, in quo can. 25. iubetur non poni reliquias Sanctorum in Ecclesiis vbi non sunt Clerici, qui ipsis psallendi frequentia famulentur. Moguntino quod can. 51. statuit anno 813. ne corpora Sanctorum transferantur de loco ad locum sine consilio Episcopi, & licentia sanctæ Synodi, quod certè ad honorem non exiguum sacrarum reliquiarum pertinet.

Concilium Nicænum 11. anno 781. iam statuerat actione 3. Apostolicas autem Ecclesiæ traditiones, quibus veneratio culturáque Sanctorum docetur recipimus & veneramur, &c. Subsequenter reliquias eorum fon-

tes salutares multis modis beneficia fundentes, Martyrum enim ossa virtutes multas operantur atque id per Christum, qui in ipsis habitat. Hoc subscripsere 350. Episcopi.

Concilium denique Lateran. sub Innocentio III. cap. 62, prohibet ob fraudis periculum ne nouas reliquias vllus publicè venerari præsumat, sine authoritate Papæ, & ne antiquæ extra capsam ostendantur, nec venales exponantur, vnde est Lex Canonica cap. cùm ex eō de Reliquiis, & c. Sanctorum veneratione.

Huicque decreto consonat mandatum Tridentinæ Synodi sess. 25. de non admittendis nouis miraculis, vel Reliquiis, nisi Episcopo approbante.

Probatur cultus Reliquiarum, rationibus, 1. Corpora sanctorum fuerunt templa Spiritus sancti, à quo etiam post mortem retinent sanctitatem, non enim, (quod volebat blasphemus ille Constantinus Copronimus) instar crumenæ pecuniis vacuæ existimanda sunt Sanctorum ossa, semper enim relationem habent ad animam, qua informata & informanda sunt, & debent habere consortium cum illa in cœlo, vbi erunt in perpetuo honore, & sæpe hic sunt instrumenta Dei ad miracula & gratias fidelibus concedendas. Ergo veneranda sunt: quod docuit & fecit antiquitas, ita vt Conc. Nicænum II. actione 7. Episcopos & clericos deponat, qui improbè dogma de veneratione reliquiarum reiiciunt, Laïcos vero communione priuat.

Secunda ratio conuincens Deus honorat reliquias impensissimè, hincque Dauid Psal. 33. dixit *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, & Psal. 115. *Custodit omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Quod quamuis maximè verum sit propter resurrectionem, in qua singula sanctorum ossa ad incorruptionem immortalitatis redibunt, tamen id etiam verum est de multis in hac vita speciali Dei miraculo suaue fragrantia, & incorrupta, vt videre est pluribus in locis v. g. Romæ Corpus B. Cæciliæ, quod anno 821. extractum fuit è cæmetrio S. Sixti integrum, & incorruptum, Corpus S. Huberti, quod adhuc integrum cum capillis, & barba in eius Monasterio cerni dicitur. Corpus S. Claudij Bisontini, quod incorruptum, vndequaque aduentantes ex deuotione peregrini vident, & tangunt exsiccatis tamen carnibus vt ego ipse attrectaui. Corpus Sancti Francisci Minorum institutoris, quod sine fulcris stare super pedes, & instar orantis manus, & oculos in cœlum tendere, testes oculati retulere summus Pontifex eiusque Comitatus, qui sepulchrum eius in subterranea Ecclesia Assisiensis conuentus visitauit, & alia quàm plurima, quæ ad gloriam Sanctorum declarandam & fidelium deuotionem erga ipsos fouendam suprema, Dei bonitas priuilegio singulari incorrupta & integra, sine vlla artis conditura conseruat.

Honor ille Sanctorum Reliquiis à Deo impensus non sistit in ipsarum simplici conseruatione, latent illæ vt plurimum in visceribus terræ, & à mortalium oculis subductæ. Has Deus ipse educit de tenebris, has prodit & reuelat, has ipsimet sancti Deo annuente detegunt, & interdum locum assignant ad quem transferri velint honorificentiæ causa anno Christi 485. apparuit Barnabas Apostolus in insula Cypri Anthemio Salaminæ Episcopo, ipsique declarauit, vbi iaceret corpus suum integrum habens ad pectus Euangelium S. Matthæi manu sua olim conscriptum, apparuit S. Sebastianus Lucinæ, Geruasius Ambrosio, S. Stephanus Luciano Presbytero, vt eorum sacra pignora loco honorato collocarentur & colerentur. Si reliquiarum cultus Deo non placeret aut, si superstitionis, vel idololatriæ periculum incurreret Ecclesia Catholica, qui olim ob illud Iudæorum notitiæ sepulchrum Mosis subduxit, corpora, quæ latebant Sanctorum non reuelaret Christianis ea colere profitentibus. Mouet hic calamum meum patrius aër ad exarandam mirabilem inuentionem sacri corporis B. Annæ Matris Deiparæ Viginis.

Anno 792. tempore Adriani Papæ singulari Dei prouidentia inuentum est sacrum illud pignus, quod vt antiqua fert Traditio S. Iacobus Hierosolymæ Episcopus dono dederat. Principi Massiliensi opera B. Mariæ Magdalenæ ad Christianismum conuerso, qui deuotionis causa in Palestinam transmearat, festiuus ergo & sacro ditatus thesauro Massiliam fæliciter rediit Princeps. Inito autem consilio cum Christianis Massiliensibus de conseruatione reliquiarum Sanctæ Annæ, quæ non satis tutæ videbantur tum temporis in ora maritima, consignatæ fuerunt Episcopo Aptensi Auspicio magnæ famæ viro, quem ab aula Domitiani Imperatoris, & neptis eius Domitillæ cura Clemens Papa eduxerat, & sacris ordinibus insignitum miserat in Gallias circa annum 78.) apud Aptam veterem Prouinciæ ciuitatem commoranti. Ipse autem Auspicius præuidens futuram persequutionem Christianis semper tunc illis temporibus imminentem, quæ postea sub Marco Aurelio excitata est anno 164. sacras B. Annæ reliquias recondidit in subterranea specu appensa lampade accensa ante ipsas: qui locus nulli hominum per 630. annos innotuit. Cùm autem Carolus Magnus pacem dedisset Prouinciæ subactis & contritis hostibus Aptam conuenit diuertitque ad domum nobilissimi Baronis de Simiana, cui filius erat Ioannes ætatis 14. annorum isque à natiuitate cæcus, surdus & mutus. Interea Cathedralis Ecclesia sacrilegis inimicorum Christianismi polluta ritibus reconsecranda committitur Illustrissimo Archiepiscopo Remensi, Turpino Regem comitanti Dum ergo Pontifex ritu solito processionem intra Ecclesiam subsequenter comitatu regio faceret, Ioannes iste signa fecit, quibus aperturam muri faciendam obtestabatur, hac facta præit ipse & procedit ante fenestram ferro cancellatam, in qua reconditum erat sacrum pignus inclusum capsa cypressina, & mappa pretiosa obuolutum, texturæ singularis à B. Virgine, vt fertur, elaboratæ. Procumbit Ioannes, videt, audit, & in hæc verba altè pronuntiata linguam dissoluit. *In hac fenestra quiescit Corpus Sanctæ Annæ matris Deiparæ Virginis.* Aperitur capsa huic inscripta notantur hæc verba, *Hic est Corpus S. Annæ matris Virginis Mariæ*, diffunditur per totum ambitum suauissimus odor, qui affluentes mirificè recreat, lucet & ardet lampas posthac ad longum tempus ad miraculi testimonium, celebratur annuatim in octaua Paschatis festum inuentionis

inuentionis corporis B. Annæ.

Producant alij ex Menologiis Græcorum & martyrologiis diuersis similes diuinitus indicatas reliquias, Breuiarium & Officium Aptense, quod emendare potuissent illius conscij Pontifices Romani, qui ab anno 1305. vsque ad 1376. Auenione sedem Apostolicam statuerunt in vicinia Aptæ, fidem abundè nostratibus facit huius traditionis. Nec satis est Bonitati diuinæ conseruare & reuelare amicorum suorum reliquias, vt à fidelibus Catholicis honorentur de ipsis sine dubio, quod per Sapientem Ecclesiasticum 46. præfata est, intelligitur, *Sit memoria eorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorum permaneat in æternum*, hoc enim encomium Iudicum Israëlis, *quorum non est corruptum cor*, longè perfectiùs quadrat Sanctis Euangelicæ legis: Symbolicè enim ossa eorum pullulant, & surculos virentes producunt cum sui venerationem & reuerentiam, & admirationem fidelibus incutiunt etiam per miracula, quæ Deus indidit eis facere, pullulauit ex ore Cranij S. Magdalenæ vitis, eoque indicio ipsa reliquias suas demonstrauit Carolo Siciliæ regi apparens ei in carcere, & eum liberans vide Surium. Sepulchris.

Ex sanctarum virginum lilia, vel rosas frequenter germinasse legimus, vnde de illis rectè canit Ecclesia, *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te.*

Sed opportuniùs ossa sanctorũ pullulare aut germinare dicuntur de loco suo, quia ab illis non solum beneficia corporalia, sed etiam spiritualia in animas fidelium deriuantur: Ideò enim reliquiæ Sanctorum nobis proponuntur, vt ab illis desideria noua virtutis in nobis oriantur tanquam flores nouelli, & decori, ab eorum imitatione quasi radice originem trahentes. Beneficia corporalia omnibus patent, quotidianâ experientia duriores & incredulos conuincente: & si Sanctorum testimonia pro sanctis exigimus S Epiph. in vita Isaïæ, Ezech. & Ieremiæ scribit à plurimis culta eorum sepulchra ob multa beneficia, quæ in iis locis propter merita eorum prophetarum Deus conferebat. S. Basilius oratione in Mamantem dicit nota esse miracula, quibus Martyr aliis sanitatem, aliis vitam reddiderit; & oratione in Iulittam scribit, *Cùm reliquiæ S. Iulittæ ad quendam locum vbi penuria aquæ laborabatur adductæ fuissent mox è terra erupisse fontem aquæ dulcissimæ.* S. Greg. Nanz. in orat Cypriani *omnia potest*, inquit, *puluis Cypriani cum fide vt sciunt ij, qui experti sunt*, Chrysost. in lib. contra Gentiles de Reliquiis S. Babylæ Martyris, *Sententiæ nostræ*, inquit, *fidem abundè faciunt, quæ quotidianâ à martyribus eduntur miracula*, S. August. tot miracula facta esse dicit ad reliquias S. Stephani, quorum ex parte testis fuit oculatus vt ad libros conscribendos sufficiant: serm. autem 32. de diuersis testatur asseruari Anconæ in Italia vnum ex lapidibus, quo percussus est, S. Stephanus ex quo multa miracula haberi solent.

Mirabile & incredibile videtur quod refertur de multis reliquiis Sãctorum nisi testes omni exceptione maiores firmarent, & nisi Dei potentia & honor quo vult afficere Sanctos exploratus foret ex Sacra scriptura. Viget hactenus insigne & perenne miraculum sanguinis S. Ianuarij Episcopi Beneuentani, qui Neapoli, vitrea ampulla concretus separatim à corpore asseruatur, quotiescumque ad caput admouetur, quasi vicino illius Martyrij coronæ lætetur aspectu protinus liquefit, & fluit moxque ebullire magna omnium admiratione conspicitur, cum autem à capite disiungitur in sphæricam formam vt antea erat durescit. Hoc annuatim publicè visitur.

S. Gregor. Turon. lib. de gloria Martyrum, testatur ex Sanctorum Reliquiis frequenter scaturiisse suaue vnguentum & cap. 34. hæc habet, Andræas Apostolus magnum miraculum in die solemnitatis suæ profert, hoc est manna in modum farinæ vel oleum cum odore nectareo quod de tumulo eius exudat, per id quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur, si exiguum profluxit, exiguum profert terra fructum, si verò fuerit copiosum, magnum arua prouentum fructuum habere significat, nam ferunt in aliquibus annis tantum è tumulo oleum exundare, vt vsque ad medium basilicæ profluat riuus ille, & cum oleum defluxerit tantum odorem naribus præstat, vt putes ibi multorum aromatum sparsam esse congeriem. Ex illo vnctiones factæ seu potiones datæ magna plerumque languentibus beneficia præstant. Hæc Patracenses apud quos crucifixus fuit Apostolus vident quotidie.

Similiter ex corpore Sancti Nicolai scaturire liquorem qui aduersus morbos innumeros prosit testatur Emanuel Imperator nouella de Feriis, Bosius lib. 1. cap. 10. tomo 12. testatur è corpore Ianuariæ virginis sudorem quendam sanguineum emitti, quem moniales Sancti Spiritus Eugubij in quo iacet abluunt, & mirificè prodest infirmis, testatur idem, nec non mille alij oculati testes in corde Sanctæ Claræ de Monte falco repræsentari instrumenta passionis Christi, quæ digitus Dei miro artificio in illo exarauit funiculis hinc inde in vtraque parte cordis dispositis, præterea in felle dictæ Virginis repertæ sunt tres pelliculæ rotundæ magnitudinem habentes trium paruarum nucum eiusdem magnitudinis ponderis & coloris quarum vna tantum ponderat quantum altera, & vna quantum aliæ duæ. Hoc autem est in fidem Mysterij sanctissimæ Trinitatis cui B. Clara erat deuota, sicut & Christi passioni. Hincque virgo hæc depingi solet cum bilance in manu ponderans hos globulos, altera vero habens crucifixum in vno corde.

Nicephorus refert de sancta Euphemia, corpus eius exudare sanguinis liquorem quem Episcopus loci in quo iacet, ipso passionis eius die in omnium conspectu spongiis quibusdam haurit, quem temperatum odoriferis vnguentis vitreisque exceptum vasculis donat turbæ aduenienti ad medelam.

Hæc & plura similia luculentissimè probant Deum ipsum maximo in honore habere reliquias Sanctorum suorum, quæ cum fiant ad informationem & plenam institutionem Professoris fidei Catholicæ consequentia ipsa est Articulus præfixus. *Venerandas esse Sanctorum Reliquias.*

Tertia ratio Propositionis desumitur ab honore quem Sanctorum cineribus & reliquiis exhibuerunt Angeli Dei Ministri, faciem ho-

minibus ad id obeundum præferentes. Scimus ex Scriptura Angelos sepulturæ tradidisse quædam Sanctorum corpora. S. Iudas in Epistola sua indicat Corpus Moysis sepultum fuisse ab Angelo Michaëli, sicque tradunt veteres. S. Catharinæ corpus ab Angelis deportatum in monte Sinaï ibique post Martyrium honorificè sepultum exprimit collecta officij Ecclesiastici. Sepulchro S. Agathæ, Epitaphium inscripsisse Angelos vetus est traditio. S. Clementis corpori ædiculam iuxta mare construxisse marmoream & intus apparasse arcam lapideam vbi corpus conditum erat certum est, cum hoc miraculo permoti incolæ vrbis Chersonæ Christi fidem susceperint. Corpus S. Bartholomæi existens in Asia cum in persecutione Christianorum deiectum fuisset in mare Angelis subleuantibus delatum est in insulam Liparis reuelatumque est Christianis vt illud colligerent & sepelirent, qui super eius sepulchrum magnum erexerunt templum in quo multas virtutes operatus est vt refert Gregor. Turon. Corpus Sancti Quintini angelica reuelutione detectum fuisse refert Sigebertus & ex eo Bosius qui sic ait. Quintini Martyris corpus defoderant impij, & in alueo fluminis occuluerunt in quo iacuit annos 55. Accidit deinde vt imperantibus Constantini filij filiis Eusebia quædam cæca Romæ sæpius Deum deprecaretur vt ipsi lumen restitueret: tandem apparens ei Angelus dixit vt Augustam Veromanduorum pergeret, fore enim vt in Somona fluuio corpus Quintini inueniret, & inde reciperet sanitatem. Abit illa inuento loco, precibus se dat, & cadauer mirabiliter extollens se in altum, enatat ad ripam, Caput similiter aliunde eodem se extulit, colligitur, virtutes facit.

Sed & frequenter Angelica custodia Sanctorum corpora à ferarum laniatu aliisque elementorum iniuriis præseruata fuisse ab igne, aqua, ab aeris corruptione legere est in Martyrologio. Sanctis cadaueribus obsequium & reuerentiam belluas ipsas feroces impendisse non est ignotum: duo Leones è penetralibus deserti accesserunt ad locum vbi occubuerat S. Paulus quem S. Antonius sepelire cupiebat, cumque sarculum quo terram foderet non haberet, leones certatim terram pedibus effodientes foueam quæ hominem caperet effecerunt, & abierunt. Quorundam etiam corpora per belluas tutelam acceperunt. Vincentij corpus per coruum, Stanislai per Aquilam, Edmundi regis Angliæ per lupum.

Si ergo Angeli & irrationalia animalia honorant, SS. corpora cur illis honorem impendere prohiberemur. Sed sicut honorant reliquias Angeli, ita ad illarum præsentiam terrentur dæmones & torquentur, hincque ad præsentiam & applicationem minimæ alicuius Sanctæ reliquiæ excussos fuisse dæmones à corporibus obsessis referunt historiæ & frequens apud nos probat experientia: Carpentorati ex clauo Sancto: Sanmaximini ex reliquiis S. Magdalenæ: Aptæ ex pignoribus sacris quæ in Ecclesia cathedrali vel in Minoritana coluntur. S. August. lib. 22. ciu. cap. 8. testatur adolescentem à dæmone arreptum ad præsentiam reliquiarum SS. Geruasij & Protasij liberatum fuisse. Virum quendam malignorum Spirituum insidiis infectum cùm alia multa remedia tentata fuissent allatis S. Marci Euang. reliquiis purgatum fuisse testatur Metaphrastes.

Tempore Othonis Imperatoris, Comitem de eius familia à nefario Spiritu vexatum ad vincula Petri liberatum fuisse, refert Breuiarium Romanum prima Augusti, vnde vinculorum sacrorum religio deinceps in vrbe propagata est.

Quarta ratio legitimi cultus Reliquiarum peti potest ex approbatione, quam Sancti ipsi beati, consequenter diuinæ voluntatis conscij fidelibus de impenso honore reddiderunt, quos monuerunt Deum in pignorum suorum cultu glorificari: quæ si quando iacebant in loco, vel incognito, vel non satis honesto, voluerunt inde extra & ad sacras ædes honorifice transferri, ibique cultu Catholico celebrari. Ad hoc faciunt multæ apparitiones Sanctorum, quas notat Martyrologium.

Sexta ratio desumitur ex honorifica reliquiarum Translatione quæ antiquissima probatur in Ecclesia Catholica officium singulare assignatum habet. Corpora Apostolorum Petri & Pauli translata fuere è catacumbis, partim ad Vaticanum, partim ad prædium Lucinæ in via Ostiensi, vbi magnifica erecta sunt templa. Ruffin lib. 2. cap. 28. describit translationem reliquiarum Ioannis Baptistæ ex Palæstina in Alexandriam. Hieronymus lib. contra Vigilant scribit translatas Constantinopolim reliquias SS. Andreæ, Lucæ & Timothei tempore Constantini Imperatoris, & tempore Arcadij reliquias Samuëlis Prophetæ ex Iudæa in Thraciam, translatas, inquam, tanto honore vt in vase aureo ab Episcopis portarentur, comitante immensa populorum frequentia Chrysostomus serm. de Ignatio Episcopo Antiocheno describit translationem eius: 15. *Leonum dentibus in theatro dilaniatus Martyrium consummauit Romæ anno Christi 110. Traiani Imp. anno 11. post necem eius Syri, qui eum comitati erant Romam susceptas eius reliquias Antiochiam ouantes magno omnium ciuitatum quæ in itinere essent accursu, & applausu solemniter retulerunt.* Hieronymus verò tradit collocatas esse in suburbio ad portam Daphniticam ibiq; magnis ad continuis coruscare miraculis. Ex qua translatione vide quanti iam ab ipso Ecclesiæ exordio Christiani ferè omnes Apostolorum discipuli, facerent Reliquias Martyrum, dum nec Gentilium persecutiones veriti, nec viarum pertæsi difficultates & longitudinem, Romà Antiochiam eas magna pompa & veneratione retulerunt, quam licentiam ingenti pecunia redemisse dicendum est, siquidem antiquo iure Romanorum defunctorum reliquiæ prohibitæ essent transferri absque licentia collegij Pontificum, vt ait Plinius lib. 10. epistola 73. ad Traianum, & alioqui constet frequentissimis historiæ Ecclesiasticæ exemplis persecutores solitos tradere igni martyrum reliquias, aut in flumina proiicere, ne à fidelibus debito ac consueto honorarentur cultu.

Anno 438. Corpus S. Chrysostomi è Comanis, vbi exul obierat transfertur Constantinopolim magna cum pompa, mittuntur primò ab Imperatore Theodosio Senatores ad illud transferendum, sed non potuerunt dimouere

mouere loco Theodosius de consilio Procli aliorumque Sanctorum virorum, supplices litteras mittit veniam pro parentibus petens ad ipsum Chrysostomum rogans, vt dignaretur redire Constantinopolim: iis litteris super pectus cadaueris collocatis, factum est mobile in theca argentea humeris sacerdotum cum maximo comitatu translatum est, primò Chalcedonem inde verò ab Imperatore ac Proclo Episcopo Constantinopolitanis, vniuersoque clero & senatu Bosphorum nauigantibus & ardentibus cereis regente perductum est ad S. Apostolorum Ecclesiam, atque ibi requirente populo in throno Episcopali collocatum circumstantibus dixisse. *Pax vobis*, at demum ad basim altaris conditum fuit, ibi orat supplex Imperator pro cessatione motus continui, tumuli matris Eudoxiæ qui mox consistit. Hæc Nicephorus. Aliqua notantur miracula in hac Chrysostomi translatione, plura notantur in translatione Corporis B. Elzearij Comitis Ariani, qui diem vltimum obiit Parisiis anno 1323. & intra annum transuectum fuit Aptam, vti testamentaria voluntate iusserat: tot virtutes & miracula in itinere à sacro illo virgineo corpore facta comprobantur ex ipsomet Canonizationis Apostolicæ processu, vt illa ipsa ad Reliquiarum sacrarum cultum sufficere possint, applaudunt sacro sarcophago Campanæ locorum, nec cessant ex seipsis sonum iubilum edere quamdiu in loco aliquo sistitur: occurrunt cum cereis ardentibus populi, sanantur eorum infirmi, mortui aliqui suscitantur, dumque Insulana vrbs depositum pignus sibi asseruare tentat appositâ custodiâ, miraculose se dat in viam ciuitatis Aptensis, quod non capientes videntes Insulani, supplices veniam petunt, illudque cum cereis ardentibus vsque ad Basilicam Aptensem Sancti Francisci comitantur sine diminutione ardentium integro die luminarium. Quis quæso ex tot tantisque miraculis non intelligat à Deo institutum dogma Catholicum de venerandis Sanctorum Reliquiis.

Addo pro perfecto numero probationum præfati dogmatis, Purgationem iuramenti ad reliquias Sanctorum olim fieri solitam, cuius meminit. S. August. Epistola 137. ad pop. Hippon. quam Romæ Mediolani sicut in Africa vsitatam scribit, hancque Gregorius Papa, Romæ perdurasse suis temporibus notat hom. 32. in Euang. & Greg. Turon. lib. de glor. Martyr. cap. 38. Mos erat illius temporis Ecclesiastici iudicij, cùm criminis accusatus non adeò plenè, vt damnari posset conuinceretur, neque eius innocentia ita perspicua appareret, vt absolui penitus posset, huiusmodi tum reum, tum accusatorem mittendi ad sepulchra Sanctorum Martyrum, illorum præsertim quorum virtus in miraculorum editione omnibus nota esset, ibique per iuramentum de rei veritate palam testari, quod sine dubio magnum est religionis erga Sanctos argumentum, quo fortè maius concipi nequit. Stat ergo probatum dogma.

Dices, ex Paulo 2. Cor. 5. *Nos ex hoc neminem nouimus secundùm carnem, & si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus*. Caluin. inde vult obliuioni tradi quicquid in eo carnale fuit, vt in eo secundum Spiritum quærendo, omne studium ponamus.

Respondeo hoc non velle Apostolum, quia sic vellet nos obliuisci carnis, mortis, passionis Christi, eiusque esse immemores & ingratos, cuius contrarium voluit & sanxit Christus, quando in mortis suæ memoriam perpetuam instituit Eucharistiam vnde ipsemet Paul. 1. Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* vult Paulus Christum agnoscendum iam immortalem & impassibilem, & non amplius carnis passionibus fami, frigori, dolori obnoxium. Ita Chrysost. & Con. Nicen. 11. art. 6. Non ergo ad negligendas & contemnendas Christi consequenter & Sanctorum reliquias, proferri debet hic textus, quem Manichæus explicabat, sic ego Paulus putaui in principio Christum veram habuisse carnem, sed errorem postea correxi.

Dices, cultus ille reliquiarum continet multam superstitionem circa pulueres, capillos, vestes & multa alia quæ venerationis non sunt capacia.

Respondeo illa omnia asseruari & honorari tanquam sanctitatis instrumenta, aut tanquam sacra pignora asseruari. Nec refert quod non viuant, non viuebat Arca testamenti non sentiebant tabulæ inclusæ, non viuebat virga quæ olim fronduerat nec manna nec vrna eius, & tamen rebus his magnus est olim præscriptus honor, ita vt nulli præterquàm Sacerdoti arcam tangere liceret, & Dauid accinctus Ephod lineo & omnis Domus Israël ducebant eam in iubilo & buccinæ clangore. An fortè Dauid superstitiosus aut idolalatra, licet ergo non viuant Sanctorum corpora, aliæque eorum reliquiæ, viuunt tamen ipsi quibus honor impenditur in rebus suis, quibus merita accumularunt. *Quæque in trophæa transierunt & ad gloriam victoriæ spectant*, ait S. Leo, vnde flagella spinas lanceam crucem Christi & instrumenta Martyrij Sanctorum veneramur, non vt fuerunt vasa iniquitatis impiorum, sed vt fuere instrumenta victoriæ Sanctorum & memorialia eiusdem. Nam & olim gladius Goliath, quo obtruncatus fuit ipse à Dauide fuit repositus in templo, & sacer habitus tanquam victoriæ celebris instrumentum & trophæum. Nec minus solitus est Deus operari miracula per vestes, quàm per ossa Sanctorum. Hinc Deiparæ Zonam, qua se astringebat pretiosasque fascias quibus Christi corpusculum colligarat adeò venerata est Græcia, vt templum in vtriusque honorem magnificum erexerit, cuius consecrationem S. Germanus Patriarcha, Constantinopolitanus oratione in laudes Virginis habita celebrauit, & ibi plura miracula peracta sunt. Superuacuum esset recitare miracula quæ quotidie fiunt in domo Lauretana quia domus est quam B. Virgo inhabitauit & in qua infantiæ tempus. Verbum Dei incarnatum transegit Magnum ibi thesaurum vidi pretiosissimorum donariorum quæ certatim ex cultu religioso offerunt Principes Christiani & si Deus nollet hanc ædem singulari in veneratione haberi reliquiasque supellectilis quæ hic asseruantur consecratæ multipliciter ex con-

tactu Christi non auulsisset eam à fundamentis anno 1294. relictis in Solo Nazareth, & translocasset ter aut quater, vt tandem in sylua Lauretana consisteret. vide hanc historiam apud Turselinum.

Dices, corpora Sanctorum non sunt eadem quæ fuerunt ante, cùm habeant diuersam formam substantialem, nam in cadaueribus fit resolutio vsque ad materiam primam, vel ad summum secundum Scotistas vsque ad materiam primam cum quantitate & quibusdam accidentibus, vnde in ipsis nihil aliud est, quam materia prima & illa accidentia: At ista non sunt sufficientia, vt illæ partes cadaueris & reliquiæ sint dignæ adoratione.

Respondeo, si fiat resolutio vsque ad materiam primam, vel nouæ formæ adueniant, argumentum concludit quòd nihil remanet pertinens ad Sanctum, quando viuebat, Sed quicquid sit de hoc: dico reliquias esse adorandas, dum retinent esse reliquiæ, id est quamdiu retinent formam aliquam & accidentia & dispositionem illam quam habebant, quando separatæ fuerunt à tali persona, vel ab ipsa relictæ.

Quòd si ita amiserint formam illam, vt non cognoscatur quod fuerint aliqua pars illius Sancti, cessat habitudo ad sanctum, sicque cessat adoratio, sunt enim adorabiles adoratione tantum respectiua, & in ordine ad illum sanctum, ideo illa relatione & habitudine ablata quæ fundatur in esse reali reliquiæ, cessat etiam ratio adorationis.

Dices, multas suppositias proferri reliquias, easque habere venerationem, & locomembri alicuius Sancti sæpè coli ossa asini, August. lib. de opere Monachorum cap. 28. cùm dixisset quosdam circumferre & venditare membra Martyrum addit. *Si tamen Martyrum.* Si tunc cœpit impostura quidni & duret nunc. Falsa etiam assignari miracula, constat ex animaduersione Parlamentorum, & Arrestis in Papone memoratis contra conuictos pronuntiatis Tum vnus & idem sanctus vel eius reliquiæ variis in locis proponuntur, quod est impossibile, quare mirum non est si Nouatores exclament improperent & idololatriæ insimulent Catholicas hac specialiter in re, variaque circa reliquias plebeiorum superstitione.

Respondeo Ecclesiam adhibere omnem moraliter diligentiam, ne error irrepat, hinc cautum est decreto Concilij Lateran. sub Innocent III. *Vt reliquias de nouo inuentas nemo venerari publicè præsumat, nisi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbata* & eodem cap. 62. statuitur, vt antiquæ Reliquiæ à modo extra capsam non ostendantur, nec exponantur venales Nouissime verò Conc. Trident. sess. 25. cap. 1 hæc habet. *Omnis porrò superstitio in Sanctorum inuocatione Reliquiarum veneratione & imaginum sacro vsu tollatur omnis turpis quæstus eliminetur* statuitque nemini licere vllam insolitam ponere imaginem in Ecclesia nec nouas Reliquias recipiendas nisi approbante Episcopo.

Augustinus autem loquitur de priuatis reliquiis de quibus dubia fides est ob incertam fidem eorum qui commercium de iis faciebant.

Ad propositionem eiusdem in diuersis locis. Respondeo id interdum accidere quia plures (Sancti sunt eiusdem nominis v. g. Antonius Thebaidæ cuius natale seu dies obitus) Sancti enim moriendo innascuntur beatitudini) celebratur die 17. Ianuarij Antonius Episcopus Constantinopolitanus cuius dies est 12. Februarij. Antonius Martyr Alexandrinus 14. Februarij. Antonius Paduanus 13. Iunij. Antonius, Martyr Africæ 23. Septembris Antonius Martyr. Ancyræ die 7. Nouembris sicque de aliis: Augustinos reperimus tres: Bernardos quatuor: Athanasios quinque. Cyrillos 12. Antoninos, 131 Dionysios, 19. Petros, 33. Ioannes, 41. vt notatur in Martyrologiis, vnde accidit, quod quæ vnius sunt Sancti attributa sint alteri & de diuersis eadem prædicata. Secundò dico in multas particulas fuisse concisas & diuisas Sanctorum reliquias ad satisfaciendam populorum deuotionem, quæ participationi earum inhiabat, vt sic Sanctorum intercessionem promereretur, ex parte autem interdum totius denominatio infertur. Ad cultum autem impendendum sufficit particula certa.

Ad falsas & suppositirias reliquias, & efficta miracula ad emungendam pecuniam inuigilent Episcopi supprimantque omnem superstitionem, vnum notabo ex Vasquez, non sequi idololatriam si suppositia colatur reliquia, quia colentis fides ad Sanctum ipsum refertur, esto materialis interueniat error hincque dicitur. *Fidei non potest subesse falsum* quia scilicet certum & verum habet obiectum.

Dices, Christum Luc. 11. comparare Pharisæos. *Sepulchris dealbatis quæ intus plena sunt ossibus mortuorum* ex quo indicat ossa mortuorum esse immunda, consequenter nullius digna venerationis.

Respondeo damnari hic hypocrisim Pharisæorum qui sanctitatem apparentem affectabant, intrinsecùs verò pleni erant immunditiis, id est peccatis, at inde non sequitur, quod omnia ossa mortuorum sint immunda cum ex Scriptura 4. reg. 13. ossa Elisæi & Sanctorum venerabilia Deus ipse miraculis testatus fuerit & per analogiam Sepulchri Christi quod gloriosum continuo facit indicet Memorias, seu sepulcha Sanctorum honoranda.

Instabis Concil. Elibertinum cap. 34. prohibuisse ad Martyrum sepulchra accendi cereos in Cœmeteriis.

Respondeo intelligi ex eius cap. 1. *De his qui post baptismum idolis sacrificant.* viguisse adhuc in his Hispaniæ partibus paganismum, & quia ritus ille deferendi luminaria ad sepulchra defunctorum obseruabatur à gentilibus vt patet ex Suetonio in Tiberio cap. 98. prudenter congregati illi 19. Episcopi iudicarunt prohibere ad tempus cereos. sic etiam prohibuit imagines idem concilium pingi in parietibus ob incursionem scilicet Ethnicorum, qui eas eradebant.

Dices, reliquias Christi adorari ob sanctitatem à contactu eiusdem elicitam, hancque rationem affert Damascen. lib. 4. de fide cap. 12. Ergo asina cui insedit, & terra quam calcauit

uit, & sacrilega manus quæ eum percussit est pariter adoranda, quod tamen est absurdum, idemque dici potest de aliis Sanctorum Reliquiis.

Respondeo quod tactus Christi inducit rei tactæ sufficientem venerationis impressionem, tamen non expedit vti semper hac adoratione, sed solùm quando contactus ille habet aliquam circumstantiam qua singularis actus Christi vel affectus pertinens ad salutem nostram vel ad honorem Patris significatur, qua denique recedit à communi vsu rerum, & propter hoc non adoramus terram quam calcauit, neque ægros quos tetigit, & sanauit, sed crucem, lanceam &c. quia illa habent specialem circumstantiam à communi vsu.

QVÆRES, *Quare Crux sine figura Christi adoratur & differtur in processionibus non autem lancea, clauus, flagellum.*

Respondeo quia sola crux est figura ipsius Christi & sicut imago Christi est veneranda, ita & crux quæ hodie à Christianis ad hunc tantùm vsum assumitur, ad Christum adorandum & repræsentandum. At clauus, flagellum, spinæ, & alia instrumenta (excipe illa quæ Passioni fuere applicata, non repræsentant ex se figuram Christi, & ad alios vsus adhibentur à Christianis, ideo per se non sunt adoranda, quando tamen illa simul cum cruce & aliis Mysteriis passionis, depinguntur, possunt adorari, quia tunc repræsentant ipsum Christum & habent solum sacrum vsum. De veteri autem traditione habendæ in templis figuræ crucis ex quauis materia coloribus & tesellis, tum in sacris vasis, & vestibus, tum in parietibus, & tabulis in ædibus priuatis, in viis publicis, est actio 7. Concilij Nicæni II.

DIces, eo deuenisse abusum Catholicorum, vt Sanctorum qui nunquam extiterunt reliquias colendas proponant eisque vota nuncupentur v. g. Georgij Martyris armis conspicui, qui lancea draconem deuoraturum virginem occidit, quod reprobat Bellarm. in annotationibus Martyrologij, repræsentationem hanc mysticè intelligens & temeritatis arguens authorem legendæ aureæ, qui hæc sine probatione quasi historiam proposuerit, imò Gelasius Papa Canone Sancta Rom. dist. 15. Historiam S. Georgij inter apochryphas numerat. Item Chrystophori præcelsæ staturæ flumina sine periculo transuadantis cuius imago Christum portans in porticibus Templorum habetur, & tamen apocrypha est narratio quam Baronius verificare non potuit, & Bellarmin lib. 1. de Ecclesia triumphante cap. 20. incertam habet solaque temporum memoria celebrem. Sicque de aliquibus aliis.

Respondeo in his sufficere Traditionem, hanc autem de allegatis habemus ex Menologio Græcorum, quod in die 23. Aprilis sic notat. *Memoria gloriosi & magni martyris Georgij cognomento tropeophori.*

Metaphrastus descripsit actiones vitæ & passionis eius. Aymo lib. 2. de gestis Francorum cap. 20. agit de eius Reliquiis quæ Parisiis asseruantur in Ecclesia S. Vincentij, & lib. 3. cap. 9. refert S. Germanum Episcopum Parisien. recepisse à Iustino Imperatore cum rediret è Palestina & transiret Constantinopolim inter alia sacra dona brachium S. Georgij. Cedrenus in hist. abbreuiata, & Paul. Diacon. lib. 6. de gestis Longobard. notat Nicephorum Imperatorem Orientis & Regem Cunibertum in Occidente obtinuisse in bello singulare auxilium à S. Georgio, vtrumque autem ei extruxisse templum. Modus eum depingendi est emblematicus, cuius tamen sensus Mysticus fundatur in veritate, quæ est anima historiæ. Orientales sic Sanctos solent diuersimodè repræsentare appropriatis figuris ad distinctionem aliorum SS. Georg. verò equitantem repræsentant quia in bello eum reclamant & experiuntur eius opem, draco idololatriam. Ecclesiam Dei oppugnantem quæ destructa fuit à S. Georgio repræsentat &c. Christophorus Traditioni sufficienter innititur. Sic de cæteris.



ARTICVLVS

ARTICVLVS XXXIV.

Firmiſſimè aſſero, Imagines Chriſti, & Deiparæ ſemper Virginis, necnon & aliorum Sanctorum habendas, atque recipiendas eſſe, atque eis debitam venerationem impertiendam.



OGMA Catholicum de habendis, & venerandis Sanctorum Imaginibus præ aliis omnibus antiquiùs & violentiùs oppugnatum fuit. Iudæi ſemper in Imagines excanduerunt; ideò Templa Chriſtianorum vocant domos idololatriæ, vt legitur in ſuo Talmud, id eſt, diſciplina Iudaïca, qui Babylone prodijt, Anno Chriſti 476. ignique condemnatus fuit à Gregorio Papa IX. 1230. Turcæ nullas habent ex inſtituto Mahometi inſtituto, qui 630. obijt in Alcarano cap. 15. & 17. qui ob ipſas Chriſtianos idololatras cenſet. Poſtmodum anno 726. Leo Iſauricus Imperator promulgauit Edictum, vt ſacræ vbique delerentur Imagines, & diram perſecutionem mouit in earum defenſores, quam filij ſucceſſiuè continuarunt vſque ad Annum 787. facto interim aliquo interſtitio à bello contra Imagines, illud renouat Leo V. cognomento Armenus, qui & Chriſtianorum perſecutor, Anno 818. Sæculo autem 8. Petro Bruſſiani, Vvaldenſes, Vvicleſitæ Imagines oppugnarunt. Denique Caluiniſtæ hoc noſtro ſæculo vbicumque poſſunt in Imagines ſacras ſæuiunt quoquo modo, & Catholicos ob cultum Imaginum de idololatria criminantur. At conſtat euidenter ex hiſtoria Iconoclaſtas ſeuerè & exēplariter punitos à Deo vindice, quod nequaquam faceret Iuſtus & Sanctus Dominus, ſi ſacras Imagines in honore & cultu religioſo nollet haberi. Palmerius in hiſtoria ſua ad Annum 761. narrat perijſſe oborta lue trecenta millia hominum, ex quo Conſtantinop. traditæ igni fuere ſacræ Imagines imò teſtib. Paulo Diacono, & Zonara, Imperator paulo poſt Regno Italiæ irrecuperabiliter ſpoliatus notatur. Leo enim III. Papa anno 800. tranſtulit ab Oriente Regnum in Occidentem, & illud in Carolum-Magnum deuoluit. Sic Iconomachia fuit deſolatio Imperij Orientalis, Anno 723. Gezidus Saracenorum Princeps perſuaſus ab impoſtore & præſtigiatore Iudæo, Laodiceno nomine Serantapiæ, quod quadraginta annos Imperij haberet, ſi ſacras omnes Imagines ab Eccleſiis Chriſtianorum, quæ ſub ditione eius eſſent auferri mandaret, ſpe & deſiderio longioris vitæ Edictum continuò promulgauit generale, quo omnes omninò Imagines & Picturas, ſiue in tabulis, ſiue in parietibus, ſiue in vaſis ſacris, aut indumentis & Altaribus eſſent, expungi & auferri iuſſit. At vt tradunt Theophanes, & Ioannes Vicarius Orientalium Epiſcoporum in Concilio Niceno ſecundo. Gezidus ſpe

frustratus intra annum & dimidium mortuus est, & post obitum eius filius Vlidus restituit in pristinum honorem Imagines & Hecantapicum, tanquam parentis interfectorem turpissima morte affecit. Quanto ergo procaciùs & iniuriosiùs insurgunt Hæretici in hunc Fidei Articulum, tanto religiosiùs hunc tueri, & propugnare debemus.

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine Imaginis, & Idoli.

AD intelligendam Catholicam doctrinam de Imaginibus, simúlque coërcendam Hæreticorum procaciam, prænotanda est vera, & germana significatio Imaginis, Idoli, & Simulachri, quæ tria vnum omninò, & idem supponere, & significare contendunt Nouatores. Sed toto cælo aberrant, & quamuis à parte rei nulla probaretur distinctio ex propria significatione. Tamen in vsu Scripturæ & Sanctorum Patrum, idolum semper in malam partem sumitur, scilicet pro repræsentatione, seu imagine falsæ Deitatis. Quare in materia Religionis nomen vsurpandum est ad sensum Patrum; nam applicatio vocis nonnunquam à propria significatione ad alia trahitur. verbi gratia, Tyrannus aliàs supremum & Dominum significabat, nunc odiosum est nomen, Martyr sonat testem: non tamen omnes testes sunt Martyres; Angelus idem est, quod Nuntius, non tamen omnes Nuntij sunt Angeli. Verba data sunt homini ad exprimendum mentis eius conceptum, & sunt de institutione hominis; ideò valorem sicut moneta ab ea demunt. His non obstantibus differentia Imaginis & Idoli ea comprobatur, quod Imago sit vera similitudo alicuius rei, vt cùm pingitur homo, equus, leo, &c. vnde & Imago ab imitando dicta est; Idolum verò sit falsa similitudo, quæ repræsentat id quod reuera non est, vt cum Gentiles repræsentabant statuas Iouis, Martis, Iunonis, Palladis, &c. tanquam Deorum; qui tamen reuera Dij non erant, nec esse poterant.

Hanc autem esse differentiam illarum vocum inde patet; quia Scriptura nunquam tribuit nomen Idoli veræ Imagini, sed solum Simulachris Gentilium, v.g. vocat Filium Dei imaginem Patris, Coloss. 1. at nunquam vocat Idolum Patris, item 3. Reg. 7. Salomon dicitur fecisse ad ornatum Templi Imagines Boum, Leonum, Palmarum, &c. Nec tamen vnquam ista vocantur Idola: quia rerum verarum erant similitudines, vnde Theodoret. quæst. 38 in Exod. dicit. *Repræsentationes rerum non subsistentium dici Idola.* & Sanctus Hieronymus cap. 7. Oseæ, loquens de Idolis, notat expresè Simulachrum, seu Idolum, ita opponi Deo, sicut mendacium veritati.

Hinc patet, Imagines Christi & Sanctorum non esse Idola, cùm res veras exhibeant; sed nec etiam Sanctissimæ Trinitatis & Angelorum Imagines Idola dici posse; quia non sunt factæ ad repræsentandam naturam Trinitatis, vel Angelorum; sed ad exhibendam formam in qua diuinæ Trinitatis personæ, aut Angeli ipsi aliquando apparuerunt, vel certè ad eorum proprietates & perfectiones signis quibusdam corporalibus exprimendas; vnde Sanctus Gregorius Nanzianzenus oratione in laudem Heronis dicit, quod quando Angeli pinguntur, candida vestis atque hilaris & splendida facies solet illis tribui ad designandam scilicet, tum illorum puritatem, tum gloriæ qua perfruuntur splendorem.

Vis certè facienda est in fundamentali voce expressa in textu Hebræo Exod. 20. Deuter. 5. *Pesel*, quæ nusquam assumpta est in Bibliorum codice, nec alibi vsurpata à Doctoribus Hebræorum, ad significandam imaginem, Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, non ponitur ibi *Pesel*, ad significandum imaginem, sed *Temounah*, vel *thourah*, vel *thesem*, quod communiter & frequentiùs vsurpatur. Idem habetur cap. 5. vers. 3. *Vixit autem Adam centum & triginta annis, & genuit ad imaginem & similitudinem suam*, Betsalmo, & cap. 9. vers. 6. *Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo*, Betsalmo, plura produci possent loca, hæc, sat superque demonstrant quomodo ab Hebræis vocetur Imago, Græci eam dicunt εἰκών, Latini vocant, *Imago*, ab imitatione, vt ait Festus; quia imitatur, & repræsentat eum cuius est repræsentatio. Idque ita vulgare & notum est, quod Rhetores vocant εἰκόνα, figura qua aliquid exactè, & ad viuum repræsentant, vt docet Quintilianus libro 5. cap. 11. túncque est cùm res aliqua non simpliciter narratur, sed ponitur quasi ad oculum & auditori, quasi prospicienda, & videnda offertur. Sicque Græci εἰκονίζειν vocant omne id quod iuxta exemplare singulis suis lineamentis expressum est.

Pesel itaque, idem est (vt septuaginta Interpretes vertunt) quod *Idolum*. Sicque vertetunt Nouatores. Isai. 42. 44. 45. Ierem. 51. Oseæ 11. quia in iis quinque locis nihil habebant pro impugnatione Imaginum. De cætero 45. loca in Bibliis deprauarunt, & *Pesel*, quod Idolum sonat verterunt imaginem, contra Textus seriem & doctrinam septuaginta Interpretum linguæ peritissimorum. Quantum verò ad *elil*, significat simulachrum vacuum, spectrum, phantasma, éstque diminutiuum vocis *el*, Deus fortis, vel, vt alij docent, est negatiua vox, quasi dicatur *al el*, non Deus, non fortis; vt ipso pateat nomine Idolum nequaquam esse Deum, neque vim, aut potentiam diuinam habere, vnde Traductio Hebræorum habet vanum, nihil, seu res vana, inutilis, nihil. Inde ergo euincitur, quod Idolum repræsentat, quod non est, imago autem quod est: hæcque differentia tam singularis & notabilis est, vt imaginem cum Idolo confundere, vnúmque & idem velle esse, vt erroneè assumunt Nouatores, sit contraria dicere, nigrúmque albo, frigidum calido, dulce amaro copulare, imò, vt meliùs dicam, rem existentem cum ipsomet nihilo vnire, sicut olim notauit

tauit Origenes homilia 8. in Exodum. Vnde ignorantia vel malitia Nouatorum dissimulari nequit, cum explodunt hanc differentiam, vel recens effictam dictitant, & à sæculo sexto auditam in Ecclesia. Origenes enim discipulus Clementis Alexandrini, ipsique in schola publica Alexandrina successor, docebat anno 225. qui septuagenarius obiit anno 256. Subsequenter Theodoretus Episcopus Cyri in Syria circa annum 430. in quæstione 38. in Exodum singulariter, & ex professo differentiam illam ostendit: Neque solidiùs & veriùs asseri potest idolum nihil esse, quam proferendo expressa Sancti Pauli 1. Corinth. 8. verba. *Scimus quia nihil est Idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi vnus.* Quibus æqua lance libratis & examinatis Concilium Nicænum secundum hoc habet.

Quicumque sententias sacræ Scripturæ de Idolis contra venerandas imagines adducunt anathema.

Qui venerandas imagines Idola appellant, anathema.

Et sanè si imago & idolum idem essent, Deus consequenter idolopitos, seu idolorum factor ex ipsamet comprobaretur Scriptura, quæ apertè pronuntiat ipsum primam efformasse sui imaginem creatam in productione hominis, vbi Hebraicè semper legitur *tshelem*, nequaquam *Pesel*. Cúmque homo Dei imaginem & similitudinem non referat in corpore, sed in anima, quot in dies creando infundit in corpora animas, tot facere idola censendus esset, quod sanè blasphemum esse nemo est qui nesciat.

Dices, Idolum & Imago sunt sub eodem genere, scilicet signi; ergo vti omne idolum est imago, ita quæuis imago idolum est & dici potest.

Respondeo, imaginem & idolum ipsum facta esse ad repræsentationem; nam vtrumque est in genere signorum rem aliquam significans. At illa duo differunt specie, esto conueniant in genere signi. Species imaginis determinat genus ad repræsentationem rei verè existentis, seu habentis esse reale. Idolum verò determinat ad repræsentandum, quod objectiuè nihil est: quare nullo modo synonyma sunt imago & idolum. Quod si rationabiliter vocaueris idolum imaginem; quia subest eodem generi, dicam pari modo hominem esse Angelum; quia est substantia, hominem compellabo equum, quia est animal, equum ipsum dicam bouem, aquilam, serpentem; quia de genere viuentium sunt, Aquilam, passerem vocabo; quia sunt pariter de genere volatilium; imò aurum ipsum ferrum esse dicam, quia vtrumque corpus est: aurum non distinguam à stanno aut ferro; quia metallum est, sicque quælibet species sortiri posset nomen illius, quæ cum ea eodem subest generi, quod tenebras & confusionem omnimodam inuehit vniuerso orbi. Quare stat conclusio Catholica, quod nec Catholicè, seu Christianè, nec rationabiliter nomen imaginis affingi potest sculptili seu idolo; Esto autem id fieri posset, tamen habenda est semper ratio vsurpationis nominum, quæ in hac materia imaginem distinguit ab idolo.

Nomen simulachri est quidem paulò communius & magis ambiguum, nam Lactantius libro 6 de vero cultu cap. 1[illegible]. & 26. vocat hominem Dei simulachrum & libro 2. de origine erroris cap. 2. dicit simulachrum dici à similitudine, & proinde omnem veram imaginem posse dici simulachrum.

Verum tamen est quod alij affirmant simulachrum dici à simulando non a similitudine; nam in Scripturis simulachra vbique ponuntur pro Idolis; semper enim vbi Latinus Interpres posuit simulachrum, vt Act. 15. Psalm. 113. Ioan. vlt. & alibi in Græco est εἴδωλον, & August. in Psalm. 135. dicit Latinos ea simulachra vocare, quæ a Græcis dicuntur εἴδωλα, Hieronymus quoque in cap. 7. Oseæ dicit sic opponi simulachrum Deo, sicut opponitur mendacium veritati quia simulachrum Deum falsum refert. Et Poëtæ loquentes de vmbris vtuntur voce simulachri; quia videntur quædam corpora solida & non sunt, Virg. 4. Georgic. de Euridice *Prensantem nequaquam vmbras, & multa volentem dicere.*

Et Ouid. 4. Metamorph.

Hebræis, *Elilim*, communiter per simulachrum traducitur, scilicet res vana, & nullius momenti, nihil, vt notat Genebr. in Psalm. vers. 8.

QVÆSTIO II.

Quod vsus sacrarum Imaginum sit licitus & habendus.

Assertio Catholica est quam more nostro confirmare non est operosum.

Probatur ex Scriptura Exod. 25. *Dixit Dominus ad Moysen facies duos Cherubim aureos ex vtraque parte oraculi*, vbi Sanctus Hieronymus in cap. 41. Ezech. intelligit duas statuas, seu imagines aureas, quæ duos Angelos Cherubinos repræsentabant Numer. 21. *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo*, & 3. Reg 6. dicitur quod Salomon posuit in sanctuario imagines Cherubinorum ex lignis oliuarum factas. Incidenter hic notabo mentionem sæpe fieri in textu Hebræo de Teraphim Oseæ 3. hoc ipso nomine.

Vox hæc si credimus Sancto Hieronymo significat omne genus figuræ & imaginis sculptilis, Paraphrastes Chaldæus exponit *tsalmanaia*, id est, *simulachrum*. Aquila, Theodotion & Hieron. μορφώματα, id est, formas, seu figuras sculptas, Gallicè *Marmosets*, vnde sequitur vocem hanc æquiuocam & indifferentem esse ad imaginem prophanam vel sacram significandam; quare pro germano sensu eruêdo antecedentia & consequentia pensanda sunt accuratè.

Probatur secundò, ex septima Synodo generali 354. Episcoporum, seu Nicæna secunda, vbi Act. 6. hæc habentur expressa. *Non est pictorum adinuentio imaginum factura, sed Catholicæ Ecclesiæ approbata legislatio & traditio, &c. testimonium perhibet ipsa rerum antiquitas, & Sanctorum Patrum doctrina, qui has in venerabilibus Templis susceperunt,* &

& venerabilia Templa dedicantes has pingere statuerunt. Eundem vsum approbarunt & statuerunt Concilia tria Lateranensia & Francoford. nec-non Tridentinum session. 25. decreto 2.

Probatur tertiò, ex praxi & vsu antiquo Ecclesiæ Catholicæ, qui passim apud antiquos Patres refertur. Tertullianus libro de pudicitia cap. 7. & 10. testatur antiquitùs Christi Domini imaginem sub specie pastoris ouem deperditam, & recuperatam super humeros gestantis, in calicibus sacris effigiari consueuisse. Damasus in vita Sancti Syluestri affirmat Constantinum magnum collocasse imaginem Christi, duodecimque Apostolorum eius, necnon & quatuor Angelorum in Ecclesia Sancti Ioannis Leterani. Ambrosius, Augustinus, & Eusebius scribunt magnam aurearum, argentearúmque imaginum copiam fuisse in Templis, quæ pius hic Imperator erexit. Gregorius Nanzianzenus oratione in laudem defuncti patris, refert Templum ab illo extructum fuisse variis picturis & imaginibus sacris decoratum. Sanctus Paulin. Epistola 12. loquitur de variis imaginibus Sanctissimæ Trinitatis, & Mysteriorum vitæ Christi, in Ecclesiæ apside depingi solitis. In Liturgia Sancti Chrysostomi expressa fit mentio Crucifixi in Templo positi. Augustinus libro 1. Confessionum capite 10. & libro 22. contra Faustum cap. 73. testatur solitum suo tempore collocari imaginem Christi in Ecclesiis mediam imaginibus Sancti Petri & Pauli. Ex Nicephoro Pulcherria Augusta imaginem Deiparæ Virginis quã e Hierosolymis ei miserat Eudoxia, posuit in Templo quod Constantinopoli extruxit. Nec est quod diutius in proponenda imaginum assumptarum praxi immorer, in ore duorum, vel trium testium, stat omne verbum. Pontifices, Imperatores, Doctores sacros, Conciliáque Ecclesiæ produximus; sileant ergo, qui objicere non erubescunt nullum in Ecclesia fuisse imaginum vsum totis quinque primis sæculis.

Probatur Rationibus, licitè & vtiliter habentur imagines Principum, Heroum, Parentum: à fortiori Christi Saluatoris, & Sanctorum eius, nec obstat prohibitio illa Exod. 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, quæ simpliciter intelligi non debet velut omnem omninò vsum sculptilium, statuarum, picturæve interdicens, nisi velimus Deum sibi ipsi repugnantem facere, & qui istud objiciunt, violatores istius præcepti conuincantur, sed accipienda est continere interdictum picturarum in ordine ad finem abominabilem, cultum videlicet alienorum Deorum, quem finem clarè insinuat Dominus, ibidem dicens. *Non facietis mecum Deos aureos, & Deos argenteos*, & Leuitic. 26. *Non facietis sculptile, vt adoretis.* Vnde Caluinus libro 1. instit. cap. 8. §. 17. fatetur vetari tantùm ne imagines vllas adoremus religionis causa.

Secunda ratio pro vsu imaginum desumitur ex fructu multiplici earum; primò enim seruiunt ad instructionem ignarorum, & legere nescientium; nam vt scribit Sanctus Gregorius Epistola 9. libro 9. quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia etiam in ipsa cernentes vident, quod sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras nesciunt, dum Christum in Cruce extensum, quis videt, ibi legit pretium suæ Redemptionis. Secundò, non solùm ad instruendum, sed maximè ad excitandum, vt scilicet sint instar fomitis, quo charitas erga Deum, vel Sanctos, aut amicos flammescat & foueatur; dum enim præsentem in imagine habeo, quem diligo alitur & crescit amor, nec eos amoris actus, aut aliarum virtutum eliceret voluntas, si objectum sui amoris in imagine præsens non haberet, & hæc consuetudo trahit originem à tempore Apostolorum, quam Paul. Galat. 3. indicare videtur. *Quis vos fascinauit non obedire veritati ante quorum oculos Iesus-Christus præscriptus est in vobis crucifixus.* Sic enim est legendum secundùm correctionem Romanam; non verò proscriptus; præscriptus ergo Christus, id est, præ oculis vestris scriptus, siue depictus. Græci vocant picturam Zeographiam, id est, viuam scripturam; quia ad viuum repræsentat historias. Tertia ratio desumitur ab exemplo Christi, qui imagines apud Christianos sufficienter induxisse videtur cum sui triplicem fecit, & reliquit expressionem & picturã. Primam quam misit ad Abagarum Regem Edessæ ciuitatis Syriæ; hanc autem ita factam scribit Sanctus Damascenus libro 4 de fide Orthodoxa cap. 17. cum Abagarus pictorem misisset, vt Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob splendorem ab eius vultu manantem consequi posset, Dominus ipse faciei suæ linteum admouens imaginem suam ei impressit, & ad Abagarum misit, vt pio eius desiderio satisfaceret. Scribit his similia Nicephorus lib. 2. hist. cap. 7. ac præterea extat de eadem imagine luculenta oratio Constantini Porphyrogeniti Imperatoris, sed & Græcos anniuersariam de ea consueuisse solemnitatem celebrare 17. Calendas Septembris, constat ex eorum menologio.

Secundam dedit, cùm Berenice quæ & Veronica dicta habetur, faciei eius sanguine & sudore aspersæ, dum ad Crucem iret in Golgotha sudarium admouit; hoc enim ad perpetuam rei memoriam vultus Domini effigiem in se retinuit. Permanet pariter hactenus integra sanctissima Sindon illa quæ corporis Dominici delibuta vnguento posita fuit veluti operimentum & stratum, quæ enim se imaginem in sepulchro Domini iacentis expressit, asseruatúrque summo in honore in Ecclesia Taurinensi, quas tres Saluatoris imagines; ego ipse perspexi non sine pio affectu & maxima consolatione; si ergo absolutè explodendæ essent imagines, & extirpandus earum vsus, vt garriunt Nouatores, Christus Dominus ante cuius oculos omnia nuda & aperta sunt, qui præuidebat quo affectu & honore habendæ ipsæ erant apud fideles eos tanquam pietatis monumentum non dedisset, aut miraculosè eas aliásque integras & intactas, seu illæsas non conseruaret, nec tot miraculis eas, aliásque quas habemus illustraret. Hæcque dicta sint de imaginum in genere vsu licito non obstante Exodi textu, *Non facies similitudinem.*

QVÆSTIO III.

An veneranda, & colendæ sint Imagines sacræ?

PRæcipuus hic est Ecclesiæ scopus & finis in retinendis imaginibus, aliàs solum visum pascerent, nec Aduersariis, vt credo, essent offendiculo; cùm non ignotum sit eos habere domi complures formas, vt Susannæ, Lucretiæ, Dianæ, Caluini, aliorúmque quos Pastores Euangelicos nuncupant & constet Iudæos ipsos tempore Christi habuisse imaginem Cæsaris. Solus religionis prætextus bellum mouit, & Iconomachiam excitauit. Honorem enim & venerationem exponunt & interpretantur omnes, si in loco sacro palam proponantur imagines, vnde Iudæi qui erant Hierosolymis statuam Caligulæ in Templum à Petronio inferri grauissimè tulerunt, eo quòd profanam esse scirent, & tali tantóque honore indignissimam.

Dogma Catholicum est sacras Imagines esse à nobis venerandas, & colendas.

PRobatur primò ex Scriptura, quæ docet rebus sacris, & diuino cultui dicatis venerationem & honorem deberi, Psalm 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, quæ verba quamuis in sensu mystico, & allegorico à quibusdam Patribus de Christi humanitate accipiantur, in sensu tamen litterali intelliguntur de Arca Testamenti, quæ 1. Paralipomen. 28. vocatur scabellum pedum Dei. Atqui sacræ imagines sunt etiam res quædam diuino cultui dicatæ. Ergo à pari veneratio illis debetur. Hoc autem Propitiatorium voluit Deus ornari Angelorum imaginibus, quod sanè fuit in augustissimo loco eas collocare, consequenter & honorem iis haberi voluit, atque vt haberetur instituit. Cur autem his potius quàm eiusmodi aliis haberi aliquem conueniat, nemo verisimilem causam afferet.

Probatur secundò, ex suprà relata Synodo septima generali, in cuius Act. 7. hæc habentur Sanctorum Patrum doctrinæ insistentes, & Ecclesiæ Catholicæ in qua Spiritus-Sanctus inhabitat Traditionem obseruantes definimus cum omni diligentia & cura venerandas esse sanctas imagines, &c. illásque in Templis esse collocandas. Et in Concilio Tridentino, sessione vltima definitum est, Imagines sacras in Templis præsertim habendas & retinendas esse eísque debitum honorem & venerationem impertiendam esse.

Probatur ex Sanctis Patribus, Basilio Epistola ad Iulianum Apostatam, vbi postquam locutus est de cultu Christo & Sanctis debito, & à seipso exhibito subiungit. *Vnde & caracteres Imaginum ipsorum honoro, & adoro præcipuè cum à Sanctis Apostolis hoc traditum sit.* Athanasius in quæst. ad Antiochum quæst. 39. vbi ait. *Eos esse dementes, & fastu quodam arreptitios, qui Crucem, effigiésque Sanctorum adorare recusant.* Extat adhuc sermo Athanasij de Imagine Christi, & de miraculo in Beryto ciuitate prodito, cum imago cæsa est à perfidis Iudæis, & percusso latere sanctæ imaginis continuò exiuit sanguis, & aqua, qui sermo totus lectus est in Concilio Nicæno secundo ad statuendam venerationem Imaginum. Augustinus libro 3. de Trinitate cap. 10. qui loquēs de signis sacris qualia imagines esse constat, vt supra notaui, ait. *Honorem tanquam religiosa possunt habere.* Cyrillus, Ambrosius, Hieronymus, ad hoc producuntur in actione 4. Concilij Nicæni.

Probatur Rationibus, Prima; Bonum est, & religiosum colere omni modo Christum, sed modus vnus est ipsum colere in sua imagine; nam vt ait Ambrosius sermone 10. in Psalm. 118 *Qui imaginem honorat Imperatoris, vtique illum honorat, & qui statuam contempserit, Imperatoris vtique videtur fecisse iniuriam.* Et patet, quia vnus modus inhonorandi eum est, eandem eius imaginem illudere, vnde Turcæ, vt eum riderent capta Constantinopoli Crucifixum vicatim per lutum traxerunt; ergo Christi imagines colere est bonum.

Secunda, quod aliquid repræsentat honore dignum, eius gerit vicem, vt patet in Legatis Regum; cùm ergo Imagines de quibus agimus repræsentent res sacras honore dignas, est sane cur propter illas eo quoque dignæ videantur.

Tertiam facit praxis Ecclesiæ, & quotidiana miracula quæ Deus per imagines cùm coluntur solet operari, quæ sine dubio testantur Deum approbare & confirmare cultum hunc. Nec dicas Deum permulta operari, quæ venerationem, inde non habent, vt per sputum illuminauit cæcum, per aquas Iordanis curauit Naaman, quin etiam per homines malos multa signa facit, & tamen nec sputum, nec Iordanis, neque mali homines adorandi. Nam Responsio in promptu est non ideò rem aliquam cultu religioso esse colendam; quia voluntati Creatoris creatura deseruit, sed imagines à fidelibus religiosè cultas à Deo assumi ad miraculosas operationes, eásque notorias, profectò hoc est suffragari illi cultui: cur enim quæso imago Sancti Gregorij Nanzianzeni loquendi vsum dedit filio Leonis Armenici Iconomachi, nisi vt patrem de imaginum cultu conuinceret, ait Zonaras.

DIces 4 Reg. 18. Ezechias confregit serpentem æreum, quia coli iam cœperat.

Respondeo, Hebræos adoleuisse illi incensum vti Deo, licet autem thus adolere non sit formaliter Sacrificium, cùm videamus in Ecclesia etiam non Sacerdotes thus offerre ipsi populo aut Prælato: tamen in Lege veteri soli Sacerdoti licebat adolere incensum, & proinde Sacrificium reputabatur, vnde de Hieroboam, qui vt habetur 3. Reg. 12. incensum super Altare adoleuit, dicitur, quod sacrificauerit & immolauerit. Secundo Iudæi obliti significationis propter quam serpens erectus à Mose fuerat, quam Ioan. cap. 3. declarat fuisse Christum. *Vt omnis qui credit in Christum non pereat.* Honorabant statuam illam ob materiam,

riam, ficuti cætera Idola, hoc eſt, putabãt beneficia ſanitatũ ab ipſo ſerpẽte æneo producta; id enim ſignificare voluit Ezechias vocando ſerpentem *Neohuſtan*, quod æs ſignificat, monens nil diuinitatis eſſe in ipſo, vel ænulum, vbi diminutiuum ponitur per contemptum. Abſtulit ergo ex zelo occaſionem erroris, quæ quidem non eſt circa imagines; nam quotidie inſtruuntur Catholici de ſententia & fide Eccleſiæ. Quod ſi ad vnam imaginem beneficij, ſpe potius quàm ad aliam ſupplicabundi recurrant, hoc eſt; quia Deus ſingularia, per hanc edit miracula, quæ per aliam non facit, etſi poſſit indifferenter. Cur autem id faciat non eſt noſtrum diſcutere, vel quia hæ commendationem quandam habent ab artifice, vti Edeſſena à Chriſto facta, & quædam à Sancto Luca depictæ, vel propter incertas Reliquias, vel ob ſanctitatem loci, vt Lauretum.

Dices, tria Concilia definierunt abolendas imagines, Conſtantinopol. ſub Leone Iſaurico Imperatore præſidente Photio Patriarcha Conſtant. Item aliud 338. Epiſcoporum, ſub Conſtantino Copronymo, horum Acta proferunt Magdeburgenſes, centuria 8. cap. 9. Francofordienſe in quo reprobata fuit ſeptima Synodus, ſeu ſecunda Nicæna; ita referunt. Ado in Chronico anni 795. Abbas Vſperg. Hincmarus.

Reſpondeo, hæc Conſtantinop. fuiſſe illegitima, quod patet primò; quia Papa, nec per ſe, nec per Legatos adfuit, vt ex Zonara, Cedreno, & ipſa Nicæna 2. Synodo Act. 6. conſtat. Porrò Regula Eccleſiaſtica eſt, nõn licere indici vel celebrari Concilia Generalia, ſine ſententia Romani Pontificis, qui eſt caput Eccleſiæ. Tum nullum ex Patriarchis conſenſiſſe per ſe, aut per Legatos aſſerunt Authores citati. Et quotquot de Conciliis Generalibus ſcribunt, iſta Conſtantinop. vel non recenſent inter Concilia, vel apertè reprehendunt. Francofordienſi autem repugnaſſe Adrianum Papam fatentur Aduerſarij: quare cum in confeſſo ſit nullam vnquam Synodum habitam pro canonica & legitima, cui Papa repugnauit, decreta eius curanda non ſunt, eo maximè quia Nicænam ſecundam ab Adriano & Leone III. approbatam condemnauerit. Tum incertiſſimum eſt quid in Francofordienſi ſtatutum fuerit de Imaginibus, & Magdeburgenſes dicunt non eſſe definitum, vt hæ tollerentur de Templis, ſed vt quidem manerent, ſed nõn adorarentur, quod ſanè verum eſſe conſtat; nam alioquî deletæ fuiſſent; quis enim obſiſteret decreto Eccleſiæ Occidentalis ab omnibus Prælatis emanato ſub Rege potentiſſimo Carolo Magno. Non eſſe factum probatur ex ſilentio Hiſtoricorum, imò Ionas Aurelianenſis refert tanquam rem nouam & ſacrilegam, quod Claudius Epiſcopus Taurinenſis voluerit delere imagines in ſua Diœceſi. Tum Authores qui referunt factam ibi ſecundæ Nicænæ reprobationem cauſam declarant; quia ſtatuerat adorandas Imagines cultu, aiunt, Latriæ; quod tamen non fuit eius doctrina & intentio. Eſt ergo error de facto in Francofordienſi non intelligente factum Nicænæ ſecundæ Synodi. Errauit ergo hæc Francofordienſis in facti quæſtione.

Dices, multa à Carolo Magno ſcripta contra Imagines.

Reſpondeo, notoriam eſſe ſuppoſitionem, & adulterationem eorum, quod ex eo maximè conſtat; quia Pipinus pater Caroli coëgit Concilium Gentiliaci, in quo coram Legatis Imperatoris Græcorum ſuorum errores circa Imagines refutauit, vt ſcribit Paulus Æmilius libr. 2. hiſtoriæ Francicæ, & paulò poſt Carolus duodecim præcipuos Galliæ Epiſcopos Romam miſit Aſſiſtentes Concilio ibi à Stephano Papa coacto contra eundem errorem. Taceo alias fraudes, quibus Libri iſti conuincuntur falſi, qui tamen admiſſi nihil efficerent nam teſtimonium vnius Laici militaris opponere Concilio vniuerſali Epiſcoporum, ſtultitia eſt manifeſta; nam vt rectè notat Sanctus Damaſcenus oratione ſecunda de Imaginibus. Chriſtus non commiſit Eccleſiam Regibus, & Imperatoribus, ſed Epiſcopis & Paſtoribus.

QVÆSTIO IV.

De cultu Imaginibus debito.

Dira õninò fuit ſuſcitata in Eccleſia perſecutio ab Iconoclaſtis quæ ſexaginta annorum ſpatio Orientem maximè ventilauit, & Martyres innumeros ob Imaginum ſacrarum defenſionem Chriſto cæloque peperit, vt videre eſt in Chronicis. Hæc autem aliquo modo ceſſaſſe intelligeretur cum anno 787. Synodus Oecumenica in Nicæa Bithyniæ ſanciuit Catholicæ fidei definitione, vſum & modum habendum in ſacrarum Imaginum veneratione, qui poſt diligentiſſimum examen quarumlibet obiectionum determinatus eſt, quem ad plenam Lectoris informationem profero.

Sequentes diuinitùs inſpiratum Sanctorum Patrum noſtrorum magiſterium, & Catholicæ Traditionem Eccleſiæ (nam Spiritus-Sancti hanc eſſe nouimus, qui nimirum in ipſa habetur) Definimus in omni certitudine & diligentia, ſicut figuram pretioſæ & viuificæ Crucis; ita venerabiles ac ſanctas Imagines proponendas. Quantò enim frequentiùs per imaginalem formationem videntur, tantò qui has contemplantur, alacriùs eriguntur ad primitiuorum earum memoriam & deſiderium, & ad oſculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ ſecundùm fidem eſt, quæque ſolùm diuinam naturam decet impertiendam. Ita & iſtis ſicuti figuræ viuificæ Crucis & ſanctis Euangeliis, & reliquis ſacratis monumentis incenſorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis pia conſuetudinis erat; Imaginis enim honor tranſit ad primitiuum, & qui adorat imaginem adorat in ea depicti ſubſiſtentiam, perſonam videlicet. Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum noſtrorum doctrina, id eſt, Traditio ſancta Catholicæ Eccleſiæ.

Hæc inquam Iconomachorum perſecutio compreſſa videretur, niſi eamdem noſtro ſæculo paterentur à Nouatoribus Catholici, qui paſſim Idolorum cultores ab iis vocantur, quaſi

vt Deos imagines colant, & tot Deos habeant, quot sanctos religiosè venerantur & colunt. Quod quam iniuriosum & falsum sit propalat decretum Concilij Tridentini sessione 25. vbi expressè dicitur. *Imaginibus venerationem debitam impertiendam esse, non quod credatur inesse aliqua in iis diuinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, &c. sed quoniam honos qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant; ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos veneremur, quorum illæ similitudinem gerunt.*

Itaque si quæritur, *Quo genere cultus imagines honorentur?*

Respondeo primò, latriam penitus excludi quam soli Deo debitam asserimus.

Respondeo secundò, imaginem duplici modo posse considerari: primò, vt est res quædam puta lignum sculptum. Secundò, vt est imago alterius. Et ipsi quidem primo modo spectatæ nullum honorem deberi, cum nullam habeat excellentiam honore dignam: posteriori verò eundem illi cultum & honorem deferendum esse, qui debetur prototypo, cùm hac tamen differentia, quod prototypo honor & cultus primario, & per se seu propter excellentiam propriam tribuatur; imagini verò; non nisi secundariò, & propter ipsius prototypi excellentiam, cui aliquo modo participare censetur, propter moralem quam habet cum ipso prototypo vnionem & coniunctionem.

Nota hanc participationem moralem imaginis cum prototypo includere considerationem & relationem spectantis; nam imago potest simpliciter, vt res quædam artificiata apprehendi, siue vt opus venale, siue vt opus ad pascendos oculos, vel vt in officina existens. Quare vt imago cultum de quo est quæstio exigat. Debet primò pro sacra haberi. Secundò, quod aliqui intelligunt collocari in loco sacro ad repræsentandam alij dicâtam esse cultui diuino: sic enim in Scriptura sactum aliquid dici solet Exod. cap. 3. vers. 5. Terra sancta ratione repræsentationis; quia Deus apparuerat in ea, sicque in Psalm. 2. vers. 6. Psal. 86. vers. 1. montes Numer. 31. vers. 6. & alibi Calices, & alia vasa Templi, Euangeliorum codex, aut Liber Scripturæ sacer dicitur, nomina ipsa, vt Adonai, IESVS, quia repræsentant sanctitatem Dei, sicque de pluribus; nam quemadmodum quicquid in regio Palatio habetur dicitur regale; quia ad Regem refertur, ita imago dicitur sacra; quia ad Deum refertur, aut quia ad personam sanctam repræsentandam facta est, & sumitur: quare cùm sanctitas honorem religiosum exigat, imagines sacræ veneratione & cultu religioso dignæ habentur. Cùm autem in loco sacro posita est imago, tunc ex benedictione Ecclesiæ, quæ à Prælato, vel Sacerdote ei dari solet aliquo modo consecratur, id est, separatur ab vsu prophano, & deputatur vsui diuino, sic sacra fit, hancque consecrationem instituit Deus in veteri Testamento, & ad imitationem Christiana Ecclesia solet ornamenta sacra benedicere; sanctitatem ergo aliquam inde habent imagines aliquamque venerationem mutuantur. At adorationem non aliam, nec aliter quam relatiuè, vt docent Concilia ad prototypa: ratio fundamentalis affertur à Doctoribus; quia idem est motus mentis in imaginem, vt imago est, & ipsum exemplar, vt docet Aristoteles libro de memoria: quare honor imaginis transit in exemplar: vnde Ambrosius libro de Incarnatione, cap. 7. ait eadem adoratione coli diuinitatem Christi, & eius Crucem. *Num*, inquit, *cum in Christo imaginem Dei & Crucem adoramus diuidimus eum?*

DIces, si ratio propter quam adoratur imago non est alia quàm excellentia exemplaris, cui verbi gratia, Christo debetur Latria, cui hyperdulia, vt Beatæ Virgini, aliisve Sanctis Dulia datur, idem planè honor decernendus est imaginibus, res in propatulo est, ex praxi Ecclesiæ, quæ canit de Cruce. *O Crux aue spes vnica, salua præsentem cateruam in tuis hodie laudibus congregatam*, quod est latreuticum.

Respondeo, licet imago eodem colatur actu, quo exemplar, nequaquam tamen ob id eadem veneratione, propterea quia hunc actum honorificum prototypis exhibemus propter se, non propter imagines; imaginibus è contra scilicet propter prototypa, non propter se. Exemplo res illustratur petito à causa principali & instrumentali: idem sanè est actus vtriusque, non tamen eadem causalitas, vt loquuntur Philosophi, seu causandi ratio: illa quippe operatur virtute propria; hæc autem non nisi virtute ab illa accepta.

Respondent quidam rationem cur imago honoretur esse quidem ipsum exemplar, tamen aliter debere honorari, vt est in se, aliter vt participatur ab imagine. Ad quod intelligendum, suppono eundem quidem esse intellectus & voluntatis motum in imaginem & exemplar. Negandum tamen est, esse eandem adorationem, nam licet intellectus vtrumque simul cognoscat, tamen non dicit vnum esse alterum, sed intelligit esse distincta & disparia, propterea non adorat illa vna & eadem adoratione.

Hoc ex inquisitione rei eliciendum est, posito siquidem vnico motu in imaginem, & exemplar tunc vel exemplar concipitur & adoratur tanquam principale objectum, vel non, id est, vel concipio ipsum Christum in imagine objectiuè relucentem, vti facit Ecclesia in die Parasceues, cùm Crucifixus paulatim detegitur & replicatur adoratio! illa omnia Christo ipsi exhibentur per imaginem, túncque nullus honor datur imagini, sed soli prototypo, licet impropriè imago vel crux adorari dicatur seu per accidens, vel concipio & adoro imaginem ipsam, vt Christi imaginem, ita vt Christus in obliquo, non in recto ponatur. Primum tunc adoratio est quidem latriæ, sed refertur in ipsum Christum per se, in imaginem autem tantùm per accidens Si secundum tunc adoratio fertur quidem in imaginem per se, & consequenter inde in Christum, sed non est adoratio veræ latriæ, sed longè inferior.

DIces, Christo conuenire latriam; si ergo ista adoratio terminatur etiam ad Christum, erit veræ latriæ.

Respondet Bellarminus Christo conuenire latriam,

latriam, vt est in se, non autem quando adoratur, vt est in imagine per participationem, sicuti qui honorat famulum Regis, certè honorat ipsum Regem, & tamen longe aliter honorat Regem in propria persona quàm in famulo suo. Nec obstat instantia, quod cùm honoratur imago, honor eius transit ad exemplar; nam dicetur honorem illum non esse talem, qualis debetur prototypo in se, sed qualis debetur ei, vt ab imagine participatur; vnde nec sic punitur, qui statuam Regis læsit, quàm qui verè læsit Regem. Quod si ita puniretur id fieret; quia constaret non læsisse statuam vt statuam Regis, sed accepisse statuam pro ipso Rege. Instantia quoque ex Parasceues aut verba *Aue*, *Salua* nihil vrget; nam tunc accipitur pro ipso Christo, vel est Prosopopeia rhetorica, qua Crucem alloquimur, sicut cùm Moses Deuteronom. 32. dixit. *Audite celi, &c.*

Cultus ergo imaginum, qui propriè eis debetur, neque latria, neque dulia dici potest, cùm hæ voces interiorem submissionis affectum designent, erga eum qui adoratur, aut colitur, qui affectus proinde erga ipsam imaginem concipi non potest, sed tantum impropriè & respectiuè: ita vt, cum externa submissionis nota pura genuflexion s imagini exhibetur internus honoris affectus, puta latriæ vel duliæ; erga prototypum concipiatur, vt declararunt Concilia.

Dices, subesse periculum, ne qui venerantur imagines in iis hæreant, & cultum ad exemplaria ipsa non transmittant.

Respondeo, periculum vix esse, cum omnes doceantur, & sciant, & respondeant non aliud esse quàm imagines, cultus autem ad prototypa semper transeat quamdiu non coluntur, nisi vt imagines Caluino teste, qui l. 4. inst. cap. 17. §. 33 ait. *Eos qui indignè communicant reos esse corporis Domini; quia iniuria symboli refertur ad illum cuius est symbolum.* Ad quid autem inuigilant Pastores & quotidianæ catecheses fiunt in Ecclesia, quam vt fideles norint quid credant & faciant? vnde Conc. Trid. sess. 25. ait. *In has autem sanctas & salutares obseruationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit, ita vt nulla falsi dogmatis imagines & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Omnis superstitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum vsu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lasciuia vitetur.*

Deinde nonne subest periculum, ne sol ipse putetur Deus cum illum plerique vt Deum coluerint, & adhuc quotidie plerique Sinenses colant? ob id tamen Deus non occultat, aut expungit de cælo.

Adde, quod abusus qui objiciuntur sunt plerumque mera mendacia, nec inter abusus reponi debet procubitus, qui coram Imaginibus fit, quandoquidem relatiuè per illum procumbimus coram Christo & Sanctis, quos repræsentant, & quos constat esse honore illo dignissimos. An non Moses cum vniuerso populo Israël procidebat coram Arca fœderis, & columna nubis? Eandem ob causam non est abusus coram iis thus incendere; hoc enim significatur virtutum odor bonus erectáque mẽs ad cælestia desideria. Nec allocutio aut deprecatio imaginum vana est; quia ad illas non ideò dirig ntur seu terminantur, sed ad prototypa vnde Moses Num 10 in Arca Deũ alloquens cũ eam tolleret dicebat. *Surge Domine & dissipentur inimici tui.* Ea omnia approbat Deus, qui plura in hoc vsu bono dispensat, vt communis docet experientia.

Dices, tota hæc expositio honoris relatiui habetur apud Paganos, qui tamen vt idololatriæ arguuntur impietatis: si enim Catholici dicant imagines non adorare ratione sui, & in illis ipsis, sed ratione exemplaris, quod repræsentant, Pagani respondebunt, quod idola, seu simulachra, nec in seipsis, nec vt Deos venerantur, sed quia in illis est quid numinis & visibilia simulachra colunt in honorem Dei inuisibilis.

Respondeo primò modum illum loquendi, quo aliqui constituebant differentiam inter Deos & simulachra non fuisse dogma Paganismi, nec Flaminum doctrinam, qui simulachri idoli, seu imaginis (imago enim & idolũ confundi solebat apud eos) venerationem & cultum docebant, eo quod per consecrationem ab ipsis factam deitas incorporata esset ipsi simulachro, sic Celsus in Origene, sic Ethnicus respondet in lib. 6. Arnob. aduersùs Gentes, & Aug. in Psal. 96. scribit *Quidam disputator respondit, non colo lapidem, vel simulachrum illud sensu carens; nam vester Propheta nosse potuit ea oculos habere, & non vident. Neque ego ignorare potui simulachrum illud non habere animã, nec auribus suis audire, aut oculis suis videre, non ergo ipsi seruio, sed adoro, quod video, & seruio ei quem non video Quis est ille Deus quidem inuisibilis qui præest huic simulachro.* Et lib. 3. de doct. Christ. c. 7. duas species idololatriæ Paganis communes complectens, ait simulachra, vel vt Deos, vel vt imagines Deorum venerantur. Repræsentatio autem hæc, & res effigiata falsa erant, & hoc modo formare idola non licet artifici, ait Aug in Leuit. qu 68. Catholici nusquam dixerunt imagines deificari per consecrationem aut esse Deorum habitacula, nec Ecclesia profitetur inhærere imagini virtutem aliquam per quam edantur miracula. sed ea ab ipso supremo numine omnipotente emanare fatetur, qui ad honorem vel intercessionẽ Sancti effigiati hæc facit. Tum impietatis rei erant Philosophi, qui profitebantur se non colere idola, sed Deos in eis, & per illa quòd falsos Deos colerent, cùm enim lumine naturali verum Deum agnoscere potuissent, non glorificauerunt eum, sed euanuerunt in cogitationibus suis.

Respondeo secundò, falsum esse idola & simulachra Paganorum nunquam pro Diis ipsis habita; nam Israëlitæ desertores clamant disertè Exod 32. de vituli statua quam flagitabant. *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*, & infrà, *Hi sunt Dij tui.* & Sap 13. *Appellarunt Deos suos opera manuum suarum.* & Act. 19. *Hic suadet, quia non sunt Dij qui manibus fiunt.*

Ad plenam idololatriæ & Paganismi intelligentiam nota dupliciter errari posse in generali cultu Dei, duo extrema scilicet sectando. Primò, per Atheismum existentiam Dei negãdo

& cuiuscumque diuinitatis fidem abijciendo. Secundò, per Paganismum apprehendendo, credendo, colendo deitatem aliquam, quæ deitas non sit. Deus ipse immortalis & ante sæcula in seipso, & ex seipso beatus & gloriosus cū daret Decalogum seu Legem suam. Exod. 20. vtrumque damnat errorem. *Audi Israel ego Dominus Deus tuus.* Quibus verbis conuincit Atheos & confundit tria de seipso asserens, Quod existat, Quod sit Deus, Quod Dominus, Quod Deus & Dominus populi sui ipsius curam habens. *Non habebis Deos alienos coram me*, id est, præter me. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra non incuruabis te, neque seruies ei.* Minimus enim honor externus licet, adoratione vacuus exhibitus idolis quæ essentialiter mala sunt, crimen est mortale, quod sanctam Dei Omnipotentis zelotypiam irritat. Itaque *per idola* Deus reprobat cultum & honorem diuinum exhibitum falsæ & supposititiæ diuinitati, siue in se. *Non habebis Deos alienos coram me*, siue in repræsentatione & idolo suo. *Non facies tibi sculptile.* Quod & replicat Leuit. 26.

Secundum has duas considerationes falsæ deitatis, vel in se, vel in eius repræsentatione plures designantur idololatriæ species, nomen hoc idololatriæ sumendo in extensiori eius latitudine in quantum includit omnem cultum alteri quàm vero Deo exhibitum, quo idololatræ quouis modo terram dehonestasse cælumq; irritasse, compertum est.

Prima species est eorum qui creaturam verè existentem, siue spiritualem, siue corporalem venerabantur vti Deum sine interuentu repræsentationis, aut imaginis vel effigiei cuiuius. Hæc idololatria vetus corporales Persis & Seris attribuitur per Celsum in Origene, vbi dicuntur adorasse Solem, Lunam, & Stellas sine simulachris, nec Templa admittebant pro Diis suis præter ipsum cælum, & hinc est, quod vt notat Cicero libr. 2. de legibus Persæ Græciam sub Xerxe ingressi Templa igne vastarunt indignum existimantes, quod murorum ambitu, & limitibus Dij coarctarentur.

Honor iste sic cælestibus corporibus nuncupatus supponit, vel ipsa essentialiter Deos esse, vel deitatem ipsis personaliter vnitam: quare error & falsitas detegitur in obiecto adorationis cum astra hæc puræ sint creaturæ nequaquā cultu latreutico, seu Deo soli debito donandæ.

Secunda species, est eorum qui creaturas non in seipsis, sed in simulachris statuis, & repræsentationibus adorabant, siue creaturæ illæ homines essent, vt Lactantius testatur, qui notat Paganos adorasse defunctos in idolis, quod tamen populo propalare non audebant. Idem habet Aug. lib. 8. ciu. c. 26. scribens Deos Paganorum homines fuisse, statuámque Dei Serapidis digitum ad os porrectum habuisse, quo significaretur nemini licitum esse euulgare Serapim hominem fuisse: hoc sub pœna mortis vetitum, eius tamen obitus & tumulus notus erat omnibus. Siue ipsæ creaturæ dæmonia essent, de quibus Psal. 95 Dauid ait. *Omnes Dij Gentium dæmonia.* & Deut. 32. *Immolauerunt dæmoniis, & non Deo.* & 1. Cor. 10. *Quæ immolant Gentes dæmoniis, immolant, & non Deo.* Siue nec homines, nec dæmonia essent, sed partes quædam mundi mysticè repræsentata per idola: sic aliqui adorabant Cælum in idolo Saturni, Solem in figura Apollinis, Aërem in simulachro Iouis, Ignem in Vulcano, Mare in imagine Neptuni, Terram in figura Cybeles, vti ad longum prosequitur Euseb. lib. de præpar. Euang. cap. 2. Aug. in Psal. 113. In his omnibus falsitas suberat & idolum; licet enim imagines harum creaturarum corporearum, & repræsentatio naturalis forsan falsa non esset, tamen intentionalis, id est, ea sub qua ab adoratoribus apprehendebantur, scilicet repræsentatio deitatis vana & falsa erat, vtpote nulla, sed imaginaria tantum erat, & hoc modo imago quàtum ad rei naturam & formalitatem vertebatur in idolum & simulachrum in quantum religionem spectat, & ad hanc idolo atriæ speciē referri potest Collyridianorum hæresis quā refert & refutat Epiphanius, qui Matrem Dei vti Deam adorabant, eique Sacrificia offerebāt, quæ soli debentur Deo, sicuti sceptrum & coronæ Regiæ Majestati attribui debent.

Tertia species idololatriæ, est eorum qui Deos fictitios non existentes in rerum natura colebant, vti Deos quosdam, & sine simulachris adorabant, v. g. Iouem, Iunonem, Dianam, &c. accepta pro Diis illis imaginariis & fabulosis, qui à Paganis referuntur, & constat eos nunquam extitisse Horum idololatrarum meminit Tert. in lib. de idol. dum scribit idololatriam viguisse ante idola cum Templa vacuè erant. Quod ita & hodie fieri potest, si falsam deitatem concipimus, conceptus ille mentis locum tenet idoli nam cum idolum hoc spirituale, & imaginatio falsa sit (nam quod repræsentatur & fingitur in mente nihil est in mundo) sic falsa deitas sine idolo externo colitur.

Quarta species est, eorum qui falsas deitates in simulachris vnitas easque deificantes eredunt & colunt, ita vt idolum seu simulachrum sic vnita essent personaliter, vel per quandam cōuersionem substantiæ idolorum, vt Iebraitores credebant, vel per infusionem & incorporationem deitatis in ipsa simulachra & idola, & talis erat Exultiorum & Doctiorum fides, vt illa duo vnicum adorationis obiectum efficerent. Denique quod idola non tantum imagines & residentiæ Deorum essent, sed ipsimet Dij. Et hæc communis erat Paganorum idololatria, vt sæpius testatur Scriptura Hier. 2. *Dicentes ligno pater meus es tu, & lapidi Tu me genuisti, vbi sunt Dij tui quos fecisti tibi, surgant, & liberent te in die afflictionis tuæ.* Act. 19. Demetrius Argentarius loquens de Paulo. *Hic docet quoniam non sunt Dij qui manibus fiunt.* Idem P. P. probāt Iustin. *Videte cuius substantiæ res sint quas Deos creditis, vnus ex ære, alius ex ligno hæc colitis, & adoratis, similes quæ is facti estis, & ideo Christianos odio habetis, quia hac Deos esse non credunt.* Tert. aduers. Gent. & Aug. l. 8. ciu. cap. 23. *Certa arte spiritus inuisibiles rebus corporeis vniri, ita vt simulachra corpora fiut animata, consecrata & dedicata spiritibus, hoc ait Mercurius Trismegistus est facere Deos.*

Pagani edocti à Flaminibus, seu Pontificibus religionis credebant statuas & simulachra, dedicatas per certas adiurationes & euocationes magicas, ita vt certa dedicationis & consecrationis formula, deitas falsorum [illegible]

non solùm in iis idolis tanquã in domiciliis habitarent, sed incorporarentur, veluti anima & spiritus, qui hæc animabat, sic intelligendus Tertull. c.12.aduers.Gent.exclamans. *Materia sunt sorores sartaginum & cacab. nostrorum fatum consecratione mutantes.* Sed Minutius Fœlix in Octauio, id clarius exprimit, tria notans tempora in constructione, & fabrica alicuius idoli, in quorum vltimo per orationẽ, & consecrationem paganam deificabatur, & non ante è sylua, vel aliunde extrahitur lignum æs sæpè è vase immundo funditur, lapis sæpè in imaginem ab ignorante exscinditur, nec tamen nascitur adhuc Deus, erigitur, construitur, nec Deus est, ecce ornatur, consecratur, & obsecratur, tunc finaliter est Deus. Hoc modo non solùm Ethnici credebant & adorabant Deos, sed & Iudæi. Exod. 32.& 3.Reg.12. Hieroboam de vitulis. *Ecce Dij tui qui te de Ægypto transtulerunt.* Falsitas & figmentum diuinitatis hoc modo acceptæ satis ex se paret.

Quarta species idololatriæ præfatis subtilior est aliquorum semi-Philosophorum, & semi-Paganorum, qui ex obiurgatione Christianorũ confusi, & absurditatem obiectam dissimulantes, artificioséque colorantes profitebantur se non habere idola & simulachra vti Deos, sed tantùm vt imagines & domicilia, seu residentias Deorum, vt suprà retuli.

Ex Ethnica ista doctrina sic exactè discussa notantur singulares differentiæ inter Paganorum idola & imagines Christianorum. Prima quod idola, vt sic erant mala essentialiter, nec iustum vnquam esse poterat ea efformare, vt scripsit Aug. quod de imaginibus, vt sic simpliciter non potest dici. Secunda idola continebant essentialiter falsitatem, rem scilicet repræsentantia, quæ nullo modo existebat, aut rem quæ non erat quòd credebatur. Contra verò imagines nostræ sunt repræsentationes rerum existentium, vt imago Crucifixi repræsentat Christum, qui crucifixus est. Tertia Pagani credebant idola Deos esse, aut imagines esse domicilia residentiásve Deorum, iisque Sacrificia offerebant, idque est fornicatio quam notat Scriptura. Contra verò Catholici imagines, nec Deos, nec Deorum imagines credunt, nec iis sacrificant. Reducendo ergo accusationes Nouatorum ad certa capita, quibus cultum imaginum criminantur, & vti idola sumi posse contendunt, hæc sunt, vel quia sumuntur pro ipsa re quam repræsentant, vt imago Christi pro ipsomet Christo: hocque falsum est, & responso indignum, vel quia attribuitur eis deitas quædam inhabitans, & hoc falsum, nec vnquã à Catholicis dictum, vel quia ipsis sacrificatur, ídque pariter falsum conuincitur, vel quia alter à Sacrificio cultus exhibetur diuinus, & is ab Ecclesia reprobaretur, nec ipsismet Sanctorũ personis daretur, vel quia res per imaginem repræsentata non existit, idque falsum est; nam omnes Christianorum repræsentationes, vel sunt rerum existentium, vel existentium, vel actionum factarum, aut apparitionum, vel aliquarum virtutum & qualitatum, quæ quo modo possunt figura mystica, & per analogiã repræsentantur. Conuincuntur ergo Nouatores calumniæ, dum Dogma Catholicum de imaginibus relatiuè ad prototypa colendis in Nicæna Synodo, & Tridentina expressum, vel dissimulant, vel idololatriæ arguunt. Nihil hic omninò in cultu illa paganismum redolet, sincera, sana, & sancta est, hæc intentio & propositum venerationis exhibendæ. Quod sanè ex principio isto emanat, quod honor habet pro obiecto suo excellentiam, sicuti amor bonitatem & pulchritudinem, & sicuti amor datur secundùm participationem bonitatis, sic honor exhibetur ad proportionem excellentiæ, quæ notatur in persona honorata. Et inde fit, vt excellentiæ ciuili honor ciuilis impendatur, supernaturali verò plusquam ciuilis; is autem sacer & religiosus nuncupatur. Quædam autem est latitudo in hac excellentia supernaturali, quare si illa quam colimus creata est, & sine eminentiæ prærogatiua in suo ordine, qualis est Sanctorũ, nec non & Angelorum honor religiosus, qui ipsis competit, vocatur dulia; si autem illa excellentia altius supereminet, & aliquid habet speciale, nulli omninò communicatum vti priuilegium maternitatis diuinæ in B.V. honor ei reseruatus excellentior est, & dicitur hyperdulia: at si hæc excellentia est increata & infinita, tunc honor supremus est, & propriè Latria dicitur, quæ cultum soli Deo reseruatum significat.

Nec propter has differentias vocum hærendum est in ethymologiis; si enim strictè loquimur de verbo, *seruire, aut λατρέω, imò, & de voce Latina, adoro.* Profectò notabitur aliquãdo datum Deo & creaturis ipsis, & quasi indifferenter pro honore & veneratione vsurpatum, sed sat est si in sensu Ecclesiæ & Doctorum eius hæc nomina dulia, hyperdulia & Latria vsurpentur ad exprimendam differentiam venerationis: verum equidem est adorationem per vsum temporis restrictum, & reseruatum fuisse ad designandam & significandam latriam, quo non obstante certum est verba sumenda esse ad sensum vsurpantis ea: aliter non caperemus quid intendat & velit ea verba proferens.

Ad hæc in honore sicut & in amore tres motus hominis includuntur. Primus est intellectus apprehendentis bonitatem aut excellentiã obiecti. Secundus est, voluntatis quæ inclinatur ad amorem & honorationem rei quam intellectus iudicauit amore & honore dignam, & in hoc propriè consistit natura amoris & honoris. Ecce vbi amor & honor generaliter conueniunt. Differunt tamen insigniter inter se, in hoc quod amor cum excessus quidam sit extra se, vt vniatur obiecto ardentior & fortior est in motibus suis, transuolat impetuosè, ardentiùs hæret eum obiectum amabilissimum, vel magis de bonitate participans habet. At cum plus excellentiæ percipit in obiecto, quod colere intendit plus & anima retrogreditur respectuosè, & in se reflexa humiliatur & procumbit; ita vt si hæc excellentia increata & infinita sit, tunc in abyssum nihili sui impotens profundioris submissionis descendat ad adorandam illam Omittendo tamen seorsim hanc amoris & honoris differentiam, certum & compertum est, animã fingere, & mentaliter formare in se totidem gradus humiliationis & descensus, quot excellentiæ notat & apprehendit in obiecto. Hoc autem cum ita diuersimodè nequeat exteriùs fingi & inueniri in externis actibus humilitatis, qui pauci sunt. Hinc est, quod sæpè idem cultus exterior exhibetur ciuili excellentiæ, qui religiosæ

religiosæ competit, v.g. genu flecti potest Prælate Regi & Deo, hócque pro singulari & exquisitissima submissione corporali communiter reputatur, inculpatè tamen & debitè vtrisque decernitur; quia anima interius constituit differentiam pro diuersitate obiecti. Imò hæc symbola & testimonia externa honoris & reuerentiæ possunt vsurpari & dari sine affectu venerationis, imò & pro derisione & contumelia, vti factum est Christo patienti, vnde inferri debet honorem, seu honorationes has, si verbo hoc vti liceat exteriores exhibitas rei cuipiá, quæ ex se mala non est non posse reprobari, saltem sine impudentia, nisi priùs constet de motu interiori honorantis, cuius est distinctionem & differentiam statuere; aliàs reus esset, qui ante Regem pro gratia imperranda genu flecteret; nam eadem vsurpatur humiliatio in supremi numinis adoratione.

Hoc posito, eáque stabilita interna mentis consideratione & differentia licitum est assurgere Principis statuæ, genu flectere, coronam decernere, lautos offerre, modo mens ipsa non prætendat terminos honoris creaturæ debiti prætergredi; hoc autem nemo scire & nosse potest quàm ipse honorans. Pari modo Catholici assurgentes, genu flectentes Sanctorum imagini nequeunt erroris argui cùm honor & cultus externus pendeat ab affectu & proposito voluntatis interno, quæ ad propriam rei seu objecti mensurat excellentiam quem impendit honorem. Portò sicut anima discernit excellentiam obiecti, ita & comparat vnum cum altero & symbola quæ præsentia, & ante oculos posita habet discernit à prototypis & exemplaribus, pro quibus repræsentandis proponuntur, vnde in iis non sistit, nec ea absolutè veneratur, sed relatiuè & per comparationem, seu relationem ad prototypum.

Motus honoris sic declaratus facilè & sine contradictione admittitur à rudioribus, nuntij magno in honore habentur ratione Principis, sponsus deosculatur imaginem ob amorem sponsæ, gratificatur seruus ob dominum, quem colere volumus, & populi ipsi sola duce & magistra natura; Principes in eorum statuis venerátur, certum siquidem est, ait Ambr. serm. in Ps. 118. eum qui imaginem coronat honorare exéplar & prototypum Et hoc sensu Ecclesia veneratur, & colit imagines ex affectu in earum exéplaria, seu in ipsos Sanctos.

At inquies Deus Zelotes ait, *Gloriam meam alteri non dabo.*

Respondeo, Deum non magis zelare honorem sibi debitum quàm amorem, nec habemus expressiùs præceptum de honorando, quam de eo amando *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, mente, viribus.* Imò honorem & cultum sui non curat, aut zelat, nisi vt dependétiam amoris; & tamen non ita imperat sui dilectionem, quòd ob amorem illum neminem prorsus diligamus, sed contra ita amari vult, vt amore sui proximum nostrum diligamus.

Quare ergo non sic coli & honorari velit, vt adjuncta ipsi, seu amicos eius colamus & veneremur, ea conditione & proposito, vt ipsum pro objecto talis cultus habeamus? Certè Magnates & Reges reuerentiam & honorem nomini & famæ eorum in absentia exhibitam nó oderunt, imò reus haberetur, qui sub prætextu honorandam solam Regis personam, sceptrum & coronam eius conculcaret. Quid ergo dicemus de iis qui contumeliosè conculcant imaginem Crucifixi & Crucem, sceptrum eius abijciunt, quam Christus pluris facit quolibet ornatu & sceptro Regio, aut in Sanctos cum ipso regnátes iniuriosi sunt, nec vices gloriæ & honoris quem Deus ipse confert ipsis rependunt.

Instabis quicquid sit de SS. imaginibus, Dei nullæ possunt effingi; nam cum substantia sit spiritualis; in illis tamen, & ab illis repræsentatur, ac si membris constaret, essétque corporeus quod maximè prohibetur à Deo Deuteron. 4. v. 15. *Custodite sollicitè animas vestras, non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ.*

Respondeo, processuram instantiam, si pingeretur, vt opinio de Deo talis haberetur, secus si id tantùm fiat, vt sub humana figura, sub qua sensibus objicitur, cùm sub alia non possit, varia eius attributa, & perfectiones membris humanis respondentes, & scitu necessariæ indicentur vt æternitas per canitiem, majestas per thronũ, in quo sedet potentia, seu iurisdictio per globum, quem tenet gloria & diuitiæ per vestes aureas, infinita scientia, per lumen quo cingitur. Si nullo modo posset sub corporea specie objici: quare toties Adamo, Abrahamo, Moysi, & aliis in specie hominis se videndum præbuisset? Apparuisse enim nemo negat, sed & Scriptura tribuit ei membra corporea Psal. 33. *Oculi Domini super iustos.* 129. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* 118. *Manus tuæ fecerunt me.* Isa. 66. *Terra autem scabellum pedum eius.* Nihil hoc aliud est, quam illum nobis sub humana specie objicere.

At inquies tribuit equidem, sed passim admonet esse substantiam spiritualem, ob ídque metaphoricè tantùm membra illa concipienda esse in Deo. Benè quidem, Et cur hæc ipsa cautela prodesse & sufficere non poterit, ne illius nos picturæ decipiant? Nunquid Spiritus Sanctus, qui omnem veritatem docere nos veniebat spiritus non est? Apparuit nihilominus in columbæ ignísque specie. Ad hæc quis nescit non posse quemquam de Deo cogitare, quin in sua mente aliquam habeat Dei similitudinem, vel impressam, vel formatam per conuersionem ad phantasmata? Quis ignorat Angelos quoque esse spiritus? Ecce interim formam humanam sæpè indiderunt, sed & animæ rationales, virtutes & vitia sunt res spiritales; adumbrantur tamen picturis nemine mussitante.

Locus Deutero. solutionem suam affert cóplerè, & non ministeriali modo, id est propositus truncatè. *Et errore deceptus adores ea quæ Deus creauit in ministerium.* En ratio prohibitionis populo huic rudi ad idololatriam procliui, quæ nullo modo Catholicos iamdudum instructos tangit. Stet ergo inconcussa veritas Catholica. *Imagines Sanctorum habendas, & relatiue ad prototypa colendas.*

ARTICVLVS

ARTICVLVS XXXV.

Indulgentiarum etiam poteſtatem in Eccleſia relictam fuiſſe & illarum vſum populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.



O N exiguum ſpei ſuæ fulcrum & præſidium conſtituunt Fideles in ſacro Indulgentiarum theſauro, quem in Eccleſia Dei extare & ad manum ſeu in poteſtate eius eſſe qui Chriſti vices gerit in terris, ipſa agnoſcit Eccleſiæ fides: quemque ad vſum viuorum & mortuorum ipſe clauiger & Diſpenſator fidelis Myſteriorum Dei *aperire ſoleat, non ſolùm anno iubilæi quouis vigeſimo quinto recurrente, ſed pro tempore opportuno, ad imitationem Creatoris.* Qui aperit manum ſuam in tempore opportuno & implet omne animal benedictione.

Theſauri vt plurimùm auro & argento, rebuſque non vulgaribus & inter illas lapidibus pretioſis conſtare aut ſaltem abundare perhibentur. Eccleſiaſticus iſte meritis Chriſti, & ſuperabundantibus Sanctorum ſatisfactionibus conflatur, tanto cumulatior, quòd infinitus, & proinde quantalibet erogatione inexhauſtus, tanto dignior quo minus materialis, & materialia quæuis excedens, licet per hæc ab homine, qui ſpiritualia non percipit, comparatiuè intelligatur. Hinc myſticè de Eccleſia & diuitiis eius cæleſtibus canitur. Lapides pretioſi omnes muri tui, & turres Hieruſalem gemmis ædificabuntur. *Hinc Deus qui vt ait Paul. Epheſ. 2.* Diues eſt in miſericordia, conuiuificauit nos in Chriſto vt oſtenderet diuitias gratiæ ſuæ ſuper nos, *quæ ex parte in Indulgentiis conſiſtunt, & Theſaurum ipſum cumulatiſſimam faciunt. Iſte tamen Theſaurus fuit primus lapis offenſionis, in quem exitialiter impegit impius Lutherus, hic primus eius error è Cathedra ab ipſo publicatus, cæterorum fons & origo, ex quo tanta mala proruperunt. Cum enim Leo X. Papa veritus inſolentes victorias Selimi, Turcarum Imperatoris, cuius in dies creſcebat potentia, decretam in Concilio Lateranenſi Cruciatam cum indulgentiis per orbem Chriſtianum promulgaſſet, & Archiepiſcopus Moguntinus promulgationis munus Tſellio Dominicano demandaſſet, id vſque adeo moleſtè tulit Martinus Luther Auguſtinianus, Vitembergæ, Lector ordinarius qui id muneris quòd primùm deferri ſolebat in Germania fratribus Auguſtinianis, vel ex ambitione aut auaritia ſperauerat, vt confeſtim in ipſas Indulgentias vti pias fraudes ad emungendam pecuniam, propoſitis vltimo Octobris anni 1516. concluſionibus debacchari cœperit, multaque deblaterans contra pontificiam poteſtatem, defenſus à Friderico Electore Saxoniæ ius canonicum cum Bulla ſuæ damnationis à Leone data homo impudentiſſimus publicè cremarit Vuitembergæ, hincque in reprobum ſen-*

sum datus Germaniam; nefandis erroribus profligarit, longè felicius contingit veraciter Christianeque scribentibus de Indulgentiis vnde emanant elucubrationes istæ.

QVÆSTIO PRIMA.

De Definitione Indulgentiæ.

INdulgentiæ nomen varias in Scriptura sortitur significationes. *Remissionis* sic Isai. 61. *Prædicare misit me captiuis indulgentiam.* Lucas 4. reddit remissionem, *Condescensionis & lenitatis* sic 1. Cor. 7. *Hoc autem dico secundùm indulgentiam non secundum imperium* & communiter sic vsurpant sacri & prophani authores.

Ecclesia autem & Theologi coniungentes vtramque significationem. *Indulgentias* vocant remissiones pœnarum quæ sæpe remanent luendæ post remissionem culparum & reconciliationem sumptam in Sacramento Pœnitentiæ quas remissiones summi Pontifices ex paterna lenitate & condescensione in fideles concedere solere. Videtur autem Ecclesia ad hanc rem significandam deriuasse hoc nomen ab vsu Imperatorum & Iureconsultorum: siquidem illi Indulgentiæ solemni proprioque vocabulo appellant generalem criminum remissionem quam aliquando Principes sæculi publicæ lætitiæ causâ faciebant. Vide Codicem Theodos. lib. 9. tit. 38. Qui est de indulgentiis criminum & lege 3. inuenies. *Indulgentiam* fuisse remissionem criminum quoad solam pœnam legibus debitam, & lege 4. nunc remissionem nunc absolutionem appellari, L. etiam Lucius ff. ad Senatus conf. Turpill. & L. Indulgentia C. de generali absolutione. Itaque hæc datur definitio secundum vsum Ecclesiæ, Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis concessa homini existenti in gratia à Prælato per applicationem thesauri Ecclesiastici ad diuinam iustitiam plenè satisfaciendum. Sic Bonac.

QVÆRES, *An Indulgentia sit propriè absolutio vel solutio.*

Respondeo vtriusque sententiæ assertores haberi S. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. ad 3. S. Antonin. 1. part. summæ & alij opinantur esse solutionem id est compensationem pœnarum ex thesauro depromptam & applicatam authoritate Pontificis.

Alij cum Mayronis dist. 19. quæst. 2. contendunt esse iudiciariam absolutionem, quibus prima fronte fauere videntur exempla veterum Conciliorum in quibus videmus Episcopos absoluere pœnitentes ab aliqua parte mulctæ impositæ. Moderni Theologi definierunt vtrumque simul reperiri in Indulgentia. Ita Caiet. Soto, Ledesma & expresse S. Bonauent. in 4. dist. 20. part. 2. quæst. 5. propriè ergo Indulgentia est Absolutio iudiciaria annexam habens solutionem ex thesauro. Sic Bellar. Becan. Probatur ex Scriptura Matth. 16. *Tibi dabo claues & quodcumque solueris super terram.* Matth. 18. *Quodcumque solueritis* quæ profectò intelliguntur de potestate iudiciaria absoluendi.

Probatur ex Canonibus, Alexander III. in Epistola ad Episc. Cantuariens. vt habemus cap. quod autem consuluisti, docet neminem posse concedere Indulgentias nisi propriis subditis, & rationem addit, quia non potest nisi proprius iudex absoluere vel ligare, vult ergo Papa esse actum iurisdictionis. Vide in Decretal. cap. quod autem de pœnit. & remiss. Sic etiam Martin. V. in fine Concilij Constant. concedens Indulgentiam plenariam dicit se absolutionem plenariam concedere. Gregor. VII. concedens Indulgentiam dicit in multis Epistolis se absoluere.

Probatur ratione, quia Indulgentiæ non conceduntur defunctis nisi per modum suffragij, alia autem non est causa nisi quod defuncti propriè absolui iudicialiter nequeant. Ergo Indulgentia quæ datur viuentibus est simpliciter absolutio iudiciaria. Adde quod si non esset necessaria iurisdictio ad Indulgentiam concedendam, quicumque vellet applicare alteri suam satisfactionem, is posset dici dare indulgentiam, quod est omnino inauditum.

Secunda pars quod præter absolutionem debeat applicari Thesaurus probatur primò authoritate Innocentij VI. qui in Extrauag. Vnigenitus hoc docet.

Ratio suffragatur, quia Prælati Ecclesiæ & ipse Petri successor non sunt absoluti Domini vt possint pro arbitrio sine vlla compensatione condonare hominibus culpas vel pœnas, quarum rei sunt in foro Dei, sed sunt iudices à Deo constituti qui possunt quidem pro potestate sibi concessa remittere culpas & pœnas nomine Dei, sic tamen vt iustitiæ satisfiat quod si totaliter absoluit à culpa in Sacramento Pœnitentiæ, id euenit quia infunditur à Deo gratia inhærens cum qua culpa stare nequit: à pœna verò iudicialiter non absoluit totaliter, vt docetur in Art. de iustific. consequenter sumenda est compensatio ex communi thesauro Ecclesiæ.

QVÆSTIO II.

De Indulgentiarum fundamento quod est Thesaurus Ecclesiæ.

AD stabiliendum dogma de Indulgentiis supponendus est in Ecclesia Thesaurus satisfactionum, & potestas in prælatis illum dispensandi. Optime hic vtimur nomine thesauri, similitudine desumpta à Thesauro materiali definiunt autem thesaurum Iureconsulti. *Depositionem pecuniæ cuius non extet memoria* sed latius loquendo vocamus thesaurum cumulum aliquem in quo res pretiosæ sunt recónditæ sine ergo primo modo accipias est in Ecclesia thesaurus ex satisfactionibus Christi & Sanctorum conflatus ab immemoriali tempore initiatus seu à Christi ortu strictè loquendo seu à primo iusto Abel, vsque ad vltimum eorum qui superabundantes satisfactiones habuerunt

runt dispensandas ab illo quem Christus præfecturus erat Ecclesiæ. Siue secundo modo accipiatur, est hic thesaurus in Ecclesia velut cumulus asseruatus rerum maxime pretiosarum & diuitiarum ipsius Christi.

Probatur ex Scriptura Ephes. 3. *Data est mihi gratia Euangelizare diuitias Christi & illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti a sæculis absconditi*, vbi inuestigabiles diuitias vocat copiam gratiarum & bonorum siue meritorum, siue satisfactionum, quam Christus nobis reliquit. Sacramentum absconditum in Deo est redemptio quam per Christum destinauit facere Pater æternus & hæc dispensatur quotidie per applicationem quæ fit meritorum Christi, siue in Sacramentis siue in sacrificiis, siue in Indulgentiis, ibi enim dispensantur, siue communicantur hæ Christi diuitiæ, huius thesauri inexhausti opes. Eodem modo loquitur c. 2. dicens. *Deum qui diues est in misericordia ostendisse in superuenientibus sæculis abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Itaque sicut in omni Republica bene instituta est ærarium quoddam ex quo deferri possunt quæ necessaria sunt ad subueniendum necessitatibus Reipublicæ aut eorum qui magis egent, ita & in Ecclesia Dei thesaurus hic est veluti ærarium e quo desumitur pretium pro iis qui inopes aut vix soluendo sunt.

Thesaurus iste igitur continens Christi Domini satisfactiones eo ipso infinitus existit & inexhaustus, licet autem infinito vt docet Philosophus fieri non possit additio, quod de Physicis censeo exponendum, huic autem adiungi passiones & satisfactiones superfluentes Sanctorum docet Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus*, vbi declarat ad huius thesauri cumulum Beatissimæ Dei Matris omniumque electorum à primo iusto vsque ad vltimum merita siue satisfactiones adminiculum præstare, quibus licet intensiuè non accrescat, vt pote talis a solius Christi meritis existens, tamen extensiuè crescere, nihil vetat: hanc autem accessionem quasi extraneam Christus suis infinitis meritis voluit admittere propter vnionem quam cum eo Sancti habuerunt per gratiam, & nunc habent per gloriam, tum vt magis inter fideles verificaretur hic Symboli articulus. *Sanctorum credo communionem* Hancque satisfactionum vnionem agnoscit Ecclesia, non vt defectum aliquem in Christi satisfactionibus suppleri credat, sed tum vt ipsius Christi virtutem in Sanctis veneretur, tum vt eorum perfectam cum Christo capite vnionem & membrorum eiusdem capitis in vtraque Ecclesia triumphante ac militante communionem demonstret Dari autem superabundantes Sanctorum passiones & satisfactiones qui sanæ mentis de Virgine Deipara in puritate concepta & illibata sanctitate extraordinario cordis & amoris coronata martyrio defuncta dubitare potest! nunquid & priùs verè dixerat Iob calamitates suas quasi arena maris, grauiores esse peccatis suis! Quid non meruere tot Martyres de quibus Heb. 11. Paulus dicit. *Alij lapidati sunt, secti sunt distenti sunt, &c. quibus dignus non erat mundus.* Non perierunt hæc omnia opera pœnalia, licet autem vt meritoria superabundanter sint præmiata in paradiso, tamen vt satisfactoria sunt in thesauro ad prouentum fratrum. Ipsi Sanctorum Chori tanquam parentes nobis thesaurizauerunt, vt in præsenti tempore illorum abundantia nostræ sit inopiæ supplementum; Hoc indicat Apostolus dum 2. Cor. 12. dicit. *Non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis, ego autem libentissimè impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris*, vbi significat se vt spiritualem Patrem thesaurizare fidelibus & vitam mortemque suam illis communicare velle quod expressiùs declarat Coloss. 1. *Omnia sustineo propter electos: nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia* Ex quo loco multi interpretes hunc thesaurum non solum ex passionibus Christi, sed & Sanctorum constare colligunt, ita Bellarm. Salmeron, Suarez, sic enim honoris ergò Christus in consortium satisfactionis plenè obitæ admittit illos sanctos qui superabundanter satisfecerunt; ad imitationem Dei, qui licet sit prima omnium causa, honorat secundas adiungendo sibi socias in agendo. En ergo Thesaurus ex quo depromuntur Indulgentiæ.

QVÆRES, *vbinam sit hic thesaurus, qui sæpe sæpius distribuitur.*

Respondeo si esset thesaurus materialis designaretur in quo reconditus reperiretur, sed cum sit spiritualis non eget loco materiali sed est in diuina acceptatione & præsentia Dei perpetuo existens. Et quidem ita perpetuò vt etiam post diem iudicij mansurus sit iste thesaurus, quia inexhaustæ sunt satisfactiones Christi & Sanctorum nec obliuioni tradentur in perpetuum: Et licet tunc de facto non sint applicandæ remittendis vlteriùs peccatis, non tamen otiosæ erunt, quia Dei gloriam Christique ac Sanctorum illustrabunt.

QVÆSTIO III.

Quis sit distributor Thesauri istius.

Familiare est Catholicis axioma vtilem esse Indulgentiam & ratam si adsit in concedente authoritas, in causa pietas, & in suscipiente charitas, vnde ex parte dantis duo requiri patet, authoritas legitima & causa iusta, nam absoluere & ligare non potest nisi qui iurisdictionem habet. Indulgentiæ autem concessio est actus iurisdictionis vt habetur ex Cap. Quod autem de pœnit. & remiss. præterea distribuere bona communia non potest nisi Magistratus vel Princeps cui bonorum communium dispensatio & administratio credita est. Indulgentia autem præter absolutionem continet etiam applicationem thesauri, Papa solus absolutè loquendo potest concedere Indulgentias, subalterni verò Episcopi quatenus eis Papa concedit, ideoque Papa solus plenarias quibuscumque fidelibus elargitur hasque perpetuas. Probatur ex Ioan. 21. *Pasce oues meas*, quibus verbis explicatur etiam concessio Indulgentiæ, qua oues Christi indigent vt docent S. Thom. in addit quæst. 26. art. 3. Nugnus ibidem, Tolet. lib. 6. cap. 25. Suarez, disp. 49. sect. 1. Coninch. Bellarm. Tum Pe-

tro specialiter dictum est. *Quodcumque solueris super terram* vt significetur ipsum in hac potestate esse primum & principem vt cæteros Apostolos quasi sibi subditos suæque curæ commissos in ea dirigere, arctare, corrigere possit, imo eandem si opus foret eis adimere & auferre, vnde Synodus Alexandrina cui præsedit S. Athanasius ex sententia Concilij Nicæni scribit Felici Papæ. *Romana sedi ab ipso Domino potestatem ligandi & soluendi speciali priuilegio super alios esse concessam* constat ex iure canonico Cap. cùm ex eo de pœnit. & remiss. in summo Pontifice ad indulgentias concedendas esse plenitudinem potestatis.

Episcopi concedunt aliquas indulgentias vt patet ex cap. *Nostro* de pœnit. & remiss. & ex ipsius Ecclesiæ praxi, scilicet vnius anni in consecratione Ecclesiæ, & 40. dierum in anniuersario eius, quam vltimam quandocumque ipsis libuerit dare possunt intra limites diœcesis sicut & Archiepiscopi dare per totam suam prouinciam hoc statutum fuit in Conc. Lateran. Nullus autem inferior Episcopo potest de iure dare Indulgent. etsi Cardinalis sit quia non est dispensator thesauri Ecclesiastici nisi habeat facultatem à Pontifice. Nec Capitulum sede vacante, quia illud non succedit Episcopo in potestate iurisdictionis in iis quæ sunt reseruata dignitati Episcopali. Ita Graffius in Appendice lib. 2. Suarez, Reginald. Alij tenent affirmatiuè.

Episcopus potest facultatem dare suo Vicario dandi Indulg. imò & clerico, quia hæc congruit Episcopo de iure ordinario iuxta restrictionem & limitationem sedis Apostolicæ, vt tradunt Corduba, Suarez. Valent. facultas autem ordinaria delegari potest, Papa autem potest Laico & mulieri delegare hanc facultatem, quia concessio indulgentiarum non est actus ordinis sed iurisdictionis, vnde Abatissæ aliquæ in Galliis dant dimissorias litteras ad ordines, & aliquas Indulgentias.

Concilium generale potest plenariam Indulgentiam concedere, si Felino. Nauarr. Cordubæ. Panorm. Domino Soto assentimur. Conc. Basil. hanc dedit sess. 24. Sed quia tunc erat schismaticum contra Eugenium acta Concilij post dissolutionem quam eius fecerat Eugenius qui Ferrariæ aliud fecerat, non faciunt fidem & multi tenent Concilium generale secluso Papa non posse concedere plenariam, quia vt probat Caiet. non habet Papalem authoritatem nec formaliter nec eminenter, potest autem ea ad quæ se authoritas Episcopalis extendit, nam multi in eo sunt Episcopi.

QVÆRES, *Cur ita restricta sit Episcopalis authoritas.*

Respondeo competere Episcopis iure diuino collationem Indulgentiarum, nam sunt, vt loquitur Paulus, *Dispensatores mysteriorum Dei & Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. quia tamen hoc regimen subordinatur vniuersali, quod Papa habet in vniuersam Ecclesiam, ideo penes illum est eiusmodi potestatem in Episcopis ob iustas aliquas causas extendere vel restringere, vnde in iure restricta est vt ad defunctos non extendatur, & Cardinales centum dierum indulgentiam concedunt non tam à iure quam a consuetudine & concessione Papæ.

QVÆSTIO IV.

An Indulgentiarum vsus necessarius sit.

CHristianis Indulgentiarum vsum esse salutarem definiuit sess. 25. Conc. Tridentinum, idque profitendum, eos enim anathemate damnat qui aut inutiles eas asserunt vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. Hæc autem fidei Catholicæ propositio supponit aliquid restare satisfaciendum peccato ipso dimisso, seu subeundam aliquam pœnam nonobstante venia delicti concessa in Sacramento pœnitentiæ.

PROPOSITIO CATHOLICA.

DEleta culpa non semper remittitur tota pœna debita, quod antequam probem suppono ex S. Thom. 3. parte quæst. 86. art. 4. duo esse in peccato, auersionem à Deo & conuersionem ad creaturam propter quam aliquid contra legem aut committitur vel omittitur. Auersioni respondet culpa, conuersioni pœna, ex auersione ab incommutabili bono consequitur peccatum mortale, reatus pœnæ æternæ, vt qui contra æternum bonum peccauit in æternum puniatur: ex parte etiam conuersionis ad bonum commutabile in quantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicuius pœnæ, quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iustitiæ nisi per pœnam, iustum est enim vt qui voluntati suæ plus indulsit quàm debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur: sic enim erit æqualitas, vnde Apoc. 18. dicitur quantùm se glorificauit & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Quia tamen conuersio ad bonum commutabile est finita, non habet ex hac parte peccatum quòd debeatur ei pœna æterna: vnde si sit inordinata conuersio ad bonum commutabile sine auersione à Deo, sicut est in peccatis venialibus non debetur peccato pœna æterna sed temporalis. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur auersio animæ à Deo in quantum per gratiam anima Deo coniungitur, vnde & per consequens simul tollitur reatus pœnæ æternæ, potest tamen remanere reatus alicuius pœnæ temporalis. His positis.

Probatur Propositio ex Scriptura & experientia, vtraque testatur mortem, vt Rom. 6. dicitur, esse stipendium peccati, cur ergo Adam contritus de culpa non recuperauit primam immortalitatem? & Eua non fuit immunis à doloribus partus? cur terra ipsa ingrata adhuc homini in tanto sudore excoli debet ad fructus & panem percipiendos? Cur post plenitudinem Redemptionis Christi obtenebratus manet intellectus humanus, & voluntas prona ad malum? cur post baptismi regenerationem infirmitates innumeræ ortæ à peccato originali iam deleto quantum ad culpam, non euanescunt? Exodi 32. Deus ad orationem Moysi condonat Israëli peccatum adorationis vituli, & tamen Deus dicit. *In die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum, & percussit populum pro*

reatu

reatu vituli Numer. 20. Moyses dubitanter percutit petram vt det aquas, & peccat, condonatur ei, sed in pœnam frustratur desiderio videndi terram promissionis & fructum longissimi & molestissimi ducatus amittit. 2. Reg. 12. Nathan dicit Dauidi. *Dominus transtulit peccatum tuum, veruntamen filius tuus morietur* & alia multa passus est. Cur hæc omnia legimus si deleta culpa remittitur totalis pœna? 3. Reg. 13. Propheta ob inobedientiam occiditur a Leone, qui abstinuit à cadauere ipsumque & asinum custodiuit, vnde euincitur leue illius peccatum remissum fuisse, pro quo tamen mortem violentam incurrit. Cur passim profitemur peccata nostra inducere multa mala (quæ iustè patimur, non ergo semper condonatur pœna diluto reatu culpæ, sed interdum expianda restat pœna & satisfactio impendenda iustitiæ diuinæ. Id autem totum fieri potest per applicationem meritorum Christi, quia *Non est aliud nomen in quo oporteat nos saluos fieri*. Applicatio hæc ad expiationem pœnæ quatuor modis fieri solet vt docent Theologi) primò per Sacramenta quorum participatio semper remittit partem pœnæ dum eluit culpam integram. Nec mirere totam elui culpam manente reatu ad pœnam aliquam: in promptu est responsio, culpa non deletur sine infusione gratiæ, hæc autem non potest stare cum peccato mortali, alias & grati Deo & inimici simul dicendi essemus; Pœnæ autem reatus potest stare cum gratia, vt videre est in allegatis exemplis & praxi, nam Ecclesia Dei, sponsa dilecta Christi continuis percutitur flagellis non ad eruditionem & præcautionem à peccato dumtaxat, sed ad pœnitentiam de commissis.

Secundò applicatur per charitatem quæ vt 1. Petr. 4. *Operit multitudinem peccatorum* & Cant. 8. *Fortis vt mors dilectio dura sicut infernus æmulatio*. In tali autem intensionis & feruoris gradu concipi potest & haberi vt æquipolleat Martyrio omnemque consequenter pœnam expiet.

Tertiò consistit in operibus satisfactoriis nuncupatis, quia sicut Deum inhonoramus per abusum bonorum exteriorum fortunæ vel corporis & nonnunquam per animæ bona qualia sunt intelligentia prudentia & scientia quibus inflantur prudentes sæculi nimium sibi arrogantes, ita à contrario Deum colimus & honoramus, quando piis operibus, ieiuniis, eleemosynis, bona externa expendimus & oratione humilitate, aliisque, religionis exercitiis mentem nostram Deo vnimus.

Quartò idque maiori cum certitudine & facilitate applicantur nobis merita Christi per Indulgentiarum legitimum vsum, nam sicuti per Sacramenta, charitatem & opera pœnalia, merita Christi nobis donantur, ita & nostra fiunt cum dispensator Domus Dei soluit nos à reatu pœnæ per communicationem arbitrariam thesauri.

Dices, multa loca Scripturæ exprimere Christum solum esse saluatorem qui vt loquitur Paulus 1. Timot. 2. semetipsum dedit redemptionem pro omnibus qui vt Heb. 7. habetur saluare in perpetuum potest, seu vt græcum eis τὸ παντελὲς vertunt Vatab. & Erasm. ad perfectum plenè & perfectè, ergo quando meritum Christi semel est applicatum in Sacramento v. g. Pœnitentiæ non est opus, quod extra soluatur pœna quæ sequebatur peccatum solutum: adde quod accessorium sequitur suum principale.

Respondeo Deum semper sibi similem, misericordem scilicet & iustum viasque eius vt dicit Dauid vniuersas. *Misericord. & veritas* hincque ex misericordia peccati reatum æternum condonare infundendo gratiam, & ex iustitia exigere aliquam temporalem satisfactionem pœnæ libere & temporaliter soluendæ, pro qua etiam præualente misericordia acceptat merita Christi applicata per Indulgentiæ opus. Pœna autem temporalis quæ remanet post culpam dimissam soluitur extra Sacramentum quia non requirit nouam infusionem gratiæ sed eam ipsamet dimittit vel totaliter si summa adsit dispositio v. g. contritionis, vel ex parte.

In moralibus accessorium non semper sequitur principale, nam vt probaui allatis exemplis Deus reseruauit pœnam ablatâ culpâ, quomodocumque autem fiat, semper est in virtute Christi solius cuius efficacia saluat in perpetuum credentes, idque plenè & perfectè.

Dices, si verba Sacramentalis absolutionis vim habent soluendi reatum culpæ quia Christus dixit quodcumque solueritis, Matth. 16. & 18. aut ex verbis quorum remiseritis peccata remittuntur Ioan. 20. cur non soluunt simul vtrumque.

Respondeo quia Deus vti iustus reseruat aliquam pœnam vt luculenter probatum est.

Instabis vnde constat Christum loqui de quibuslibet vinculis soluendis aut ligandis.

Respondeo ex eo quod non adstringit verba sua ad aliquod vinculum particulare, & qui totum dicit, nihil excludit, si vinculum non sit insolubile, quale est matrimonium consummatum.

Dices, non haberi in Scriptura expressam mentionem Indulgentiarum idque testatum faciunt Caiet tract. de Indulg. cap. 2. Durandus Ioannes Episcopus Roffensis, Syluester, quos allegant Nouatores.

Respondeo non haberi equidem sub diuersis nominibus quæ hodie vsurpantur neque earum vsus originem notari, quod tantùm affirmant allegati authores. At fundamenta Indulgentiarum expressa sunt in Scriptura, & ad eas defendendas sub hoc nomine sufficit authoritas Ecclesiæ, quæ certè non prædicaret Indulgentias tam constanter & in Conciliis Oecumenicis non approbaret eas nisi diuinitùs traditam sibi huiusmodi potestatem sciret, quia vero modernus earum reputatur vsus, sit

---

QVÆSTIO V.

De antiquitate Indulgentiarum.

Negant Nouatores extitisse in Primitiua Ecclesia Indulgentiarum vsum & earum originem referunt ad annum 1200. Martin. Lutherus qui anno 1517. Apostasiam & sectam

ctam suam auspicatus est ab impugnatione Indulgentiarum, primò dicendo eas esse pias fraudes matris Ecclesiæ, quæ promissione indulgentiarum filios suos excitaret ad bona opera, cùm tamen non remitiant pœnam debitam in iudicio Dei, sed solùm in iudicio Ecclesiastico: sed postea palam & ex professo docuit esse meras imposturas Pontificum, addiditque thesaurum Ecclesiæ, seu meritorum Christi non esse in eorum potestate, neque expendendum esse in re tam vili, qualis est expiatio à pœna temporaria; Antiqua praxis seu exercitium potestatis dimittendi pœnam peccati extra Sacramentum per merita Christi & Martyrum in Ecclesia Catholica, quæ ob assistentiam Spiritus Sancti non potest errare in fidei dogmatibus, sufficienter dissipat omnes Sectariorum calumnias: vnde vsus Indulgentiarum inconcussus & salutaris manet ad hæc vsque tempora.

Paulus 2. Cor. 7. his vsus legitur. *Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi* remisit pœnam temporalem, quam ferre debebat Corinthius incestuosus, quod profectò non fecisset, si eius remittendi potestatem penes Ecclesiam esse non credidisset. Quod autem illi iam remissa esset culpa constat ex graui tristitia quâ absorbebatur, & cum pœna dicatur remissa. *In persona Christi & vt Spiritus saluus fieret in die Domini*, loquitur de remissione in iudicio Dei, & non solum Ecclesiasticæ disciplinæ conseruandæ gratia, quod vltimum contendunt Nouatores, contra rationem, quia satisfactiones non tantum imponebantur pro delictis notoriis, sed etiam pro occultis, vt testantur Cyprian. lib. de lapsis Sozomen lib. 7. hist. cap. 16. sicque pœna quæ per formam indulgentiæ remittebatur, imposita agnoscitur pro Deo satisfaciendo, & non tantùm ad comprimendum scandalum satispatiendo.

Obscurus equidem & rarus erat Indulg. vsus in primo & secundo sæculo, quia tanta erat Christianorum virtus, tanta deuotio, tantus feruor, tanta denique ad subeundum pro Christo Martyrium alacritas, vt minima eis esset opus Indulgentiarum copia. At quando paulatim cœpit refrigescere charitas, tunc maiori & frequentiori fuere vsui.

Quod autem aliqualiter essent in vsu licet non sub nomine. *Indulgentiæ*, sed sub nomine *condonationis, relaxationis, remissionis pœnæ*, aut *pacis*, vt vocat Tertull. lib. ad Martyres cap. 1. patet ex eodem Tert. & Cypriano epistola 1. qui monet Martyres qui in carcere detenti lapsos mittebant ad Episcopos orantes vt pœnam eis relaxarent. *Vt aduertant diligenter pro quibus, ne apud gentiles quoque ipsos Ecclesiæ nostra erubescere incipiat* & in sermone de lapsis pœnitenti, operanti roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quicquid pro talibus, & petierint Martyres, & fecerint sacerdotes.

Quod autem Ecclesia pacem seu relaxationem pœnæ dare iis, pro quibus orabant Martyres id faceret in quantum considerabat in Martyrio eorum vti passionibus Christi coniuncto aliquid esse superfluentis satisfactionis, patet ex Tertulliano in hæresim lapso, tunc enim negare cœpit, quod alias concedendum suadebat, scilicet pacem & indulgentiam aliquam seu remissionem pœnæ lapsis dandam eum intercederent Martyres. *Sufficiat* ait *Martyri propria purgasse delicta, ingrati vel superbi est in alios spargere quod pro magno fuerit consequutus*. Deinde sic Martyrem affatur si peccator es, quomodo oleum saculæ tuæ sufficere & tibi & mihi poterit?

Alia ratio cur non euulgarentur, aut facile concederentur Indulgentiæ, quia ob fidelium persecutiones non poterant commodè solemnes fieri fidelium conuentus & congregationes, sicut modo videmus in Iubilæo, aut aliis Indulg. quibus populi conuocantur aut inuitantur ad festiuitates Ecclesiæ, & Sanctorum solemnitates. Adde quod Apostolorum & immediatè succedentium discipulorum Spiritus Sanctus frequenter descendebat visibiliter super fideles, multaque maiora Indulgentiis charismatum dona dabat.

Tum temporibus subsequentibus, cum quis mortaliter peccabat exacta seruabatur canonum pœnitentialium censura, & graues pœnitentiæ etiam solemnes agebantur, vt constat de iniuncta Imperatori Theodosio ab Ambrosio Episcopo Mediolan. ob stragem quam Thessalonicæ mandarat fieri, res ita se habuit, Thessalonicenses seditione facta interfecerunt Bothericam militum apud Illyricos Præfectum, quòd noluisset aurigam suum eius artis peritissimum ob facinus aliquod in vinculis detentum dimittere ad solemnem equestrem concertationem. Qua re nuntiata Imperator excandescens ab Ambrosio aliisque Episcopis Mediolani agentibus placatus veniam Thessalonicensibus promisit, sed Comitibus secretò cum illo agentibus de vindicta tanti facinoris, in eius executionem ad Circenses inuitatus populus Thessalonicensis à circumfusis militibus sine discrimine nocentes & innocentes obtruncati sunt moxque ab iisdem militibus per vrbem diuagantibus obuiorum quorumcumque siue ciuium siue etiam peregrinorum tanta est edita strages vt septem millia hominum spatio trium horarum cæsa fuerint. His auditis Ambrosius, appetit per litteras seueriores Imperatorem quem tale facinus indignum Ecclesiastica communione penitus reddidisse, docet monetque vt pœnitentiam agat, postea vero Theodosius animo perculsus Mediolanum accedit, remedium salutis petiturus, hunc Ambrosius ab ingressu Ecclesiæ publicè repulit quousque post publicam octo mensium pœnitentiam eundem in Ecclesiam admisit in festo natalis Domini lachrymantem & humi abiectum veniamque suppliciter petentem. Ita referunt Ruffin. Theodoretus, Paulinus, Sozomen. & Augustin. Nec minus declarat rigorem tunc temporis id est anno 390. & seueritatem publicæ pœnitentiæ exemplum clarissimæ fœminæ Romanæ *Fabiola* nomine, quæ cum diuortio facto cum priori viro nesciens prohibitionem Euangelicam secundas inisset nuptias, post mortem secundi viri (inquit hæc enarrans. Hieronymus Epistola 30.) in semetipsam reuersa saccum induens vt errorem publicè fateretur & tota vrbe spectante Romana ante diem Paschæ in basilica Laterani stans in ordine pœnitentium Episcopo presbyteris & omni populo collachrymantibus sparsum crinem ora

lucida squalidas manus sordida colla submittens, post immensos ipsius fletus & lamenta recepta est in communionem. Quamdiu ergo feruor ille Christianorum etiam Principum viguit exacta Canonum disciplina seruabatur, vnde non facilè per indulgentias relaxatio dabatur, postea tamen abundante malitia, & refrigescente charitate Ecclesiastico illo rigore temperato relaxatæ fuerunt publicæ illæ pœnitentiæ rationabili de causa, & cœpit Ecclesia vti nomine Indulgentiarum & frequentius aperire hunc thesaurum ob indigentiam Christianorum ex quo Pater vniuersalis Christianissimi ex paterna lenitate & compassione frequentissimè copiosas erogat Indulgentias.

Tertio & quarto sæculo extant Concilia Prouinciarum diuersarum, in quibus per Episcopos Indulgentiæ pænitentibus conceduntur Nicænum 1. canon. 12. statuit vt de seriò pœnitentibus *liceat Episcopo aliquid humanius cogitare*. Negligentiores verò iubet idem Concilium, vt definitum pœnitentiæ tempus expleant Concilium Ancyranum paulò ante Nicænum anno scilicet circiter 308. declarat canon. 6. pertinere ad Episcopum humaniùs agere secundùm vitæ modum breuiare, vel protogare tempus pœnitentiæ indictum lapsis. Ita & habet canon. 2. Concil. Laodicen. Idem etiam habet Sanctus Basilius in Epistolis suis canonicis, quæ habentur in Nomocanone Photij can. 73.

A tempore autem Sancti Gregorij, id est quinto & sexto sæculo vsus Indulgentiarum vsque adeò notus est & perspicuus, vt grauissimi Authores. Sanctus Thomas in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 13. & ante ipsum Guilielmus Altisiodorensis libr. 4 Summæ tractat 6. cap. 9. testentur eum concessisse populo Indulgentias in diebus stationum.

Septimò sæculo Leonem III. varias concessisse Indulgentias Ecclesiis Germaniæ & Franciæ, testis est Sanctus Lugderus in Epistola ad Sanctum Suuibert. quæ extat apud Surium.

Anno 844. Sergius Papa dedit Indulgentias trium annorum, & totidem quadragenarum visitantibus Ecclesiam Sancti Martini in montibus in die festo eiusdem; antiquissimum extat marmoris incisum testimonium.

Quis autem credat Leonem III. Sergium II. aut Gregorium I. pios & sanctos Pontifices nouitatem induxisse quam prædecessores non vsurparint? Possent afferri testimonia Gregorij VIII. Alexandri III. sed Aduersarij non contestantur, quæ à tempore Gregorij (quem Caluinus verum Pontificem agnoscit) afferuntur Vrbanus II. circa annum 1093. promouit in Concilio Claromontano. Expeditionem terræ sanctæ, Indulgentiarum largitione, trecenta enim millia Christianorum Cruce suscepta transmearunt in Africam cum Gotfredo Bullione.

Anno 1145. Eugenius III. auxiliatoribus terræ sanctæ militibus concessit Indulgentias, quas S Bernard. promulgans, multa edidit miracula. Nihil vbique terrarum notius Indulgentia Assisiana, quam B. Francisco Christus ipse contulit confirmandam & determinandam à Vicario suo Honorio III. Papa.

QVÆSTIO VI.

Quotuplex concedatur Indulgentia.

VAriæ & multiplices concedi solent Indulgentiæ pro varia & multiplici concessionum forma & concedentium voluntate; licet enim ad concessionem & modum eius requiratur iusta causa ea sufficere credenda est quam eligit summus Pontifex, qui ex officio est legitimus dispensator thesauri, vti clauiger illius, nec est subditorum examinare causam, sed simpliciter acquiescere; Indulgentia ergo conceditur plenaria, vel non, seu totius pœnæ peccatis remissis debitæ, vel tantùm alicuius partis, Plenaria maior dari non potest; licet autem dicatur aliquando plenissima, aut in forma Iubilæi, id non respicit relaxationem majorem pœnæ debitæ, sed dicit tantùm datam facultatem ad eligendum Confessarium, qui à casibus quibuscumque & censuris absoluat, & in votis aut irregularitatibus dispenset, hoc enim fieri solet in Iubilæis. Quod si in Clementina 1. de Indulgentiis legitur concedi Indulgentiam à culpa & à pæna sensus est concedi facultatem per talem Indulgentiam eligendi Confessorem, qui absolutionem impendat à quolibet peccato, non verò per ipsam Indulgentiam peccata seu culpam immediatè deleri. Ita Valentia tom. 4. disput. 7. quæst. 10. Sà verbo *Indulgentia*, & alij communiter.

Indulgentia non totaliter plenaria, sed ex parte relaxans pœnam intelligenda est, prout sonat, si dicat, *de pœnitentiis iniunctis*. valet ad delendum pœnas respondentes illis, vel quæ subeundæ erant à sacris Canonibus, vnde Quadragena intelligitur relaxata pœna 40. dierum, ac si pœnitentia facta fuisset 40. diebus, iuxta Canones pœnitentiales. Si dicitur Indulgentia 40. annorum, aut dierum, sensus non est hominem per illam liberari à pœnis in Purgatorio luendis tali spatio, sed obtinere pœnæ remissionem tantam quantam obtinuisset, si tanto tempore pœnitentias egisset, iuxta sacros Canones, non habita ratione quod breui aut longiori tempore commoraturus fuisset in Purgatorio: nam ipsa forma Indulgentiæ non dicitur, *Relaxamus tot annis pœna, sed pœnitentia.*

Hac occasione obserua non omnes eodem tempore in Purgatorio commorari, sed aliquos diutius, aliquos breuius: nam aliqui diutiùs cum leui pœna ibi commorantur aliqui breuius, sed cum maiori cruciatu & afflictione habita ratione grauitatis delictorum, iuxta illud Apocal. 18. *Quantum se glorificauit, & fuit in deliciis, tantum detur illi tormentum.* & Matth. 5. *Non exeat inde, donec reddat vltimum quadrantem.* Olim præscribebatur *Carena*, id est quadragena in carentia eduliorum solo pane & aqua Pœnitenti concessis.

Ex quo sequitur aliquos ita grauiter in Purgatorio puniri, vt Indulgentiæ multorum annorum fortasse respondeant pœnis vno die luendis. Ita Valentia citatus, Reginaldus, & alij. Remissio mille, &c. annorum suspecta est Bellarmino asserenti hoc insolitum Pontificibus, qui parciùs dabant, 7. 10. 20. annor.

vel ad summum centum annorum; quia Indulgentias referebant ad annos pœnitentiæ solitos assignari à Canonibus, qui vitam hominis seu centum annorum terminum non excedebant, básque à Quæstuariis confictas haber, sed Tolet. libr.6. capit.23. contendit eiusmodi Indulgentias rectè concedi posse, si per illas intelligatur tantum pœnæ remitti, quantum redimere deberet peccator per pœnitentiam, quæ mille annis vel vltra duraret, cuius quidem pœnæ reatum credibile est incurri à multis, qui vt Scriptura loquitur. *Bibunt tanquam aquam iniquitatem.*

Porrò Iubilæus est maxima Indulgentiarum, eo quod vniuersalis ordinariè conceditur, & pro causa publica Dei & Ecclesiæ gloriam spectante, habétque adiunctam facultatem commutandi vota, absoluendi à quibuslibet peccatis & censuris. Hunc instituit Bonifacius Papa VIII. anno Christi 1300. de centesimo ad centesimum. Clemens VI. ad quinquagesimum. Sixtus IV. ad vigesimum quintum, & Innocentius X. celebrauit decimum tertium Iubilæum anno 1650. Vt autem celebrior habeatur Iubilæus suspendi solent anno illo Indulgentiæ omnes quoad viuos quas Romani Pontifices concesserunt, quæ autem sunt pro defunctis, vt Altaria priuilegiata manent in suo vigore, suspensio enim fit, vt omnes ad Iubilæum Romanum concurrant; id autem non concernit defunctos.

QVÆSTIO VII.

Quis sit legitimus susceptor Indulgentiæ?

DVo requiruntur in suscipiente, qui Christianus consequenter baptizatus & Catholicus supponitur; thesaurus enim est pro filiis Ecclesiæ tantùm, iísque non innodatis excommunicatione, quæ participationem bonorum occludit.

Primò, vt sit in statu gratiæ eo tempore quo Indulgentiæ fructum percipit, pœnæ siquidem remissio præsupponit culpam deletam vt ex S. Thomæ & aliorum DD. sententia doceri solet, an autem prærequiratur Confessio, aut sufficiat Contritio; non constat inter ipsos multi cum Suarez exigunt tantùm Contritionem; hæc enim capacem facit susceptorem, modo Prælatus non imponat præuiam Confessionem. Sufficit autem, ait Bonac. esse in gratia, dum perficitur vltimum præscriptum opus, quo posito conceditur Indulgentia: quamobrem qui tempore Iubilæi in quo præscribitur ieiunium & Communio, ieiunat dum existit in peccato mortali consequitur Iubilæum si communicet in gratia, & si è visitandis pluribus Ecclesiis vltimam visitet in gratia; ratio est quia opus præscriptum non debet necessariò esse satisfactorium, aut applicare ipsas Indulgentias, sed est tantùm conditio, qua posita Papa applicat Indulgentiam, adde quod Indulgentia non nititur nostra satisfactione, sed Christi, quare non est necesse, vt sit opus viuum & meritorium: adde quod opus præscriptum licet non exerceatur in gratia, potest tamen esse vtile per ordinem ad finem intentum in concessione Indulgentiæ cùm possit excitare ad pietatem, & ad obtinendum id quod Papa intendit à Deo; Deus enim frequenter exaudit peccatores volentes se ad eum conuertere. Ergo non est necesse omnia præscripta pro Indulgentiis præstari in statu gratiæ, sic Suarez disp.52. sect. 2. Valent. Canus. Sà. Nec dicas opera facta in peccato mortali non esse apta ad applicanda merita Christi, consequenter præscripta quælibet debere præstari in gratia. Respondeo enim ea talia non sufficere ex se, sed quatenus coniunguntur cum vltimo opere præstito in gratia sufficiunt.

Secundò, ad susceptionem requiritur punctualis executio præscriptorum à concedente; quia is talem conditionem exigit, qua non posita non datur, vnde dicitur Indulgentia tantum valet quantum sonat.

QVÆSTIO VIII.

An Indulgentiæ prosint defunctis.

EXistentibus in Purgatorio animabus fructuosè applicantur Indulgentiæ, idque Traditio & praxis satis manifestant.

Probatur tamen more consuetudo. Primò, ex Scriptura 2. Machab.12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Adde omnia testimonia quæ suffragia pro defunctis probant, horum vnum efficacissimum est Indulgentia, Orationes, & alia pia opera habens annexa, & singularem Christi meritorum applicationem. Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram erit solutum.* His vniuersaliter omne impedimentum à possessione gloriæ exprimitur. Illud autem *super terram*, reclamat verbum *solueris*, non autem particulam *quodcumque*, sic exponendo quodcumque ô Petre existens inter viuos, seu super terram solueris.

Probatur ex Sanctis Patribus, August. serm. 32. de verb. Apost. & de Bapt. cap.24. *Orationibus S. Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino quam eorum peccata meruerunt.* Plures alios adduxi in art. de Purgatorio.

Probatur ex vsu Ecclesiæ, constat enim Paschalem I. anno 817. concessisse Indulgentiam pro defunctis in Ecclesia S. Praxedis Alexander VI. celebrans 1500. Iubilæum declarat eius Indulgentias posse pro arbitrio Fidelium transferri ad suos defunctos. Idem fecit Clemens VIII.

Probatur ratione; quia defuncti ratione eiusdem fidei & charitatis vnum cum fidelibus viuis corpus vnámque Ecclesiam efficiunt; si ergo inter viuentes prosunt suffragia cur ea non proderunt defunctis qui purgantur; si autem priuati homines possunt applicare defunctis, tanquam membris eiusdem corporis satisfactiones suas, cur Papa non poterit applicare eisdem satisfactiones Christi & Sanctorum, quæ sunt in thesauro spirituali, cuius ipse dispensator est? Hinc frequenter apparuerunt Animæ Purgatorij à viuis requirentes Sacrificia,

ficia, vt de thesauro satisfactionum Christi per Sacrificium eis applicato iuuari possent.

Quapropter solent Pontifices Altaria priuilegiata destinare in quibus Missæ pro defunctis cum Indulgentia plenaria celebrantur, & per certos Rosarij calculos aut grana dare facultatem applicandi animabus aliquibus Purgatorij suffragia quædam, verbi gratia, Communionem vt virtute annexæ Indulgentiæ liberentur.

QVÆRES, *Quid significet modus suffragij.*

Respondeo, Pontifices sic loqui Indulgentias scilicet prodesse defunctis & applicari per modum suffragij; quia non applicantur defunctis per modum iuridicæ absolutionis, sicut fit erga viuos, qui plenè substant iudicio Vicarij Christi; Animæ enim defunctorum, quia iudicium diuinum immediatè subierunt, & sunt extra viam, non sunt sub iudicio Papæ, & ita non potest eas absoluere à pœnis per modum iuridicæ absolutionis. Sed cùm habeat authoritatem in thesaurum Ecclesiæ, ipse offert de thesauro tantum satisfactionis quantum necesse est ad illas animas liberandas, & Deus illam satisfactionem animabus defunctorum communicatam acceptat, eásque à reatu pœnæ liberat, sic ergo prodest illi hæc communicatio per modum compensationis seu solutionis cujusdam; Pontifex enim illas animas non absoluit, nec remittit pœnam, sed offert id ad quod tanquam suffragium satisfactorium, remissio & absolutio datur à Deo.

QVÆRES, *An Indulgentia infallibiliter prosit & plenè defuncto?*

Respondent affirmatiuè Sotus, Nauarr. Suarez, & alij apud Layman. & deducitur ex Epistola Leonis X. de Indulgentia ad Caiet. vbi docet Papam clauigerum, tam pro viuis, quam pro defunctis thesaurum Apostolica authoritate dispensare, vbi eadem certitudine de viuis & defunctis loquitur: quia clauis semper aperit, si non errat, id est, si rationabiliter Indulgentiam concedat. Forma etiam Indulgentiæ, quam pro defunctis concedunt Pontifices exprimunt animam liberandam, quam voluerit suffragans.


At si hoc est cur vni applicata Indulgentia plenaria, vel celebrato anniuersatio cum plena Indulgentia admittuntur annuæ fundationes eidem animæ applicandæ, quæ soluta ab omni pœna per Indulgentiam plenariam, si certo in eam operata est, credi debet?

Respondent S. Bonauent. Richard. Durand. Corduba, Canus. Medina, Caiet. Indulgentias non prodesse defunctis, nisi ex misericordia & benignitate Dei, consequenter effectum pendere ex libera acceptantis voluntate, quod probabilius censeo; quia nec ex vllo Scripturæ loco, neque ex vlla Traditione constat Deum illas satisfactiones ex thesauro depromptas, & ab Ecclesia sibi oblatas pro defunctorum liberatione accepturum promisisse, præsertim cum ipsa Ecclesia non per modum absolutionis, sed per modum suffragij Indulgentias ipsas concedat tanquam ipsum Deum supplicans, vt eiusmodi satisfactionem, seu solutionem pro defunctorum subleuatione misericorditer acceptare dignetur. Et hinc replicat plenarias Indulgentias; licet enim ritè data Indulgentia infallibiliter operetur, vel ad refrigerium, vel ad plenam liberationem, tamen isti Authores volunt omninò pendere ex mera Dei bonitate, quibus, quando, & quantum ei placuerit. Quare excitari debent Fideles, vt maiori cum affectu & charitate defunctis opitulentur per suffragia & Indulg. applicationes. ratio sententiæ istius est; quia si Princeps qui cupit aliquem in vinculis alterius Principis detentum liberari, offerat ei condignam satisfactionem, liberum est Principi sub cuius ditione reus detinetur satisfactionem ab alio Principe oblatam acceptare: ita licet Papa cupiat per Indulgentiam liberare aliquem à pœnis Purgatorij liberum est Deo acceptare vel nonnunquam tamen inutilia sunt suffragia: nam etsi plenè & determinatè non prosint ad arbitrium suffragantis, tamen suprema bonitas Dei, cui soli compertum est, quod magis est conueniens, alleuiat pœnam. Hoc constat reuelationibus, & specialiter appatitione Benedicti Papæ, qui ab aliquo petiit suffragia declarans se per ea liberandum, quando hoc miseratio diuina decreuerit. Ita scribit Petrus Damian. in Epistola 5. ad Dominicum cap. 4. Si autem anima cui applicatur Indulgentia sit beata, obligatur specialiter ad intercedendum pro suffragante si damnata, Deus respicit charitatem supplicantis, & ad meritum ei computat, vel generaliter alleuiat purgandos.



ARTICVLVS XXXVI.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco.



CCLESIA vel sumitur absolutè prout designat cœtum vniuersalem Fidelium, vel cum additamento, quo denominatur, & in hoc Articulo exprimitur Romana, *priore modo complectitur vniuersitatem Fidelium, passimque dicitur Ecclesia Catholica, in qua interdum hæc aut illa Ecclesia distinguitur, verbi gratia, Parisiensis, Lugdunensis, Aptensis, Auenionensis &c. Nam vt rectè docet Sanctus Cyprianus libro 4. Epistola 9. ad Florentium:* Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens *vnde ait*, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo. *Quapropter Ecclesia nulla intelligi potest sine Episcopo, aut actu existente, aut certè qui est, vt cum Philosophis loquar, in potentia, vt est in Ecclesia vidua, & Sede Episcopali vacante; nec tamen solus Episcopus constituit Ecclesiam, sed requirit plebem sibi adunatam, non parilitate aut æqualitate, sed subiectione, quo modo membra vnita sunt corpori suo. Nec verò ad Ecclesiam constituendam sufficit plebs quælibet, aut Christianorum quorumlibet subditorum multitudo, sed necessarius est ordo sacer & Clerus, qui tanquam ex partibus suis integrantibus componitur ex Presbyteris, Diaconis, seu Leuitis; atque etiam aliis inferioribus Ministris, quorum præcipui sunt Subdiaconi. Ita Concilium Tridentinum sessione 23. Canone 6. ait.* In Ecclesia Catholica esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris. *Sanctúsque Leo Epistola 82. ad Anastasium Thessalon. Quatuor gradus, seu ordines in Clero agnoscit, Subdiaconorum, Leuitarum, quibus ministerium tribuit, Presbyterorum, quibus honorem, & Summi Sacerdotis, seu Episcopi, cuius excellentiam appellat. Ecclesia ergo vt Episcopum habet includit Cathedram & Clerum cathedralem, quem non raro ius Canonicum appellat Clerum ciuitatis; quia in vrbibus frequentia ciuium amplis dumtaxat Episcopalem cathedram constitui iura Ecclesiastica decernunt, non in Castellis & oppidis: Tot ergo sunt Ecclesiæ particulares, quot Sedes Episcopales. Omnes tamen sunt vna Ecclesia, & inter eas particulares Romana Episcopo suo & Clero constans cæteris specialibus Ecclesiis prælucet, velut inter ignes Luna minores, aut sicut Sol inter Astra. Hanc multis modis præcipuam agnoscunt Catholici, vt pote quæ pro dote singulari & speciali ratione ad primum eius Sponsum, seu Episcopum Petrum habuerit à Christo Patre, & Domino, quod inuiolabiliter sit* Sancta, Catholica, Apostolica,

Apostolica, Mater, & Magistra, *cæterarum in orbe diffusarum Ecclesiarum, quas quinque prærogatiuas totidem quæstionibus expendo præuia declaratione præcellentiæ suæ.*

QVÆSTIO PRIMA.

De Principatu Ecclesiæ Romanæ.

SVpposito quod primus vrbis ac plebis Romanæ Pastor & Episcopus fuit Sanctus Petrus, quodque ciuitas Romana alium non habuit Episcopum quàm Apostoli eiusdem successorem: ideò nunc per Romanam Ecclesiam alia non potest intelligi, quam Ecclesia Sancti Petri, eiúsque Cathedra & corpus mysticum, seu Clerus Romanus cum populo, cuius caput est Sancti Petri Successor. Hæc autem Ecclesia Romana totidem modis caput Ecclesiarum dici potest quot modis Sanctus Petrus; & eius Successor dicitur caput Ecclesiæ; hi verò modi quinque sunt; quia quinque notantur ordines, seu gradus Episcopales & principales in Ecclesia. Primus est Episcopi. Secundus Archiepiscopi, seu Metropolitani. Tertius est Primatis. Quartus Patriarchæ. Quintus Supremi Pontificis, & vt appellatur vniuersalis, ac Oecumenici. Hanc capitis dignitatem quintam in Ecclesia Christi solus Romanus sibi vni propriam, aliàs autem quatuor cum quibusdam aliis Episcopis communem habet. Notabis autem Patriarcham esse Primatem, seu Metropolitanum, seu Archiepiscopum & Episcopum alicuius ciuitatis proprium, cui reliquæ dignitates annexæ sunt. Ita enim Patriarcha Alexandrinus erat Episcopus ciuitatis Alexandriæ, Metropolita Ægypti, Primas quoque multarum Prouinciarum & Patriarcha, non tantùm Ægypti, sed etiam Lybiæ & Pentapoleos. Romanus verò Pontifex, seu ciuitatis Romanæ Episcopus est Archiepiscopus, seu Metropolita Prouinciæ Romanæ, quæ septem Episcopos suffraganeos, vt dicunt, complectitur, Ostiensem, qui & Velletrensis est primum Episcopum, Portuensem secundum, tertium sanctæ Ruffinæ: Quartum Episcopum Sabinensem. Quintum Tusculanensem. Sextum Prænestinensem. Septimum Episcopum Albanensem, qui septem sunt immediatè sub Romano Pontifice, & non sunt in alterius Prouinciæ constituti. Est & idem Primas Italiæ & Patriarcha Occidentis.

Quia verò quot modis Ecclesia Romana dicitur tot modis Episcopus Romanus suum Romanum Clerum habet, sicut & alius quiuis Episcopus Ecclesiam suam Cathedralem habere dicitur: is autem Clerus Romanus ex Cardinalibus componitur. Vt verò est Metropolita suos suffraganeos, seu Prouinciæ suæ Episcopos habet, & cum Synodum Prouincialem celebrare vult in ea locum & suffragium habent omnes Episcopi Prouinciæ Romanæ: quatenus autem est Primas omnes Italicæ diœceseos Metropolitas & Episcopos tanquam suum Senatum habet, & eos admittit in Synodum Nationalem. quatenus verò Patriarcha pro suo Clero, seu potiùs Senatu habet omnes Primates Galliarum, Germaniæ, Africanos Occidentales, & vt verbo dicam, eos qui in Occidente comprehendi dicebantur, vt denique est Summus & vniuersalis Pontifex, seu vt Papa Concilium Oecumenic. ex totius Ecclesiæ Pastoribus, seu Episcopis compositum habet. Atque inde fit, vt Ecclesia Romana quinque modis intelligi queat.

Primo pro Catholica & ita nullus extra Romanam Ecclesiam saluus esse potest; quia ea totam Christi Ecclesiam complectitur, estque subiecta Romano Pontifici tanquam Sancti Petri successori Christi Vicario, & totius huius ouilis Pastori.

Secundo, Romana Ecclesia strictiùs sumitur pro ea quæ antiquitùs Occidentalis dicebatur, diuersa ab Alexandrina, Antiochena, quæ Orientalis Patriarchalis dicebatur, & postea Constantinopolitana. Ita Sanctus Hieronymus Romanam Ecclesiam primo modo sumit Epistola 57. tomo 2. cùm ait, ***Super petram illam***, id est, ***Sanctum Petrum ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum Agnum comederit profanus est.*** Secundo autem modo eam sumit cum Epistola 77. tomo 2. ait se communicare cum Occidente, id est cum Damaso.

Tertio modo Ecclesia Romana sumitur Italica, & ita distinguitur à Chartaginensi, Lugdunensi, & aliis Primatum Ecclesiis.

Quarto, sumitur pro Prouincia Romana, seu quatenus complectitur Episcopos eius Prouinciæ.

Quinto denique pro Ecclesia Romanæ ciuitatis, quomodo loquitur Sanctus Hieronymus tomo 2. Epistola 82. ad Euagrium, cùm ait. ***Nec altera vrbis Romanæ Ecclesia, altera totius orbis existimanda est.***

Addiderim verò cùm Sancti Patres tantopere commendant Romanam Ecclesiam semper, aut ferè semper intelligere eam quæ Romanæ ciuitatis propria est, & particularis, ita tamen vt eadem sit quoque reliquarum prima, Magistra, Caput & Princeps. Ita Sanctus Irenæus libro 3. aduersùs hæreses, capit. 3. appellat ***Maximam & Antiquissimam, & omnibus cognitam à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo fundatam, & constitutam Ecclesiam.***

Principalitas Ecclesiæ Romanæ, vt inuoluit Papam probatur ex Scriptura Roman. 1. ***Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.*** Isai. 19. ***In illa die erunt quinque ciuitates iurantes per Dominum Deum exercituum, veruntamen Ciuitas Solis vna vocabitur.*** Illæ Patriarchales Ciuitates, Antiochia, Alexandria, Hierusalem, Constantinopolis, quæ olim in Christi cultu florentissimæ fuerunt paulatim defecerunt ad hæreses & impios cultus. Vnica autem illa Romana stabilis stetit, tanquam Mater & Magistra totius Christianæ Religionis, tanquam Ciuitas Solis, à qua lux fidei & spiritualis lucis radij toto orbe diffunduntur. Ita vt sicut Solem perimi est impossibile, ita &

Ecclesiam Romanam extingui. Hinc speciali diuini Numinis protectione factum est, vt cùm prisci illi Imperatores Christianæ Religionis inimicissimi occiderint viginti quatuor Pontifices intra annos 250. non tamen potuerunt Roma exscindere Pontificiam Sedem: nec id potuerunt Gotthi, Arriani, qui Italiam Romamque summo imperio per annos 59. tenuerunt. Imò cùm quadragies diuersis ex causis Roma exacti fuerint Pontifices Summi; semper tamen ad eam reuocati sunt. Adde quod Galliæ Reges Aueniονem transtulere hanc dignitatem Pontificibus id volentibus, & tamen diuinæ voluntati parendum fuit, vt Romam referretur: de qua Dei voluntate admonuerunt Pontifices illuæ sanctissimæ fœminæ Catharina & Brigida.

Probatur ex Sanctis Patribus, Irenæo lib. 3. cap. 3. *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam conuenire in qua semper conseruata est ea qua'est ab Apostolis Traditio.* Tertullianus libro de præscript. aduersùs hæreses capit. 36. *Ex Romana Ecclesia nobis quoque authoritas præsto est statuta.* Quod si dixeris Tertullianũ loqui de suis, id est Africanis Ecclesiis, ego certè pari iure id de reliquis omnibus dicendum esse existimo, cur enim Africanis potiùs quàm aliis statuta præsto est Romanæ Ecclesiæ authoritas. Petrus Damiãn. libro 2. Epistola 1. Romanam Ecclesiam materialiter, vt sic loquar, spectatam & affixam illi certo loco maximè collaudat. *Lateranensis*, inquit, *Ecclesia, sicut Saluatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est Electorum, ita Mater, & quidam apex & vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc igitur ad honorem condita Sancti Saluatoris Ecclesia culmen ac summitas totius Christianæ Religionis effecta, vt ita dixerim Ecclesia est Ecclesiarum, & Sancta Sanctorum: habet autem altrinsecus Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, diuersis quidem locis constitutas Ecclesias, sed sui compage Sacramenti; quia videlicet in quodam meditullio posita, quasi caput membris supereminet indifferenter vnitis. His itaque tanquam misericordiæ brachiis summa illa & vniuersalis Ecclesia omnem ambitum totius orbis amplectitur, omnes qui saluari appetunt in materna pietatis gremio confouet, & tuetur. Hac Iesus summus videlicet Pontifex arce submixus totam in orbe terrarum Ecclesiam suam in Sacramenti vnitate confœderat, vt vnus Sacerdos vna merito credatur Ecclesia, vnde per Prophetam dicitur. Ecce vir oriens nomen eius & subter eum orietur, & ædificabis Templum Domino, & ipse extruet Templum & portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solium suum, & erit Sacerdos super solio suo.* Videtur Petrus Damian. de Lateranensi, siue Romana particulari Ecclesia agere, & tamen inuoluit & admiscet, quæ apertè pertinent ad Ecclesiam Romanam, prout in omnes alias particulares Ecclesias ius habet, estque caput omnium particularium Ecclesiarum, quod non cadit in Romanam Ecclesiam, nisi ratione Pontificis. Idem apud alios Patres facile est deprehendere. Passim namque Patres, & probati Doctores Romanam Ecclesiam denominant. *Columnam Veritatis & Religionis portum tutissimum.* Quod non dicunt de Romana Ecclesia, prout particulari & spectata seorsim ab eius capite, quod idem est Caput vniuersalis Ecclesiæ à Christo constitutum, sed talia dicunt, prout comprehendit Sancti Petri Successorem & Christi Vicarium, sub qua ratione tantopere apud Veteres splendet Romana Ecclesia, & sub qua consideratione Articulus iste Professionis Catholicæ proponitur.

Probatur denique Conclusio rationibus. Eodem modo se habet Romana Ecclesia ad cæteras, quo primus eius Episcopus, id est Beatus Petrus ad cæteros, sed Beatus Petrus cæterorum Caput & Magister fuit, ergo & Romana Ecclesia Caput est, Magistráque cæterarum. Maior patet, quia Episcopus repræsentat Ecclesiam suam Cathedralem velut Sponsam suam. Minorem sequentes confirmabunt Quæstiones. Secundò, in quouis rerum genere, vnum quiddam est, & esse conuenit, veluti Primum, Capútque cæterorum in humani propagatione generis. Primus graditur Adam in regno Rex, in bello Dux, in naui Nauclerus, in domo Paterfamilias, in Senatu Præses, in schola Ludimagister, Sol inter sydera, inter Cælos primum mobile, inter elementa ignis, inter volucres Aquila, inter quadrupedes Leo, inter humana membra Caput, inter scientias Theologia, inter virtutes Theologicas Charitas, inter Morales Religio, inter sensus interiores æstimatiua, inter exteriores visus, inter ciuitates regni Iuda Ierusalem, inter ciuitates regni Israël Samaria. Quidni existimemus à Deo pariter constitutum, vt inter priuatas Ecclesias vna quædam primas teneret? *Nonne quæ ab illo sunt, ordinata sunt.* Rom. 13. quid est *ordinata sunt*; nisi ordinem quendam ad inuicem seruant secundum quem alia pendent ab aliis quousque ad vnum primum veniatur. Ex priuatis verò Ecclesiis vere Christianis, atque Orthodoxis cui potiùs quam Romanæ decerni, ac destinari debuit hic principatus? Certè cum Roma orbis apex extiterit, consultum fuit vt Christus ad explicandas opes gloriæ suæ ibi constitueret Ecclesiæ Primatum, quem condidit, vnde à populis omnibus conspiceretur. Hinc Sanctus Leo serm. 1. de Nat. Apost. *Beatissimus*, ait, *Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium Gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac vrbe non essent, aut quæ vsquam gens ignorasset, quæ Roma didicisset?* Cùm præterea Roma Caput fuerit superstitionis omnis, decuit ibi Sedem esse principalem, vbi tantus eius hostis debellandus erat. Hoc ipsum Sanctus Leo ibidem addit. *Hic conculcandæ Philosophicæ opiniones, hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus hic omnium sacrilegiorum impietas detestanda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum.*

QVÆSTIO

Qvæstio II.

De Sanctitate Ecclesiæ Romanæ.

QVomodo Sancta agnoscenda sit Ecclesia Catholica pro toto cœtu Fidelium sumpta, satis enucleatè habet digestio Articuli noni. Nunc priuatim quæ sit Sanctitas Romanæ Ecclesiæ fidelibus Catholicis profitenda aperio tanto libentius & religiosius, quod Sectarij ora & calamos perstringunt in conculcationem eius. Romanæ autem Ecclesiæ nomine intelligendum esse aggregatum ex Romano Pontifice, velut proprio & peculiari capite Romani Episcopatus, & Clero item & populo eiusdem Episcopatus declarat aut supponit Articulus quem exponimus.

Primò igitur Romana Ecclesia dicitur Sancta, quia Caput eius, seu Petrus Episcopus Romanus sanctus est: sicut enim pulchra dicitur persona, quæ pulchram faciem habet, ita & Ecclesia Sancta dicitur à sanctitate notoria primi sui Antistitis, quam in successores deriuatam saltem ratione Episcopatus & dignitatis Capitis talis Ecclesiæ & Vicariatus Christi in vniuersam Ecclesiam, publica vox est, cùm Pontifex Romanus sanctitas ipsa abstractum pro concreto maioris reuerentiæ gratia soleat compellari, hodiéque titulus ad summum Pontificem arctetur, nec vlli alteri, siue Episcopo, siue Magnati tribuatur; etsi enim titulus Sanctitatis, Sancti, & Sanctissimi Episcopis olim concessus legatur, passimque Sanctus Augustinus, nec-non Theodoricus & Athalaricus Reges Arriani frequenter hoc titulo honestent quoscumque Episcopos, quod item passim fieri videmus à Sidonio & alijs antiquis vsus tamen inualuit, vt Romano Pontifici speciale sit hoc decus attenta persona quam sustinet successoris Petri, quæ cum ad imitationem sanctitatis tanti Apostoli obstringit, ne dicam facta consideratione ad Vicariatũ Christi Episcopatui suo annexum, qui eum ad omnem planè sanctitatem obligat & facit omnibus Sacro-sanctum & peruenerabilem, vt ferunt iura, quæ ad huius tituli illustrationem addensat Troilus Maluetius libro de canone Sanctorum, dubio 1. numer.16. Ennodius in Apologia, à Sancti Petri Romanorum Pontificum primi sanctimonia repetit decus hoc Successorum, quantumuis aliquando noxiorum. Ille, inquit de Sancto Petro perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros, quod illi concessum est pro actuum luce ad illos pertinet quos par conuersationis splendor illuminat. Quis enim Sanctũ esse dubitet, què apex tãtæ dignitatis attollit, in quo si desint bona acquisita per meritum sufficiunt, quæ à loci decessore præstantur, aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat, prænoscit enim quid Ecclesiarum fundamento sit habile super quem ipsa moles innititur. Hunc locum ex decretis Beati Symmachi Papæ allegat Sanctus Gregorius VII. libro 9. Epistola 21. præmiserátque (quod hanc Pontificum sanctimoniam valde illustrat) à tempore Sancti Petri vsque ad ipsum Gregorium Romanos Pontifices centum inter sanctissimos esse numeratos, quot à mundi principio non sunt recensiti Reges terræ, qui eximia sanctitate sint celebrati. Sancta est; quia sanctitatem omnem profitetur, non secus ac pictor, qui picturam sancta est; quia vt prauis quibusdam membris non careat (ecquænam expers est omnium) vicissim tamen abundat viris ac fœminis insigni virtute præditis, à quibus iustum est potius denominationem fieri, vt renuntiant omnes, qui inde ad suos redeunt & odio præoccupatum non habent, nec eo tulerunt iudicium. Nam qui tulerunt & corruptissimi sunt alios omnes sibi similes arbitrantur, sicut qui scotomate laborant, seu vertigine omnia in gyrum circumagi credunt.

Sancta est, quia sanguine infinitorum Martyrum vncta & inundata est, & sacris eorum pignoribus decorata cum intra ambitum & septa veteris Romæ plusquam trecenta millia Martyrum propter Christi fidem obiisse passim referant Authores, & apertè legatur in Martyrologio, vt merito Beata Catharina Senensis dixerit, dum Romæ Stationes obiret. *Ego calco sanguinem Martyrum.* Ideò & ipsa Romæ viuere desiderabat, & ibidem mori voluit, sepultáque est in Templo Beatæ Virginis super Mineruam. Imò plurimi olim Romani adiuerunt, & ibi viuere & mori voluerunt, vt faciliorem ad cælum viam haberent.

Sancta est omnibus modis, quibus ipsa Ecclesia vniuersalis in symbolis Christianis, Apostolico scilicet & Nicæno creditur Sancta. Quantum autem ex variis Doctoribus colligere potui, existimo sanctitatem Ecclesiæ duo complecti capita. Primum est eius doctrinæ veritas, quæ duplex est, speculatiua & practica, illa fidei doctrina est, ista morum; vnde vt hanc sanctitatis partem Ecclesia Romana habeat necesse est primo, vt nihil fidei aut veritati vlli etiam naturali contrarium doceat: nec enim audiendi sunt, qui existimant in fidei diuinæ principiis aliquid verum esse, quod in Philosophiæ naturalis principiis falsum sit, alioqui enim alterutra earum, fides diuina, aut ratio naturalis seu Philosophia esset falsa, & cùm Deus vtriusque sit Author, is quoque falsitatis Author esset, quod dicere impium est, aliud enim est esse supra omnem rationem humanam, aliud est, esse verum respectu principij diuini; Deus enim qui rebus limites fixit hos vt voluerit ad fidei supernalis Mysteria, quæ Ecclesiæ suæ credenda proponit prætergreditur, vnde sicut fides humana cedit rationi; ita ratio naturalis cedere tenetur fidei diuinæ.

Necesse est secundò, vt doctrina eius de moribus vera sit, seu rationi tam diuinæ quàm humanæ rectæ consona, nihilque malum aut prauum leges illius & præcepta iubeant, sed lex eius sit immaculata, conuertens ad Deum finem verum, & mores benè conformans, sicut in speculatiua doctrina testimonium eius fidele sapientiam præstans paruulis, seu credentibus.

In Ecclesiæ Romanæ doctrina nihil falsum, & in legibus eius decretis & institutis nihil prauum reperiri, sed ea esse huiusmodi, vt qui ea diligenter obseruat vitam piam, innocentem, sanctámque agat, inde intelligitur, quod

quod quæ ipsa docet Ecclesia ipsa vniuersalis pro oraculo habeat, nec firmius huiusce assertionis testimonium produci potest, quam quod singulis ferè sæculis ab ortu suo, Christique Domini ad cælos Ascensione extiterunt grauissimi eius hostes & aduersarij, qui multa dogmata falsa, aut crimina ci aut Episcopo eius calumniosè affinxerant, sed iis clarissimè dilutis, & omni eorum suspicione depulsa victrix stetit: quotiésque se Ecclesiæ reformatores & specialiter Romanæ censores & correctores prædicarunt Hæretici, aliud nihil egerunt quã quod aliquorum prauorum Christianorum, aut Romanorum ciuium, vel Clericorum vitia aut fragilitatem notarunt, & vt summum occasionem dederunt Ecclesiæ Antistitibus,& Romano Pontifici sanctissima sua decreta renouandi. Legatur Concilium Tridentinum & quiuis iustus arbiter iudicet, an quid in eo à sanctitate alienum contineatur.

Secundum Sanctitatis Ecclesiæ Caput est, vis eius sanctificatiua, ita vt cultores suos, & discipulos sanctos facere possit per doctrinam Sacramenta institutiones & ritus; sic enim Ecclesia vniuersalis Sancta dici potest; quia sanctitas est causa sicut frigus pigrum, Sol calidus dici potest. Quam aptè autem & religiosè illa omnia habeat & celebret Ecclesia Romana ex eius ritibus constat, quos ferè in omnibus aliæ imitantur Ecclesiæ, & Rituale Romanum pro sanctificatione Catholicorum generaliter obseruetur.

Quis præterea nescit in Ecclesia Romana vigere etiamnum sanctitatem morum perfectam & integram: in ea enim sunt sacris initiati continentes & cœlibes ad preces diuinas obligati: in ea sunt varij Monachorum & Religiosorum Ordines, qui quidem perfectionis studium omnes profitentur, sed singuli aliquam sanctitatis partem sibi excolendam particulariter assumunt: alij magnam vitæ austeritatem, alij ciborum abstinentiam, alij diuitiarum & corporis non tantùm voluptatum, sed etiam commodorum contemptum, alij contemplationem, vt quemadmodum in vno corpore multa membra sunt, & singula habent officia sua & facultates vitales sibi ab vna eadémque anima communicatas, ex quibus omnibus resultat vna totalis perfectio vitæ, seu, vt ita loquar vitalis integritas & plenitudo, ita Ecclesia sit quidem vnum corpus, vno eodem Spiritu-Sancto viuificatum, non omnia tamen eius membra idem officium habeant sed suum singula, & vitæ spiritalis dona sibi ab illo spiritu viuificante inspirata & concessa, vt in illis omnibus Ecclesia sanctitatis suæ, & eius officiorum omnium munerúmque plenitudinem possideat. Vide Paul. 1. Corinth. 12. diuisiones gratiarum, ministrationum, & operationum ab eodem Spiritu-Sancto referentem. Est igitur Ecclesia Romana Sancta.

Dices mulier subrogata Sedi Romanæ probatur; ergo defecit successio: nam præfectura Ecclesiæ vniuersalis non congruit fœminæ, quam tacere in Ecclesia, & nequaquam docere præcipit Paulus 1. Corinth. 14. *Mulieribus non permittitur in Ecclesiis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.* Quomodo ergo erit Caput Ecclesiæ contra fas omne ius & decus, & præter intentionem Electorum. Probatur Antecedens ex relatione Historicorum, qui scribunt mulierem, siue Moguntinam consequenter ex Germania, siue Anglicam, primo Gelibertam nomine postea Ioannam nuncupatam ementito sexu mirum in modum in scientiis profecisse in Vniuersitate Athenarum, ita vt publicè docuerit Romæ, & inde à Clero vniuerso assumpta fuerit in successorem Leonis IV. anno 855. & Sedem tenuerit annis 2. mensibus 5. diebus 4. Marianus, Scotus, Benedictinus in Monasterio Fuldæ in Germania, anno 1080. omnium primus hoc Chronico suo inseruit Martinus Polonus Monachus Cisterciensis, Pœnitentiarius Innocentij IV. indéque Archiepiscopus Cosentinus idem Chronico suo edito 1275. attexuit.

Rodolphus Higeden Anglus Benedictinus enarrationem ad longum dilutauit.

Hos sequuti sunt recentiores Bocacius Florentinus, Ioannes Baleus Anglus, Centuriatores Magdeburg. Author Annalium Aquitaniæ, Ful.osius, Sebastianus, Francus, & inter istos Baptista Platina Cremonensis Bibliothecarius Sixti IV. qui vitas Pontificum anno 1472. digessit, fabulam hanc de Papissa maximè promouit, licet sic scribat. *Hæc quæ dixi, feruntur vulgò, incertis tamen, & obscuris Authoribus*, & paulò post, *erremus etiam nos hac in re cum vulgo.*

Respondeo primò, Chronologos temporis assignati Papissæ, nequidem de hoc prodigio mutire, nec verbulum haberi apud Anastasium Vaticani Bibliothecarium, qui Pontificum historiam anno 878. texuit, & sex Pontificum electioni interfuit Sergij, Leonis IV. cui subrogata dicitur Ioanna Benedicti III. Nicolai V. Adriani II. Ioannis VIII. Nec meminit Ado Viennensis Episcopus, qui exprimit in suo Chronico inter Leonem IV. & Benedictum III. nullum intercessisse Pontificem, sicque consentienter scribunt Rhegino Lambertus, Hermanus, Contractus, & alij Anastasio contemporanei. Omnes isti ignorant hanc Papissam, nec quicquam de ea audiium, aut scriptum est, donec apparuit quadragentis post annis Martinus Polonus anno 1250. *A quo* ait Onuphrius, Panuinius, Augustinianus, Platinæ emendator, *Haud multum occupato, sed potius simplici scriptore Ioannis fœmina fabulam, quotquot post eum scripserunt hausere.*

Nec dicendum citatos sinchronologos dissimulasse ob reuerentiam Sedis Apostolicæ: Nequaquam; nam tenor historiæ simplex & verax nemini parcit. Adde quod Græci, qui ante Martinum Polonum scripserunt, vt Zonaras, Cedrenus, Ioannes Curopolates, & alij qui ratione schismatis inter Latinos & Græcos Sedi Romanæ offensi id liberrimè scripsissent & quanam ratione Leo IX. quiducentis plus minus annis post vixit, scribens ad Constantinop. Patriarchalem Michaëlem Cerularium, & Leonem Acridonum Episcopum in hæresim & schisma lapsos in prima Epistola, siue libello aduersùs hæreses Græcorum, c. 23. reprehendere potuit Ecclesiam Constantinopolitanam, quod Eunuchos in Patriarchatu suo collocasset (Niceram & Ignatium intelligit) & fœminam in ea Sede sublimasset aliquando, si fœmina etiam Romæ quod longè peius

peius est Pontificatum tenuisset? Respondeo secundò Authores istius narrationis non sibi constare, sed passim in singulis circumstantiis contradictoria afferre, verbi gratia, in natalibus, educatione, progressu, nomine ipso, moribus, tempore enixionis, & modo quo tantum prodigium patuit, tempore Pontificatus, & modo quo obierit, hæc omnia plano, & distinctissimo tenore historia, vt fidem faciat debet habere, at hic nequidem duo inter tot Ecclesiæ Romanæ accusatores conueniunt inter se vt apprimè discutit Coronus in sua institutione. Fabulæ huius germana hæc est Origo.

Quando Pontifices, Romani, Auenione sedem habebant, & sub Pontificatu Ioannis, XXII. qui creatus fuit 1316. Ludouicus Bauarus, electus Rex Romanorum contriuit Fridericum, imperij competitorem & à vinculis ea conditione dimisit quòd nullum ius supremum in Germania aut Italia vnquam assumeret. Pontifex copias in Italiam sub regimine Raymundi, de Cardona mittit pro conseruatione ditionis Ecclesiæ, & Ludouico, recessum præscribit, inhibendo ne subsidium, Vicecomitibus, Mediolani præstet, eò maximè, quòd nondum confirmatus esset ab Ecclesia in Imperatorem. Indignatur Ludouicus, & subsidium accelerat, hincque consistorialiter excommunicatur à Papa die 8. Octob 1323. & fautores eius sacerdotes deponuntur à sacerdotio. Appellat Ludouicus, ad futurum generale Concilium, quod Romæ conuocare intendit, Romamque cum potenti exercitu cui Castruccium Luccensem, præfecerat mox tendit: ibi receptus an. 1328. Papam citat & conuocatis Senatoribus & Magistratibus sententiam excommunicationis per quemdam Nicolaum, Fabrianensem, Augustinianum pronunciare facit aduersus Papam & statuere ne longiùs discedat ab vrbe quàm quinquaginta millibus, & ne tribus mensibus superinducat absentiam suam sub pœna aut periculo depositionis. Consequenter die 15. Maij publicam orationem ad Senatum habet Nicolaus, Fabrianensis & Ludouicus, eligendum curat. Papam fratrem Petrum, Ruinalutium de Corbaria diœceseos Rietæ fratrem Minorem probatissimi nominis, hic nobili ex prosapia primò matrimonium inierat cum nobili Ioanna de Corbaria filia Matthæi quam ipsa repugnante reliquerat ad minoricæ vitæ suscipiendam professionem, in qua famosus euasit creatus Pontifex Nicolaus V. dictus est, & statim duodecim creauit Cardinales, vt notat Onuphrius, nouis vero exhinc rebellionibus in Ludouicum exortis, qui pro excommunicato & abdicato proclamabatur, relicta Italia quæ fere tota ab eo defecit redit in Germaniam, interea Ioannes XXII. Sententiam excommunicationis in Nicolaum dicit, tuncque vxor eius Ioanna quæ abdicationem à viro suo inuita tulerat, maritum repetit ab Episcopo Reatino, instando quòd sine consensu suo non poterat maritus resilire à coniugio, sententiam obtinet pro voto, nec facile quietari potuit mulier sicque diuulgato rumore vna omnium in curia Auenionensi toto tempore pseudopontificatus Nicolai, hoc est tribus annis totidemque mensibus erat vox, quod Ioannes erat legitimus Pontifex, *Romæ autem aut in Italia vna Ioanna Papissa*. Ex isto autem scommate efficta fuit historia quæ in antecedens sæculum 848. reiecta vt pote obscurum & tenebrosum, inserta fuit scriptis Mariani Scoti & Sigeberti, & Martini Poloni, vnde multi sublequenter decepti ab anacronismi suppositione fabulam hanc tanquam veram & germanam historiam commemorarunt & ampliarunt & inter alios Platina, Boccacius, Sabellicus, Fulgosius, Textor, Papirius Masso, hoc autem obseruandum est remotiores ab hoc sæculo scriptores, plura de hoc euentu narrare, quod vt plurimùm notatur de narrationibus commentitiis, in quibus ad libitum dilatantur qui eas sermone vel scripto referunt.

Ex suppositione ergo istius Ioannæ Papissæ fit vt successor Adriani II. duplex Ioannes VIII. reperiatur, licet Chronologica tabula locum primo non relinquat.

QVÆRES, à quo & quare iocosum istud effatum curiæ Auenionensis, de Romana Papissa Ioanna, vsu publico transierit in historiam.

Respondeo primum authorem istius fabellæ ex scommate contra pseudopontificem Nicolaum in curia Ioannis XXII. natæ, notari Raynulphum, Hygden, Anglum ordinis S. Benedicti, is enim in suo polychronicon quod edidit anno 1343. hanc ad longum habet & ex eo irrepsit in marginem Mariani Sceti, & aliorum quos citaui; ex margine autem in textum coaluit, vt in aliis plerisque operibus periti nonnunquam discernunt; authographi autem non meminerunt, quare adscititia additio facilè deprehenditur. Hæc autem verisimiliter colligitur occasio. Eduardus III. Rex Angliæ inhians regno Francorum, Vicarius, Ludouici Bauari, in Italia facilè commotus fuit in Ioannem Papam instante Bauaro, nec minus ad hoc Eduardum instigabat dux Lancastrę Episcopis infensissimus, consequenter & primario eorum, sicque Anglus vel vt suæ nationi ex fœmina ad thronum Apostolicum euecta gloriam conciliaret, vel vt Eduardi Regis sui ægre ferentis sublimationem Ioannis qui Gallus erat, & cui decimas pendebat assentaretur inuidiæ, vel denique vt fraticellorum vt dicebantur qui sub Guilhelmo Minorita Anglo Oxam Bauari, stipendario contra Papam altercabantur pro introductione communitatis, bonorum factionem corroboraret. Anglus inquam primus fabulam hanc de Papissa literis mandauit & in sæculum quod falsitatis illum conuincere non poterat ex defectu Scriptorum fraudulenter reiecit.

Hæc mihi verisimilior habetur occasio introductionis fabulæ de Ioanna Papissa. Non omittam tamen sententiam plausibilem Onuphrij, Panuinij ordinis Augustiniani qui Chronicon Ecclesiasticum vsque ad annum 1573. deduxit, & Platinam emendauit. Sic itaque scribit. *Sed quoniam omnia insignia mendacia ab aliqua veritate originem habent, hanc fabulam ex Ioannis Papæ XII. viri impuri vita manasse crediderim. Is Ioannes per vim patris Alberici Romani principis potentia adhuc penè adolescens Papa factus* anno 956. *aliquot concubinas vt Luitprandus Ticinensis illorum temporum scriptor* lib. 6. cap. 6. & 7. *tradit, habuit: in his*

* *Carriere in Professionem Fidei.*

præcipuè erat Ioanna, Raineria, & Stephania. Ex Ioanne igitur Papa & eius item Scorto, Ioanna ad cuius fortè arbitrium tanquam Papæ, omnia Romæ pendebant; Ioannis fœmina Papa, fabula manauit, quæ processu temporis aucta in historia authoritatem alicuius scriptoris opera paulatim irrepsit.

Quicquid sit de motiuo irreptionis ita inualuit fama vt Catholici ipsi assentierint huic figmento, notatur enim, & vidi ego ipse in templo Senensi in quo habentur Pontificum, Romanorum, marmoreæ statuæ ipsius Papissæ statuā inter Leonem IV. & Benedictum, III. quòd cùm constet in facie Papæ, Cardinalium & totius populi, Romipetæ non satis mirari possunt tantum dedecus non expungi, & statuam non euelli, cuj ad maiorem ostentationem affixus dicitur, sed non animaduerti, versus iste. *Papa pater Patrum Papissæ pandito partum* & hoc pro conuictione irrefragabili declamant Nouatores.

Respondeo Architectum qui ab annis circiter trecentis ædem hanc extruxit, artem suam in sculpendo vtroque sexu commendare voluisse, & in hoc vsum priuilegio concesso pictoribus atque Poëtis quibus licet pro libito fingere, quodlibet, hanc autem amouere non curat Pontifex ne magis inde declamandi ansam capiant aduersarij quibus de conuicio aliunde satis constare potest.

Instabis, ad hoc aliud probationis extare monumentum, nimirum quòd Papa Lateranum, non pergat per vicum in quo partum edidisse Ioannam in publica processione diei festi Corporis Christi scribunt Sazon, & Balleus, in cuius compito adhuc visitur statua cum puero ad perpetuam enixionis memoriam quod maximè confirmatum prætendunt Nouatores publicis repetentes in prædicationibus ad populum quòd ad præcautionem in noui Pontificis inauguratione sedere habeat electus in cathedra perforata, vt contrectatis virilibus, eius de sexu constet.

Respondeo tria hæc allegata putidi mendacij sat superque conuinci. Primum quia via hæc de qua est quæstio omittitur vt plurimùm, quia angusta, anfractuosa & comitatui pontificio non parum incommoda, nec tamen ab omnibus; hāc enim Vrbanus, V. Innocentius, VIII. transiere teste Onuphrio. Porrò statua hæc Ethnici, est Sacerdotis parati ad sacrificandum quem suus minister præcedebat; nec vllo modo consonat chimerico huic conuicio quòd in enixionis Papisticæ memoriam ibi collocata fuerit, apparet enim viri palmam inclinatam humero portantis imago, nequaquam verò imberbis fœminæ cum puero recens nato repræsentatio. Adde quod mulier partui proxima abstinuisset ab illa processione quæ etiam fictitia probatur, cùm eius institutio longè post hac facta sit ab Vrbano IV. anno 1264. Cathedræ perforatæ figmentum vacuis & perforatis credentium cerebris relinquo, lego equidem in antiquo Ceremoniali Pontificem apud Vaticanum electum, ad S. Ioannem Lateranum, venire solitum pro inauguratione, quem Prior & Canonici ad ianuam recipiunt & in sede marmorea ad hoc ibi fixa nequaquam tamen perforata collocant, ex qua à Cardinalibus hunc Psalmi 126. versiculum. *Suscitat de puluere egenum & de stercore erigit pauperem, vt sedeat cum Principibus & solium gloriæ teneat* decantantibus eleuatur & ratione huius ceremoniæ sedes illa nuncupata fuit ab aliquibus. *Stercoraria* vide infra quæ habentur in consecratione & coronatione Papæ.

QVÆSTIO III.

De Catholicitate Ecclesiæ Romanæ.

DVas tantum Ecclesiæ Christi notas affixere primi eius principes & præcones Apostoli vt videre est in Symbolo Apostolico. Credo in Sanctam Ecclesiam, Catholicam, Apostolicitas enim ab eorum officio & propagatione fidei satis intimabatur Christianis; harū autem trium notarum illustrior communiter habetur, *Quod sit Catholica* & per mundum vniuersum diffusa, hæc enim nota facilè probari & nullo fere negotio dignosci potest, cum in aliis reperiendis & cognoscendis plus studij & doctrinæ requiri videatur. Vt enim taceam quæ ad eius sanctitatem pertinent cum potissimum ea non ita sit sancta (seu vt pro tota in genere Ecclesia Christiana sumitur seu vt pro Romana singulariter accipitur) vt multos Catholicos prauis moribus imbutos multosq; ministros, minimè sanctos cum maximo scandalo non habeat, nec defuerint hæretici qui sanctitatis prætextu se ab Ecclesia Romana separauerint, cuiusmodi fuerunt olim Nouatiani, Montanistæ, Donatistæ, & nostris temporibus Lutherani, & Caluinistæ, qui reformatorum qualitatem præferunt suamque apostasiam Euangelicæ reformationis velo obducunt. Quod sit hæc nostra Apostolica antiqua, & eadem perseuerans à Christi Domini tempore vix sciri potest, nisi diligenter euoluantur Scripturæ, Canones Apostolorum, & antiquorum Patrum monumenta, vt hoc modo constet nos aliam quàm eorum doctrinam fidei non tenere. Vt autem sciamus quæ Ecclesia seu Christianorum congregatio Catholica sit, non est opus præteriti temporis memoriam repetere, sed tantum attendere huiusce ætatis statum, & considerare quænam latius se se diffundit, quæ in omnibus mundi regionibus celebratur, & vt verbo dicam quænam vulgò & ab orthodoxis & ab hæreticis aut etiam Christiani nominis hostibus Ecclesiæ Catholicæ nomen retinet & conseruat. Ita enim hactenus Dei prouidentia procuratum est, vt quoniam pro salute hominum nihil ita notum ac euidens esse debebat quàm Ecclesia vera in qua sola est vera fides, non obstantibus hæresibus innumeris quæ vera est Ecclesia semper sit vocata Catholica, nec alio nomine possit intelligi; adeò vt idem hæretici aut schismatici cum Catholicum se aliquem profitentem audiunt non suæ sectæ hominem sed papistam seu Romano Pontifici subditum esse intelligant, & si quis ab iis petit, vbi sit Ecclesia seu ædes Sacra Catholica non suam aut alterius sectæ hæreticæ vel schismaticæ sed Romanam ostendant, si vt sentiunt sincere respondere volunt, aut interrogantem non decipere per falsæ appellationis abusum. Hoc quotidie

tidię experiuntur qui inter hæreticos versantur. Vnde ipsa experientia comprobante notum est solam Romanam Ecclesiam esse Catholicam quæ etiam nunc suos filios in omnibus orbis partibus & nationibus inter idololatras, Turcas, hæreticos & alios infideles habet.

Ne autem obiiciant Aduersarij ex vulgato errore id Romanis dari & ex abusu inueterato ipsos vocari Catholicos eorumque Ecclesiam Catholicam dici, rem apprime discutio.

Nota Ecclesiam Catholicam tribus modis sumi posse.

Primò pro ea quæ toto orbe diffusa vna est & omnes veras communione sibi inuicem colligatas continet, ita vt ea per se primo vna sit vniuersalis & Catholica quo in sensu sumitur, cum in Symbolo dicitur credi Catholica Ecclesia vna sancta, ita vt quemadmodum vnus Deus est, vna fides, & vnus Baptismus seu vna ianua qua in Ecclesiam fideles admittantur, non autem plures Baptismi diuersi, aut etiam vna externa fidei professio vniusque modi; ita quoque vna & vero vnica sit Ecclesia non plures diuersæ.

Secundò Ecclesia Catholica sumitur participatione, quatenus est pars illius vniuersalis, quæ non est toto orbe diffusa, sed alicui loco addicta, qualis est Lugdunensis, Aptensis & aliæ; sed quæ totam illius rationem participat: sicuti homo dicitur vniuersaliter, Petrus autem particulariter dicitur homo, quia totam hominis rationem seu naturam humanam totam in se habet, licet non totaliter, quasi solus ille exclusis aliis consortibus naturam humanam sibi vendicet.

Tertiò Ecclesia Catholica dicitur principaliter, & vt nonnulli aiunt influxu, quia est quædam particularis Ecclesia, alicui loco quidem addicta, sed quæ in omnes alias particulares influxum habet, & à qua pendeant aliæ, necesse est eique vniantur, vt Catholicæ nomen sortiantur. Omnes enim & singulæ Ecclesiæ, ita Catholicæ sunt, vt inter se vniantur & colligentur, quod non potest esse sine aliquo earum ordine: vbi autem est ordo, ibi debet vna pars primo esse eiusmodi & per communicationem suæ virtutis alias partes coniunctas eiusmodi facere: quare licet Ecclesia toto orbe diffusa, sit per se primo Catholica, quia tamen vna est & non est inter singulas partes schisma seu diuisio, sed vnitas & ordo: idcirco inter eas datur aliqua particularis quæ ita per se participat rationes seu dotes Ecclesiæ Christi, vt non nisi per eius participationem & communicationem aliæ particulares eas dotes obtineant: quia Ecclesia totalis non est quasi aceruus quidam & multitudo plurium non ordinata. Sic enim non esset. *Sicut castrorum acies ordinata, nec Domus, familia, regnum, aut mysticum Corpus Christi:* sed est multitudo constans ex multis particularibus inter se & quarum aliæ sunt aliis priores, sicut sunt membra in corpore vno, quæ quidem singula participant totam animam humanam, nec vnum plus animæ habet quam alterum, licet diuersas facultates pro diuersis sortiantur; sed tamen non sunt vnius corporis membra, nisi quatenus vnam animam participant, & ita vt cum ordine, mensura seu modo & dependentia eam accipiant. Hinc vnum est in corpore cor, hepar & caput à quibus reliqua membra sanguinem, spiritum vitalem & animalem accipiunt & inter illa eadem est etiam ordo, ita vt caput ipsum sit origo, fons, & principium totius vitæ animalis & sensitiuæ, nec cor ipsum hepar aut aliæ partes sensum vllum habeant aut animam sensitiuam, nisi dependenter à capite.

Quare assignanda est aliqua Ecclesia particularis quæ sit caput, origo, mater, fons, radix totius Christianitatis & Ecclesiæ Catholicæ quęque per se primo Catholica sit, hæcque non est totalis ipsa Ecclesia, sed in ea & eius pars aliqua est, sicuti fons non est tota aquæ copia, sol non est tota irradiatio seu illuminatarum partium collectio, nec radix est tota arbor, nec caput est totum corpus, sed pars aliqua determinata per se primo viuens. Ita in Ecclesia Catholica seu toto corpore Christi est aliqua particularis Ecclesia, à qua si quis homo aut si qua etiam Christi fidem profitentium congregatio diuisa est, nec ei per obedientiam vnitur & communicat, ea est adultera Ecclesia seu est collectio schismatica. Si verò Ecclesia aliqua particularis cum illa matre & capite communionem & vnitatem tenet, eo ipso censenda est Catholica.

Hæc particularis aliarum caput per se primò Catholica est, (vt communiter docent Patres & Concilia testantur) Romana Ecclesia cum qua communicare, est de necessitate salutis, quam non audire est esse Ethnicum, & publicanum. Romana inquam seu quam Romæ fundauit S. Petrus, quam ipse vt Ecclesiam propriam, rexit Episcopus & Pastor & quam hactenus rexerunt S. Petri successores, Romani Episcopi, ita vt Ecclesia vnitatis Catholicæ principium & purè ac simpliciter Catholica, sit hodie ea quæ ex Alexandro Septimo Episcopo, & clero ipsius Romana composita constat, nullaque alia sit Catholica, nisi quæ Alexandrum agnoscit Patrem, & Pastorem non proprium & particularem sed vniuersalem: nullusque alius Episcopus sit Catholicus, nullaque cathedra aut Ecclesia Episcopalis, Catholica, nisi qui Episcopus & Ecclesia cum Episcopo, & Ecclesia ciuitatis Romanæ communionem habet. Vnde Ecclesia totalis, dicitur Catholica, quia Romana est, non autem Romana quia Catholica: quia quod ea Catholica sit, Romana causa est & eius partium, seu particularium Ecclesiarum, communio cum Episcopo, & Ecclesia Romana.

Quod autem Catholicitas per se primo sit Ecclesiæ Romanæ,

Probatur ex Scriptura Primò ex locis quæ fidei Christianæ propagationem & diffusionem in omnes gentes pronuntiant vt Isai cap. 2. *Erit in nouissimis diebus mons domus Domini & fluent ad eum omnes gentes, &c.* Marc. vlt. *euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Matth. vlt. Luc. vlt. & Act. 1. quæ loca annexa iis quæ Petrum faciunt fundamentum Ecclesiæ, apertè testantur eam esse Catholicam Ecclesiam immediatè & per se primò, quæ omnium præcipua est & ab ortu suo cœpit crescere & extendi in quamlibet mundi partem & quamlibet nationem, prædicantibus vbique Christi Euangelium Ro-

manæ Catholicæque Ecclesiæ filiis, ab Episcopo Romano missis & ordinatis, vnde Paulus cap. 1. Epistolæ ad Coloss. *Euangelium peruenit ad vos sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat* & Rom. 1. *fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.*

Probatur ex SS. Patribus quos videre est in articulo Symboli de Ecclesia in probatione Catholicitatis, ibi omnia quæ ad expositionem istius 36. articuli pertinent præmitti debuere.

August. Epist. 170. ad Seuerinum. *Ipsa est Ecclesia Catholica, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet ideò secundùm verbum Domini nostri Iesu Christi abscondi non potest.*

Probatur ex obseruatione quam faciunt litterati quod sicut quilibet posteriorum Regum exhibet primum, in quem cum iure successionis collata est regendi regni potestas, ita Pontifices Romani sint repræsentatiuè ipse Petrus & aliquando Petrus ipse dicantur. Hoc autem ita exploratum est, vt frequentissimè nomen principis Apostolorum seu Petri, vsurpatum, legatur pro Pontifice etiam post multa sæcula sedente.

Sic in libello de exilio S. Martini Papæ, Pythus, dicitur venisse Romam ad vestigia B. Petri, hoc & ad Theodorum Pontificem tunc sedentem. Eodem sensu Innocentius I. Epistola ad Concil. Mileuit quæ est 93. inter Augustinianas sic scribit: quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit dilectio vestra, retulerant autem ad ipsum Innocentium, ad quem proinde referre idem fuit quod referre ad S. Petrum non minus apertè Agatho Papa Epistola ad Constantinum IV. *Petrum*, pro sui temporis Petro seu Papa sedente accipit. S. Bonifacius, variis locis annotatis à Pithœo in Glossario vocatur. *Missus Sancti-Petri*, id est Gregorij, vel Zachariæ, Romanorum tunc Pontificum Eulalius Syracusanus, auertens S. Fulgentium, à destinata ad Monachos Ægyptios peregrinatione vt ex eorum institutione formaretur in probatum Monachum rationem reddit (vt refertur in actis S. Fulgentij, cap. 12.) quod omnes illi Monachi essent abiuncti à communione B. Petri id est Papæ tunc sedentis.

In formatis litteris pro tessera Catholicismi, & communionis cum Romano Pontifice, tunc regente Ecclesiam (id enim est esse Catholicum, iuxta S. Ambrosium, in Satyri monodia) ex decreto primi generalis Concilij Nicæni, post litteras initiales nominum Græcorum Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ponebatur littera P. initialis nominis B. Petri quo ipso significabatur eum cui illæ litteræ dabantur esse Catholicæ communionis & adhærere Romano Pontifici Ecclesiæ Catholicæ Rectori.

Denique Stephanus III. vt se sui temporis Petrum ostenderet, cum daret litteras ad Principes Francorum, quibus vrgebat eos vt præsto essent Ecclesiæ Romanæ, afflictissimæ, exarauit litteras nomine Sancti Petri, quæ in volumine Pontificiarum Epistolarum, ad Francos olim studio Caroli Magni confecto & nuper à Gretsero publici iuris facto recensentur tertio loco extant quæ etiam apud Baronium anno 755.

Hæc vniuersalitas & esse Catholicam adeò proprium est Ecclesiæ Romanæ vt etiam ipsi hæretici eam talem vocitent, neque tam audaces vnquam impudentesuè fuerunt vt sibi Catholicorum nomen hucusq; arrogarint Quod & mirum est, nam optimè sciunt hæretici quòd vt vera censeatur Ecclesia, oporteat eam esse Catholicam & ex alia parte totis viribus conantur, vt ipsorum Ecclesia omnibus videatur vera, sed cur hoc nomen non sibi vsurpant, qui tot alia Caluinistarum, Euangelicorum, Reformatorum, pusilli gregis &c. sibi arrogant vbi autem ad Catholici nomen veniunt, subitò linguam contrahunt, neque audent se Catholicos appellare & quoties dici Catholicam Ecclesiam audiunt, etiam ipsi pariter vti & nos Romanam intelligunt, quod optimè obseruat August. lib. de vera Relig. cap. 7. vbi sic ait. *Tenenda est nobis Christiana Religio, & eius Ecclesiæ communicatio quæ Catholica est, & Catholica nominatur non solum à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis, velint enim nolintve ipsi quoque hæretici & schismatum alumni quando non cum suis sed cum extraneis loquuntur Catholicam, nihil aliud quam Romanam vocant. Non enim possunt intelligi nisi ab hoc nomine eam discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.* Idem etiam habet August. contra Epistolam fundamenti cap. 4. *Tenet me postremo* in Ecclesia Romana *ipsum nomen Catholicæ, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Hoc ipsum animaduertit Cyrill. Hieros. in catechesi 18.

Probatur ratione. Illa Ecclesia est vniuersalis & Catholica, quæ omne genus hominum indiscriminatim comprehendit & vbique diffusa est, & in hoc distinguitur à Synagoga, quæ erat Ecclesia particularis non Catholica; erat enim alligata vni tempori id est vsque ad aduentum Messiæ, item vni loco, id est templo Salomonis, extra quod non poterant sacrificare, & vni familiæ, id est, filiis Iacob, sed Romana fides & Ecclesia talis est, vt experientia probat; Ergo est *Catholica*.

Nota circa istud epithethon requiri tria. Primum vt non excludat vlla tempora, loca vel hominum genera, vt faciebat Iudaismus. Secundum, quod ex August. habetur Epistola 80. ad Hesychium, vt Ecclesia sit Catholica non requiritur vt sit in omnibus hominibus totius mundi, sed tantùm vt innotescat omnibus prouinciis & in omnibus fructificet, ita vt in omnibus prouinciis aliqui sint de Ecclesia, nam *Donec hoc fiat non veniet dies Domini*, ait, Matthæus cap. 24. Tertium notatur ex Driedone lib 4. cap. 2. part. 2 de Eccles. dogmatibus, non requiri vt hoc fiat simul, ita vt vno tempore in omnibus prouinciis necessario oporteat esse aliquos fideles: satis enim est, si fiat successiuè.

Ex quo sequitur quòd si vna sola prouincia retineret fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, dummodo ostenderetur eam esse vnam eamdem cum illa quæ

fuit

fuit aliquo tempore, vel diuersis in toto mundo, quemadmodum nunc quælibet diœcesis dicitur Catholica, quia est continuata cum aliis, quæ faciunt vnam Ecclesiam Catholicam.

Romana Ecclesia seu fides Catholica verè demonstratur, quæ si non totum orbem, certè maiorem occupauit: quod ita probatur, tempore Apostolorum in toto mundo fructificare cœpit, vt Paulus dicit Colos. 1. tempore Irenæi; erat sparsa per omnes prouincias tunc cognitas, id ipse refert, lib. 3. cap. 3. Idem postea de tempore suo refert Cyprian. lib. de vnit. Eccl. Tertull. de suo lib. contra Iudæos cap. 3. Athanas. lib. de human it. verbi Chrysost. Hiero. in cap. 24. Matth. & August. Epistol. 78. & 80. ad Hesych. nec non Theodoret. serm. 1. de S S. Petro & Paulo. Sectæ autem hæreticorum nunquam totum mundum occuparunt, sed neque dimidiam eius partem, Secta Mahumeti cum hæresibus Nestorij & Eutychetis, quæ adhuc vigent in oriente, nunquam ad occidentem transierunt. Ergo Ecclesia Romana est vera Ecclesia *Catholica.*

Dices, ex nomine intelligitur diffusio per totum orbem, quæ Christi Ecclesiæ promissa est cum perpetua assistentia; hæc autem non notatur in Romana, ergo nec vera, nec Catholica est Ecclesia?

Respondeo haberi ex symbolo credendam esse vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, sed quòd ea sit tantùm Catholica credenda, quæ locorum spatiis est per totum orbem diffusa, non legitur; eam vero Catholicam ab Apostolis appellari sentimus, quòd vbicumque diffusa est eadem semper, ac vbique eadem fidei dogmata doceat, ac prædicet, ita vt Ecclesiæ vniuersalitatem non ad locorum, sed ad fidei vniuersalitatem, quæ ex consensione, integritate, atque antiquitate compacta est dicamus, quò Catholica Ecclesia ab omnibus hæreticorum sectis discernatur. Quamquam neque id respuimus, Ecclesiam propterea dici Catholicam, quòd vel omnia iam orbis loca occupauerit, vel aliquando sit occupatura, Primum luculentissimè docet Vincent. Lirinen. lib. adu. hær. cap. 3. ***In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, vt id teneamus, quod ab omnibus creditum est, hoc est enim verè propriéque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè vniuersaliterque comprehendit, sed hoc ita demum fit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem.*** Hinc Nicæna synodus apud Athanasium ita docet, ***Est enim ibi*** vt Patres tradiderunt, ***vere disciplina ac magisterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à se inuicem, nec à maioribus dissentiant. Qui igitur hoc animo non sunt, mali potius quàm boni præceptores appellari debent.***

Secundum vero docet August. Epistol. 170. ad Seuerinum, vbi sic ait, ***ipsa est Ecclesia Catholica, quæ per totum orbem terrarum diffunditur.***

QVÆSTIO IV.

Quod Ecclesia Romana sit Apostolica.

Certum est quascumque veras, & Catholicas Ecclesias dici posse Apostolicas, hæc tamen appellatio vni Romanæ per excellentiam congruit, eáque sola per se primò Apostolica dicenda est; reliquæ vero eatenus tantum Apostolicæ dici merentur, quatenus cum Romana concordes sunt, vnde eo ipso quod Ecclesia Romana est, seu, vt dixi quæst. 1. sedem & cathedram S. Petri habet, estque peculiaris, & propria S. Petri Ecclesia, sicut Hierosolymitana S. Iacobi propriè dicta est, quia in ea tanquam proprius Episcopus & Pastor sedit, & successores eius Episcopos habuit: eo inquam ipso, quod Ecclesia Romana est, Apostolica est, nec potest non esse Apostolica, habet Apostolatus S. Petri plenitudinem, & eius Episcopus est absolutè & simpliciter vir seu Præses Apostolicus succedens Petro in Apostolatu, quod in eodem rigore & proprietate nulli alteri Ecclesiæ, nullique alteri Episcopo conuenit, id vt explicem & probem.

Nota ex Tertull. lib. de præscript adu. hær. Ecclesias Apostolicas dici duobus modis, primò eas quas aliquis Apostolus fundauit, & constituit, *quas matrices & originales fidei*, vocat à quibus traducem fidei, & semina doctrina cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur vt Ecclesiæ fiant: Secundò appellantur Apostolicæ; licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis viris id est ab Apostolis immediatè constitutis Episcopis authorem suum proferant, vt post quæ multo posteriores illis sunt, & quæ quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes non minus Apostolicæ reputantur pro consanguinitate doctrinæ.

Licet aut Apostoli multas fundarint Ecclesias, nullam tamen eos in illis Apostolatus sui plenitudinis successionem nisi S. Petrum in vna Romana Ecclesia reliquisse notandum est; quia reliqui Apostoli erant tantùm delegati tanquam extraordinatij, & à Christo missi cum plenissima pro instituendis Ecclesiis potestate: solus autem Petrus summus Pastor Ecclesiæ ordinarius constitutus est, solusque in plenitudine Apostolatus sui, seu Apostolicæ potestatis successores habuit, eosque in vna Romana Ecclesia: non verò in aliis quas per se, vel per discipulos suos fundauit, quia vna Ecclesia Catholica, & vniuersalis est, vnumque caput supremum eam habere oportet.

Apostolatus autem Ecclesiæ Romanæ seu summa eius authoritas in hoc maximè consistit, quod hæc per se primò est doctrinæ, & traditionis Apostolicæ fidelissima perpetuaque custos tam infallibilis quam erat ipse Petrus aut omnes Apostoli, qui à Christo edocti suggerente Spiritu sancto tanquam mundi doctores & magistri omnem fidei doctrinam veritatemque habuerũt, & vt eam acceperant suis discipulis sincerè fideliterque tradiderunt. Deinde potest nouas Ecclesias instituere, iisque Episcopos præficere & antiquas in fide confirmare ac super eas ipsarumque Episcopos habere

tantam authoritatem, vt non nisi eo consentiente, & in suam communionem admittente pastores nulli in Ecclesia Christi Episcopi nulli aut doctores veri, & legitimi esse possint. Hæ sunt duæ claues scientiæ, & potestatis seu iurisdictionis, quas quidem Apostoli omnes à Christo immediatè acceperant, non à sancto Petro, illis enim omnibus, & singulis Christus dixit sicut misit me viuens Pater & ego mitto vos & ite in vniuersum mundū, docete omnes Gentes. Et quæcumque solueritis & ligaueritis in terris, erunt soluta & ligata in cœlo. At solus Petrus has potestatis summæ & doctrinæ seu eruditionis infallibilis claues posteris, & successoribus suis relinquendas accepit.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Romana Ecclesia est Apostolica, & Apostolatus est per se primo in illa, Probatur ex scriptura.

Matth. 16. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum & quodcūque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram erit solutum & in cœlis.* Quorum verborum planus & obuius sensus est vt intelligamus sub duabus metaphoris fundamenti, ædificij & clauium promissum Petro totius Ecclesiæ principatum, quod enim in ædificio est fundamentum portans & sustentans ædificium, hoc est in corpore caput, in ciuitate rector, rex in regno, pater famalias in domo, Claues autem cui traduntur instituunt aut declarant regem, vel gubernatorem ciuitatis, vel domus, qui quos vult admittat, quos vult excludat.

Dices, promissæ hic claues dantur postea Matth. 18. & Ioan. 20. in quibus locis non vni Petro, sed Apostolis omnibus dantur potestas ligaudi & soluendi, seu iurisdictionis, *quæcumque alligaueritis, solueritis*, &c. potestas ordinis Ioan. 20. *accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata & quorum retinueritis remittuntur, retinea sunt?*

Respondeo nihil dari Matth. 18. sed tantum promitti, vel explicari ac prædici quantam potestatem essent Apostoli eorumque successores suo tempore habituri; planum enim est Apostolos non esse factos Sacerdotes, nisi in vltima cœna neque Episcopos, & Pastores nisi post resurrectionem: proinde, quo tempore Christus hæc loquebatur priuati homines erant nec vllam habebant Ecclesiasticam potestatem.

Deinde si his verbis, *quæcumque ligaueritis erunt ligata* datur re ipsa potestas ligandi etiam, illis verbis Petro dictis, *quodcumque ligaueris erit ligatum*, erit data non promissa potestas, sunt enim verba omnino similia. At Nouatores nihil datum, sed tantum promissum esse contendunt.

Caussa vero huius promissionis fuit, quia Dominus dixerat habendum pro Ethnico, & Publicano, qui Ecclesiam non audiret, ne quis ergo putaret contemnendam Ecclesiæ authoritatem, subjunxit, tantam fore Prælatorum Ecclesiæ potestatem, vt quæ ipsi legauerint in terris, sint & ligata in cœlis.

Dices, si non sunt Apostolis datæ claues hoc loco, sed tantum promissæ, quo tandem loco sunt datæ?

Respondeo datas esse Ioan. 20. die Paschatis, *Cum sero esset & fores essent clausa, vbi erant discipuli, venit Iesus, &* dixit *sicut misit me Pater & ego mitto vos, hæc cum dixisset insufflauit, & dixit eis: accipite spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Primis verbis *sicut*, &c. creat Apostolos orbis Doctores & Pastores, & omnem eis Ecclesiasticam potestatem communicat: his *accipite spiritum Sanctum*, &c. iudiciariam potestatem in peccata confert, etsi enim in cœna Christus per verba *hoc facite*, Apostolos ordinasset sacerdotes, tunc tantum dedit eis potestatem consecrandi Eucharistiam; hic vero dat potestatem remittendi peccata, sunt enim hæ diuersæ potestates, & diuidi separarique possunt.

Vt autem intelligamus hanc summam potestatem Apostolis omnibus collatam fuisse vt legatis, non vt pastoribus ordinariis, & eum quadam subjectione ad Petrum, soli Petro dicitur Ioannis 21. *Pasce oues meas*, quamadmodum illi soli dictum erat *tibi dabo claues.* Regni enim seu Ecclesiæ claues tunc solùm accepit cum audiuit *pasce oues meas*, tunc enim etiam Apostolorum fratrum suorum ei commissa est cura. Sic ergo Apostolatus est in Petro tanquam in apice, consequenter eius ordinaria, & singularis sedes quæ est Romana, habet Apostolatum inhærentem, & ad successores transfusum, sicque Romana Ecclesia est Apostolica, nam quamdiu Ecclesia stat, tamdiu & claues penes S. Petrum, nec non omnium ouium curam esse oportet, huius autem officium residet in Romana sede. Probatur ex S S. Ireneo lib. 3. cap. 3. *Ad Romanam Ecclesiam necesse est conuenire propter potentiorem principalitatem, & in qua semper ab his, qui sunt vndique conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio*, & lib. 4. cap. 43. loquens de successione Episcoporum Romanorum, ait, Episcopos seu Presbyteros illos cum Episcopatus successione, *Charisma certum veritatis secundùm placitum Patris accepisse*, Id est infallibilitatem Apostolicam Cyprian lib. 1 Epistol. 3. de Nouatianis ad Cornelium scribens. *Nauigare*, inquit, *audent, & ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, vndè vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.*

S. Ambros. & synodus Mediolan. in Epistol. ad Siricium Papam, *Eum vocat pastorem, qui seruat sibi commissam ianuam, & pia sollicitudine custodit ouile Christi, dignus, quem oues Domini audiant & sequantur.* August. Epistol. 162. ait, *in Romana Ecclesia semper Cathedræ Apostolicæ principatum viguisse.* Prosper. de vocat. gentium lib. 2. cap. 6. *Principatus sacerdotis Apostolici Romam magis extexit, per tribunal religionis quàm per imperij.*

Plures Patrum non affero authoritates, quia cum de primatu Petri & successoris sui agetur audiendi sunt Patres.

Probatur

Probatur ex Concil. Carthag. petit ab Innocentio. *Vt statutis*, inquit, *nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas* & postea ait, ipsum Innocentium de Scripturis deprompta *Maiore gratia de sede Apostolica prædicare*. Mileuitanum Concil. ait, eundem Innocentium, *Gratiæ præcipua munere in sede Apostolica collocatum.*

Probatur rationibus: sedes illa verè est Apostolica quæ ab Apostolis fundata manet per successionem continuam Episcoporum eandemque fidem profitetur: quod quàm visibile sit de Romana Ecclesia constat, cùm interrupta non fuerit successio Pontificum à Petro vsque ad Alexandrum VII. cùm hæc Ecclesia hæreses insurgentes ipsa sola reprobauerit, & ex eius sensu Concilia, cum in dubiis circa fidem oraculum Romanum requiratur, cùm suprema iurisdictio in Pontifice Romano agnoscatur &c. nec minorem quàm Petro, Christus contulerit, cùm Concilia palam testentur Petrum ipsum loqui dum successor eius dat responsa & determinat aliquid, cum omnes Ecclesiæ Apostolatum Romanæ agnoscant, humiliterque ei pareant, &c.

Hanc continuatam seriem & successionem summorum Pontificum in Ecclesia Romana quanti fecerint Patres antiqui patet ex sequentibus, Clemens, successor Petri & discipulus ita docet. *Vt cum lex Dei legitur, verā illius intelligentiam, ab eo discamus, qui etiam à maioribus, & à Dei sacerdotibus quorū muneris id sit, traditam seruat.* in quibus verbis magisterium cum sacerdotio coniungit Ruffin lib. 2. hist. cap. 9. loquens de Gregorio, Nanzian. & de Basilio Græcorum omnium doctissimis scribit. *Sibi Dei intelligentiam non ex propria præsumptione* vt faciunt Lutherus, Caluinus & alij hæresiarchæ. *Sed ab antiquioribus sacerdotibus postulabant: quod ipsos ex Ecclesiastica successione eam intelligendi regulam suscepisse constaret.* Irenæus l. 3 adhuc ad hær. c. 3 & 4. postquam successionis lineam deduxit, à Petro, vsque ad Eleutherium, qui tunc viuebat dixit. *Hac ordinatione ac successione quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio & veritatis præcognitio peruenit vsque ad nos.* Tertull. item contra hæreses scribens, hanc viam singularem aperit qua Romana Ecclesia cognoscatur Apostolica, & Apostaticæ conuincantur: *Cùm ab eis quæritur vt edant origines Ecclesiarum suarum, vt euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit habuerit authorem & antecessorem: hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ referunt: sicut Ecclesia Smyrneorum, Polycarpum à Ioanne collocatum refert sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit.* Origenes tract. 19. in Matth. dicit. *Hereticis credere non debemus neque à paterna Sacerdotum doctrina & Ecclesiastica traditione exire.* Cyprianus vbi diutissimè de hac Apostolica successione tractauit lib. 2. Epistola 12. addit. *Et hac vna ratione Ecclesia à quibusdam confictis & simulatis coniurationibus est dignoscenda.* Hieronymus aduersus Luciferianos ita ait. *In ea Ecclesia est nobis permanendum quæ ab Apostolis fundata in diem hanc successiuè durat & semper durabit.* August. contra Epistolam fundamenti c. 4. ait. *Vt omittam sincerissimam sapientiam quam in Ecclesia esse Catholica, non creditis, multa sunt alia quæ in eius gremio me iustissimè teneant, tenet consensio populorum atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri, Apostoli cui pascendas oues post resurrectionem Dominus commendauit vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Optatus Mileuit ad Parmenianistas, dixit. *Cathedra vestra vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Et sic communiter cæteri Patres, qui tamen præter vnum Clementem, nemo Romanus est nemo Italus qui hæreticis suspectis esse possint vti primatus Romani defensores; imò cum ex diuersis orbis partibus oriundi sint ab Africa, Græcia, Asia, omnes tamen in primis fundamentum firmissimum veræ Ecclesiæ in hac successione Romanæ Cathedræ constitutum putant. Idem habet Epiphanius hæresi 27. Athanas orat. 2. contra Arrian. Eusebius & alij.

Dices, cum Caluino lib. 4 inst. cap. 2. sect. 2. cur isti Patres, qui decipiuntur magni facientes hanc successionem, non citant Africam, & Ægyptum & totam Asiam? nempe quia in illis regionibus desiit sancta hæc Episcoporum successio cuius beneficio Ecclesias se retinuisse gloriantur.

Respondeo ineptissimam esse instantiam nam nos dicimus vbi est legitima Episcoporum successio ibi est legitima Ecclesia Caluinus autem sic arguit. In Ægypto desiit legitima Episcoporum successio, ergo non reperitur vera Ecclesia, sed quodnam argumentum est hoc: legitima successio Episcoporum in Africa desiit, ergo Romana non est vera Ecclesia, perinde enim est ac si dicas Rex Parisiis, est, igitur Sequana inundabit. Sed ego retorqueo argumentum & dico, Romæ nunquam desiit legitima successio Episcoporum, ergo est vera Ecclesia. Et Patres omnes quoties probare voluerunt veram Ecclesiam & vsi sunt successionis argumento, non ipsam successionem per omnes Diœceses quæsierunt, sed illis satis superque fuit eam Romæ reperiri. Augustinus quamuis Africanus, non ab Africana, Ecclesia argumentatus est, sed à Romana, sic inquiens. *Si ordo tibi succedentium Episcoporum considerandus est, quantò certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, &c.* Tertullianus, item Africanus, ait. *In negotio salutis tuæ percurre Eccl. Apost. Romam habes vnde nobis quoque authoritas præsto est statuta.* Optatus Mil. African. à Romana pariter sumit argumentum. *Ergo in cathedra vna sedit prior Petrus cui successit Linus.*

Ex continuata ergo successione Romana Ecclesia verè dicitur Apostolica.

QVÆRES; *An Ecclesia Romana suo Pastore viduata habeat eandem Apostolicitatis firmitatem.*

Respondeo eam non pollere ea authoritatis seu Apostolatus plenitudine quam cum suo Episcopo habet: vnde nec nouas fidei definitiones

tiones facere potest, nec quidquam quod supremam authoritatem exigit aggredi quale est cogere concilium Oecumenicum pro controuersiis fidei aut Episcoporum causis dirimendis aliisque negotiis principalibus tractandis, quia prærogatiuæ illæ sunt annexæ personæ Petri & successorum & prædicantur de Ecclesia Romana seu Clero Romano, vt vnam cum Papa facit congregationem & cœtum Ecclesiasticum.

Nihilominus existimo cùm vacat sedes Clerum Romanum non posse deficere à fide & in ipso custodiri perpetuò doctrinā Orthodoxam & Apostolicam, ratio mea est, quia Roma est adhuc Ecclesia vera Petri, sedes quantumlibet vacans, & est vera Ecclesia, licet vidua & in suo Hierarchico ordine imperfecta. Est igitur adhuc Ecclesia, & sedes Apostolica, quia quo est Petri Ecclesia, eo ipso est Apostolica, deinde constat ipsa experientia, quod ea nullum vnquam errorem admisit nec consensit hæreticis, aut eorum communione ipsam pollui permisit Deus, vt constat factum in calamitosissimis temporibus Liberij, & Felicis & nonnullorum aliorum. Si quis enim Pontifex aliquo casu communionem habuit, Clerus Romanus seu Ecclesia Romana ab eo se seiunxit & vbi incœpit aliquis pontifex aut suspectus esse hæreseos aut etiam communionis cum hæreticis, toties Ecclesia, Romana immunis seruata est ab eius tabe, & quemcumque ipsa admisit in communionem, is verè Catholicus & Apostolicus habitus est. Lege Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 9. de liberio & Felice 11. & cap. 10. de Siluerio & Vigilio Denique obseruo Ecclesiam Romanam post mortem Fabiani, proprio Episcopo carentem consultam fuisse à S. Cypriano, & aliis Africanis. *An ij qui tempore persecutionis defecerant à fide lapsi dicti* (quos Ecclesia redeuntes non recipiebat ad communionem sine pœnitentia) *recipiendi & admittendi essent ad pacem seu communionem etiam non expleta pænitentia.* Respondet Clerus Romanus ad Cyprian. lib. 2. Epistola 7. affirmando dandam esse pacem, & significat se etiam viduatum Episcopo hæredem esse & custodem doctrinæ & fidei S. Petri, quia est Ecclesia super S. Petrum ædificata. *Antiqua*, inquit, *hæc apud nos seueritas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua, quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo quia* fides vestra prædicatur in vniuerso mundo: *Nisi iam exinde vigor iste fidei de temporibus illis fidei radices mutuatus esset quarum laudum & gloriæ degenerem fuisse maximum crimen est &c.*

Tunc autem anno scilicet 250. non erat institutus Senatus amplissimus Cardinalium, selectissimis totius orbis viris constans qui in partem sollicitudinis. Episcopalis acciti habent ex officio participationem aliquam vti consiliarij, summi Pontificis, indefectibilitatis, Petri, nec olim apud solum Clerum Romanum erat tota potestas eligendi Pontificem, vt ex consensu omnium fidelium in purpuratum consistorium hodie deuolu a videmus, quare cum Cardinales sint & faciant notabiliorem Romani Cleri, seu Ecclesiæ Romanæ partem, non immerito dixeri m eam Ecclesiam etiam Capite & Pastore vid uatam gaudere firmitate fidei & primatu super omnes mundi Ecclesias; nec alia quam Dei Christique virtute tantam eius potentiam & eminentiam niti, vt olim consilium sanhedrim apud Iudæos agnoscebatur instructum eodem Spiritu Mosis. Id verisimiliter dictum sit, nequaquam tamen sub specie dogmatis: scio enim quod soli Petro sit dictum: *Rogaui pro te Petre vt nō deficiat fides tua* quare nunquam possumus esse certi quòd doctrina quæ proponitur, sit infallibiliter pura & sana nisi accesserit Romani Pontificis calculus cùm ipsamet Concilia generalia legitimè congregata à capite seiuncta, impegerint in doctrinam fidei, vt notat Bellarm. lib. 1 de Conciliis cap. 6. & 7. nec controuertatur omnes titulos Ecclesiæ in legitimo sanæ doctrinæ magisterio & irretractabili de ea iudicio fundatos spectare Pontificem vt bene notauit Canus lib 6. de locis cap. 8 & docuit S. Leo, Epistola 75. quæ est ad Leonem Augustum.

QVÆSTIO V.

Quod Ecclesia Romana sit aliarum Mater.

Ecclesiam vniuersalem esse matrem fidelium nemini dubium est, cùm ipsi eam in matrem habeant & agnoscant, & hoc nomine SS Patres eam nuncupent, quam appellationem petiuisse videntur ex S. Paulo ad Galat. 4. *Quæ sursum est*, inquit, *Ierusalem libera est quæ est mater nostra*, quod nolim intelligas de patria cœlesti quæ sursum agnoscitur, euerteres enim Lector studiose, sensum argumenti Paulini eo directi, vt Ecclesiam noui testamenti fœcundiorem Synagoga Iudæorum significet, dicitur autem *esse sursum* Ecclesia in terris degens, quia Christus eius caput è cœlo descendit ac rursus in cœlos ascendit, indeque Ecclesiam regit, quia perfectio Ecclesiæ in superis ac cœlestibus rebus est, nimirum in fide, spe, charitate: quia virtus Sacramentorum eius è sursum prouenit: quia conuersatio eius in cœlis est, cor & thesaurum habet in cœlo apud sponsum suum: & quia ad æternam coronam & quietem in cœlo anhelat ac tendit, vt rectè interpretantur Hier. Ambros. Anselm.

Ioannes pariter vocans Apoc. 21. *Ecclesiam sponsam agni* matrem viuentium seu filiorum Dei adoptiuorum insinuat.

Ex quibus locis Augustinus sumpsit occasionem scribendi serm. 50. de verbis Domini, Christum concessisse quod mater eius habet in corpore. *Quòd scilicet spiritualiter mater sit & virgo*; libro autem 3. de Symbolo cap. 11. hæc habet. *Sancta mater Ecclesia est mater fœcunda, integra, & casta vbique diffusa quæ filios Deo spiritualiter parit quæ paruulos lacte verborum eius spiritualiter nutrit quæ pueros sapientiam docet, quæ adolescentes à luxuria atque impudicitia sua sancta castitate custodit &c.* & lib. 4. cap. 10. *Si quis absque ea inuentus fuerit, alienus erit a numero filiorum. Nec habebit Deum patrem qui Ecclesiam noluerit habere matrem* si quæras in quo situm sit Ecclesiæ tanquam matris officium dicam breuiter ex Iacobi cap. 2. *Christum genuisse nos verbo veritatis.*

ritatis. Ecclesiam verò, siue in prima hominis ad fidem adductione siue in eiusdem iustificatione generare nos in Christo per verbum Sacramentorum & dona Spiritus Sancti, licet enim vis spiritualiter aggeneratiua & sanctificatiua resideat in verbo Christi, hæc tamen non habebit sobolem Christianam nisi applicetur per Ecclesiæ ministrum baptisantem aut alia conferentem Sacramenta. Sic Ecclesia Catholica maternum exercet officium.

At specialius loquendo Ecclesia Romana quam per se primo Catholicam & Apostolicam ostendimus appellatur Mater omnium Ecclesiarum, quod vt plenè intelligatur cùm sit de tenore articuli *36*.

PROPOSITIO CATHOLICA

Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum mater est & magistra, istud magisterium non assero consueta probationum serie, quia in Apostolatu qui indefectibilitatem fidei & tenacitatem Apostolicæ traditionis includit, superiori quæstione sufficienter est manifestatum. Fœcunditas materna & sobolis enixio restat ostendendæ quæ

Probatur ex Scriptura Romanorum 1. *Gratias ago Deo pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo*: hanc Pauli Romanæ Ecclesiæ propagationem non tantum ad illius temporis Romanos, sed & ad posteros eorum pertinere docet Hieron. lib. 3. contra Ruffin. c 4. potest afferri locus Symboli Credo vnam Ecclesiam Catholicam id est Romanam, olim enim Romanus idem erat ac Catholicus, vnde Theodosius Imperator Epistola ad Acacium Beroensem. Decet ait, *Vos probatos sacerdotes esse Romanæ religionis* id est Catholicæ apud Ennodium in rebus gestis S. Epiphanij Ticinensis cum agit de legatione viri Sancti pro Recimere ad Anthymium. *Romanus* recurrit cum *Catholico*. sed & Augustin. lib. 1. in Iulian. cap. 2. Catholicam S. Ambrosij fidem ex Pelagio collaudans *hic est*, inquit, *Mediolanensis Ambrosius quem magister tuus Pelagius tanta laudauit prædicatione vt diceret in libris eius, præcipuè fidem lucere Romanam*, id est Catholicam.

Hincque factum quod is Catholicus semper sit habitus qui Romanæ Ecclesiæ communione coniunctus est, quemadmodum omnes qui Romano subessent imperio Romanorum appellatione nobilitati essent, sic & omnes quotquot fide & communione Catholicâ pollerent, Romani itidem dicerentur, eo quod & ipsa fides Catholica *Romana*, pariter appellaretur.

Probatur ex SS. Patribus, Cypriano qui Epistol. 45. Romanam Ecclesiam etsi Petro, peculiarem vocat *Matrem & radicem omnium Ecclesiarum totius Orbis.*

S. Calistus, 1. Epistola ad Benedictum. *Nemo dubitat Ecclesiam, Apostolicam esse matrem omnium Ecclesiarum à cuius regulis nullatenus deuiare conuenit & sicut Dei filius venit facere voluntatem patris, sic & vos voluntatem vestra impleatis matris quæ est Ecclesia, cuius caput vt dictum est Ecclesia Romana.* August. lib. 4. de Symbolo cap. 10. suprà de vniuersali loquutus, Romanam non exclusit

Athanas. & vniuersi Ægyptiorum Episcopi Epistol. ad Marcum Papam. *Optamus, vt à vestra sanctæ sedis authoritate quæ est mater & caput omnium Ecclesiarum ea ad correctionem & recreationem fidelium Orthodoxorum, percipere per præsentes legatos mereamur.* Felix Papa in Epistol. ad Benignum Episc. *Hæc Sancta & Apostolica, Mater Ecclesiarum, Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur nec ab hæreticis prauitatibus succubuit sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum principibus, illibata manet iuxta illud rogaui pro te Petre, &c.*

Probatur ratione ex immediata fundatione Ecclesiarum per Petrum, Antiochenæ & earum quas in Ponto, Galacia, Capadocia, Asia minori, & Bithynia erexit, ad quas suam primam direxit Epistolam anno Christi 45. sequenti verò ad cæteras Orbis Occidentalis partes cœpit amandare discipulos ad diuersas instituendas Ecclesias, quos ideo ordinauit Episcopos, vt non immeritò Innocentius I. asseruerit Epistol. 1. *Manifestum antiquis fuisse in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam, & Siciliam, insulasque interiacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos quos Petrus Apostolus aut eius successores constituissent sacerdotes.* Institutos à S. Petro Episcopos habuit Sicilia, Pancratium, Marcianum, Berillum Capuà, Priscum, Neapolis, Aspren. Tarracina, Epaphroditum, Equicolæ populi Marcum, Ptolomeum, Nepe, Romulum, Fesuli, Paulinum, Luca, Rauenna, Apollinarem, Verona, Euprepium, Patauia, Prosdocimum, Tycinum, Syrum, Aquileia, Hermagoram. Germania habuit à Petro Euchatium, Egistum, & Marcianum, Vienna, & Moguntia, Crescentem, Hispania, Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indalesium, Cæcilium, Hesichium, &c. vt patet ex Martyrologio. Bysantinis quoque primum dedisse Episcopum docet Agapetus, in litteris quæ recensentur in Synodo V. act. 2. Anglia, habuit à Petro, Iosephum, ab Arimathia, vt Angliæ, Historici referunt Valerium, qui Treuiris, Maternum, qui Tongris, & Coloniensibus Euangelium prædicarunt. Ad Gallorum conuersionem ab legauit. Sixtum, Sinicium, Amantium, Memnium qui Rhemensem Ecclesiam fundarunt, Sauinianum, & Potentianum, qui Senonensem, Altinum, qui Aurelianensem, Aduentinum, qui Carnotensem, Austremonium, qui Aruernensem, Martialem, qui Burdegalensem, pluresque alias instituerunt Trophimum qui Arelatensem. S. Petri successor Clemens, direxit in Gallias Dionysium Areopagitam, cum Rustico, & Eleutherio, qui Parisienses, fidem docuit & Virdunensibus, Sanctinum Episcopum dedit, Exuperium qui Baïonensibus, primus præfuit: Taurinum qui Ebroinensibus, Eutropium, qui Xantonensibus, Auspicium cum Eustasio, & Æmiliano, Aptensibus, Photinum qui Lugdunensibus. Hi porro sanguine suo tanquam Christianorum venerandorum in Christo semine plantauerunt & propagauerunt varias Ecclesias sub cura & educatione spirituali Ecclesiæ Romanæ quas vt dilectá sobolem fouit.

Nec cessauit interea magna parens & mater familias Romana sedes subinde nouos Pastores & Doctores emittere, Medardum, Peregrinum, Agricium, Amandum, Vvilebrordum, Rumoldum qui Gallicas & Belgicas, aliquot prouincias ad Christi fidem adduxerunt. In Angliam S. Lupus, & S. Germanus, temporibus Attilæ, tum à B. Gregorio magno S. Augustinus cum sociis missi fuerunt, vnde non mirum si communiter vsurpentur illa verba. *Sancta mater Ecclesia* quæ tam de Ecclesia vniuersali quam de sede Apostolica seu de Ecclesia Romana æqualiter dicuntur.

Aliam veteres Patres suggerunt mihi rationem qua Ecclesia Romana, ritè dicatur mater omnium Ecclesiarum quia scilicet ab ea omnes Episcopi habuerunt consecrationem & dignitatem suam. Quod Bellarmino non videtur verum nisi in eo sensu, quia Petrus qui fuit Episcopus Romanus, omnes Apostolos omnesque alios Episcopos vel per se vel per alios ordinauit. Alioqui enim cum omnes Apostoli plurimos Episcopos, in variis locis constituerint si Apostoli ipsi non sunt facti Episcopi, à Petro certè Maxima pars Episcoporum non deducet originem suam à Petro. Hæc ratio præsupponit solum Petrum fuisse consecratum seu ordinatum Episcopum, à Christo, quod Ioan. de Turrecrem, lib. 2. summæ de Eccles. c. 32. multis argumentis probat, vnum profero, Christus vel nullum vel omnes Apostolos, vel aliquos vel vnum ordinauit, quod solo verbo ipse faciebat, non potest dici quod nullum, si enim hoc esset nullum in Ecclesia haberemus Episcopum, nemo enim dare potest alteri quod ipse non habet. Quod non omnes, constat, saltem de Paulo, quem ipse de cælo vocauit & Apostolum fecit, sed iussit ordinari per manuum impositionem Apostolorum vt patet ex Act. 13. vbi & de Bernarba legitur, *Tunc in Ecclesia Antiochia, ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus diniserunt illos.* Hoc factum anno Christi 45. paulo post carcerem, Petri in Hierusalem, cum Petrus adiret Romam ad hanc ordinationem, potuit aduocari S. Iacobus, Episcopus Hierosol. S. Ioannes. S. Matthias aut quis alius vicinior Apostolus, cæteri enim in suas iam discesserant prouincias, S. autem Leo, vult hos duos ab Apostolis ordinatos fuisse Episcopos, & dicit Epistol. ad Dioscorum Episc. Alexandrin. quæ 79. est in tomis Conciliorum, ordinationem hanc Episcopalem factam fuisse die Dominico ideoque sancit vt idem deinceps fiat, quæ sanctio relata est in Ius Canonicum & habetur dist. 75. can. 5. *Quòd die Dominico ordinationes sacerdotum* scilicet maiorum *celebrentur* & præmittatur ieiunium. Quod si Paulus Galat. 2. dicit de Apostolis. *Nihil mihi contulerunt*, intelligit de doctrina & Euangelio, quod ipse à Christo didicit, maximè in raptu ad tertium cœlum.

Probatur etiam de Iacobo minore quem Christus non ordinauit Episcopum Hierosol. sed Petrus, Ioan. & Iacobus Maior vt docent Anaclet. in Epistol. 2. vbi scribit Episcopum debere ordinari à tribus Episcopis sicut Iacobum minorem, Petrus, Iacobus Maior, & Ioannes ordinauerunt. Episcopum: idemque docent Clemens Alex. & Hieron. Quòd autem Christus non alios qaam Petrum fecerit Episcopos. Probatur ex eo quod exinde Hierarchiæ Ecclesiasticæ ordo magis elucet dum suprema collata dignitas ad vnum refertur, qui sit fons illius.

His tamen non obstantibus vulgatior est SS. Patrum sententia, Christum omnes Apostolos ordinasse Episcopos die Paschatis cum penetrans fores cœnaculi dixit eis. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos, insuflauit & dixit Accipite spiritum S.* Ita Rupert. Chrysost. Theophyl. Cyrill. qui his verbis volunt eos factos Christi vicarios, orbis doctores & Pastores eisque suum officium & plenitudinem authoritatis Ecclesiasticæ communicasse consequenter eosdem hic creasse Episcopos, fauet S. August. quæst. 97. noui & vet. Test. dicens. *Ipse enim priusquam in cœlos ascenderet imponens nomen Apostolis ordinauit in Episcopos.* illud *sicut* similitudinem principij innuit: sicut Deus pater misit me: ita & ego illi par Deus vos mitto ad fidem propagandam, quod sine ordinatione Episcoporum fieri nequit, consequenter illis tunc dat caracterem Episcopalem.

Sic autem dicendum esset Iacobi designationem in Hierusalem non fuisse impressionem caracteris vtpote iam à Christo dati, sed ritus Apostolici formam in Ecclesia inducendam, hincque canone 1. Apostolorum legitur. *Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur.*

Porro quia in domo rectè ordinata administratio totalis dependet à Patre familias & ad ipsum cuncta referri solent vt pote caput & Rectorem, ordinatio & consecratio Episcopalis vbicumque facta & ab aliis Apostolis celebrata refertur & datur Petro, sicque verificantur scripta SS. Patrum Anacleti, Cypriani, Leonis, & aliorum, qui dicunt quòd. *Episcopatus & tota authoritas huius nominis à Petro emersit:* sic loquitur Innocen I. Epist ad Conc. Chartag. quæ est 91. inter Epistolas Augustini. Hinc Iulius I. in Epistol. 1. ad Orientales rectè scribit. *Quam culpam non incurrissetis, si vnde consecrationis honores accipitis inde legem totius obseruantiæ sumeretis & B. Apostol Petri sedes, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiastica magistra rationis.*

QVÆRES, *An Episcopatus includatur in Apostolatu?*

Respondeo quòd non, nam Luc. 6. *Dominus elegit duodecim discipulos & Apostolos nominauit*, etiam antequam sacerdotes eos faceret, nedum Episcopos: ad Apostolatum enim propriè pertinet ius prædicandi, cui annexa fuit amplissima iurisdictio quædam delegata, qualis etiam in non Episcopis esse potest. In Apostolis autem annexus fuit Episcopatus, quia omnes fuerunt Episcopi, imo etiam primi Episcopi Ecclesiæ, ideoque Episcopi hodierni, dicuntur succedere Apostolis, vt scribit Anaclet. Epistol. 2. non qua Apostolis sed qua Episcopis. Quòd si Petrus Act. 1. loquens de Iuda Apostolo non consecrato in Episcopum, quod Dauid prædixerat Psal. 108. *Episcopatum eius accipiat alter* Mathias scilicet, potest intelligi non de Episcopatu propriè dicto, sed de eo quem erat habiturus nisi Dominum tradidisset aut si pœnituisset.

His omnibus itaque sic digestis, constat veritas 36. Articuli quod Romana Ecclesia sit Sancta,

Sancta, Catholica, Apostolica, Magistra, & mater omnium Ecclesiarum.

QVÆSTIO VI.

De liberatione Ecclesiæ à seruitute Paganismi, per Constantinum Imperatorem.

AD plenam studiosi Lectoris de liberatione Ecclesiæ ab opressione Paganismi informationem, huius narrationem ab exordio suo deduco, & antequam in throno constitutam liceat demirari Religionem Christi, quæ sub durissimo ducentorum, & Septuaginta annorum protelato seruitutis iugo inter Gentiles afflicta gemuit vindicem, & nunquam satis commendatum liberatorem eius Constantino Imperatorem nosse debemus, sic sacra pagina natales Moysis præfatur antequam populi Dei seu Israëlis introductionem in terram fluentem lacte, & melle recenseat.

Anno igitur à Christo nato 304. Diocletianus vigesimo imperij, & collega eius Maximianus nescio quo fato aut facto imperio se abdicarunt deposita purpura ambo vno eodemque die. Diocletianus, Nicomediæ, Maximianus, Mediolani abdicationis causam licet publicè prætexerent fortunæ satietatem, & affectum mutationis, tamen priuatim fidelioribus amicis fassos esse legitur mœrore, & desperatione adactos, quòd cum sperassent sæuitia persecutionum, & hostili manu Christianam religionem funditus extinguere, hanc tamen præter spem viderent fœcundiori germine propagari.

Hoc ergo facto Constantius, qui iampridem anno scilicet 295. fuerat per præfatos Imperatores nominatus Cæsar vna cum Heraclio, post multa egregia facinora deuictasque nationes declaratus est Imperator, & vna cum eo Galerius Constantius in Occidente, Galerius in Oriente imperat, sicque inter illos partitum imperium tradit Eutropius, vt Constantius, Galliis, Hispaniæ, Italiæ, & Africæ præesset. Galerius, Illyrico, Græciæ & Orienti, & vt notatur ab Historicis Constantius manens in Britannia, & hinc imperans cessit Galerio sollicitudinem Italiæ & Africæ, & vt notat Beda mortuus est in Britannia Diocletiano adhuc superstite. Quando autem susceperit ex Helena, Constantinum (cui testamento, & ad votum exercitus reliquit imperium non solùm primogenituræ, sed eminentissimæ virtutis motiuo) non conueniunt Historici, Angli, faciunt eam Anglicam filiam reguli cuiusdam Coël apud quem cùm Constantius (ab Aureliano, cum exercitu missus, vt tumultuantes populos illos in officio contineret) diuertisset hospitis filiæ Helenæ captus amore eam duxit in vxorem annuente patre, & ex ea suscepit Constantinum: hanc tamen repudiare coactus est cum suscepit imperium accipiens in vxorem Theodoram filiam vxoris Maximiani, Herculij Imperatoris, qui obscurum, & indignum Imperatore primum matrimoniū reputabat, vt pote initum cum hospita, quam per contemptum stabulariam dicebant. Certè si hæc vera essent, Beda acuratissimus Anglorum scriptor antiquus non ignorasset, tantumque honorem patriæ suæ primorum Christianorum principum non omisisset, & S. Gregorius, Aldibergæ Anglorum Reginæ, quæ conuersionem mariti sui ad Christianismum vrgebat scribens, vnde sequutura videbatur conuersio populi, proponit ei exemplum Helenæ, cuius opera sicut Deus Romanorum corda inflammauit, ita sperat sollicitudine eius regia, nationem Anglicam ad Christum conuertendam; sanè si Helena oriunda fuisset ex Anglia, nec ignorasset, nec in hoc casu omisisset Gregorius, fortius enim vrgerentur Angli, si splendor Christianismi ex eorum propagine esset. Certius ergo est, quod Nicephorus Calistus refert lib. 7. sess. cap. 18. Constantium delegatum fuisse ab Imperatoribus ad Persas, Parthos, & Sarmatas, qui in suis partibus iugum Romanorum excutiebant. Is ergo ab occidente nauigans vsque ad Orientem, Drepanum in sinu Nicomediæ, situm apellit, hic hospitis sui filiæ capitur specie, hac potitus patri grauidam filiam commendat, quia specialiter viderat in somnis hac nocte Solem oriri præter ordinem naturæ ex Oceano occidentali. Expedito ergo negotio quietatisque circumquaque subortis motibus, Constantius rediit Romam, vbi Cæsar vna cum Galerio fuit electus, postmodum vero creatus Imperator iussusque Theodoram coniugem accipere, & Helenam repudiare, hincque patet habitam hucusque non vt concubinam, sed vt vxorem.

Posthæc alij fuere missi Legati versus Parthos ab his Constantius certior factus de generositate filij Helenæ, vtrumque accersit Romæ, sed timens ab vxore Theodora dirigit Cōstantinum ad Curiam Docletiani Nicomediæ: suadet hanc historiam nomen, quod à matre Constantinus Drepano oppido vicino Nicomediæ Metropoli, Bithyniæ imposuit, hoc enim ad honorem matris iussit vocari Helenopolis, imò mare quod sub Bithinia Polemoniacum olim dictum Helenopontus dici voluit, & forte ob Patrij soli affectum cum Romam Constantinus deseruit, Constantinopolim iuxta Bosphorum Thracensem non longè à Bithynia construxit, & cum infirmabatur ad Drepanum se conferebat.

Confirmatur ex sententia Iulij Firmici authoris illius temporis famosissimi Mathematici, qui patriam facit Tarsum, quia Drepani conceptus, natus autem Tarsi vicinæ aut ibi educatus.

DIces, Tarsus est in Cilicia, vnde inferretur Constantinum fore Cilicensem, sed ex Lipsio notandum est haberi etiam in Bithynia vrbem dictam Tarsus Ex Ortelio autem Tarsia est prouincia vicina Bithyniæ, & eodem nomine vrbs proxima Nicomediæ. Instabis, quod Orator Panegyricus Constantini dicat de illo liberauit Britanniam à seruitute, & illic nobiles oriendo fecisti?

Respondeo non insuetum accipere ortum pro assumptione ad dignitatem imperialem maximè, nam & alius Orator diem, quo salutatus fuit imperator natalem imperij vocat.

Cùm objit Constantius, filius Constantinus

nus agebat annum 31. aut 32. tuncque declaratus est Augustus moxque imago eius proposita est vt moris erat Romæ. Certum ergo est natales Constantini ex parte matris obscuros esse, respectu paternorum. Certum etiam est Helenam, & filium Bithyninos fuisse eo maximè, quod nulla probatur orta commotio in Anglia, quæ Constantium aduocare potuerit ante Carausij defectionem, tunc autem Constantinus 12. saltem annum attigerat, & ab Imperatore Seuero vsque ad Carausium Anglia vt habet Polydoru Virgilius in pace longæua 70. annorum fuerat. Hæc pro natalibus Constantini, qui factus est imperator à patris obitu Eboraci in Britannia, vbi Constantius vltimam diem clausit, mox Romæ audiuntur res gestæ in Britannia, & noui Imperatoris Constantini imago in vrbe ex more, inquit Zosimus lib. 2. est exhibita Tunc Maxentius Tribunos quosdam & milites prætorianos sibi deuincens multis promissionibus acclamatus est Imperator.

Porro cum Constantinus sciuisset Maxentium Romæ occupasse imperium eamque tyrannicè opprimere Nazarius in Panegyrico Constantino post victoriam dicto testatur Constantinum, quæsiuisse res cum eo componere. Sibique deuincire collegam: hunc autem recusasse eiusdemque deiecisse & iniuria affecisse imagines.

Interea tres erant imperatores Constantinus in occidente, & Galliis, Galerius in oriente sub quo atrox in Christianos vrgebatur persequutio, qua vrbs integra Christianorum igni tradita periit & Lucianus doctissimus Presbyter Antiochenus cum Apologiam Imperatori apud Nicomediam agenti perorasset pro Christianismo in carcerem detrusus est, ibique per 14. dies sine cibo, in cippum injectus manibus pedibusque in quatuor foramina ingenti dolore distractis objit, cum autem Christiani eum in tali statu videntes anxiarentur, quod sequenti die quæ erat Epiphaniæ frustrarentur spe communicandi cum illo sacris Eucharistiæ mysteriis, eos Lucianus certos facit, quod morietur tantum postera die, cumque de introducenda mensa in carcerem interceptis custodibus agerent Christiani? respondet ipse pectus suum non minus acceptum iri, quam lignum: ipsos in circum stantes templi vice futuros, iubet ergo super pectus symbola poni seu panem & vinum, & ægre caput eleuans factòque discursu & consecratione participauit cum eis præstante quodam discipulo, & ad os admouente: reliquias autem misit ad absentes, cras moritur anno Christi 314. corpus eius alligato lapide projicitur in mare, sed Delphini obsequio littori inde Drepani delatum est.

Maxentius in Italia, quia pariter sæuiebat in Christianos, & Marcellum Papam catabulo, seu stabulo publicarum belluarum damnatum hocque in habitu cilicino curantem perire fecit.

Balerius indignatus, quod Maxentius purpuram induisset, regnumque occupasset sine eius nutu, duos designauit Cæsares, Seuerum & Maximinum aduersus illum quos Maxentius comprimit, hinc Galerius, Licinium strenuissimum statuit Imperatorem, vt insolentiam Maxentij reprimat. Præuenitur morte Galerius Maximianus, sicque in oriente, Maximinus, & iam Licinius regnat, perseuerat persequutio in Christianos. Iamque habentur quatuor Imperatores in Romano imperio. Constantinus, non satis habet pacificè regnare in Galliis, Anglia & Hispania, & pontem super Rhenum, Coloniæ construxisse, quo Romani in Germaniam facile transirent. Maxentium viciniorem ei offensum subjugare cogitat, quin imò impellente numine exercitibusque auxiliariis apparentibus ipse, qui se in eius auxilium missos assererent eum expeditionem in Italiam suscepisse refert Nazarius, & adstipulatione Galliarum, vbi est hæc gesta sunt, probatum habetur, quod licet, Scriptores Ethnici ignorarint aut potius dissimularint illud, certe palam testati, sunt cœlitus promissam fuisse victoriam Constantino, eaque numinis sponsione ipsum certum, & securum contra Aruspicum monita omniumque ducum, & militum sententiam perdifficile aggressum fuisse bellum, cum impari, & longe minore copiarum numero. Prouidet ergo Constantinus conseruationi Galliarum, munit extrema Rheni & soluens è Threuis, Susam Alpium vrbem recta petit, sic ergo ducatum, Luxemburgi transmeat, confinia Campaniæ, & Bassignium pertransit, vt Burgundiam, & fluuium Ararim accedat, quo in Rhodanum, & Valentiam descendat, hincque Dephinatum, & Susam compendioso tramite adeat, cum exercitu nonaginta mille peditum, & octo mille equitum.

Dum autem ex Augustoduno, *Gallicè Autun*, exiisset & procederet exercitus, sole paululum declinante à meridie Constantinus, & vniuersus excercitus vidit crucis signum è lucis splendore figuratum in cœlo soli imminens, & in illo talem inscriptionem, ἐν τούτῳ νίκα, id est in hoc vince, cumque dubius de ostenti significatione hæreret, nocte sequenti Christus ei cum signo in cœlo demonstrato apparens iussit, vt exemplaris ad imitationem signo, pro vexillo vteretur deinceps, quapropter accersitis Christianæ Religionis sacerdotibus specialiter proximiori Augustoduni Episcopo, Rheticio instruitur de Christo, & eius signo.

Hinc habes apparitionem crucis & instructionem primi Imperatoris Christiani factam fuisse in Prouincia Burgundiæ, inter Augustodunum, & Sancti Ioannis de Lono oppidum, inde progrediens imperator famaque volante de portento, & affectu eius & propensione in Christianam religionem, occurrit ei Marinus Episcopus, Arelatensis, qui primordia Christianismi per Rheticium animo eius impressa confirmauit, quem proinde magni semper fecit Constantinus. Mox fieri curauit signum & auro gemmis ornatum, vt iussus fuerat, nimirum hastam oblongam, cum ligno breuiori transuerso in parte superiori in formam crucis ad cuius cornua velum appendebatur, & in summitate crucis nomen Christi per litteram Græcam Christi littera P. intermedia expressum erat hoc modo, P☧. easdemque sic contextas litteras semper in galea gestare consueuit, vt refert Eusebius, ab ipso Constantino iub iureiurando visionem

præfatam

præfatam crucis confirmante edoctus. Nota tamen litteras, non fuisse adiunctas visioni crucis, sed solam crucem cum inscriptione, antiqua autem monumenta, & nummi quinque modos ornamenti in vexillo, seu Labaro adnotandos proferunt. Sic igitur progreditur Constantinus Dei auxilio innixus, Susam, primo occursu expugnat, inde Taurinum, Brixiam, Veronam, vbi insignes aduersus Maxentij duces reportauit victorias. Expugnatis ergo mira facilitate omnibus ferme præsidiis oppositis, Romæ iter dirigens ipsum Maxentium cum numeroso exercitu centum Septuaginta millium peditum & decem, & octo millium equitum, vt refert Zosimus de summa rerum dimicaturum sibi trans pontem miluium occurrentem ingenti prælio deuicit, quo idem Maxentius suis vbique fugatis, & plerisque in flumine, quod à tergo erat submersis fugam & ipse arripiens pariter è ponte, quem ea occasione super Tiberim struxerat hac arte, vt ad libitum in aquas dimitteretur, sicque Constantinum perderet in fluctus decidens absorptus est, corpore verò mox ab vrinatoribus extracto sectum caput hastæ affixum in vrbem delatum, inde verò in Africam, quam afflixerat missum fuit. Constantinus autem mira omnium exultatione ingressus est Romam, erexit ei Senatus arcum triumphalem, ipse autem Imperator, ne quid gloriæ crucis Christi deesset, seorsum in ipso vrbis meditullio sibi statuam erexit, quæ manu signum illud sublime teneret clarissima hac inscriptione notatum.

Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio ciuitatem vestram tyrannidis iugo liberaui, & S. P. Q. R. *in libertatem vindicans pristinæ amplitudini, & splendori restitui.* Quapropter senatus, quæ ei gratiora sciret præstans signum Dei aureumque simulachrum dedicauit, eius videlicet Dei, quem viderat ipsum publica attestatione professum nempe saluatoris Iesu Christi.

Hinc edicta pro Christianis publicauit Romæ Constantinus, publicauit & in Africa, quæ sequuta est Italiæ deditionem, de restituẽdis bonis Ecclesiarum, de immunitate Clericorum, nec non de pecuniis à Quæstore, Africæ dandis ad subleuandos longa persequutione afflictos in illis partibus Christianos. Quod verò Constantinum etiam posthæc idololatram fuisse concludunt aliqui, eo quod titulum Pontificis maximi retinuit, facile diluitur ex eo, quod authore Zosimo constat non ipsum solum Constantinum, sed subsequentes Imperatores Christianos, vsque ad Gratianum, qui anno imperij sui 17. Christi 383. abjecit titulum pontificis maximi vna cum imperio suscepisse, & stolam Pontificiam induisse, id enim ex Ausonio probatur, qui eundem Gratianum appellat pontificem maximum, extantque in antiquis lapidibus variis locis Romæ inscriptiones, idipsum de Valentiano, Valente eodemque Gratiano testantur.

Quod si paganum inde asseras Constantinum, quia caput superstitionis paganæ hoc titulo præferebatur, consequenter nec eum vnquam Christianum fuisse dicendum est.

Ad hæc sciendum est, quod Numa Pompilius primus fuerit, qui eo decoratus sit honore, & post eum quicumque reges fuerunt, consequenter Octauianus & succedentes Imperatores: nam ab electione mox Pontificis offerebant Imperatori vestem Pontificiam, & exinde Imperator Pontificis maximi nomen assequebatur, vsque ad Gratianum, qui renuit hanc vestem existimans indignum religione Christiana Christianuum hoc indui.

Cur autem illum titulum susciperent colligi potest ex eodem Zosimo, quòd sic summus Pontificatus annexus videretur imperatoriæ dignitati, vt sine illo imperator esse non posset, & in eum S. P. Q. R. gentilitiæ factionis facile conspiraturi, essent quem non viderent patriâ religione firmatum, quamuis tamen non consueta superstitione Gentilium Christiani Imperatores id agerent, sed tantum ex oblato Pontificio amictu, eóque accepto titulum, Pont. Max. vsurparent

Altera ratio eius suscipiendi pontificatus fuit, quod amplissima esset magistratus illius authoritas in Repub. Romana, quippe qui posset Concilia dirimere, Consules abdicare, factáque reddere irrita decretis à senatu intercedere, eademque intercidere, at an fieret bella, ex eius penderet arbitrio: Nemini solebat assurgere Pontifex ex priuilegio, arbiter diuinarum, & humanarum rerum habebatur, vt testatum habetur ex Aulo, Gellio lib. 15. cap. 27. & colligitur ex Tito Liuio, & ex Dion. Alicarn. talis ergo inter Gentiles erat pontificia dignitas, quæ in persona Imperatoris amplior euaserat: nam oportebat vt saltem tres consentirent decreto, quod sanctum, & religiosum suscipiendum erat, vt notat Cicero de Aruspicum responsis, & iurisconsultus Neratius lege 85. de verborum significatione conformiter ad ista respondet tres facere collegium, id est tres pontifices capitulum & collegium repræsentare aliquorum. At Imperator collegas pontifices consulere, non tenebatur, vnde in vim pontificalis authoritatis omnis potestas diuina, & humana erat in manibus eius. Quare Augustus Cæsar. mutans Rempublicam Romanam in Monarchiam, vsurpauit titulum pontificis maximi & etiam Tribuni populi, vt in maiestate sua omnis coalescerer potestas, nec quouis prætextu ab imperio eius deflecteret populus.

Sic ergo Constantinus Pontifex maximus haberi voluit ex prudentia humana ne Senatui suspectus euaderet, vnde & multa permisit, & ordinauit, quæ apertè cedunt in fauorem Gentilum, quorum pedetentim supprimenda erat Religio, non ex abrupto interdicendus eius vsus ne desperantes primordia Christianæ penitus abolerent, cùm incomparabiliter fortiores ex multitudine essent Christianis eorumque fautoribus.

Rebus in vrbe compositis Constantinus regreditur aduersus rebellantes in Germania: occurrentem habet in via Licinium, quem duxit Mediolanum ibique sororem suam Constantiam in coniugem ei dedit, quam Christianam fuisse traditur: ibi pro Orientalibus Christianis fiunt decreta, quæ Constantinus extorquet à Licinio, & quia Maximianus erat præcipuus Orientis Imperator Constantinus, & Licinius ad ipsum rescribunt pro Christianis, hincque Edictum publicatum fuit pro orientalibus

talibus Christianis, vix tamen pace gauden annum prætergrediente, Illyrici, & Græci, nam etsi Galerius, Maximianus post octo annos sæuitiæ in Christianos euomens animam, cum intestinis, abrogasset sua Edicta fauorabilibus quibusdam substitutis, Maximinus tamen ea non curat obseruari, & multa imputari facit Christianis vnde torquecantur. Impatiens autem sustinere Licinium sibi collegam, vel de eo timens bello aperto aggreditur, sed superatur, vnde Europam, Licinio cedit fugitque in Asiam sperans ex Syria, & Ægypto nouas instruere copias, Tharsi in Cilicia morbo & febri pestilenti obit proposito Edicto in fauorem Christianorum, post mortem autem fuit declaratus tyrannus, eius imagines contumliosè abscissæ, statuta abrogata, filij perempti à Licinio, sic à persequutore immunis factus otiens.

At in breui Licinius mutatur in leonem contra Christicolas rugientem, & inde prima semina belli inter Constantinum, & ipsum licet, & alia notari possunt. Indicitur ergo bellum Occidentis, cui imperat Constantinus, cum oriente cui dominatur Licinius, qui superatur in Pannonia, moxque in Thracia, post victoriam autem Thraeicam pax inter eos conciliata est mulctato Licinio amissione prouinciarum, Illyrici, Græciæ & aliarum omnium, quoquot vlterius essent porrectæ, relicta ei Thracia, Oriente, & Ægypto. Iterum Licinius anno sequenti parauit bellum in Thracia ingentibusque præliis terra marique deuictus, primo Byzantij post inde Nicomediæ obsessus tandem se Constantino dedens ab eo Thessalonicam relegatus fuit. Notat autem Chronicon, Alexandriæ, stragem centum mille prostratorum in planicie Chrysopolis, deposita ergo purpura in facie exercitus vix intercessione vxoris, quæ soror erat Constantini obtinet priuatæ vitæ statum, quem agens, semper sollicitabat barbaros, vt in Romanum imperium bella mouerent. quod audiens Constantinus laqueo ei vitam adimi iussit anno Christi 318. post hanc victoriam, Oriens, Ægyptus, & totum Licinij imperium transiuit ad Constantinum, qui vnus totum omnino possidet Imperium, quod variè partitum fuerat sub aliis imperatoribus.

Sic sub vno Christiano imperatore Romani imperij populi omnes coëuntes tranquillissimo rerum statu potiti sunt, sic Ecclesia oppressa caput erexit: sic relaxati captiui, & restituti ad omnia Christiani, Episcopi Ecclesiis suis, Bonis suis Laïci, qui omnes idola dejicere student, fidem Christi propagare, vti fecit S. Nicolaus Miræ in Licia Episcopus, qui in delubra. Deorum manus iniecit, & idola subuertit. Ex inde deserta anachoretis illustrantur Pachomius, qui Tyro in castris Licinij militarat claruit in Thebaïde factus eo deuicto Christianus. Crux plantatur vbique, hancque Constantinus in statuis publicis erigi fecit. Referunt autem Sosomenus lib. 1. hist. cap. 8. Nicephor. lib. 7. cap. 46. Constantinum assignasse Clero, & Ecclesiis partem redituum annuorum, quos vrbs quælibet solebat exigere de prædiis aut terris siue locis, quæ iurisdictionis eius erat. Priuilegium hoc vniuersam terram constituit tributariam Ecclesiæ, quodque magis mirere, ita honorificus fuit Constantinus erga Episcopos vt eos Deos vocaret ipsisque omnes suos Iudices, & Magistratus submisit edicens, vt habetur in edicto directo ad Ablauianum, Præfectum Prætorij die S. Maij Constantinopol. dato quod causæ per Episcopum iudicatæ irreuocabiliter tales sint, Clericos à publicis exemit officiis, & oneribus ne ab officio diuino distraherentur lege 2. Cod. de Episcopis, & Clericis, declarauit quæcumque priuilegia à se concessa religionis ergo de Christiana, & Catholica intelligenda esse lege 1. Cod. de hæreticis, prohibuit Iudæis sub pœna ignis, ne male haberent eos, qui ab ipsis ad Christianos transire vellent lib. 1. codice de Iudæis, Christianos seruos, quos Iudæi subjiciebant circumcisioni donauit libertate, Iudæisque prohibuit ne Christianum mancipium haberent lege 1. & Cod. ne mancipium. Sanciuit diem Dominicum feriandum, & in eo precibus diuinis vacandum; quòd autem diem solis ibi nuncupet, hinc Gentilibus eandem præscriptam esse legem intelligit Eusebius.

Gladiatorum vsum vniuersè prohibuit, imperij partes, seu eminentiora Reipub. officia Christianis contulit, tantoque studio pietatem fidei professus est, vt Confessorum vulnera, & cicatrices eorum, qui pro fide passi non obietant publicè oscularetur credens, ait Theodoretus, quod inde benedictionem eliceret per osculum. Item rescripsit contra maleficos, & incantatores, & immissores tempestatum, qui per inuocationem dæmonum mentes hominum turbarent lege 4. cod. de maleficis. Legem Papiam abrogauit, quæ cœlibarum vetabat. Itemque alia lege cod. de Episcopis, & Clericis facultatem generaliter concessit relinquendi de bonis propriis testamentaria voluntate Ecclesiis, quo edicto adeò increuerunt earum diuitiæ, vt posteriores imperatores veriti inde detrimentum, & paupertatem, Reipub. conati sint cohibere fideles ab eiusdmodi profusionibus. At in fine huius anni 321. Constantinus Sardicæ existens minus planè dignum atque adeò abhorrens à Christiano Imperatore rescriptum dedit ad Maximum. Præfectum vrbis, quo Aruspices ob præcedentia, quædam prodigia consuli iussit, idque ipsum ab omnibus aliis publicè fieri permisit excusari forte potest, quod humana prudentia illud tunc permittendum dictauerit ne infensos iam Gentilium animos Christianæ religionis causa acerbius irritaret. & suspicionem de antiquandis patriis ritibus ab eo conceptam confirmaret. Peccasse tamen in eo subsequuta vltio diuina probauit, nam qui prius omnia ad nutum fœliciter experiebatur idem ipse, quod perinde ac si non esset Deus in Israël, vt est in diuinis scripturis 4. Reg. 1. miserit consulendum Deum Accaron ac veluti alter Saul cum abstulisset magos de terra, & ariolos post modicum tempus Pythonissam consuluerit, Dei indignationem promeruit, vt oborto ex insperato bello domestico, non solùm suorum carissimorum sanguine manus polluerit, sed & ipse vnà cum Imperio periclitatus fuerit nisi cito Christianæ religionis remedio facinus expiasset.

Anno Christi 323. Constantini 17. Gentiles

les elati insolenter in Christianos ex rescripto Constantini de consulendis Auguribus quòd ipsum crederent à Christiana religione desciuisse, inuitos pertrahebant ad sacrificia lustri quæ cùm vrbs ob præcedens aliquod prodigium ex responsis Augurum lustranda esset aut exercitus, peragi consueuerant. Sed edita sanctione repressit eos. Hinc non mirum. Si Papa Syluester his temporibus lateat, nam vexabantur aliquo modo Christiani moxque inualuit fama quod Constantinus Crispum filium à nouem iam annis Cæsarem creatum veneno interfecisset ob suspicionem consuetudinis cum nouerca Fausta, nec non & ipsam Faustam vxorem suam balneo supra modum calefacto inclusam extinxisset, vnde Ablauius clam appendit distichon foribus Palatinis.

Saturni aurea sæcla quis requirat!
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

Iusta ergo erat Christiano Pontifici, causa metuendi & latitandi donec è Pannonia aduentaret Constantinus.

Post tam immania scelera filijcidij & vxoricidij resipiscens Imperator, ait Zosimus, eorum lustrationem à Flaminibus poposcit illisque respondentibus non esse traditum lustrationis modum qui tam fæda piacula elueret quod responsum testantur gentiles historici quorum meminit Sozomenus lib. 1. cap. 5. Licet ipse ea in re fidem eis adhibere detrectauerit. Sed non mirum si quem vidimus adhuc Augures consulere idem à Flaminibus quoque expiationem petiisse asseratur.

Interim Constantinus ob admissa flagitia & labantem fidem percutitur lepra à Deo quam sanguine infantium curandam respondent Aruspices quæsitisque ad hoc è vilioribus personis magno infantium numero ad necem inde infælicium matrum planctus vndique aera verberantis misertus à nece eorum abstineri præcepit.

In istiusmodi humanitatis remunerationem cubanti illi apparentes in visu Apostoli Petrus & Paulus monuerunt vt Syluestrum in monte Soracte prope vrbem latentem accerseret, cuius lauacro ablutus saluus & incolumis subito esset futurus eiusque consilio omnia moderaretur; adfuit vocatus Syluester, & signis & relatu Imperatoris agnouit beatos Apostolos, Petrum & Paulum, esse qui Augusto apparuerant. Rem confirmauit ostensis sibi imaginibus eorundem quas apud se habebat Syluester, ad viuum expressas, quæ hodie etiam exstant & in Basilica Vaticana magna cum veneratione asseruantur. Vt vidit Constantinus agnouit ipsissimos esse magna cum admiratione. Et subinde Siluestrum consulit de lepræ curatione. Siluester, monet nullum esse subsidium efficacius ad eum morbum curandum quam Baptismum Christianorum, & cathechesi instruens iubensque vt prius septem saltem diebus solitarius in pœnitentia ob commissa crimina ageret, dum interea preces & ieiunia Christianis Romæ indicuntur anno Christi 323. imperij sui 18. Syluestri Papæ X. Effluxo Septenario Augustus vestibus & insignibus regiis depositis Baptisatus est Sabbatho in palatio suo Lateranensi, pluribus spectantibus & cum trinam immersionem faceret Syluester, apparuit cælestis fulgor, & Christus manum Augusto porrigere visus est, qui non solum sordes animæ eluit, sed & lepræ protinus contagio liberauit: squamis toto corpore defluentibus vsque adeo vt miraretur Constantinus, is ne esset qui antea fuerat. Septem diebus quibus post Baptismum Imperator in albis comparuit plura in fauorem Christianæ religionis ab eo sancta fuere, Christum scilicet esse Dominum verum qui se mundasset à lepra, & hunc ab vniuerso orbe Romano coli merito deberi: pœnasque decreuit in omnes qui in Christum Blasphemias intulissent vel deriderent aut subsannarent. Et addidit pœnam in eos qui cuipiam Christianorum contumeliam irrogarent; Romanam Ecclesiam, Imperatoriis priuilegiis, præ cæteris illustrare voluit, immunitatem Ecclesiis concessit vt ad eas confugientes securi essent in omnibus. Et ne absque consensu Pontificis Romani Ecclesiæ alicubi erigerentur. Octaua die processit, albis depositis, expiatus mundatus & incolumis populoque se publicè spectandum præbuit & qui ante Baptismum visus est fluctuasse, deinceps se in omnibus & coram omnibus maximè vero Gentilibus Christianum exhibuit, & in propaganda Christiana fide ardentissimum declarauit, vtque Deo pro beneficio animæ & corporis gratias ageret vna cum B. Syluestro Papa ad confessionem S. Petri Apostoli in Vaticano, accessit vbi postquam Deo preces effudisset diademate capitis deposito, Chlamidem imperatoriasque vestes exuens, accipiens bidentem terram primus aperuit fundamentis iaciendis vt nouam Basilicam, Petri Apostoli titulo, construeret & ob numerum 12. Apostolorum 12. cophinos terra plenos supra humeros extraxit, quibus peractis exultans & lætus ad palatium in curru suo vna cum Papa Syluestro reuertitur & legem sanciuit, ac promulgauit adeò se Christianæ religionis velle cultum profiteri vt Christo Deo intra palatium suum Lateranense, Basilicam erigi statuerit, vbi Christiani suos conuentus agerent, vtque iis qui Christiani fieri vellent & pauperes essent præstarentur ex largitione fiscali affatim alimenta, eisdemque in primis in Baptismate candida vestimenta & solidi viginti, dum tamen afferrent pro tessera Episcopi Romani Chirographum. Solidi autem 20. octuaginta nostrates aureos coronatos valebant.

Anno Christi 324. Pontificatus B. Syluestri Papæ XI. statutum à Constantino vt qui vellent fieri Christiani, id eis facere liceret absque vllo impedimento.

Sanciuit hæc rursus ne filij familias vel serui sub qua nati essent superstitione tenerentur inuiti. Quamobrem magnam factam esse accessionem ad Christianam fidem acta Syluestri testantur. Addit his Nicephorus, lib. 7. cap. 34. eodem anno Romæ baptizata fuisse supra duodecim millia virorum præter fœminas atque paruulos. Præcepit deinde Const. Imp. excelsum sibi tribunal in Basilica, Vlpia ad forum Traiani, parari, ad quam conuocauit senatum concionemque habuit aduersus eos qui se patriæ religionis desertorem calumniabantur; ostendens Deos gentilium figmenta esse & opificia hominum, nullamque esse in eis spem collocandam, si cecidissent, nequirent se erigere, si confracti, non valerent se

resarcire,

resarcire, Acclamatum est continuo à Senatu & populo. *Qui Christum negant, male pereant. vnus Deus Christianorum. Templa claudantur, & Ecclesiæ pateant. Qui non colunt Christum inimici Augustorum sunt. Qui non colunt Christum inimici sunt Romanorum. Qui sanauit Augustum ipse est Deus. Qui Christum colit semper vincet, Sacerdotes vrbe pellantur. Qui adhuc sacrificant vrbe pellantur. Iubete vt hodie vrbe pellantur.* Constituit demum Imperator, voluntarium & non coactum, Baptismum esse, nec metu humano ad Christianorum cultum quemquam accedere. Incredibilis hinc in populo concepta lætitia, ea lege publicata: verebantur autem gentiles cuncti vim sibi inferendam ad suscipiendam Christianam religionem, at Imperator, hoc eos metu exemit. Postea tres leges tulit in gratiam Christianorum.

Primam vt dies Dominicus qui antea solis dicebatur, à cunctis feriaretur. Secundam vt Christianorum serui in conuentibus suis manumitterentur absque iudicis alicuius sæcularis interuentu atque authoritate, cuius constitutionis verba Iustinianus Codici suo inseruit. Tertiam constitutionem de concubinis tulit, etenim ante id tempus sua matrimonio dignitas non erat. Ea sic habet. *Nemini licentia concedatur constante matrimonio concubinam penes se habere.* Miraberis beneuole Lector audire Constantinum à Maxentij victoria iampridem Christianismi professorem, tamen Baptisatum nisi anno 18. imperij sui. Solebat olim vt plurimum differri à multis hoc Sacramentum vsque ad articulum mortis. Imperatores & magnates credebant grauiora reputari & esse peccata in Catechumenis quam in regeneratis. Constans & Constantius, filij Constantini paulo ante mortem abluuntur vt testatur Athanas. Valens aliquibus annis post susceptum imperium. ita Theodosius, Valentinianus secundus fide & virtute clarus sine baptismate moritur: ipsum desiderans euocat Ambrosium, ab Italia in Gallias, sed à tyranno Maximo occiditur ante aduentum Episcopi qui in eius oratione funebri Baptismū in voto & affectu vocat. Ambrosius ipse quadragesimum excedebat annum, nec de Baptismo cogitabat, nisi ad Episcopatum qui Baptismum supponit, electus fuisset. Augustinus distulit ablutionem & cum ex stomachi oppressione periclitaretur de vita, cucurrit mater eius Monica, ad Ecclesiam, remittit dolor & differtur adhuc Baptisma. Quia ait ipse lib. 10. confess. cap. 11. communis erat opinio Baptisma non solum eluere omnes criminum maculas, sed & pœnas temporales & æternas condonare & remittere. Quia autem periculum imminens est, Patres vno ore exclamarunt contra talem vsum.

Hinc erit dicendum Constantinum communicasse semel tantum diuinis Eucharistiæ mysteriis, licet vt Catechumenus interfuerit Missæ vsque ad præfationem.

De Baptismo Constantini Romæ suscepto anno Christi 323. certa & indubitata sunt testimonia. Concilium Romanum sub Syluestro Papa Romæ coactum id restatur in eius exordio, Anastasius scriptor acuratissimus, Gregorius Turonensis, Hincmarus, Acta Syluestri, Adrianus Papa IV. Concil. Nicænum secundum & tom. 2. Epist. decretalium Nicolaus I. Papa in Epistola an Michaëlem imperat. Constantinop. qui inter Augustos qui Ecclesiam Dei & præcipuè Romanam exaltauerunt commemorat Constantinum. Nicephorus etiam hoc asserit & alij historici. Reginaldus Polus, Cardinalis, id certis argumentis ostendit & Cardin. Baronius.

At inquies quomodo multi antiqui scriptores propugnant aperte Constantinum baptisatum fuisse Nicomediæ, ab Eusebio, eiusdem vrbis Episcopo in vltima vitæ periodo, ita scribit Eusebius Cæsariensis Episcopus l. 4. vitæ Constantini, cap. 62. Ambros. in orat. Funebri Theodosij, Socrates, Sosomenus, Theodoret. & Hieron. qui in Chronico suo hæc habet. *Constantinus in periodo vltima vitæ Baptisatus fuit per Eusebium Episcopum vrbis.* Euulgatur autem distulisse Baptismum ex more prænotato & quia in Iordane baptizari cupiebat.

Ciaconius respondet. Hinc impostura Eusebij Arianorum signiferi ostenditur, qui in gratiam Constantij Imperatoris Arriani finxit Constantinum Nicomediæ baptizatum ab Episcopo Arriano, volens eâ notâ eum inurere, quò filio adularetur & morem gereret, & eius errores videretur extenuasse si ad parentis normam mendaciis eos adstruxisset.

Baronius aliter respondet & notat duplicia reperiri Acta Syluestri, Latina primùm, quæ & ad Græcos sunt deriuata, vt quæ habentur in plerisque codicibus & ex Latinis accepta quæ recitant Metaphrastes, Zonaras, atque Cedrenus, Alia rursus quæ longè postea nec ante millesimum Christi annum cognita fuisse noscuntur, ab aliquo Græcorum commenta proditaque Græcè sub falso Eusebij Cæsariensis nomine ex libro de Martyribus: quibus deinde superadditum est à Græcis Græcè scriptum ipsum Constantini Edictum de donatione. Idemque postea latinitate donatum atque receptum vna cum Actis prout glossemata testantur apud Gratianum. Porrò ista Græci non Latinorum amore sed odio, suaque vtilitate fecisse noscuntur. In odium Romanæ Ecclesiæ, vt quæ ipsa possidet non diceretur à Christo accepisse, sed à Constantino imperatore: In sui vero vtilitatem, eo quod in eodem Edicto affirmaretur iam sub eodem Imperatore Ecclesiam, Constantinopolitanam, fuisse Patriarchatum, cùm tamen nec eo tempore quo edictum promulgatum ponitur adhuc vrbs Constantinopolis, id nominis accepisset & non nisi longè post hæc tempora eadem continuâ imperij sede tumens amplissimam eiusmodi dignitatem ambire noscatur præsumpsisse hoc autem fuisse Græcorum consilium in confingendo edicto Constantini satis apparet ex iis quæ de priuilegiis Ecclesiæ, Constantinæ, habet Theodorus Balsamon, Pseudopatriarcha Antiochenus qui primus omnium Græcorum ex Actis Syluestri Papæ in lucem edidit Edictum Constantini circa annum 1195. cum tamen iam antea Latinis innotuisset translatum à Græco vt dictum est.

Acceptum vero bona fide à nonnullis quovsque mala fides Græcorum latuit & à pluribus omni studio defensum sed emersit in lucem tempore Benedicti Papæ XII. anno 1339.

Otionis

Ottonis tertij nomine scriptum olim diploma aduersus Pontifices dilapidatores bonorum Ecclesiæ Romanæ, quo idem Constantini edi-ctum esse falsum argueretur, confictumque ab impostore quodam Ioanne Diacono cognomento mutio siue mutilo, nempe digitis amputato: quod quidem diploma Benedictus ita repertum in thesauro Ecclesiæ Romanæ, qui tunc asseruabatur Assisij in Ecclesia fratrum Minorum Sancti Francisci non voluit mala fide aboleri, eo quod videretur aduersari Edicto vulgato donationis Constantinianæ, quamuis non ob hoc quod descriptum fuerit ipsum diploma probasse dici possit, quòd nec quidem esse Ottonis tertij multa sunt falsa & inter se contraria in eo contenta quæ manifestè conuincere videantur: quisquis autem fuerit ille Ioannes Diaconus assertus author Edicti (qui potius dicendus est translator eiusdem è græco in latinum) illud certissimè constat ipsum edictum nusquam ab aliquo citatum authore reperiri ante eiusdem Ottonis tempora, qui desiit imperare anno Domini millesimo secundo.


Respondeo ergo ad instantiam Acta Syluestri si in fine vitæ tenemus Constantinum Baptisatum)falsata & apocrypha esse, quod Æneas Syluius Cardinalis qui post duos annos Pius Papa, secundus dictus est, scripsit. *Quamuis*, ait, *horaria volumina quibus vtitur Ecclesia Romana, plerumque hoc habeant* quod & Cardinalis Cusanus lib. 3. concordantiæ catholicæ cap. 2. Constantinus Augustus magnificentissimus princeps cunctis quibus valuit officiis Ecclesiam Catholicam coluit, atque muneribus frequentauit. Ad quæ præstanda cum pietas illum impelleret & æmulatio aduersariæ religionis stimularet maioribus priuilegiis & donariis templa auxit, sed ipsam potissimam Romanam Ecclesiam in qua sciebat totius Christianæ religionis vigere principatum, atque cardinem verti, in Ethnicorum hostium medio collocatam, in eorumdem odium & inuidiam, amplissimis donauit muneribus. De quibus infra dicetur Anno sequenti id est 324. Christi, Syluestri 11. & Constantini 19. collecta est Romæ Synodus, à Papa Syluestro ex Episcopis præsertim Italiæ 283. vel vt habet Cresconiana collectio 230. quibus omnibus suppeditata fuere vehicula & annona. Subscripsit post Episcopos Constantinus Imper. & mater eius Helena. De decretis ibidem factis nihil affero.

Optima igitur pax, quies, libertas & securitas sub Syluestro Papa & Constantino Principe Ecclesiis concessa, & anno sequenti celebrata Synodo Nicena, vnitas in fide & concordia conciliata fuit.

Post hæc Constantinus cruenta Gladiatorum spectacula tolli iussit, crucis supplicium omnino abdicauit, & ad extirpandum idolorum cultum omnino se contulit. Quod ostenditur ex variis Basilicis, quas Romæ & alibi tam in occidente, quam in oriente locisque specialiter terræ sanctæ aliquo Christi nobilitatis facto construxit & donariis seu ornamentis, vasis aureis & argenteis, & reditibus quibus eas instruxit. Ex quibus omnibus Basilicis & Ecclesiis conditis & thesauris in singulas erogatis non solum æquasse, sed & superasse visus est sumptus Salomonis in templo Hierosolymitano construendo, si multorum impensas vni soli templo conferamus. Quanquam enim Eupolemus colligat quadragies sexies centena millia siclorum aureorum in ea fabrica & ornatu insumpta, qui conficiunt centum octuaginta quatuor milliones aureorum nostratium vt Budæus lib. 4. de asse supputat; si minutim expendamus singula inuenimus pluries Constantinum quam Salomonem erogasse in innumeris illis Ecclesiis, quas construxit & annuis censibus ex parte dotauit, conatus namque est, vt constructa Romæ templa celebriora & augustiora essent quam fama Gentilium. Cùm præsertim Ethnici consueuissent exprobrare & criminari Christianos cultum Dei ipsorum abiectum nimis & humilem & nullius splendoris esse. Quare non tulit pius Imperator iusta æmulatione compulsus ornamentis saltem gentilium templa, (quæ magna ex parte toto orbe augustissima vastauit & euertit teste Eunapio Græco scriptore Ethnico, in vita Edesiij Philosophi) superare. Quibus donis hoc etiam addidit, certum vectigal annuum à ciuitatibus ærario regio pendi solitum & Ecclesiis prouincialibus cleroque distribuit. Dationem vero ipsam decreti sui authoritate validam in perpetuum esse voluit, vt testatur Sozomenus. Quare multum debet Ecclesia Catholica Constantino: fuere namque hæc tempora optatissima & fœlicissima Christianis, cum Episcopi suis singuli Ecclesiis restituti egregiam nauarunt operam, vt idolorum cultum prorsus abolerent & vnam veram ac sanctam religionem Christianam quam latissimè propagarent, & vbi Christiani numerosiores erant in delubra Deorum manus iniicientes, idola in eis demoliebantur. Sic vindicata Ecclesia Christi à seruitute & oppressione Gentilismi per Constantinum Imperatorem piissimum, qui Constantinopoli obiit & sepultus honorificentissime in Ecclesia duodecim Apostolorum, quam ibi magnificentissimam erexerat post triginta & vnum annum imperij anno Christi 337. terminati.

ARTICVLVS XXXVII.

Romano Pontifici Beati Petri Apostolorum principis Successori ac Iesu Christi vicario obedientiam spondeo ac Iuro.



VRIS Diuini regula hæc est, reddere Deo quæ Dei sunt, & Cæsari quæ Cæsaris: vnde illi supremo latriæ cultu seruire debet creatura rationalis, isti autem tanquam per Deum regnanti ciuilem cultum debet homo, qui reuerentia & tributo pro tempore vacuus non sit; Romano autem Pontifici vt pote alteri Petro, & petræ cui innixa est Mater Ecclesia, submissionem & obedientiam, hancque iuramento inuiolabili obfirmatam, spondere tenetur quicumque Deum Patrem in cœlis & Christi Ecclesiam Matrem in terris agnoscit: exulauit à Paradiso terrestri primus eius colonus per inobedientiam, aditum ad cælestem reserat fides, quem portæ inferi occludere nequeant, per reuerentiam & obedientiam Domino Papæ, quem Vicarium suum Christus, & Petrus successorem habet in terris. Christiana equidem res est & summa religio, Deum in homine assumpto ad vnitatem personæ verbi diuini humiliter reuereri non minorem, dixero Christum Deum in homine assumpto ad sedem Petri, demisso & supplici animo venerari; Nec grauabitur Catholicus qui audit & legit supremos hominum apices Imperatores, & Reges, aureas quibus præfulgebant coronas, honoris & reuerentiæ pignora, cruciferis Romani Episcopi pedibus obuoluisse, & toto corpore procubuisse coram ipso, Imperator Philippus in 2. sæculo coram Fabiano, Papa ex Euseb. lib. 6. cap. 27. Iustinianus coram Constantino Papa ex Baronio anno 710. Iustinus senior coram Ioanne ex S. Antonino. Rex Pepinus coram Stephano III. ex Paulo Emilio lib. 2. hist. Gall. Carolus Magnus coram Stephano IV. & Leone III. ex Paulo Emil. Flodoardo, & Baronio anno 800. Ludouicus I. coram Stephano V. & Baron. anno 816. Fridericus Imper. coram Alexandro III. Venetiis, ex Platina. Ludouicus autem rex Galliæ, Henricus II. rex Angliæ ad imitationem Constantini primi Imper. Syluestro Papæ famulantis officio stratoris functi sunt erga Alexandrum III. ex Genebrard. lib. 4. Chronic. Non grauabitur inquam fidelis votum hoc humilitatis & Catholicæ seruitutis emittere, qui peruolutis annosæ pietatis scriptoribus intelliget quanta decora habeat maiestas Pontificia, cui annexus est vnigeniti filij Dei vicariatus per vnius piscatoris Apostolatum. Si qua possit mentis acies maximum eius ferre splendorem: hanc vndequaque radiantem quoquo modo licebit suspicio, & suspiciendam studiosis propono.

QVÆSTIO PRIMA.

An B. Petrus primatum ſuper Apoſtolos habuerit.

PRæcipua hæc eſt totius Catholiciſmi, quæſtio, quâ denodata facile reſoluuntur, inde emergentes controuerſiæ, nam ſi primatum, & caput vicarium Chriſti abſentis,quod eius vice Eccleſiam gubernat ſemel admittamus, neceſſarium eſt vt ex ore dicentis abſolutè pendeamus, & quod ſemel edixerit deciſiuum habeamus oraculum. In hoc autem conſtituto, & ſibi dato capite ipſamet Eccleſia admirabilem Chriſti plenamque charitatis diuinam prouidentiam ſemper agnouit, & venerata eſt: inſecuti è contra, & perſecuti omnes hæretici. Vnum hic præloquor multâ indagine, & perſpicaci mentis acumine plures diſſolui hæreticorum cauillationes, hanc ſolo iudicio naturali, & politico ſpiritu terminati, qui omnem Schiſmatis occaſionem in corpore myſtico,ſeu fidelium cœtu præcludat, ne autem id gratis confictum habeatur profero Chriſti, Parrum, Conciliorum oracula, quibus ſubſequenter ſuffragabitur rationis conſequentia, 1

Probatur Petri primatus ex Scripturs, Ioan. 1. Andreas adduxit Petrum fratrem ſuum ad Ieſum, intuitus autem eum Ieſus dixit. *Tu es Simon filius Iona tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Promiſſio iſta mutationis nominis, notatu digniſſima eſt, quia Chriſtus promiſſiones ante affectum præmiſit tantum in rebus magni ponderis, v. g. in Euchariſtiæ præſignatione, in reſurrectionis ſuæ argumento,in ſpiritus Sancti miſſione expectanda. Id autem fecit vt comprobatio,rei verborum ſuorum, ſeu promiſſionis effectum propalans facilius inclinaret hominem ad fidem omnium, quæ propoſuerat. Sic Deus in Veteri Teſtamento promiſſiones de mittendo Meſſia, & de tradenda terra Canaam iterauerat quarum maxime deſiderabatur effectus.Poſt aliquot dies, *aſcendit Ieſus in montem*, vt habet Marc. cap. 3. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus.*

Numerantur hic duodecim, quos Apoſtolos deſignauit, ante verò prædicta verba nonnulli codices Græci habent πρῶτα σίμωνα, id eſt primum, Simonem ſcilicet conſtituit inter Apoſtolos ;, ſed hæc verba omittunt cæteri, idipſum tamen ſatis intelligitur ex eo, quod Petrus hîc primus à Chriſto nominentur nomemque ei mutetur, vt qui prius vocabatur, Simon deinde vocetur Syriacè Cepha Græcè caput vt notarunt, Optatus Mileuit, & S. Hieron.Latinè vero Petrus, vel petra. Notat appoſitè Chryſoſt. homil.18. in 1. Ioan. nomina à Deo mutari ad indicanda, quæ ipſe confert priuilegia perſonis, ſic Abram hoc eſt pater excelſus mutatur in Abraham id eſt pater multitudinis,Sarai domina mea,vel domus meæ, in Sara id eſt domina, & princeps abſolutè ſeu mater plurium imò cunctorum gentium. Ad hæc obſerua mutationem nominis Petro datam quando Chriſtus *duodecim eſſe voluit*, vt ſcilicet cætui illo præfigeret caput, quod ſubſequenter tres Euangeliſtæ Matth. 10 Marc. 3. Luc. 6. primum recenſent non ratione antianitatis vocationis, qua præerat Andreas ſimulque ætate, non ob famam ſanctitatis cui communiret Iacobus & aliorum cœtui præponebatur, Iacobus dictus iuſtus, & frater Domini id eſt, more Scripturæ, *conſobrinus*, nec ratione ſingularis beneuolentiæ, quæ reſeruata fuit diſcipulo dilecto id eſt Ioanni, nec fortuito caſu primus nominatus eſt Petrus, ſpiritui Sancto ſiquidem nihil caſu accidit,cuius dictamen in Scriptura ſacra non vacat ratione, ideoque reſtat, vt aduertit Auguſt. homil. 17. in cap. 1. Ioan. factum id fuiſſe ratione maioris poteſtatis, & authoritatis cui primus debetur locus. Porro Chriſtus aperte declarauit, Matth. 16. cur Petro nomen tale indidiſſet eique tunc promiſit prærogatiuam poteſtatis, quam præferebat petens enim à Diſcipulis, *quem me eſſe dicitis*, tacentibus aliis. *Petrus dixit Tu es Chriſtus filius Dei viui:reſpondens autem Ieſus dixit ei, beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, & ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,&c. & tibi dabo claues regni cælorum.* Hoc ædificium fit per fidelium coadunationem in vnum corpus aut per plenam in eodem corpore eorumdem inſtructionem. In vtraque actione collectionis nimirum, vel conſeruationis in ouili, vel coaceruandi, & diſponendi lapides ſtructuræ plures concurrere ſolent operarij, vel architecti, at Petrus præfectus eſt omnium, & Rector. Cum enim ædificij forma ſit fides, quæ eſt ex auditu, Miniſtri Euangelij ita ſubordinati ſunt, vt ſinguli, omneſque ſimul dependeant ab illo, qui non per carnem, & ſanguinem, id eſt via humana, ſed à reuelatione diuina accepit notitiam magni illius Myſterij. *Quod Chriſtus eſt filius Dei viui.* Notitiæ huic ſingulari participes equidem facti ſunt cæteri Apoſtol, hancque vbique terrarum ad ædificationem Eccleſiæ Dei prædicarunt, at prima reuelatio data eſt Petro vti Præfecto, & Capiti Eccleſiæ militantis, cui traditæ ſunt claues regni cœlorum, quibus ad nutum aperiat, vel claudat illud, idque delegando Miniſtros præcones Verbi diuini, diſpenſatores Sacramentorum, vel leges Eccleſiaſticas ſtatuendo, Scripturas interpretando, articulos fidei declarando, & quæ in controuerſiam adducuntur diffiniendo.

Non me latet textum iſtum exercuiſſe miro modo ingenia Proteſtantium, in quo detorquendo ab inſtitutione primatus ſuo tempore, id eſt poſt reſurrectionem, Ioan 21. ſub his verbis *paſce oues meas*, dandi Petro, omnis ſubtilitas eorum exhauſta notatur factâ omnimodâ collectione eorum omnium, quæ in Petri minorationem, & contemptum afferri poterant. Aſſentiuntur Catholici Petrum in aliquibus dotibus ſupparem non eſſe aliquibus collegis ſuis, virgo non fuit ſicut Ioannes aut Paulus. Zelus non denominauit eum filium tonitrui ſicut filios Zebedæi, non vocatur maior inter natos mulierum vt edixit Chriſtus de Ioanne Babptiſta, Paulus plus cœteris laboraſſe notatur. At quid hæc, & ſimilia ad miniſterium, & ad iuriſdictionem, ſeu autho-

ritatem de qua est quæstio potius, quàm de merito, & profunditate scientiæ, tum caro, & sanguis id est humana potestas non confert hunc spiritualem primatum Christus ipse huius est author, & collator, qui conferendo caracterem simul, & idoneitatem præstat hincque rogauit, vt dicit Luc. 22. vt *non deficiat fides Petri*, quæ ita constans, & inconcussa fiat, vt conuersus confirmet alios.

Apparet hæc aduersariorum tergiuersatio subrogando alienas expositiones verborum istorum, *super hanc petram.*

Prima est Augustini, Christum ipsum per petram designantis, verum equidem est, quod absolutè loquendo Ecclesia fundata est super Christum, attamen ipse non est illa petra, quam sermone suo hic designat, nec vlla est connexio dicere, *Tu es Petrus; & super me Petram ædificabo Ecclesiam meam*, Imò est imminutio sermonis, & beneficij dati euersio, diceret enim Petrus singularissimo tuo beneficio me petram facis Ecclesiæ, ad quid? quomodo ergo non super me, sed super te ædificas Ecclesiam! multa promittis, & nihil das! Secundò omnia antecedentia, & sequentia non nisi Petrum respiciunt, *& ego*, inquit, *dico tibi*, ô Petre, hoc est tantæ fidei, & confessionis præmium, & prærogatiuam tibi do & assigno, vt post me meamque mortem, & resurrectionem te facturus sim petram, & fundamentum Ecclesiæ, hoc enim significant illa verba, *ædificabo Ecclesiam meam.* Tertiò quia versiones originales, & orientales in hoc conspirant vt *Petrus*, sit idem quod petra, & *petra* idem quod *Petrus*, vnde idem nomen Kepha dans Petro & petræ, & Christus Syriacè dixit. Ant. Kepha veal Kepha hadden ebne lat tsibburi. Sic refert Caninius in nominibus Heb. noui Test. cap. 13. vel vt iam habet Euangelium Syriacum, Ant. hu kipha. Veal hada kipha ebne leidri, id est tu es Cepha, id est petra, & super hanc Cepha, id est petram, hoc est super te, qui es Petrus siue petra ædificabo Ecclesiam meam.

Ad S. Augustin. respondetur ipsum deceptum fuisse ignoratione linguæ Hebraicæ, & Syriacæ, ideoque putasse Petrum aliud esse à petra, & ab ea denominatiuè dici, quasi petreium, cum ex Syro constet idem esse Petrus, quod petra. Rursum S. August. admittit, vt probabilem eorum expositionem, qui dicunt Petrum esse petram Ecclesiæ, quo iugulat Caluinum, qui censet id dicere esse blasphemiam in Christum Audi S. August. in serm. de cathedra Petri: *Denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus. Tu es petrus, & super etc. petra enim dicitur eo, quod primus nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat: petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur.* Item serm. 16. de sanctis *dignus certè*, inquit, *qui ædificandis Dei populis Petrus esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum.* Denique etiamsi admitteretur illa expositio petram denotare Christum, quæ tamen non est genuina, tamen inde conuinceretur Petrum post Christum, qui est petra, & lapis angularis Ecclesiæ proximam esse petram fundamentalem Ecclesiæ, sensus enim esset ego sum petra super quam ædificabo Ecclesiam meam: tu vero ô Petre mihi es proximus, & proxima petra Ecclesiæ super quam proximè post me ædificabo Ecclesiam, ideoque te solum voca petrum, cùm antea vocareris Simon.

Secunda expositio Magdeburgens. & Genenensium in suis Biblus, *super hanc petram* id est super hanc confessionem, vel fidem, quod ego sim filius Dei, sed refellitur iisdem supra argumentis, nusquam enim antea hæc confessio vocata est petra sicut Petrus immediatè vocatus est. Cephas id est petra, admitto equidem nonnullos Patres per petram accepisse fidem quam professus est Petrus, ita Chrysost. hic Hilar. lib. 6. de Trinit. Cyrill. lib. 4. de Trinit. Ambros. lib. 6. in Luc. cap. 9. sed hi non accipiunt fidem abstractè, sed fidem prout erat in Petro ac consequenter faciunt ipsum Petrum petram Ecclesiæ, vt ipsi mox disertè explicant, volunt enim dicere Petrum ob meritum fidei accepisse dignitatem petræ in Ecclesia, vt expresse ait S. Hilar. & S. Chrysost. ob illam enim meruisse vt ipse sit fundamentum Ecclesiæ, eiusque fides deficere nequeat, vt ipse alios in fide confirmet, & sustentet, Ecclesia enim non ex fide, sed ex ipsis hominibus fidelibus, quasi partibus conflatur, & integratur (Ecclesia enim non est aliud, quam cœtus fidelium) quare, & ipsum Ecclesiæ caput, vt sit homogeneum corpori, homo fidelis puta Petrus & Pontifex sit oportet. Fides est ratio fundandi, fundamentum vero est ipse Petrus. Ita Cyrill. & alij quibus adhæret Bellarm. lib. 1. de pontif cap. 10. Sic autem dicere, quod Ecclesia sit fundata super Petri confessionem non est negare fundamentum esse super personam Petri Hieron. ad Pammachium Epistol. 61. dicit Petrum non ambulasse super aquas, sed fidem hoc est negare Petrum ambulasse propriè, & formaliter, sed est dicere, quod ratio, & causa cur id præstiterit non fuerit eius agilitas, aut virtus personalis, sed fides quam verbis Christi dederat, & ideo sicuti hæ duæ propositiones fides Petri ambulauit, & persona Petri ambulauit ambæ veræ sunt, sed diuerso sensu, nam fides ambulauit, causaliter id est fecit vt persona Petri ambularet, & persona Petri propriè, & formaliter ambulauit, sic hæ duæ propositiones Ecclesia est fundata supra personam Petri, Ecclesia fundata est in confessione fidei Petri ambæ veræ sunt, vna causaliter, alia formaliter persona ergo Petri est fundamentum formale Ecclesiæ id est ille ipse est super cuius ministerium per præferentiam ad quoslibet alios Christus fundauit Ecclesiam, verba enim Christi singularia sunt, *dico tibi beatus es, super hanc* exclusiua pluralitatis, vnde Cyprian. lib. de vnitate Eccl. *Super eum vnum fundat Ecclesiam.* Nec dicas conditionem seu causam, qua Petrus factus est fundamentum esse cæteris Apostolis communem?

Respondeo enim hoc non datum Petro simpliciter ob confessionem diuinitatis Christi, sic enim hoc commune foret omnibus Christianis, sed datum est ob prioritatem confessionis cui Apostoli non participarunt, vtì non habentes reuelationem: Petrus autem à Deo edoctus solus, respondit aliis tacentibus,

nec quid responderent scientibus, edocti postea à Petro, sic scribunt Cyrill. cathech. 2. Hilar. cit. Athanas. nam quod Ioan. 6. habetur, *Credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei*, posterius est isti responsioni Petri, & quod priùs, Nathanael. Ioan. 1. dixerat. *Rabbi tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Non erat plena confessio diuinitatis, & consubstantialitatis Christi, sed vt ait S. Chrysost. cui assentiuntur Moderni, Nathanael credidit Christum esse filium Dei adoptiuum per eximiam gratiam, quâ eum pollere videbat præ cæteris Prophetis, quod idem Chrysost. Euthymius, & Tolet. dicunt de Marthæ confessione; quæ quamuis expressa distinctaque esset, hanc à Petro iamdudum edocta potuit profiteri. Si autem Petri confessio non fuisset prima distincta, Christus non sic eam extulisset, nec Petrum ob illius reuelationem nuncupasset beatum.

Idem Matth. 16. locus aliam habet metaphoram sub qua promittitur Petro primatus. *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in cælis*, Tibi quatenus es vna persona siue filius Ionæ, non ergo hic Petro in persona Ecclesiæ hoc est ipsi Ecclesiæ primariò promissæ sunt claues cœli, vt contendunt Nouatores, sed ipsimet Petro tanquam capiti Ecclesiæ, & per eum Ecclesiæ ejusque ministris vti, & eidem speciatim illæ datæ, & consignatæ sunt à Christo post resurrectionem, cum dixit Ioan. 21. *Pasce oues meas.*

QVÆRES, quidnam significent hic claues? Respondet, Caluinismus denotare potestatem annuntiandi tum Euangelium, tum remissionem peccatorum ei, qui duntaxat credit Euangelio illam promittenti. Verum hoc insulsum est, & ridiculum, clauibus enim aperiuntur ostia, non ora prædicantium, vnde claues insigne sunt Regum & regentium, non doctorum, vel docentium, hic autem significant summam potestatem, tum ordinis, tum iurisdictionis in totam Ecclesiam hic à Christo promissam, & Ioan. 21. traditam, hoc enim fine traduntur claues vrbium Regibus & Principibus, & ita claues explicat Christus in sequentibus dicens, *quodcum que ligaueris & solueris*, trãsitque a metaphora clauium ad metaphoram vicinam ligandi ac soluendi, vicina sunt enim aperire & claudere, ligare, & soluere, vnde per eam idem significat, quod per claues, & per petram, nimirum summam potestatem Petri efficacius autem per metaphoram vinculorum iis homines ligando, vel ligatos absoluendo, quam in omnes omnino homines totius orbis confert Petro per verba de futuro, actualiter autem Ioan. vlt.

Nec obstat primatui, quod cœteris Apostolis data sit eadem ligandi, & soluendi potestas Matth. 18. *Quecumque alligaueritis super terram aut solueritis erunt ligata, & soluta in cælis*, Hæc enim communicatio subsequens non derogat singulari potestatis collationi factæ hic prius Petro.

Audiamus hic Caietanum tract. de instit. & authot. Rom. Pontif cap. 5. opinantem non esse idem claues regni cœlorum, & potestatem soluendi, & ligandi, claues enim regni cœlorum includunt potestatem ordinis, & iurisdictionis, quæ designantur actionibus ligandi, & soluendi, sed præterea addunt aliquid amplius, latiusque patere ait aperire, & claudere, quàm soluere, & ligare, ligare enim, & soluere propriè tantum significant actus iudiciales, claues verò non hos modo verum etiam alios continent, vt illuminare dispensare regere, &c. qui omnes aptè continentur sub metaphora claudendi, & aperiendi. Hinc effici vult Caietanus claues secundùm actus suos adæquatos soli Petro fuisse promissas, Matth. 16. & quantum ad actus inadæquatos ligandi, & soluendi etiam aliis concedi ideoque Christus, Matth. 18. nihil dicit de clauibus.

Quæ Caietani opinio quoad rem ipsam attinet vera est, nam claues vniuersim sumptæ quæque ad omnes actus se extendunt speciatim Petro collatæ sunt. Præterea eædem claues habent multiplices actus quos omnes sub se claudit metaphora illa aperiendi, & claudendi.

Verùm aio etiam eosdem actus posse aptè significari per vocabula ligandi, & soluendi per quæ eos significauit Dominus Matth. 16. vbi primò promittit authoritatem Petro designatam per claues, deinde actus eiusdem potestatis siue officium Petri explicat per voces ligandi, & soluendi, ita vt omnino sit idem hic soluere, & aperire, claudere, & ligare Expressit vero Dominus clauium actiones per vocabula illa *soluere, & ligare*, non per claudere, & aperire, vt intelligeremus omnes istas loquutiones translatas esse & metaphoricas, & tunc demùm cœlum aperiri hominibus, cum soluuntur à peccatis, & ab his, quæ illis ingressum prohibebant. Adde, quod potestas clauium est potestas superioris alicuius, quicquid autem is operatur per suam potestatem potest rectè ad actus ligandi, vel soluendi reuocari, nam si dispenset soluit, si præcipit ligat Matth. 23. alligant onera grauia, & importabilia. Quicquid sit, Patres Clauium nomine eandem Petri potestatem cæteris collatam Apostolis significant; aliqui tamen Petro sub nomine clauium vt summam eius, & independentem exprimant, aliis vero sub verbis ligandi tantùm, & soluendi, dependentiam à Petro in quo est summa vniuersalis iurisdictionis intelligeretur.

Intellexerunt sanè discipuli primatum concessum Petro, qui videntes Matth. 17. solutum didracma, quod viritim in Capharnaum exactores Romani accipiebant à Iudæis, quod ob sanctitatem Christi non ausi ipsi exactores interpellare Christum ab eo non petebant, sed *accedentes ad Petrum dixerunt Magister vester non soluit didracma, Christus autem dixit Petro, vade ad mare tolle piscem, inuenies staterem in ore, da illis pro me & te.* Hieron. benè hic notat, quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum ex æqualitate pretij arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, eo quod in redditione tributi Domino fuerat comparatus. Obseruant autem Chrysost. Origen. & alij præter debitum solutum fuisse pro Petro vt innueret ipsum suæ fa-

miliæ & Ecclesiæ Vicarium, ac cæterorum Apostolorum omnium caput & principem à se destinari, didracma erat dimidium sicli, siue duo Iulij quotannis capitatim soluendum Romanis à Iudæis in loco incolatus proprij. Solemnis locus pro primatu habetur Luc. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Hinc Patres colligunt Petrum à Christo præpositum fuisse cœteris Apostolis ac consequenter totius Ecclesiæ factum esse principem & caput vt eandem in fide & religione Christi instrueret, perficeret, & confirmaret, ita S. Leo serm. 3. de anniuers. die assumptionis suæ. *Pro fide Petri propriè suplicatur tanquam aliorum status certior sit futurus si mens principis victa non fuerit.* Theophyl. hic *quia te habeo vt principem discipulorum, postquam negato me fleueris, confirma cæteros hoc enim te decet qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum.* Effectus huius orationis verificatur in inconcussa fide sedis Apostolicæ cum ex 240. Pontificibus inclusiuè ad Alexandrum VII. hoc anno 1656. sedentem nullus publicè defecerit à fide sic vt Ecclesiam docuerit hæresim vel errorem aliquem contra fidem, cæteræ autem Sedium successiones aberrauerint, vbi enim & iam intemerata fides Hierosolymitanæ sedis seu S. Iacobi? Ioannis in Epheso? Matthæi in Æthiopia? Andreæ in Scythia! Bartholomei in Armenia? Simonis in Mesopotamia. Iudæ in Ægypto. Thomæ in Indiis? sola Roma sedes Petri inconcussa sterit, sola eius fides non defecit, & ad ipsam solam tanquam ad oraculum recurrerunt aliæ sedes seu successiones Apostolorum, & solus Papa Romanus alios confirmauit & hinc Hieron. lib. 1. in Iouinian. cap. 14. ait, *Inter duodecim vnus eligitur vt capite constituto schismatis tollatur occasio.*

Inuestitura & collatio Primatus Ioannis 21. vers. 16. & 17. *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oues meas.* id factum in Galilæa, in littore maris, seu stagno Genesareth, ad quod Petrus iuerat piscari cum Thoma, Iacobo maiore & Ioanne, & tribus discipulis Nathanaele & duobus aliis. His mane facto apparuit Iesus, inuitauitque ad prandium, quo facto. *Dixit Simoni Petro ter: diligis me plus his*, & ter responso addidit. *pasce agnos*, quod est curam & potestatem habe, pastoris enim non est tantum præbere cibum, sed etiam ducere, tueri, præesse, regere, castigare; quare cum Christus dicit, Petri esse pascere, consequenter obligat nos ad obediendum ei, sicut cùm Rex dicit Gubernatori, vade rege prouinciam, omnes intelligunt eum constitui viceregem & præfectum cui consequenter subiectum faciat eò ipso populum.

Nouatores exponunt istud pascere de simplici prædicatione & administratione sacramentorum & remissione peccatorum, quæ communis est Apostolis, Ioan. 20. & Math. 28. & volunt per istud *pasce*, nihil datum esse Petro quod cæteris Apostolis non concesserit, sed tantùm fuisse Apostolatum restitutum à quo exciderat in domo Caiphæ cùm ter negauit Christum: *Erat autem conueniens vt trina confessio* ait, August. tract. 122. *redderetur trinæ negationi, ne minus amori lingua seruiat quàm timori & plus vocis elicuisse videatur mors imminens quàm vita præsens.* Ratio Lutheri est, quia pascere non est præesse, sed cibum ministrare, quod etiam fieri potest ab inferiore, non ergo instituitur præsul cui dicitur *pasce*.

Sed nihil efficit hæc instantia, nam vsitato modo loquendi rector vocatur pastor Psalm. 2. vbi legimus, *reges eos in virga ferrea in Hebræo*, תרעם id est pasces eos, Isai 44 *Qui dico Cyro, Pastor meus es tu*, pastor id est rex; efficaciùs constat ex verbo quo vsus est Ioannes, ποίμαινε id est pasce regendo & præsidendo, nam & Homerus lib. 2. Iliados frequenter vocat regem Agmemnonem ποιμένα λαῶν pastorem populorum & in Matth. cap. 2. *ex te mihi exiet dux qui regat populum meum Israel* in Græco est ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν τοῦ Ισραήλ. Igitur cum ποιμαίνω non significet, pascere quocumque modo, sed regere ac præesse, & Petro dictum sit à Domino ποίμαινε τὰ πρόβατα, sequitur eum esse constitutum rectorem Ecclesiæ. Apostolatus autem ipsi, & aliis qui fugerant in passione, restitutus est cùm Ioan. 20. Christus dixit. *Pax vobis, sicut misit me Pater & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum* certè tunc Petrus (vt taceam apparitionem ipsi factam) accepit cum aliis Apostolatum, si amisisset, quod non credo, nam ingemuerat & lachrymis peccatum diluerat, *Dona autem Dei sunt sine pœnitentia, & vocatio Dei*, ait, Paul. Rom. 11 Græcè est ἀμεταμέλητα impœnitibilia seu immutabilia Syrus legit. *Non mutauit Deus donum suum & vocationem.* Tum totus iste discursus Amas me, pasce &c. Petrum singulariter spectat, quare necessario euincitur intendisse Christum aliquid dare Petro super alios, cùm enim omnes accipiunt, loquitur in plurali accipite, docete, licet ergo omnes habuerint claues sub verbis *quæcumque ligaueritis & solueritis*, nullus præter Petrum audiuit. *Pasce agnos & oues*, in quantum generalitas & vniuersalitas ouilis comprehendit & ipsos pastores, qui non desinunt esse de ouili Christi.

Sic funditus ex Scriptura Primatum Petri asserere non pigeat.

Probatur ex SS. Patribus Dyonis. lib. de diu. nom. cap. 3. *Petrus supremum & maximè venerandum Theologorum seu Apostolorum fastigium.* Origen. explicans 1. Psalmum. *Super Petrum Christi Ecclesia contra quam inferorum portæ non praualebunt ædificata est.* Athanas. in respons. quæstionis 72. *Petrus sacrorum Apostolorum primarius post negationem lachrymatus est, seruatus & receptus.* Basil. serm. de iudicio Dei loquens de Petro. *Ille beatus qui cæteris prælatus discipulis, fuit cui claues regni cœlestis commissæ &c.* Epiphanin. Ancorato. *Hic est qui audiuit: pasce agnos meos, cui creditum est ouile.* Chrysost. hom. 69. in sanctos Petrum & Eliam, *Vide cuiusmodi hominem peccare permisit subiici, Petrum illum talem ac tantum virum, Apostolorum verticem, fundamentum immobile, petram stabilem & quæ frangi non posset, Ecclesiæ principem*, & infra, *iuxta dispensationem Deo congruentem permissus est peccare is cui Ecclesia credenda erat, illa videlicet Ecclesiarum columna & portus fidei, Petrus orbis terrarum magister peccare permissus est, vt hac*

permissio humanitatis argumentum aliis proponeretur. Isidor. Damieta lib. 1. Epist. 142. vocat Petrum, *Apostolici sodalitij coryphaeum* & lib. 2. Epist. 58. loco sodalitij, *Apostolorum* nomine vtitur. Sic Patres Graeci. Ex Latinis autem Cyprian. lib. simplicit. praelator. Hoc erant vtique & caeteri Apostoli quod fuit Petrus pari consortio praediti & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, primatus Petro datur. Et de eodem in Epist. ad Iubaian. *Nos vnius Ecclesiae caput & radicem, tenemus.* Ambros. Pauli 2. Cor. 12. verba. *Nil minus feci quàm illi valde Apostoli* explicans dicit *prior sequatus est Andreas saluatorem quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas sed Petrus.* Hieron. lib. 1. in Iouinian. inter 12. *Vnus eligitur vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* August. lib. 2. cap. 1. de Bapt. *Puto quòd sine vlla sui contumelia Cyprianus, Episcopus Petro Apostolo comparatur quantum attinet ad martyrij gloriam. Ceterum magis vereri debeo ne in Petrum contumeliosus existam, quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui praeferendum: sed etsi distat Cathedrarum gratia, vna tamen est martyrum gloria.* Tract. 124. in Ioan. *Petrus*, inquit, *vnus natura homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus idemque primus Apostolus.* Bernard. Epistola 137. ad Eugen. *Locus in quo stas terra sancta est: locus Petri est locus principis Apostolorum, locus illius quem constituit Dominus Dominum domus suae & principem omnis possessionis suae.* Gregor. lib. 4. Epist. 32. ad Mauritium. *Cunctis*, inquit, *Euangelium scientibus liquet, quòd beatissimo & omnium Apostolorum principi Petro dominica voce totius Ecclesiae cura commissa est.* Leo serm. 3. de assumpt. sui docet. *Petrum omnes propriè regere quos principaliter regit & Christus* & explicans ea verba Tu es Petrus &c. *Vt quae*, inquit, Christus *mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.*

Probatur idem Primatus ex Conciliis, Niceno can. 6. & Chalcedon. act. 16. quae sedes Petri Antiochiam, Alexandriam, & Romam patriarchales esse admittunt quia primatu Petri gaudent, ideo in prouinciis subalternis potestatem habere statuunt, quia vrbis Romae Episcopo parilis mos est.

Probatur rationibus, regimen Monarchicum est perfectius caeteris, Aristrocratiâ, quae est selectorum Primatum, Democratiâ quae est totius populi: nemini ergo dubium esse potest quin Saluator noster Christus potuerit & voluerit ea ratione & modo gubernare Ecclesiam suam, qui sit omnium optimus, maximè in statu spirituali qui irradiationes & notitiam veritatis sumit de sursum, & non ab humana solertia. Ergo vnus Petrus praepositus est toti Ecclesiae. Respondet Caluin. lib. 4. inst. cap. 6. negando inde Ecclesiam ab vno homine gubernari, cùm constet eius Regem & Monarcham esse Christum. Sed facile refellitur nam etsi Christus vnus sit ac proprius Ecclesiae Catholicae. Rex & Monarcha eamque spiritualiter ac inuisibiliter regat ac moderetur: tamen eget Ecclesia quae corporalis & visibilis est vno aliquo visibili summo iudice à quo lites de religione exortae componantur, quique omnes inferiores Praefectos in officio & vnitate contineat. Alioqui non solùm summus Pontifex, sed etiam Episcopi Pastores Doctores ac Ministri omnes superuacanei essent, Christus enim. *Pastor est, & Episcopus animarum nostrarum* 1. Petr. 2. ipse est vnicus Magister. *Quem audire iubet pater caelestis.* Matth. 17. ipse est, *qui baptizat in Spiritu-Sancto* Ioan. 1. sicuti ergo Episcopi, Doctores &c. superuacanei non sunt, tametsi quod ipsi vt ministri faciunt Christus principaliter faciat, sic etiam non est supprimendus is qui vt supremus Oeconomus curam gerit totius Ecclesiae, quamuis eandem curam Christus principaliter gerat & ideo Matth. 28. dixerit. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem saeculi* immediatione virtutis vbique vti Deus. Quibus autem rationibus probatur debere vnum Episcopum praeesse Parochis; Archiepiscopum Episcopis Patriarcham Archiepiscopis, iisdem infertur requiri vnum pontificem summum praeesse debere Patriarchis, vnum Petrum Apostolis, ipsi enim Apostoli erant de ouili Christi, ergo submissi fuerunt Petro cùm ei dictum fuit, *pasce oues meas.*

Secunda ratio petitur ex vnitate fidei; necesse est enim vt omnes fideles idem omnino sentiant in rebus fidei. *Est enim vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma* Ephes. 4. at vna fides Ecclesiae esse non potest si non sit vnus summus Iudex cui omnes acquiescere teneantur, nec sufficit recursus ad Concilium generale in quo terminentur quaestiones. In eo enim maior pars potest errare si authoritas desit summi Pontificis, vt experimento probatum est Ariminensis & Ephesini II. Adde quod non semper cogi possunt Concilia generalia, primis enim 300. annis nullum ob persecutiones Paganismi fieri potuit, & tamen plurimae tunc extiterunt haereses.

Tertia sumitur ex propagatione Ecclesiae, nam semper creuit & crescere debet donec *in toto mundo praedicatum sit Euangelium & tunc veniet consummatio.* Id autem fieri non potest nisi sit vnus summus Ecclesiae praesul, cui sollicitudo incumbat totius huius corporis conseruandi & propagandi, nam nemo debet praedicare nisi mittatur, Rom. 10. mittere autem in alienas prouincias non est Episcoporum particularium, illi enim habent suos certos fines Episcopatus sui, extra quos nullum ius habent, nec ad eos pertinet cura nisi tuendi gregis sibi assignati, quocirca post Apostolorum tempora vix inuenimus propagatam fidem quàm per eos quos in opus Dei miserunt Romani Pontifices vti successores Petri, vt 36. articulo notaui.

Actus possessionis Primatus Petro subrogat Mathiam loco Iudae Act. 1. quod admirans Chrysost. hom. 3. *Quàm est feruidus quàm cognoscit creditum sibi à Christo gregem, quàm in hoc choro princeps est, & vbique primus omnium incipit loqui,* & inferius. *Primus omnium authoritatem vsurpat in negotio, vt qui omnes habet in manu, ad hunc enim dixit Christus. Et tu aliquando conuersus &c.* Primus promulgat Euangelium Iudaeis post acceptum Spiritum S. Primus miraculum facit ad fidei confirmationem, fraudem Ananiae & Saphyrae primus cognouit & morte damnauit.

Primus

Primus in Concilio Hierosol. sententiam dicit, primus Gentes euangelizat habita visione lintei Act 10. pro liberatione illius sollicita est tota Ecclesia orando, quod pro Iacobo maiore aut Stephano non fecit, hincque Chrysost. differentiam capitis, & membri arguit, nam periculum capitis plus nocet.

DIces, Christum præscripsisse Apostolis humilitatem. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor.* Luc. 22.

Resp. tum hoc loco Matth. 20. Dominum non remouisse Monarchiam ab Ecclesia, sed potius instituisse, atque admonuisse esse diuersam à ciuili Gentium, vult enim quod exemplo suo ministrent, conferant omnia ad bonum subditorum, qui dicit tu non præeris sic, id significat præeris quidem, sed aliter quàm ille qui dominandi libidine elatus opprimit subditos.

Instabis vnum corpus non debet habere duo capita, nec vna sponsa duos maritos, alias illud erit monstrum, hæc adultera, Christus autem est caput Ecclesiæ Ephes. 4. & sponsus Luc. 5. ver. 35. Ergo ei fit iniuria alium dare?

Respondeo corpus naturale non habere duo capita, at corpus mysticum plura habere potest per dependentiam à supremo, tum non dico Papam, vel Petrum esse caput Ecclesiæ cum Christo, sed sub Christo vt ministrum eius, & vicarium, non fit autem iniuria regi si dicatur prorex esse caput regni sub rege, quin potius augetur eius gloria, nam ex hoc ipso titulo cogitatur mox regem esse caput nobiliori modo Sic de sponso mystico qualis dici potest Petrus, qui animas curando, & instruendo ducit ad Christum sponsum.

Hincque obserua Ecclesiam non dici corpus Petri, sed Christi, quia ipse est supremum caput, & rex qui est hypostasis, & sustentaculum Ecclesiæ. Missio Petri in Samariam non obstat primatui eius imo fauet, quia iudicabatur maioris authoritatis, si cum Ioanne rogatus hoc negotium susciperet.

Nec reprehensio Paulina Galat. 2. nam ab inferioribus superiores corrigi posse pro veritate tuenda hinc docet Aug. Epistol. 19. Cyprian Gregor. S Thom. error autem iste erat in facto, non in fide, subducendo se à Gentium consortio, ne Iudæos offenderet.

QVÆSTIO II.

An Petrus Romæ fuerit Episcopus vsque ad mortem.

QVoniam ius successionis Pontificum Romanorum in eo fundatur, quòd Petrus Romæ sedem suam iubente Domino collocauerit, ibique vsque ad mortem sederit, resoluenda est hæc quæstio, an Romæ fuerit Episcopus vsque ad mortem: idque ob aliquos Nouantes, qui in meridie cæcutiunt, & quod ex serie historica palam est, & à toto orbe terrarum creditum iam per sæcula 16. *Petrum martyrio affectum Roma,* impudenter non minus, quam imprudenter negant, quod tamen non audet Caluinus, qui lib. 4. Instit. cap. 6. §. 15. postquam rem totam dubiam esse ostendit, ita concludit, *Tamen propter Scriptorum consensum non pugno, quin illic mortuus fuerit, sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore persuaderi nequeo.*

PROPOSITIO CATHOLICA.

PEtrus fuit Romæ ibique crucifixus obiit. Probatur ex Scriptura 1. Petri, *salutat vos Ecclesia in Babylone* collecta, & Marcus filius meus, hanc enim epistolam ex Roma scriptam esse testis est Papias Apostolorum Discipulus apud Euseb. lib. 2. hist. cap. 15 & Hieron. qui in lib. de viris illustribus in Marco hæc scribit. *Petrus in Epistol. 1. sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: salutat,* inquit, *vos, &c.* Sicque Oecumen. & Beda exponunt Ioannes in Apocal. passim vocat Romam Babylonem vt Tertull. annotauit lib. 3. contra Marcion. & apertè colligitur ex cap. 17. Apoc. Id autem intelligendum est non de Romana Ecclesia, sed de Romana vrbe, qualis erat tempore Ioannis, quemadmodum enim vera Babylon fuit caput imperij, & Regem habuerat Nabucdonosor, qui populum Dei persequebatur, & in captiuitatem abducebat, ita quoque Roma tempore Apostolorum erat caput imperij, & imperatorem habebat Neronem qui populum Dei crudelissimè persequebatur.

Probatur ex Rom. 1. *Gratias ago quod fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo,* Quæ verba insinuant multos fuisse Romæ Christianos, imo Ecclesiam florentem antequam Paulus eo veniret quos procul dubio Petrus fecerat, cum ex SS. Patribus constet, quod Petrus primus omnium prædicauerit Romanis.

Probatur ex SS. Patribus Euseb. lib. 2. hist. cap. 14. *Salutaris prædicationis verbo primus in vrbe Roma Petrus Euangelij sui clauibus ianuam regni cœlestis aperuit,* Chrysost. in Psalm. 48. *Piscator Petrus quoniam ciuitatem maxime regiam occupauit, etiam post mortem resplendebit sole clarius.* S Leo serm. 1. de natali Apost. *Cùm Apostoli imbuendum Euangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperij.*

Secunda pars propositionis, quòd Romæ obierit probatur ex breui, quam profero historia S. Petri.

Post passionem Domini mansit Beatus Petrus in Iudæa, quinque ferè annis quem Hierosolymis Paulus post annos tres à sua conuersione conuenit. Anno quinto à passione Domini profectus est in Syriam.

Antiochiæ fixit sedem, & mansit annos fere septem. Episcopus eius vrbis, non tamen hoc ita accipiendum est, quasi nunquam ex Antiochia toto illo tempore egressus sit, nam sicut cum Hierosolymis ageret profectus est in Samariam, Lyddam, Ioppem, & Cæsariam, ita iam peragrat vicinas prouincias, Pontum: Asiam, Galatiam, Cappadociam, & Bithyniam.

Inde autem profectus anno septimo Episcopatus Antiocheni, qui erat vndecimus à passione Christi rediit in Hierusalem ibique comprehen

comprehensus ab Herode in vincula conlectus est in diebus azymorum. Act. 12. sed paulo post ab Angelo liberatus, eodem anno, qui erat secundus Claudij Imperatoris Romam venit, ibique sedem fixit ac tenuit annis XXV. Nec tamen toto eo tempore, quo fuit Episcopus Romanus mansit Romæ, sed postea, quam septem annis prædicauerat rediit in Hierusalem expulsus à Claudio ex vrbe vnà cum cæteris Iudæis, scribit enim Lucas. Act. 18. Claudium expulisse ab vrbe omnes Iudæos, quod, & notauit Suetonius, & alij, addentes hoc factum esse an. nono Claudij id est XVIII. à passione Christi. Itaque cùm audissent ij qui erant Antiochiæ Petrum venisse in Hierusalem miserunt ad eum Paulum, & Barnabam, & tunc factum est Concilium Hierosolymitanum: mortuo autem Claudio rediit Petrus Romam, & ibidem vitam finiuit, vide Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 6.

Anno Christi 66. Neronis 10. Roma horribili incendio conflagrauit authore Nerone qui in Christianos causam rejecit, eoque nomine ipsos Romæ sæuissimis diuersisque mortis generibus enecauit, & edicto publico persecutionem in eos per totum imperium instituit, qua sublati leguntur primatij Christianitatis institutores. Miror quomodo Petrus euaserit, interea redit Paulus ab Hispania, & operam suam Romanæ Ecclesiæ restaurarationi Petri curæ adiungit, dum igitur his temporibus duo hi Apostoli agerent Romæ, simul etiam charissimus Neroni Simon magus ibi commorabatur diuinos sibi ex magia comparans honores, certant contra eum Apostoli de miraculis, asserit Simon se in cœlum conscensurum, & inde suis omnia bona suppeditaturum, sed cùm sublatus à dæmonibus volaret, sublimis spectante populo Petri oratione ad Deum prostratus fracta coxendice, & cruribus paulo post infælicem animam exhalauit: hoc totum testantur Clemens Rom. lib. 6. const. cap. 9. Arnob. adu. Gentil. lib. 2. Cyrill. Hiero. catech. 6. Seuerus lib. 2. hist. Theodor. Isidor. Maximus, Epiphan. Euseb. Philastrius Augustin. Prosper, & Anastasius Bibliothecarius.

Nero indignatus suas magiæ cui addictissimus erat delicias sibi ablatas Petrum, & Paulum carceri Mamertino ad radicem Capitolij mancipat, circa initium Octobris nauigat in Achaïam ait Philostratus ad Isthmi fossionem, & in reditu post nouem menses detentos Apostolos supplicio afficit, cùm autem expectaretur executio feralis sententiæ Christiani indignissimè ferentes suum à se pastorem abripi Petrum, eum vt fuga sibi consuleret instantissimis precibus compulerunt: aderat enim præsens auxilium custodum carceris Processi, & Martiniani, quos Petrus sacro baptismate enato fonte de petra cubitali initiauerat. Quamuis ergo, inquit, Ambros. recensens hanc historiam Petrus esset cupidus passionis tamen compassione populi precantis inflexus est, rogabatur enim, vt ad instituendum, & confirmandum populum se reseruaret.

Itaque muro nocte cœpit, egredi, sed cùm videns sibi in porta Christum occurrere vrbemque ingredi interrogasset, *Domine quò venis* respondisset verò Christus, *venio iterum crucifigi*, intelligens Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum, sponte remeauit ad eam pro Christi honore subeundam. Hæc Ambros. in Auxentio de basilicis non tradendis: quæ etiam habentur in Actis Lini nomine conscriptis, nec non in aliis SS. Martyr. Processi, & Martiniani apud Surium 2. Iulij itemque apud Egesipum lib. 3. de excidio Hierosol. cap. 2. eandem de Petro historiam citat S. Gregor. in Psalm. 4. pœnit. Sed & Paulum vna cum Petro fugam arripuisse eadem acta Processi. & Mart. tradunt. educti ergo ambo gloriosum obiere martyrium.

Petrus trans Tyberim in Ianiculi summitate, qui postea dictus est mons aureus, crucifixus est quatuor clauis capite, vt requisiuit, deorsum vergente, sepultusque est in Vaticano iuxta viam triumphalem, vbi nunc est nobilissima Basilica Vaticana, sic testatur Hieron. de script. Eccles. Prudentius & alij.

Paulus verò extra portam Ostiensem capite truncatus est: è ceruice recisa pro sanguine lac manauit, capite verò terno saltu tres fontes dulcis aquæ elicuit, qui etiamnum visuntur, & multis sunt salut i: dulcorem eorum, probaui ego ipse anno Christi 1618. Hæc est Petri compendiosa historia à toto Orbe comprobata, quæ descripta est ab antiquissimis, & probatissimis authoribus Ireneo. Tertull. Eusebio. Theodoret. Sozomeno aliisque innumeris quorum maior pars Græca est, quæ natio inuidere solet potius, quàm adulari Romanæ Ecclesiæ; altera sanctitate insignis vt Ambros. Hieron. August. Chrysost. & alij solertes veritatis scriptores, vnde adulationis, mendacij, fictitiæue narrationis omne exclusum intelligitur periculum, quare certa elucet fides, quod Petrus Romæ egerit ab anno Christi passi vndecimo, qui incidit in tertium Claudij imperatoris, sedemque Pontificiam, quæ cathedræ nomine appellatur instituerit, vsque ad Neronis decimum tertium, qui in 69. Christi nati, cadit, tuncque ætatis suæ Petrus notatur 76. Paulus vero 61. Pontificatus itaque ibi initus supputatur annorum 24. mensium 5. dierum 11. cum 29. Iunij dies martyrij vtriusque celebretur, vnde Ambros. serm. 67. de iis dicit, *vna die vno in loco* vrbe scilicet non vrbis parte, *vnius tyranni tolerauere sententiam.*

Sepulchra eorumdem Apostolorum ad quæ visenda, & honoranda confluit quotidie numerus sine numero Christianorum, palam faciunt ipsos Romæ obiisse, nam si Romæ mortui non sunt, quis eorum corpora Romæ detulit, vnde & quando, & quibus testibus detulit: si dicatur ea non esse Romæ, vbi ergo? certè nusquam alibi esse dicuntur, nec est verisimile summorum Apostolorum corpora neglecta fuisse, cùm tot aliorum sanctorum corpora videamus diligentissimè, & religiosissimè conseruata, exquisita, & honorificè translata.

QVÆSTIO III.

Quod Pontifex Romanus, sit successor primatus Petri, & vicarius Christi.

ROmanum Pontificem succedere Petro in Episcopatu Roman. planum est apud omnes. Quod autem in totius Ecclesiæ Catholicæ seu totius Orbis Episcopatu ac vniuersali Christianorum regimine succedat Petro, negant omnes huius temporis hæretici, licet concedant Papam obtinuisse, aliquem primatum ex Conciliis, vt videlicet primus esset Episcoporum, primus sederet, primus sententiam diceret, non tamen quod in cœteros omnes ius haberet, eisque vt Monarcha Ecclesiasticus imperaret, quapropter demōstrandum est quo iure suprema hæc Pontificia dignitas Romano Episcopo, sit colligata. Deinde euincendum est, vt petunt, sedem ita Romæ collocatam esse vt quandiu Pontifex Petri successor est Romanæ Vrbis Episcopus tandiu vniuerso orbi præsideat.

PROPOSITIO CATHOLICA.

ROmanus Pontifex est successor Petri in primatu ex diuino iure.

Probatur ex Scriptura Luc. 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quod sanè debet fieri vsque ad finem sæculi, quare successor Petri hoc debet facere; ergo habeo per hæc Christi verba ius confirmandi in fide: id autem includit plenum primatum Ioan. 21. *Pasce agnos, pasce oues meas.* Hoc includit vniuersalem potestatem; ergo cum oues durent, durat hæc authoritas, ergo successor Petri hanc habet.

Probatur ex Sanctis Patribus, Irenæo qui Epistolam ad Romanos inscribit. *Ignatius Ecclesia sanctificata quæ præsidet in regione Romanorum.* Cur dicitur Ecclesia præsidens, nisi quia est Caput omnium aliarum? & lib. 3. cap. 3. *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam.* Epiphan. hær. 68. quæ est Meletianorum. *Vrsacius & Valens pœnitentiam agentes vna cum libellis profecti sunt ad Beatum Iulium Romanum Episcopum pro ratione reddenda de suo errore ac delicto.* Certè isti Episcopi erant, cur igitur à Romano Pontifice veniam petebant, si ipse non est Episcoporum Iudex & Caput. Athanasius & omnes Episcopi Ægypti ad Marcum Papam Domino sancto Apostolici culminis venerando Marco Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papæ. Chrysostomo Epistola prima ad Innocentium Papam. *Obsecro vt scribas quod hac tam iniquè facta non habeant robur; illi autem qui iniquè egerunt pœnæ Ecclesiasticarum Legum subiaceant.* Episcopus Alexandrinus deposuerat in Concilio multorum Episcoporum Chrysostomum ipse scribit ad Papam, vt authoritate sua irritet sententiam, ipsum ergo agnoscit supremum Iudicem. Cyrillo in libro thesauri. *Omnes iure diuino inclinant Petro Caput & Primates mundi tanquam ipsi Domino Iesu obediunt, debemus nos, vt qui membra sumus Capiti nostro Romano Pontifici, & Apostolicæ Sedi adhærere.* Hæc ex pluribus Græci Patres. Latinos audiamus. Cyprianus sæpè docet *Romanam Ecclesiam esse Caput, Radicem, & Matricem Ecclesiarum.* libro 2. Epistola 10. libro 1. Epistola 8. *Catholicam Ecclesiam vnam vocat & cathedram, vnam super Petrum voce Domini fundatam.* Nec me mouet quod libro de vnitate Ecclesiæ dicit. *Episcopatus vnus est cuius à singulis in solidum pars tenetur.* vnde inferatur. Ergo non est vnus Episcopus totius Ecclesiæ. Respondeo enim Episcopatum vnum esse eo modo quo Ecclesia vna est, Ecclesia autem vna est eo modo quo multi arboris rami sunt, vna arbor multi riui, vna aqua multi radij, vna lux in iis est vnitas ratione vnius capitis, id est radicis, fontis, solis, licet rami ipsi, riui, & radij multiplicentur: ita etiam Ecclesia est vna & Episcopatus vnus in radice & capite, quamuis multæ sint particulares Ecclesiæ & Episcopatus; vnius ergo magni Episcopatus ab Episcopis singulis in solidum pars tenetur, sed non æqualis, neque eodem modo: nam Petrus eiusque successor tenet eam partem quæ est veluti Caput, Radix, & fons: cæteri tenent alias quæ sunt veluti rami & riui; est enim iste vnus Episcopatus similis corpori heterogeneo non homogeneo, ex quo sequitur, vt non eodem modo teneant Episcopi singuli partem huius Episcopatus: nam sicut radix licet sit pars, vt etiam est ramus, ramen sustentat & regit ramos, & omnia quæ in ramis sunt, sunt etiam virtualiter in radice, non è contrario: ita etiam licet Ecclesia Romana, & Episcopatus Romanus sit pars Ecclesiæ vniuersalis, & Episcopatus vniuersalis sicut est Ecclesia Lugdunensis, & eius Episcopatus tamen Ecclesia Romana regit Lugdunensem, non contra.

Itaque ex Cypriano rectè colligitur non esse Papam Romanum solum Episcopum omnium Ecclesiarum; sunt enim & alij veri Episcopi, qui partem suam regendam susceperunt vniuersalis Ecclesiæ. Non tamen rectè colligitur Romanum Pontificem non esse Caput & Pastorem Episcoporum omnium, & proinde etiam vniuersæ Ecclesiæ, quoniam pars quæ ipsi regenda commissa est eum locum habet in Ecclesia quem habet radix in arbore, caput in corpore, & fons in aquarum riuulis. Quod si in eodem libro dicit. *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit.* Loquitur de iis qui in Concilio Carthaginensi erant, nec includit Papam, qui verè Episcopus est Episcoporum. Hæc nolui omittere; quia exhauriunt quasdam difficultates. Tertullianus libro de pudicitia cap. 1. *Audio edictum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex scilicet maximus Episcopus Episcoporum dicit, &c.* Ambrosius libro 3. de Sacramentis cap. 1. *Non ignoramus quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur & formam,* consuetudo erat non lauare pedes recens baptizatis.

Hieronymus

Hieronymus in Epistola ad Damasum de nomine hypostasis tacendo vel tenendo. *Cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor, ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocio super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, &c.*

Augustinus Epistola 162. *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.*

Bernardus libro 2. de consideratione. *Habent illi assignatos greges singuli singulos, tibi vniuersi crediti vni vnus, nec modo ouium, sed & Pastorum tu vnus omnium Pastor.* Caluinus affert ex Bernardo, quæ contra Romanæ curiæ abusus scripsit, quod vndequaque accurrant ambitiosi simoniaci ad honores occupandos, respondit Christus Matth. 23. *Mali mores prælaturam non supprimunt, aut subditorum obedientiam, quæ dicunt facite, &c.*

Valentiniani Imperatoris testimonium affero in Epistola ad Theodosium. *Debemus dignitatem propriæ venerationis Beato Petro Apostolo in nostris temporibus conseruare, quatenus Beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit locum habeat & facultatem de fide & Sacerdotibus iudicandi.*

Præter has Sanctorum Patrum authoritates constat ex antiquissimorum Pontificum Epistolis atque decretis, hanc eos sibi successionem vsurpasse, & in omnes orbis Episcopos vsos fuisse Præsules confirmasse, Patriarchas ipsos communione priuasse, de Sedibus suis dejecisse, exclusos restituisse causas ab aliis dijudicatas ad se reuocasse bonorum Episcoporum qui calumniam patiebantur patrocinium suscepisse, ea omnia semper egisse, ad quæ illi soli incumbendum est, cui rerum summa supremáque Ecclesiæ administrandæ potestas est permissa: ídque perspicuè ex iis litteris videre est, quas ad varias orbis partes etiam primis illis temporibus multò ante Constantinum scripserunt Anacletus, Euaristus, Alexander, Sixtus I. Higinus, Pius I. Eleutherius, Zepherinus, Calixtus, Fabianus, Melchiades, sanctissimi Episcopi & Martyres. Hi sanè qui vitam cum sanguine pro Christi confessione profuderunt nihil sibi arrogassent alienum, nihilque præter Christi Domini mentem vsurpassent, nisi hoc sibi officij à Christo delatum commendatúmque esse probè nouissent: & si fortè ea erant quidam impudentia, & hoc agere minus fuissent veriti; non defuissent tamen alij, vel Episcopi, vel Principes, vel Doctores, qui authoritate, potentia, scriptis, hunc Romanorum Episcoporum conatum repressissent. At verò nemo hactenus fuit Catholicus, vel Princeps, vel Præsul, vel Scriptor, qui mendacij aut malæ fidei Romanos Episcopos argueret. Quin potiùs ad ipsos Episcopi, primarúmque Ecclesiarum Episcopi & Patriarchæ ab Aduersariis oppressi confugerunt. S. Athanas. Alexandrin. ad Felicem Chrysostomus Constantinopolitanus ad Innocentium. Calendion Antiochenus ad Felicem. Stephanus Afer cum tribus Africanis Conciliis ad Damasum. Beatus Cyprianus Stephanum Papam rogat, vt Martianum Arelatensem Episcopum deijciat, aliúmque in eius locum sufficiat. Aurelianus Imperator iussit Domnum Antiochiæ in locum Pauli Samosateni suscipi, quem Romanus Pontifex ei subrogarat. Adde Concilia omnia ad Papam se in omnibus retulisse.

Probatur rationibus, successio Papæ ad primatum Petri: diuino iure debet aliquis Petro succedere in eodem iure Pontificatus, quem ei dedit Christus, sed primatum ille habuit ex quæstione superiori. Ergo datur ei successor; ille non potest esse quam Romanus Episcopus; ergo ille est Petri in vniuersali Episcopatu successor. Major probatur ex ratione institutionis Prælaturæ; nam certum est Pontificem esse propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter Pontificem, sic enim Augustinus libro de Pastoribus cap. 1. *Quod Christiani sumus*, inquit, *propter nos est, quod præpositi sumus propter vos est.* Atqui Ecclesia non minus eget nunc vno Pastore quàm tempore Apostolorum, imò verò etiam magis cum nunc Christiani sint plures & peiores; non igitur moriente Petro interire debet Pontificatus, qui non in Petri commodum, sed in Ecclesiæ vtilitatem institutus erat, sed tamdiu perseuerare quamdiu durat Ecclesia, alioquin dicendum esset Pontificatum fuisse institutum in gratiam Petri; non autem in vtilitatem & commodum Ecclesiæ, quod non minus falsum est in spirituali præfectura quàm in ciuili, imò longè ampliùs, quia solus finis fidei est *salus animarum*, in politicis autem præfectura Ducalis, Consulatus, Pastoratus sunt, non expressè ad exaltationem personæ, sed ad subditorum beneficium. Adde huic argumento inconueniens non paruum sequi, si Euangelica lex careat successionis priuilegio, quo donata fuit, & vsque ad finem termini sui præfulsit. Eleazarus in supremo Pontificatu successit Aaroni, Phinees Eleazaro, sicque consequenter & Petrus tot sublimatus à Christo prærogatiuis, factúsque petra & fundamentum Ecclesiæ nullum in primatu, quem suo tempore vix necesse erat ad actum redigere successorem habebit in maiori Ecclesiæ necessitate hoc prouidentiæ & politiæ repugnat. Secunda ratio conuincens. Ecclesia debet durare vsque in finem sæculi vna & eadem toto illo tempore, inuariata in fide, & in regimine quod Christus statuit, & pro quo, *Ipse* Ephes. 4. *dedit quosdam quidem Apostolos alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores donec occurramus omnes in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* & super hos omnes Principem constituit Petrum Ioan. 21. *Pasce agnos, oues.* Ergo hæc regiminis forma perseuerat, consequenter si tempore Apostolorum vnus erat supremus Rector & Caput Ecclesiæ, hoc etiam tempore esse debet.

Respondent Nouatores Ecclesiam regi à Christo supremo Rectore, ad id sufficientissimo. At non dubitatur Christum se solo posse, sed suauis prouidentiæ eius tenor Vicarium elegerat Petrum dum in terris ageret, cur alius Christo Vicarius Petri successor non dabitur? quod semel placuit Principi, id displicere non debet rerum eodem manente statu. Ecclesiæ autem status Monarchicus & visibilis requirit supremum Rectorem, & Caput visibile. Sic Deus ipse licet se solo omnia possit

causis secundis vtitur ad productionem & propagationem rerum, sic Rex Gubernatores assumit ad regendas Prouincias: hinc Paulus cùm 1. Corinth. 12. dixit Ecclesiam esse vnum corpus, subiecit. *Non potest caput dicere pedibus non estis mihi necessarij.* Quod certè non conuenit Christo; illud enim dicere blasphemum esse colligitur ex naturæ diuinæ notitia, & ex Psalm. 15. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges.* Christus ergo potest dicere nobis omnibus, non estis mihi necessarij. Ex illo ergo Textu Pauli infertur dari in Ecclesia aliud præter Christum caput subalternum Christo, quod sine dubio est Petrus, aut successor eius.

Tertium successionis argumentum sic conficitur in tertia figura, remissio peccatorum fit in virtute clauium, quas singulariter Christus dedit Petro. Vide suprà, at remissio peccatorum est Articulus fidei, qui continuatur in Ecclesia, vt patet ex Symbolo. *Credo remissionem peccatorum.* Ergo vsus clauium Petri continuatur per aliquem qui sic eas habet.

Denique ædificium non potest durare sine fundamento, ergo ille qui positus est in Ecclesia fundamentum secundarium. *Tu es Petrus, &c.* Continuatur vsque in finem sæculi, illa enim verba dicta ei fuere, aiunt Sancti Patres, vt futurus erat Pastor, & non vt priuata persona. Ergo qui succedit ei, succedit totali suæ dignitati.

Iam verò quod iste Petri successor sit Romanus Pontifex facilè probatur; nullus enim est, nec fuit vnquam qui se Petri successorem vllo modo asseruerit, vel pro tali sit habitus præter Romanum & Antiochenum Episcopum. Atqui Antiochenus non successit in Pontificatu Ecclesiæ totius: nam non succeditur, nisi cedenti locum, vel per mortem naturalem aut legalem, id est dispositionem, aut renuntiationem. Petrus autem adhuc viuens, & Pontificatum gerens Antiochenam Ecclesiam reliquit & Romæ suam Sedem fixit, Domino iubente ait S. Marcellus Papa in Epistola ad Antiochenos, restat igitur vt Romanus Episcopus qui Petro in vrbe Roma morienti successit, eidem in tota ipsius dignitate & potestate successerit. Præterea si Antiochenus in primatu successisset, primus Episcoporum fuisset. At Nicænum Conc. canon 6. Antiochenum Episcopum tertium Patriarcham non primum, nec secundum esse declarauit, sicut fuerat semper, nec vnquam Antiocheni Episcopi altiorem locum quæsierunt.

Ad hæc notandum est aliud esse successionem: aliud rationem successionis, nam successio Romani Pontificis in Pontificatum totalem Petri ex instituto Christi est: Ratio autem successionis, qua Romanus Episcopus potius quàm Antiochenus, vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habuit. Successio inquam ipsa ex Christi instituto & iure diuino est; quia Christus instituit in Petro Pontificatum duraturum vsque ad finem mundi, & proinde quicumque Petro succedit à Christo accipit Pontificatum.

At verò quod Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, sit Petri successor ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione; nam potuisset Petrus nullam Sedem particularem sibi vnquam eligere, sicut fecit primis quinque annis, & tunc moriente Petro non Episcopus Romanus neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset, potuisset quoque semper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus sine dubio successisset; quia verò Romæ Sedem fixit, & tenuit vsque ad mortem, inde factum est, vt Romanus Pontifex ei succedat.

Dices, ergo Sedem primatus Mosaïci Israëlitæ debebant constituere in deserto, vbi Moses officio functus obiit & Aaron.

Respondeo Mosem non fixisse Sedem Pontificiam in deserto, sed cùm in itinere esset obiisse in deserto. Petrus verò Sedem fixit Romæ, vel iussu Dei, vel quia liberum id erat ei, nec eam inde mutauit. Inde necessariò euincimus Petrum Romani Episcopatus Sedem euexisse ad summum orbis Pontificatum, neque fieri posse vt aliquis sit Romanæ vrbis Episcopus, quin simul cum Episcopatu habeat primatum, seu totius Ecclesiæ Pontificatum, idque iure diuino saltem secundariò posita Dei iussione.

Quod verò Deo iubente Petrus Romam transtulerit Sedem, docent Anacletus Epist. 3. ad omnes Episcopos, & citat Gratianum in capite Sacrosancta distinctione 22. & Iuo libro 4. vbi idcirco Romanum Episcopum non ex Apostolis, sed ex Christi institutione primatum super cæteras Ecclesias adeptum esse scribit his verbis. *Hæc Sacrosancta Romana Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias ac totum Christiani populi gregem assequuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit Tu es Petrus, &c.* Idem scripsit Sanctus Marcellus. Idem confirmat Iulius I. Epistola ad Orientales Episcopos pro causa Athanasij, vbi illos redarguit, quod inconsulta Sede Romana Concilium celebrare præsumpserunt. *Sicut*, inquit, *Beatus Petrus Apostolus fuit primus omnium Apostolorum, ita & Romana Ecclesia ipsius nomine consecrata Domino instituente prima & caput sit cæterarum, & ad eam quasi ad matrem & apicem omnes maiores Ecclesiæ & iudicia Episcoporum recurrant.* Idem Augustinus Epistola 162. scripsit. *Sedenti in Cathedra Romana Ecclesia totus orbis Christianus in transmarinis & longè remotis terris subiectus est.*

Bellarminus libro 2. capite 12. docet obseruandum hoc esse. Licet, inquit, fortè non sit de iure diuino Romanum Pontificem, vt Romanum Pontificem Petro succedere, tamen id ad fidem Catholicam pertinere, non enim idem est aliquid esse de fide, & esse de iure diuino; nec enim de iure diuino fuit, vt Paulus haberet penulam, est tamen hoc ipsum de fide Paulum habuisse penulam, dicitur enim 2. Timoth 4 *Penulam quam reliqui Troade.* Etsi autem Romanum Episcopum succedere Petro non habeatur expressè in Scriptura, tamen succedere aliquem Petro deducitur euidenter ex Scriptura, quia Pontificatus factus est, propter Ecclesiam, quamdiu durat, illum autem esse Romanum Episcopum habetur ex Traditione Apostolica Petri, quam Traditionem

nem Pontificum primò assumptorum & Martyrum. Concilia generalia, & Patrum consensus declarauit.

Ego verò non dubito post Bagotium lib. 3. disput. 8. cap. 5. asserere hoc totum diuino iure sancitum esse, nec opus fuisse ampliori Scripturæ declaratione; nam hæc exprimit Monarchiam Ecclesiasticam fundari in primatu Beati Petri, quem Christus instituit Matth. 16. Status autem iste Monarchicus factus est Ecclesiæ ita essentialis, vt eo mutato Ecclesia esse nequeat; nam Ecclesia est congregatio & multitudo ordinata, & eius ordo est forma ipsius, seu locum formæ, & multitudo Christianorum locum materiæ tenet: at ordo essentialiter pendet à primo seu principio, quare hoc mutato non potest idem ordo consistere. Si autem ex Monarchia fieret Aristocratia, aut Democratia, ordinis principium & consequenter ordo ipse Ecclesiæ mutaretur. Et verò Sanctus Irenæus libro 4. cap. 43. cùm ait. *Vni reliquos obaudire oportere addit ita secundùm placitum Patris, seu Dei decretum esse.* Sanctus Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ, ait esse *Magistri cælestis doctrinam* libro 1. Epistola 8. esse dispositionem diuinam. Sanctus Leo Epistola 82. ad Anastasium Thessalon. *Curam quam quam vniuersis Ecclesiis principaliter ex diuina institutione debemus.* Gelasius cum septuaginta Episcopis in Synodo Romana. *Ecclesiam Romanam Catholicam & Apostolicam nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælatam esse, sed Euangelica voce Domini principatum obtinuisse.*

Hanc doctrinam concludo definitione Concilij Florentini quæ talis est.

Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum esse successorem Beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium totiúsque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Datum Florentiæ in sessione publica synodali 1439.

Dices, Romanus Papa non est Apostolus, sed tantùm Episcopus; non enim Apostoli Apostolos ordinarunt, sed Pastores & Doctores, igitur Papa non succedit Petro in Apostolica potestate, quam in vniuersam habebat Ecclesiam, sed tantùm in Episcopatu Romano.

Respondeo, in Apostolatu tria contineri. Primò, vt qui Apostolus est sit immediatus verbi Minister, ita vt ab ipso Deo doctus sit, & sacros libros scribere possit, & hoc fatemur non conuenire Romano Papæ, non enim necesse est: vt quotidie nouæ reuelationes habeantur, & noui libri scribantur.

Secundò, vt qui Apostolus est Ecclesias constituat, & fidem propaget in iis locis, vbi nunquam fuit, & hoc ad Romanum Episcopum pertinere, & ratio, & ipsa experientia nos docet, vt dixi in Articulo 36.

Tertiò, vt qui Apostolus est summam habeat in Ecclesia potestatem, atque id quoque ad Romanum Episcopum pertinere contendimus, ea ratione, quia succedit Petro, in quo hæc potestas erat ordinaria; non autem vt in cæteris Apostolis delegata, neque concludit argumentum, quod Apostoli non crearunt Apostolos, id enim circa Romanum Pontificem facere non debuerunt, cum id ipse Christus fecerit, eo ipso quod Petri successor est, quare Concilium Chalcedonense vocat Sedem Apostolicam Apostolatum, & dignitas Episcopi Romani vocatur passim Sedes Apostolica.

Dices, priuilegium hoc de primatu totius Ecclesiæ, vel est locale, vel personale, vel mixtum, si primum ergo cum semel fuerit concessum Antiochiæ non potest ab ea tolli, etiamsi Petrus inde recesserit, & alibi mortuus sit. Si secundùm, ergo nihil iuris habet Roma in pontificatu, magis quàm alia ciuitas Si tertium, ergo non sufficit esse Romanum Episcopum, ad hoc vt aliquis habeat primatum; nam si est priuilegium partim locale, partim personale, non datur loco nisi pro tempore quo in eo est talis persona, id est Petrus.

Respondet Bellarminus, ex prima institutione dignitatem Pontificalem fuisse personalem, tamen ex facto Petri factam esse postea localem, seu potiùs mixtam, neque id sine diuino nutu: personalem, inquit, initio fuisse quia à Christo non fuit alligata vlli certo loco, sed in personam Petri absolutè collata, sic autem tamen personalem, vt tamen publica non priuata fuerit, priuilegia personalia, priuata dicuntur quæ dantur alicui personæ pro se tantùm, publica verò quæ dantur pro se & successoribus. Quia tamen postea Petrus Romæ Sedem fixit factum est hoc priuilegium etiam locale, & proinde mixtum: Nam si diuino iure Sedes aliò transferretur, non essent amplius Romani Episcopi totius Ecclesiæ Episcopi, si transferretur inquam ipsa Sedes, ita vt qui nunc sunt Romani Pontifices, alicuius alterius loci Episcopi dicerentur. Non enim sola absentia Pontificum ab vrbe, seu mutuatum refugium quale fuit Auenio, Sedem transferre dicitur.

Instat Caluinus libro 4. Institutionum c. 7. Si quæ dicuntur Petro intelliguntur dicta successoribus; ergo Romani Pontifices sunt omnes Satanas; nam hoc est dictum Petro Matth. 16. in eodem loco vbi ei dictum est. *Tibi dabo claues, &c.*

Respondeo, ea quæ dicuntur Petro esse in triplici differentia, quædam enim dicuntur ei pro se tantùm, quædam pro se & omnibus Christianis, quædam pro se & successoribus, id quod euidenter colligitur ex ratione diuersa, quæ ei dicuntur: nam quæ dicuntur ei, vt vni ex fidelibus, certè omnibus fidelibus dicta intelliguntur, vt Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Quæ dicuntur ei ratione aliqua propria personæ ipsius ei soli dicuntur, vt *Vade post me Satanas, & ter me negabis*, ista enim dicuntur ei ratione propriæ ignorantiæ & imbecillitatis. Quædam denique dicuntur ei ratione officij pastoralis, quæ proinde dicta intelliguntur omnibus successoribus, vt *Pasce oues meas. Confirma fratres tuos. Quodcumque ligaueris, &c.*

Stat ergo asserta veritas supposità alligatione dignitatis pontificiæ cum Romano Episcopatu siue per se, siue per accidens factâ. *Episcopum Romanum iure diuino esse caput Ecclesiæ.* Itaque ipse non accipit iura sua in vniuersam Ecclesiam ab imperatore siue Phoca, vt finxit Caluin. siue Constantino Magno, vt blaterauit Ioannes Hus, siue Constantino IV. vt Lutherus commentus est.

Non item ab vniuersa Ecclesia vel à Cardinalibus suffragium ad eius assumptionem ferentibus, cùm ab eis ne eligatur quidem propriè loquendo, sed tantum designetur seu nominetur; iurisdictio autem ei sic præsentato adueniat à Deo vt rectè statuunt Driedo l. 1. de libert. Christian. c. 13. Naclantus opusc. de potest. Papæ, Suarez tract. de fide disp. 10. sect. 4. vt proinde liceat de vniuscuiusque Pontificis creatione dicere quod de Symmachi electione Ennodius in Apologet. *In sacerdotalis Concilij sententia inspirante Christo oracula superna patuerunt & inter Deum atque homines interpres extitit lingua Pontificum.* Expono Cardinalium. Pontificem denique neque ab Apostolis quidem iura sua habere, disertè professus est S. Anacletus Epistol. 3. Est ergo Papa Vicarius Christi & Caput Ecclesiæ iure diuino immediato & à Christo emanato & transfuso. Id longe lateque probat Onomasticum Pontificium seu digestio alphabetica selectorum Romani Pontificis titulorum apud Concilia & Patres quam additis glossis soletti studio & maxima litteratura concinnauit R. Pater Theophilus Raynaudus Soc. Iesu. Hos autem titulos obseruo fundari potissimum in legitimo sanæ doctrinæ magisterio & irretractabili de ea iudicio, quod ex successione ad Petrum oritur, hunc autem titulum Doctoris infallibilis explicare, video esse instituti mei, quare sit.

Nouatorum Propositio de Primatu Papæ.

HÆretici sic collimant historiam Pontificum Romanorum vt primatum eius destruant, quem sine iure vsurpatum & in vim falsati Canonis Nicænæ Synodi malisque aliis technis supra Patriarchas violenter assumptum scriptitant in omnibus quæ prælo committunt vti videre est in libellis qui in dies prodeunt.

Consideramus, aiunt, Papæ Romani ætates quinque. Prima est infantia quam numeramus à fine decem Catholicarum persecutionum, (ante enim hoc tempus embryonis instar sensim conceptus fuit in primis tempore Victoris Episcopi Romani circa annum Christi 194.) eum pax Ecclesiæ est reddita tempore Constantini Magni qui omnibus Ecclesiis decimas de omnibus rebus soluere imperauit. Tunc temporis in aëre audita fuit hæc vox. *Hodie venenum infusum est Ecclesiæ*, vt est apud Nauclerum lib. 2. de generatione, quæ vox referenda est ad superbiam Pastorum quam diuitiæ parere solent. Hæc infantia vires acquisiuit & firmior reddita est à Gregorio Magno circa annum Christi 597. cum ille titulum Oecumenici in Patriarcha Constantinopolitano execraretur, & Seruum Seruorum Dei se hypocritice vocitaret lib. 1. Epistola 192. hoc anno quatuor Orientales Angeli Patriarchæ nimirum Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus ab Euphrate Babylonico sunt auulsi, qua dissolutione procreatus est Mahumetismus, sed paulo altius ascendamus. Tametsi Pontifices Romani magna animi impotentia suum. *Plus vltra* quærerent, tamen vsque ad Concil. Nicænum nihil efficere potuerunt, ita vt Pius secundus seu Æneas Syluius Epistol. 301. dicat *Ante Nicænam Synodum sibi quisque viuebat & paruus respectus ad Romanam Ecclesiam habebatur.* In ea Synodo constitutum est vt in singulis prouinciis vna aliqua Ecclesia & vnus aliquis Episcopus primus & supremus haberetur, qui Metropolitanus vocaretur, quo commodius omnia administrari possent. Hac occasione Romanus Episcopus factus est Primas circumiacentium siue suburbanarum Ecclesiarum. Chartaginensis Africanarum, Alexandrinus Ægyptiarum, Antiochenus Syriacarum, Constantinopolitanus Græcarum, &c. Non præfert autem ea Synodus, Episcopum Romanum ne vnico quidem *iure* Alexandrino, vel aliis, hic tamen fuit primus gradus Episcopo Romano ad altiora ascendendi.

Post hoc Concilium celebratur Charthaginense sextum anno 420. Episcoporum 217. inter quos Augustin. Prosper, Orosius, & alij. Aurelius porrò Carthaginen. Episcopus præcipuus totius Africæ Metropolitanus, præsedit. In eo tres Papæ ordine, summo studio id egerunt cum Sanctis illis Patribus, vt sibi iurisdictionem in Africanas & alias Ecclesias concederent; hac occasione, Apiarius sacerdos Africanus propter scelera excommunicatur à suo Episcopo Siccensi, qui Vrbanus vocabatur confugit ad Papam Zosimum qui eum absoluit, & Africanis vt eum in communionem reciperent præcepit: Zosimus vt stabiliret primatum & potius Monarchiam suam misit suos legatos ad Synodũ Africanam, qui cum illa agant de Apiario recipiendo, & de appellatione Episcoporum & sacerdotum à suorum Episcoporum, aut etiam Synodi sententia, ad Episcopum Romanum. Quò autem id facilius impetraret, tanquam iam olim debitum Romanorum Pontifici proprium ius & priuileginm, dedit eis Nicænam Synodum falsatam in qua tale priuilegium sibimet Papa suo arbitrio adscripserat. Quid fit? Legati dicunt Papam petere vt Canon. ille suppositițius Nicænæ, Synodi seruetur, Patres Synodi Africanæ etsi absurditate petitionis terrentur tamen promittunt, pacis cupidi, se iuxta Papæ petitionem facturos, si authentica Canonum Nicænorum, exemplaria nanciscantur. Interea moritur hic falsator, qui non prætendit ius diuinum neque etiam consuetudinem 400. annorum, sed decretum Concilij Nicæni.

Actus secundus huius Tragœdiæ incipit in Bonifacio primo successore Zosimi qui per legatos suos magna contentione à Synodo petit vt decreta Synodi Nicænæ seruentur. Patres negant tale quippiam in suis Synodi Nicænæ exemplaribus inueniri, Tandem post plures altercationes conclusum est vt petantur authentica Synodi Nicænæ exemplaria Constantinopoli & Alexandria, & vt interea quoad afferantur

ferantur Papa nihilominus commentitiam iurisdictionem exercere possit. Mittuntur Legati ad Patriarcham Constantin. & Alexandrinum qui inde authentica exemplaria Synodi Nicænæ afferat. Interea temporis obit Bonifacius: huic succedit Cælestinus Primus. Tertius actus Tragædiæ sub eo incipit, hic per eosdem legatos vrget postulata suorum prædecessorum, sed accipit hoc responsum, Apiarium non posse recipi nisi de obiectis criminibus se purget, aut veniam petat, quod ille tandem fecit, addunt exemplaria authentica Constantinopoli & Alexandria per Legatos allata nihil habere de iurisdictione Papæ, tandem concludunt primam causarum Ecclesiasticarum cognitionem esse penes Episcopos & Metropolitanum, secundam penes Concilium prouinciale, vltimã penes vniuersale, Papam verò nullam habere iurisdictionem super Ecclesias Africanas, atque hic fuit Tertius actus istius Concilij, S. Augustino & aliis Episcopis non indignus.

Cælestino successit Sixtus, & huic Leo primus, cuius tempore celebrata est Synodus Chalcedonensis, in qua Anatolius Archiepiscopus Constantinop. hoc obtinuit vt vniuersalis esset & supremus Episcopus Ecclesiarum Orientalium prolato ad hoc obtinendum decreto Synodi Constantinopolitanæ. Ægrè id tulit Leo primus vrgens ius Episcoporum Metropolitanorum constitutum in Conc. Nicæno, dissimilis hac in re suis antecessoribus. Postea Romani Pontifices variis artibus effecerunt vt subiicerent sibi Episcopos Africanos; Quod facile obtinuerunt post mortem Augustini & aliorum qui Synodo sextæ Chartaginensi interfuerant.

Adolescentia Papatus sumitur à primatu confirmato tempore Phocæ Imperatoris anno Christi 600. vsque ad 800. tempore Caroli Magni, hoc tempore Pontifices, cum Episcopis Orientalibus de primatu contenderunt, variasque nænias excogitarunt.

Iuuentus roburque est à Carolo Magno vsque ad annum Christi 1400. tempore Sigismundi Imperatoris, hoc enim tractu temporis Papa Italiam à Pipino, Carolo Magno & Ludouico Pio accepit & iurisdictionem temporalem cum spirituali copulauit: in Reges denique tantam potestatem sibi arrogauit vt illos pro libitu constituere, destituere, ac restituere posset, nam Hildebrandus siue Greg. Septimus Primus Imper. Henricum excommunicauit, ita vt Pontificia potentia iam versa videatur in omnipotentiam, & Romani Nostrum Dominum vocent Papam.

Iuuentutem excipit ætas ingrauescens ab anno Christi 1400. vsque ad annum 1519. denique senectus est ab anno 1519. cum Lutherus paulo ante nimirum an. 1517. contra Indulgentias Cor regni Pontificij scribere ac disputare est aggressus Sicque intricato ementitæ Historiæ filo Neoterici, Papismum concutere conantur veri simiæ Satanæ. *Qui in veritate non stetit & homicida est ab initio*, vt docuit Christus. Vt ergo plana & sincera rei deductio omnibus constet.

Nota Concilium istud Nationale Episcoporum Afrorum 217. habitum Chartagine anno Christi 419 mortuus autem iam erat Papa Zosimus cum sedisset annum vnum menses 4. & dies septem, cui post diem vnum vocationis successit Bonifacius, nam litteræ Symmachi præfecti Romanæ vrbis ad Honorium Imperatorem de Bonifacij electione hoc anno 4. calendas Ianuarij, hoc satis demonstrant, extantque in Vaticano codice vna cum aliis vltro citroque datis de sedanda seditione in clero oborta secundum ordinem temporis.

Quod ergo Asteldij Lutherani & nouatorum relatio habet, Zosimum delegasse ad hanc Synodum vt ex Patribus Afris primatum & ius appellationis euinceret falsum est, cùm iam à sex mensibus ante inchoationem Synodi diem vltimum obiisset, quæ die octaua ante Calendas Iunij anno 419. post consulatum Honorij vt & Theodosij octaua habita legitur, verum quidem est Zosimum anno præcedenti hoc est 418. ante obitum mensibus sex Legatos misisse Chartaginem ob dissensionem quamdam ortam de prosecutione Appellationum ad sedem Apostolicam, hi erant Faustinus Episcopus Porentinus in Picæno, atque Philippus, & Asellus presbyteri, qui creato Bonifacio successore Zosimi, à quo missi fuerant, causam prosecuti sunt. Ad quid verò missi essent ex eiusdem Concilij Chartaginiensis Actis intelligi potest, nec non ex ipso Commonitorio (ita appellabant mandata legatis tradita in scriptis) à Zosimo iisdem legatis tradito, extat illud in Synodalibus Epistolis ad Bonifacium in Concilio Africano cap. 101. & in Concil. Chartagin. 6. cap. 3. & 6. Quo 4. Capita continebantur, vnum. *De Appellationibus Episcoporum Africanorum ad Romanæ Ecclesia Pontificem.*

Alterum. *Ne ad Comitatum seu ad Imperatorem iidem Episcopi importunè nauigarent* Tertium *de presbyterorum & Diaconorum causis tractandis apud finitimos Episcopos si à suis perperam excommunicati essent.*

Quartum *De Vrbano Episcopo Siccensi excommunicando vel etiam Romam euocando*, nisi ea quæ videbantur corrigenda corrigeret Et hæc quidem omnia cùm Sardicensis Concilij quod Appendix erat Concilij Nicæni, vt dicam authoritate firmarentur, æquè & rationabiliter proponebantur à Zosimo Episcopis Africanis. Motiuum Zosimi ad inferendam propositionem de Appellationibus ad sedem Apostolicam istud est, Apiarius vrbis siccæ in Africa Sacerdos appellarat ad Zosimum de sententia Episcoporum, rationalium, conquesti sunt Episcopi de appellatione ista, hinc Zosimus in Commonitorio suorum Legatorum ad Episcopos Afros scribit, Appellationes ad sedem Romanam firmari authoritate Canonum Nicæni Concilij, qui re vera essent Synodi Sardicensis, quos cum Episcopi Afri non reperissent inter Canones Nicænos, conquesti sunt apud successores Zosimi, Bonifacium, & Cælestinum. Ex hac obiectione Patrum Africanorum instant asperrimè sedis Apostolicæ Aduersarij, quòd Zosimus Summo scelere tentauerit surripere primatum Romanæ Ecclesiæ mendacio & falsatione Nicænorum Canonum.

Præcipua hæc est Protestantium & Caluinistarum machina aduersus authoritatem pontificiam quam circumdarunt passim, & sæpius, reficiunt, & excudunt, modo in Gallia, modo in

in Germania, profertur vbique Synodus hæc Chartaginensis & Patrum eiusdem obiectio, quòd Canones Nicæni nihil habeant de iure Papæ in appellationibus.

Respondeo tractatum equidem fuisse in Concilio Sardicensi de Appellationibus ad sedem Apostolicam, nec repugnat vt putatur Theodoretus, dum similis cuiusdam canonis meminit, quem Iulius Papa secutus dicitur in citandis ad iudicium Romæ subeundum Eusebianis & Athanasio Episcopo Alexandrino antequam Conc. Sardicense celebratum esset loquitur enim de regula Ecclesiæ Nicæno etiam Concilio antiquiore, quæ processit, non ex alicuius Synodi authoritate sed ex ipsa Apostolorum traditione, imo ex authoritate ab ipso Christo Domino tradita Petro, & successoribus eius, quomodo constat ab ipso Ecclesiæ principio maiores de religione & controuersiis Episcoporum causas solitas Romam deferri iudicandas. Sic in Conc. Niceno vel Sardicensi actum est de Appellationibus ad sedem Romanam. Id decretum est non vt nouus Canon sanciretur sed solū vt antiquus vsus obseruaretur.

Hinc obstinatâ ad detrahendum semper Romanis pontificibus malitiâ vocant Zosimum, falsatorem, & Bonifacium, quem August. contra duas Epistolas Pelagij lib. primo vocat venerabilem, & Prosper Papam Sanctæ memoriæ, hi frigida nominis inuersione dicunt Malefacium, sicut & Innocentium eius decessorem Nocentium, successorem vero Cælestinum, quem Conc. Oecumenicum Ephesinum nuncupat nouum Sanctum Petrum, ipsi, vt de aliis modo taceamus fatuis decisionibus, Infernalem vocant. Et dissimulantes illustrissimorum Cardinalium Bellarmini, & Baronij doctissimas ad obiectionem responsiones, Concilium hoc tanquam insolubile Romanæ præeminentiæ annullatorium, in ore & manibus recusum habent. Vt autem insultantibus ora tandem obtrudantur, antequam plenarie causam resoluere aggrediar aliqua prælibo, Primum quouis dato scopo & successu Concilij istius Chartag. nihil omnino inferri posse in detrimentum & subuersionem iuris papalis ad appellationes habendas, nam in Conc. Chalcedon. triginta ab illo post annis habito ipsoque Occumenico & vno ex 4. quæ vti Euangelia admittuntur 636 Episcopis constante appellationes causarum quæ ad fidem aut Episcopos spectabant delatæ sunt ad Papam vt moris erat, & vt in Conc. Sardicensi ordinatum fuerat. Testatur hoc Epistola imperatoris Valentiniani, Græcis & Latinis exemplaribus Conc. Chalcedonensis affixa. *Debemus*, inquit, *conseruare inuiolabiliter in diebus nostris dignitatem venerationis singularis erga B. Apostolum Petrum, vt Sanctus Episcopus Romanus cui antiquitas sacerdotium præ singulis detulit, locum habeat iudicandi fidem Episcoporū, &c.* ideo enim secundū Concilior. consuetudinem Flauianus Episcopus Constantinopolitanus ad eum appellauit, in fidei mota controuersia. Idem testatur Lex Imperatoris Marciani in calce eiusdem Chalcedon. Concilij, Synodus Chalcedon. Beati Episcopi vrbis æternæ in gloria Romæ authoritate exactè examinans res fidei & religionis funda stabiliens defert Flauiano pretium exactæ vitæ & palmam gloriosæ mortis. Testatur supplex libellus appellationis ad Papam Theodoreti Episcopi vrbis Cyri, Persarum finitimæ, Antiocheno Patriarchæ subiectæ. *Expecto*, ait, Theodoret. Epistola ad Leonem, *sententiam à Throno vestro Apostolico & citationem Romæ vt de fide mea Apostolica ei reddam rationem.* Theodoretus iste fuerat suspectus de Ariana hæresi vnde ex sententia Theodosij iunioris in Concilio Ephesino, profano & illegitimo exclusus fuerat ab Episcopatu. Leo Papa audito Theodoreto iudicauit eum orthodoxum & ideo Synodus Chalcedon. actione octaua cum Theodoretus clarè anathematizasset Nestorium & Euthychem & omnem opinantem quod Virgo Maria esset Dei genitrix, clamauit. *Theodoretus dignus est sede Ecclesiæ, orthodoxum Ecclesia pastorem recipiat. Archiepiscopo Leoni multos annos, post Deum Leo iudicanti & sic decretum est a Sancta Synodo vt Theodoreto sua Ecclesia restitueretur.* Testatur denique relatio ipsa Concilij ad Leonem, approbans iudicium appellationis quod fecerat in causa Euthichis abbatis Constantin. & damnans Dioscorum & conciliabulum Ephesinum quod de his cognoscere attentasset.

Secundum prænotandum: quod controuersia in Charthag. agitata non fuit de Appellationibus in Causis maioribus & Ecclesiasticis, id est in rebus fidei, Sacramentorum aut disciplinæ & rituum Ecclesiæ, sed de appellationibus in temporalibus & personalibus causis vti sunt adulteria, furta, ebrietas sacerdotum, & moralia quæ ex decretis Imperatorum referebantur ad tribunal Ecclesiæ. Id patet ex Apiarij causa, quæ mores eius tantum prauos respiciebat, euincitur etiam ex Episcoporum expositione Cælestino Papæ, quod iudicia vltramarina certa & solida futura non erant ob difficultatem producendorum ex Africa testium, multi enim eorum transmeare non poterant. Hæc & alia luce clarius enucleat Perronius eminentissimus Doctor in responsione ad regem Britanniæ cap. 52. proinde quod eadem ad Cælestinum Epistola iidem petierunt Episcopi, vt vbi sunt exorta ibi sint finiēda negotia ob difficultatem prosecutionis iudicij transmarini, neque hoc per legatos à latere fiat sed per causæ delegationem ipsis Africanis Episcopis, hæc inquam manifestè declarant ipsos non quidem negasse appellationem, sed ægrè tulisse prosecutionis modos, quibus vt plurimum Pontifices vterentur siue cùm Romæ summa difficultate producendi essent testes, siue in Africa per legatos à latere & clericos executores proteruè nimis foret agenda causa.

Tertium prænotandum est quod Patres Africani non mouerunt ex proposito deliberato quæstionem de appellationibus transmarinis Episcoporum, sed incidenter & ex consequentia appellationis Apiarij: hucusque enim obseruata erat hæc inter Episcopos & Sacerdotes simplices differentia, quòd Episcopis locus erat appellare Romam, seu vltra mare: sacerdotibus autem nequaquam, vt constat ex declaratione quæ legitur in Epistola 162. Augustini quòd Cæcilianus poterat definitionem causæ suæ sedi vltramarinæ reseruare, quia non erat simplex de numero sacerdotum aut Clericorum sed Episcoporum. Patet etiam

etiam ex despositione Augustini quod plures Episcopi Africani, Apostolica sede iudicante, in gradu suo consetuati essent, constat & ex tacita Episcoporum exceptione Conc. Mileuitani cap. 22. *Placuit vt presbyteri Diaconi vel ceteri infra clerici si de iudiciis suorum Episcoporum questi fuerint vicini Episcopi eos audiant quod si & ab eis prouocandum putauerint non prouocent nisi ad Concilia vel primates Africarum prouinciarũ ad transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Et ideo cum Apiarius sacerdos sic quæ ad transmarina appellauit Episcopi Afri opponuntur. Et hinc occasionaliter agitata est quæstio de Appellationibus. Et ob hanc oppositionem Zosimus misit Africæ, Canones Concil. Sardicensis de Appellationibus quorum septimus agit de Episcopis accusatis & appellantibus ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ & decimusseptimus de excommunicatis presbyteris, Diaconis, apud vicinos Episcopos audiendis, hos inquam, Papa misit vti Canones Nicænos non ex dolo & impostura, aut vt alieni iuris quicquam sibi vsurparet, illo enim prædecessores sui absque vlla controuersia potiti erant. Sed quia Nicænum & Sardicense vnum idemque erat reputatum, & istud, illius appendix & supplementum, hoc enim apud veteres adeo constans fuit, vt cùm recenserent Concilia personalia post Nicænum ponerent Constantinopolitanum, prætermisso penitus Sardicensi quod tamen æque fuisse Oecumenicum liquet, saltem Romana Ecclesia de more habebat Sardicenses pro Nicænis citare Canones, vti apud Græcos Canones Tullanæ Synodi citatur quasi Canones Concilij Sexti Oecumenici. Sic Gregor. Turonensis lib. 9. hist. cap. 33. citat Gangrenses Canones vti Nicænos, quia Conc. Gangrense, ramus & frutex erat Nicæni, cui idem Osius præses fuerat, si credimus Ennodio antiquo Episcopo Papiæ.

Quod autem Sardicense Conc. appendix & supplementum Nicæni reputetur eodem habitum 347. Iulij Papæ anno 11. sæculo, & eadem de causa qua Nicænum hoc Schismatici Græci nobiscum admittunt, placuit Imperatoribus ait Zonaras in præfatione Conc. Sardic. conuocare Concilium ad decidenda, quæ in Nicæno fuerant decreta Sardicæ ergo conuenerunt trecenti quadraginta & vnus Episcopi, qui speciali decreto Synodum Nicænam confirmarunt & contraria sentientes, anathematisarunt idem dicit Balsamon idem Glycas lib. 4. annalium.

Quod autem nulla ratio doli aut mali & imposturæ intercesserit citando Canones Sardicenses pro Nicænis patet, ex eo quod à Papa citatus Canon de appellationibus, non minoris esset authoritatis, ac si esset Concilij Nicæni, quandoquidem ambo fuerunt Oecumenica, imò apud Afros Sardicense amplius habere debebat quod Nicæno ex Afris vnus tantum Cæcilianus Episcopus interfuisse reperiatur, vt norat secundũ Oecumenicum Conc. Constan. act. 5. Solus Cæcil. Episcopus Chartag. de tota Africa Nicæno Conc. interfuit Sardicensi verò cum Grato Episcopo Chartagin. triginta quinque vt Athanas. docet Apologia Secunda eiusdem prouinciæ, Episcopi præsto fuerint, adeo vt salua pace Catholica nequaquam potuissent Sardicenses Canones non recipere.

Verum enim verò, si hæc tituli extensio fraude inducta probaretur, an Pelagiani qui debacchabantur contra memoriam Zosimi à quo anathemate percussi fuerant & exclusi ab Ecclesia Catholica vti hæretici, dolum hunc reticuissent? nunquid inter calumnias exquisite afflictas scelus hoc non euulgassent? Nunquid S. August. & Prosper, erubuissent titulo fælicissimi & venerabilissimi donare Zosimum, quomodo autem 30. post annis Leo Papa in idem crimen lapsus esset.

Mentita ergo est iniquitas sibi quæ Zosimum ex fraude Nicænos protulisse Canones pro Sardicensibus asserit. Nihil ergo ascititij iuris inde habet Papa.

At inquies nonne in Sardicensi Lectione videre poterant Episcopi Afri quæ paris authoritatis erat cum Nicæno. Respondet Perronius ex Augustino Epistola 163. & contra Cresconium lib. 3. cap. 34. legitimos & veros Actus Sardicenses non extasse tunc temporis in prouinciis Africanis, opera enim donatistarum perierant suppositis spuriis actibus Anticoncilij Sardicensis, seu conciliabuli habiti in ciuitate Philipopoli prope sardicam sub titulo Concilij Sardicensis, Non ergo mirum si patres Chartagine conuocati, nec Nicænos qui perierunt, nec veros Sardicenses actus habentes petant à Zosimo quem eorum litteræ mortuum repererunt, vt adducantur ab oriente vera Nicæna originalia aut exemplaria, Cumque in eis recuperatis nihil legerent & remiserunt Bonifacio nihil tamen innouantes in controuersia aut iure appellationum sed hæ continuo datæ sunt Romano pontifici, vt videre est in Epistola 8. Leonis Cælestino posteriori 8. tantum annis pro appellatione data ad sedem Apostolicam per Lucipinum Episcopum Africanum.

Patet hic Mendacium Alsteldij, dum refert patres Africanos pro conclusione decreuisse referendas causas vltimate ad Concilium vniuersale & Papam nullam habere iurisdictionem quomodo enim hoc quidem in mente habere potuerunt, cum ad ipsum in causis Episcoporum & fidei euocare soleant.

Principalis Machina. Hæreticorum ad conuellendum Primatum Papæ est Canon. 6. Conc. Nicæni quo secundum antiqua priuilegia Ecclesiæ Alexandrinæ vetuit, ne in Ægypto Lybia vel Pentapoli aliquis ordinaretur Episcopus absque ipsius Metropolitani scientia, quod etiam sedi Antiochenæ veteri consuetudinem debitum voluit custoditum, idque vt ait. *Quoniam & Romano Episcopo hæc esset consuetudo* Canon. sic intitulatur. *De Primatibus Episcoporum Metropolitanorum.*

Mos antiquus perduret in Ægypto vel Lybia & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos similiter autem & apud Antiochiam cæterasque Prouincias honor suus vnicuique seruetur Ecclesia. Hinc Nonnullis perperam visum est: quod hic Canon. Sextus parem faceret Episcopum Romanum cum aliis Metropolitanis quia dicit, *Episcopo Romano parilis mos est.* Laborat hic Dominicanus, Carranza, Conciliorũ Compendiator varias editiones, tam Græcas quã Latinas consulere

consulere ad probandum tenorem Canonis, & testatur vidisse in antiquissima Latina, quæ Eminentissimus Marcellus Cardinalis sanctæ Crucis vnus ex Legatis Apostolicis in Concilio Tridentino habebat, sic exaratur, mos antiquus perduret in Ægypto vel Lybia & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem Metropolitano Episcopo hoc idem moris est. Sic quidem si vniuersaliter legatur eximeretur scrupulus Lectori ne in eum impingat, vt ipse ait. Sed obijceretur protinus id gratis dici, & sine teste, consequenter esse declinationem ab illatione. Mihi pro legitimo sensu Canonis probatur & obfirmato cuique aduersario probatus haberi debet is quem admisit Oecumenica Synodus Chalcedonensis, dum decima sexta actione, quæ præcedentiam Archiepiscopi Constantinopolitani ventilabat Paschasius Sedis Apostolicæ Legatus recitauit hunc Nicænum Canonem, vt iam ex translatione exacta & fidelissima Dionysij cognomento exigui, sed doctrina permagni habetur. *Quod Romana Ecclesia semper habuit Primatum, tenuit autem & Ægyptus, vt Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Episcopo Romano hæc est consuetudo, quod autem approbaris hanc recitationem Synodus ex eo datur intelligi, quod mox Indices dixerunt. Perpendimus omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Archiepiscopo conseruari.* Quapropter tam secundum eam lectionem, quam Dionysij versionem planissimus erit Canonis sensus, vt significet ex Romanæ Ecclesiæ authoritate, quæ semper habuit in vniuersa Ecclesia Primatum, Episcopum Alexandriæ omnium Ecclesiarum, quæ sunt in Ægypto (cuius etiam appellatione continebantur Lybia, & Pentapolis) habere potestatem, *Quoniam sic moris fuit Episcopo Romano illi concedere.*

Quicquid sit ad hanc objectionem si cuius sit momenti, dupliciter

Respondeo 1. Papam duas habuisse distinctas qualitates, seu munera sustinere distincta, 1. qualitas nominabat eum Patriarchã occidentis; alia, Caput vniuersalis Ecclesiæ, quod similitudine quadam videre erat in Præfecto vrbis ad cuius normam, Aduersarij intendũt regulare authoritatẽ, seu iurisdictionem Pontificis Romani. Is Præfectus erat prætorij Romani, sicque aliis Præfectis Prouinciæ censebatur intra suos limites æqualis hoc officio, sed aliud sustinebat, erat enim caput Senatus, & vicarius Imperatoris, hácque qualitate omnibus præerat Prouinciæ Præfectis, & iudicia eorum examinabat iudicabatque diffinitiue cum per appellationem ea recipiebat. Quapropter etsi in rebus præcisè spectantibus iurisdictionem Patriarchalẽ, vti erat indictio Concilior. Prouinc. aut Nationalium morum Ecclesiasticorum correctio, Confirmatio mediata, vel immediata Episcoporum patriarchatus, & iudicia subalterna causarum ipsorummet Episcoporum. Alij Patriarchæ regulari essent ad modum, & exemplar Romani. Tamen cum agebatur de rebus, quæ limites occidentalis Patriarchatus excedebãt, hoc est de causis maiorib. quæ Ecclesiã vniuersalem spectabant, vti dogmata fidei, ritus communes, dejectiones ab Episcopatu, vel reformationes, & annullationes sententiarum à Patriarchis latarũm, Pontifex Romanus, vt caput Ecclesiæ, & Apex Patriarcharum ius in eos dicebat, & de iudiciis eorumque personis iudicabat.

Et ideo quando Nicænum decreuit, vt Episcopus Alexandrinus omniũ haberet potestatẽ, quorum mentionem fecerat, id est pro Concil. Prouinc. aut National. indictione, correctione morum, & confirmatione mediata, vel immediata Episcop. Prouinc. clausulamque hanc posuit. Quoniam, & Episcopo Romano hæc est consuetudo, certũ est Conciliũ, non prætendisse regulare Episcopũ Alexandrinum ad morem Romani in rebus, quæ iurisdictionem patriarchalẽ superabãt. & quæ ad vniuersalis Ecclesiæ regimen spectabant, sed in iis dumtaxat, quæ in patriarchatus confinio coercebãtur. Sicut cum iurisdictio Præfectorũ Prouinc. imperij ad normã Romani regulabatur, intactum manebat ius, quod Roman. Præfectus, vt vicarius Imperatoris, & Præfectus Præfector. habebat, & ad hanc specialem iurisdictionẽ, qua cognoscebat ea quæ extra suam præfecturã vrbis erant, nequaquam regulabant Præfecti Prouinc. Sicuti etiam cum in nationali Concilio regulatur iurisdictio Arch. aut Episcopi prouinc. ad eam quã Primas nationis habet, non eneruatur iurisdictio eius in prouinciis, nec infirmatur superemines Primatis ius in totam nationem, quo Episcopis, & Archepisc. præest. Nam & ante Nicænum anno circit. 266. cum Dionysius Patriarcha Alexandrinus, quod filiũ Dei creaturam & non consubstantialẽ sentiret, suspectus fuit apud Catholicos de hæresi. Ipsi Romam apud Dionysium Roman. Episc. accusaturi profecti sunt, scribit Athanasius de sententia Dionysij. Post Concil. Nicænum conuocata est Synodus Antiochiæ, quæ sedes erat tertij Patriarchatus, hæc autem annullata fuit teste Socrate lib. 2. c. 8. ea de causa, quod Lege Ecclesiastica sine ordine Romani Episcopi prohibitum esset regulas Ecclesiis decernere. Cùm Concilia Orientalia Athanasiũ Alexandriæ Patriarcham, Paulum Episcopum Constantinop. Marcell. Primatem Ancyræ in Galatia, Asclepam Episcopum Gazæ in Palestina de patriarchatu Antiochensi sedibus suis exclusẽrũt. Episcopus Romanus ait Sozomenus hist. Ecclesiast. libr. 3. capit. 7. vnicuique Ecclesiam suam restituit, quia ad eum ratione dignitatis suæ sedis omnium rerum cura spectabat. Consule historiam Temporum, & luculentissima leges testimonia de primatu Romano. Non ergo à Nicæno is est vt obganniunt Nouatores.

Respondeo 2. Concili Nicænum agere de Episcopo Alexandrino cum restrictione, de Papa, absque restrictione, nec opponas Patriarcham Antiochenum, & Alexandrinum successisse Petro, vti & Romanum, consequenter æqualiter participare successioni sedis Apostoli primarij, vnde neuter ipsorũ ab alio dependere debeat. Resp. siquidem soli Episcopo Romano datum titulum successoris, & ordinarij vicarij Petri, quia Episcopus Romanus sedet in loco vbi Petrus absolutam, & immobilem sedem constituit, & vbi originem directæ successionis statuerat, vnde Patres sedem Romanam vocare originem vnitatis sacerdotalis, & Petri cathedram, & Ecclesiam principalem solent

lent, sic Cyprian. ad Cornel. Epistol. 55. Hiero. ad Damas. Epistol. 58. *Consocior beatitudini tuæ*, id est *cathedra Petri*, Innocent. 1. ad Alexandr. Episcopum Antioch. Epistol. 18. *Antiochena sedes nequaqum Romanæ cederet, nisi illa absolute, & finaliter, quod ista transitoriè obtinuisset.* Idem dic de sede Alexandrina, quam Petrus per Marcum, quasi per semetipsum fundauit. Hinc primatus Petri fundatur, vt notant alicui, non in iure positiuo, seu imperatorio, seu Canonico, sed diuino principaliter, sic Imperatores Theodosius, & Valentinianus in nouella titulo, 24. ad calceum codicis Theod. loquantur. *Primatus sedis Apostolicæ & merito Petri, qui est princeps societatis Episcopalis, & dignitate vrbis, & sacra synodi authoritate fundatus est.*

Ad Epistol. Æneæ syluij? Resp. in ea nihil magis obtendi, quam demonstrare primatum institutum esse à Christo, aduersus contemptores illius, vt dicit in Epistol. ad Martin. Mayer: subsequentibus autem verbis significat, Papam non potuisse ob continuas persequutiones exercere ante Conc. Nicen. authoritatem à Christo concessam, & ideo coactos fuisse cæteros Episcopos sibi viuere, & non multum respicere ad Ecclesiam Romanam.

QVÆSTIO IV.

An iudicium Papæ cum totam Ecclesiam docet, sit infallibile.

QVæstio hæc includit spiritualem Pontificis potestatem ex discussione istius reliquæ terminatæ censentur spiritualis autem potestas maximè versatur circa definitiones in rebus fidei, & morum quas credere, & obseruare teneantur in conscientia Catholici.

Papa itaque considerari potest duobus modis, vno modo vt est persona quædam particularis, siue Doctor particularis. Secundo vt Pontifex, & agens pastorem vniuersalem docensque, vt sic totam Ecclesiam.

PROPOSITIO CATHOLICA

INfallibilitas Pontificis ex cathedra docentis admittenda est. Censetur autem obire munus capitis Ecclesiæ, seu doceere ex cathedra, quando proponit aliquid tanquam ex fide credendum, vel honestè faciendum ab omnibus Christianis, volens ad id credendum astringere vniuersam Ecclesiam, vt rectè exponit Valentia, 2. 2. d. 1. q. 1. p. 7. Probatur ex Scriptura Luc. 22. *Simon ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Qui locus tribus modis exponi solet, 1. quòd Christus orauerit pro Ecclesia vniuersali siue pro Petro, vt totius Ecclesiæ figuram gerebat, & hoc impetrasse, vt fides Ecclesiæ Catholicæ, nunquam deficiat, quæ expositio si ita intelligeretur, vt diceret, oratum esset immediatè pro capite Ecclesiæ, & consequenter pro toto corpore, quod per caput repræsentatur vera esset, sed si pro sola Ecclesia oratum dicatur est falsa 1. quia Dominus vnam tantum personam designat dicens bis Simon Simon, & addens toties pronomen secundæ personæ, *pro te fides tua, & tu fratres* tuos, quorsum enim hæc nisi, vt intelligamus aliquid speciale Petro impetratum esse à Christo 2. quia Dominus cœperat loqui in plurali *cribraret vos*, & deinde mox mutauit formam loquendi, & ait rogaui pro te, quare non dixit pro nobis, vt cœperat? certè si de tota Ecclesia loqueretur multo rectiùs dixisset, rogaui pro vobis 3. Dominus rogat pro illo cui ait. *Et tu conuersus*, at hoc certè non potest toti Ecclesiæ conuenire nisi dicamus totam Ecclesiam aliquando esse peruertendam, vt postea iterum conuertatur. 4. pro illo rogat cui ait, *confirma fratres tuos*: at Ecclesia non habet fratres, quos debeat aut possit confirmare, nonne omnes fideles filij eius sunt?

Altera expositio est, quòd Dominus rogarit pro perseuerantia solius Petri in gratia Dei vsque ad finem. At contra I. quia orauit Dominus paulopost pro perseuerantia omnium Apostolorum imò etiam omnium electorum Ioan. 17. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*, Non erat igitur ratio cur bis pro perseuerentia Petri oraret 2. quia sine dubio hic Dominus aliquid speciale Petro impetrauit, vt patet ex designatione certæ personæ: perseuerantia autem in gratia est donum commune omnium electorum, 3. quia certum est Dominum saltem mediatè orasse hoc loco etiam pro aliis Apostolis, nam ideo præmisit, *Satan expetiuit vos*, & postea subiunxit tanquam effectum orationis *confirma fratres*, non igitur pro sola Petri perseuerantia, sed pro aliquo dono Petro communicando in aliorum vtilitatem, 4. donum hoc loco impetratum etiam ad successores pertinet, nam Christus orauit pro Petro in vtilitatem Ecclesiæ, Ecclesia autem semper indiget aliquo à quo confirmetur cuius fides non possit deficere. Nec enim diabolus petiit cribrare eos tantum, qui tunc erant fideles, sed omnes omnino, at certè perseuerantiæ donum non pertinet ad omnes Petri successores. Denique non dixit Dominus, vt non deficiat charitas tua, sed fides tua, & reipsa scimus defecisse Petri charitatem & gratiam, quando negauit Dominum: fidem autem vnquam defecisse non scimus.

Est igitur tertia expositio vera, quod Dominus duo priuilegia impetrauerit Peto. Vnum vt ipse non posset vnquam veram fidem amittere, quantumcumque tentaretur à diabolo; id quòd est aliquid amplius quàm donum perseuerantiæ, dicitur enim perseuerare vsque in finem ille, qui licet interdum cadat, tamen resurgit, & in fine fidelis inuenitur; At Petro Dominus impetrauit, vt non posset vnquam cadere, quod ad fidem attinet.

Alterum priuilegium est, vt ipse tanquam Pontifex non posset vnquam docere aliquid contra fidem, siue vt in sede eius nunquam inueniretur, qui doceret contra fidem Ex quibus priuilegiis primum fortasse non manauit ad posteros, at Secundum transiuit ad successores.

Primum priuilegium probatur ex SS. Patribus, Augus. lib. de corrept. & grat. cap. 8. *Quando rogauit vt non deficeret fides rogauit vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, in-*

uictissimā, perseuerantissimā, voluntatem, Chryſ. hom. 83. in Matt. *Non dixit non negabis, ſed vt non deficiat fides tua cura enim ipſius, & fauore factum eſt ne omnino. Petri fides euaneſceret* Theophil. in 22. Luc. *Quamuis breui tempore concutiendus, ſic habes recondita ſemina fidei etiam ſi folia abiecerit ſpiritus inuadentis radix tamen viuet. & non deficiet fides tua.* Elegans eſt hæc ſimilitudo explicans Petrum negando amiſiſſe confeſſionem, quæ ore fit, folia enim verba ſignificant, fidem tamen, qua corde creditur ad iuſtitiam non amiſiſſe. Eodem modo Proſper. lib. 1. de voc. gent. cap. vlt. Cœterum iſti Patres licet in his locis non meminerint alterius priuilegij: tamen illud non negant.

Alterum priuilegium commune Petri ſucceſſoribus, vt ſcilicet ipſe, & cœteri Pontifices Romani nunquam publicè à fide deficerent, ita vt Eccleſiam docerent hæreſim, vel errorem aliquem, qui ſit contra fidem, aſſerunt Lucius 1. Papa martyr. in Epiſtol. 1. ad Epiſc. Gall. & Hiſp. Felix 1. in Epiſtol. ad Benign. Leo ſerm. 3. de aſſumpt. ſua. Agato in Epiſtol. ad imp. quæ lecta eſt in 6. Synodo, & ab omnibus probata Nicolaus 1. in Epiſtol. ad Michaëlem Leo IX. in Epiſtol. ad Petrum Antiochen. Innocent III. in Epiſtol. ad Epiſc. Arelaten., & habetur cap. Maiores extra de bapt. *Maiores*, inquit, *Eccleſia cauſſas, præſertim articulos fidei contingentes ad Petri ſedem referendas intelligit, qui nouit pro eo Dominum exoraſſe, ne deficiat fides eius*, Cyprian. Epiſtol. 55. *ad Romanam ſedem perfidia, nunquam potuit habere acceſſum.* Chryſolog. in Epiſtol. ad Euthychetem, quæ habetur in 1. tomo Conc. *Hortamur te frater honorabilis, vt his quæ à beatiſſimo Papa Romanæ vrbis ſcripta ſunt obedienter attendas, quia B. Petrus qui in propria ſede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem*, Bernard. Epiſto. 190. ad Innocent. *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala regni Dei ea præſertim, quæ de fido contingunt, dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum, cui enim alteri ſedi dictum eſt aliquando ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua!*

Probatur ratione Chriſtus fecit Petrum ſaxum, & fundamentum ſuæ Eccleſiæ, ergo non debet eſſe mobilis ab hæreſi, quilibet autem ſucceſſor eſt ſimiliter petra, & fundamentum, quod Eccleſiæ dat firmitatem, ergo Papa potitur priuilegio infallibilitatis in doctrina de rebus fidei. Tum Pontifex eſt paſtor totius Eccleſiæ, conſequenter, & Doctor, ergo tota Eccleſia debet illum audire, & ſequi, ergo ſi ille erret tota Eccleſia errabit, ſicque portæ inferi id eſt hæreſes, & errores, vt expoſuit Hieron. præualerent aduerſus eam reſceſſo Chriſti promiſſo.

Dices, Papam audiendum, ſi rectè doceat, alioquim magis Deum, quam homines eſſe audiendos. At dico quis iudicabit rectè ne Papa doceat an non ! iudicare an paſtor erret non eſt ouium præſertim in rebus verè dubiis, nec habent oues Chriſtianæ alium maiorem iudicem aut doctorem ad quem recurrant ex ipſo enim ad alium appellari non poteſt, & omnes ad eum recurrunt.

Dices, ad Concilium generale, at ipſa ſine calculo, & approbatione Papæ fallibilia ſunt vt patet de Epheſino II. Ariminenſi, & aliis. Dices, ad Conc. in quo etiam interſit papa, at firmitas fidei, quæ ex oratione Chriſti conſequitur ſoli Petro promiſſa eſt non Concilio, tum Chriſti ſolum Petrum vocauit petram, & fundamentum non Petrum, cum Concilio totam firmitatem legitimorum Conciliorum eſſe à pontifice non partim ab ipſo, partim à Concilio, deinde non poteſt ſæpe cogi Concilium generale. Ergo debet eſſe in Eccleſia aliquis iudex, qui errare non poſſit. Ratio non leuis deſumitur ex vet. Teſt. quod fuit figura noui, iubet Deus Exod. 28. in rationali ſummi pontificis poni doctrinam, & veritatem vt LXX. verterunt אוריה רתמים quod Deuteron. 17. factum fuit, *quia*, inquit, iudicabunt tibi iudicij veritatem à fortiori ergo indefectibilis doctrina concedenda eſt Pontifici Chriſtiano, pro quo orauit Chriſtus, quem pro ſua reuerentia exauditum fuiſſe non eſt dubitandum, conſtatque experimento, nam aliæ ſedes Patriarchales defecerunt à fide, & plerique Patriarcharum, aut hæretici aut hæreſiarchæ fuerunt. Inter Conſtantinopolitanos Macedonius, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Anaſtaſius notati ſunt hæreſeos. Inter, Alexandrinos, Gregorius, Georgius, Lucius, Arriani: item Dioſcorus, Timoteus Ælurus, Petrus Mogus. Inter Antiochenos hæretici fuerunt Paulus Samoſatenus, Eulalius, Euzoïus, Ioannes Dominus, Petrus Cnapheus, Macarius. Inter Hieroſolymitanos ſorduerant hæreſibus Ioannes Origeniſta, Salluſtius, Arſenius, Heraclius, Hilarius, vt liceat profectò his perſpectis gratulari Romanæ Eccleſiæ ſuorum Pontificum in fide conſtantiam.

Nota tamen Pontificem vt Doctorem particularem poſſe errare, cùm priuatim docet, & non ex cathedra, quare quæ ſic dicit repudiari poſſe non eſt dubium, infallibilitas enim promiſſa eſt in quantum eſt caput Eccleſiæ v. g. Nicolaus 1. ex priuato ſenſu non vt Eccleſiæ totius Magiſter dixit baptiſmum collatum in ſolo nomine Ieſu validum eſſe, etiamſi non exprimantur omnes perſonæ SS. Trinitatis quod tamen probatior ſententia affirmat eſſe neceſſarium ad baptiſmi valorem, nam quod aliqui in nomine Domini Ieſu baptizati leguntur, ſenſus eſt baptizatos fuiſſe iuxta Chriſti inſtitutionem, vt bene exponit Eulogius apud Photium Cod. 280. Ferrandus Epiſtol. 1. ad Anatolium, nec non Facundus lib. 1. cap. 3. Similiter Stephanus II. in quibuſdam reſponſis datis Cariaſi num. 11. ait de Preſbytero, qui baptizarat in vino defectu aquæ. *Nulla ei adſcribatur culpa. Sic in ipſo Baptiſmo permaneant infantes*, Quæ videntur ferre materiā baptiſmi poſſe eſſe vinum contra exploratam Conc. Trid. definition. Sed eſt vt dixit reſponſum priuatū quoad materiam, ſicut reſponſum Nicolai 1. quoad formam, non eſt autem certum iſta data fuiſſe reſponſa, quæ ex vno manuſcripto monaſterij Gallici dumtaxat referunt, vt vt ſit hoc reſponſum ſi vere demus eſſe Stephani II. & ſincere referri non fuit prolatum ex cathedra ideoque potuit in illud irrepere falſitas, quam diuina prouidentia omnino auertiſſet. Si Pontifex vniuerſam Eccleſiam

docere

docere intendisset, alioqui viua regula fidei Catholicæ esset fallibilis, & obnoxia errori, omnesque in fide vacillaremus.

Eadem infallibilitas Pontificis ex iisdem argumentis circa præcepta morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur euincitur, *Quæ scilicet in rebus necessariis ad salutem, vel per se bonis aut malis versantur*, Quia ait Bellarm. cap. 5. lib. 4. non est erroneum dicere Papam in aliis legibus posse errare, nimirum superfluam, vel minus discretam legem condendo, ratio est quia tunc tota Ecclesia læderetur, & in necessariis erraret, quod est contra promissionem Domini Ioan. 16. cùm venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, quod intelligitur, vt minimum, de veritate necessaria ad salutem.

Quod autem in moribus per se bonis, vel malis errare nequeat Papa probatur, nam tunc Ecclesia non posset dici *sancta*, quod tamen est articulus symboli: *sancta*, inquam ob professionem sanctitatis, & tunc erraret circa fidem, nam fides Catholica docet omnem virtutem esse bonam, & omne vitium esse malum; si autem Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes teneretur Ecclesia credere vitia esse bona, & virtutes esse malas, nisi vellet contra conscientiam peccare, tenetur enim in rebus dubiis acquiescere iudicio summi Pontificis, & facere, quod ille præcipit, non facere, quod ille prohibet, ac ne fortè contra conscientiam agat tenetur credere bonum esse, quod ille præcipit; malum, quod ille prohibet.

Nec oportet esse sollicitum an Pontifex adhibuerit diligentiam debitam, & contulerit rem cum peritis, vt optimè admonuit Cunerus Petri lib. de firmitate cathedræ Petri, nam eo ipso, quod Deus permittit doctrinam proponi cum authoritate, supponendum est eam ritè discussam esse à proponente, qui si pro negotij qualitate non adhibeat peritos, peccare poterit: doctrina tamen non erit minus certa ob assistentiam spiritus Sancti promissam huic Doctori etiamsi soli, vt bene attigit Bernard. in Apologetico pro decretis Romanæ Synodi sub Gregorio VII. cap. 23.

QVÆRES, *Quid obseruare debeat Papa, vt infallibiliter definiat res fidei?*

Respondeo constare, quidem Papam esse supremum Pastorem Ecclesiæ, ita tamen vt sit Christi vicarius & verus seruus, & Minister. Ex hac autem ratione, & officio ministri, dispensatoris & œconomi, & Vicarij Christi colligo, quod vt validè, & efficaciter agat necesse est, vt quædam sibi à Christo præcepta, & institutum agendi modum seruet, ita vt tantummodo tunc infallibiliter doceat, ait Bagotius lib. 4. disp. 2. cap. 2. quando agit vt *fidelis seruus, & prudens*, seu vt Lucas c. 12. ait, *dispensator quem constituit Dominus super familiam suam vt det illis in tempore tritici mensuram*. Et vero nescio an vacet Mysterio, quod eam sententiam Matth. cap. 24. & Luc. 12. subjungunt sermoni, quem Christus habuit de cauendis pseudoprophetis, & de sua ope, quam promisit Apostolis ministerio suo functuris, sane Paulus 1. Cor. 4. ait: sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, hic iam quæritur inter dispensatores, vt quis fidelis inueniatur, S. Thom. in cathena per mysteria intelligit spiritualia documenta, & Sacramenta. S. Ambrosius notat S. Petro interroganti, *Domine dicis hanc parabolam ad nos, an, & ad omnes?* Christum respondisse, *quis putas est fidelis dispensator, & prudens*, vnde refert particulariter formam hanc generalem spectare ad Apostolos, consequenter ad Petrum qui maius officium habet, idem docet Theophylactus, Papa ergo debet agere, *fideliter prudenter, & opportune*, primum *Fideliter* stat in suppositione Scripturæ sacræ Traditionis Apostolicæ, & doctrinæ iam antea in Conciliis definitæ, ita vt ea sint principia ex quibus per ratiocinationē colligat eas propositiones, quas credēdas Ecclesia definit, & proponit, ita apud S. Tho. in cathena Matth. 24. fidelis dicitur, qui legitimè agit vt in mandatis accepit, qui ex fide diuina agit, & vt in ea proficiat, quam autem sit necessaria hæc conditio patet, nam nulla iam fit doctrinæ fidei reuelatio, sed quid docuerit Christus, & Apostoli inquiritur, & si qua propositio noua definitur ea ex duabus propositionibus fide diuina creditis aut saltem vnâ fidei, & alterâ lumine rationis euidente per illationem necessariam, & euidentem colligitur. Quare fidem eiusque doctrinam receptam supponere debet Papa, vt aliquid de nouo infallibiliter proponat fuitque semper hæc agendi ratio obseruata tum in conciliis generalibus, tum in priuatis, & quotiescumque fidei doctrina tractatum est de hoc Paul. inculcat Timotheo Epistol. 2. cap. 1. & 3. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide*, &c. Hinc factum est vt quoties Concilia coacta sunt, summi Pontifices diligentissimè cauerint, & monuerint, vt quæ antea definita erant, non retractarentur.

Papa ergo primariam fidem supponere debet, vt fideliter agat.

Prudenter aduocando consiliarios plures, vel pauciores iuxta rei de qua disseritur grauitatem, nam sicuti gratia supponit naturam, eamque perficit, ita definitiones fidei supponunt concertationem cum peritis, Deus enim in gubernatione Orbis vtitur causarum secundarum concursu, si quando ordinem ordinarium prætergreditur est miraculum, cum ergo definire vult aliquid Pontifex ne prouidentia Dei promissa agenti vt fidelis Oeconomus, non sit miraculosa oportet Pontificem concurrere, cum Deo cooperari, & se se quodam certo determinatoque modo gerere, quod deficiente non sit illa Dei assistentia infallibiliter speranda, nec Romanus Pontifex vt Christi Vicarius, & Spiritus-Sancti organum agat, sed vt priuatus homo ac consequenter mendax, & qui non solum deceptus sit, sed etiam alios decipere queat: id enim mendax significat.

Opportune seu suo tempore secundùm Ecclesiæ exigentiam, & necessitatem, id elicitur ex verbis Christi Luc. 22. *Expetiuit vos vt cribrararet*, quâ metaphora agitationem nouæ doctrinæ aut scandali in moribus insinuat, vnde Maldonat exponit vocem *conuersus*, quando opus erit si quis aliquando in fide titubabit, ratio hoc euincit, quia Christus promittit Pontifici se adfuturum quando sedebit iudex controuersiarum fidei, iudex autem non sedet nisi cum lis intentata est, vide Canum,

lib. 6. cap. 8.

Sic agens Pontifex infallibiliter docet, estque recta, & viua regula fidei, & sanctorum morum iudexque legitimus controuersiarum, & ideo ad Ecclesiam Romanam seu ad Papam necesse est omnem conuenire Ecclesiam *propter potentiorem principalitatem*, ait Ireneus Primatus Petri cui succedit Romanus Episcopus hanc illi confert prærogatiuam iudicis infallibilis, quod singulares Episcopi, nec eorum collectio absque Papa non habet. Quod vero Nouatores seclusâ regulâ viuâ putant se sistere posse, vel in afflatu interno vniuscuiusque, vel in scriptura, vel in traditione, pinguis hallucinatio est, ex afflatu enim interno in iudicem admisso nullus erit litigandi finis. Ex scriptura, quia de eius vero sensu possunt oriri dubitationes, quæ per ipsam scripturam, quippe mutam erunt inexpedibiles, idemque erit de Traditionis interpretatione.

Porrò stupidè, & calumniose Sectarij ex eo quod admittamus Papam esse iudicem in causis fidei, inferunt nos tribuere ei iudicium. An articuli fidei sint admittendi, itemque ei tribuere potestatem nouos condendi, verùm hæc omnia ad calumniam pertinere rectè statuit Bellarm. in Apologia pro iuramento fidelitatis, neque enim asserimus Catholici, Pontificem posse aliquid statuere, quod articulos fidei iam exploratos reddat ambiguos, imò ipse sicut, quilibet è plebe citra omnem iudiciarium processum debet eos admittere. Itaque tantùm dicimus cùm dubitatur an aliquid ad fidem pertineat, Pontificis esse iudicium suum interponere, & quid ex fide tenendum sit pronuntiare.

Similiter non asserimus Papam posse nouos fidei articulos condere, id est propositiones nouis immediatis reuelationibus diuinis Ecclesiæ factis nixas, & Catholica fide credendas exhibere. Hoc nemo Catholicus commentus est. Nam fides Catholica immediatè à Deo Prophetis, vel à Christo tradita est Apostolis, & idcirco Ecclesia dicitur constructa super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & Dominus dicitur, *narrat us in scripturis principum* Psalm 86. *qui in Ecclesia fuerint*, id est ex Hieron. Rupert. Apostolorum, & Euangelistarum.

Asserunt ergo duntaxat Catholici posse Pontificem verbum Dei scriptum aut traditum proponere authenticè, ita vt deinceps certum sit hoc esse verbum à Deo profectum. Item asserunt posse Pontificem de nouo tradere verum sensum verbi Dei scripto, vel traditione comprehensi, vt rectè notauit Hugo Etheria. lib. 3. contra Græcos cap. 16. Ad hæc agnoscunt Catholici posse Pontificem è vero Dei verbo sic comprobato eruere propositiones, quæ non quidem prout deductæ, siue prout substantes consequentiæ logicæ; sed prout explicatæ, hoc est spectatæ per seipsas, & prout immediatè substantes diuinæ reuelationi in eas iam cadenti, abjecta negotiatione intellectus humani ratiocinantis credantur fide diuina. Hæc dicimus posse de nouo à Pontifice statui circa fidem.

Quæ verò ne implicitè quidem ac virtualiter sunt reuelata, ita vt possint certò, & euidenter erui ex propositionibus immediatè reuelatis, non possunt de nouo ab Ecclesia reponi inter dogmata fidei.

Dices, contra infallibilitatem Papæ multi canones docent Papam non posse iudicari nisi inueniatur deuius à fide, ergo potest à fide deuiare. Antecedens patet ex can. Si Papa dist. 40. Ex Conc. 5. sub Symmacho ex Conc. 8. generali act. 7. ex Anaclet. Epistol. 3. Innocent III. in serm. 2. de consecr. Pontificis.

Respondeo 1. istos omnes canones loqui de errore pontificis personali, non iudiciali. Nec nego quin Papa possit esse hæreticus; ideo canones isti ad maiorem cautelam addunt hanc conditionem iudicari posse, si fiat hæreticus. Quod autem Pontifex priuatim spectatus errare possit circa res fidei non modo ex ignorantia, (quod vnum concedunt, Albertus Pighius lib. 4 hier. Eccl. cap. 8. Suarez tract. 1 de fid. disp. 10. sect. 6.) sed etiam errando cum contumacia, ita vt possit Papa priuatim esse hæreticus etiam exteriùs, quod rectè admittunt Cajet. tomo. 1. Opusc. tract. 2. p. 2. cap. 13. Duuallius tractatu de Pont. d. 2. q. 1. Torres t. 1. in 2. 2. disp. 16. dub 1. nec est certè vlla Christi promissio de ea Pontificis prout hominis priuati indefectibilitate in fide. Idque voluit Ecbertus serm. 10. aduersus Catharos cum pro indefectibilitate Romanæ sedis, quoad fidem acriter pugnans addit, si aliquis Romanorum Pontificum in fide errauit (nempe priuatim etiamsi exterius) illico, vel à Deo obtritum esse morte præpropera, quod ait Leoni Papæ tempore Arrianorum accidisse, vt habent acta S. Hilarij, vel ab Ecclesia gradu motum, & in ordinem redactum esse, quod ait accidisse cuidam alteri, quem non nominat, nec reuera nominari potest, quia nullus est. Quæ enim Dei benignitas fuit, nullus vnquam Pontifex verus, & indubitatus errauit circa fidem etiam, vt priuata persona. Si autem Papa sit hæreticus, solum erit negando aliquam veritatem antea definitam, non autem potest esse hæreticus dum ipse aliquid noui definit, tunc enim non sentit contra aliquid definitum ab Ecclesia: Canones autem citati loquuntur expresse de her. igitur non loquantur de errore iudiciali, sed personali Pontificis.

Instabis si solus Papa potest definire dogmata fidei, ergo frustra fiunt Concilia, vel certè non sunt necessaria.

Respondeo id non sequi, nam etsi in Pontifice sit infallibilitas, tamen ipse, vt dixi, non debet contemnere media humana, quibus deueniri potest ad veram rei cognitionem, de qua agitur: medium autem ordinarium est Concilium maius vel minus pro qualitate rei, id quod patet primo exemplo Apostolorum: nam certè tam Petrus quam Paulus; poterant etiam soli quamlibet controuersiam definire infallibiliter, & tamen Concilium conuocarunt Act. 15. Deinde definitiones de fide pendent maximè ex Traditione Apostolica, & consensu Ecclesiarum, ad quam cognoscendam conuocantur Episcopi, vt quisque consuetudinem suæ Ecclesiæ referat. Tum Episcopi subscribunt decreta, sicque faciliùs ea amplectuntur.

Ad

Ad hæc nota in iudicio & quæstionibus de facto Papam & Concilia errare posse, quia hæc pendent ab hominum relatione & informatione, hincque Concilia quæ multos habent informatores facti, verbi gratia, in causis Episcoporum, aut aliorum, qui de aliquo crimine accusantur minus errare possunt, quàm ipse Pontifex: nam Papa non habet assistentiam infallibilem Spiritus-S. in rebus humanis, sed tantùm in iudicio & decretis fidei, quæ sola fuit causa Orationis Christi.

DIces, Petrus negauit Christum. Marcellin.thus dedit imagini Iouis Capitolini. Liberius subscripsit proscriptioni Sancti Athanasij, qui propugnabat consubstantialitatem Verbi diuini contra Arrianos, Valétem specialiter & Vrsatium, quæ subscriptio magnum peperit scandalum, nec-non & communicatio quam habuit cum hæreticis. Ergo iudicium Papæ fallibile est.

Respondeo, Petrum cum negauit nondum fuisse inuestitum Papatu tradito ei post Ascensionem Ioan. 21. *Pasce*, tum ore tenus fuit hæc negatio & ex mortis apprehensione, sicut & thurificatio Marcellini & subscriptio Liberij facta in exilio ad quod ablegatus fuerat ob constantiam resistentiæ facta Constantio Imperatori Arrianorum fautori in Concilio Mediolanensi cum biennio exilio fatigatus in Berea Thraciæ mansisset, dicitur consensisse damnationi Athanasij, at huic non sola fides, sed crimina objiciebantur, propter quæ poterat consentire. Vide Baronium anno 357. Sanderum libro 7. visibil. Monarch. Coccium tom. 1. libro 7. articulo 11. quomodo purgent eum, nec-non & Felicem, qui ei subrogatus fuit Romæ.

Instabis, Honorius I. circa annum 625. accusatur Monothelismi ob duas Epistolas Sergio eius hæreseos Authori scriptas, quæ habentur in sexta Synodo Act. 12. & 13. in quibus docet non esse credendum, quod in Christo sint duæ voluntates, & duæ operationes, quæ Epistolæ combustæ fuere in decima tertia actione Synodi sextæ generalis Constantinop. & in sequentibus actionibus reperitur eius damnatio. Agato Papa dicit anathema Honorio tanquam Monothelitæ, Leo II. in Epistola ad Constantinum Imperatorem execratur Honorium tanquam Sedis Apostolicæ contaminatorem hæresi sua. Septima Synodus actione vltima dicit anathema Honorio, Sergio, & cæteris Monothelitis.

Respondeo, hæc omnia longo tempore me obruisse, & inextricabilem nodum obiendisse; hæresim enim impingunt ei Canus 6. de locis, capite vltimo. Franciscus Turrianus opusc. de sexta Synodo. Hieronymus à Rua, controuers. 3. Turrecremata libro 2. de Ecclesia, capite 93. respondet damnatum Honorium ex falsa informatione, & proinde Concilium, & subsequentes errasse in facto, licet in definiendo iure vel re fidei nequeat errare Ecclesia.

Osius & Bellarminus Cardinales respondent litteras illas Honorij confictas fuisse, & insertas Concilio generali à Græcis hæreticis; nam in huius sexti Concilij actione duodecima & decima quarta dictum fuit, quod in actis quintæ Synodi in eius septima actione pleraque per falsarios inserta fuerant, quod Græci frequenter faciebant; sicque tenet Anastasius Bibliothecarius in sua historia ex Theophane Isauro Græco; mos enim erat Græcis corrumpendi libros, & Leo in Epistola octogesima tertia ad Palestinos conqueritur de Græcis, quod Epistolam suam ad Flauianum se adhuc viuente corruperint. Purgant Honorium ab hoc næuo, Ioannes Papa apud Anastasium initio collectaneorum. Sanctus Maximus in disputatione contra Pyrrhum, & quotquot illorum temporum res gestas, scripsere, Blondus Æneas Syluius, Sabellicus, Nauclerus, Platina, qui notant Honorium primum fuisse, qui Monothelismum condemnarit, ac ipso authore factum vt Imperator Heraclius in hunc lapsus ab errore resipisceret, ac Pyrrum per quem seductus fuerat relegaret in Africam. Theophylus Raynaudus scribit assumentum esse Græcanicum malignè Concilio sexto attextum quod illud damnauerit Honorium.

Et verè miror, quod Concilium sexginta annis post mortem Honorij habitum ipsum, de cuius Epistolarum sensu dubitare poterat dato quod sint eius vt legebantur damnet.

Respondeo autem ad instantiam, quod si Honorius aut Papa docet priuatim aliquid erroneum non est id petræ, de qua Christus loquitur cùm Papatum instituit impingendum. Vide Bellarminum libro 4. cap. 11.

Sicque non moueor, quòd Ioannes XXII. reprehendatur à Gulielmo Oxam in opere 93. dierum, & ab Adriano in quæstione de Confirmat. docuerit, animas Beatorum non visuras Deum ante Resurrectionem (quæ enim allatrat Caluinus asseruisse animas mortales imposturæ & malignitatis sunt) hoc enim sensit quando adhuc sentire licebat sine periculo hæresis; nulla enim præcesserat Ecclesiæ definitio quam successor Benedictus XII. fecit, & constat ex Ioanne Villano libro 11. histor. capite 19. Ioannem XXII. pridie ante mortem affirmatiuam sententiam probabiliorem dixisse, seque submittere Ecclesiæ, si quando rem definiret, quæ retractatio apertè docet Ioannis mentem semper bonam & Catholicam fuisse.

DIces, octauum, nonum, & decimum sæculum corruptionem Sedis Papalis tam apertè demonstrare (cùm quinquaginta Pontifices per 130 annos; ait Genebrard. in Chronico anno 901. aut per 250. ait Sigonius adulteros, simoniacos, homicidas prauis artibus Sedem Romanam occupasse testetur,) & annuat Baronius scribens anno 912. *Quæ tunc facies Romanæ Ecclesiæ quam fœdissima cùm Romæ dominarentur, potentissimæ ac sordidissimæ meretrices, quarum arbitrio Sedes mutarentur, &c & intruderentur in Sedem Petri earum amasij Pseudo-Pontifices*, vt vix intelligi possit illos plurimos non errasse in fide, & excidisse ab infallibilitatis priuilegio, & si Papatus includit Episcopatum, quomodo Benedictus IX. puer decem annorum, filius Comitis Tusculani anno 1033. intrusus est in Sedem Petri, ad cuius intrusionem Glaber ait, *ingemuisse orbem Catholicum.* Ægrè enim ferebat pater à domo sua alienari Pontificatum iam duorum germanorum suorum fratrum Benedicti VIII,

cti VIII. & Ioannis XX. stabilitum. Romani autem pecunia corrupti in filium consenserunt, quod autem pro legitimo Papa sit habitus, patet ex legatione quam anno octauo sui Pontificatus habuit Polonorum, vt Casimirum Poloniæ hæredem, qui Cluniaci Monachus professus & Diaconus agebat, & de regni oblata susceptione, ob id se excusabat; dispensaret; quod fecit, permittendo ei vxorem ducere, & successores regni generare, in gratiam autem beneficij concessi promiserunt Legati pendere Sedi Apostolicæ annualiter nummum ex capitibus nobilium collectum, & cæsariem capitis barbaro more non amplius nutrire. Anno 10. Benedictus ob crimina detruditur, non à Collegio, sed à factiosis, introducitur Syluester III, sed post dies 49. deijcitur, & Benedictus restituitur: ipse autem similem timens casum abdicauit & vendidit Papatum Ioanni Archidiacono, qui dictus est Gregorius VI. Otto Frisingensis tradit visos, tunc tres sedere Pontifices diuisis inter se redditibus, vnum ad Sanctum Petrum, alterum ad Sanctam Mariam Majorem, alterum in Laterano, aduenerat post tres annos Henricus II. Rex Germaniæ conuocat in sutria Concilium, accusat simoniæ Gregorium & abdicauit (aliqui tamen obstabant eo quòd Gregorius abdicationem suasisset Benedicto ob honorem Sedis) subrogatus fuit Clemens II. qui aliquot post mensibus obiit, & Benedictus IX. inuasit Sedem tertia vice, tenuítque mensibus octo.

Respondeo primò, fluctuationes & tempestates has iactantes nauim Petri, ortas ex præsumptione tyrannorum, vel Regum, qui sacra sacris relinquere debent; esto autem ambitio prætendentium tragœdias non paruas excitauerit. Inter has autem perstat legitima successio: nam Benedictus qui per coadiutorem sacra obibat, habitus est pro legitimo, nec Syluester annumeratur, Gregorius VI. legitimus erat, & malè ab Henrico fuit abdicatus. Vide Coeffeteum & Gretserum, qui responderunt ad omnia, quæ ex his commotionibus Hæretici eliciunt.

Respondeo secundò, *quæuis morum crimina nihil obstant legitimæ successioni*: nam officium Vicarij non consistit in imitatione vitæ & morum Christi aut Petri, sed in authoritate & potestate sibi ab eo cuius est Vicarius collata positum est; multi siquidem sunt Vicarij, & Proreges, qui nihil minus quàm Reges suos moribus & imitatione præferunt, tamen locum tenentes, & Proreges sunt propter acceptam à veris Regibus authoritatem.

Instabis, perstet successio benè vel malè personalis enim si doctrinæ primariæ seu Apostolicæ successio desit non sufficit, & in intelligibile est, quod inter tot schismata 26. numero ex Onuphrij supputatione, quorum vigesimum quadraginta annos & 26. annos 36. ex Genebrardo, ex Onuphrio autem quadraginta perdurarunt, hæc conseruata fuerit: *Alter enim in alterum censuris sæuiebat*, ait Genebrardus in Chronic. *& tota Respublica Christiana duos tunc habebat Pontifices*, quilibet Cardinales & Episcopos creabat altérque alterius acta irritabat. Ex his Pontificibus in se sæuientibus sine dubio aliqui errant.

Respondeo, non esse errorem in fide, sed violentam tyrannidem in facto, verbi gratia, vt tragœdiam nequiorem Chronologiæ discutiam. Stephanus VI. anno 896. cui in eadem causa adiungitur. Sergius III. Formosum decessorem exhumauit, digitísque quibus datur benedictio truncauit, laicè induxit, & in sepulchro laïco recondidit, actúsque eius omnes annullauit. Sergius verò creatus anno 902. sex à Stephano Pontificibus demortuis ita reprobauit actus Formosi, vt iusserit quos ordinatat Sacerdotes reordinari, cadauer extraxit è tumulo, pœnámque capitalem in Formosum dixit, ac si inter viuos egisset, hincque in Tiberim deiecit, nihil violentius & magis inhumanum legi potest. Rem expono. Ioannes VIII. creatus anno 817. excommunicauerat Formosum ob coniurationem, is ita percitus exit ab vrbe & iurat se nunquam rediturum. Martinus II. anno 882. succedens Ioanni reuocat è Galliæ secessu Formosum dispensat à iuramento & restituit Episcopatui Portuensi, fit Papa. Stephanus VI. ei succedit, qui nesciens, aut ex odio nolens credere absolutum fuisse Formosum à iuramento tuetur lectionem eius irritam fuisse, actus eius rescindit, idémque iterauit Sergius III. quod tamen Romanus I. Theodorus II. & Ioannes IX. qui Formoso breuiter successerunt non sunt arbitrati, imò Ioannes IX. Concilium Episcoporum septuaginta quatuor Rauennæ adunauit, in quo actus Formosi, vtpote canonicè electi approbauit, & actus Stephani VI. aduersùs eum reprobauit. Tota ergo opinionum contrarietas fundatur in quæstione facti, circa quod & Pontifices, & Concilia errare possunt ex praua informatione, & testium depositione aut præsumptionibus. Errauit autem Stephanus in reordinatione, nec-non & Sergius, ex insolentia & furore potiùs quàm ex determinatione: nam Formosus etsi degradatus fuisset, nec Sergio aut Stephano constaret de rehabilitatione, non ignorabant eum insignitum fuisse indelebili caractere Episcopali, & plena Ordinis potestate. At neuter fecit decretum de reordinatione ordinatorum ab Episcopo degradato, sed tantùm ex passione iræ & odij id malè fecerunt Luitprandus notat hæc facta; quia Formosus arcuerat à Papatu Stephanum VI. qui & contra Formosum aliquot diebus Antipapa sederat anno 891.

Dices, vt priuilegia præsumpta Monarchici regiminis, infallibilitatis in iudicio, &c. competant Romano Pontifici, verbi gratia, Alexandro VII. hodie sedenti debet constare de iure eligendi Papam hodie ad Cardinales deuoluto, quod Christus neque Petrus eis concessit; ab initio autem non fuisse sic, testatur historia, vt hoc soluatur sit.

Quæstio V.

De Canonizatione Sanctorum ex sententia Papæ.

Apposité hic tractatur hæc quæstio omninò spectans ad infallibilitatem iudicij, seu

ſeu ſententia papalis : Canonizatio enim definitur *Publicum Eccleſiæ teſtimonium, ſeu definitio Papæ de vera ſanctitate & gloria, ſeu beatitudine alicuius Chriſtiani iam defuncti, qua decernuntur ei honores iſti.*

Primò, vt ab omnibus publicè dicatur, & habeatur Sanctus, & Beatus.

Secundò, vt inuocetur in publicis Eccleſiæ precibus & priuatis fidelium.

Tertiò, vt Templa & Altaria in memoriam eius Deo dedicentur.

Quartò, vt Sacrificia tam Euchariſtiæ, quam laudum & precum, quod vulgò Officium, ſiue Horæ Canonicæ nuncupatur, in eius honorem publicè Deo decantentur.

Quintò, vt dies feſtus in eius memoriam celebretur.

Sextò, vt eius icon, ſeu imago pingatur addito quodam circulo vel lumine circa caput in ſignum gloriæ, quam habet in cælis.

Septimò, vt eius Reliquiæ thecis pretioſis includantur & publicè colantur, hincque memoria, ſeu ſepulchrum eius viſitatur, appenduntur vota, accenduntur cerei, & Dei gratia per eius merita implorari ſolet.

Habemus autem ex Scriptura Deum velle glorificari apud homines in terris, quos iam glorificauit in cælis inter Angelos : nam in Eccleſiaſtico cap.44. *Qui de illis*, ſcilicet viris glorioſis, ſeu magnis virtute *nati ſunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum, ſapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Eccleſia.* Et plura alia leguntur in commendationem virorum illuſtrium, habentúrque encomia Patriarcharum vſque ad caput 51. In Teſtam. nouo Lucas honorificè commendat in lib. Act.SS. Stephanum, Iacobum maiorem, Petrum, Paulum, Barnabam, Silam, & alios; vnde infertur Deum velle deinceps idem fieri in Eccleſia, vbi enim par eſt meritum & ratio faciendi, idem fieri debet; nam honorandi ſunt ab hominibus, qui à Deo ipſo honorantur; honor enim annexus eſt virtuti, aut ſaltem eam ſequitur tanquam vmbra corpus. Tum hoc vtile nobis eſt, & ſtimulus imitationis, vt docet Apoſtolus Hebr.13. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui loquuti ſunt vobis verbum, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.* Quod non poſſumus facere niſi in particulari ſciamus, qui ſint imitandi, & in quibus, id autem manifeſtatur ex ſolemni qua recoluntur memoria in Officiis diuinis, quibus Sancti inſeruntur per definitionem Pontificis. Tum ad id mouet coniunctio & affinitas, quam cum Sanctis prædeceſſoribus & fratribus noſtris in Chriſto habemus, ſiquidem vt dicitur Roman.12. Epheſ.4. *Membra ſumus vnius corporis.* Membra autem & compatiuntur, & congaudent, id autem ſine notitia aut paſſionum, ſeu victoriarum & gloriæ eorum, quos certo iudicio Eccleſia diſcernit fieri nequit, quare neceſſaria eſt Sanctorum Canonizatio quam Apoſtolus Hebr.11. virorum illuſtrium, qui fide, de mundo, carne, & diabolo triumpharunt videtur facere, dum glorioſum de ipſis texit catalogum addendo tamen. *Deo pro nobis melius aliquid prouidente.* Quaſi dicat priuilegium reſeruatum eſſe Legi Euangelicæ, vt cælo reſerato per Chriſti mortem, Sancti Euangelici illud mox ingrediantur à deceſſu, & quam primum canonizari & celebrari poſſint & debeant, & ſine dubio hæc ratio mouit Eccleſiam, vt Sanctos illuſtret à poſtliminio celebraret, ſic à primo Chriſtianitatis æuo obſeruo Eccleſiam Latinam in Martyrologio, & Græcam in Menologio Martyrum, Sanctorúmque heroïcos agones celebraſſe, & poſteris imitandos propoſuiſſe.

Atque hæc fuit prima Martyrum, Sanctorúmque canonizatio, quam deinde ſecuta eſt particularis illa & ſolemnis quæ de more fit à Papa, quæ ſola iam in Eccleſia vſurpatur, & meritò; nam prima non habebat infallibilitatis iudicium, quod ſoli Petro in vim orationis Chriſti conceſſum legimus, nec illa erat generalis pro tota Eccleſia, ſed intra limites alicuius Prouinciæ, vel Diœceſis terminata erat, & ex conſuetudine tantum tolerata, à qua tantùm vim habebat, ſicut quædam conſuetudines ſæculares vim legis habent ex tacito conſenſu Principis, hoc expreſsé docet Sanctus Thom. 1. 2. quæſt.97. *Sancti*, inquit, *alicuius cultus ex conſuetudine Eccleſiarum generaliter introductus, vim habet ex approbatione tacita, vel expreſſa Summi Pontificis.*

Hoc modo quilibet Epiſcopus in Diœceſi ſua olim præconiſabat Sanctos. Vnde Cyprianus libro 3. Epiſtola 6 annotari iubet dies eorum, qui fidem Chriſti ſanguine & vita profuſa confirmarunt, *vt commemoratione eorum* inquit, *inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Sanctus Gregorius Epiſtola 29. ad Eulogium libro 7. hæc habet. *Nos penè omnium Martyrum diſtinctis per ſingulos dies paſſionibus collecta in vno Codice nomine habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus.* Vnde liquet Veteres feſta Martyrum celebraſſe quotannis quotannis in die Martyrij eorum Miſſam celebrando, in eáque eorum nomina commemorando & inuocando, atque inde factum eſt, vt in Canone Miſſæ, non niſi Martyrum nomina poſita legamus. *Communicantes, & memoriam venerantes in primis glorioſæ, ſemperque Virginis Mariæ, ſed & Beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum.* Quocirca pridie diei Natalis eorum, annuntiabantur nomina eorum in Eccleſia (vt hodie fit in Martyrologio) quorum Natalitia recenſenda eſſent die ſequenti in Miſſa. Has Eccleſiaſticas Tabulas Tertullianus libro de corona militum *Faſtos* appellat. Porrò Miſſas has celebrabant in Altaribus ſuper corpora, & ſepulchra Martyrum erectis, indéque vocabant ipſas Eccleſias *Martyria*, quaſi ſcilicet Martyrum ſepulchra & monumenta. Pluribus hæc omnia demonſtrat Baronius præcapitulatione in Martorologio Romano capit.4. Idem ab olitanis temporibus fecere Græci Sanctos ſuos recolentes in Dipthycis & Menologiis, ex quibus Innocentius Papa radi iuſſit Arſacium, qui intruſus fuerat in locum Sancti Ioannis Chryſoſtomi. Olim etiam introducta fuiſſe ſacris Tabulis nomina Virginum, & Confeſſorum, & modo præfato recitata, teſtis, eſt Sanctus Auguſtinus libro de S.Virgin. capit.45. *Perhibet*, inquit, *Eccleſiaſtica authoritas in qua fidelibus notum eſt, quo loco Martyres, & quo loco defunctæ ſanctimoniales recitentur.* Sic ergo particularis

ticularis inducta legitur Canonizatio, quam ab Apostolis inductam dicere non dubito, cum ipsi festum Sancti Stephani, teste Sancto Clemente libro 2. Constitutionum capit. 33. aut saltem commemorationem in Synaxi instituisse legantur, & Iustinus in secunda Apologia fidem Ecclesiæ explicans tradat eam colere & venerari. *Spiritum propheticum, Angelorum bonorum exercitum*, & sequentium Sanctorum: his tamen vsque ad septimum sæculum obseruatis (vnde Sanctos Basilium, Gregorium, Nanzianzenum, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium sola approbatione populorum, & consensu Christianitatis annuente Pontifice canonizatos colit Ecclesia) Pontifex Romanus canonizationem Sanctorum sibi reseruauit excludendo diœcesanam, vnde hæc est.

PROPOSITIO CATHOLICA.

PApa non errat in canonizatione Sanctorum.

Probatur ex Scriptura Luc. 22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu conuersus confirma fratres tuos.* Ioan. 21. *Pasce oues.* Iam ostensum est hæc Petro dicta, vt capiti Ecclesiæ, consequenter ad successores extendi, oues autem pascit doctrina venerationis Sanctorum quos autem venerari debeant proponit per canonizationem.

Probatur ex Sanctis Patribus, qui vnanimiter docent Papam potiri priuilegio infallibilitatis in doctrina de rebus fidei, cùm agit munus Capitis Ecclesiæ, docétque ex cathedra; quod dixi suprà id fieri cùm Papa proponit aliquid tanquam ex fide credendum, vel honestè faciendum ab omnibus Christianis volens ad id credendum astringere vniuersam Ecclesiam. Id autem facere censetur cum præconizat solemni ritu aliquem Sanctum, quem inuocandum docet Augustinus Epistola 118. dicit. *Insolentissima insania esse disputare, an sit faciendum quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* vnde libro contra Epistolam fundamenti Fausti Manichæi cap. 5. dicit. *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas.* Probatur ex Bernardo in Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses, vbi loquens de colendis festis in honorem Sanctorum dicit. *Ego quæ accepi ab Ecclesia securus teneo, & trado.*

Ignatio Epistola ad Romanos. *Ecclesia sanctificata & illuminata, & quæ præsidet in loco Romanæ regionis.* Digna qua quis patiatur Græcè ἀξιοπίστευτος, id est *fide digna*, quod & iuxta Bosium libro 18. de signis capit. 3. Idem sonat quod *digna super quam ædificetur*, Mihi pro conclusione sufficit vox *illuminata.* Idem euincitur ex titulis Romano Pontifici attributis à Sanctis Patribus, verbi gratia, *Basis fidei*, à Chrysostomo homilia 2. in Psalmum 50. *firmamentum omnium*, ex Augustino sermone 16. de Sanctis. Crepido confessionis fidei, ex eodem sermone 104. de temp. *Caput Ecclesiæ adamantis naturam firmitate superans.* ex Chrysostomo homilia 55. in Matthæum. *Interpres vocis Beati Petri omnibus constitutus* ex Concilio Chalcedonensi Epistola ad Leonem. *Iudex vice Christi*, ex Cypriani Epistola 55. *Iudex cæli in terreno iudicio*, ex Hilario in Psal. 131.

Probatur rationibus; nam si Papa non determinaret tanquam de fide credendum, quod canonismo præconisatus Elzeatius, verbi gratia, sit infallibiliter Sanctus & Beatus, sequerentur duo incommoda quæ vniuersæ Ecclesiæ multum præiudicarent. Primum quod non Sancti fraudarentur suffragiis viuorum; nam pro canonizatis non licet orare, vt enim dicit Augustinus sermone 17. de verbis Apostoli, *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, & idem intelligendum de omnibus Sanctis canonizatis, docet Innocentius capite cum Marthæ de celebratione Missæ. At si in hoc erraret Papa, defraudaret eum qui habetur Sanctus, & non est, quicumque oraret pro eo. Deinde fraudarentur etiam viuentes intercessionibus Sanctorum; inuocarent enim sæpè damnatos pro Beatis: Præterea Ecclesia peteret sibi maledictionem pro benedictione cùm in orationibus Sanctorum petit, vt sicut illos Deus glorificauit in cælis, sic nobis gratiam largiatur in terris, & quamuis eam maledictionem non peteret nisi materialiter, tamen hoc ipsum videtur absurdum.

Tertio miracula magna & diligenter examinata faciunt rem euidenter credibilem, vt in motiuis fidei pagina 11. docui, at Sancti non canonizantur ordinariè, nisi claruerint magnis & certis miraculis; nam si credimus sine vlla hæsitatione Cæsarem & Pompeium fuisse, quia id testantur communi consensu historici, qui tamen homines fuerunt & mentiri potuerunt. cur non credemus sine hæsitatione, quod testatur Deus ipse per miracula, quando nulla est ratio suspicandi contrarium. Adde ritum singularem præparationis ad excipiendam Dei illustrationem, ipsamque experientiam, quæ nullum vsquam in hoc deprehendit errorem.

Adde quod infallibilitas quam Christus oppignerauit suo vicario fuit germana ratio, cur potestatem canonizandi olim, vt dixi Episcopis communem Pontifices Alexander III. circa annum 1159. & Innocentius III. circa 1198. decreto constituto ad Papam restrinxerint; irrepserant enim ex nimia Episcoporum facilitate abusus quidam, & aliqui falsò Sancti colebantur, vt constat ex capite Audiuimus extra de Reliquiis & veneratione Sanctorum. *Audiuimus quod quidam inter vos diabolica fraude decepti hominem quemdam in potatione & ebrietate occisum, quasi sanctum more infidelium venerantur, cum vix pro talibus in ebrietatibus peremptis orare permittat Ecclesia: dicit enim Apostolus ebriosi Regnum Dei non possidebunt: hominem ergo illum de cætero colere non præsumatis, cùm etiamsi per eum miracula fierent non liceret vobis ipsum pro Sancto absque authoritate Romana Ecclesiæ venerari.*

Et tempore Sancti Martini circa annum 400. quidam pro Martyre colebatur, cuius anima Beato Martino apparuit & declarauit se latronis fuisse pro sceleribus ad furcam addicti, & in inferno iusto Dei iudicio damnatam.

Dices

Dices, ex Augustino, *multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna.*

Respondeo, Lutherum hoc tanquam Augustini euulgasse, quod non extat, ait Bellarminus in eius scriptis, dato autem quod scripserit, vel dixerit, intelligendum dico de impiis, qui honorantur superbissimis sepulchris, vel de corporibus Sanctorum non canonizatorum, vel de corporibus fraude suppositis pro corporibus Sanctorum, vel denique de Martyribus Donatistarum, qui honorabantur ab hæreticis, vt Martyres, cùm eorum animæ verè torquerentur in inferno, vide ad hæc Sanctum Thomam quodlibeto 9. Driedo lib. 4 cap. 1. de dogmatib.

Instabis, quæ non sunt reuelata, ne implicitè quidem ac virtualiter, ita vt possint certò & euidenter erui ex propositionibus immediatè reuelatis, non possunt denuo ab Ecclesia reponi inter dogmata fidei; ergo quod aliquis extra eos, qui in Scriptura aut verbo tradito Sancti memorantur sit cælo illatus post obitum, non potest Papa tanquam ex fide certum proponere, cùm assertio beatitatis eius pendeat ex vno syllogismo, cuius minor propositio (*nempè iste sanctè obijt*) solis humanis testimoniis potest esse comperta Pontifici, quod pugnat cum assensu fidei præstandæ ei assertioni, & hæc est aperta sententia Sancti Thomæ quodlibeto 9. articulo 16. Caietani tomo 1. opusc tractat. 15. cap. 8. Cani libro 5. de locis, cap. 5 Suaris libro 2. defensionis fidei contra Regem Angliæ cap. 8. & tractat. 1. de fide, disputatione 5. sect. 8. Turriani 2. 2. tomo 1. disputatione 16.

Respondeo cum Sancto Bonauentura, horribile esse ambigere de sanctitate & beatitudine Sancti in Fastos relati, per solemnem canonismum, neque sanum esse mente eum qui refragabitur huic propositioni: nam ex quo Papa conditiones necessarias ad infallibiliter definiendam doctrinam fidei, quæ ex Luc. 12. de dispensatore fideli habentur, vel eruuntur, obseruauit, Deus ex condicto illustrat eum, & testimonio hominum dictamen Spiritus-Sancti ingerit, seu reuelationem, qua singulari lumine nouit hanc propositionem *Iste Sanctus obijt*, quod vt beneuolus Lector certo certius habeat, expono formam Canonizationis & modum, quem Sedes Apostolica obseruat in informatione & processu de sanctitate illius qui requiritur canonismo donandus.

Primus quem legimus à Pontifice solemni ritu canonizatum fuit Sanctus Suuibertus primus Episcopus Vverdæ, qui Frisones Hollandos: aliósque Germaniæ populos in fide Catholica instituerat. anno Domini 803, Leo III. venit à Colonia Vverdam, & tandem deuoluta instantia Caroli Magni, & Hildebaldi Archipræsulis Coloniensis, ibi post alias solemnitates Sanctum Suuibertum solemniter Sanctorum Confessorum catalogo adscripsit pridie Nonas Septembris, sic scribit Sanctus Lugderus, & Marcellin. Presbyter in vita Sancti Suuiberti, vide tomo 2. Surij, & instituit illum diem ab incolis festiuè celebrandum, atque ad diuina confluentibus Indulgentias concessit, túncque à Carolo Magno aliísque adstantibus dona oblata fuere ad conficiendam pretiosam capsulam in qua Sancti Reliquiæ asseruarentur.

Secundus fuit Sanctus Vdalricus Episcopus Augustanus, qui fuit canonizatus anno Domini 993. à Ioanne XV. patet ex Bulla canonizationis eius, Anno 1134. Innocentius in Concilio Pisano retulit in Sanctorum numerum magnum illum sanctitate insignem, atque etiam post mortem miraculis clarissimum Hugonem Episcopum Gratianopolitanum, qui nuper ex hac vita octogenarius migrauerat de eius canonismo facto de totius Concilij consensu extant Innocentij litteræ ad Guidonem Priorem Chartusiensem, qui vitam eius de mandato Papæ descripsit.

Anno 1173. Alexander III. audiens à Legatis suis miracula noui Martyris Thomæ Episcopi Cantuariensis habita apud Signiam diligenti consultatione cum Cardinalibus, aliísque Ecclesiæ Catholicæ Antistitibus cum solemni ritu in numerum Sanctorum Martyrum retulit die primo Quadragesimæ, hac de eius canonizatione litteras priuatas scripsit ad Clerum Cantuariensem, aliásque publicas ad vniuersos Christi Fideles. Idem Alexander Papa, Sanctum Bernardum inter Sanctos adscripsit, subsequenter Gregorius IX. Sanctos Dominicum, Franciscum canonizauit, & Elizabetham filiam Regis Vngariæ, aliique Pontifices alios Sanctos.

Ritus hodiernus talis est. Cùm peruulgatur fama publica, & ex certis miraculis sanctitas alicuius defuncti propalatur, porrigi solet Sedi Apostolicæ ex parte Principum, vel Regum, vel Communitatum humilis supplicatio, vt talem Sanctorum fastis adscribere dignetur. Ad hæc Papa de Consilio Cardinalium committit per Breue aliquos Episcopos, vel Prælatos, vt informationes diligenter instruant de sanctitate & miraculis N. præscriptum tenorem interrogatoriorum, iuxta quem legitimi testes examinandi sint legi ab Vrbano V. 1363. emanatum pro informatione super vita & miraculis Beatæ Dephinæ, sicque in aliis fieri solitum est: præstito scilicet ab eis iuramento veritatem dicendi super interrogationes, quomodo sciant quo tempore, quo anno, quo mense, quo die, & quibus præsentibus, quo loco ad cuius inuocationem, & quibus verbis interpositis, & de nominibus eorum circa quos miracula facta dicuntur, & si eos antea cognoscebant, & quot diebus antea viderunt ipsos infirmos & fuerunt sani, & de quo loco fuerint oriundi, & verba testis cuiuslibet plenè & distinctè fideliter redigantur in scriptis.

Informationes transmitti solent per deputatos hos Commissarios, ad Pontificem, quæ repræsentantur Consilio Cardinalium, à quo ordinariè alios Commissarios deputari resoluitur. Iterum reuisuntur informationes, hásque Pontifex tradit Consulibus & Consiliariis iustitiæ suæ, vt constet de probatione an sit sufficiens, & in forma qua pro tali habita Papa iterum committit tres Cardinales Episcopum, Presbyterum & Diaconum ad verbalia singula examinanda, conferenda, & rigorosè discutienda, an sufficiant ad fidem certam faciendam, & omninò indubiam. Fit huius examinis propositio in Consistorio, & dicitur primo de excellentia vitæ & fidei puritate N. & consequenter de sufficienter probata narratione miraculorum

lorum eius, sicque componitur historia de Sancto, deinde deliberatur si præfata sufficiant ad canonizationem: hóeque vnanimiter asserto Papa verificat & approbat ex fine vitæ Sancti & subsequutis miraculis historiam, seu legendam N. & concludit faciendam canonizationem, sic autem postea proceditur.

Publicum celebratur Consistorium,& sedés Papa in mitra, Patronus Orator vitam & miracula N. enarrat, & ideò nomine Principis aut Communitatis, supplicat humiliter suam sanctitatem, vt N. canonizet, decernátque à cunctis fidelibus pro Sancto haberi & coli. Hinc Papa habet Consistorium secretum omnium Prælatorum Romæ, quos ad orandum enixè diuinam Majestatem inuitat, & vt sensum proprium in conscientia ingenuè aperiant: si vnanimiter concluditur canonizatio. Papa diem assignat & locum. Ipso die Pontifex in Templo destinato genuflexus aliquantulum orat, deinde ascendit ad thronum, ibique Cardinalium Prælatorum, Nobiliúmque suscepta reuerentia ad cathedram contra Altare positam descendit, ibique præconizat Sanctum, cuius vitam & miracula enarrat, inuitátque adstantem cœtum ad orationem, ne Deus permittat Ecclesiam suam errare in hoc negotio. Genu flectit ipse Litaniam dicit, sine commemoratione Sancti N. qua finita Procurator facit secundam instantiam, cui Secretarius respondet orandum Deum. Post Papa intonat hymnum *Veni creator Spiritus*, quo decantato ascendit thronum, ibíque dicit orationem *Deus qui corda fidelium*, póstque sedet. Tunc tertia vice Patronus, & qui vt plurimum adiunctus est Cardinalis promotor, seu Procurator canonizationis tertiam faciunt instantiam, quibus Secretarius respondet sanctitatem suam piè credere visum & complacitum esse Spiritui Sancto, vt prænominatus N. Sanctorum numero adscribatur. Hinc vnus Prælatorum assistentium alta voce legit sententiam summatim hæc continentem. Quod ad honorem Dei, & exaltationem Fidei Catholicæ, & augmentum Religionis authoritate Dei Patris Omnipotentis, & Filij, & Spiritus-Sancti, & Apostolorum Petri & Pauli de consilio Patrum sua sanctitas declarabat N. esse Sanctum, & pro tali inscriptum catalogo Sanctorum decernens celebrandum eius festum tali die, hoc facto Procurator & Aduocatus gratias referunt suæ sanctitati ex parte Regis N. vel communitatis & humiliter petunt diploma seu Bullam concedi, quibus Papa signum Crucis faciens respondet, *Decernimus*, móxque ex iubilo commouetur populus, concrepant tympana, campanæ, tubæ, tormenta, interea Pontifex intonat *Te Deum laudamus*, qui à Capella Pontificia decantatur post Cardinalis Diaconus versiculum intonat, ora pro nobis Sancte N. cui respondetur, *vt digni, &c.* Papa adiungit Orationem propriam mox Diaconus dicit Confiteor, & addit, atque Beato N. & omnibus Sanctis. His peractis Papa intonat Tertiam quam Chorus decantat. Interea ad Missam celebrandam paratur Papa & specialis Missa appropriatur Sancto à Doctore cathedræ, & ab ipso Pontifice cum oratione singulari. Ad Offertorium magnificæ oblationes præsentantur à Cardinali promotore, & aliis qui nomine Regis institerunt completa Missa conceditur Indulgentia plenaria, & Papa solemniter deportatur in Palatium præcedente Senatu Cardinalitio. Sic celebrata fuit à Gregorio XV. anno Domini 1621. & die 12. Martij in Vaticano canonizatio quinque Sanctorum Sancti Isidori Madritensis terræ cultoris, Ignatij de Loyola institutoris Societatis Iesv, Francisci Xauerij eiusdem Societatis, Teresiæ fundatricis Carmelitarum discalceatorum, & Philippi Nerei institutoris Congregationis Patrum Oratorij; magnificentissima autem facta fuere paramenta ex auro serico pro singulis ministrantibus, & amplissimum theatrum sumptibus Regis Hispaniæ, qui Beato Isidoro soli apparauerat omnia; facto autem theatro placuit suæ Sanctitati canonizare cum Beato Isidoro reliquos quatuor ob summam qua vrgebatur instantiam.

Nota in canonizatione cuiusque Sancti duo Pontifex facit. Primò enim refert in Sanctorum numerum, & eum vt talem Ecclesiæ colendum proponit & sancit. Secundò, eius festum die quo obiit & in cælum transiit, toti Ecclesiæ celebrandum indicit. In nonnullis etiam officium de eodem fieri præcipit, sic in Sancti Bonauenturæ canonizatione, quæ facta fuit 1480. Sixtus IV. ait, ipsum Sanctorum Confessorum Pontificum, & Doctorum consortio aggregamus, mandantes Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, &c. vt festum ipsius secunda Dominica mensis Iulij singulis annis solemniter & deuotè celebrent diuinum officium velut pro vno Confessore, Pontifice, & Doctore, tam publicè, quam priuatim, provt contigerit persoluentes. Franciscanis verò huiusmodi officium sub festo duplici & octaua celebrandi concedimus facultatem. Sic in canonizatione Sancti Bernardini 1450. ait Nicolaus V. ipsum canonizamus mandantes festum in numero Sanctorum Confessorum non Pontificum decantari. Prima omnium cui concessum fuit officium fuit Sancta Brigida, nam Bonifacius IX. in eius canonizatione 1391 sic ait, *Statuentes vt ab vniuersali Ecclesia anno quolibet die obitus eiusdem festum ipsius & officium, sicut pro vna Sancta non Virgine, nec Martyre deuotè & solemniter celebretur.* Simili modo Pius II. in canonizatione Sancti Bennonis, statuit vt ab vniuersali Ecclesia quolibet anno festum ipsius & officium, sicut pro vno Confessore Pontifice die 16. Iunij celebretur. Sic Clemens VII. pro Sancto Antonino Archiepiscopo Florentino festum & officium indixit Sixtus V. pro Sancto Didaco officium de Sancto Raymundo & Hiacyntho indicit Clemens VII. ac de Sancto Carolo Borromæo, & Sancta Francisca Romana Paulus V. in eorum canonizatione.

Qværes, *Cur Ecclesia Sanctos Veteris Testamenti non inscribat albo Sanctorum?*

Respondeo, id non facere, licet Paulus Hebræor. 11. plures eorum celebret, ne iudaïzare videatur, & principaliter quia in cælum non fuerunt ab obitu recepti, sed in pœnam peccati originalis mors eorum non fuit natiuitas ad gloriam, sicut Sanctis Ecclesiæ Catholicæ, qui liberi à quauis culpa & pœna introierunt in cælum, & ob hanc causam dies obitus eorum solemnis est apud Christianos, Reliquiæque

que corporis eorum quod organum fuit Spiritus-Sancti & vas animæ beatæ religioso cultu coluntur. Nihilominus Ecclesia mentionem facit in Martyrologio Ionæ Prophetæ, quia assumitur figura mortis & resurrectionis Christi, Simeonis quia circumcidit eum VII. Fratrum Machabeorum & matris fit memoria 1. die Augusti, quia vt refert Isidor. lib. Allegoriarum significant gratiam septiformem quæ ab inimicis Christi multam Martyrum segetem pertulit & gloriam cœlestem accepit. S. Iobi meminit, quia Euangelicus Propheta reputatur resurrectionis mortuorum & beatitudinis integræ corporis & animæ in veteri missali Parisiensi habetur Missa propria de S. Iob, aliorumque Prophetarum fit commemoratio suis diebus hos enim ob specialem rationem Ecclesia Græca rubricat in suo Calendario & festiuè plurimos colit.

QVÆSTIO VI.

De Forma eligendi Papam sæpe variata.

DEcem & septem mutationes in forma eligendi Pontificem Romanum intra tempus mille centum quinquaginta nouem annorum profert historia temporum, vsque ad electionem Alexandri III. Senensis creati anno 1159. à 22. Cardinalibus cui tres alij Cardinales Antipapam dederunt nomine Victorem, hinc Alexander legem sanciuit quæ in Concilio Lateranen. primo acceptata fuit, vt non sufficiat maior suffragiorum pars, sed requirantur duæ partes conuenientium Cardinalium, quæ hodie viget.

Primus modus eligendi Pontificem est vt Pontifex per se eligat successorem suum, quod solus Petrus qui plenam à Christo iurisdictionem acceperat fecisse notatur qui cum intra tempus 24. annorum mensium quinque & dierum 12. Pontificatus Romani varias ageret profectiones in vicinas ciuitates pro fidei propagatione Linum qui primò fuerat S. Pauli Diaconus vt coadiutorem Romæ in Pontificalibus sibi adiunxit, idemque multi asserunt de Cleto, quos volunt martyrio sublatos ante Petrum, consequenter non successores Petri, nec Papas sed Chorepiscopos seu vicarios tantùm fuisse Petri. At Ignatius Apostolorum contemporaneus restatur Epistola ad Mariam Cassobolirem, Hieron. lib. de script. Eccles. Martyrolog. Roman. die 23. Septemb. Euseb. lib. 3. hist. cap. 28. Nicephor. lib. 2. cap. 18. Canon Missæ certa Pontificatus tempora assignant, vtrique Lino annos 11. m. 2. dies 23. qui capite truncatus fuerit Vespasiani Imper. anno 9. Cleto anno 12. m. vnum, dies 12. qui sub Domitiani anno 10. Martyr. obiit anno à Christo nato 93. de quo traditur in lib. de Rom. Pontificibus, ipsum ex præcepto S. Petri ordinasse 25. Presbyteros in vrbe Roma post hos duos Pontifices suffectus est Clemens Romanus Petri & Pauli antiquus discipulus vt constat ex cap. 4. ad Philippen. præualuit communis narratio quod Petrus nominauerit sibi successorem hunc Clementem, qui tamen noluerit acceptare Pontificatum, nisi post mortem Lini, & Cleti eo quòd fuissent coadiutores & Corepiscopi Petri sed Baronius allegatis conuictus testimoniis Lino & Clero assignat hæc sua quæ notaui sedis tempora. Clemens itaque in Chersonensi exilio Martyrio coronatus est, præcipitatus in mare anchora collo suspensa ne possent Christiani tollere corpus eius & sicut aliorum Martyrum venerari. Cadit ergo eius obitus in annum Christi 102. & Traiani Imperator. tertium. Quod ergo vulgariter dicitur Petrum nominasse suum successorem, Clementem dici debet de Lino.

Secundus modus eligendi introductus est hoc eodem 102. Christi anno, nam increscebat Clerus, vt liquet ex variis in varias partes ordinatis Episcopis & presbyteris per hos tres Romanos Pontifices, Conueniebant ergo Romæ presbyteri (& vt præcipit primus Canon. Apostolorum quos numero 85. collegit Clemens) Episcopus à duobus vel tribus Episcopis audita morte Papæ subrogabant alium, sic electus fuit Anacletus natione Græcus: quia autem pauci erant Christiani, Clerus inducebat ad suffragium electionis populum, Clerus ergo & populus eligebant; Clerus, votum dando, & populus testimonium de probitate eligendi dando.

Tertius modus eligendi sic insurrexit ex adiunctione populi ad Clerum, qui modus satis durauit, saltem in electione localium Episcoporum vt testantur Chrysost. Ambros. Augustin. Leo, Gregor. & patet ex variis scriptoribus.

Quartus modus vt Imperatores & Reges eligerent vel soli.

Quintus vel cum Clero.

Sextus vel cum Clero, & populo vsque ad annum 336. Imperatores non inquirebant de electionibus Cleri sed Constantius filius Constantini imperans & Arrium protegens misit Iulium I. Papam in exilium per 10. menses & Athanasium qui Arrium in Concilio de errore suo conuicerat, fecit condemnari in Conciliabulo Tyrio ab Eusebianis, in quo præualuerunt Arriani, opera Constantij Imper. & in Concilio Mediolanen. omnes Catholici proscripti fuere cum Liberio Papa relegato in Beream Thraciæ: cui Clerus Felicem II. substituit, eo quod Liberius subscripsisset proscriptionem Athanasij. Nondum impeditur Clerus & populus, nec in ipsa inductione Damasi anno 367. licet cruenta fuerit ex seditione & diuisione obortâ Anno 419. Bonifacius eligitur acclamatione totius populi ac consensu optimatum ciuitatis à 70. presbyteris & 9. diuersarum prouinciarum Episcopis: dissensio tamen orta est in Clero cuius pars minor cum plebe Eulalium elegit res defertur ad Honorium Imper. qui vtrumque Rauennam accedere iubet auditosque & causa non terminata vtrumque iussit ab vrbe abstinere propter imminentem Pascham & spoletinum Episcopum misit celebraturum Romæ Sacra Mysteria, deinde iussit expelli Eulalium, clericosque qui post rescriptum imperiale Eulalio communicarent, mulctari eadem pœna, laicos vero honestiores proscriptione seruos capite plecti Bonifacius timens de scissura grauiori post obitum suum

Imperatori commendauit per litteras Ecclesiæ sedem qui rescripsit se effecturum, vt si duo deinceps ordinarentur simul nullus ex illis futurus esset Episcopus, sed ille in sede Apostolica permaneret, quem ex numero Clericorum nouâ ordinatione diuinum iudicium & vniuersitatis consensus eligeret. habentur hæc in Codice Vaticano in quo legitur Eulalium depositum fuisse in Concilio 252. Episcoporum ex Italia & cæteris viciniotibus collectorum, huncque postea factum Nepesinæ Ecclesiæ Episcopum Anno 498. discordant Clerus, & Senatores in electione Symmachi, cui Festus patricius opponit Laurentium presbyterum, recurritur ex condicto ad iudicium Theodorici regis Italiæ Rauennæ commorantis, qui confirmat Symmachum ob anterioritatem & pluralitatem datam suffragiorum Anno 526. Theodoricus Rex Italiæ Arrianus detruso Ioanne Papa (quem ad Iustinum Imperatorem coegerat subire legationem vt Imperator cessaret à vexatione Arrianorum) in carcerem ibique ærumnosè confecto, arrogat sibi electionem summi Pontificis, vt autem suæ ipsius voluntati nulla esset occasio refragandi, quem in Clero Romano probatissimum nouit virum, Felicem III. dictum IV. nominauit anno 33. & vltimo sui regni quem Boëtij socerique eius exconsulum occisione dehonestauit. Successor Felicis Bonifacius II. collegit Concilium in Basilica S. Petri in qua Vigilium Diaconum hoc ambitiosè quærentem successorem sibi delegit, sic enim præsumptam Gothorum Italiæ Regum licentiam de eligendo Papa supprimere credebat, tamen quod contra canones hoc factum esset improbatum (alia Synodo ait Anastasius, facta ab ipsomet Bonifacio) fuit atque rescissum, quod etiam Deo displicuisse notatur, qui Bonifacium citò subtraxit ex hac vita non completis annis duobus. Anno 533. anno 2. Ioannis II. factus est agente ipso Ioanne Senatus consultum contra Simoniacos, (sede enim vacante, multi ad eam malis artibus aditum sibi præparasse notum fuit) hocque confirmandum, pro punitione saltem Laicorum, missum est ad Regem qui imposuit summam pecuniæ, quæ pro confirmatione electorum Episcoporum tam Romani, quam aliorum suæ ditionis constitutorum soluenda esset sub prætextu eandem erogandi in pauperes.

Hic obserua electum Papam non potuisse obire munia pontificalia donec obtinuisset confirmationem regis, qua pendente Ecclesiæ Romanæ cura & totius orbis, consignabatur. Archypresbytero, Archidiacono, Primicerio, & Pontifici electo, illi autem ita subscribebant expeditiones. Hilarius v.g. Archypresbyter & seruans locum sedis Apostolicæ. Ioannes Diaconus & in nomine Dei electus Ioannes Primicerius, & seruans locum Sanctæ sedis Apostolicæ & Martinus seruus Dei Consiliarius Sanctæ sedis Apostolicæ Hoc elicitur ex responsione ipsorum ad litteras Episcoporum Scotorum scriptas ad Seuerinum Papam quem nuncij inuenerunt defunctum & Ioannem IV. electum nondum confirmatum circa annum 638. Anno 535. soluitur hæc summa pro confirmatione Agapeti à Clero electi, Theodatus rex Italiæ minatur Papæ & senatui se omnes gladio peremptururum nisi egerint apud Iustinian. Imperatorem, vt destinatum exercitum de Italia submouerent, Agapetus eiusmodi legationem coactus suscepit & ad itineris expensas vasa Sacra oppignerauit, obiitque Constantinopoli, dum autem audita eius morte Romæ comitia ad nouum Pontificem inirentur.

Anno 536. Syluerium per vim ac metum ordinari curauit Theodatus, anno sequenti Belisarius Roma potitur & claues vrbis ad Imperatorem mittit sicque post annos 60. expulsi sunt Gothi ab eius occupatu Siluerius calumniosè suspectatus quod faueret Gothis, transmittitur in Græciam suffecto Vigilio opera Theodoræ Augustæ, quem Clerus Romanus legitimum non habuit donec sanctè in ærumnis exilij & inediæ defuncto Syluerio an. 540. communi consilio ad euitandum Schisma Vigilium creatunt.

Anno 555. Iustinianus Imperator promouet Pelagium, ex iure inquit, sibi per Gothorum Reges acquisito; sic ille qui pius videri volebat præ cæteris, se maximè impium præstitit, cùm vt lamentatur Gregorius Papa in 7. Psalm. pœnit. non sine certæ pecuniæ oblatione Pontificij Romani probationem fieri concedendam edixerit. Hoc inter persecutiones Ecclesiæ annumerat Greg. Non tamen obnoxij sunt peccato qui eam soluunt, nam est tyrannica vsurpatio, nec emitur ea pecunia Papatus quem Canonica dat electio, sed redimitur liberatio à vexatione, quandoquidem aliter non liceret munus Pontificium obire; nec consecraretur. Anno 684. eligitur Benedictus II. cuius fama permotus Constantinus Pogonatus dictus concessit Romanæ Ecclesiæ vt qui deinceps eligeretur in summum Pontificem, mox nulla expectata Imperatoris confirmatione ordinaretur, vt factum est in Ioanne V. succedente.

Anno 686. Conon creatur, notat autem Anastasius mox directos fuisse Legatos ad Theodorum Exarchum, qui eum de his admonerent, nimirum cum Papæ confirmationem remisissent Imperatores, voluerunt tamen vt non crearetur absque Italiæ Exarchi qui propiùs adesset, consensu: ex quo & illud obortum est malum vt ambientes Pontificatum illum per Exarchi Ministerium quomodocumque consequi conarentur, sæpeque schismata inde conflarentur. quod probatum est mortuo intra annum Conone, nam cùm per tres menses in duas partes scinderetur Clerus & populus pro Theodoro Archypresbytero & Paschali Archidiacono, populo pro illis in factiones diuiso eandemque Clerus, & maxima pars electorum creasset Sergium, Paschalis clanculum Ioannem Exarchum promissis centum auri libris Romam Rauennâ accersiuit, qui repertis omnibus in Sergium consensisse, & ipse Paschali suffragari erubuit veruntamen centum auri libras ab eo sibi promissas ab Ecclesia S. Petri frustra reclamante Sergio immitissimè extorsit.

Anno 767. Constantinus homo laicus sede intrusus est vacante opera Toti ducis Nepesinæ ciuitatis qui fecit eum ad ordines promoueri & Episcopum consecrari & à Viciniorum Episcoporum conciliabulo eius electionem approbari.

probari. Sed anno euoluto occisus est. Toto expulsus Constantinus, & communi totius Cleri optimatum ac populi consensu legitimus creatus est Pontifex Stephanus IV. qui accitis 12. selectissimis Episcopis Gallis Synodum cum Italicis habuit in qua impudens factum Constantini damnatum fuit & in pristinum statum redacti quos ordinarat irritata omnia præter Baptismum & Confirmationem, & ne in posterum talia præsumerent laici nec ex alio ordine nisi qui per distinctos gradus Diaconus vel presbyter Cardinalis effectus esset Pontifex creari posset Canone sancito decreuit. Acta quoque Conciliabuli in quo eiusdem Constantini approbata fuerat electio combusta sunt inquit Anastasius in medio presbyterij Basilicæ saluatoris vbi agebatur Synodus Stephani.

Anno 772. Adrianus Papa infestatus à Desiderio Longobardorum Rege aduocat Carolum magnum qui victum regem transmisit in Gallias, quarta autem die post Pascha 774. antiquam Ecclesiæ Romanæ confirmat Carolus donationem quam fecerat Pipinus pater Exarchatus Rauennatis aliorumque Dominiorum. Hic Sigebertus in Chronico post annos 338. nempe 1112. scripsisse notatur Carolum Papiâ capta rediisse Romam eique datum ab Adriano in Concilio 153. Episcoporum fuisse ius eligendi Romanum Pontificem & vt Archiepiscopi, & Episcopi ab eo inuestituras acciperent, quod nullus antiquioris æui notauit ne quidem ij qui scripserunt res Caroli, vnde iure creditur hanc imposturam à Sigeberto adornatam in gratiam Henrici Imperatoris schismatici cuius partes fouit: accidit autem vt nullo de impostuta facto examine creditum fuerit quod mendaciter protulit Sigebertus inseruitque ab eo Gratianus dist. 63. cap. Adrian: His autem repugnant praxis & leges aliorum post Carolum Imperatorem, ipse siquidem Anno 813 Leonis Papæ 18. legem sanciuit pro libertate Ecclesiæ vt electio Episcoporum à prædecessoribus suis vsurpata libera esset fieretque secundum statuta Canonum per electionem Cleri & populi diœcesani: erat tamen solitum vt mitteretur à Rege visitator qui eiusmodi electionibus præesset, nec licebat quidquam prius agi, quòd magnæ rixæ in his accidere consueuissent.

Anno 817. Ludouicus mortuo patre Carolo magno generalem indicit Aquis grani conuentum, confirmat ibi donationem aui sui Pepini & Patris mittit diploma ad Paschalem Papam per Theodorum legatum Romanæ Ecclesiæ signatum à tribus filiis suis, aliquotque Episcopis & Comitibus Electionem & coronationem summi Pontificis liberam Clero ac populo Romano, relinquit nec ad aliud creatum voluit teneri nisi vbi esset consecratus legationem mittere ad Imperatorem qua cum de sua promotione certiorem faceret idque ait Ludouicus ad fouendam mutuam amicitiam pacem & charitatem.

His non obstantibus Lotharius, & Ludouicus filij postea vindicabant sibi ius in electione & consecratione Papæ, sed obstitit eis Leo IV. anno 847. creatus cui successit. *Non Papissa* sed Benedictus III. anno 855.

Anno 867. Legati Ludouici Imper. Romæ commorantes indignantur quòd non fuissent vocati ad electionem Adriani II. eis respondetur id omissum non ex contemptu, sed ne in posterum mos inolesceret expectandi legatos principum, laudauit Imperator per litteras talem electionem Anno 884. Adrianus III. excutit omnimodam Imperatoris in Papæ electione authoritatem hancque liberè debere fieri à Clero & populo Romano decreuit, quod prius edixerat Nicolaus I. habito consensu Ludouici qui Romam venerat anno inquit, Panuinius 858. vt in Conciliis Clericorum nec Imperator nec quiuis alius princeps admitteretur nisi in ipso res fidei ageretur.

Anno 956. Ioannes XII. qui primus mutauit sibi nomen Octauianus priùs vocatus isque Alberici Patricij Romani filius & princeps vrbis, Clericus tamen, electus est Papa cùm nec ætate Diaconus esse potuit nec pubertatem plenam expleuisset, sed perditissima illa tempora hunc admittendum suaserunt magis quàm Ecclesiam schismate scindere, cuius relata scelera audiens Otto cùm iam sedisset annos 8. excusans in adolescentulo dicebat. *Puer est, facilè bonorum mutabitur exemplo virorum* aduocatur à duobus Cardinalibus Otto vt liberet, inquiunt gregem Domini ab impio Papa, venit Imperator quem inunxerat Ioannes præcedenti anno, fugit Ioannes timens depositionem in Concilio, quod Otto instante Clero & populo iniit apud S. Petrum, eligitur Leo VIII. quem adhuc laicum fuisse hominem scribit Sigebertus protoscriniarium tamen Ecclesiæ. In ista Pseudosynodo sub pseudopapa Leone celebrata refert Gratianus factum Canonem quo facultas Ottoni Imperatori eiusque successoribus Italiæ Regibus data est eligendi atque ordinandi Pontifices Romanos aliisque Archiepiscopis & Episcopis inuestituras tribuendi. Quam quidem constitutionem si verè facta fuerit nullius tamen esse roboris constat quòd à legitimo Papa non sit promulgata, & quòd annullata sit hæc Synodus Leoque expulsus à Romanis anno sequenti & reuocatus Ioannes.

Anno 964. Mortuo Ioanne sufficitur Benedictus V. quo audito Otto Romam obsidet & fame laborantem cœpit, restituit Leonem & exauctorat Benedictum quem rediens anno sequenti in Saxoniam secum deduxit primo interim in exilium pulsum, moritur Leo Anno 965. Romani mittunt legatos ad Imperatorem pro instituendo quem vellet, eligitur Ioannes XIII. qui cum cœpisset male tractare quosdam proceres Romanos expulsus est à Rotfredo vrbis præfecto, rediit Otto, reuocant Romani Ioannem Otto seuere animaduertit in hostes Pontificis.

Anno 972. succedit Donus tribus mensibus subrogatur Benedictus VI. qui post 13. menses violenta manu capitur à Bonifacio Cardinale Diacono Ferrutij filio scelestissimo, & in carcerem detrusus strangulatur, ipse vero sedem inuasit quam tenuit 13. mensibus sub nomine Bonifacij VII. hunc tamen inter Pontifices non numerant Antiqui, nam Leo Ostiensis lib. 2. cap. 4. immediatum successorem Benedicti VI. refert Benedictum VII. ex Albericis qui inuasorem abire coegit ipse autem prædo Vaticanam Basilicam spoliauit & Constatinopolim petiit qui defuncto Benedicto & suffe-

cto

cto Ioanne XIV. Romam rediit Anno 985. & suorum factione potens Ioannem detrusit in S. Angeli munitionem, quæ tenebatur à suis ibique 4. detentum mensibus fame perire, coegit, ac mortuum exposuit spectandum omnibus pro foribus, iterumque sedem inuasit: sed Deus vltor repentina morte post 4. menses eum percussit & insepultum abiecit.

An. 999. Mortuo Greg. V. Ottonis III. consanguineo qui eundem coronauit, Siluester II. opera Ottonis electus est tanta sede indignissimus, ait Spondanus, vt pote quam scriptis proscidisset de ipso Benno Pseudocardinalis fabulose, scripsit magicis artibus ascendisse sedem Apostolicam, de quo tamen honorifice loquuntur syncronici scriptores.

Anno 1033. tyrannide Alberici Comitis Tusculani ægrè ferentis papatum duorum germanorum Benedicti VIII. & Ioannis XX. successione 20. annorum stabilitum è domo sua egredi, proptius ipsius filius decem annorum intercedente pecunia electus est à Romanis dictus Benedictus IX. sed ab eis postea frequenter eiectus, ac inhonestè receptus ait Glaber cap. 1. & in fine hist. quod intelligè de sæcularibus hominibus, certum siquidem est eum habitum Papam sine controuersia, ab eo enim pallium petiit & obtinuit Hermanus Archiepiscopus Hamburgensis, eiusque successor Beselinus vir sanctissimus.

Anno 1044. Romani, inquit Hermanus huius temporis auctor, Papam Benedictum IX. multis criminatum sede sua pellunt & Siluestrum III. in eius locum statuunt, sed annitentibus Tusculanis proceribus expulsus est, Syluester, & redintegratus Benedictus qui inuisum se cernens Ioanni Archipresbytero Pontificatum tradidit ob pecuniam, traditque Otto Frisingensis tres visos tunc Romæ antipontifices sedere, diuisis inter se redditibus, omnesque flagitiosam vitam duxisse, vnum ad palatium Lateran. Scilicet Benedict. alium ad S. Mariam maiorem, tertium ad S. Petrum solertiâ cuiusdam Presbyteri nomine Gratiani, tres isti cedere à sede Sancta persuadentur data pecunia, & ob id tanquam Ecclesiæ liberator.

Anno 1044. eligitur & vocatur Gregorius VI. magnæ religionis & seueritatis vir, dictus à Gulielmo Malmesburiensi sequentis sæculi scriptore.

Anno 1046. Henricus rex Germaniæ in Italiam cum exercitu veniens, Papiæ Synodum celebrauit, aliamque Sutri in qua erroneorum Pontificum ventilata est causa & simoniæ insimulatum Gregorium priuauit, ac deinde consensu omnium elegit Episcopum Bambergensem natione saxonem, qui Clemens II. vocatus est, quod Henricus sine dubio attentauit: eo quod Romani nullo petito Regis suffragio Gregorium creassent, ipse verò sponte cessit ad vitandum schisma.

Anno 1047. moritur Clemens post nouem menses, Benedictus IX. tertiò inuadit sedem, quam octo menses tenuisse author est Leo Ostiensis lib. 2. cap. 82.

Anno 1048. Imperator Henricus mittit Romam Episcopum Brixiensem consecrandum Papam, qui suffragiis omnium comprobatus nominatus est Damasus II. obiitque 23. die sui Pontificatus, ne autem Benedictum inhiantem iterum subite cogeretur Ecclesia, legationem Cardinales miserunt ad Imperatorem, vt quem sibi vtilem putaret Romam mitteret, vt ex more Consilio Cardinalium in ipsa vrbe Pontifex eligeretur, misit Tullensem Episcopum ex nobili Francorum prosapia oriundum, Brunonem qui à Clero & populo electus, dictus est Leo IX.

Anno 1054. defuncto Leone, missus est Hildebrandus Subdiaconus Cardinalis ad Imperatorem in Germaniam, qui illic vice Cleri populique Romani aliquem eligeret, ac Romam deduceret consecrandum ille petiit ab Imperatore Gebehardum Aistetensem Episcopum, qui 1055. consecratus est Romæ vocatusque est Victor II.

Anno 1059. Gerardus Episcopus Florentiæ Prouincialis, ait Panuinius, eligitur in conuentu senis habito dictus Nicolaus II. qui Romam perductus totius Cleri ac populi consensu collocatus est in sede Apostolica, is mense Aprili habet Concilium in Laterano 113. Episcoporum tradunt Lanfrancus & Algerus, in quo edita est constitutio qua Henrico Regi Germaniæ ius eligendi Romani Pontificis concessum est, ita tamen vt eo non priuaretur Clerus Romanus, imo statutum fuit illud potissimum pertinere ad S.R.E. Cardinales, Episcopos, inde verò ad cæteros quos siue iura siue consuetudo admisissent. habetur apud Gratian. dist. 23. licet cum aliqua deprauatione.

Anno 1061. factiosi comites Tusculani legationem cum muneribus adornant ad Henricum puerum pro nouo eligendo Pontifice. Rex Guiberti Parmensis Cancellarij eius studio Basileæ Synodum indicit, vbi Nicolaus Papa fuit condemnatus, quod audientes Cardinales Stephanum presbyterum Cardinalem ad Regem legatum mittunt, qui ad audientiam non fuit admissus post eius itaque reditum Clerus & populus Romanus crearunt quem putarent omnino ipsi Regi posse placere Anselmum Lucensem, Episcopum aulæ regiæ alumnum Alexandrum II. dictum, Conclamatur in Regis aula iniuriam factam esse Regi, quòd ipso nesciente Pontifex, electus esset Guibertus Cancellarius Cadaloum Episcopum Parmensem, à Vercellensi & Placentino Episcopis eligi procurat, qui Honorius II. dici voluit 15. ex improuiso Romæ cum copiis militaribus apparens castra metatur in prato Neronis & in prima congressione Victor apparuit sed adueniente duce Godefrido Tusciæ duce Parmam spoliatus & profugus rediit sicque regnat Alexander qui comprobatus fuit in Synodo osboriensi in Germania à rege conuocata & conclamata reprobatio Cadaloi.

Anno 1073. ipsa eadem die qua Alexander traditus est sepulturæ electus & acclamatus est Pontifex Hildebrandus, Gregorius VII. nuncupatus qui non solum habuit assensum à Rege, sed & Epistolam qua veniam scelerum quibus verè infamatus erat petebat, quæ extat, hunc postea regno destituit Gregorius Anno 1087. resumpsit insignia quæ deposuerat Papatus Victor III. cui defuncto.

Anno 1088. Subrogatus est Otto Cardinalis dictus Vrbanus II.

Anno 1130. Innocentius II. conclamatus est Papa, cui oppositus fuit à multis Anacletus II.

II. antipapa quem ob quas exercuit violentias & sacri thesauri direptiones vt inde erogans in populum venalem, factionem suam roboraret S. Bernard. Antichristianæ abominationis stantis in loco sancto authorem vocat (quod Nouatores de spurio Pontifice dictum ad quemlibet referant quem Antichristum esse dogmatisant) rebellant anno 1141. Romani contra Innocentium & antiquam vrbis dignitatem ordinemque Senatorum qui iam per multa tempora cessarat constituerunt sicque dominium Vrbis à Papa subtrahunt. Hinc rebellis populus (si credimus Panuinio) excommunicatur & in toto excluditur ab electione summi Pontificis.

Anno 1143. Cælestinus II. eligitur sine interuentu populi & consequenter Cleri ait Thomas Costus abbreuiator Platinæ, deducta ad solos Cardinales electione quod iam Nicolaus II. anno 1059. eorum esse edixerat.

Anno 1159. Alexander III. Senensis eligitur à 22. Cardinalibus, tres autem dissentientes erant quorum duo vnum de tribus post electionem Alexandri procaciter nominarunt qui Victor dictus est & durum fecit schisma quia Fridericus Imperator stetit ab eo eique defuncto subrogauit alium, tandem Venetiis Papa & Imperator pacem ineunt, initur Concilium generale ab Alex. Romæ in Eccl. Lateran. 300. Episcoporum ibique.

Anno 1179. inter alia primum obtinet locum quod ad auertenda quæ in posterum possent oboriri schismata statutum est, vt non haberetur Romanus Pontifex qui non à duabus partibus Cardinalium esset electus. Non instituitur vt soli Cardinales eligant, iam enim hoc inoleuerat sed constituitur vt non sufficiat maior pars votorum seu conuenientium Cardinalium. Hoc ergo ius eligendi deuolutum esse ad ipsos Cardinales non est amplius sub lite ipsumque à B. Petro per Alexandrum III. de consensu Concilij generalis datum ipsis Cardinalibus, consequenter à Christo qui B. Petro dixit, *Pasce oues meas*, non est dubitandum.

Qvæstio VII.

De Cardinalibus.

CVm ex supra dictis ad Cardinales (quos Vrbanus VIII. anno 1630. die X. Iunij ex decreto consistoriali eminentiæ titulo donauit) deuoluta sit totalis potestas eligendi Pontificem, ipsique sint Consiliarij & conjudices orbis terrarum, Lectorem informare debemus de eorum institutione primaria, de nomine, numero, officio, præcedentia, & forma creationis.

Institutio agnoscitur ex nomine Cardinalis quod; quàm antiquum sit in Ecclesia patet ex can. 6. Concilij Romani immediatè post Nicænum à Syluestro Papa habiti præsente Constantino. *Et vt Diaconi non essent plures per Parochiarum examen nisi duo & Cardinales Vrbis Romæ septem, ita tamen vt dalmaticis vterentur & palla linostima laua eorum tegeretur.* In hoc autem concilio non instituitur vel incipit hoc *Cardinalis* nomen, sed potius referri debet ad Euaristum Papam anno Christi 96. certum est enim illum statuisse septem Diaconos in Vrbe qui custodirent Episcopum prædicantem, hoc est ei assisterent propter stilum veritatis (nempe vt interpretatur Spondanus ob muneris maiestatem & functionis amplitudinem) perseuerauit hic ordo vsque ad Higinium Papam anno 138. qui numerum Presbyterorum & Diaconorum auxit, pluresque eidem Ecclesiæ aptauit quibus Fabianus anno 237. illud muneris postea addidit vt præessent Regionibus Vrbis id est Parœciis seu Ecclesiis in quibus Sacramenta ministrabantur voluitque vt curam pauperum earum haberent, vnde & Diaconi Regionarij seu Titulares dicti sunt à nomine & titulo Ecclesiæ, & ij sunt qui sub Syluestro vocantur Diaconi Cardinales.

Porrò nomen Cardinalis idem ferè significat quod principalis, siue is à quo pendent alij, vt à cardine ostia pendere solent: hinc enim & virtutes & venti Cardinales & puncta cœli Cardinalia dici solent, & August. lib. 1. de Bapt. cap. 6. Primarios Donatistas vocauit Cardinales Donatistas.

Nomen ergo Cardinalis Primò impositum est loco seu Ecclesiæ quæ singularem titulum seu denominationem habens Cardinalis censebatur, id est vna ex principalibus idq; ad differentiam aliorū locorum sacrorum minus principalium. Inde autem presbyter qui eam regebat dicebatur presbyter Cardinalis: pari ratione Diaconiæ erant quædam loca principalia in vrbe distincta iuxta numerum Regionum & qui in eis residebant vocabantur Diaconi Cardinales ab Ecclesia videlicet Cardinali quam tenebant & sic postmodum dicti sunt Episcopatus Cardinales & inde Episcopi Cardinales sex illi qui ad eligendum Pontificem conueniebent, & ei præ cæteris erant à consiliis.

A loco ergo deriuatum est nomen ad personas, constat ex Concil. Meldensi can. 54. quod sic statuit. *Vt titulos Cardinales in vrbibus vel suburbiis constitutos Episcopus canonicè ordinet & disponat.* Item ex Ioanne Diacono in vita S. Gregorij lib. 3. cap. 11. vbi sic ait Cardinales violenter in parœciis forensibus ordinatos Gregorius in pristinum cardinem reuocauit, vbi cardinem vocat titulum seu Ecclesiam Cardinalem.

Numerus Titulorum paulatim increuit Romæ secundùm propagationem fidei, Dyonisius Papa circa annum 260. eum auxit & presbyteris diuisit nec non extra vrbem Parochias & diœceses limitauit, subsequenter Marcellus decimum quintum titulum fecit postmodum autem Iulio sedente vigintiocto instituti fuere, qui numerus tot presbyteros præfectos habens perseuerauit vsque ad Honorium II. qui anno 1125. statuit septem Episcopos Cardinales ad vtilitatem & splendorem Ecclesiæ & specialiter vt Papæ solemniter in Lateranensi Ecclesia celebrāti assisterent. Nomina & Tituli eorum eadem perseuerant, primus Episcopus est Ostiensis cui soli competit consecrare Romanum Pontificem tuncque pallium Archiepiscopale defert Episcopus Portuensis 2. Episcopus Sanctæ Ruffinæ 3. Episcopus S. Sabinæ 4. Episcopus Prænestinus 5. Episcopus Tusculus

culus siue Frescati 6. Episcopus Albanensis. 7. Episcopus Vellettensis, hósque septem reperio tempore Victoris II. anno 1057. dictos *Collaterales* Cardinales, atque etiam Hebdomadarios, eo quod singulis hebdomadis per vices explerent munus Pontificis, eosdémque septem esse sub Romano Pontifice, & in alterius Prouincia non constitutos notat Rebuffus. Eodem tempore Honorius II. creauit decem & octo Cardinales, Diaconos iuxta numerum Diaconiatum, qui omnes cum præfatis erant numero quinquaginta tres, paulatim verò imminutus est numerus, qui quadragenarium non superauit sub Innocentio II. & Cœlestino II. anno 1143. inde decreuit ad 35. postea ad 20. inde ad 15. mox ad 10. & ita imminutus fuit, vt obuiaretur diuisionibus & schismatibus, vt septem tantum extiterint in creatione Nicolai III. anno 1278. Ista refert Cotonus, vnde habuerit non inuenio, vixque assentior, cùm apud Panuinium legam istum Nicolaum Orsinæ familiæ cum magna Cardinalium contestatione electum, Carolus Francorum Rex, siquidem instabat pro Pontifice Gallo, & Conclaue vti Senator Romanus custodiebat. Tum in electione Nicolai IV. Minoritæ, decem post annis apertum fuit Conclaue ob mortem plurium Cardinalium; electus autem Nicolaus IV. varios creauit Religiosos Cardinales & successor eius Cœlestinus V. antequam renuntiaret, duodecim creauit. Concilium Constantiense sessione 40. reformationem numeri Cardinalium ab eligendo Pontifice proposuerat, hicque numerus ad 24. in subsequenti Concilio Basileensi sess. 23. reductus fuerat excludendo Nepotes ex fratre, vel sorore Pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis ætatem triginta annorum in singulis requirendo. Xistus tamen IV. Minorita creatus 1471. promotiones excessiuas fecit, eiúsque imitatione Alexander VI. numerus itaque ad 53. ascendit. Leo autem X. promouit ipsum ad 65. & Paulus IV. septuaginta habere voluit, qui numerus retentus fuit ad exemplar LXX. seniorum, quos Moyses accepit de consilio Ietro soceri sui, vel LXX. idiomatum quæ in Ecclesia reperiebantur vel LXX. seniorum Concilij Sanhedrin Iudæorum, vel potius ad imitationem Christi, qui LXX. discipulos habuisse perhibetur.

Tituli itaque sunt ampliati ad designandos eos qui Cardinalatu insigniti sunt.

Numerus iste Cardinalium distinguitur in tres Classes, Diaconorum scilicet, Presbyterorum, & Episcoporum, qui sic vocantur à titulo ipsis assignato, qui à prima olim institutione fuerit, vel Diaconia, vel Presbyteratus, vel Episcopatus: non quod Cardinales Presbyteri non sint Episcopi, aut quod Cardinales Diaconi non sint Presbyteri & Episcopi, sed quia talis fuit institutio, vt quidam titulum Episcopi, alij Presbyteri, alij autem Diaconi haberent, ita vt Cardinales Rupifucaldius, verbi gratia, & Surdis, etsi Diaconi Cardinales, Archiepiscopi tamen fuerint vnus Burdegalensis, alter Claromontanus. Inter Cardinales Presbyteros, qui primus omnium creatus fuit dicitur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archypresbyter Cardinalis. Antiquior autem promotione inter Episcopos Cardinales est absolutè Decanus totius Collegij, siue Consistorij.

Officium Cardinalium in his positum est.

Primò, iurisdictionem habent spiritualem quasi Episcopalem parum abest in sui tituli Ecclesiis.

Secundò, stant à Consiliis Romano Pontifici, nec est amplius necesse conuocare Episcopos ad occurrentia Ecclesiæ vniuersalis negotia vt olim fiebat, & sæpè cum præiudicio Diœceseon, & contra exigentiam residentiæ.

Tertiò, terminant negotia quibus præficiuntur & à tanto exoneratur Papa, cui totus orbis incumbit, ideò variæ stabilitæ sunt Congregationes, quibus vt plurimum aliqui præsident Cardinales.

Quartò, sunt ornatui palatio, & sacræ Curiæ primi Ecclesiæ Principis.

Quintò, eorum dignitas & eminentia regna & status ad quorum tractanda dissidia & negotiationes Legati mittuntur honorat, & Principes & Reges ad reuerentiam inclinat, sicque impietas & hæresis eorum splendore non parum perstringitur.

Sextò, Ecclesia in interregnis, & Sede vacante per eos regitur.

Septimò, grauiores & regales agunt legationes, in quibus personam Papæ specialiùs repræsentant quam ij qui nati sunt ex officio Legati, vti est Archiepiscopus Cantuariensis, vel ij qui ad certum tempus Nuncij designantur Apostolici: ideóque dum Cardinales legatione funguntur vtuntur insignibus Apostolicæ dignitatis ex statuto Concilij generalis, *cap. antiqua de priuilegiis*. Dominicæ Crucis vexillum ante se faciunt vbique deferri in omnibus Prouinciis eorumdem iurisdictioni subiectis. Ad eos cùm necesse fuerit prouocatur: nam vt habetur in decretalibus Titul. 15. de officio Legati. Legati sunt Ordinarij, quorum officium est ad instar proconsulum cæterorúmque præsidum, quibus certæ decretæ sunt Prouinciæ moderandæ, vt ibidem euellant, dissipent, ædificent, plantent, vocantur Legati à latere, seu Collaterales & Coassessores summi Pontificis, imò Cardinales *Pars corporis Papæ dicti sunt.* Canon. si quis 6. quæst. 1. Principis pars quoque corporis eius l. quisquis D. ad l. Iuliam majestatis.

Octauò, inuigilant Cardinales ne à consanguineis Papæ patrimonium Sancti Petri dispendium patiatur, & vt faciliùs quod pro tempore fuerat alienatum recuperetur, vt Ferrara à Clemente VII. reducta anno 1600.

Denique Cardinales iam reputantur fundamenta quietis publicæ, soboles supremorum Pontificum, cùm ex eorum Collegio dumtaxat soleant assumi, hincque quàm meritò Cardinales nuncupentur, apparet, quia pondus & onus Ecclesiæ sustinent, eiusdémque Principes constituti sunt.

Præcedentia Cardinalium non est annosa; splendor enim non eatenus semper illuxit, sed Episcopatui sat inferior fuit: & fortè ea est ratio cur Papa vocet Episcopos fratres venerabiles; Cardinales autem filios dilectos, vt videre est in litteris Apostolicis ad ipsos directis Episcopus dignitate caracteris, seu ordinis, potestatéque spirituali ab ipso emanatis, maior profectò est Cardinale non Episcopo: nam

Episcopus

Episcopus ordinat Presbyteros, confirmat baptizatos, aliáque id genus facit, quæ Cardinales Presbyteri aut Diaconi facere nequeunt. Item si consideremus iurisdictionem in propriam Ecclesiam, id est Episcopi in suam diœcesim, & Cardinalis in titulum suum aut diaconiam, certè maior est Episcopus Cardinali Presbytero vel Diacono; nam primò amplior & extensior est diœcesis Episcopalis, quam titulus Cardinalitius, & in diœcesi Episcopus plenam habet iurisdictionem tanquam proprius & ordinarius Pastor, ferendi leges, puniendi, dispensandi, &c. at Cardinalis Presbyter aut Diaconus cùm in suo Titulo sit veluti Parrochus Episcopo subiectus nihil potest, nisi in quantum ei permiserit Episcopus.

At si consideremus statum & œconomiam Ecclesiæ vniuersalis major habetur Cardinalis Presbyter vel Diaconus Episcopo non Cardinali; nam Episcopi simplices rarissimè adhibentur ad regimen vniuersalis Ecclesiæ, nisi cum ad generale Concilium conuocantur. Cardinales autem quotidie præsto sunt Pontifici, neque vllum magni ponderis negotium peragitur sine eorum calculo, & quia hinc fit vt Episcopi à Cardinalibus tanquam Papæ assessoribus iudicentur, creentur, deponantur, non autem Cardinales ab Episcopis, propterea absolutè Cardinalis præcedit Episcopum non Cardinalem. Hanc rationem affert Eugenius IV. in Epistola ad Archiepiscopum Cantuariensem, quam ante Sanctus Bernardus libro 4 de consideratione insinuarat.

Hæc tamen non semper ita fuere; nam olim Episcopi quicumque præferebantur Cardinalibus, at ex quo ad ipsos solos deuoluta est electio actiua & passiua Romani Pontificis, & quod ipsi soli fuerunt eius Assessores & Consiliatij (nam ante neque soli, neque primarij erant: primis enim septem vel octingentis annis Papa ad grauiora quæ occurrebant iudicanda negotia cogebat Concilia Nationalia Episcoporum Italiæ, quibus intererant quidem Cardinales Presbyteri, sedentes tamen post Episcopos. Deinde cum accessisset Ecclesiæ Romanæ principatus temporalis tempore Pepini & Caroli Magni, creuerunt negotia, & multò sæpius Pontifex indigere cœpit assistentia Consiliariorum, cúmque tam frequenter inire Synodos circumiacentium & dissitorum Episcoporum esset importunum, hæ conuocationes cœperunt omitti, & res tota ad Senatum Cardinalium redigi. Porrò Senatus iste Patrum purpuratorum fundatur in Scriptura in vsu & praxi veteris Testamenti; nam inter Iudæos duplex fuisse tribunal, & Concilium constat, vnum maius senedrim seu Concilium seniorum LXXII. à Deo per Mosem institutum Numer. 11. cuius tanta erat authoritas, vt de lege cognoscerent de Propheta & de doctrina, ac simul de Principibus iudicarent: alterum minus à Ietro Moysi suggestum. Exod. 18. vtrumque autem antiquatum & penè collapsum restituit, ac renouauit Rex Iosaphat, vt legitur 2. Paralip. cap. 19. Primum erat Hierosolymæ, eique præsidebat Pontifex, & ad illud maiores controuersiæ tantùm referebantur. Minus erat in singulis ciuitatibus viginti tribus personis constans, à cuius sententia appellabatur ad Sanhedrim.

Ad extirpationem nouæ hæresis, vel ad res vniuersalis Ecclesiæ solent conuocari generalia Episcoporum Concilia. Quod si res non respicit totam Ecclesiam, sed vel aliquod regnum vel negotia Principis alicuius, vel ordinis, Consistorium Cardinalium nihil omittit; nam Cardinalibus singularibus demandata est singularium Regnorum protectio, vnde ex cura paterna eorum commoda & vtilitates promouent & Papam maximè iuuant in determinationibus & sententiis ferendis, qui in facto errare posset ex praua informatione, vel ex humana inclinatione, aut carnis, & propinquorum affectu.

Anno 1246. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi dignitati Cardinalitiæ pileum roseum adjunxit, concessitque Cardinalibus, vt equitantes incederent per vrbem, ad hoc autem motus fuit Papa; quia multi Cardinales detinebantur à Frederico Imperatore, quem in præfato Concilio abdicauit imperio, vt innueret Cardinalibus eorum esse Ecclesiam vsque ad sanguinis effusionem intrepidè protegere, ad ornatum autem & magnificentiam Paulus II. vestes purpureas eis addixit anno 1464. sicque dignitas Cardinalitia quibuslibet ferè aliis Imperatoria, Regiáque exceptis præfulgere cœpit.

Creatio, quando Papa intendens bono vniuersalis Ecclesiæ creandos censet esse Cardinales, id in Consistorio die mercurij quatuor Temporum exponit, & sequenti die nomina eorum & merita proclamat, qui si digni admittantur, sic à Papa creantur. Die sabbato mitratus Papa, & Cruce præeunte post cœtum Cardinalium ingreditur Consistoriale Conclaue, ibique publicè præconizat Electorum merita quos nominatim vocat; quos verò contingit adesse per Cardinales Diaconos asciscit. Accitos sic affatur Papa, *Maxima dilectissimi filij, & excellentissima dignitate donati estis ad consilium Apostolicum vocati Consiliarij nostri, & coniudices orbis terrarum, eritis, successores Apostolorum circa thronum sedebitis.* Ij ordinatè ad Papam accedunt, eius pedem & manum osculantur, hos autem eleuat Papa, eisque in faciem osculum dat, inde singulos Cardinales ordinatè osculantur, decantatur *Te Deum laudamus.*, & ad Capellam Palatij Papalis tendunt, ibi Decanus Cardinalis, preces fundit, quas terminat per *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulis tuis, &c.* Postea singuli Cardinales redeunt ad Papam, circa quem circulatim stant, & primus nominatus genuflexus recipit in capite galerum rubeum à Papa hæc dicente. *Ad laudem Omnipotentis Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ accipe galerum rubrum insigne singulare dignitatis Cardinalatus, per quod designatur, quod vsque ad mortem & sanguinis effusionem inclusiuè pro exaltatione Sanctæ fidei, pace & quiete populi Christiani, augmento & statu Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ te intrepidum exhibere debeas, in nomine Patris, &c.* Sicque aliis datur, & inde perordinem honorificè ad proprias domos per primarios Cardinales ducuntur. In primo consessu Consistoriali Papa impertitur eis facultatem suffragandi, dicens. *Aperimus vobis os tam in collationibus, quam in consiliis, atque in electione Summi Pontifi-*

ciis, & in omnibus actionibus tam in Consiliario quam extra, in nomine Patris, &c. assignansque eis titulum in Ecclesia Romæ, dat eis annulum dicens. *Ad honorem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Sancti Chrysogoni, verbigratia, committimus tibi Ecclesiam S. N. cum Clero & populo, &c.*

QVÆSTIO VIII.

De ritu hodierno eligendi Papam in Conclaui.

PApa agonizante Cardinalis Patronus (qui vt plurimum Pontificis Nepos rerum temporalium curam gerit) Prælatos quosdam mittit ad Cardinales & Legatos vt ipsis innotescat Papæ obitus in breui futurus. Tunc ex præfati Patroni iussione incarcerati deducuntur in castellum Sancti Angeli, quia defuncto Pontifice Senatus, aut populus libertatem illis dare solet ianuis etiam effractis.

Papa defuncto Cardinalis & Magistratus, qui domicilium in Palatio habebant alibi commorantur excepto Cardinali Camerario, qui etiam de iure exire non tenetur.

Cardinalium numerus ad septuaginta fixus est per constitutionem Sixti V. tres sunt eorum præcipui, quorum officia non vacant per mortem Papæ, scilicet Cancellarius, Pœnitentiarius & Camerarius, qui est Præses primarius in Curia Computorum & vectigalium Sanctæ Sedis.

Datarij Secretarij, & omnes alij qui habent sigillum Pontificium illud deferunt Cardinali Camerario, qui coram Auditore aliisque Cameræ ac generali Quæstore illud frangi iubet, simúlque annulum aureum Piscatoris pondo, vt plurimùm centum nummorum fragmenta eius ad Magistrum cæremoniarum pertinent, ideoque ipsa colligit.

Cardinalium tres sunt classes, scilicet Episcopi, Presbyteri & Diaconi: sex sunt tituli pro Episcopis, quinquaginta pro Presbyteris, & quatuordecim pro Diaconis. Horum omnium Decani, reliquos inferiores assignant, vt se conferant ad aulam Consistorij ipso die obitus Papæ circa vesperam, vel saltem sequenti, vt Officiis vacantibus consulatur, & eligatur Gubernator conclauis, ac Burgi Sancti

Cardinales mortuo Pontifice incedunt discooperto supparo, vt ostendatur supremam authoritatem spiritualem penes illos esse vtuntur autem vestibus violaceis, fimbrias tamen & paramenta rubra habentibus.

Eleemosynarij Papæ & Pœnitentiarij Sancti Petri lauant cadauer defuncti, & disponunt vt exponatur populo, Crux argentea ponitur suprà vestes Pontificias in regione pectoris, & duo pilei Cardinalitij ad pedes, quibus gemina authoritas Papæ temporalis & spiritualis designatur nulla superimponitur vmbella toto triduo quo in Ecclesia Sancti Petri exponitur, quo finito sepelitur. Per nouem autem dies Cardinales & Prælati constituunt Capellas, & Sacra faciunt, vltimo autem habetur Oratio funebris, & die decima Ministri Conclauis eliguntur.

Die vndecima vnus Cardinalium Missam celebrat de Spiritu-Sancto, & pronuntiatur oratio de eligendo Pontifice. Deinde ordinatur Processio ad Conclaue cantando *Veni creator Spiritus*, è quo non egrediuntur Cardinales, donec electus sit Papa. Quod superest diei huius relinquitur populo, cui pro curiositate fas est perlustrare Conclaue, circa vesperam vnus ex Cursoribus vrbanè expellit populum clamando *Extra omnes*, móxque à Magistris cæremoniarum clauditur ad intra de mandato Cardinalis Camerarij, & ad extra per Principem Sauelli, cui hoc ius competit & præficiendi custodes ad ianuam, & ad rotas ostiarias ciborum quibus explorandis deputatus erat Prælatus, qui quolibet die mutabatur.

Quilibet Cardinalis duos habet famulos inclusos, qui Conclauistæ nuncupantur, includuntur etiam ad commune seruitium. Magister cæremoniarum, Secretarius, Pœnitentiarius, Sacrista, Medicus, Pharmacopola, Chirurgus, Faber lignarius, Muralis structor, adsunt & alij circiter viginti famuli, vt reliqua munera vilia exequantur, quæ passim in Conclaui occurrunt. Cellulæ Cardinalium ligneæ sunt vnicamque quilibet habet Capucinorum more & parcissimi luminis; nam per diem necessariæ sunt lucernæ pro lectura; quia obducta est fenestra cancello lineo.

Post clausuram Conclauis Decani, seu capita trium classium vna cum Camerario, & cæremoniarum Magistro, qui internas Conclauis habent claues totum diligenter cum facibus visitant, ne fortè quis intus lateat.

Die duodecima peracta Conclauis clausura quæ à Gregorio X. constituta fuit in Concilio Lugdunensi anno 1274. inchoatur electio sic.

Manè celebratur Missa de Spiritu-Sancto, in qua communicant omnes Cardinales. Hæc autem electio tribus modis fieri potest, iuxta Constitutionem Gregorij XV & Vrbani VIII. scilicet via Inspirationis, via Compromissi, & via Scrutinij & Accessus.

Primus modus est, dum Cardinales absque vlla præuia lite vel contestatione vna voce eligunt Papam; talis autem electio vt sit valida debet fieri post publicationem clausuræ Conclauis, & intra eiusdem muros, oportet etiam vt fiat nullo Cardinali discrepante, & non præcesserit propositio eligendi aliquem in particulari.

Secundus modus est via Compromissi, qui assumitur tunc maximè cum vix conuenire possunt, túncque vnum vel plures eligunt, quibus totam suam tradunt authoritatem, vt quem admiserint sit electus. Hoc vero ius traditur in scripto selectis Compromissariis, ex quibus nemo sibimetipsi suffragari potest; oportet etiam vt bis per diem conueniant.

Tertius modus est via Scrutinij & Accessus, cuius Author fuit Alexander III. in Concilio Lateranensi anno 1179. Debet autem habere valida electio duas tertias partes suffragiorum. Scrutatio autem bis in die fieri solet, manè post Missam semel, & vespere semel post hymnum *Veni creator*.

Scrutinium fit modo sequenti Magister cæremoniarum tot ponit schedulas in disco supra mensam coram Altari, quot sunt Cardinales,

nales, idémque facit pro Accessu; sunt autem huiusmodi schedulæ vacuæ.

Deinde eliguntur tres Scrutatores, & tres Infirmarij hoc modo.

Tot ponuntur in crumena pilæ seu orbiculi lignei, quot sunt Cardinales in Conclaui; orbiculi autem perforati sunt in medio, in quo schedula membranea reponi debet, tum Diaconus Cardinalis postremus tres orbiculos accipit in crumena, & ij qui educuntur inclusi censentur Scrutatores. Iterum tres alios orbiculos, seu globulos educit, & ij quorum nomina inclusa reperiuntur censentur Infirmarij.

His peractis singuli Cardinales seruato ordine dignitatis accipiunt schedulam in disco Scrutinij, & recedentes iuxta mensam scriptioni aptatam scribunt singuli sua nomina, & nomen illius quem eligunt Pontificem hoc modo & formula. Ego Cardinalis N. eligo in Summum Pontificem Reuerendissimum Dominum meum Dominum Cardinalem Chisi, sigillo munitur schedula, & in inferiori parte eius ponitur sententia Scripturæ sacræ ad libitum. Interim tres Scrutatores supradicti stant erecti ad mensam illis paratam, ad quos accedens Cardinalis suam fert schedulam sigillo munitam, manu digitisque erectis hæc dicens, testor Christum Dominũ, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundùm Deum iudico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo. Quæ verba in tabella quadam ab omnibus videnda scripta sunt iuxta Altare, facto iureiurando ponit schedulam supra patenam Calicis qui est super Altare & recondit eam in Calice, tum cum grauitate & modestia recedit.

Si quispiam Cardinalium vsque ad Altare incedere nequit tertius Scrutator assumpto disco schedulis repleto vadit ad ipsum qui capit vnam schedulam, cui secretò suffragium suum inscribit, suóque sigillo munit & porrigit Scrutatori præstito iureiurando, vt suprà, qui talem schedulam refert ad Altare, & reponit supra patenam, ex qua inijcit Calici.

Cardinales ægroti visitantur per Infirmarios in cellulis suis vota eorum relaturos hoc modo. Infirmarij itaque primo capiunt à Scrutatoribus pixidem in superiori parte perforatam quæ seram habet & clauim: hanc ipsi primo aperiunt coram omnibus vacuam visuris, tum claudunt, & clauim super Altare reponunt Infirmarij deferunt pixidem cum disco argenteo, in quo tot sunt schedulæ, quot Cardinales infirmi, ad quos accedunt qui singulariter vnam depromentes schedulam suo replent suffragio & iureiurando immittunt pixidi quod si æger hæc præstare nequeat, eligit quem vult vt vicem sui gerat, talísque electus obligatur seruare secretum. Hinc Infirmarij vadunt ad sacrarium, & Scrutatores aperta pixide proijciunt schedulam in Calicem.

His expeditis primus Scrutator concutit Calicé vt misceantur schedulæ. Tum tertius Scrutator numerat illas ponédo in alio Calice (quorum numerus si peccet in excessu, vel in defectu comburuntur) deinde primus Scrutator capit vnam schedulam ex Calice illam aperit & legit dando postea secundo Scrutatori, & hic tertio legendam; iste autem alta voce suffragium legit & enunciat.

Interim singuli Cardinales notanr nominatum in Catalogo Cardinalium quem habent.

Quod si fortè duæ sint schedulæ ita annexæ, vt præsumantur latæ ab vno, si idem legatur in vtraque censentur pro suffragio vnico, si verò variè pronuntient & pro diuersis supponant, tunc comburuntur, scrutinium tamen est semper in bona forma.

Expedita suffragiorum publicatione. Tertius Scrutator schedulas omnes filo interserit cum acu, recitátque reponens sub Altari.

Accessus sequitur, dum scilicet non sufficit scrutinium pro electione; fit autem quoad schedulas & publicationem, sicut scrutinium. Nemo autem applicare sibi potest proprium suffragium in scrutinio aut in accessu.

Cùm autem accessus sit iterata suffragatio votum non potest dari nisi illi Cardinali qui saltem vnum habuit in scrutinio, quod quidem votum seu suffragium non potest dari illi per Cardinalem qui in scrutinio iam dedit.

Infirmarij deferunt ad singulos ægrotos vnam tabellam in qua continentur data vota, cuilibet deferunt etiam schedulas accessus vt videant canonicè procedi in electione.

Scrutatores conferunt schedulas scrutinij filo ligatas cum schedulis accessus ritè examinantes; num idem sit sigillum & Scriptura, & tertius Scrutator publicat alta voce suffragia collecta in accessu. Inscriptio schedulæ accessus talis est.

Ego Cardinalis N. accedo R. Dno. meo D. Cardinali N.

Post computum suffragiorum ille qui habet duas partes ex tribus censetur canonicè electus Papa.

Si plures habent duas tertias partes votorum, vel plures, tunc nulla est electio, & inchoatur iterum. Constituuntur etiam per sortem tres Commissarij, qui faciunt examen schedularum scrutinij & accessus, & vocantur hac de causa Recognitores, post quam recognitionem seu reuisionem siue sit electio siue non, comburuntur schedulæ omnes.

Ad exactam omnium prædictorum Ordinum, qui expressi habentur in Bulla de electione summi Pontificis Gregorij XV. edita anno Domini 1621. confirmata ab Vrbano VIII. anno 1625. contrauenientes incurrunt excommunicationem, absolutè reseruatam Papæ.

Electo Papa Eminentissimo Cardinale Chisi, post multiplicata intra octo dies scrutinia 155. duo Cardinales cum Decano rogarunt eum si electionem sui acceptaret, qui consulto Deo per orationem respondit affirmatiuè, & nomen Alexandri VII. assumpsit, móxque Papalibus paratus indumentis, deductus ante Altare & ibi sedens super cathedram suscepit salutationem, vulgò adorationem Cardinalium, illum in pedibus manibus & genis deosculantium, effringitur Conclaue, acclamatur in iubilo vbique, viuat Alexander VII. post aliquot dies coronatur & possessionem capit Episcopatus qui est in Ecclesia Sancti Ioannis Lateranensis.

QVÆSTIO IX.

An deponi possit Papa? quare? & à quo?

COmmuniter apud Catholicos dicitur, Romanum Pontificem nulli humano iudicio esse obnoxium, sed soli Deo debere innocentiam, ita enim ferunt, & euincunt tituli illi. *Caput Ecclesiæ, Magister fidelium, Pater Patrum*, illi iure merito competentes, & ab œcumenicis Conciliis dati ratione successionis ad Petrum, neque enim caput subiacere debet membris, vel discipulis Magister, aut Pater filiis. Et hoc professæ sunt variæ synodi vt Synuessana sub Marcellino, & Romana sub Syluestro 284. Presbyterorum, & Episcoporum can. 20. *Nemo iudicabit primam sedem quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque omni Clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Cui canoni subscripsit Constantinus, & mater eius Helena.

Nec ritè opponi possũt vulgatæ huic doctrinæ damnationes, quædam Pontificum Honorij in 6 synodo, nam quòd hæc damnarit eum, est assumentum Græcanicum malignè attextum synodo. Eugenij IV. in Concilio Basileæ, nullius enim fuit momenti, quod hoc Concilium initio legitimum postea autem digressis Legatis Pontificiis, ac præcipuis Episcopis, & in eorum locum subinductis Presbyteris iam Conciliabulum attentauit aduersus Eugenium tunc Florentiæ cum Græcis, & Latinis in Concilio œcumenico sedentem, & ab Ecclesia vniuersa pro vero Pontifice agnitum. Gregorij XII. Ioannis XXIII. & Benedicti XII. in Conc. Constantiensi, nam quòd hoc Concilium de tribus simul sedentibus Pontificibus, iudicauerit rectè habuit, omnes enim erant incerti Pontifices, & nullus eorum credebatur legitimè electus, & quo euentu Ecclesia potest sibi de certo, & indubitato capite prospicere, vt tunc factum est depositis his tribus, & Martino V. canonicè suffecto, at quæstio hæc de certo moraliter, & legitimo habito Pontifice resoluit, hunc nullo humano iudicio inuitum subijci posse nisi sit hæreticus manifestus.

PROPOSITIO CATHOLICA.

HÆreticus Papa deponi potest ab Ecclesia. probatur ex Scriptura ad Tit. cap. 3. *Hereticum hominem post primam, & secundam correptionem deuita sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus.* Græcè pro *deuita* est παραιτοῦ reijce, auersare refuta.

Probatur ex S S. Patribus, Cyprian. lib. 4. Epistol. 2. vbi sic loquitur de Nouatiano, qui fuit Papa in schismate cum Cornelio *Episcopatum*, inquit, *tenere non posset etsi Episcopus primus factus à Chorepiscoporum suorum corpore*, & ab Ecclesiæ vnitate discederet.

Probatur ratione, non Christianus non potest esse Papa, quia non potest esse caput id quod non est membrum, & non est membrum Ecclesiæ, is qui non est Christianus, at hæreticus manifestus non est Christianus, vt apertè post Tertull. lib. de pudicit. docent Athanas. serm. 2. contra Arrianos August. lib. de gratia Christi cap. 20. Hieron. contra Luciferianos, & alij. Ergo hæreticus manifestus non potest esse Papa, hincque communis opinio, & vera habet quod Papa hæreticus manifestus, desinat per se esse Papa, & caput, sicut desinit, per se esse Christianus, & membrum corporis Ecclesiæ, quare ab Ecclesia iudicari, & puniri potest, hincque Cyprian. lib. 1. Epistol. 6. ait. *Dicimus omnes omnino hæreticos atque schismaticos nihil habere potestatis ac iuris.* Optat. lib. 1. contra Parmenian. *Nec ligare aut soluere posse.* Tum expresse habetur, Can. si Papa dist. 40. & apud Innocent serm. 2. de consecr. hæreticum Papam posse iudicari, & quod absolutè concludit in 8. Synodo act. 7. recitantur acta Concilij Romani sub Adriano, & in iis continetur Honorium Papam iure videri anathematisatum, quia de hæresi fuerat conuictus ob quam solam caussam licet minoribus iudicare maiores vbi notandum est, quod etsi probabile est Honorium non fuisse hæreticum, & Adrianum II. Papam deceptum ex corruptis exemplaribus VI. synodi falsò putasse Honorium fuisse hæreticum: tamen non possumus negare, quin Adrianus cum Conc. Romano imò, & tota VIII. Synodus generalis senserit in causa hæresis Papam posse iudicari. Adde quod esset miserrima conditio Ecclesiæ si lupum manifestè grassantem pro pastore agnoscere cogeretur.

Nota Papam in interiorem lapsum hæresim non posse deponi, quia est adhuc membrum Ecclesiæ per externam communionem Sacramentorum, & professionem, nec audiendos est Turrecremata, qui lib. 4. part. 2. cap. 20. dicit eo ipso hæresim internam ponere hominem extra Ecclesiam, & depositum esse à Deo talem Papam. Ratio pugnat in contrarium, quia Deus qui authoritatem papalem dat concurrente hominum opera per electionem personæ, eam non aufert nisi per homines, seu Ecclesiam, occultus autem hæreticus non potest ab homine iudicari, nec ipse sponte vult potestatem illam relinquere.

QVÆRES, *an Cardinales possint auferre potestatem Papæ.*

Resp. ex omnium consensu, quòd non, nam etiam dubium Pontificem non Cardinales, sed Concilium generale totam Ecclesiam repræsentans deponit. Nec dicas eligitur, & creatur ab ipsis, ergo, & deponi potest.

Respondeo Papam habere iure diuino eam, quam habet potestatem. Pro quo

Nota in Pontifice summo tria esse 1. Pontificatum ipsum, qui est quasi forma quædam, 2. personam ipsam, quæ est subjectum ipsum pontificatus 3. conjunctionem vnius cum altero. Ex his pontificatus à solo Christo est: persona à suis causis naturalibus absolutè, tamen vt est talis persona, id est electa, & designata ad pontificatum, est ab electoribus, nam eorum est designare personam: ipsa verò conjunctio est à Christo mediante actu humano electorum, dum enim eligunt, & designant certam personam concurrunt ad conjunctionem pontificatus cum illa persona. Itaque Electores verè dicuntur creare Pontificem, & esse

causa

causa vt talis sit Episcopus Laodicensis v. g. vel Papa, & vt habeat talem potestatem ipsi autem Electores non dant eam, neque sunt causa eius potestatis, sicut in generatione hominis, quia anima, vt dixi in tract. de creatione infunditur à solo Deo, & tamen pater generans, disponendo scilicet materiam est causa conjunctionis animæ cum corpore, dicitur generare hominem, & tamen non dicitur producere animam hominis.

E Contrario Papa creans Cardinales confert per se eis authoritatem, plenam enim ipse habet iure diuino, quia est petra, & pastor Ecclesiæ vniuersalis, ex verbo Christi, quare ipsos deponere saltem singulariter.

QVÆSTIO X.

De nomine Papa.

COpiosa seges titulorum Romani Pontificis suppeditatur ex innumeris elogiis, quibus Concilia, Patres ac probati Doctores decorant sedem Apostolicam, vel cathedram B. Petri, omnia quippe illa elogia directè, & immediatè cedunt in Pontificem etiamsi metonymicè continens pro contento, & sedes ac cathedra pro sedente vsurpentur: nomine *sedis Apostolicæ*, intelligitur vniuersalis authoritas siue potestas Apostoli Petri transmissa ad successorem eius in Romana sede, hæc enim fuit sedes B. Petri, & quidem postrema: id est quam vt generalis pastor tenuit ad mortem vsque Romæ pro Christo obitam, vt supra qu. 12. probatum est. Omnia autem illa encomia, & tituli isto singulari nomine *Papa* communis hodie modus loquendi (saltem apud Catholicos) includit, & effatur cum inter nomina singularia Romani pontificis hoc vnum sit in ore, & calamo omnium, quo ergo Catholicus animæ suæ pastorem nomine compellat, hoc plene nouerit, cum illud audit, vel legit olim per duo P P notatum.

Nomen Papæ olim sonabat dignitatem omnibus venerandis clericis communem vt scribit Vualfridus lib. de rebus Eccles. cap. 7. ita vt etiam minimi Clerici dicerentur Pisinni Papæ, id est pusiones, & minimi, & in bulla aurea Isaaci Comneni Imperatoris *Lector* vocatur *simplex Papa*, sicut etiam corona clericalis vniuersè apud Græcos dicta est *Papaletra*, vt notat Balsamon ad 6. synodum can. 21. Postea ad solos illos, qui in Clero eminent hoc est ad Episcopos restricta est ea nomenclatio, omnibus tamen Episcopis attributa, & singulariter patriarchis. Innumera vbiuis occurrunt exempla apud Cyprianum, Hieronymum qui in omnibus epistolis Augustinum papam vocat, & ipse alios Episcopos Ruffinum, prudentium, Seuerum, Sidonium, Fortunatum, & nouissimè apud Eulogium Cordubensem, qui floruit anno Domini octingentesimo quinquagesimo, vsque enim ad illud tempus id nomen commune fuit omnibus Episcopis, licet peculiarius tribui consueuisse Romano pontifici, quisque facile obseruare possit tam ex Epistolis Ennodij, & Cassiodori, quam ex aliis antiquis monumentis, atque insigniter ex Actis Synodi Toletanæ anno 405. cap. 21. *Ex precepto Papa Leonis transmiserunt regulas*, primæ sub Anastasio papa 1. & quintæ vniuersalis sub Vigilio, quodque à primo sæculo datum Romano Episcopo legimus, sic enim S. Anacletum titulo papæ decorat S. Ignatius, vt legere est in Epistol. ad Mariam Cassobol. tomo 3. Bibliot. patrum, *Verus est sermo quem audiui de te apud beatum Papam Anacletum cui successit beatitudine dignus Clemens Petri, & Pauli auditor*, Nec non apud Tertullianum, Cyprianum, & alios antiquissimos, & apparet ex epistola Synodi Epiri ad papam Hormisdam scripta

Synodus veteris Epiri Domino nostro per cuncta sanctissimo, & beatissimo Patri Patrum Comministro ac principi Episcoporum Hormisde Papa.

Cum autem sequentibus temporibus obtinuisset communis vsus vt nomen *Papa* soli Romano pontifici tribueretur, & schismatici illud in odium eiusdem Romani præsulis fastu superbo vendicarent, demùm Gregorius papa VII. Concilio Romæ aduersus schismaticos habito anno Domini 1075. pontificatus sui 3. indictione 13. statuit inter alia plura vt *Papa* nomen vnius dumtaxat Rom. Pontificis esset in toto Orbe Christiano, nec liceret alicui alij, vel seipsum, vel alium ea nuncupatione insignire prout constat ex Regesto Vaticanæ bibliotecæ. Sed & seruasse idipsum Græcos, vt nomine Papæ Romanum Pontificem intelligant ex Nicetæ Choniatæ, & aliorum scriptis apparet.

Porro quæ sit huic Pontificio titulo primitus subjecta notio non conuenit inter omnes. Plerique putant nomen *Pa*, quod monosyllabum in Saliari carmine vsurpatum. Festus est author, qua ratione Papa idem sonaret, quod *pater patrum*, qui titulus bellissimè cadit in Romanum Pontificem, ita Remigius Altisiod. de celebratione Missæ, & Thomas Illyricus de potestate Papæ 5. *Non igitur*, qui præmissa confirmatione multiplici, quòd omnes Sacerdotes dicantur patres fidelium addit, vt pateat Rom. Pontificem esse patrem cœterorum Patrum inditum illi nomen Papa, idque decreto synodi Nicænæ, quam referente Eusebio edixisse ait, vt sicut Rex Romanorum antonomasticè dicitur *Augustus* ita, & Romanæ vrbis Antistes dicatur *Papa*. Verum hoc totum est commentitium; nihil enim tale habet Eusebius, neque Acta synodi Nicænæ contra cuius decreta sancti Augustini, & Hieron. & longè post alij nunquam vocassent *Papa* nomine inferiores Episcopos, vt sæpe faciunt. Ad hæc ea notio vocis *Papa*, vt sic dictus sit Pater Patrum ægrè potest subsistere, & monstrari solida, tum quia vt argumentatur. Celsus Mancinus lib. 3. de iuribus principatuum capite 5. plerisque locis ac nominatim in synodali epistol. Epiri ad Hormisdam idem simul, & *Pater Patrum & Papa* appellatur, quod absque labe battologiæ non fieret, si Papa idem esset, quod *Pater Patrum*, tum etiam, quia olim omnibus Clericis, posteaque omnibus saltem Episcopis commune fuit nomen Papæ, tametsi non dicerentur *Patres Patrum* demptis perpaucis insignis notæ Præsulibus v.g. Patriarchis Archiepiscopis, &c.

Quidam

Quidam nomen Papa ab interjectione admirantis Papæ. Donatus dicit in Lexico seu dictionario papæ est interjectio mira subito accipientis: habet enim in se affectum verbi miror: vt Papæ quid video. Terentius in Eunuch. Papæ hæc superat ipsam Thaïdem, volunt itaque dictum Papa, id est admirabilis, hanc notionem probat Gabriel. lect. 23. in Can. litera 6. & anteriùs etiam alij apud Remigium Antissiod.l. allegato de celebrat. Missæ, subscribitque Siluester verbo papa, & Ambrosius Nouidius lib. 2. sacrorum factorum, ac Hieronymus Vida hymno de cathed. petri, & Nicolaus Eymericus tract. de potestate papæ q. 2. & 3. & multos adducens Franc. Iuniperus à Drepano disp. 1. pro iuris pontif. defens. q. 1. cap. 4. Duardus lib. 1. in bullam cœnæ cap. 4. qu. 7. Germana notio vocis Papa, vt ex Eustathio refert Henricus Stephanus verbo, παππας ducitur ex antiquo & Græcorum, & Latinorum vsu, quo paruuli balburientes veluti naturali voce (vt disserit Goropius in Gotodanicis) *Pappare*, id est cibari auidi, vt Aristophanis Trigens in Comedia εἰρήνη profitetur abblandiendo patri vocant papam: id quod etiamnum in his regionibus receptum videmus, minuscula ætas non aliter patrem compellat, quàm vocando *mon Papa*. Apud Athenæum lib. 8. Philemon inducitur dicens χαῖρε πάππα φίλτατε. Item Odissea 3. filia Nausiaca sic patrem affata refertur πάππα φίλε, æquè apud Iuuenalem Satyra 6. de patre dicitur timidus prægustet pocula Pappas. Ausonius pro auo qui patris pater est, & veluti pater maior & anterior vsurpauit id nomen eo versu ad nepotem. *Pappos auiasque trementes.*

Ante ferunt Patribus seri noua cura nepotes, & esse eam Pappi notionem germanam, tradit in Onomastico Iulius Pollux & Suidas. Sic etiam *Pappazzo* infantile verbum est inuocantis auum qui nepotibus solet esse lenior & indulgentior, vt notauit Ioannes Britannicus ad locum citatum ex Iuuenali Satyra 6. qui Pappam quoque idem esse, quod cibum infantilem (sicut *bua* est potus) ex Catone obseruare, & *Pappare minutum* apud Persium idem esse tradit quod comedere, vt infantes faciunt Nuperus Taciti interpres lib. 3. Annal. refert, quod Varro & Ausonius habent de *Papis senibus* dictos enim censet Papos senes ea sea ætate viros: quibus eadem cura sit impendenda quæ infantibus, sic ille exponens quid sit. *Paparium*. In Calepino lego nomen παππας sumi pro patre siue pro eo qui puerum alit, & esse nomen venerationis à Syracusis tractum: quo etiam nomine Scytharum nonnulli Iouem appellant, teste Herodoto lib. 4. eoque Bythinos Iouem vocare Arrianus est author.

Vsus Christianorum hoc nomen sensim soli Romano Pontifici accomodauit tanquam antonomasticè, & per excellentiam Patri prætermisso Euphoniæ gratia altero π pro cuius restitutione frustra satagit Raymundus Ruffus. Itaque cum vox hæc Papa patrem sonet ritè assignatum est successori Petri, ipse enim pater est Christianitatis & paternum ius omnimodum habet in quoscumque fideles, Ecclesiæque Pastores & Principes, quare non mirum si tituli omnes à Conciliis assignati hoc vno subintelligantur, vnde Sexta Synodus acclamans actione 18. Aagatoni vocat eum. *Papam summum* quem iam dixerat actione 17. *Papam vniuersalem ter beatissimum*, & VII. Synodi actio vocat Adrianum *Papam Cathedræ Apostolicæ*, id est sedentem in Apostolica sede. Hincmarus ad Nicolaum 1. sic habet. *Papa vniuersalis primæ ac summæ sedis Apostolicæ Dominus sanctissimus, & reuerendissimus Pater Patrum.* Imperatores Theodosius & Valentinian. in nouella de ordinat. Episcop. vocant. *Papam vrbis æternæ* seu Romæ.

Porrò Papam sanctissimum patrem appellare solent Catholici, non tantùm ratione sanctitatis qua prælucet aut prælucere debet eius persona, quàm ratione sanctitatis vnctionis missionis & officij, nec non & Ecclesiæ & Cathedræ à Christo institutæ in qua Petrus sedit, id est authoritatis & pastoratus. Scriptura ipsa profert hanc qualitatem assignandam summo Pontifici, nam Exodi 28. & 31. vestes Aaronici Antistitis *Sancta* vocantur oleum *Sanctum* Exod. 30. vasa sanctuarij templum & locus in quo Deus vel Angelus Moysi loquutus est; vnde Concil. Oecumenicum Chalcedon. sic loquitur de Rom. Pontifice. *Sancta & magna vniuersalis Synodus sanctissimo & beatissimo Romanorum Archiepiscopo Leoni.* Nomen hoc superlatiuum in codice Iustiniani vnâ cum nomine reuerendissimi Martianus Imperator concedit Archiepiscopis, quare dicendum est Papam, Sanctissimum esse, quandoquidem Ecclesia tota quam vniuersale. Concilium repræsentat talem eum habet Lateranense sub Martino 1. *Domino Sancto & meritis beatissimo Martino Papa.* Græci in eodem Conc. *Per iussionem Sanctam siue preceptionem diuinitus præsidentis vobis atque omnibus his præminentis sacerdotis sacerdotum & Patris Patrum Domini Nostri Martini ter beatissimi.* Multi afferunt pro ista compellatione exemplum hebdomadæ præcedentis Pascha, quæ communiter Sancta dicitur, licet communibus constet diebus, reliquis totius anni simillimis quia specialiter rebus sanctis deputata est, nam pietatis studiosi orationibus, ieiuniis, mortificationi & mysteriorum frequentationi impensiùs vacare solent, & Ecclesia his diebus mysterium redemptionis mundi repræsentat Papa ergo *Sanctus* iure dicendus est quia Sancto officio destinatus, cuius actiones & exercitium circa sanctitatem versantur.

Hine etiam. *Beatitudine* donatur ab antiquis scriptoribus Hieron. Epist. 56. ad Damasum. *Beatitudini tuæ id est cathedra Petri communione consocior.* Augustin. lib. 1. contra duas Epistol. cap. 1. Synodica Epistola trium Conciliorum Africæ, ad Damasum, Iustinian. ad Hormisdam, Comprouinciales Arelatensis, Archiepiscopi, ad Leonem. Abstractum autem pro concreto assumitur reuerentiæ gratiâ. Cur autem Papa in terris viuens audiat. *Beatus* vel *Beatissimus* (quo pacto Leo in Conc. Chalcedon. act. 3. triplici ad eum Epistola) itemque. *Beatitudo* quin etiam vt sæpe apud Anastasium legitur, nominatim in Adriano 1. *Ter beatitudo* obscurum videri potest supposita mole ærumnarum quibus conflictari necesse est qui ad illud dignitatis fastigium prouehitur quo seruus seruorum constituitur, vnde Adrianus

nus Papa, dicebat neminem Romano Pontifice miseriorem esse, quem licèt nihil aliud lædat conditionis tamen solo labore necesse sit vt citissimè deficiat, tres tamen huius compellationis. *Beatus*, & *beatissimus* causas profert F. Iunipetus à Drepano disput. 1. ad bullam Vrbani VIII. quæst. 1. cap. 1. Prima quod Pontifex debeat: esse supra & extra hominem nec vltra in terris sed in cœlis conuersans secunda quod terreni simul & cœlestis imperij iura à Christo acceperit. Tertia quia eminere omnibus, vt loco, ita & cœlesti vita & zelo diuinæ gloriæ debet Henricus Kalteisen in oratione quam habuit in Concilio Basiliensi hunc Pontificis titulum retulit ad excellentiam admirandam Pontificiæ authoritatis, qua vt ait, Papa prope attingit Christum.

Existimo germanam causam huius Pontificiæ denominationis non ex imitatione hominum qui Imperatores diuos ac diuinissimos itemque fælices & fœlicissimos itemque beatissimos compellare solent quos imitatus est S. Ambrosius Gratianum, Valentinianum, ac Theodosium. *Beatissimos* denominans, sed à Christo desumptam idque insinuat S. Clemens Epist. 1. nimirum quòd Christus S. Petrum designans Pontificem, præfatus est illud. *Beatus es Simon Bariona* statimque subdidit *Ego dico tibi quia tu es, Petrus* &c. familiari autem auxesi qui tunc beatus dictus est, ad honoris & reuerentiæ plenitudinem dicitur. *Beatissimus* quem titulum æquè ac sanctitatis & sanctissimi attributum aliis à Prælatis à Romano Pontifice docet litteratura, imo & Regibus. Sic enim Alcuinus Epist. 12. & 18. regem affatur.

QVÆSTIO XI.

An Papa sit Antichristus.

HActenus demonstraui Romanum Pontificem Petro succedere in summo totius Ecclesiæ principatu, consequenter Alexandrum VII. v.g. esse Petrum sui temporis: restat vt videamus num aliquo tempore Romanus Pontifex ab isto gradu exciderit, id enim aduersarij contendunt non esse hoc tempore verum Episcopum, quicquid antea fuerit & communi odio in sedem Apostolicam quam Petiliani, Donatistæ imitatione, pestilentiæ cathedram probrosè nuncupando, procaciter impetere non cessant, eiusque Pontificem mutuata à Vuicleffo maledicentia Antichristi teterrimo nomine priuatim & communiter compellare gloriantur, quod quasi proprium sit Romani Pontificis nomen semper est in ore Sectariorum. Caluin. lib. 4. instit. cap. 7. §. 24. Sic habet. *Fuerit sanè olim Roma omnium Ecclesiarum mater, verùm ex quo Antichristi sedes fieri cœpit desiit esse id quod erat.* Geneua ab ipso instituta laminam æream in aditu domus hæc insculpta habentem obiicit omnibus quam ego rediens à concionibus Graiæ in comitatu Burgundiæ ibi non sine horrore legi anno 1635. *Quum anno 1535. profligatâ Antichristi Romani tyrannide, abrogatisque eius superstitionibus Sacro-Sancta Christi Religio hic in suam puritatem, Ecclesia in meliorem ordinem Dei beneficio repositâ & simul pulsis fugatisque hostibus vrbs ipsa in suam libertatem non sine insigni miraculo restituta fuerit Senatus populusque Geneuensis monumentum hoc perpetuæ memoriæ causâ fieri atque hoc loco erigi curauit quâ suam erga Deum gratitudinem ad posteros testatam faceret.* Sic & Lutherus odio & ore virulento Pontificem Romanum vocabat. *Tyrannum ac Nembrotum* teste Prateolo, eiusque potestatem nihil aliud esse quàm. *Tyrannidem & regnum Babylonis,* scripsit, vide Cochlæum in actis Lutheri anno 1520. Non inconcinnè ergo Antichristianam, hanc contumeliam hic excutio quam Bellarm. nouem capitibus diligenter conterit, totoque libro tertio de Pontifice 24. capitibus Nouatorum mendacia conuincentibus funditus explodit.

Ad hæc ne hæreat studiosus Lector in terminis obseruandum est quod sicut nomen Christi dupliciter accipitur, interdum propriè pro quodam eximio & singulari Christo qui est *Iesus Nazarenus*, interdum communiter pro his omnibus qui habent cum Christo similitudinem, quantum ad vnctionem quomodo Prophetæ, Reges, & sacerdotes omnes dicuntur. Christi, Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos.* Ita etiam nomen Antichristi interdum accipi propriè pro quodam singulari Christi hoste de quo agitur 2. Thessalon. Ioan. 5. & alibi, interdum vero pro omnibus qui quoquo modo Christum oppugnant nam 1. Ioan. 2. legimus. *Audiuistis quia Antichristus venit & nunc Antichristi multi facti sunt*, id est audiuistis venturum Antichristum & nunc licet ille singularis Antichristus nondum venerit, tamen multi seductores iam venerunt, qui etiam Antichristi dici possunt. Catholici itaque omnes sentiunt Antichristum fore vnum quemdam hominem. Hæretici negant & volunt esse non personam singularem sed singularem thronum siue regnum tyrannicum ac sedem apostaticam eorum qui Ecclesiæ præsident, hinc Caluin. in cap. 2. Primæ Ioan. ait, errare eos qui vnum certum hominem futurum credunt Antichristum, cum Paul. 2. Thess. 2. scripserit Apostasiam venturam & eius caput Antichristum futurum. Siquidem Apostasia, est generalis quædam defectio à fide quæ quidem vnum corpus & vnum regnum facit & non est res paucorum annorum vt sub vno Rege compleri possit.

PROPOSITIO CATHOLICA,

ANtichristus. *Est homo singularis qui nondum venit*, Probatur ex Scriptura Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris & non recepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum recipietis* quod de vno Antichristo dicta esse, & non de Pseudoprophetis in genere exponunt Chrysost. & Cyrill. hic Ambros. in 2. Thess. 2. Hieron. in Epistola ad Algasiam August. tract. 29. in Ioan. Ireneus lib. 5. contra hæreses Valentini, cap. 25. præterea hic Dominus opponit sibi hominem alium, hoc est personæ personam non regnum regno neque sectam sectæ vt patet ex illis vocibus *ego* alius in nomine meo, in nomine suo me illum, sicut ego

Christus vnus & singularis homo fuit ita & erit Antichristus, deinde Christus hic dicit Antichristum à Iudæis pro Messia recipiendum, constat autem Iudæos certum & singularem hominem expectare. Item omnes falsi Prophetæ venerunt in nomine alterius non in suo nomine, denique permulti falsi Prophetæ venerant ante aduentum Christi & permulti etiam postea venturi erant, non igitur Dominus dixisset si alius venerit, sed multi veniunt, si de falsis Prophetis loqui voluisset, 2. Thessal. 2. *Rogamus vos vt non terreamini neque per Spiritum neque per sermonem neque per Epistolam, quasi instet dies Domini neque quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primùm & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* Supple non veniet dies Domini nisi venerit discessio pro qua Græcè est ἀποςασία Syriacè marduta quod responder Hebræo, *Mered*, id est defectio & rebellio, qua quis deficit à suo principe illique rebellat, non hæreo hic ad euincendam mentem Pauli, & sciendum quid singulariter per rebellionem hanc aut apostasiam intelligat.

An defectionem populorum ab imperio Romano vt exponunt Primasius, Sedulius, Ambros. vnde versu 6. *Et nunc quid detineat, scitis*, quia necdum impleta sunt Romanorum peccata, ita Chrysost. Theophil. Oecumen. August. Hieron. quæst. 11. ad Algasiam Cyrill. Catech. 15. Lactant. lib. 7. cap. 15. qui omnes non tantum inclinationem Romani imperij, aut Dominij Sedisve mutationem vt hæretici volunt, sed plenam eius desolationem & contra illud omnium gentium rebellionem dicunt certo præiturum aduentum & regnum Antichristi & hoc est quod versu sequenti ait Paulus. *Donec de medio fiat* id est omnino auferatur Romanum imperium. Adde ipsam ciuitatem Romanam tunc omnino desolandam & concremandam esse vt patet Apoc. cap. 17. vers. 16.

An intelligat Apostasiam, & defectionem Christianorum à Christi religione ad Mahometismum.

An rebellionem Iudæorum à quouis principatu temporali in quo iam agunt ad institutionem nouæ Monarchiæ colligendorum sub Messia eorum prætenso, id est sub Antichristo quem pro Messia habebunt.

Nec discutio an templum illud in quo sessurus prædicitur hic, erit templum materiale Hierosolymorum cùm illud Antichristus reædificauerit, quod ab eo factum iri testatur Ireneus, lib. 5. contra hæres. cap. 30. *Cùm Antichristus omnia pessum dederit & desolauerit in hoc mundo & regnauerit tribus annis & sex mensibus sederitque in templo Hierosolymorum, tunc Dominus veniet è cœlo* idque resultare videtur ex relatione sermonis Pauli ad ea quæ Prophetauit Daniel, de desolatione templi Iudaici cap. 9. erit in templo abominatio desolationis, quam de templo ipso Christus Mach. 24. exponit, vnde est quod antiqui notant, Iulianum Apostatam vti singularem Antichristi præcursorem tentasse magnis sumptibus reædificare templum, sed irrito conatu & frustra, nam Deus tribus ostentis deterruit operarios & ingenti terræ motu fundamenta iam iacta disturbauit.

Vel an exponi debeat de natione ipsa Iudæorum, quam Deus primo elegerat in templum viuens, quam subducet & sibi deuinciet Antichristus vt prædicit Christus Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis* vel denique si exponi debeat de templis Christianorum quæ Mahometes Antichristi præcursor occupat & in Mesquitas conuertit, Vnum mihi sufficit quod & communi calculo SS. Patrum Antichristus erit Iudæorum Christus & Messias, consequenter Antichristus est homo singularis adhuc futurus.

Tertius Scripturæ locus 1. Ioan. 2. *Filioli nouissima hora est & sicut audistis quia Antichristus venit & nunc Antichristi multi facti sunt, vnde scimus quia nouissima hora est, hic est Antichristus qui negat Patrem & filium* hic nota verbum *venit*, esse in præsenti & non in præterito in textu Græco Ἀντίχριστος ἔρχεται in Bibliis etiam Geneuæ. *Venire debet*, quando verò addit. *Antichristi multi facti sunt* id est Antichristi veri qui futurus est multi prodromi seu præcursores sunt, qui æquè vt ille ex professo faciet, ipsam Christi personam & doctrinam impugnant, notat enim Ioannes hæreticos sui æui quorum alij negabant Christum esse Deum, alij esse verum hominem: tales, fuerunt Ebion, Cerinthus, Menander, Simon hæreticorum primipilus, eorumque asseclæ de quibus ait Paulus 2. Thess. 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis* vnde SS. Patres vnanimiter inferunt hæreticos esse Antichristos ex officio cùm Christi doctrinam elidant & deprauent Scripturas.

Quartus locus est Danielis 7. 11. & 12. capitibus, vbi loquitur de Antichristo, ibi autem non vocatur vnum regnum, sed vnus quidam rex, qui ex decem Regibus quos in mundo inueniet tres omnino rollet è medio, & alios septem sibi subiiciet. Adde quod Caluin. dicit ad litteram Danielem loqui de Antiocho illustri & allegoricè de Antichristo, cuius figuram gerebat Antiochus, quod etiam docet, Cyprian. & Hieron. Sed Antiochus illustris dictus certa quædam & singularis persona fuit, ergo & Antichristus debet esse quædam persona quæ nondum venit.

Quintus & vltimus locus est Apoc. cap. 13. & 17. in 1. dicit Ioannes se. *Vidisse de mari bestiam ascendentem habentem capita 7. & cornua 10. & super cornua 10. diademata.* Quod de Antichristo exponunt communiter Patres dicto θηρίον id est bestia vel fera, ob bestialem feritatem & mores & ascendere de mari id est de hoc mundo tempestuoso. *Et datum est illi vt loquatur imago bestiæ, & ignem de cœlo descendere in conspectu hominum & ne quis possit emere aut vendere nisi qui habet caracterem bestiæ in manu sua aut fronte, & numerus nominis bestiæ 666.* In cap. 17. videt mulierem, meretricem. *In cuius fronte Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.* Hanc pene omnes de Roma Ethnica eiusque Imperatoribus Christianos opprimentibus exponunt, & genuinè Cornelius de Roma qualis futura est, in fine mundi sub Antichristo reditura ad idololatriam & Ethnicismum oppres-

sis

sis & trucidatis cum Papa Christianis, vnde vocatur meretrix, certè cum Apocalypsis sit Prophetia de statu futuro in fine mundi, hinc ruunt variæ quæ afferuntur de statu præterito expositiones. Ioannes autem consonat verbis Danieli & termino durationis Antichristi trium annorum cum dimidio: sicut ergo Daniel de vno certo Rege futuro loquitur ita & Ioannes.

Probatur ex Sanctis Patribus, Irenæo libro 5. capite 25. *Antichristus Sanctos altissimi Dei conteret & cogitabit mutaturus tempora & legem: & dabitur in manu eius vsque ad tempus temporum & dimidium tempus, hoc est triennium, & sex menses in quibus veniens regnabit super terram* Hilario in Matth can. 25 *Antichristus recipietur à Iudæis*, quod & asserit Cyrill. catechef. 15. *Decipiet Iudæos eorum creditus Messias tandiu expectatus.* Chrysost. homil. 41. in Ioannem. *Christus calumniam Iudæorum arguit per expectationem futuri Antichristi in hoc quod ille qui verè in nomine Dei venit & filium Dei esse Scripturarum testimonio comprobatur, non receperunt, eum autem qui Deum negabit, Deúmque seipsum faciet adorabunt.* Idémque planè dicit Augustinus tract. 29. in Ioannem. Hieronymus quæst. 11. ad Algasiam. *Nisi venerit discessio primum, vt omnes Gentes, quæ Romano imperio subiacent recedant ab eo, & nisi fuerit Romanum imperium antea desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet.* Augustinus libro 20. ciuit. capit. 19. sic cum Hieronymo textum Pauli 2. Thess. 2. exponit. *Tantum, ait, qui modo imperat imperet donec de medio fiat, id est, de medio tollatur, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem significare Antichristum nullus ambigit.* Item libro 20. ciuit. cap. 30. *Circa illud iudicium has res didicimus esse venturas Heliam Thesbytem, fidem Iudæorum Antichristum persecuturum, Christum iudicaturum mortuorum, resurrectionem bonorum, malorúmque diremptionem, mundi conflagrationem, eiusdemque renouationem*, Quod autem Helias venturus sit ante iudicium ad conuertendos Iudæos exprimitur Malachiæ 4. & Matthæi 17. quod & de Henoch Ecclesiasticus habet capit. 44. *Vt det Gentibus pœnitentiam translatus est in paradisum.* Quod de vtroque testatur Apocal. 11. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.*

Probatur rationibus conuincentibus, quod Papa non sit Antichristus, is dicitur 2. Thess. *Filius perditionis, homo peccati.* At Pontificum Romanorum triginta tres pro fide martyrium obierunt, & Gregorius à Caluino Sanctus admittitur libro 4. Institut. cap. 7. §. 22. loquens de Sanctis Gregorio & Bernardo. *Qui tamen tunc Sanctis illis viris tantopere displicebat.* Tum Antichristus erit vnus homo particularis, vt ostendi, atqui Papa non est nomen hominis singularis, sed nomen officij communis, in quo vnus alteri succedit, nomen enim Papæ tam commune est multis quam nomen Regis, Imperatoris, Episcopi.

Secundò, quia Antichristus non est venturus nisi euerso imperio Romano, vt innuitur 2. Thess. 2. vers. 3. & Danielis 7. vers. 24. iuncto cum Apoc. 17. vers. 12. & 16. Atqui necdum omninò euersum est Romanum Imperium, nec adhuc visi sunt decem Reges illud euertentes, ergo needum venit Antichristus.

Tertiò, Antichristus seipsum faciet Deum ex Paulo 2. Thess. Romanus verò Pontifex non abstulit hactenus omne numen, neque vetale voluit coli in Templo, nec quisquam alius hactenus hoc fecit, tum ex Danielis 12. Antichristi tempus erit breue. *A tempore, inquit, cum ablatum fuerit iuge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem dies mille* 290. id est tres anni cum dimidio: hi enim præcisè faciunt dies 1278. sed vlterius excrescet persecutio per dies 12. scilicet vsque ad dies 1290. vnde Sanctus Ioannes Apocal. 12. docet Antichristum regnaturum per 42. menses qui faciunt tres annos cum medio, vt exponunt ferè omnes Interpretes. Atqui Papa per plures dies imò annos regnauit; ergo non est Antichristus, nec dicant Nouatores non posse accipi hos tres annos cum dimidio pro annis nostris vsitatis, eo quod inquiunt constet experientia Antichristum, quem supponunt esse Papam iam multo longiori tempore esse grassatum, at hoc est petere principium, & assumere quod est in controuersia, an scilicet venerit Antichristus. Nec dicas numerum certum pro incerto hic exprimi; nam hoc tantùm fit, quando ponitur aliquis numerus plenus & perfectus, vt 10, centum mille, non autem quando assignantur varij numeri, vbi sunt magni & parui admixti: quorsum enim varietas numerorum si tempus incertum designatur?

Adde, quod tempore Antichristi tam atrox & generalis erit persecutio, vt cessent omnes Religionis Christianæ cæremoniæ, *& iuge Sacrificium*, quod Eucharistiæ agnoscunt Sancti Patres, illud autem tuetur & reuerenter continuat Romanus Pontifex.

Quartò, Antichristus erit Iudæus, inde enim à Daniele cap. 7. vocatur *cornu paruulum* quod sensim crescet, quodque non hæreditate, sed fraude regnum obtinebit, Daniel. 11. vers. 20. & 21. Addit Hieronymus nasciturum in Babylone, alij in vrbe Dan, quæ postea dicta est Cæsarea Philippi, nec enim aliter reciperetur, aut tam auidè expectaretur à Iudæis, quibus opes plurimas subministrabit, eius autem thesauros extollit Daniel. cap. 11. vers. 43. Anselmus in Elucidario per hos thesauros intelligit omnem pecuniam quæ in mari vel in terræ visceribus occulta delitescit; hanc enim per dæmonem Antichristo prodendam esse, hinc ergo à Iudæis habebitur, quasi Messias promissus sedebit in Hierusalem, veniet circa mundi finem. *Erit tunc tribulatio qualis non fuit ab initio mundi*, vt monet Christus Matth. 24. vnde Apocal. 20. *Satanas soluendus* dicitur, qui vsque ad illud tempus fuerat ligatus. *Antichristi aduentus erit in signis & prodigiis mendacibus.* 2. Thess. horum tria exprimit Apocal. 13. *Ignem de cælo descendere faciet, faciet vt imago bestiæ loquatur, finget se mori & resurgere, prælia faciet, quibus occupabit Regum deuictorum Ægypti, Lybiæ atque Æthiopiæ Regna, hincque subyciet septem alios Reges, eóque modo fiet totius orbis Monarcha, congregabit Gog & Magog in* CCCCccc 2 *prælium,*

prelium, quorum numerus est sicut arena maris, id est, Scyticam Gentem, vt eruitur ex genero in qua dicitur filium Iapheth secundum dictum esse Magog. ex quo dicta est Magog regio quam eius posteri habitarunt, quam esse Scythiam docet Ioseph. lib. 1. antiquit. cap. 11. & Hieronymus in quæst. Hebr. in Genes. c. 10. Caracterem suum suis imprimet, quem Ansbertus ex reuelatione dicit fore Græcam litteram X, *chi*, cui insertum est P, *ro*, hoc modo P, quæ sunt litteræ initiales nominis Christi, quod fuit insigne Constantini magni in Labaro P, quo vicit Maxentium, aliósque hostes, erit enim Antichristus simia Christi, & Christianorum Imperatorum, volétque haberi, nominari & coli vt Christus. Horum omnium nihil omninò conuenire Papæ, quis non videat? nec instare finem mundi, quem præcedere debet fidei Christianæ propagatio per totum mundum, hodie autem noua in dies patent regna, in Concilio autem II. Lateranensi sub Leone X. statutum est ne Prædicatores suo marte explicent Scripturam præter intelligentiam Patrum, nec prædicent aut asseuerent tempus præfixum Antichristi, cùm Christus dicat Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora.*

Nota etiam ex Scriptura sex signa aduentus Antichristi, duo ipsum præcedentia; prædicationem Euangelij in toto mundo, Matth. 24. *Et tunc veniet consummatio Imperij Romani, desolationem.* duo Comitantia, Prædicationem Henoch & Eliæ, & persecutionem maximam & generalem, qua publica sacra omninò cessent: duo sequentia interitus Antichristi, qui occidet duos prædictos Prophetas, & post tres annos cum dimidio occidetur ipse, igne de cælo immisso, iuxta Olìueti montem, ait Hieronymus in 11. Danielis, & post dies 45. qui seductis ad pœnitendum dabuntur conflagratio, & finis mundi.

Dices, notas Antichristi conuenire Papæ, qui cum antea Pastor esset, & Episcopus Romanus, sensim factus est Antichristus; licet autem præcisum temporis initium assignari nequeat, cùm ab ipso Apostolorum tempore *Mysterium iniquitatis operaretur*. 2. Thess. 2. quod Ioan. Epistol. 1. cap. 2. vel de Nerone typo Antichristi, vel de Ebione, aliisque Hæresiarchis intelligit cùm dicit, *Multi Antichristi nunc sunt.* Tamen cùm Papa cœpit primatum inuadere, aliisque dominari, iusque vsurpauit, & Oecumenici nomen Bonifacius III. à Phoca Imperatore Domini sui Mauricij Imperatoris parricida accepit circa annum Christi 606. tunc decessor eius Gregorius anno 604. fuit vltimus legitimus Episcopus Romanus, & successores Antichristi facti sunt, & cooperatores Mysterij seu Regni iniquitatis, deficientes à primæua fide, voluntatem suam pro ratione, & decreta sua pro oraculis Scriptura ipsa reclamante proponentes, &c.

Respondeo, hæc omnia meras esse quisquilias; nomen autem Oecumenici & vniuersalis Pontificis longè ante datum Leoni Papæ à generali Concilio Chalcedonensi, constat ex eius actione 1. 2. 3. in quibus & Roma vocatur Caput omnium Ecclesiarum, Leo dictus os Petri sanctissimus vniuersalis Archiepiscopus & Patriarcha magnæ Romæ. Tum si à Bonifacio III. Pontifices Romani omnes fuerunt Antichristi, ergo iam per septem ferè sæcula Christus deseruit Ecclesiam suam, quæ proinde periit contra expressum Christi verbum Matth. 16. *Et portæ inferi non praualebunt, &c.* Nec valet instantia Nouatorum, qui ex Gregorio libro 4. Epistola 38. ad Ioannem Episcopum Constan. Antichristum vocante eum qui vult appellari Episcopus vniuersalis inferunt Papam hunc vsurpantem titulum esse Antichristum ob superbiam. Respondeo enim hunc verè esse imitatione & superbia Antichristum (Christus enim nihil magis docuit quam humilitatem qui indebitum honorem & titulum sibi arrogat, quod faciebat Ioannes Constantinopolitanus, dum Episcopus vniuersalis nuncupari prætendebat, qui titulus sanè prophanus dictus est à Gregorio eo sensu quo Ioannes eum vsurpabat, scilicet vt vnus tantum esset Episcopus in Ecclesia, quod conuincitur ex 82. Epistola libro 4. ad Ioannem. *Qui indignum te fatebaris, vt Episcopus dici debuisse ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus Episcopus appetas solus vocari*, & Epistola 69. libri 7. *Si vnus vt putat vniuersalis est, restat, vt Episcopi vos non sitis.* At sensu Catholico quo Papa vniuersalis dicitur, quod sit superior Episcopis, seu Episcopus Episcoporum titulus ille *vniuersalis* non est prophanus sed legitimus, hic enim non priuat alios honore debito cum Papa Episcopos fratres & coepiscopos suos vocet in Epistolis Apostolicis, ab hoc tamen titulo abstinuit Sanctus Gregorius, & se seruum seruorum Dei nuncupauit ex singulari humilitate, & ad retundendam superbiam Constantinop. Archiepiscopi, qui ambiuerat & extorserat titulum Patriarchalem, indéque ad vniuersalis dignitatem transilire volebat.

QVÆSTIO XII.

De obedientia Papæ iuranda, & præstanda.

Obedientia Pontifici Romano ab omnibus Christianis humiliter & fideliter exhibenda, non immeritò inseritur trigesimo septimo Professionis fidei Catholicæ articulo; supposita enim amplissima dignitate Vicariatus Christi, quam à successione Principis Apostolorum Petri consequitur, vnde supremus efficitur totius Ecclesiæ Pater & Pastor, nec-non & spiritualis Monarcha, nemo non videt quanta cum reuerentia & subjectione tam interna quàm externa venerandus & colendus sit Papa sui temporis Petrus, quod vt plenè intelligatur, sit

PROPOSITIO CATHOLICA.

Vera obedientia debetur Romano Pontifici.

Probatur ex Scriptura Deuteron. 17. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo ex decreto iudicis morietur homo ille & auferes malum de Israel.* Ioannis 20. *Sicut misit me Pater,*

Pater, & ego mitto vos. Luc. 10. *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit*, quæ verba propiè pertinere ad Apostolos eorúmque successores docent Cyprianus libro 4. Epistola 9. Basilius in constitut. monast. capit. 23. prima Petr. 2. *Serui subditi estote Dominis, non solùm bonis & modestis, sed etiam discolis.* Si autem Papa est Vicarius in terris, ergo Dominus respectu Christianorum. Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, ideoque necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant tanquam pro animabus vestris rationem reddituri.* Matth. 23 *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi quæcumque dixerint vobis seruate & facite*; Papa autem sedet super cathedram Petri, vt probaui.

Probatur ex Sanctis Patribus Augustino in libro 9. Genes. *Est ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, & filij parentibus; quia in illis hæc est iustitia, vt maiori seruiat minor.* Inde elicio directè obediendum Papæ, qui est Pater fidelium. Sancto Maximo homilia 3. de Sancto Petro & Paulo. *Quid etiam de Petro referam, cuius tanta à Deo est approbata iustitia, tantáque ei attributa potestas iudicandi, vt in arbitrio eius poneretur cæleste iudicium, perspicite ergo & æstimate quanto nobis sit Petrus Apostolus honore venerandus, cuius sententiam in terris prolatam sempiterni Iudicis æquitas non repellit.* Cypriano Epistola 55. agens de Cornelij Papæ inhonoratoribus. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.*

Cyrillus locum singularem habet, quem refert Sanctus Thomas opusc. lib. 1. capit. 68. & opusc. 19. cap. 3. vt membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontifice, à quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debeamus ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus, quoniam ipsius solum est reprehendere, corrigere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificauit: & nulli alij quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & Primates mundi tanquam ipsi Domino Iesu Christo obediunt, hæc ex Græco Thesauri opere Cyrilli refert etiam Gennadius capite vltimo pro Concilio Florentino sess. 12. Petrus Chrysologus in huius obedientiæ incentiuum adducit serm. 175. Exemplum Christi quem cum exisset Edictum à Cæsare Augusto Ethnico homine, & cui nihil reuera iuris in Christum erat, illico obedisse constat, & per matrem deferri voluisse in Betleem ad nomen suum Romanis tabulis inserendum, vt ferebat Edictum Cæsaris, hoc cum recitauit Chrysologus subijcit. *Libet hic aliquid de dolore dicere Edicto Cæsaris & Pagani Dominus obtemperaturus occurrit, & decreto Beati Petri decreto Principis Christiani seruus adhuc aliquis irreuerenter obsistit!* Vide Gabrielis Biel. *Defensorium obedientiæ Apostolicæ ad Pium II.*

Probatur ex Conciliis Triburiense sub Formoso capite 30. obedientiam Papæ deferendam docet luculenter in memoriam, inquit Beati Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas ea, licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum feramus, tamen & pia deuotione toleremus. Canon. 39. Concilij Nicæni, ex iis qui ex Arabico sunt versi, sic habet ille, qui tenet Sedem Romæ Caput est & Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus cui data est potestas in omnes Principes Christianos & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos & vniuersam Ecclesiam Christianam: & quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur. Canonem istum Nicænum apud se haberi agnouit Siud Patriarcha Nestorianorum profitens Romæ Catholicam fidem anno 1553. Eandem omninò mentem & perhonorificam semper de Romano Pontifice existimationem cum necessaria obedientia coniunctam omnibus Conciliis & Sanctis Antistibus fuisse communem abundè tradit Potho Prumiensis libro 3. de statu domus Dei.

Probatur hæc debita obedientia rationibus omninò conuincentibus, quarum prima infertur ex Vicariatu Petri quem habet Papa, & ex Magisterio & Præfectura in totam Ecclesiam illi annexa.

Secunda excluso Pontifice & obedientia ei debita, occlusus est aditus Regni cælorum, quod sic probatur ex verbis Christi Ioan. 10. Amen, amen dico vobis qui non intrat per ostium in ouile ille fur est & latro. Paulus autem 1. Corinth cap. 6. asserit. *Neque fures, neque rapaces possidebunt Regnum Dei.* Christus autem ostium se dicit. *Per me si quis introïerit saluabitur.* At introitus in ouile seu in Ecclesiam dari debet, vel per Christum, vel per clauigerum Petrum eiusque successorem, ergo qui Pontificem Romanum non agnoscit, quod sine obedientia nequaquam fit, non saluabitur, intrare autem per Apostolorum successores, alios à Romano Episcopos idem est, cùm ipsi communione fidei & obedientia communicent, vt ex Conciliis constat, & singulari veneratione obsequantur in omnibus. Vnum pro multis dico, nusquam inuenietur quisquam Pastor in Ecclesia aut ouis, qui à Papa post Petri tempus ordinationem non susceperit, aut si simplex Christianus fuerit, qui obedientiam ei non spoponderit, saltem in præparatione animi; nam sine Petri successore non extat, neque haberi potest vera Christi Ecclesia, quod adeò verum est, vt Caluin. libro 4. institut. cap. 3. §. 16. Fateatur impositionem manuum à Pastoribus dandam Ministris Ecclesiæ esse legem Apostolicam, hincque Geneua ipsa Ministros non suscipit, qui ab alio ritualiter hanc non habuerit impositionem; dignitas autem hæc emanata à primo Pontifice inferiorum eius obedientiam & venerationem exigere quis non videt.

Tertia formatur sic, quicumque spernit Christum & Patrem æternum reus est æternæ damnationis, at inobedientes seu contemptores Papæ spernunt Christum non obediendo Romano Pontifici. Luc. 10. *Qui vos spernit, me*

me spernit & Patrem. Erga obedientia est necessario & de iure exhibenda Papæ vti Christi Vicario & Petri successore.

Quarta ratio delumitur ex communi vtriusque hominum ordinis sacri scilicet & laïci euulgato sensu, qui ab omni Christiano æuo obedientiam Domino Papæ spondendam verbo & exemplo docuerunt. Præiuit equidem sacer ordo, vt ex Conciliis citatis constat, & ex Episcopis Tarraconensis Prouinciæ ad Hilarium Papam Domino beatissimo & Apostolica reuerentia à nobis colendo Papæ Hilario, Ascanius & vniuersi Episcopi Tarraconenses.

Subsequutus est Ordo laïcus, ciúsque Magnates, Principes, Reges, Imperatores propensissimos fuisse in cultum & obsequium Romani Pontificis liquet ex historia, quam in præfatione Articuli tetigi. Huius autem obedientiæ & venerationis argumentum non leue est quod suppeditatur à Symmacho Papa in Apologetico ad Anastasium Imperatorem, his verbis. Omnes Catholici Principes, siue cùm ipsi suscipiunt gubernacula Principatus, siue cùm nouus crearetur Romanus Pontifex suis eum semper litteris præuenerunt, & illam fidem tanquam boni filij quæsiuerunt, cui nossent totius curam Ecclesiæ à Christo ipso fuisse delegatam. Eas porrò litteras Imperatorum fideilum à Pontificibus asseruatas esse in limine Confessionis Sancti Petri scribit Gregorius II. ad Leonem Isaurum. Hæc generatim dicta sunto, sed descendendum est ad particularia exempla, quæ magis conuincunt. Obedientiæ submissionis venerationis & honoris causa procumbere solitos inuenio Christianos ad pedes Pontificis iuxta prophetiam Esaiæ capit. 45. *Sublimes ad te transiibunt, & tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, téque deprecabuntur,* quod Geneua deprauauit supprimendo illud, *te*, quod bis exprimitur, Idémque in fauorem Episcopi Philadelphiæ Angelus dixit, Apoc. 3. *Faciam, vt veniant & adorent ante pedes tuos, quia ego dilexi te.* Cornelius Centurio Act. 10. *Et cum introiisset Petrus obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit.* Petrus verò modestè in illis primis tenuibus sui Pontificatus initiis hunc honorem recusauit, fortè autem ne comites Iudæos offenderet, qui nondum plenè instructi erant de dignitate & prærogatiua Pontificatus Christiani, Clemens Romanus, *Procidit ad pedes Petri declinans honorem Cathedræ vel potestatem*, vt ipse testatur Epistola prima ad Iacobum. Baronius in anno Christi 294 ait Præpedignam vxorem Claudij ad pedes procidisse Caij Papæ, eósque ex more (*vt acta habent*) exosculata æquè se ad fidem recipi postulauit. Sic Imperator Philippus anno 147. facta publicè confessione peccati humilis procubuit ad pedes Fabiani Papæ, ex Eusebio libro 6. hist. cap. 27. Iustinianus Imperator Constantinum Papam Constantinopolim præmissa classe, quo tutiùs nauigaret accersitum, non solùm amplectitur, verum etiam eius pedes venerationis causa exosculatur. Anastasio, Beda, Mariano, Scoto, & Platina authoribus. *Et quidem*, inquiunt, *coronam gestans in capite*, vt appareret etiam Imperatoriam maiestatem deijci ad pedes Vicarij Christi. Iustinum seniorem Imperatorem Ioanni I. aduenienti obuiam factum in porta aurea Constantinop. & ante eum summa cum demissione prostratum exhibet Anastasius in Ioanne I. & Marcellinus in chronico anni 524. Paulus Æmilius in hist. de rebus gestis Francorum in vita Pepini Regis hæc scribit. *Pontifici Stephano in Galliam venienti officij causa amplissimus ac nobilissimus quisque ad primos fines occurrerunt Principe comitatus Carolo adolescentulo, & Pepinus ad tertium à Carisiaco oppido lapidem obuiam progressus pedes, vt ferunt, exosculatus coerceri non potuit, quin in equo sedentem ipse pedibus ad frenum prosecutus in Regiam deduceret.* Idem in vita Caroli Magni præstolabatur Regem Adrianus Papa cum sacro cœtu pro gradibus ædis Petri. Ille vbi in congressum venit prius Pontificis pedes osculo contigit quàm se illi complectendum daret, hoc contigisse anno Christi 787. Adriani Papæ 16. notat Baronius. Anno autem 816. Stephanus V. tertio ab electionis suæ mense in Gallias tendens pro stabilienda Ecclesiæ pace, honorificentissimè ab ipso Imperatore Ludouico III. obuiam ei facto, & in ipso accessu ter ante pedes ipsius prostrato exceptus est Rhemis, omniáque quæ petiit obtinuit. Federicus I obuiam habet Sutrina in vrbe Adrianum IV. mox equo descendit, cúmque pronus adorauit; Romæ autem ab ipso inauguratus Imperator post aliquam tergiuersationem humilis ministerij adactus est stratoris officium exhibere & suppedaneum tenere Pontifice equum ascendente, indeve descendente postquam agitata apud Principes Germaniæ controuersia, consultis veteribus monumentis deprehensum est eum fuisse antiquum morem Galliæ & Angliæ Reges Ludouicus & Henricus II. equitanti Alexandro III. à dextra læuáque adstitisse pedites ac frænum tenentes, scribit Genebrad. ad annum 1180. quod & Federicus Barba-russa præstitit Papæ, Pontifici licet schismatico, Octauiano, Platina in Alexandro III. hæc scribit, venerat iam Venetias Alexander componendæ pacis Italiæ causa, eo & Fredericus accedens in vestibulo Sancti Marci Pontificis pedes exosculatur, quod factum anno Christi 1177.

De osculatione pedum Pontificis per viros Principes, & quosvis alios extat libellus Ioannis Stephani Valentini, & alius Marci Antonij Mazzaronij, vbi cap. 3. Cuspinianum huic inductioni infestum comprimit, & quamuis eum honorem delatum legamus aliquibus magni nominis Antistitibus, verbi gratia, Sancto Martino Episcopo Turonensi ab Imperatore Valentiniano, teste Fortunato Pictauiensi Episcopo, libro 3. de vita Sancti Martini. Sancto Epiphanio, *cuius turba omnis ætatis & sexus*, ait Hieronymus Epistola 61. ad Pammachium, *pedes deosculans fimbrias vellens, &c.* Item Sancto Anselmo, vt scribit Edinerus libro 2. *Etiam annuente Vrbano Papa*, quod & hortante Chrysostomo homilia 59. ad populum, præstitum fuit Monachis, & Religiosis. *Ad eos*, inquit, *abi, hospitare, accede Sanctos tange, pedes, multò namque honestius est illorum pedes tangere, quam aliorum caput.* Hoc perrarum fuit; respectu autem Papæ fuit ordinarium, & per omnes Catholicos iam olim frequentatum in tesseram submissionis, reuerentiæ

reuerentiæ, venerationis nec non & profundæ obedientiæ quam Catholicus erga Sedem Apostolicam, eiúsque Pontificem solemniter profitetur, & iurat, ad maiorem firmitudinem, sic enim Dauid Psal. 118. obseruationem mandatorum Dei profitetur cum iuramento, *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Vnde & Reges à subiectis sibi populis fidelitatis iuramentum exigunt, esto ea iam sibi iure gentium debeatur.

DIces, ex Isai 33. *Dominus Iudex Legislator Rex noster*, & Iacobi 4. *Vnus est Legislator & Index, qui potest perdere & saluare.*

Respondeo, vnum esse Christum primarium, qui ex authoritate sua fecit Leges & iudicat, talem autem non dicimus Papam, nec ei vt tali obedientiam præstamus, sed vt eius Vicario qui Christi nomine possit Leges ferre, & ad obedientiam in conscientia obligare Christianos.

Instabis ex Paulo ad Gal. 5. *Nolite iterum iugo seruitutis contineri*, qui 4. dixit. *Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.*

Respondeo, hæc non liberare fideles ab obedientia Prælatorum cùm ipse dicat. *Obedite Præpositis vestris*, & 1. Petr. 2. legatur. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deũ.* Libertas vero impertata à Christo est respectu peccati, vt Rom 6. dicitur. *Liberati à peccato serui estis facti iustitiæ*, ídque per gratiam, quæ superabundat in lege noua, qua vincimus peccatum, vel dici potest nos liberatos *de maledicto legis*, quia seruitus cæremonialium & iudicialium præceptorum Mosis sublata est. Act. 15. Adde, quod *vbi charitas* quæ diffusa est ab Aduentu Spiritus-Sancti, *ibi libertas*; legem enim Dei & Superiorum ex amore implemus, sicque non ex timore aut quasi serui, sed liberi & voluntariè obedientes.

DIces, hanc prostrationem ad pedes Pontificis sapere idololatriam; demissior enim cultus non potest Deo ipsi impendi, tum honor qui defertur Papæ communiter vocatur adoratio, quæ etiam vnus est modus electionis eius dum eligendus ponitur in cathedra, vel in Altari, & de geniculis aut osculando pedes eius adoratur, quin etiam commune est effatũ apud Catholicos Papæ deberi cultum, qui SS. exhibetur, scilicet duliæ, & aliqui hyperduliã (quæ reseruabatur B. Virgini ob excellentiam specie diuersam ab ea quæ fundatur in gratia, nempe maternitatem) ei attribuunt assentationis potiùs quam religionis motiuo.

Respondeo primò, adorationem ex se maximè pendere ab actu interno & obiecto seu motiuo adorantis; omnes enim actus externi, v. g. genuflexio, osculum, acclamatio, &c. ficto animo & irrisoriè impendi possunt, vt liquet ex salutationibus, & genuflexionibus irrisoriis datis Christo in Passione, Matth. 27. *Et genu flexo ante eum illudebant ei dicentes, Aue Rex Iudæorum.* Objectum autem cultus exhibiti summo Pontifici est Christus ipse, vel sublimis eius dignitas, hincque cultus & veneratio hæc relatiua notatur à Vicario ad Christum supremum Ecclesiæ Caput transiens, nec in indiuidua sistens persona, etsi sit imago Christi expressa & viua, sed ad prototypum transuolans, quam nec ipse Pontifex sibi fastuosè detineat, sed remittat ad Christum, quod vt intelligunt Catholici, Crucem sandaliis pontificiis impressam vident & osculantur, qua significatur ad Christum Crucis signo repræsentatum venerationẽ fidelium transferri ab ipsomet excipiente cultum: id piè & prudenter imitatus est olim Laurentius Celsus quinquagesimus octauus Dux Venetiarum, cùm enim absens suffectus fuisset in locum Delphini, qui obierat pendente eius ad Imperatorem Carolum legatione, nec vitare posset, quin pater eius vna cum reliquis Senatoribus ad genuflexionẽ quæ in Principis inauguratione impenditur pro more reciperetur Crucis signum vesti ducali apposuit, ait Sabellicus, quo paternam venerationem ad Christum referret.

Vox autem adorationis communiter vsurpata ad expressionem honoris impensi, nequaquam sapit idololatriam, nisi dixerimus Abrahamum Patrem fidei idololatram cum filios Heth adorauit Gen 23. Isaacum cum fratrem Esau prostratus adorauit, Gen. 33. Iosephum cũ procumbens patrem adorauit Gen. 38. & summum Pontificem Iaddum aliàs Ioiadam reum Majestatis diuinæ faciamus, cùm Alexandri magni singularem cum genuflexione submissionem suscepit. Si instes allegatos ritus ciuiliter fuisse impensos, cultum autem Papæ religiosum haberi. Esto sitque duliæ imò hyperduliæ, provt voluerint qui ad pedes eius se deijciunt, totum refunditur ad Christum, vel ad Petrum Principem Apostolorum; Vicariatus enim Christi aut successio ad Petrum, qua maior in terris non extat, aut haberi potest dignitas venerationis debitæ, religiosum est fundamentum, vnum pro Corollario dico ex S. Cyprian. Ep. 55. Contemptum Pontificis causam esse, vt plurimùm schismatum & hæreseon.

QVÆSTIO XIII.

De potestate temporali Papæ.

BEllarmin. lib. 5. de Rom. Pont. examinandæ huic quæstioni assignauit, quam hic delibandam ad instituti nostri complementum iudicaui.

Nota Christum ratione diuinitatis qua æqualis est Patri fuisse semper Regem & Dominum omnium creaturarum eo modo quo est Pater, sed hoc regnum diuinum & ex radice æternum non tollit dominia hominum, nec potest conuenire homini aut Papæ. Item obserua Christum vt hominem fuisse Regem spiritualem omnium hominum, & amplissimam potestatem habuisse in omnes, tam fideles quàm infideles in ordine ad salutem æternam, ita vt posset eos obligare ad fidem & Sacramenta sua suscipienda: potuisse quoque per eandem spiritualem potestatem disponere de omnibus rebus temporalibus provt expedire iudicasset ad finem suum spiritualem: futurum etiam post diem iudicij hoc spirituale Christi regnum etiã sensibile & manifestum, & ita inchoatam esse gloriam huius regni in ipso capite nostro Christo quando à mortuis surrexit.

Cæterum hoc etiam non esse regnum temporale qualia sunt nostrorum Regum, nec posse Pontifici communicari, quia præsupponit resurrectionem potuisse. Denique Christum hominem si voluisset, & si expedire sibi visum fuisset, accipere regiam authoritatem, tamé noluisse, & proinde nec accepisse, nec habuisse non solùm exequutionem dominij & regni, sed nec authoritatem, vel potestatem regni vllius temporalis: nam si habuit vel ex hæreditaria successione, vel ex electione, vel iure belli, vel dono speciali Dei, primum constat ex Matth. 1. qui ex Iechonia Christum descendere ostendit; de illo autem Hier. 22. dictum fuit. *Non erit de semine eius vir qui sedeat super solium Dauid*, nec pugnant Gabriel. verba Luc. 1. *Dabit ei Deus sedem Dauid patris eius.* Aiunt Hier. & Ambros. quia de spirituali atque æterno intelliguntur, quibus consentit Aug. lib. ciu. 17. c. 7. *Qui populus regnum fuerat amissurus Christo Iesu non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo*, Electio & ius belli nihil hic habent, nec donum Dei, cùm Ioan. 18. dicat. *Regnum meum non est de hoc mundo*, & se venisse ministrare asserat, tum Daniel. 2. & Luc. 1. dicitur regnum Christi non habiturum finem, quod de temporali non potest intelligi, cùm post Ascensionem non viuat Christus humano more, & Romani, Saraceni, Turcæ, occupent illud regnum, saltem ex parte: his præmissis ponitur

PROPOSITIO THEOLOGICA.

Papa directè nullius loci est temporalis dominus iure diuino, habet tamen indirectè, seu ratione spiritualis potestatis potestatem in temporalibus. Sic Theologi communiter censent, vnde elicitur Papam non esse dominum mundi Christiani (nec enim de alio potest formari controuersia) nam Christus commisit Petro suas dumtaxat oues, infideles autem non sunt oues, tum Papa non potest iudicare infideles 1. Cor. 5. *Quid ad me de his qui foris sunt iudicare?* Principes autem Ethnici sunt veri, & supremi Principes regnum suorum, nam dominium non fundatur in gratia, aut in fide, sed in libero arbitrio, nec descendit ex iure diuino, sed ex iure gentium, vt patet ex eo quod Deus in vtroque Testamento approbat regna Gentilium, Daniel 2. *Tu es Rex Regum, & Deus cæli dedit tibi imperium* Matth. verò 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris*, non donate, quia iure debentur, & Rom. 13 Iubemur obedire Ethnicis Principibus, etiam propter conscientiam, at non teneremur, nisi essent veri Principes. Nec dicas Ethnicos Principes, aliósque omnes esse Vicarios Papæ; nam ipse tales nollet, & ridiculum est dicere, quod Deus dederit Pontifici ius in regna totius mundi, & non dedisse ei facultaté vnquam vtendi huiusmodi iure. Nec valet instantia ex Matth. 28. vbi Christus ait, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Respondent enim Hier. & Ansel. intelligi de spirituali, qua per fidem debet regnare in cordibus Christianorum, vel vt addit Theophil. Est in Christo summa quædam potestas diuinæ similis, quæ homini communicari nequit. Minus est ad rem hanc, quod Luc. 22. habetur. *Domine ecce duo gladij hic.* At ille dixit eis, satis est, nec enim hic agitur de potestate, sed de periculo instanti, quod Christus significabat Apostolis, quod tale esse debebat vt cibus & gladius vendita propria tunica emendi essent ad vitam tuendam. Appositè Ambros. *O Domine cur me iubes emere gladium, qui ferire prohibes, nisi fortè vt parata sit defensio, & videaris potuisse vindicare, sed noluisse.* Tum Chrysost. cẽset hos gladios non fuisse militares, sed rusticos, vel potius magnos lanionũ cultros, quibus Apostoli vsi fuerant ad iugulationem, immolationem & diuisionem Agni Paschalis, & in orat. de catena S. Petri apud Metaphrast. 1. Aug. Chrysost. gladium Petri, quo Marco auriculam abscidit breuem quidem & informem videri dicit, sed olim magno honore adseruatum, qui aliis Apostolicis manibus deseruiens eodem honore, ac veneratione quo & catenæ ipsæ velut sacratus quidam thesaurus in Templo repositus seruetur.

Propositionis prima pars probatur ex Scriptura, ex locis citatis, qui pronuntiant Reges & Principes etiam Ethnicos esse veros Principes, quibus in conscientia teneantur obedire subditi, hincque Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.*

Probatur ex SS. PP. Ambros. in orat. de tradendis Basilicis. *Si tributum petit Imperator, non negatur, agri Ecclesiæ soluunt & tributum.* Hosio Imperatore dicente. *Tibi Deus imperium nobis autem ea quæ sunt Ecclesiæ Christus commisit.* Hugo de S. Vict. l. 2. de sacr. p. 2. c 4. *Terrena potestas caput habet Regem: spiritualis potestas habet summum Pontificem*, clariùs id exprimit Ioan. Driedo l. 2. de libert. Christiana, c. 2 *Christus cum præfecit Petrum vniuersali Ecclesiæ Pastorem, non simul dedit illi imperium temporale super vniuersam Ecclesiam; neque enim abstulit Imperatoribus & Regibus sua regna, neque item voluit vt omnis potestas regalis perinde ac Ecclesiastica debeat deriuari & descendere ex potestate Petri.* In promptu est ipsa Pontificum Confessio, Leonis Ep. 38. ad Martianum Imp. fatetur enim eum à Deo ad imperium esse electum. Gelasij ad Anastasium Imp. quæ habetur Epist. in decret. dist. 96. canon. duo sunt. *Duo sunt, inquit, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Gregorij lib. 2. Ep. 61. ad Mauritium, Nicolai Ep. ad Michaëlem. *Nolite præiudicium Ecclesiæ irrogare, illa quippe nullum imperio vestro præiudicium infert.* Alexand. III. c. si duobus §. denique extra de appellationib. rogatus an appellatio à iudice sæculari teneat respondet. *Tenet quidem in his qui sunt nostra temporali iurisdictioni subiecti; in aliis verò secundùm iuris rigorem credimus non tenere.* Denique Innocent. III. cap per venerabilem extra qui filij sint legitimi dicit Papam solùm in patrimonio Ecclesiæ habere in temporalibus potestatem. *Cum Rex, inquit, superiorem in temporalibus neminem agnoscat, &c.*

Probatur ratione; nam si Papa, vel Petrus iure diuino esset totius orbis Christiani dominus id deberet constare ex Scripturis, aut certè ex Apostolorum Traditione, at Scriptura meminit tantùm de clauibus regni cælorum traditis; non autem regni terrarum. Traditio nulla profertur. Tum si hoc esset quilibet Episcopus esset Princeps temporalis in oppidis suo Episcopatui subiectis, siquidem quod est Papa in Ecclesia

Ecclesia vniuersali est quilibet Episcopus in particulari. Episcopos autem esse Dominos hoc ipso, nemo dicit

DIces, Papa vacante imperio succedit in administratione & imperiali vtitur autoritate, donec alius Imperator sit electus, vt habetur ex Concil. Vienn. Clement. Pastoralis de sententia & re iudicata; ergo signum est imperatoriam dignitatem à Papa tanquam à summo temporali Principe dimanare.

Resp. non in omnibus Papam succedere, sed solùm in authoritate iudicandi & terminandi eas causas, quæ à solo Imperatore iudicari solent, & quæ non patiuntur moram. Tum id homines constituerunt ea ducti ratione, quia causæ quæ non possunt definiri per temporales Iudices deuoluuntur ad Iudicem spiritualē. Propositionis pars altera. ***Papa habet indirectè, seu in ordine ad bonum spirituale summam potestatem temporalem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum.***

Probatur ex Scriptura, Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Hic enim data intelligitur omnis potestas necessaria Pastori ad gregem tuendum, scilicet arcere lupos, cohibere arietes, & prohibere ne lædant, & pabula ouibus singulis conueniētia tribuere. Matt. 17. *Attendite à falsis Prophetis, &c.* Suffragantur exempla 2. Paralip. 26. Cùm Rex Osias vsurparet Sacerdotium, eiectus est de Templo à Pontifice, & cùm propter idem peccatum lepra à Deo percussus fuisset ex sententia Azariæ Pontificis, qui Ioël dicebatur, vrbe, & Regni administratione priuatus fuit; Leuitici enim c. 13. lex dicebat. ***Quicumque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, solus habitabit extra castra.*** Vnde euincitur Regem exauctoratum fuisse ad arbitrium Pontificis. 2. Paral. 23. cum Athalia filia Achab tyrannicè occupasset Regnum, & foueret cultum Baal Ioiada Pontifex vocauit centuriones & milites, & per eos interfecit Athaliam, & pro ea Ioas Regem creauit 4. Reg. 11. ***Et fecerunt Centuriones, iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.***

Probatur ex SS. Patribus, Ambros. qui cum Episcopus esset Mediolanensis, & proinde Pater spiritualis Theodosij Imper. qui Mediolani Sedem suam ordinariè tenebat, primò excommunicauit eum propter cædem quam Thessalonicæ à militibus fieri imperauerat, deinde ei præcepit vt legem ferret ne sententiæ latæ de cæde, vel bonorum publicatione ratæ essent, nisi post 30. dies à sententiæ pronuntiatione, vt scilicet si quid per iracundiam præcipitanter dictasset intra tot dierum spatium reuocare posset, scribit hoc Theodor. l. 5. hist. c. 17. Atqui non potuit Ambros. excommunicare Imp. propter cædem illam, nisi priùs causam illam cognouisset & dijudicasset, licet criminalis esset, & ad forum externum pertineret: non potuit autem huiusmodi causam cognoscere, & iudicare, nisi etiam in foro externo esset legitimus Iudex Theodosij. Præterea cogere Theodosiū ad legem politicam ferendam, & præscribere ei formam legis, nonne manifestè ostendit posse Episcopum interdum potestate temporali, vti etiam in eos qui potestatem super alios acceperunt? Quanto ergo magis id poterit Princeps Episcoporum? Probatur ex Greg. II. qui prohibuit vectigalia solui Leoni Imperatori Iconomacho, & proinde mulctauit cum parte imperij Italica. Greg. I iam concesserat priuilegiū monasterio S. Medardi, in quo hæc expressa sūt. ***Si quis Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarūcumque personarum secularium huius Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscumque dignitatis vel sublimitatis sit honore suo priuetur.*** Vterque Gregorius pro Sancto habetur.

Probatur rationibus indirecta summa temporalis potestas Papæ; & primo explicatur similitudine quā affert Greg. Naz. in orat. ad pop. & post eum Hugo Vict. l. 2. de Sacram. p. 2. c. 4. vt se habent in homine spiritus & caro, ita in Ecclesia duæ illæ potestates; nam caro & spiritus sunt quasi duæ Respublicæ, quæ & separatæ & coniunctæ inueniri possunt. Caro habet sensum, & appetitum, quibus respondent actus & obiecta proportionata, & quorum omnium finis est sanitas & bona constitutio corporis. Spiritus habet intellectum & voluntatem, & actus atque obiecta proportionata, & pro fine sanctitatem animæ: inuenitur caro sine spiritu in brutis, spiritus sine carne in Angelis, ex quo apparet neutrum præcisè esse propter alterum. Inuenitur etiam caro iuncta spiritui in homine, vbi quia personam vnam faciunt, necessariò habent subordinationem & connexionem; nam caro subest & spiritus præest, & licet spiritus non se immisceat actionibus carnis, sed sinat eam exercere suas actiones, vt in brutis exercet, tamē quādo ipsæ officiunt fini ipsius, imperat spiritus carni, eámque castigat, & si est opus indicit ieiunia, aliásque afflictiones etiam cum detrimento aliquo & debilitate ipsius corporis, & cogit linguam ne loquatur, oculos ne videant: pari ratione si ad obtinendum finem spiritus necessaria sit aliqua operatio carnis, & ipsa etiam mors spiritus potest imperare carni, vt se ac sua exponat, vt videmus in Martyribus. Ita prorsus politica potestas habet suos Principes, Leges, iudicia, obiecta, &c. Similitérque Ecclesia habet suos Episcopos, Canones, iudicia, illa habet pro fine pacem temporalem; ista salutem æternam. Inueniuntur quandoque separatæ, vt olim tempore Apostolorum, quandoque coniunctæ vt nunc, quando autem sunt coniunctæ efficiunt vnum corpus, & ideò debent esse connexæ, & inferior subiecta & subordinata superiori. Itaque spiritualis non se immiscet temporalibus negotiis, sed omnia sinit procedere, sicut antequā essent coniunctæ, dummodo non obsint fini spirituali aut non sint necessaria ad eum consequendum: si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest & debet coërcere temporalem omni ratione, ac via, quæ ad id necessaria videtur.

Explicatur inde potestas spiritualis Papæ cū personis Iudicum, seu Principum sæcularium, cum legibus eorum ciuilibus cum eorum foro & iudiciis.

Quantum ad personas non potest Papa, vt Papa temporales Principes deponere etiam iusta de causa, eo modo quo deponit Episcopos, id est, tanquam ordinarius Iudex: tamen potest mutare regna, & vni auferre atque alteri conferre, tanquam summus Princeps, si id necessarium sit ad salutem animarum.

Quantum ad Leges non potest Papa, vt Papa ordinariè

ordinariè condere legem ciuilem, vel confirmare aut infirmare Leges Principum; quia ipse non est Princeps politicus, tamen potest omnia illa facere, si aliqua lex ciuilis sit necessaria ad salutem animarum, & tamen Reges nolint eam condere, aut si alia sit noxia saluti, & tamen Reges nolint eam abrogare. Sic Glossa de regulis iuris in sexto verificatur, quando, inquit, de eadem re contrariæ inueniuntur Leges Imperatoriæ & Pontificiæ, si materia legis est res animarum salutem concernens abrogatur Imperatoria per Pontificiam hincque lex quæ præscriptionem faciebat 30. vel 40. annorum, etiam cum mala fide, abrogata est per Pontificiam, quia non poterat seruari sine mortali peccato. Quando autem materia legis est res temporalis non concernens animæ periculum non potest Lex Pontificia abrogare Imperatotiam, sed vtraque seruanda est, illa in foro Ecclesiastico, ista in foro ciuili. Sic Innoc. III. cap. per venerabilem dicit loquendo de iudiciis, quæ Papa in temporalibus quandoque exercet, causaliter tantùm id à Pontifice fieri.

Rationib. iã sic explicata propositio probatur: Potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, quando vtraque est pars eiusdem Reipublicæ Christianæ; ergo Princeps spiritualis potest Principibus temporalibus imperare & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale; omnis enim superior potest imperare inferiori suo.

Quod autem potestas politica non solùm vt Christiana, sed etiam vt politica sit subiecta Ecclesiasticæ, vt talis est, patet quia fœlicitas temporalis non est absolutè vltimus finis, & ideò referri debet infœlicitatem æternam; constat autem ex Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 1. ita subordinari facultates vt subordinantur fines. Tum Reges & Pontifices laici & Clerici non faciunt duas Respublicas, sed vnam, id est vnam Ecclesiam; sumus enim omnes vnum corpus. Rom. 12. & 1. Corinth. 12. At in omni corpore membra sunt connexa & dependentia vnum ab alio: non autem rectè asseritur spiritualia pendere à temporalibus; ergo temporalia à spiritualibus pendent illísque subijciuntur. Adde quod si temporalis administratio impedit bonum spirituale tenetur Princeps temporalis mutare modum illum administrandi etiam cum detrimento boni temporalis; ergo signum est subiectam esse temporalem potestatem spirituali.



ARTICVLVS

ARTICVLVS XXXVIII.

Cœtera item omnia à ſacris canonibus œcumenicis Conciliis, ac præſertim Sacro-Sancta Tridentina Synodo tradita, ac declarata indubitanter recipio ac profiteor.



GNOVIMVS iam ex facie, inhærentibuſque ei ſingularibus notis, vnam Dei Eccleſiam, Chriſti ſponſam, hancque Romanam profitemur, & credimus diuinarum reuelationum doctrinæque fidei cuſtodem, & interpretem fideliſſimam, cùm ex natalibus Apoſtolica ſit, & Petri ſucceſſorem Patrem, & Papam habeat plenariæ in filios adoptionis poteſtatis. Enimuero dubitari adhuc poteſt an iſta doctrinæ fidei veræ à falſis hæreticorum impoſturis diſcernendæ authoritas, penes totam fidelium congregationem, an verò penes nonnullos Eccleſiæ paſtores reperiatur. Hocque vltimo conceſſo, adhuc quæri poteſt, quinam ſint illi controuerſiarum fidei iudices legitimi, quando & quomodo congregari debeant, & Concilia inire, & quanam methodo & ratione ſuo in iudicio, vt certiſſimum ſit fideleſque omnes ad credendam illam, quæ proponitur doctrinam obliget, eos vti oporteat. Quæ omnia Tractatum ſingularem de Conciliis non indigeſtum exigunt.

QVÆSTIO PRIMA.

De Conciliorum origine, & Neceſſitate.

ORtâ & excitatâ Antiochiæ ſingulari quæſtione inter Iudæos Chriſtianos, & Gentiles, qui fidem ſuſcipiebant. *An iſti ad Circumciſionem, & ad Iudaiſmum prius ſuſcipiendum tenerentur, quàm nouæ legis initiarentur inſtituto.* Res delata eſt, per deputatos Paulum, & Barnabam ad Apoſtolos Hieroſolymis, ibique Apoſtolorum, & ſeniorum factum eſt primum Chriſtianiſmi Concilium. *Conuenerunt* ait Lucas Act. 15. *Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc.* Hic Legitimi Concilij œcumenici forma habetur. Quam Eccleſia cum ſit Apoſtolica imitari tenetur ad ſtabilienda fidei dogmata, quæ controuerti incipiunt, aut ad edendos canones circa mores, & ritus. Congregantur ergo Concilia in Eccleſia Dei, ſicut in prouinciis, & regnis Comitia; poſuit enim Deus mundo, & Eccleſiæ terminos pacis, qui prætiriri non debent, & ſicuti Principes, & magiſtratus in Republica conuentus pro tempore celebrare ſolent ad ſedandas controuerſias, vel bonum publicum ſtabiliendum: ita in rebus fidei aſſerendis præſules Eccleſiarum conuenire debent, vt ſimul collatis ſententiis ſtatuant, quod bonum, & rectum videbitur, ſicque faciendum Chriſtus ipſe ſtatuit, Matth. 18. *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo ibi ſum in medio eorum.*

Hæc eſt Conciliorum origo. Neceſſitas autem eorum per ſe patet, nam neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, eaque maxime ſunt ſciſſuræ, quas dæmonis, vel hominis malitia facit in fide, ſcilicet hæreſes quas oportet eſſe, vt 1. Cor. 11. monet Paul. Neceſſe ergo etiam eſt, vt in Eccleſia, ſit aliquod forum, & iudicium, quo & ſcandala tolli hæreſeſque damnari poſſint: alioquin Eccleſia vniuerſa ſcinderetur breui tempore in partes cum Matth. 12. *Omne regnum in ſeipſo diuiſum deſolabitur.*

DIces, Pontificem Romanum habere in terris vicariatum Chriſti, quo authenticè definiat doctrinam fidei & morum, & confirmet fratres ſuos?

Reſpondeo eſſe modum in rebus, quo pru-

denter suauiter, & securiùs fiant, esto vnius Papæ authoritate, dum tanquam iudex loquitur ex cathedra fides definire possit, vnde multæ hæreses absque vllius Concilij authoritate à Pontifice Romano damnatæ leguntur, Iouiniani, Vigilantij, Priscilliani pro quibus nunquam coacta sunt Concilia saltem generalia. Tamen Papa non quomodolibet validè agere potest. Hic & nunc multa pro circumstantiis rerum audire debet ab hominibus, tum facilius inclinantur populi ad obedientiam, cum per suffragia quasi sua, quisque comparuit in synodo saltem suauior est pascendi modus, vt quisque per localem Episcopum dicat Ecclesiæ, & ab ea audiatur, sicque eam quisque post iudicantem audiat. Nouerat Petrus cui dominici gregis cura demandata erat, quid se solo posset non ignorabant Apostoli, & seniores Petro dictum fuisse à Christo *pasce oues meas*, tamen antequam Petrus iudicet, & dicat: Magna conquisitio facta est. Ergo pro tempore indicenda sunt Concilia.

Horum tria reperio genera de quibus multos Canones collegit Gratianus in dist. 18. Primi generis sunt diæcesana ab Episcopo locali clerum suum congregante facta in quibus non reperio de fide vnquam tractatum esse, cum in eis ordinarie nullus, sit præter Episcopum iurisdictionem habens.

Secundi generis Concilia sunt regionalia, vt vocat August. l. 2. de bap. cap. 3. quæ Metropolitanus, vel Primas, vel Patriarcha celebrat cum Episcopis sibi subditis, & suæ prouinciæ. Hæc animaduerto vocari interdum vniuersalia, & generalia vt patet ex Conciliis Romanis sub Symmacho, vbi is dicitur præsidens Concilio generali, & tamen soli Episcopi Italiæ aderant, sic in Conc. Toletano 3. cap. 18. dicitur præcipit hæc sancta, & vniuersalis Synodus, & tamen soli Episcopi Hispaniæ aderant: idem patet ex Conc. 4. Cartag. Ista ergo dicuntur generalia non absolutè, sed in illo regno. Tertij generis sunt Concilia generalia, seu vt vocat August. plenaria, seu ex Athan. orbis terrarum Concilia, quæ dicuntur quoque vniuersalia, seu œcumenica, id est orbis terræ, facta authoritate summi Pontificis, & in quibus iudices sedent omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopi, adeo, vt ab iis nullus nisi ob causam particularem excludi possit. Et quibus nemo iure, & rectè præsidet, nisi summus Pontifex aut alius eius nomine. Horum Decreta quoslibet fideles ligare, & obligare possunt. Concilium ab Apostolis celebratum Hierosolymis plenarium, & vniuersale fuisse non est dubitandum, quod Cœlestin. Papa in Epistola ad Conc. Ephes. vocat *frequentissimam congregationem*, & Irenæus lib. 3. aduers. hær. c. 12. dicit *vniuersam Ecclesiam conuenisse in vnum* propter illam quæstionem.

Ex forma, & tenore istius Concilij, quæcumque postea in Ecclesia habita sunt, agendi rationem, & disciplinam desumpserunt, quod vt constet, percurro breuiter, & attentius considero circumstantias, & ordinem, qui in eo celebrando seruatus est.

Primò igitur obseruo occasionem huic Concilio dedisse illam Iudaizantium hæresim, vnde probatur Hæresim nouam, & quæ nunquam iudicata fuerit, esse præcipuam causam congregandi Synodum.

Secundò obseruo in synodo illa quatuor personarum genera interfuisse; primi fuerunt Apostoli, secundi Presbyteri seu seniores; tertij disceptatores, quarti plebs ipsa, & Laïcorum multitudo, de hac multitudine constat versu 12. vbi dicitur, *quod tacuit omnis multitudo*, quam Lucas versu 22. vocat omnem Ecclesiam eamque à senioribus, & Apostolis discernit. De disceptatoribus intelligitur, id quod v. 5. dicitur. *Surrexerunt quidam de heresi Pharisæorum, cumque magna conquisitio facta fuerit*, non est dubium quin aduersarij, Pauli, & Barnabæ auditi fuerint, cum ob eandem controuersiam, vers. 2. dicantur Ierosolymam ascendisse.

Tertiò obseruo Apostolos, & seniores seu presbyteros, qui tunc iidem erant ac Episcopi aut etiam Ecclesiæ Prælati solos sedisse iudices, nec alios vllam iudicij illius partem habuisse, id constat ex ver. 2. vbi dicitur contendentes ascendisse ad Apostolos, & seniores super hac quæstione, & v. 5. *conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*, id est consultare, & decernere.

Quartò obseruo surrexisse Petrum, & terminasse quæstionem vers. 7. *Surgens Petrus dixit ad eos. Credimus saluari, per gratiam Christi, & tacuit multitudo*, id est acquieuit, quod v. 41. Iacobus mox Petri sententiam roborat erat enim ipse Ierosolymorum, vbi Concilium hoc agebatur, Episcopus, vnde decebat eum primum post Petrum loqui. Et incautè & falso Caluinus, & alij censent Iacobum vti loci Episcopum præfuisse Concilio, & quasi maiorem Petro definitiuam pronuntiasse sententiam. Hanc enim iam pronuntiarat Petrus, quam Iacobus secutus est adiungens, tamen paucula quæ Iudæos quorum erat, Ipse Episcopus placarent, & gentibus conciliarent.

Quintò obseruo spiritum Sanctum Concilio adesse, & præesse illudque dirigere vt in discernendo non erret, quare v. 28. dicitur. *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, & hinc est, quod hodie Concilia his vtuntur verbis, Sancta Synodus in Spiritu-Sancto legitime congregata.

Sextò requiri missionem ad annunciandum verbum Dei, & decreta Ecclesiæ ex ver. 25. *placuit nobis*, eligere viros, & mittere ad vos, cum Barn. & Paulo. Ex tenore huius Apostolici Concilij S S. Patres quatuor eruerunt conclusiones.

Primam quod Petrus caput esset Apostolorum, & Ecclesiæ.

Secundam, quod successoris eius, seu capitis Ecclesiæ sit conuocare Concilia.

Tertiam requiri legitimam missionem ad verbum Dei prædicandum.

Quartam Concilia ob assistentiam Spiritus-Sancti non posse errare.

Vnde Sanctus Gregor. lib. 1. Epistol. 24 hæc merito scripsit, *Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia.* (Nicænum, Constantinop. Ephesinum, Chalcedonense) *suscipere, & venerari me fateor*, & Iustinianus Imperator Authenticarum collat. 9. de Ecclesiast. titulis cap. 1. *Sancimus vicem legum obtinere Sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à Sanctis quatuor Conciliis exposita sunt aut firmata Prædictarum quatuor Synodorum dogmata sicut*

Sanctas

Sanctas Scripturas accipimus & regulas sicut leges obseruamus, & meritò quidem, cum teneamur Ecclesiam audire, qua maximè visibiliter apparet in Conciliis Oecumenicis.

QVÆSTIO II.

Cuius sit congregare Concilia.

DE diœcesano quod competit Episcopo de Prouinciali seu nationali quod spectat ad Primatem aut Patriarcham nulla est dissentio, id enim cum August. Epistola 217. ad Volusianum fatentur omnes: at de generali & Oecumenico quod Papæ aut vicem eius gerenti tribuunt Catholici, aut ipso consentiente alicui Primati disputant hæretici qui Imperatori hoc referunt.

Assertio Catholica conuocationem Conciliorum vniuersalium Romano Pontifici refert.

Probatur ex Scriptura Matth. 18. Concilium legitimum debet esse. *In nomine Christi* Matth. 18. hoc autem nihil aliud est quam authoritate Christi, hoc est ab eo qui habet à Christo authoritatem congregandi sic enim Scripturæ innuunt *authoritatem* per hæc verba, *in nomine*. Marc. vlt. *In nomine meo dæmonia eiicient*. Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Matth. *Prophetauimus in nomine tuo.* Act. 4. *in qua virtute aut in quo nomine hoc fecistis.* Ioan. 21. dictum est Petro vniuersaliter, *Pasce oues meas*, ergo ille solus qui omnes oues pascere debet potest legitimè & ex officio eas congregare.

Probatur ex SS. Patribus, Gelasius Papa in tomo de anathematis vinculo, & in Epist. 13. quæ scripta est 2. ad Episc. Dardan ait, secundum Scripturas traditionemque maiorum, secundum canones regulasque Ecclesiæ ab Ecclesia, vniuersali admitti Synodum quam fieri sedes Apostolica delegauit factamque firmauit. Quadrat & hic sententia S Leonis serm. 3. anniuersario. *De toto*, inquit, *mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi & omnibus Apostolis & cūctis Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, & multi Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus quos principaliter regit & Christus.* At quis non videt reliquos Episcopos nec non Imperatores & reges oues, esse sub pastore Romano qui succedit Petro, illius ergo est, non autem ouis congregate oues, & non ouis congregare Pastorem.

Probatur ratione Ad eum pertinet conuocare plenarium concilium, & in eo præsidere qui pro suo fine proprio habet totius Ecclesiæ Catholicæ bonum. At is est Romanus Pontifex, cum enim singuli Episcopi suarum diœceseon propriarum curam habeant, ad eos non spectat directè toti Ecclesiæ prouidere, sed ad Papam qui totius Ecclesiæ proprius pastor est proprius inquam, non singularis, nam singularis, suæ Ecclesiæ singularis Episcopus est, sed vniuersalis Ecclesiæ proprius pastor, est vniuersalis Episcopus Deinde is non tantùm *agnos*, sed etiam *oues* Christi pascere & regere debet, quare cum Episcopi omnes conueniunt in concilium, eos pascere & regere munus est Papæ Christi vicarij. Tum is solus Synodum cogit ex officio qui eius legitimos iudices agnoscit, qui sedere possunt in ea At soli Episcopi communionis Catholicæ sunt iudices legitimi, illi autem sunt quos Papa in suam communionem recipit, vnde cum in Chalcedonensi Theodoretum sedere nollent Ægyptij, quem in Pseudosynodo Ephesina condemnatum fuisse aiebant, antequam istius Synodi acta nulla esse iudicarent Patres Chalcedonenses, in concessum tamen & concilium admiserunt Theodoretum eo solo nomine quod à Leone Papa in communionem reciperetur, vt in act. 1. eiusdem concilij refertur.

Addo concilium vniuersale indicendum ab eo qui omnes cogere potest, nullus autem Imperator totam Ecclesiam, subiectam habuit, etiam quoad actiones ciuiles, vt eam habet Papa quoad actiones spirituales, latiùs enim patet dominium spirituale Petri quam Imperatoris temporale.

Bellarminus aliam affert rationem. Marcellus Papa in Epistola ad Episc. Antiochenos scribit esse canonem Apostolicum quod præter sententiam Romani Pontificis, celebrari non possint Concilia; eundem renouauit Conc. Nicænum primum, vt testatur Synodus Alexandrina in Epistola ad Felicem, & Iulius 1. in Epist. ad Episc. Orientales cuius meminerunt Socrates lib. 2. cap. 13. Sozomenus lib. 3. cap. 9. Nicepho. lib. 9. cap. 5. Si ergo sine Papæ consensu non licet Concilia celebrare sequitur eius esse illa conuocare. Nec valet responsio Caluini effici tantum ex illo canone Rom. Pontificem vocari debere quia erat vnus ex præcipuis Patriarchis, nam si ita esset potuisset fieri canon. ne præter consensum. Episcopi Alexandrini vel Antiocheni cogeretur. Concilium, nam isti erant præcipui Patriarchæ æquales Papæ vel maiores secundum Caluinum.

Probatur Assertio ex vsu & praxi Ecclesiæ. Niceno non alio nomine quàm Syluestri Papæ aliisque minus generalibus & Sardicensi præfuit Hosius Episcopus Cordubensis. Constantinopolitano Episcopi illius mandato Damasi se venisse aiunt, vt notat Theodoret. lib. 5. hist. cap. 9. Ephesino Vicarij Cælestini Papæ, Cyrillus Alex. & alij præsides fuerunt Chalcedonensi Legati Leonis præfuerunt eoque vt Martianus, Imperator loquitur. *Authore coactum est* & in actione 1. Dioscorus Episcopus Alexandrinus à sessione inter Episcopos prohibitus est per Vicarios S. Leonis Papæ, quia dixerunt, *Subrepsit & Synodum ausus & facere sine authoritate sedis Apostolicæ quod nunquam ritè factum est nec fier ilicuit.* Intelligunt autem Synodum, seu conciliabulum Ephesinum secundum dictum in quo vt refert Liberatus in Breuiario cap. 12. non sederunt Legati Papæ, eo quod à Dioscoro eis seu sedi Romanæ præcessio negata est, insuper quod non lecta fuerat ad Flauianum Epistola in Eutychetis damnatione à Papa S. Leone scripta & occultata fuerat Epistola eius per Legatos eosdem ad ipsam Synodum directa.

Probatur ex Concil. Romano 4. sub Symmacho in quo cum rex Theodoricus diceret se Synodum conuocasse vt iudicaretur causa Sym-

machi Papæ.

Reſponderunt Epiſcopi omnes à Papa non à Rege debuiſſe vocari Synodum,etiam ſi Papa accuſaretur. Rex vero ait ſe ex voluntate & conſenſu Pontificis Synodum conuocaſſe,Epiſcopi vero non prius acquieuerunt quàm rex litteras Pontificis proferret, & Pontifex ipſe præſens teſtaretur ita eſſe.

Probatur teſtimonio antiquorum Pontificum Epiſtola ad Turibium,quæ eſt 93. cap. 17. *Dedimus litteras ad fratres & Coepiſcopos noſtros eiſque Concilium Synodi generalis indiximus.* Pelagius II. in Epiſtola 1. ad Orientales. *Generalium Synodorum conuocandi authoritas Apoſtolicæ ſedi B. Petri ſingulari priuilegio tradita eſt.* Sixtus III. qui & Pelagium & Leonem præceſſit in Epiſtola ad Orientales. *Valentinianus*, inquit, *Auguſtus noſtra authoritate Synodum conuocauit.* Adrian. II. in Epiſtola ad Baſilium Imperatorem quæ lecta eſt in VIII. Synodo act. 1. *Volumus*, inquit, *per tuæ pietatis induſtriam Conſtantinopolim, numeroſum conuocari Concilium.*

His accedant multi Canones qui habentur diſt. 17. nec omittenda eſt Valentiniani Imperatoris reſponſio ad Epiſcopos eum rogantes vt permitteret eis celebrare Concilium. *Mihi qui ſum in ſorte plebis fas non eſt talia curioſius perſcrutari, ſacerdotes quibus iſta curæ ſunt quocumque voluerint loco conueniant*, hæc refert Sozomenus lib. 6. cap. 7. Adde quod in ſeſſ. 11. Lateranenſis vltimi ſub Leone X. aſſeritur Romani Pontificis eſſe generalia Concilia indicere, quod decretum factum eſt vno anno antequam hæreſis Lutherana naſceretur.

Ad omnia quæ in contrarium ſolent afferri & maximè quod Imperatorum fuerit conuocare Concilia ipſaque nomen eorum præferre legatur.

Reſpondeo ad quæſtionem Conuocationis diſtinguendum eſſe inter ſpiritualem conuocationem & conuocationem temporalem id eſt inter eam quæ erat neceſſaria vt conuentus temporaliter authenticus haberetur & requiſitam vt in conſcientia & ſpiritualiter authentica ſeu obligatoria eſſet. In primo caſu res ſolius Imperatoris erat nam in confeſſo eſt Concilia ad hoc vt executoria eſſent temporaliter acceſſuſque conuocatorum licitus & facilis,indiguiſſe authoritate Imperatoris ſicuti & hodie intercedere debet facultas regia pro conuentibus celebrandis intra terminos regni. In ſecundo caſu certum eſt penes ſolam ſpiritualem authoritatem Eccleſiaſticam eſſe vt Concilium legitimetur pro inducenda obligatione conſcientiæ ad eius decreta. Sicque neceſſario vtraque poteſtas ſpiritualis Papæ & temporalis Imperatoris, interuenire debebat Prima vt tenerentur Conuocati accedere. Secunda ne miniſtri imperij, qui legibus politicis tenebantur quoſcumque conuentus & congregationes ſine facultate principis indictas impedire,nullum ponerent obicem ſicque ſtatui & regno nulla daretur anſa molitionis aut intelligentiæ cum hoſte & extraneo. Adde quod & conductus & conuictus alius ex fiſco imperiali aut contributione publici æris fieri ſolebat ſine diſpendio Eccleſiarum, quare & neceſſario & ad bene eſſe pro temporali exigebatur Imperialis poteſtas & admiſſa plerumque eius præſentia ad ornatum ſcilicet, ſplendorem & magnificentiam Concilij nequaquam autem ad deciſionem cauſæ ſpiritualis per ſuffragia principis.

Addo Patres Concilij interdum appoſuiſſe fronti Actuum eius. *Sanctiſſimum & Oecumenicum Concilium conuocatum & authoritate religioſiſſimi Imperatoris*, hoc fiebat non tantum deferentiæ ergo, ſed vt per brachium ſæculare temporaliter executio decretorum haberetur, & refractarij corporaliter punirentur; nullo autem modo vt ſpiritualiter obligatorium eſſet Concilium, hoc enim à Deo habet, ideo Athanaſ. *Quando nam iudicium Eccleſia authoritatem ab Imperatore ſumpſit?*

Nec prætermittam notare quod tunc Papa, etſi in ſpiritualibus ſit caput omnium etiam Imperatorum, tamen in temporalibus Dominum ſuum eum agnoſcebat ſeque ei ſubiiciebat, & ideo non poterat inuito Domino aliquid moliri, ſupplicabat ergo pontifex Imperatorem vt permitteret, Synodum conuocari. Iam omnes iſtæ cauſæ mutatæ ſunt conſtatque Concilia ab Imperatoribus indicta ſine conſenſu Papæ eo ipſo ſolo vt pote in forma conuocationis deficientia pro Pſeudoconciliis haberi v. g. Ariminenſe 400. Epiſcoporum à Conſtantio Imperatore congregatum & in 1. actione Calchedonenſis arguitur Pſeudoſynodus Epheſina quod à Theodoſio ſecundo fraudibus Eutychianorum decepto indicta fuiſſet ſine authoritate Papæ, ad quem tamen ſupplices datæ fuerant litteræ vt legatos ſuos mitteret. Quæ ſunt ergo Cæſaris, ei ſint; Quæ Dei, Deo qui non Imperatoribus, ſed Petro ſuas commiſit ſpiritualiter paſcendas oues.

QVÆSTIO III.

De Cauſis congregandi Concilia Generalia.

PRima inter Sex principales quæ obſeruantur eſt, Hæreſis noua,id eſt nunquam antea iudicata, propter quam coacta ſunt prima ſeptem generalia Concilia, vt quaſi agmine facto deſtruerent illam.

Secunda eſt ſchiſma inter Romanos Pontifices, hac enim de cauſa factum eſt Concilium tempore Cornelij, Damaſi, Symmachi, Innocen. II. Alexandri III. & Piſanum atque Conſtantienſe temporibus Gregorij 12 & Benedicti XIII. nullum enim efficacius datur remedium Concilio vt docet experientia.

Tertia eſt reſiſtentia communi inimico totius Eccleſiæ. Hoc modo coacta ſunt Concilia ab Vrbano II. Calixto II. Eugenio III. aliiſque Pontificibus, pro bello contra Saracenos. Item ad deponendum Imperatorem facta ſunt à Gregorio III. contra Leonem 3. Iconomachum, à Gregorio 7. contra Henricum 4. ab Innocentio 4. contra Fridericum 2.

Quarta eſt ſuſpicio hæreſis in Romano Pontifice ſi forte accideret, vel etiam tyrannis incorrigibilis, tunc enim deberet congregari Concilium generale vel ad deponendum Papam, ſi inueniretur hæreticus, vel certè ad admonendum

admonendum si in moribus videretur incorrigibilis, nam vt dicitur in VIII. synodo act. vlt. can. 21. debent generalia Concilia si quædam controuersia, vel ambiguitas facta fuerit de Sancta Romana Ecclesia, de proposita quæstione reuerenter sciscitari, & solutionem accipere aut proficere aut profectum facere: non tamen audacter sententiam dicere contra summos seniotis Romæ Pontifices. Ob istam causam legimus celebratum Concil. Sinuessanum in causa S. Marcellini, & Romana, plura in causa Damasi Sixti III. Symmachi, Leonis III. & IV. quorum nullus à Concilio damnatus fuit, sed Marcellinus sibi ipsi coram Concilio pœnitentiam iniunxit, reliqui se purgauerunt vide Chronolog. Pontificum..

Quinta causa est dubitatio de electione Papæ, si enim Cardinales non possent aut non vellent creare Papam, aut certè omnes simul perirent, aut aliunde fieret verè dubium ad quos pertineret eiusmodi electio, ad Concilium generale spectaret decernere de electione futuri Pontificis quanquam non est verisimile, id aliquando euenturum.

Sexta est reformatio generalis abusuum, & vitiorum, quæ in Ecclesiam irrepunt: tametsi enim solus Pontifex potest leges toti Ecclesiæ præscribere, tamen longe suauiùs res agitur, cum approbante Concilio generali Papa eiusmodi leges statuit. Hinc videmus omnia fere Concilia generalia Canones edidisse de reformatione.

DIces, quid opus facto si necessarium esset Concilium hocque nolit Papa?

Respondeo, vix dari posse, sic improbum Pontificem, qui in euidenti necessitate negaret illud, nam vel Deus eum de vita tolleret, vel mutaret eius mentem, & si nihil horum fieret tanquam de hæresi suspectus haberi posset, nam vt dist. 83. Canone Error. *Qui manifesto errori non resistit cum possit, & debeat, eum approbare censetur.*

Quid autem si Papa, vel hæreticus, vel Schismaticus, quid & si ipse indicere non possit, vt pote apud infideles captiuus, vel mortuus, vel insanus effectus aut si renuntiauerit papatui?

Respondet Bellarm. in nullo casu posse sine summi Pont. authoritate conuocari verum atque perfectum Concilium, quod scilicet habeat authoritatem definiendi quæstiones fidei, nam præcipua authoritas est in capite siue in Petro cui imperatum est, *vt fratres suos confirmet*, & ideo etiam Christus orauit pro firmitate fidei eius Luc. 22. Poterit tamen in illis duobus casibus congregari Concilium imperfectum, quod sufficiet ad prouidendum Ecclesiæ de capite, Ecclesia enim habet authoritatem prouidendi sibi de capite licet non possit sine capite de multis statuere de quibus potest cum capite, vt docet, Caiet. in opusc. de potest. PP. cap. 15. & alij Concilium autem istud imperfectum fieri potest si vel à collegio Cardinalium indicitur, vel si ipsi Episcopi per se in vnum locum conueniant.

***

QVÆSTIO IV.

De Iudicibus vocandis ad decisionem in Conciliis.

SVpposita distinctione fidelium quibus constat Ecclesia Christiana, Laïcorū scilicet, & Clericor. & inter Clericos Pastorū qui proprie sunt Episcopi. Itē supposita multiplici ratione, qua interesse possunt Concilio, alij enim intersunt, vt iudices, qui dicuntur habere suffragium decisiuum; alij, vt disputando examinent difficultates, qui dicuntur habere consultiuum suffragium: alij qui adsciscuntur vt ministrent, quales sunt Notarij, Custodes; alij vt intus, & extra rebus omnibus, & tranquillitati Congregationis inuigilent. Catholica Propositio Episcopos dumtaxat habere de iure vocem decisiuam affirmat, Probatur ex scriptura, Hierem. 3. *Dabo vobis pastores secundum cor meum, qui pascent vos scientiâ, & doctrinâ.* Ephes. 4. *Posuit alios Doctores, & Pastores,* vbi Hieron. in hunc locum, & August. Epistola 59. ad Paulin. notant nomen pastoris, cum nomine Doctoris coniunctum esse, quia proprium est pastorum docere. At laïci non sunt pastores, nec item Ecclesiastici, quicumque, Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, & Ioan. 21. *Pasce oues meas*, quod non est dictum omnibus Christianis, quorum maior pars pascenda est, quia sub pastoribus est, qui ad hoc ordinati sunt.

Probatur ex SS. Patribus, Cyprian. Epistola ad Iubaian. Hilar. lib. de synodis, Ambros. Epistola 32. Hiero. lib. 2. Apolog. contra Ruffin. August. Epistol. 119. Leone Epistol. 116. & sequentibus, Athan. epistolâ ad solitarios aliisque Patribus asserentibus Concilia Episcoporum esse. Item Theodosius iunior in epistola ad Ephesinam Synodum, quæ extat in primo tomo eius Concilij cap. 32. *Illicitum est eum*, inquit, *qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Pulcheria quoque Imperatrix in Epistola ad Strategum Bithyniæ, quæ habetur ante Concil. Chalcedon. iussit, vt Clerici Monachi, & Laïci etiam vi repellerentur à Concilio exceptis paucis illis quos Episcopi secum duxerant. In Conc. Chalcedo. act. 1. cum ad Martinum Archimandritam mitteretur, vt subscriberet respondit, non esse suum, sed Episcoporum tantum subscribere. Et in eodem Concilio, cum pro Dioscoro Monachi, & Laïci ingressi essent sæpius Patres clamarunt: mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.

Probatur tertiò ex Conciliis hactenus celebratis: nam omnium Conciliorum decreta ab Episcopis solis facta patet ex subscriptionibus, vbique enim inueniuntur soli Episcopi subscripsisse exceptis paucis generalibus, quibus Imperator etiam subscripsit, sed alia forma, quàm Episcopi: Episcopi enim definiendo, vt Iudices, Imperatores consentiendo: & quibusdam etiam paucissimis, vt Florentino, Lateranensi, Tridentino, quibus subscripserunt Abbates, & Generales Ordinum, Cœteri quamuis

quamuis optimi, & doctissimi essent nunquam sunt admissi, nisi ad consultandum excepto Concilio Basileensi vbi Presbyteri admissi sunt ad suffragium decisiuum, sed perperam, & contra morem omnis antiquitatis: nec illud Concilium fuit legitimum.

Probatur rationibus: Nam in primis negotia Ecclesiastica, & publica debent à personis Ecclesiasticis, & publicis tractari, vt notum est, tales autem sunt Episcopi. Deinde si omnes homines docti admitterentur, vel nunquam essent Concilia generalia, quia vix possent omnes docti totius Ecclesiæ conuocari: vel si tandem congregarentur, esset impossibile regere tale Concilium propter nimiam multitudinem præterea tunc sine dubio plures essent in Concilio inferiores, quàm superiores, & proinde tunc verè vinceret maior sentẽtia meliorem, & in Ecclesia regerentur superiores ab inferioribus non è contrario, quod est absurdissimum. Denique nulla est Respublica, quæ natura doceat non habeat aliquem ordinem in Comitiis, ita vt non quicumque de plebe, sed tantum Principes, & capita cœterorum locum, & suffragium habeant.

Dices, forma Primi Concilij Act. 15. admittit, & Laïcos. *Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia*?

Respondeo Apostolos decisiue, Presbyteros consultatorie, plebem approbatiuè adfuisse placuit, intelligitur de consensu tacito, qui debet dari ab omnibus qui synodo intersunt; textus autem exprimit, quod nulli alij quàm Apostoli sententias dixerint, nec melior interpres scripturæ, quam consuetudo Ecclesiæ, quæ sic vt dixi statuit in omnibus Conciliis.

Dices, Concilium generale repræsentat vniuersam Ecclesiam, ergo ex omni genere hominum interesse debent?

Respondeo multis modis aliquid repræsentari posse, optimum tamen modum esse, quòd per Principes repræsentantur populi, maximè autem in spiritualibus, vbi quilibet Episcopus gerit personam suæ Ecclesiæ, vt patet ex Cypriano lib. 4 Epistola 9. vbi dicit Ecclesiam esse in Episcopo, quare Euseb. lib. 3. de vita Constantini Concilium 318. Episcoporum vocat conuentum Orbis terrarum, & August. lib. 1. de baptis. cap. 18. consensum Episcoporum huius Concilij vocat totius Ecclesiæ consensum.

Dices, communis causa communibus votis, & viribus iuuanda est. Causa fidei est communis laïcis æquè ac clericis, qui vnum simul corpus mysticum Ecclesiæ componunt, ergo ad eos pertinet, ergo conuocandi.

Respondeo pertinere, sed diuerso modo: ad Prælatos tanquam ad Doctores: ad cœteros vti ad discipulos, sicut in bello causa victoriæ ad totum exercitum pertinet, tamen Ducum est præcipere, & exercitum ducere, cœterorum vero pugnare. Quod si legeris interdum plebem, vel plebanos interfuisse Conciliis, hoc fuit vt Iudicem audirent, & sententiam, sic Imperator adest, vt potentia temporali defendat.

Instabis, Laïci inueniri possunt doctiores Episcopis, quorum sententia, sit conformior scripturæ, ergo hi arcessendi, Episcopi autem solent eligi, quia supponuntur Doctores?

Respondeo Episcopos equidem doctissimos esse debere, tamen non definiunt aut iudicant, quia docti, sed quia personæ publicæ, & principes habentes Ecclesiasticam iurisdictionem, quemadmodum etiam in principibus, & iudicibus sæcularibus requiritur, quidem iurisprudentia, & probitas, tamen non licebit priuato homini meliori, & doctori deturbare principem aut iudicem de sua sede eamque occupare. Possunt equidem Laïci docti disputare cum iudicibus, & ad hoc sæpe vocati sunt, imo in Conc. Nicæno multi conuenerant Laïci, sed Actis Concilij non interfuere, extra Concilium tantum disputabant, cum Episcopis, quos ex toto orbe eo conuenisse audierant.

Nota pro Coronide quæstionis, Duplex esse iudicium, publicum scilicet, & priuatum: illud est quod à publico fertur iudice cum obligatione, vt sententiæ eius acquiescatur: priuatum est ea sententia, quam quisque eligit, vt veram, sed neminem obligat. Publicum nunquam concessum est populo in rebus fidei, aliquando tamen priuatum etiam à piis, & Sanctis hominibus, sed tunc tantùm cum aliter fieri non poterat, tenentur enim populi iudicio Pastorum suorum stare: Tamen quando impunè versantur cum hæreticis, & multos seducunt expedit, quandoque publicas disputationes coram populo cum eis inire, & relinquere iudicium populo, vt sequatur quos melioribus viderit inniti rationibus, sic Elias 3. reg. 18. *Qui exaudierit per ignem sit Deus.*

Nouatores docent Concilium esse tantum inquisitionem quandam, & quod solus Christus, & verbum eius scriptum habeat suffragium decisiuum ideoque numerum suffragiorum non esse attendendum, sed vnum qui scripturam pro se afferat toti Concilio esse præferendum: vnde etiam deducunt licere cuilibet examinare Concilia, recipere vel reiicere. Hincque Protestantes responderunt noluisse adesse Tridentino, quia nolunt quæstiones definiri votis, & suffragiis, sed probandum ex scriptura, quid sequendum aut reprobandum, ita Luther. apud Cochleum art. 115. ex 500. Caluin. 4. inst. cap. 9. §. 8.

Reprobatur hoc ex supra dictis, nam consessus Episcoporum est iudicialis determinatio imponens obligationem, patet ex Script. Deutero 17. vbi iubentur, qui dubia habent recurrere ad Sacerdotum Concilia, & qui non obedierit eorum sententiæ moriatur, & Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus.* Certum enim est legitimum Concilium esse veram Ecclesiam, & 3. Act. 15. & 16. *Paulus pertransiens ciuitates varias præcipiebat eis custodire decreta, Conc. Hierosolymorum*, dequo

Nota non ex scripturis, sed ad suffragia Apostolorum quæstionem esse definitam, quæ erat, Non an sola fides iustificaret, vt volunt aduersarij. Sed an Circumcisio, & legales cœremoniæ essent necessariæ Christianis, de quo nihil habebatur in scriptura, vt Gentes non seruarent legalia, & considerandum est sententiam non fuisse traditam examini discipulorum,

rum, sed simpliciter mandatum vt obedirent, quare qui Concilia examinari volunt à priuato homine contradicunt scripturæ, & qui non obtemperant subiiciuntur anathemati in ipsos decreto.

DIces si omnes Episcopi sunt iudices, ergo Papa qui præsidet tenetur sequi maiorem partem, Damasus autem irritauit Acta Ariminensis Conc. quibus maior pars consenserat. Leo etiam irritauit quoddam decretum Chalcedonensis.

Respondeo nunquam forte accidisse, vt Papa minorem Concilij partem sequeretur; quando remota fraude & dolo opinati sunt Arimini decepti fuerant Episcopi obscuritate verbi græci vt testatur Ruffin. lib. 10. cap 21. In Chalcedon. autem fraude magna & in absentia Vicariorum Papæ factum erat decretum pro Episcopo nouæ Romæ seu Constantinop.

Respndeo præterea præsidem Concilij vt præsidem debere sequi in formando decreto maiorem partem suffragiorum. Tamen Papam non vt præsidem, sed vt summum Ecclesiæ principem posse retractare illud iudicium, patet id exemplo ciuilium, etsi enim locumtenens regis in temporalibus iudiciis debeat stare à maiori Consiliariorum parte. Rex tamen vt superior potest totum iudicium irritare: & hoc maximè locum habet in Pontifice Romano, cuius est confirmare fratres & dirigere ex speciali assistentia Spiritus-Sancti ei promerita Luc. 22. à Christo.

QVÆRES, *Quot Episcopi requirantur ad Concilium generale.*

Si omnes requirantur nullum adhuc censebitur generale: si aliqui tantùm, quinam? & cur isti potius quàm alij.

Respondeo standum esse consuetudini Ecclesiæ, quæ generalia censet ex quatuor conditionibus obseruatis.

Prima vt euocatio sit generalis, ita vt innotescat maioribus prouinciis Christianis.

Secunda vt nullus excludatur Episcopus vndecumque veniat, cumque Episcopum esse constet & non excommunicatum.

Tertia vt adsint per se vel per deputatos Quatuor præcipui Patriarchæ præter summum Pontificem videlicet Antiochenus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus quia istis suberant omnes alij Episcopi. Tempore S. Augustini tres dumtaxat erant sedes Patriarchales, Romana, Alexãdrina, & Antiochena, quæ quasi vna sedes Petri dicuntur à B. Gregorio, necnon & ab Hincmaro: nam cum Ecclesia cœpisset in Asia Petrus sedem elegit in capitali vrbe Orientis Antiochia, vbi septem annis sedit & successorem stabiliuit, qui post mortem Apostolorum fuit caput Ecclesiasticæ iurisdictionis Asiæ orientalis, hincque est quod in Concilio Chalcedonensi Patriarcha Antiochenus vocat sedem suam sedem Petri vrbis magnæ Antiochensium, fundata est sedes hæc anno Christi 39. Caij Imper. anno. 1. Hinc Petrus Romam petit quæ tunc caput erat Occidentis & generaliter mundi Domina ibique Romanam fundat Ecclesiam anno Christi 45. Claudij Imper. anno 315. Calendas Februarij & sedit seu ipsi præfuit Ecclesiæ vsque ad mortem 25. Scilicet annis sicque cessit Antiochenæ, cui Euodium, quidam dicunt Ignatium, præfecit sibi successorem.

Sicut autem stabilita sede Romana Petrus Antiochenæ prouidit, ita & memor Ecclesiarum quas in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia minori & Bithynia erexerat (suam primam ad eam scripsit Epistolam, & Marcum filium suum spiritualem quem in Euangelio genuerat ideoque tenerè amabat, misit eodem anno Alexandriam, quæ tunc erat velut quoddam orbis theatrum, ad quod ex Asia, Africa, Europa vniuersæ fermè gentes confluerent, vt ibi suo nomine Ecclesiam & sedem fundaret, quam ob prærogatiuas vrbis, quia erat in præfecturâ Augustali, & caput Ægypti, voluit primum post Romanam locum obtinere vt scribit Gelasius.

Sic tres Patriarchales habentur sedes. Quod autem primatus debitus sit Romæ, factum est, vt explicat Innocentius 1. Chrysostomi contemporaneus quia quod transitoriè Antiochena sedes habuit, id Romana absolute & finaliter. Quod si ita non esset, Antiochena non cederet Romanæ quam Conc. Calched. protothronum Oecumenicæ Ecclesiæ, Conc. Sardicense caput omnium Ecclesiarum vocant.

Hierosolymitanus Episcopus habuit à Concilio Nicæno præcedentiam super Archiepiscopum Cæsareæ qui Palestinæ Metropolitanus erat, & in Hierosolymitanum iurisdictionem habebat. Postea Concilium Calchedon. assignauit Iuuenali tres Palestinas pro territorio Patriarchatus, sic qui primò honorariè tantùm vocabatur Patriarcha, titulum iuris cum nomine habuit, quod factum fuit, quia antiquitatis titulo Hierusalem fuerat mater omnium Ecclesiarum.

Postea anno Christi 381. in Concilio Constantinop sub Damaso Papa & Theodosio 2. Imperat. editus canon. perhibetur hoc tenore. *Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propter quod sit noua Roma* hæc enim vrbs ob sedem Imperatoris dicebatur altera Roma, primus autem qui hoc titulo frui potuit vocabatur Nectarius prædecessor S. Chrysostom. hoc enim indicat series temporis. Patriarchalis ergo sedes facta est Constantinop.

Quod autem præsentia immediata vel mediata Patriarcharum istorum faciat ad Concilium generale patet ex vsu tam ex 7. Synodo act. 6. vbi censetur Constantinop. Concilium contra imagines non fuisse generale, tum quia conuocatio eius non fuerat vbique audita, & maximè quia non habuit Patriarchas. Et in octaua Synodo act. 9. recipitur cum singulari gaudio Vicarius Patriarchæ Alexandrini tanquam sine illo defuisset aliquid plenitudini Synodi. Porro hæc tertia conditio ad bene esse tantum requiritur: iam vero isti Patriarchæ non sunt necessarij quia vel hæretici vel schismatici sunt. Tum Synodus tertia sine Antiocheno, damnauit Nestorium Constantinopolitanum, & Chalcedonensis sine Alexandrino omnia ferè conclusit.

Quarta conditio vt saltem aliqui ex parte prouinciarum Christianarum adueniant, & si Concilium fit in oriente inde multi conueniant Episcopi & ex occidente aliqui & è contra. Ad hæc

Nota aliqua Concilia Oecumenica & generalia esse de facto, alia vero de iure. Illa sunt de facto in quibus conueniunt omnes qui habent successionem caracteris Episcopalis, licet ij steterint in corpore Ecclesiæ vel ab eo exclusi sint hæresi vel schismate. Oecumenica de iure sunt illa in quibus congregantur qui adhærent vnitati corporis Ecclesiæ quod est communionem habere cum Papa, iis enim debetur ius iudicandi de rebus fidei: tale fuit Conc. Sardicense cui non interfuere Episcopi Patriarchatus Antiocheni, quia Arriani erant, & Nicænum secundum à quo abfuere Cophti id est naturales Ægyptij & Æthiopes quia erant Eutychiani. Nec dicas illa non esse legitima Concilia in quibus Episcopi qui solam caracteris successionem habent admittuntur & per schisma aut hæresim exclusi sunt de corpore Ecclesiæ; Nam Ecclesia ad hunc effectum scilicet decidendi & concertandi res fidei hos per charitatem suam & dilectionem admittit & pro tempore Concilij censetur rehabilitare & restituere eos in iurisdictionem & exercitium ipsius eorum ordinis: ideoque Spiritus-Sanctus assistentiam suam dat Concilio sic, quando partes disiunctæ in vnionem conspirare volunt Ecclesiæ quæ vna est. Sic factum legimus sub Innocent. 3. in Conc. Lateran. in quo cum Papa interuenere Patriarchæ Constant. & Hierosol. & Legati Alexandrini & Antiocheni & ex omnibus Græcæ & Latinæ Ecclesiæ partibus Episcopi vel Archiepiscopi 470. Item in Florentino sub Eugenio 4. ad quod Græci cum suo Imperatore conuenerunt & Patriarchâ, & aliorum trium Legati nec non Armeni & Æthiopes & in duobus Conciliis decisi fuere atticuli qui hodie controuertuntur.

Nota fieri posse vt Nationalia Concilia ampliora sint Oecumenicis seu generalibus si plures conueniant Episcopi, nam Conc. 2. habuit tantum 150. Episcopos ex variis prouinciis & nationibus, & Chartagin. nationale ex sola Africa tempore S. Augustini habuit 217. vt refert Prosper in chronico anni 420. Minora tamen sunt hæc quoad authoritatem.

QVÆSTIO V.

An Papa præsidere debeat Conciliis Generalibus.

CAtholica Resolutio affirmat quòd per se immediatè, vel per Legatos mediatè tanquam iudex supremus omnia moderetur & definiat.

Probatur ex Scriptura, quia est Pastor & Pater vniuersæ Ecclesiæ, adeo vt Episcopi & Principes omnes respectu eius sint oues, vt Ioan. 21. dicitur. *Pasce agnos, pasce oues meas.* Act. 15. Petrus præsedit & præloquutus est in Concilio, & omnes vt Hiero. scribit Epist. 11. inter datas ad Augustin. sequuntur sententiam eius, Probatur ex iniuncto officio ipsi Petro cui succedit, *Fratres confirmandi.*

Probatur ex vsu & praxi. In Nicæno 1. Hosius, Vitus & Vincentius presbyteri Legati Papæ Syluestri præsederunt & ante omnes subscripserunt, certum est autē Hosium fuisse simplicem Episcopum Cordubensem, cui superiores erant Patriarchæ, quia autem vices habebat Romani Pontificis primum locum habuit. In primo Constantinop. Damasus, non interfuit nec per se nec per Legatos, nam conuocarat quidem Constantinopolim Orientis Episcopos, sed ex eo loco eos venire volebat Romam vbi ipse Occidentalium præsules coegerat vt Romæ plenissimum fieret Concilium: At orientales se excusarunt & animis & sententiis se coniunxerunt Occidentalibus non autem præsentia corporali: constat autem ex Epist. Concilij ad Damasum, quod præsedisset si adfuisset, cum eum vt caput suum agnoscant & ipse rescribens filios eos vocet.

In Ephesino Cyrillus Alex. Legatus Cælestini Papæ præsedit vt notat historia. In Chalcedonensi Paschasinus & Lucentius Episcopi Bonifacius, & Basilius, presbyteri Legati Leonis Papæ, Primi sedent, loquuntur & subscribunt, & Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, Episcopali & sacerdotali destituunt dignitate.

Nota autem in prima actione Martianum, Imperatorem sedisse primo loco non tamen præsedit vt iudex vt ipsemet testatus est in oratione ad Synodum, sed ad defendendas decisiones Concilij sicut & interfuerat Nicæno Constantinus ad fidem tuendam. Caluin. respondet hic Legatos Papæ præsedisse, sed ex priuilegio Imperatoris, quod Leo Papa extorserat, quod quàm falsum sit liquet ex Concilij litteris ad Leonem, in quibus hæc habentur. *Præsidebas tu Concilio sicut caput membris.*

Quod si obiiciatur in Ephesino secundo Dioscorum præsedisse, respondetur ex lege. *Cessent quæ ab iniustitiâ originem duxerunt*, tumultuosum & sediriosum ferro & armis actū, nec interfuere Legati Papæ ob occupatam præsidentiam. In quinto Concilio generali quod Constantinop. 2. fuit Eutychius, equidem præses fuit nec immediatè aut mediatè interfuit Vigilius Papa, tamen Eutychius iste Patriarcha in Epistola ad Vigil. quæ habetur in fine collationis quintæ Synodi. *Petimus*, inquit, *præsidente nobis vestra beatitudine de tribus capitulis quæri & conferri.* Consulatur hic Perronius vt quibus de causis Vigilius affuerit qui tunc Constantinopoli agebat eratque sub manu Iustiniani, intelligat studiosus Lector, quarum vnam affero, noluit communicare cum Anthimo fautore schismaticorum.

In Sexto Conc. quod Tertium Constantinop. fuit, habemus ex Zonara Aagatonem Papam per suos Legatos præsedisse constatque ex ipsa Synodo vbi singulis in actionibus Legati primi omnium nominantur, loquuntur, subscribunt.

In Septimo quod Nicænum secundum dicitur præfuit per Legatos Adrianus Papa.

In octauo quod est Constantinop. quarrum Adrianus II. Papa præfuit per Legatos sicque subscripsit vnus. *Ego Donatus Dei gratia Episcopus Ostiensis locum obtinens Domini mei Adriani vniuersalis Papæ, huic Sanctæ & vniuersali Synodo præsidens omnia quæ superius leguntur promulgaui & manu propria subscripsi.* Adfuit in fine Basilius Imperator qui longa oratione testatus est non esse suum nec vllius Laici miscere se iudiciis Ecclesiasticis &

tandem

tandem subscripsit post Patriarchas non definiens sed consentiens.

De reliquis sequentibus Conciliis plenariis res est clarior quam vt in ea probanda longior sim: ergo Papa ex praxi præest Conciliis generalibus.

Probatur ratione, Ecclesia vniuersalis subiacet Pontifici Romano vt capiti spirituali, ergo & membra ista in Synodo coadunata. Nam quæcumque Episcoporum collectio intra Christi ouile clauditur, cum sit Christiana, ergo debet agnoscere Papam totius ouilis vnum Pastorem generalem pro capite, atque adeo illi subiici. Adde quod congregantur Concilia vt dubiorum certitudo & firmitas inquiratur, ad hoc autem indefectibilitas fidei requiritur quam Christus exauditus pro sua reuerentia soli Petro in quo successor intelligitur, & non Concilio impetrauit. Ille autem præesse debet cuius est nullo modo nutare, sed reliqua confirmare membra.

Dices, ex Caluino, & gregalibus Concilio Niceno præfuisse Athanasium quinto Menam Ephesino 2 Dioscorum Chartag. 6. Aurelium Archepiscopum vrbis etiamsi adessent Legati Papæ, & Aquileensi Ambrosium?

Respondeo ad 1. falsum esse, nam tempore Concilij Nicæni Athanasius diaconus tantum erat, nec Alexandriæ Episcopus factus fuit, quam post Concilium quinque mensibus vt exprimunt Epiphan. Socrates, Sozomenus, & ipse Athanas. apologia 2.

Ad Menæ præsidentiam falsitas constat ex actis Concilij. Huncque 5. annis defunctum ante Synodum scribit Victor de Tunis huius sæculi author qui sub Eutychio Menæ successore celebratum ponit Concilium.

Ad Dioscori vsurpationem responsum est.

Ad 6. Chartag. cui vrbis archiep. Aurelius præfuisse dicitur, contradicit. Hincmarus Arch. Remensis qui Epistolâ ad Nicolaum apud Flodoard. lib. 3. Remensis historiæ testatur sedem Apostolicam per suos vicarios præfuisse. Tum nationale tantum hoc fuit sicut omnia Chartaginensia. In iis autem Primas, vel Archiep. præsidentiam habet de iure, Papa in solis œcumenicis.

Instabis adfuisse Legatos, Zosimi Papæ?

Respondeo. & Nota, *Varia tunc genera Legatorum Papæ.*

Quidam qui personam negotiantem Papæ repræsentabant, vt Procuratores, Agentes Nuntij, Apocrisarij.

Quidam qui personam iudiciariam Papæ agebant tanquam Vicarij, & Legati cathedrantes: hoc genus necessarium erat Conciliis generalibus in quibus Ecclesiæ corpus cum capite suo loquibatur, non autem in Conciliis particularibus quale erat Chartaginense: Inter autem hæc deputatorum genera Cathedratici, tantum locum deputantis occupabant, alij vero non; nam in Conc. Chalcedo. Iulianus Episcopus vrbis Cos legatus, & nuntius Papæ Constantinopoli licet nomen legati papalis in Concilio haberet, tamen cum aliis legatis Papæ non sedit, sed post Patriarchas inter Episcopos: & in Concilio Constantinop. Prouinciali sub Mena habito legati Patriarcharum Antiochiæ, & Hierusalem locum proprium non occuparunt, sed qualem dignitas eorum personalis exigebat, post Episcopos. Ad Ambrosij in Aquileensi præsidentiam?

Resp. datam Valeriano Archiep. Aquileæ, primus enim in Actis nominatur, secundus vero Ambrosius Arch. Mediolanen: nec repugnat his, eo quod Ambrosius in eo Concilio fere solus disputat cum hæreticis, munus enim disputandi non Præsidi, sed Episcopo doctissimo solet demandari. Tum prouinciale istud fuit 30. tantum Episcoporum sine Legatis patriarchalibus, eodemque anno post generale, Constantinum habitum.

Dices, in fauorem Principum præcipuos iudices in spiritualibus olim Reges, & principes notari, Mosem, Iosue, Dauid, Salomonem, Ezechiam, Iosiam, adde quod Deus commisit eis custodiam legis diuinæ, Roman. 13 *Si male egeris time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est.* Ergo principum est iudicare de lege Dei, quomodo sit obseruanda, & transgressores puniendi?

Respondeo præfatos Principes Prophetas fuisse iisque aliqua à Deo extraordinariè commissa, quæ ad officium sacerdotum spectabant, hoc modo Salomo namouit à Pontificio Abiatar & subrogauit Sadoc 3 reg. 2. id non præstitit vt rex, sed vt propheta ex inspiratione Dei, vnde ibidem subiungitur causa. *Vt impleretur sermo Domini quem locutus est super domum Heli in Silo.* At non propter ista extraordinaria delenda est Lex illa generalis Deuterono 17. qua iubentur omnes in dubiis circa legem recurrere ad Sacerdotes, nec illa, 2. Malach. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.*

Secundo notandum alios Synagogæ reges, qui boni notantur in Scriptura, nunquam se negotiis sacerdotalibus immiscuisse, & cum attentarunt vltionem Diuinam, & iram expertos esse, vt patet de optimo rege Iosaphat, qui 2. Paralip. cap. 19. distinguit officia, & dicit. *Amarias Sacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent præsidebit*: è contrario, Osias rex 1. Paral. 26. cum Sacerdotis officium vsurpauit incensum adolendo, mox à Deo percussus leprosus factus est, vsque ad mortem. Tertio dico Reges esse legis diuinæ custodes, sed non interpretes, proinde officij eorum esse, vt legibus, & edictis suis iubeant eam fidem teneri, quam Sacerdotes profitendam docent, & hæreticos ab Ecclesia iudicatos coerceant pœnis temporalibus, ita August. docet in Epistol 48. 50. & 166. & Pij Imperatores Constantinus, Theodosius Martianus aliique sæpe id fecerunt.

Dices, multos Principes formam fidei statuisse, & Episcopos instituisse?

Respondeo, quæ tyrannicè, & sine iure facta sunt non facere ius, multa vsurpata scimus, quæ iustitiæ repugnant. Addo quod stabilita, iam Professione Catholicæ fidei in Conciliis, hanc Reges Protectores, & Custodes tradere possunt, & querelas definire.

QVÆRES, *in quo consistat hæc authoritas, & præsidentia Papæ?*

Respondeo non in præsidentia simpliciter,

quæ materiale tantum est, vel honoris, & præeminentiæ, vel authoritatis in Episcopos collectiuè sumptos Symbolum, & signum: quod præcisè sumptum posset stare, cum æquali in iudicando, & decidendo facultate, & potestate. Hæc ergo spiritualis authoritas per præsidentiam indicata dicit subiectionem membrorum,& totius Concilij,iudicio capitis,& directioni Papæ, qui synodo dat authenticas illas leges, vel potius principia fidei, 2. quæ in Synodo iudicandum est de fide aut moribus. Vt vero restringatur propositio ad solum fidei negotium, ex consensu Pontificum, & omnium fidelium,constat proponi in synodo Scripturas sacras pro regulis principiisque hæ autem canonicæ siue textum siue sensum seu intelligentiam earum spectes, & authenticæ sunt, quas tenet, & tradit Romana Ecclesia. Sunt & principia Traditiones Apostolicæ, decreta Conciliorum, & summorum Pontificum, seu Symbola fidei per eos composita. Denique Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Pastorum consensus, quæ omnia cum non nisi traditione Ecclesiæ certa habeantur, nemo non videt in Conciliis ea principia regulasque petendas esse ab Ecclesia Romana, quæ Traditionum Apostolicarum custos est fidelissima, quam nulla hæresis hactenus corrupit, nec vnquam corrupturam esse impetrata ei à Christo indefectibilitas aperte demonstrat. Sanè quæ per excellentiam, & singulare aut certè proprium priuilegium, sedes Apostolica appellatur eam doctrinæ Apostolicæ depositum seruare non est dubium, cum ex Irenæo. Tertull. aliisque Patribus in controuersiis fidei consulenda sit sedes Apostolica, & ab ea expectandum iudicium.

Papa dat Synodo principia fidei.

Ex his vero colligitur Legatorum Pontificiorum instructiones pro moderandis Conciliis complecti tria potissimum capita; primum habet controuersias seu quæstiones fidei disputandas,& si qua sunt alia Ecclesiæ totius negotia secundum continet regulas fidei authenticas: tertium qui Episcopi communionem Catholicam, seu cum ipso Papa habentes ius in Concilio sedendi iudicandique habeant. Huiusmodi instructionis exemplum habes in Epistola 4. Leonis ad Concilium Ephesinum, quæ incipit. Religiosa clementissimi, &c. in in ea quæ est decima ad Flauianum, quæ incipit. Lectis dilectionis, ad quam remittit Patres Concilij: habes, & plenissimam instructionem in litteris Agathonis ad sextam synodum lectis in huius actione 4. in ea enim Papa ait se mittere per Legatos *Exemplaria authentica decretorum in quinque superioribus Conciliis, & ab Apostolicis prædecessoribus testimonia Patrum quos ea Apostolica Ecclesia recipit, cum eorum libris mandat professionem fidei, & de quæstione disputanda Patrum authoritates.* Si autem Concilium non sequitur instructionem Romani Pontificis deficit, & peccat, vt constat ex illa secunda Ephesina synodo in qua Dioscori fraude occultata fuit Leonis Papæ ad Synodum directa per Legatos Epistola. In Chalcedonensi pro regula habita est Epistola Leonis ad Flauianum. In synodo 6. vt Concilium se legitimè egisse probet, ait, *Se consensisse dogmaticis litteris, & suggestioni S. Agatonis.*

Præterea Papæ authoritas in Conciliis ius istud habet vt eorum definitiones plenissimam infallibilitatem non habeant, nec obligent eorum decreta nisi ad omnia accedat consensus, & confirmatio illius, Papa autem facto singulari examine an omnes conditiones, quæ requiruntur vt spiritus Sanctus author resolutionum certò credatur, declarat fuisse, sicque definitiones Concilij probat, & seruandas præcipit.

Id constat ex ratione loquendi, qua Pontifices Romani vtuntur in confirmatione aut damnatione Concilij, si quod enim damnant idcirco damnant, quia ostendunt neglectas esse aliquas leges, ita apud Theodoret. lib. 2. hist. cap. 22. Damasus reprobat conuentum Ariminensem, quia formula fidei ab eo subscripta composita fuerat antequam Patres disceptarent inter se, & ij coacti sunt ei subscribere, & quia non intercesserat authoritas, & sententia Papæ. S. Leo in Epistol. 23. ad Theodos. quæ incipit Lectis clementiæ, damnat pseudosynodum Ephesinam, quia non omnes Episcopi interfuerant, sed alij rejecti alij intromissi sunt pro arbitrio Dioscori, & ob alios defectus, quos recenset. Idem Leo Epistol 57. ad Martian. quæ incipit multa mihi, ait Chalcedonensis Concilij definitiones placere sedi Apost. *Quia omnium consensus accessit fidei, ei, quæ ad illud emissa erat secundum formam Apostolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis.* Id denique constat ex Bulla Pij IV. confirmatoria Concilij Tridentini. Hæc ergo talis, & tanta est Papæ authoritas & præsidentia in Conciliis generalibus.

QVÆSTIO VI.

Quibus Principiis fertur in Conciliis iudicium?

Respondeo non esse alia quam fidei dogmata iam recepta, regulas autem per quas attinguntur illa principia esse traditiones Ecclesiæ, constat enim aliquod fidei dogma esse, quia ita tenet Ecclesia per traditionem ab Apostolis acceptam.

Quam responsionem vt probem suppono, tanquam totius huius doctrinæ fundamentum Ecclesiã non aliud definire aut iudicare, quàm propositionem de qua est disceptatio, esse reuelatam, ita vt hanc conclusionem inferant, & conficiant Iudices Conciliorũ, vt v.g. hanc propositionem, qua dicit Christum esse verum Deum æqualem per omnia Patri seu vnum in diuinitate, & essentia substantiaque, cum Patre, esse à Deo reuelatam. Quod si argumentantur hæretici, & vocibus ambiguis veritatem fidei obscurare volunt, iidem iudices vt liquidò, & clarè fidei doctrinam proponant, eam verbis clarissimis, & disertissimè significantibus concipiunt sicut contra Arrianos definierunt filiũ Dei esse consubstantialem. Quãobrẽ Propositio illa à Iudicibus illis definita non tam est, Christus est Deo consubstantialis, quàm ista, Christum Deo Patri esse consubstantialem reuelatum est; quia nimirum iudicant illam

illam propositionem esse fide diuina credendam, & vt talem Christianis proponunt denuntiant, & præcipiendam eius fidem decernunt, quod vt dilecte fiat debet illa propositio non tantum, vt vera dici, & enuntiari, sed vt credenda proponi, non proponitur autem credenda nisi cum sub illa forma concipitur, & dicitur esse à Deo reuelata. At vero vt Episcopi iudicent eam propositionem esse reuelatam aliud proximum, & immediatum argumentum non habent quam istud.

Quam propositionem Ecclesia fidelis verbi diuini custos tanquam à Christo per Apostolos traditam credit, illa propositio fuit à Deo, seu à Christo reuelata.

Atqui talis est illa propositio. Ergo.

Maiorem tanquam certam de fide tenet Ecclesia, quia illa audienda est ab omni fideli estque columna, & firmamentum veritatis. Tota disceptatio est de minori syllogismi illius propositione, quam vt Synodus accipiat, & ei assentiatur audit doctos, & disceptatores, qui in vniuersum sunt duplicis generis pro duplici modo, quo ea propositio probari potest, alij authoritate alij ratione Philosophica vtuntur, quia conclusio Theologica duplex esse potest prior ex vna de fide, & altera philosophicâ, seu rationis lumine euidente præmissâ conficitur, posterior vero ex vtraque præmissa de fide: vbi prioris generis conclusio theologica est requiritur doctor, & disceptator in philosophiæ doctrina versatus; in posteriori vero genere requiritur tantùm peritus doctrinæ Ecclesiasticæ scilicet historiæ, Patrum, Conciliorum, & aliorum eiusmodi si quæ sunt. Hos autem disceptantes ex locis Theologicis argumentantes doctores, seu Theologos Episcopi audiunt, & eorum dicta examinant secundum sensum, & traditionem Ecclesiæ, & tandem iudicant talem propositionem ab Ecclesia semper fuisse creditam aut explicitè, aut saltem implicitè, & aiunt ita se docere, ita se doctos ab antecessoribus suis, & consequentes, ita docere Ecclesiam cum ipsi sint Ecclesiæ Doctores, seu pastores, & per eorum ministerium Ecclesia fideles suos doceat.

Totam hanc doctrinam breuiter perstringit, Facundus Ermian lib. de tribus c. cap. 3 vbi ait aduersus hæreticos, *vts nos diuina authoritate, atque necessaria ratione, & antiquorum Patrum testimonio*, Quasi dicat cum quæritur diuina authoritas, & reuelatio, ad eam reperiendam vsui esse duplex argumentum alterum necessariæ rationis, seu consequentiæ alterum doctrinæ Patrum, & Ecclesiæ, Scripturæ autem authoritas proferri non potest nisi constet prius de Ecclesiæ veritate, quia non nisi per Ecclesiæ traditionem Scriptura sacra, & eius legitimus sensus haberi potest. Pro habenda autem traditione Ecclesiæ triplex est nota, vniuersitas antiquitas, & consensio ait, Vinent. Lirinen. in suo commonitorio cap. 3. Quod autem triplici illa probatione confirmatur est haud dubiè Ecclesiasticum, & Catholicum. Quod si vniuersitatis nota deficit, & noua quædam quæstio exoritur nouáque contagio Ecclesiam commaculare incipit, tùc hac vniuersitate præsentium Ecclesiarum deficiente recurrendum est ad antiquitatem, obseruat enim Vincēt posse aliquam hæresim occupare multas Ecclesias vt constat de Ariana adeo vt aliquādo plures Ecclesiæ, & Episcopi diuersarum nationum tam Ariani, quàm Catholici reperirentur. Et quantumuis doctrina aliqua latissimè pateat, si tamen nouam esse constat, profectò erronea est, nec enim est Apostolica, nec per successionem aut traditionem ad nos vsque peruenit, deinde vt notat idem Vincent antiquitas non potest iam seduci. Verum enim vero, quia, & ipse error antiquus esse potest, & vt notat Tertull. Apostolorum tempore fuerunt iam excitatæ hæreses: ideo cum consulitur vetustas, quærenda est in ea consensio. Quare si constat antiquis temporibus, seu etiam ante hæc tempora Patres consensisse in doctrinam aliquam, ea est Ecclesiæ Catholica doctrina: & vero si Ecclesiarum huius temporis consensio est argumentum veritatis doctrinæ, eadem antiquarum Ecclesiarum consensio idem ipsum probabit. Cum vero consulitur vetustas, non sufficit nosse, quod doctrinam aliquam tenuerint nonnulli Patres antiqui, nam aliqui inter eos errare potuerunt, sed attendendum est an inter eos fuerit consensio. Quod si explorata, & euidens non est Patrum in aliquo articulo consensio tunc ait Vincent. cap. 4. videndum est, quid communiter tenuerint Patres, qui diuersis temporibus, & locis in vnitate communionis fidei permanentes magistri probabiles extiterunt, quales fuerunt Irenæus, Athan. Greg. Chrysost. Basil. Ambro. August. Hieron.

Hæc praxis Ecclesiæ fuit hæc est methodus, qua vsi sunt Conc. legitimorum Patres vt ex eorum Actis constat. De Nicæna id testatur, Athan. in Epistola de decretis contra hæresim Arianam. De Ephesina, & aliis sequentibus id earum acta testantur, legatur S. August. lib. 1. contra Iulian. ibi refutat hunc hæreticum authoritate Patrum, quos Catholicos virosque pios, & doctos semper fuisse præfatur, & concludit. *Catholicæ vnitatis, & veritatis Sacerdotes ex diuersis orbis terræ partibus tanta inter se fidei concordia congruentes in tam magna causa vbi Christianæ religionis summa consistit, non dissentire*. Quibus verbis docet S. August. idem quod Vincent. cap. 38. si quando contra vniuersitatem pars, nouitas contra vetustatem, & vnius vel paucorum errantium contra omnium, vel certè multo plurium Catholicorum consensionem rebellauerit parti vniuersitatem, & vniuersitati antiquitatem, & in vetustate consensionem; paucorum temeritati præferendam esse.

Ex his colligitur in quo posita sit assistentia, quam Episcopis in synodo iudicantibus, Spiritus-Sanctus præstat, ea enim in hoc consistit, quod dat eis, *sensum Ecclesiasticum, & Catholicum*, vt Vincent. cap. 2. loquitur, facitque Pastores, seu Iudices Ecclesiæ inter se consentire. Hic enim proprie dicitur sensus Catholicus vniuersalis, & Ecclesiæ consensio, iste autem sensus est *norma Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis*, id est doctrinæ sacræ, & fidei per Prophetas, & Apostolos traditæ. *Assistentia Sancti Spiritus in synodo.*

Quamobrem quemadmodum Spiritus-Sanctus disputatoribus suggerit aut omnia aut præcipua argumenta theologica, quibus fiat euidenter consequens Patres Ecclesiæ, ita communiter sensisse: v. g. Christum esse Deum, Dei filium, genitum ex Patre, & vnum cum

eodem Patre & per eosdem disceptatores Spiritus S. proponit varias significationes Dei: nam & Moyses Pharaonis Deus dicitur, & ipsi Sancti dicuntur filij Dei & geniti quæ vox aliquando idem significat quod creatum, aliquando non idem significat sed ex genitoris substantia productum. Item per eosdem disputatores Spiritus S. proponit Synodo varia loca Scripturæ aut Patrum fidei doctrinam traditam proponentium, vt scilicet omnia sedulo diligenterque conferri & expendi à Iudicibus quant. Ita idem Spiritus S. dirigit iudices primò vt velint mature agere & omnia diligenter examinare.

Secundò vt inter se conueniant in vero sensu & interpretatione Scripturarum, aut etiam propositionum per Patres traditarum & vt verbo dicam in doctrinæ fidei interpretatione. Tertiò, vt quid reuelatum esse certo constet definiant & aptis verbis clarè dilucideque articulum fidei proponant. Potissima autem assistentia est in assignando sensu Catholico, vt v. g. quod cum Christus dicitur Deus intelligatur verus & idem omnino qui pater, & filius intelligatur non adoptiuus sed naturalis, non creatus sed propriè genitus, & quod Pater & filius vnum sunt non sola consensione intellectus, aut voluntate & affectu, sed essentia & diuinitate, quod totum exprimitur voce *Consubstantialis*. Id totum probatur ex eo quod Patres communiter Spiritus-Sancti assistentiam agnoscunt in conspiratione illa & consensione vniuersi Concilij, & Iudicum, ita Facundus lib. 8. de tribus capit. 7. *Deus fideliter inuocatus dat omnibus congregatis vnum cor & animam vnam, vt nullus eorum suam velit esse sententiam nisi quæ fuerit veritatis. Quoties ibi doctiores indoctioribus & plures paucioribus illo eorum medio (scilicet Christo) cedunt! Quoties etiam per nescientes scienter operatur ipse qui potest omnia supra quam petimus aut intelligimus aut qui promisit quod nobiscum sit omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*

Dices, si ex tam certis principiis præfatis singulari assistentia Spiritus-Sancti Concilium legitimum Oecumenicum cui Legati Papæ præsunt veritates Catholicæ eruuntur & fiunt decreta in rebus fidei & morum cur requiritur confirmatio Papæ & ante hanc nihil firmum & obligatorium habetur? tota Ecclesia Catholica loquitur in legitimo Concilio: præsentiam Christi habere creditur ex Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo illic sum in medio eorum.* Concilium ipsum se in Spiritu-Sancto legitimè congregatum dicit & ante confirmationem Papæ decernit anathema contrarium sentientibus, ad quid Papalis hæc ratificatio.

Respondeo Concilium infallibiliter concludere & decernere. quod absolutè est generale & Ecclesiam vniuersalé perfectè repræsentat, eiusmodi autem Concilium non est antequam adsit sententia Papæ, nam Episcopi cæteri repræsentant quidem corpus Ecclesiæ, & quod illi faciunt corpus Ecclesiæ facere censetur: at Legati Papæ non ita repræsentant caput Ecclesiæ id est ipsum Papam vt id quod ipsi faciunt absolutè cẽseatur fecisse Papa, alioquin nulla requireretur ratificatio sed solum repræsentant Papam tanquam Vicarij, & internuntij ipsius, qui ad ipsum referre debeant cum oriuntur dubia, & sententiam eius expectare & exequi. Itaque tale Concilium cum non repræsentet absolutè authoritatem capitis non nisi imperfectè repræsentat totam Ecclesiam.

Quod si quis velit eiusmodi Concilium absolutè totam Ecclesiam repræsentare, is respondere poterit non censeri prorsus absolutum nisi post confirmationem Papæ, vnde decreta suspensa intelliguntur vsque ad confirmationem quam non dat Papa nisi præhabito examine si omnia ad dictum Concilium requisita obseruata fuerint & tunc ex priuilegio suo personali indefectibilitatis in fide (quod Legatis non potest committere vt rectè notauit Castro lib. 1. de iusta hæresis punitione cap. 6. Papa docens vniuersam Ecclesiam & ex cathedra loquens approbat vel reprobat decreta Concilij quæ exinde vim habent & fideles obligant, prius autem anathema dictum, vim tantum habet post confirmationem.

Quare dicendum est quod confirmatio Pontificia solummodo fidem faciat omnibus fidelibus Synodum Oecumenicam & legitimam fuisse, & cum leges omnes seruauerit, in Spiritu Sancto definiuisse quod definiuit, & ita non est vllus tergiuersandi locus nullaque appellatio nec quisquam Catholicus dubitare potest post hanc Papæ certificationem de veritate propositionum iudicatarum.

QVÆSTIO VII.

An Concilia generalia Confirmata à Papa possint errare.

Lvther & Caluin. absolutè de quibuscumque hoc asserunt.

Catholica vero Propositio quod generalia confirmata errare nequeant nec in fide nec in moribus est tenenda de fide.

Probatur ex Scriptura Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Caluin. non magni facit hoc testimonium propterea quod ex eo videatur probari posse etiam Concilium duorum hominum non posse errare, sed hoc testimonium non contemnet qui obseruarit argumentum sumi non simpliciter ex his verbis sed ex iis continuatis cum superioribus, & propterea addita argumentatione à minori ad maius dixerat enim antea Christus de homine incorrigibili. *Dic Ecclesiæ & si Ecclesiam non audierit sit tibi velut Ethnicus* At ne quis Ecclesiam siue congregationem Prælatorum contemnendam putaret adiunxit continuò. *Amen dico vobis quæcumque ligaueritis super terram, erunt & ligata in cælo.* Et ne quis dubitaret de assistentia Dei quando Episcopi congregati aliquem damnant vel absoluunt subiungit. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi ego in medio illorum sum.*

Quorum verborum hæc sententia est, si duo vel tres congregati in nomine meo obtinent semper quod petunt à Deo, nimirum sapientiam & lumen quod sufficit eis ad cognoscenda

da ea quæ ipsis necessaria sunt quanto magis. Episcopi congregati in meo nomine obtinebunt quod iustè petunt sapientiam & lumen ad iudicanda ea quæ ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent. Ita hunc locum exponit & eo vtitur argumento Conc. Chalcedon. in Epistola ad Leonem, quæ est post finem tertiæ actionis Concilij, item Sexta Synodus act. 17. Toletanum tertium. Item Innocent. Papa, Celestin. Cyrill. Alter locus est Ioan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Et ne putemus hoc solis dici Apostolis & non etiam successoribus, Christus testatur cap. 14. Spiritum mansurum cum Apostolis in æternum id est cum eis & cum successoribus perpetuo. At Episcopos, seorsim existentes non docet Spiritus S. omnem veritatem, ergo saltem cum sunt congregati. Act. 15. *Visum est Spiritui S. & nobis*, si huic Concilio ex quo formam reliqua acceperunt adstitit Spiritus S. cætera non minus indigent. Idem probant loca quæ Ecclesiam asserunt non posse errare, Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo &c.* Matth. vlt. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem.* Primæ Timo. 3. *Ecclesia Dei vivi est columna & firmamentum veritatis.*

Idem habent testimonia quæ docent. Episcopos habendos esse vt Pastores, audiendos vt magistros, sequendos vt duces, Luc. 10 Heb. 13. Act. 20. Ephes. 4. Galat. 4. primæ Ioan. 2. Ex quibus si tenemur audire & sequi Episcopos vt Præpositos, Pastores, Patres, certè vel illi nos fallere non poterunt, vel nos poterimus rei iicere culpam in Deum. At sine dubio singuli Episcopi errare possunt & aliquando errant, & inter se quandoque dissentiunt, vt nesciamus quisnam eorum sequendus sit: ergo saltem omnes simul præsertim in nomine Domini congregati quando vno ore nos docent non poterunt errare.

Probatur ex SS. Patribus, Greg. Nanz. in orat. ad Athan. dicit ad Conc. Nicænum Episcopos à Sancto-Spiritu congregatos, Cyrill. lib. 1. de Trinit. vocat decretum Conc. Nicæni diuinum & sanctissimum oraculum. Leo Epist. 53. ad Anatolium & 54. ad Martianum Imper. affirmat Canones Nicæni Conc. per Spiritum S. ordinatos & Epistola 37. ad Leonem Augustum asserit Chalcedonense Conc. per Spiritum S. congregatum fuisse, Greg lib. 1. Epist. 24. affirmat se venerari 4. prima Concilia sicut 4. Euangelia.

Ambros. Epist. 32. *Sequor*, inquit, *tractatum Nicæni Conc. à quo me nec mors nec gladius poterit separare.* Hilarius autem reipsa passus est exilium propter Nicænam fidem vt ipse testatur in fine libri de Synodis, & multos martyres occubuisse pro fide in Concilio generali explicata, notat Victor African. in lib. de persequutione Vuandalica.

Probatur rationibus. Si Conc. generalia possent errare, nullum esset in Ecclesia firmum iudicium quo controuersiæ componi & vnitas in Ecclesia seruari posset, nihil enim maius est Concilio generali approbato. 2. Si eorum iudicium non esset infallibile possent merito reuocari in dubium omnes damnatæ hæreses, diceret enim Arius errasse Nicænum Conc. Macedonius Constantinopolitanum Nestorius Ephesinum, Eutyches Chalcedonense. Tum intolerabilem admiserunt ipsa errorem quæ multa de fide credenda proposuerunt, si de iis veritas non constat, vel falsitas, imo Symbola fidei edidisse constat, & nouas sententias proposuisse credendas, quod temerarium & intolerabile & contemptum mereri dicendum, est si firmum infallibileq; non est eorum iudicium. Quod tamen admittitur cum honore ab ipsis aduersariis.

Dices in multis locis Scripturæ sacerdotes & Prophetas reprehendi, non tantùm improbitatis, sed etiam ignorantiæ & erroris. Isai 56. Osee 9. Hier. 6. & 14. Ezech. 22.

Resp. 1. nihil horũ dici in Concilium sacerdotum, sed in Pastores & Prophetas qui separatim populum decipiebant, quare nil faciunt contra Assertionem, alia enim est ratio Pastorum in Concilio congregatorum publica authoritate, & qui nomine Dei quæstiones diligenter excutiunt: alia vero dispersorum & qui dum in locis quisque suis sedent, proprio iudicio indulgent. Quare eadem Scriptura quæ frequenter in Pastores malos inuehitur & à falsis prophetis cauendum esse monet, eadem tamen eos qui de re aliqua dubitant ad Concilium sacerdotum mittit, ac præcipit, vt obseruent quod dixerint ij qui præsunt loco quem elegerit Dominus, Deutero 17.

Respondeo 2. ea omnia contra sacerdotes legis dicta non esse transferenda ad Euangelicos. Nec enim de Synagoga vsquam legimus quod de Ecclesia Christus dixit. Matth. 16. *Super hanc petram &c.* neque id quod 1. Timot. 3. *eam esse columnam & firmamentum veritatis.* Neque de Caipha scriptum est, sed de Petro rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, Luc. 22.

Nec opponenda sunt loca Act. 20. Matth. 24. *Pseudoprophetæ surgent & seducent multos*, nam de Conciliis non agunt, quæ potius fiunt vt falsi Prophetæ detegantur, confutentur, & procul ab ouili Christi arceantur.

Dices, Concilium Iudæorum præsidente summo Pontifice Caipha, *Iudicauit Christum reum mortis & excommunicauit eos qui Iesum confitebantur esse Christum* Ioan. 9. & 11. & Marc. 14., ergo Concilia possunt errare.

Respondent aliquid illud errasse, quia non processit secundum morem legitimi Concilij, sed tumultuaria conspiratione subornatis falsis testibus damnauit Christum, idque omnibus & Pilato notum fuisse declarat Matth. 27. Quia tamen non est inferiorum iudicare an superiores legitimè procedant nec ne, nisi manifestissimè constet errorem committi & credibile est Deum non permissurum vt Cõcilia quibus summus Pontifex præest errent, vel non legitimè procedant.

Respondeo Pontifices & Concilia Iudæorum non potuisse errare antequam Christus veniret, sed eo præsente potuisse, imò prædictum erraturos & Christum negaturos Isai 6. Danielis 9. Sicuti enim non est necessarium vt Vicarius Papæ non possit errare cum ipse Papa regat Ecclesiam & ab errore defendat sic etiam non fuit necessarium vt Pontifices Iudæorum non possent errare quando Christus totius Ecclesiæ

desiæ summus Pontifex præsens aderat.

Dices, multos errores Conciliorum & inter ipsa contradictiones notari.

Respondeo esse primò discernendum, si hæc sint legitima & approbata Concilia. Secundo an sint affictì errores & veri, nam aduersarij ea quæ non placent ipsis aut repugnant doctrinæ suæ vocant errores. Tertio datur Concilia errare, posse in quæstionibus de facto. Quarto in allegatis contra examinandus est seriò tenor historiæ & circumstantiæ & tempus, quod variare solet decreta imo perpendenda est nominum vsurpatio, nam v. g. nomen Concubinæ male sonat & accipi solet pro muliere, quæ ad thori consortium accipitur, sine mutuo consensu perpetuo viuendi: olim autem erat vxor ducta sine dote & externa solemnitate, vt notat Gratian. dist. 34. can. Omnibus sicque Genesis 25. Agar & Cethura vocantur concubinæ Abrahæ, quæ tamen veræ erant vxores, vt patet Gen. 16. de Agar. & 25. de Cethura.

Dices, in omni cœtu multitudinis sæpe accidit vt maior pars vincat meliorem igitur in Conciliis Ecclesiæ vbi definiuntur omnia ad plura suffragia facilè fieri poterit vt contingat error. Deinde esto: Concilia legitima non possint errare, tamen quis nouit an vllum vnquam fuerit legitimum Concilium? Nec enim est legitimum nisi Episcoporum fidelium; quis autem scire potest an qui Concilio conueniunt habeant veram fidem & veram ordinationem? Tum ex fide historicorum quæ non est infallibilis nouimus facta Concilia ibique omnia ad normam legum Ecclesiasticarum omnia transacta fuisse. Ergo decreta eorum dubia sunt.

Resp. in cœtibus humanis aliquando id accidere vt maior pars vincat meliorem: in Cócilio Ecclesiæ vbi Spiritus-Sanctus præsidet & vbi Christus est in medio eorum qui in nomine eius congregati sunt, & vbi ille adest cui dictum est ab ipsa veritate. ***Rogaui pro te, & tu confirma fratres*** non est quod tale quid timeatur: nam licet maior pars resistat meliori vt factum est in Conc. Ariminensi, & Ephesino II. tamen nunquam vincit, mox enim irritantur eiusmodi Conciliorum Acta ab eo cui conuenit ex officio fratres confirmare vt in præfatis Conc. factum videmus.

Ad dubium de veris Episcopis dico non esse necessarium vt sciamus Episcopos qui ad Concilium conueniunt habere veram fidem & veram ordinationem sed satis esse si non constet contrarium, esto enim essent corde hæretici & sola externa professione Catholici, Deus non permitteret vt in decretis formandis errarent si assisteret Pontifex, nam Spiritus-Sanctus concilio tã non assistit propter ipsũ Conciliũ quàm propter vniuersam Ecclesiam quæ diuino præcepto tenetur Episcoporum sententiam non discutere sed venerari. Itaque ne Ecclesia vniuersa erraret diuina prouidentia faceret vt etiam Episcoporum fictorum Concilium vellet, nollet veram proponeret Ecclesiæ fidem sequendam. Quare vt conuentus aliquis Episcoporum sit legitimus & dicatur id tantum requiritur vt Episcopi illi conueniant qui Episcopi veri & Catholici habentur & præsideat in Ecclesia quicquid sit de iis quæ in cordibus eorum latent.

Ad certitudinem quod Concilium aliquod sit legitimum, dico illud euidens esse sine alia vlla probatione iis qui tunc ad sunt præsentes. Posteris autem vel absentibus idipsam esse notum ex humana fide, sed certa & quæ euidentiæ naturali aliquo modo comparari possit, cum non vllus aut alter historicus sed varij hoc testentur, & Ecclesia quæ nunc est id asserat nec sit qui contrarium senserit.

Dices, ex Aug. lib. 2. de Baptismo contra Donatum cap. 3. ***Sæpe priora Concilia plenaria posterioribus emendari, cum aliquo experimento aperitur quod clausum erat & cognoscitur quod latebat***, Ergo intercessit error.

Respondeo Aug. non velle priora emendari ita vt corrigantur aut reformentur, sed tantum vult in posterioribus sæpe magis explicitè & distinctè explicari nonnullas quæstiones quàm in prioribus tractatæ fuerant. Ita enim se explicat cum ait. ***Aperiri quod clausum erat.*** Vnde & eodem sensu ibidem cap. 9. apud posteros posteriora prioribus præponi ait, quia doctrina fidei in posterioribus Conciliis clariùs exprimi solet.

Respondeo Bellarm. Aug. loqui non de dogmatibus fidei, sed de quæstionibus facti.

Quare cum ex fide Catholica habeamus legitima Concilia à summo Pontifice confirmata errare non posse & sciamus euidentia naturali aut ex fide humana, talia v. g. Nicenum, Constantinop. Ephesinum I. & alia huiusmodi legitima approbata fuisse à Papa, certè sequitur vt huiusmodi Conciliorum decreta, fide certa credamus.

QVÆSTIO VIII.

An generalia Concilia ante Confirmationem Papæ, possint errare.

Nota I. Legatos aliquando mitti ad Concilium cum plena instructione sedis Apostolicæ sicut legimus factum in Conc. IV. VI. & VII. aliquando sine instructione vt factum est in Tridentino cuius ratio est, quia in illis primis Conciliis vna tantum quæstio tractabatur, & ideo Pontifex facile poterat explicare Legatis suis quæ esset sententia sua de illa quæstione. At in Conc. Trident. tot quæstiones & tam variæ tractandæ erant, vt non posset commode haberi eiusmodi instructio.

Nota 2. quatuor modis posse contingere vt fiat generalis Concilij definitio.

Primò vt Patres consentiant & definiant dissentientibus Legatis Papæ.

Secundò vt consentiant & deficiant consentientibus Legatis sed contra instructionem Pontificis agentibus.

Tertiò consentientibus Legatis sed qui non habuerunt certam instructionem.

Quartò consentientibus omnibus cũ Legatis habentibus & sequentibus Papæ instructionem.

In

In primo, & secundo casu Concilia posse errare constat, quod accidit Ephesino II. desinienti, repugnantibus Legatis Leonis Papæ vt patet ex Epistola 24. & 25. Leonis. Item Constantinop. tempore Nicolai I. errauit, cum eius Legati egerint contra instructionem, vt constat ex Nicolai Epistola ad Patriarchas, & cœteros Episcopos orientis, & ex Zonara in vita Michaëlis Imperatoris. Secundo eiusmodi Concilia non solum non confirmata, sed etiam reprobata dici debent, idem enim est siue Papa reprobet expresse, siue Concilium agat contra Papę sententiam: certum autem est Concilia reprobata à Pontifice nullam habere authoritatem, vt multis exemplis ostendit Gelasius in tomo de Anathemate, & in Epistola ad Episcopos Dardaniæ. Tertio non possunt dici legitima, quæ pugnant cum suo capite, & similiter, quando consentiunt Legatis agentibus contra informationem, quia tunc Legati non agunt vt Legati, cum non agant nomine Pontificis: Disertè enim Leo in Epistol. 45. ad Pulcheriam, & Agato in Epistola ad Imperatorem, quæ lecta est in 6. Synodo act. 4. affirmant se non dare authoritatem Legatis, nisi agant secundum sibi traditas regulas.

In 3. casu posse errare asserit Bellarm. Primò quia sententia eius Concilij non est vltimum iudicium Ecclesiæ, cum Papa possit illud approbare, vel reprobare, vt patet ad Gelasio, ex Episcop. Dardan. & Nicolao ad Imper. & praxi Conciliorum petentium confirmationem, & Bulla Pij 4. in qua confirmat Tridentinum. Secundò firmitas Concilij nascitur ex consensione, & coniunctione Concilij cum capite, at caput nondum aperuit sententiam suam, etsi enim Legati præsunt nomine Pontificis, tamen non sunt reuera Pontifices, nec sciunt, quæ sit mens Pontificis, nec habent priuilegium, non errandi, quod ipse Pontifex habet.

Si Concilium procedat ex Papa institutione data antecedenter, Legatis, eamque adamussim sequuntur hoc est anticipata confirmatio tales instructiones minutatim signantes omnia dedit aliquando Gelasius I. Fausto Magistro Legato Constantinopolim (est eius Epistola 4.) Item Hormisdas indiculum valde accuratū tradidit suis legatis, qui legitur post Epistolā eius 10. & alij, vt constat ex historia Conciliorum.

Tertio Conc. Basileense sess. 2. vnà cum Legato communi consensu statuit Concilium esse supra Papam, quod certè nunc, ait Bellarm. erroneum iudicatur.

In 4. casu Concilium non potest errare, nam ibi inuenitur expressus consensus Papæ capitis & membrorum, & proinde totius Ecclesiæ, quæ certè errare non potest, neque obest, quod instructio illa quam dedit Papa non videatur difinitiua sententia sedis Apostolicæ: nam quando Concilium consentit cum pontificis sententia formaturque decretum cum Legatis eius, tunc incipit esse sententia definitiua, & vltima non solum Concilij, sed etiam pontificis, neque enim Papa potest eam retractare, nam certò intelligit eam esse à Deo, quando à Concilio approbatur, vt dicit B. Leo in Epistola ad Theodoret. 63. *Quæ*, inquit, *Dominus noster nostro prius definierat ministerio vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt vere à se prodire ostenderet, quod prius à prima omnium sede formatum totius Christiani orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque capiti membra concordent*, &c.

Quod vt melius intelligatur sciendum est, Papam solere mittere Legatos instructos de sententia, sedis Apostolicæ cum ea conditione, vt si Concilium consentiat iudicia Sedis, formetur decretum sin minus differatur decreti formatio donec Papa consultus respondeat. Quod patet ex Conc. Chalcedon. ipse etiam Leo Epistola sexagesima prima ad Concilium Chalcedon. qua illud confirmat, indicat non fuisse opus sua confirmatione, nisi quia dubitabant aliqui, an reuera, cum eius consensu factum fuisset decretum Concilij. Qua etiam ratione confirmauit Pontifex multa alia Concilia, non quia errare potuerant, sed vt omnibus certius constaret, quæ Legati egerant vere ex mandato expresso Papæ egisse. Denique in eiusmodi Conciliis non expectata alia confirmatione Papæ, fit exequutio, id est damnantur, qui contrarium sentiunt, vt manifesti hæretici, & deponuntur ab Episcopatu, & Sacerdotio. Ita in Concilio Nicæno damnati sunt, & in exilium acti sex Episcopi vnà cùm Ario, vt scribit Ruffinus lib. 10. hist. capite 5. in Ephesino depositus est Nestorius vt Euagrius testatur libro 1. capite 4. In Chalcedonense act. 3. depositus est Dioscorus, & act. 4. decem Episcopi Ægyptij iudicantur hæretici, quia nolebant acquiescere decreto prolato act. 3. in Concilio 6. act. 8. & 12. deponitur, & in exilium eiicitur Macharius Patriarcha Antiochenus, cum aliquot suis discipulis & act. 15. deponitur Polychronius Presbyter. At si Concilia ista ante confirmationem Papæ potuissent errare, non fuissent illi manifesti hæretici, qui ante confirmationem resistebant.

Potest adduci ratio ex praxi, quæ testatur nullum Concilium obligare totam Ecclesiam aut ratum esse ante Romani Pontificis confirmationem, quia solus Papa habet authoritatem in vniuersam Ecclesiam, & solus in eam ius dicit, vti Christi Vicarius: Nec potest dici synodum id iuris habere vt decretorum suorum exequutores nominet, nam isti pares fierent aut superiores Papæ, qui tamen iure diuino est Christi Vicarius, & omnium Episcoporum, ac consequenter cuiuslibet synodi princeps, & Pastor.

Itaque desideratur vt finito Concilio accedat eius de fide decretis calculus ipsiusmet Pontificis, alioqui, non erunt plenè firma, quia Pontifex non potest Legatis suis committere priuilegium suæ in fide indefectibilitatis vt rectè notauit Castro. lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 6.

Hancque confirmationem papalem exigi censet Naclantus esse de fide opusc. de necessitate confirmationis Conciliorum, & videtur annuere Duualius tract. de Pontif. p. 4. qu. 5. Et ipsa Concilia generalia, hanc suam ex seipsis defectibilitatem, & confirmationis pontificiæ necessitatem apertè professa videntur, cum petierunt sua decreta confirmari à Pontificibus.

***

QVÆSTIO IX.

An sit maior authoritas Concilij quàm Scripturæ.

NOuatores passim clamant nos subiicere scripturam, seu Verbum Dei scriptum, & manifestum iudicio hominum: hoc autem falsum est, nam si Catholici interdum dicunt Scripturam pendere ab Ecclesia siue à Concilio, non intelligunt quo ad authoritatem, & secundum se, sed quo ad explicationem, & quo ad nos.

Nota multiplex esse discrimen inter Scripturam Sacram, & Conciliorum decreta ex quibus intelligitur Scripturam præponi Conciliis.

Primum est quod scriptura est verbum Dei immediatè reuelatum, & scriptum, Deo quodammodo dictante iuxta illud 2. Pet. 1. *Spiritu-Sancto inspirante loquuti sunt Sancti Dei homines*, & 2. Timot. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata.* Quod tamen non sic intelligendum est quasi semper scriptores sacri reuelationes nouas habuerint, & scripserint ea, quæ antea ignorabant: constat enim Euangelistas Matthæum, & Ioannem scripsisse ea quæ viderunt, Marcum, & Lucam ea quæ audierunt, vt Lucas ipse fatetur initio Euangelij, *sicut tradiderunt*, inquit, *nobis qui ab initio ipsi viderunt.* Dicuntur igitur scriptores sacri habuisse immediatam reuelationem, & scripsisse ipsius Dei verba, quia vel noua quædam, & antea incognita eis reuelabantur à Deo iuxta illud Psal. 50. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Vel Deus immediatè inspirabat, & mouebat scriptores ad scribenda ea quæ viderant, vel audierant & eos dirigebat ne modo aliquo errarent. Vt enim dicitur verè Epistola Principis, quæ à Principe dictatur etiamsi is qui eam scripsisse antea sciebat, quæ scripturus erat, ita dicitur, &, est immediatum Dei verbum, quod scriptum est ab Euangelistis Deo inspirante, & dirigente, licet viderint ea quæ scripserunt.

At Concilia non habent, neque scribunt immediatas reuelationes aut verba Dei, sed tantum declarant, quodnam sit verbum Dei scriptum, vel traditum, & quomodo intelligi debeat, & præterea ex eo deducunt conclusiones. Itaque Concilia cum definiunt, qui sint libri canonici, & diuini non faciunt eos esse infallibilis veritatis, sed declarant solùm esse tales.

Sic etiam Conc. Trident. sess. 13. cap. 1, cum definit verba illa. *Hoc est corpus meum* intelligi proprie non figuratè, non edit, sed declarat verbum Dei. Et cum Nicænum Conc. definiuit Christum esse homousion deduxit conclusionem ex scripturis in quibus disertè continetur vnum esse Deum, & Patrem esse Deum ac Filium esse Deum ex quibus sequitur necessario Patrem, & filium eiusdem esse substantiæ, & diuinitatis. Et similiter cum Conc. 6. definiuit in Christo duas esse voluntates diuinam, & humanam deduxit conclusionem ex scriptura in qua habetur Christum esse perfectum Deum, & perfectum hominem.

Alterum discrimen ex hoc primò oritur, & est quod scriptores sacri non debuerint multum laborare in suis libris edendis.: satis enim erat si laborarent scribendo, vel dictando, si edebant vaticinia, vel ad summum reuocando ad memoriam, quæ viderant, vel audierant, & cogitarent verba quibus ea scriberent si scribebant historias, vel Epistolas, vel aliquid simile.

At Patres in Conciliis debent rem ipsam, quærere id est conclusiones inuestigare disputando legendo cogitando, vnde Act. 15. legimus in primo Concilio magnam conquisitionem fuisse factam. Idem testatur de Nicæno Conc. Ruffin. lib. 10. cap. 5. hist. Eccles. quocirca Actione 15. Patres dicunt: Visum est Spiritui-Sancto & nobis id est Spiritu S. nostram industriam, & diligentiam adiuuante.

At scriptores sacri soli Deo tribuunt ea, quæ scribunt, ac propterea, tam sæpe repetebant Prophetæ illud, *dicit Dominus.*

Tertium discrimen est, quod in Scriptura nullus potest esse error siue agatur de fide siue de moribus siue affirmetur aliquid generale, & toti Ecclesiæ commune siue, quid particulare, & ad vnum tantum hominem pertinens, tam enim certum est, & de fide neminem salutari, sine gratia Spiritus-Sancti, quàm Petrum, Paulum, Stephanum, & alios quosdam habuisse Spiritum-Sanctum, & saluos esse, vtrumque enim eadem Scriptura testatur.

At Concilia in iudiciis particularibus errare possunt.

Quartum est quod in Scriptura non solum sententiæ, sed etiam verba omnia, & singula ad fidem pertinent, credimus enim nullum esse verbum in Scriptura frustra aut non rectè positum.

At in Conciliis maxima pars Actorum ad fidem non pertinet. Non enim sunt de fide præuiæ disputationes & rationes, quæ adducuntur, sed ea præcise decreta, eaque non omnia, sed quæ proponuntur, tanquam de fide, quæ exposito anathemate in dissentientes decerni solent. Denique in ipsis decretis de fide non verba, sed sensus tantum ad fidem pertinet, non enim est hæreticum dicere, in canonibus Conciliorum aliquod esse verbum superuacaneum aut non rectè positum nisi forte de ipso verbo decretum sit formatum, vt cum in Conc. Nicæno decreuerunt recipiendam vocem ὁμόϛιον, & in Ephesino vocem θεοτόκον.

Quintum discrimen est quod Scriptura non indiget approbatione Papæ, vt sit authentica, sed tantum vt eius authoritas innotescat.

At Concilia etiam legitima, & generalia non sunt rata nisi confirmentur à Pontifice.

DIces, quomodo Scripturas præferimus Conciliis cum Gratian. dist. 19. can. In Canonicis affirmet Epistolas Põtificum decretales debere numerari inter canonicas Scripturas, & dist. 20. can. Decretales dicat Conciliorum

ciliorum canones esse eiusdem authoritatis cum Epistolis decretalibus, ergo etiam canones Conciliorum numerantur inter Scripturas canonicas. Præterea S. Gregor. lib. 1. Epistola 24. dicit se venerari 4. prima Concilia, vt 4. libros Euangeliorum. Et Conc. Trident sess. 4 libros veteris, & noui Test. nec non Traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit ac veneratur, & Agatho ad Episcopos generaliter scribens vt habetur in can. sic omnes dist. 19. scribit decreta sedis Apostolicæ suscipienda esse tanquam ab ore Petri emanata?

Respondeo primo Gratianum deceptum ex Augustini deprauato codice, quem habuit, August. enim lib. 2. de doct. Christ. cap. 8. non dicit Epistolas Pontificum esse Scripturam canonicam, vt ipse legit, sed iudicium de veris scripturis pertinere ad Ecclesias Catholicas, *Inter quas illa sunt, quæ apostolicas sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt.* Quales sunt Roma ad quam scripsit Paulus Ephesus, & aliæ quædam?

Resp. 2. Gratianum noluisse dicere decreta Pontificum esse proprie Scripturam sacram, & canonicam, sed sacram vt distinguatur à profana, & canonicam vt à scriptis Sanctorum Patrum distinguatur, quæ non sunt regulæ, nec habent authoritatem obligandi. Dic. suo modo sacra dici decreta Pontificum.

Ad Gregorium? Resp. illud *sicut* sonare similitudinem non æqualitatem, vt illud, Matth. 5. *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis*, vel si æqualitatem sonet dico non comparari Concilia cum Euangeliis in omnibus, sed tantum in certitudine eorum, quæ in scripturis dicuntur, & in Conciliis definiuntur, cum enim vtraque sint infallibilis veritatis æquè certa dici possunt.

Ad Tridentinum patet intelligi de Traditionibus Apostolicis, quæ non minus sunt verba Dei, quàm Scripturæ vt suo loco dixi.

QVÆSTIO X.

An Concilium sit supra Papam.

QVæstio hæc notatur exorta tempore Concilij, quod Pisis in Etruria Cardinales ad tollendum schisma fecerant anno Christi 1409. Ab anno siquidem 1378. defuncto Romæ Gregorio XI. suffectoque ipsi Vrbano VI. cum Cardinales post tertium ab eius electione mensem Anagniam dissimulanter indeque Fundas digressi fretique authoritate Ioannæ reginæ Neapolitanæ vim in electione Vrbani illatam causantes Robertum Cardinalem Gebennensem, qui Clemens VII. dici voluit, & Auenione sedit elegissent, Schisma durum annorumque, quadraginta exortum est visique simul tres Pontifices Benedictus XIII. Gregorius XII. qui ante suam electionem vouerat se renuntiaturum si Benedictus etiam abdicaret. Attento ergo, quod neuter de tollendo schismate cogitabat, Cardinales vtrumque deposuerunt, & Alexandrum V. minoritam Cardinalem elegerunt, cui post menses decem mortuo subrogatus est Ioannes XXIII. antea dictus Balthasar Cossa Neapolitanus cuius mense septimo tollendi schismatis causa indictum est Concilium generale anno 1414. Constantiæ, quod amplius triennio durauit, à quo cum clam discessisset Ioannes Papa atque ita Concilium sine capite remansisset recusantibus interea venire Benedicto, & Gregorio citatis, sedeque Apostolica per biennium vacante;

Patres tractare cœperunt an Concilium posset inuitum Pontificem iudicare, & deponere. Controuersia vero maximè creuit tempore Concilij Basileensis, quia enim Eugenius Papa 4. Concilium Basileense inchoatum 1431. dissoluere, & impedire volebat ne vlterius progrederetur, cœperunt Patres quærere, An tenerentur obedire Pontifici. An Pontifex potius teneretur obedire ipsis, id est Concilio generali: & quoniam paulo antea viderant duos Pontifices Ioannem 23. & Benedictum XXIII. depositos fuisse per Conc. Constantiense, & sic impositum finem maximo schismati, cœperunt metuere ne si Papa non teneatur obedire Concilio, iterum schisma renouaretur, & sine vllo remedio Ecclesia remaneret. Itaque hac occasione plurimi in eam sententiam iuerunt, vt Concilium esset supra Pontificem. Sed dum voluerunt viam schismatibus præcludere, ipsi nouum schisma fecerunt creato pseudo Papa Felice 5. qui postea cognito errore abdicauit se Pontificatu: Et quamuis postea in Conc. Florentino 1438. & Lateranensi vltimo 1512. videatur quæstio definita, & determinatum, quod Papa sit supra Concilium, tamen quia Florentinum Concilium non ita expresse hoc definiuit, & de Conc. Lateranensi, quod expressissimè rem definiuit nonnulli dubitant an fuerit verè generale, ideo vsque ad hanc diem quæstio superest etiam inter Catholicos.

Nota duobus modis posse comparari Papam cum Concilio: Vno modo vt sumatur ab vna parte solus Papa verus, & indubitatus, ab altera Concilium generale cui præsit Papa per se, vel per Legatos, ita vt nihil definiatur sine consensu ipsius.

Altero modo vt sumatur ab vna parte solus Papa, ab altera Concilium generale cui Papa, nec per se, nec per Legatos præsit. Intelligo autem non præsidere per suos Legatos etiam, quando Legatus quidem ab eo missus præest Concilio, sed agit contra Papæ voluntatem, tunc enim non est verè legatus eius, licet pro tali se gerat.

Mouetur autem Quæstio principaliter in secundo casu, quia ortum habuit in Conciliis, quæ deposuerunt Pontifices, & Patres Basileensis Conc. qui definierunt Concilium esse supra Papam, tunc asserebant suum Concilium esse supra Eugenium Papam eo tempore, quo in Concilio neque Papa, neque eius Legatus aderat, quin etiam Papam omnibus modis repugnantem deponere aggressi sunt. Hæc ergo est præcipua quæstio.

Porro de hac quæst. tres Doctorum senten-

tias refert Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 14. Prima est Concilium esse supra Pontificem, id quod asserunt in primis omnes hæretici huius temporis. Idem asserunt Cardinalis Cameracensis. Ioan. Gersonus. Iacobus Almainus Nicol. Cusanus. Panormitan. & Magister eius Cardinal. Florentinus Tostat. in 18. Matth. q. 108. & in defensorio trium quæstionum & alij.

Vt autem hæc sententia intelligatur notandum est duo esse fundamenta huius opinionis. Primum est Papam non esse propriè caput Ecclesiæ vniuersæ simul congregatæ, id quod non eodem modo intelligunt hæretici, & alij authores. Hæretici enim volunt Papam nullo modo esse caput Ecclesiæ totius, sed tantum Episcopum suæ Ecclesiæ particularis & ad summum Patriarcham occidentis.

At alij authores Catholici citati docent Papam esse caput & pastorem singulorum Christianorum, & singularum Ecclesiarum, si seorsim sumantur, non autem totius Ecclesiæ simul congregatæ in Concilio generali. Tunc enim Ecclesia accipit quasi formam quandam corporis & tota potestas quæ erat sparsa in variis membris ibi vnitur, ita vt comparare Papam cum cæteris Christianis seorsum sumptis sit comparare membrum nobilissimum cum minus nobili, at comparare Papam cum Concilio sit comparare partem cum suo toto, & proinde minus cum maiore.

Et ne dicamus Concilium sine Papa non esse totum perfectum sed corpus sine capite, addunt secundum fundamentum quod est, supremam Ecclesiasticam potestatem esse tam in Concilio quam in Papa, sed in Concilio principalius immediatius & immobilius, dicunt enim Christum immediatè omnem potestatem soluendi & ligandi tribuisse Ecclesiæ, & cum Ecclesia semper duret immobiliter, in ea semper manere hanc potestatem: quia tamen non potest Ecclesia semper manere congregata & exercere per se hanc potestatem, Christus instituit summum Pontificem tanquam instrumentum generale ad omnes actiones Ecclesiæ & in eo posuit hanc summam potestatem vt eam exerceat nomine Ecclesiæ. Ex sententia itaque multorum potestas hæc est immediatè formaliter & subiectiuè in Ecclesia, instrumentaliter in Pontifice, & proinde mortuo Papa morte naturali aut ciuili vel deposito. vel nolente adesse Concilio, Concilium non propterea esse corpus imperfectum sed perfectum & habere potestatem Papalem definiendi de fide, sanciendi leges, dandi indulgentias &c. ex quibus deducunt Concilium esse supra Papam & posse ipsum iudicare & punire & idem esse quærere an Papa sit maior Concilio ac quærere an pars sit maior suo toto.

Denique volunt Papam esse in Ecclesia id quod est dux Venetiarum in Repub. Veneta, vel Magister generalis in aliqua Religione. Constat enim Ducem Venetum esse supra singulos magistratus & supra singulos senatores & ciuitates Venetas, non tamen supra totum senatum simul collectum, & quando moritur dux certum est totam authoritatem etiam Ducalem esse in senatu. Quomodo etiam generalis est supra singulos Religiosos & Priores & Prouinciales, tamen non est supra congregationem generalem, cum parere ei debeat & non imperare.

Communior sententia veterum scholasticorum & recentiorum est, Papam adeò esse supra Concilium vt non possit etiam se subiicere eius sententiæ si propriè de sent. coactiua agatur, nullique humano iudicio obnoxius sit, sed soli Deo debeat obedientiam, licet enim Papa possit committere alicui homini vel Concilio iudicium discretiuum, seu potestatem discutiendi causam suam & discernendi ac iudicandi quid agendum sit, nullatenus tamen cogendi eum & obtemperandi sententiæ contra se latæ, quia potestas Papæ super omnes est de iure diuino in quo dispensare non potest.

Probatur Propositio ex Scriptura. Ioan. 21. *Pasce oues, pasce agnos*, constat autem pastorem, ita præesse ouibus, vt nullo modo iudicari possit ab eis. Ad hoc faciunt textus qui Petrum absolutè fundamentum Ecclesiæ faciunt & pastorem, Concilium enim vt sic est aggregatio ouium Christi, consequenter sub cura Petri. Tum Ecclesia est vnum corpus visibile, ergo habet vnum corpus visibile Petrum, seu eius successorem, Luc. 12. *Quis est fidelis dispensator & prudens quem constituit Dominus super familiam suam &c.* Chrysost. lib. 2. de sacerdotio exponit de Petro.

Quod autem Oeconomus summus sit supra familiam & ab ea iudicari ac puniri non possit, patet ex hoc eodem loco, vbi Dominus seruat iudicio suo seruum male agentem, & non committit iudicio familiæ suæ cui nullo modo etiam congregatæ licet expellere œconomum id, est etenim iuris Domini totius familiæ. Sic Papa soli Deo debet innocentiam. Ephes. 4. *Ipsum dedit caput Ecclesiæ*, quod communicatum esse Petro nemo ambigit. Porro caput à membris regi & non ea potius regere monstrosum est, sicut etiam est contra naturam quod membra sibi caput præcidant si fortè grauiter ægrotat.

Probatur ex SS. Patribus S. Maximo Martyre ad Abbatem Tholassium. *Ecclesia Romana quæ ab olim hunc vsque vt pote senior cunctarum quæ sub sole sunt Ecclesiarum omnibus præest, hoc certè canonicè tam à Conciliis & Apostolis quàm ab horum summo principatu consecuta & in sortem adepta; nullis omnino propter Pontificatus prouectionem scriptis aut synodicarum editionibus chartarum subiecta, sicut etiam in his omnes ex æquo ei secundùm ius sacerdotale subiecti consistunt.* Gelasio: in Epistola ad Episc. Dard. *cuncta* ait, *per mundum nouit Ecclesia quod Sacro-Sancta Romana sedes fas de omnibus habet iudicandi, nec cuique liceat de eius iudicare iudicio.* S. Bonifacio Episc. Moguntino & habetur dist. 40. can. Si Papa. *Cunctos*, inquit, *iudicaturus à nemine est iudicandus nisi deprehendatur à fide deuius.*

Idem professæ sunt variæ Synodi vt Synuessana sub Marcellino & Romana sub Syluestro, quarum illud fuit quasi effatum. *Prima sedes à nemine iudicatur*, vnde licet aliqui Pontifices de aliquibus criminibus accusati rem voluerint

voluerint discuti coram Imperatore vel Clero, & populo tamen contestati sunt se ab omni humano iudicio esse exemptos. Sixtus 3. Leo 3. Symmachus. Leo 4. & alij.

Probatur rationibus Papa est immediatus Vicarius Christi, vt habetur in Conc. Lugdunensi & Florentino, nec non in Constantiensi sess. 8. vbi damnatur hæresis Vuiclefi dicentis Papam non esse immediatum Vicarium Christi: ergo præest iis omnibus quibus Christus etiam præesset visibiliter, si visibiliter adesset. Christus autem præesset non solum Ecclesiis particularibus, sed & vniuersali Ecclesiæ & Conciliis generalibus, igitur Papa præest Ecclesiæ vniuersali. Secundo quæcumque Episcoporum collectio intra ouile Christi clauditur, cum sit Christiana debet ergo Pontificem totius ouilis vnum Pastorem generalem agnoscere pro capite, atque adeò illi subiici. Nec contrarium, quorundam placitum excusari posse à temeritate inobedientiæ, ac ex eo dissidia, & tumultus efferbuisse in Ecclesia affirmat Duuallius tract. de Pontif. parte 4. q. 7. addens q. 8. falsum esse, quod vulgò iactatur Doctores Parisienses iuramento confirmare, se propugnaturos quod Concilium sit supra Papam. Quod ipse inter Doctores illos clarissimus ignorare non potuit, aut falso retulisse.

Probatur ex verbis expressis Conciliorum & Pontificum: cum enim controuersia ista sit de potestate vtrorumque, si conueniunt inter se Concilia & Pontifices quid opus est vt nos litigemus? In litteris Conc. Chalcedon. act 3. recitatis sanctissimo & beatissimo vniuersali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & Sancto vniuersali Concilio congregato in ciuitate Chalcedonensi, Nemo in toto Concilio reclamauit. quod Papa anteponeretur toti Concilio, imò in fine illius actionis extat Epistola Concilij ad eundem, in qua eum & caput & patrem suum agnoscunt Lateranense vltimum (vt cætera omittam) sub Leone X. expresse docuit Papam esse supra omnia Concilia, & reprobauit contrarium decretum editum in Basileensi. Nota tamen dubium esse, an decretum Lateranense factum fuerit vti fide Catholica tenendum, & ideo non sunt propriè hæretici qui contrarium sentiunt, sed à temeritate excusari non possunt, ait Bellarm. etsi dicant hoc Lateran. non fuisse generale, nam etsi Episcopi ad centum non fuerint tamen omnibus patebat & præsidebat verus Papa, etsi præterea dicant decretum tale non fuisse receptum, decreta enim Conciliorum populi approbatione non indigent, cum ab eo non accipiant authoritatem.

Verum quidem est decreta de moribus si non recipiantur, & Papa conniueat tandem consuetudine abrogari: sed hoc non accidit ex eo quod indigeant populi approbatione, sed quia decreta mutabilia sunt: & cum Pontifex videt longo tempore ea non seruari, & tacet, ipse censetur abrogare. At decreta de fide immutabilia sunt, nec possunt vllo modo abrogari cum semel statuta sunt.

Probatur ex appellationibus à Concilio ad Papam, sine controuersia enim semper à minore ad maiorem appellant: appellari autem à Conc. ad Papam, non contra perspicuum est ex Gelasio in Epistola ad Episc. Dard. *Ad sedem*, inquit, Apostolicam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem Nemo est appellare permissus. Et ne putemus eum loqui de appellatione ab aliquo Episcopo non à Concilio, subdit sæpe Romanos Pontifices soluisse eos quos iniquè Concilia ligauerant, cuius rei extant exempla clarissima. Athanasius Patriarcha Alexandrinus iniustè oppressus ab Orientalibus Episcopis restitutus est sedi suæ à Iulio Papa ad quem appellarat, nec non & Paulus Episc. Constantinop. Scribit enim Sozomenus lib. 3. cap. 7. cum appellassent Romanum Pontificem iniqua iudicia anteriora fuisse ab eo rescissa.

Similiter Flauianus. Episcopus Constantinop. appellauit à Concilio Ephesino II. generali ad Leonem Papam, & Theodoretus Episcopus Cyri vt patet ex Liberato in Breuiario cap. 12. S. Ioan. Chrysostomus à Concilio depositus appellauit ad Innocentium, vt patet ex Epistolis Chrysostomi. Notissimæ sunt narrationes de Sancto Ignatio Constantinopolitano Nicolaum I. appellante.

Probatur item ex approbatione & reprobatione Conciliorum, nam omnia tandem reuocantur ad examen Pontificis, & quæ ille probat, recipiuntur, quæ reprobat, reiiciuntur, quod apertum est signum superioritatis. Damasus reprobauit Concilium Ariminense: similiter Leo in Epist. 55. ad Pulcheriam Greg. lib. 4. Epist. 34. *Cuncta*, inquit, *acta illius Synodi sede contradicente Apostolica soluta sunt.*

Dices, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus dic Ecclesiæ*, sed Papa est frater noster cum sit Christianus & dicere debeat Pater noster qui es in cœlis, Ergo Papa potest vocari ad iudicium Ecclesiæ, proinde ab ea iudicari ac puniri potest, non autem quidquam agit Ecclesia nisi per Prælatos suos, ergo à Prælatorum Concilio Papa iudicari potest.

Respondeo nomine Ecclesiæ vel intelligi Episcopum vt hoc loco exponit Chrysost. & Innocent. 3. cap. Nouit extra de iudiciis & praxis Ecclesiæ demonstrat: nam Episcopo denuntiari solent de quibus Dominus dicit. *Dic Ecclesiæ*, vel certè fidelium cœtum cum suo capite, nam vt Cyprian. ait, in Epistola ad Florentium quæ est nona lib. 4. *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata & pastori suo grex adhærens.* Quare in quocumque Episcopatu deferendi sunt peccatores ad Ecclesiam & Episcopum eius loci, sed si is Episcopus peccet non potest deferri ad eam Ecclesiam nisi debeat deferri ad se ipsum, cum ipse sit caput eiusdem Ecclesiæ, sed deferendus est ad Ecclesiam altiorem cui præest Archiepiscopus vel Patriarcha: si vero peccet Patriarcha ad Romamanam, vel Concilium generale, cui præest Papa, deferri potest. Si vero Papa peccet iudicio Dei reseruandus est, non enim est vlla Ecclesia ad quam deferri posset, cum sine ipso non inueniatur Ecclesia cum capite.

Instabis, hæc verba, *Dic Ecclesiæ* dicta sunt

Petro, ergo etiam Petrus & successor eius debet deferre aliquando peccatores ad Ecclesiam, debet ergo agnoscere tribunal Ecclesiæ quoddam suo maius.

Respondet Bellarm. hæc Petro dicta eum adhuc non esset pontifex, proinde hoc tantum conuenire iis qui superiorem aliquem agnoscunt, sed pontificatus Petri non destruit doctrinam Christi, quam obseruare docebatur imò plus cum erit Ecclesiæ Rector. Potest ergo dici Papam suo modo implere hoc præceptum cum priuatim corripit peccantem, deinde adhibere testes, postremo dicere Ecclesiæ id est sibi ipsi vt præsidi & Ecclesiæ cui ipse præest, id est, publicè eum excommunicare Quomodo hunc locum intellexit B. Gregor. lib. 4. Epist. 38. ad Ioan. Episc. Constantinopolitanum.

Dices, Papa est membrum Ecclesiæ, ergo est minor suo toto, quod est Ecclesia & potest & debet amputari si inficiat Ecclesiam, quia est de iure naturæ vt membra inficientia totum corpus abscindantur, alioquin sola Ecclesia manebit sine remedio si habet malum Pontificem, qui impunè perdere possit.

Respondeo si accipiatur Ecclesia sine Papa falsum est illam esse totum, non enim est totum sed pars & quidem maior quam caput magnitudine molis, minor autem magnitudine virtutis siue authoritatis. Si accipiatur cum Papa maior est Ecclesiæ authoritas extensiuè quam Papæ solius, æqualis autem intensiuè: sicut ens vt comprehendit Deum & creaturas non est maius bonum quam sit solus Deus intensiuè; tamen extensiuè est maius, quia sunt plura bona: sicut etiam Christus vt homo est caput homogeneum Ecclesiæ, & proinde pars eius & tamen non est maior Ecclesia tota quàm Christus solus.

Instabis semper potentia agendi principalius est in toto quam in partibus quæ sunt instrumenta totius, principalius enim homo dicitur videre quàm oculus; quare cùm Ecclesia incluso etiam Papa sit quoddam totum, & Papa sit pars quædam, & instrumentum huius totius, sequitur principalius conuenire ipsi Ecclesiæ summam potestatem Ecclesiasticam.

Respondeo aliud esse iudicium de corpore Ecclesiæ, & de corpore naturali, in quo virtus procedit ab essentia ad potentias, ideo totum dicitur agere principalius. At in corpore Ecclesiæ virtus est ab extrinseco, Papa enim qui est caput Ecclesiæ non habet ab Ecclesia sed à Deo authoritatem & ideo agens principale non est Ecclesia sed Deus, cui soli congruit institutum familiæ suæ œconomum destituere non autem Concilio nec valet Reipublicæ exemplum, nam rex ab ea habet authoritatem ideo rescindi potest si degeneret in tyrannum, nec mirum si manet Ecclesia sine remedio humano efficaci quandoquidem salus eius non nititur præcipuè humana industria sed diuina protectione. Tum licet Ecclesia verum Papam non possit deponere, nihil tamen vetat ei Ecclesiam destruenti vi & armis repugnare; ad resistendum enim & vim vi repellendam non requiritur vlla auctoritas.

Dices, Concilium Constantiense in quarta & quinta sessione definiisse Concilium Generale habere a Christo Domino nostro immediatè potestatem, cui quilibet etsi dignitatis Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & membris. Hoc idem definiuit Concilium Basiliense secunda sessione, & repetiit sessione tertia, præsidente Eminentissimo, ac Reuerendissimo Domino Iuliano Cardinale Sancti Angeli legitimo Legato Sanctæ Sedis Apostolicæ, sessione vigesima octaua, repetuntur decreta Concilij Constantiensis de authoritate & potestate Conciliorum Generalium. sessione trigesima tertia declarat, esse de fide credendum Concilium Generale esse supra Papam, quódque huic veritati, cui aliæ duæ annectuntur, pertinaciter repugnans est censendus hæreticus. Si hæc duo Concilia non sunt legitima: ergo Concilium Constantiense perperam deposuit tres Pontifices, Ioannem Vigesimum tertium, Gregorium Decimum secundum, & Benedictum Decimum tertium, & elegit Martinum Quintum, cui postea omnes alij Pontifices successerunt. Adde quod Martinus Quintus in quadragesima quinta & vltima sessione confirmauit decreta circa fidem huius Concilij, ipsáque conciliariter facta ratificauit.

Respondeo primò, Concilium Constantiense esse legitimum, & non opponi conclusioni: non enim definiuit absolutè Concilia Generalia habere à Christo potestatem suprà Pontifices, sed tantùm in casu schismatis, quando nescitur quis sit verus Papa; nam dubius Papa habetur pro non Papa, & proinde habere super illum potestatem non est eam habere in Papam. Ita Turrecremata, Campegius & Sanderus in tractatu de potestate Papæ.

Respondeo secundò, Ioannem Vigesimum tertium recessisse à Concilio cùm quarta sessio haberetur; dubia verò de fide non possunt definiri sine vero Papa. Martinus Quintus approbauit tantùm decreta de fide more Conciliorum re diligenter examinata facta Bellarminus dicit hoc sine vllo examine factum, vultque Martinum confirmasse damnationem hæresum Vvicleffi, & Huss. Neque sequitur, ait, si Concilium in hoc errauit, errasse etiam in deponendis tribus Pontificibus: nam etsi non potest definire noua dogmata fidei sine Papa, potest tamen iudicare tempore schismatis, quis sit verus Papa, & prouidere Ecclesiæ de vero Pastore, quando is dubius est, vel nullus, & hoc est quod rectè fecit Concilium Constant.

Concilium Basileense legitimè inchoatum illegitimè terminauit, fecitque schisma in eligendo Papa Felice, qui tandem cessit Nicolao Eugenij (quem deposuerat Concilium) successori & Basileenses, qui Lausanam

Lausanam, Concilium transtulerant sese Nicolao subiecerunt vt constat ex eius Bullâ Concilio annexâ; quæ autem definiuit Concilium supra Papam nullus probauit sed expressè reprobatunt Eugenius Papa sessione trigesimaoctaua Basileensis, Leo Decimus sessione decima Lateranensis, item Ecclesia tota quæ Eugenium à Basileensibus depositum semper habuit pro veto Pontifice.

DIces, si absolutè Papa est supra Concilium, ita vt tota ipsorum authoritas ab assensu & confirmatione Papæ dependeat, vt pote solo infallibiliter iudicante, vt quid Concilia? Si vnius Papæ authoritate doctrina fidei definiri potest cur cum tot impensis & laboribus vndequaque aduocandi Episcopi ad Concilia?

Respondeo constare ex Scriptura & Ecclesiæ traditione, nec non & ex suaui gubernandi ratione, qua Christus Ecclesiam suam absque vllis quæ pateant miraculis, regere solet, summum Pontificem non debere sine Concilio prudentum virorum qui exercitatos in lege Domini sensus habeant, Ecclesias administrare & obscuras definire quæstiones, illas præsertim quarum determinatio orbem vniuersum obliget, cum Deuteronomij decimoseptimo legamus supremum iudicem habuisse secum Sacerdotes leuitici generis, quorum opera in iudicando iuuabatur, & Act. 15. Petrus assistentes habuit Iacobum, & Ioannem aliosque seniores congregatos, vt propositam decideret difficultatem. Tum ex verbis Christi. *Dic Ecclesiæ*, congregatio consultoria innuitur; & ex illis. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petieritis fiet illis à patre meo* & sanè Spiritus-Sanctus sic adhibita omni diligentia impertitur infallibilitatem Pontificibus, in iis quæ iudicialiter de religione discernunt, & toti orbi ex cathedra docentes credendum & obseruandum proponunt, aperit enim Dominus oculos mentis vt multorum in Concilio, vt veritatem agnoscant, & sua suggestione mouet Papam, vt eorum qui verè locuti sunt sententiam approbet, & in ea constans perseueret, idque facit ratione officij ei concessi vt olim Caiphæ Ioan. 11. accidit.

Ex Iuris Canonici distinctione decimaquinta.

Canones generalium Conciliorum à tempore Constantini Imperatoris cœperunt.

Inter Cætera Concilia quatuor sunt venerabiles Synodi quæ totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor Euangelia, vel totidem Paradisi flumina.

Prima harum Nicæna Synodus 318. Episcoporum sub Syluestro Papa anno Christi 225. Constantino Augusto imperante peracta, in qua Arrianæ perfidiæ condemnata blasphemia de inæqualitate Sanctæ Trinitatis, consubstantialem Deo Patri Deum filium Sancta Synodus per Symbolum definiuit.

Secunda Synodus 150. Patrum sub Damaso Papa anno Christi 381. sub Theodosio seniore Constantinopoli congregata est, quæ Eunomium & Macedonium Episcopum Constantinopolitanum Spiritum-Sanctum Deum esse negantes condemnans consubstantialem Deo Patri & Filio, Spiritum-Sanctum demonstrauit dans Symboli formam quam Græcorum & Latinorum confessio in Ecclesiis decantat.

Tertia Synodus Ephesina 200. Episcoporum sub Cælestino Papa anno Christi 430. & imperante Iuniore Theodosio Augusto consensu beatissimi Papæ Cælestini mediante Cyrillo Alexandrinæ sedis Antistite & Arcadio Episcopo ab Italia destinato edita est, quæ Nestorium duas personas in Christo asserentem iusto Anathemate condemnauit ostendens manere in duabus naturis vnam Domini nostri Iesu Christi personam.

Quarta Synodus Chalcedonensis 630. Episcoporum sub Leone Papa anno Christi 451. & sub Martiano Imperatore Anatolio Constantinopolis Episcopo mediante habita est, in qua Eutychem Abbatem Constantinopolitanum, verbi Dei & carnis vnam naturam pronuntiantem & eius defensorem Dioscorum Alexandrinum, Patriarcham, & ipsum rursus Nestorium cum reliquis hæreticis vna patrum sententia damnauit, prædicans eadem Synodus Christum Dominum sic natum de Virgine vt in eo substantiam diuinæ & humanæ confiteamur naturæ.

Nota quòd in medio consessus Episcoporum poni solebat Euangeliorum Codex super thronum quòd vt declarat S. Cyrillus Alexandrinus dum agit de Synodo Ephesina typum ipsius Christi gereret.

Quatuor hæc prima Concilia communiter ab omnibus, etiam hæreticis quasi quatuor Euangelia vt dicebat Gregorius libro primo Epistola vigesimaquarta suscipiuntur. Vnde Iustinianus Imperator Authenticarum collatione nona de Ecclesiasticis titulis capite primo. *Sancimus vicem legum obtinere Sanctas Ecclesiasticas regulas quæ à Sanctis quatuor conciliis exposita aut firmata sunt. Prædictarum quatuor Synodorum dogmata sicut Sanctas Scripturas accipimus & regulas sicut leges obseruamus* & quidem hoc ratio dictat, eodem enim Spiritu-Sancto dictatæ sunt hæ regulæ in Conciliis, quo inspirata & exarata est Scriptura Sacra. Caluinus libro quarto institutionum capite nono §. octauo hæc quatuor & similia amplecti & reueteri profitetur. *Nihil enim* inquit, *continent quàm puram & natiuam Scripturæ interpretationem quàm Sancti patres spirituali prudentia ad frangendos religionis hostes*

qui

qui tunc emerserant accommodarunt.

Alia quatuordecim generalia producuntur Concilia, quorum vltimum, Concilium Tridentinum absolutum est sub Pio quarto Papa anno Christi millesimo quinquagesimo sexagesimo tertio.

Iure ergo optimo Catholicismi professor recipit indubitanter Canones Oecumenicorum Conciliorum quos à Spiritu-Sancto emanatos non ambigit, qui autem iis retragatur pertinaciter, audiat Cyprianum, libro quarto Epistola secunda.

Qui Ecclesiæ non tenet vnitatem quisquis ille fuerit profanus est, alienus est, foris est.



ARTICVLVS



ARTICVLVS XXXIX.

Simúlque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas & ejectas & anathematizatas damno,& reijcio,& anathematizo.



VDIO ex Philosopho contrariorum contrariam esse consequentiam, & ex Sapiente in Prouerb. 10. Memoria iusti cum laudibus *seu vt legit Chald.* Benedictio, *quare cùm vt scribit Sanctus Hieronymus libro 7. in Isai. Nemo sit tam impius, quem impietate non vincat hæreticus, Catholici germana Ecclesiæ Dei soboles, etsi inimicos odisse nesciant, quos amore, beneuolentia, & beneficentia prosequi Christo Magistro didicere, hæreticos oderunt, & tanquam satanæ filios (vt Sanctus Polycarpus appellauit occurrentem Marcionem hæresiarcham) eos habent, quod sicuti pater eorum* ab initio mendax *in veritate stare nolunt; meritò ergo erroneas eorum opiniones & hæreses reprobant, reijciunt, & anathematizant ex Tertulliano, siquidem* hæresim agnoscere est eandem reijcere & abominari: *Monstrum horrendum & pestiferum est hæresis, quis non paueat & horreat ad eius occursum! quod semel introductum mors est vitæ, vitæ inquam, qua iustus viuit, Fidei scilicet, quæ est spiritus & anima Ecclesiæ. Quare Sanctus Ioannes Epistola* 1. *capite* 2. *&* 4. *eúmque sequuti multi veteres Patres, Cyprianus, Hilarius, Augustinus, vt vno verbo exprimerent innumerabiles clades, atque horribilem vastitatem quam Ecclesiæ & Reipublicæ hæretici prauis suis commentis, seu hæresibus adferunt,* Antichristi *nomine eos nuncupare censuerunt; nulla enim inter omnes Ecclesiæ persequutiones atrocior, nulla grauior futura est, ea quam Antichristus in ipso mundi interitu excitabit, de qua Christus loquens, Luc.* 18. Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra. *Itaque Majores nostri, etsi in persequutionibus omnibus contra portas inferorum rem fortiter gererent, cùm tamen causa fidei agebatur, ita animis commouebantur, vt non sibi satisfacerent nisi vniuersas Ecclesiæ vires colligerent, ac tanquam communi classico euocati Concilia inirent, vt omnes vnà ad resistendum occurrerent, & subortam hæresim extirparent. Ad id autem, vt pro tempore parati, instructi & prompti inueniantur Catholici, Fides ipsa Catholica penultimum Professionis Articulum palam & publicè, vt præpositus habet Titulus proponere solet, quem subsequentibus Quæstionibus expendo.*

QVÆSTIO PRIMA.

De Contrariis Professioni Fidei.

PRofessio cuius expressos Articulos hucusque digessimus habet contraria & opposita ea omnia quæ ipsi fidei repugnare dignoscuntur, nimirum infidelitatem, hæresim, Apostasiam: vt autem est præfatorum Articulorum clara & externa oris confessio, habet oppositam blasphemiam, saltem illam quæ enuntiatiua appellatur, éstque derogatoria diuinæ bonitati, Deo aliquid tribuens, quod eius excellentiæ non congruit, vt si dicatur author mali, crudelis, iniustus, &c. vel negans id quod ipsi competit, vt cùm negatur Trinitas personarum, vel generatio Filij, vel æqualitas Filij cum Patre, vel processio Spiritus-Sancti ex Filio, &c. Aliqui tertiam blasphemiæ ingerunt speciem, cùm id quod proprium est Dei tribuunt creaturæ, sed Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 13. art. 1. id reducit ad primam, quod scilicet disconueniens aliquid Deo attribuatur; quicquid enim est Deo proprium, est ipse Deus, attribuere autem id quod est Dei proprium alicui creaturæ est ipsum Deum dicere idem creaturæ. Non me latet dici posse blasphemiam esse formaliter contra virtutem Religionis, cùm sit contumelia quædam verbalis in Deum, & eius turpitudo & deformitas in eo sita sit, quod loquutione detrahatur honori diuino. Sed quia blasphemia enuntiat, aut saltem insinuat aliquid contra fidem, ideò censetur opponi confessioni Fidei. Id esto non sit dogma, probo more instituto.

Probatur ex Scriptura, blasphemiam esse oppositam confessioni fidei 1. Timoth. 1. *Prius fui blasphemus & persecutor, ignorans feci in incredulitate mea.*

Probatur ex Sanctis Patribus, Thoma citat. qui hanc habet conclusionem. *Blasphemia vitium ad infidelitatem eatenus spectat, quatenus homo per illam corde vel ore secundum intellectum, vel affectum Deo tribuit, quæ Deo non conueniunt, vel negat quæ ei conueniunt.*

Probatur ratione, Paulus & Barnabas leguntur conscidisse tunicas suas in Lystra ciuitate Lycaoniæ (quod solitum erat Iudæis cùm audirent blasphemiam) quando Lystrenses reputarunt eos Deos & volebant ipsis sacrificare. Act. 14. Ergo in errore fidei agnouerunt blasphemiam.

QVÆSTIO II.

De Paganismo Fidei contrario.

INfidelitas ex contemptu fidei orta, in intellectu, vt in suo subiecto hæret, éstque omnium peccatorum, quibus mores contaminantur grauissimum, quia per illud homines magis à Deo separantur, quàm per cætera. Huius multiplices sunt & variæ species, quarum magis nota est Paganismus, alia Iudaïsmus, & peior Hæresis, nec mirere plures esse infidelitatis species, licet vna sit virtus fidei, cuius formale obiectum est veritas prima, materiale verò quicquid creditur propter reuelationem diuinam: nam cùm peccatum infidelitatis consistat in renitēdo fidei, hoc potest contingere dupliciter, quia aut renititur fidei nondum susceptæ, & talis est infidelitas Gentilium, seu Paganorum, quæ cùm sit purè negatiua, vtpote qui nihil audierint de fide, non habet, ait Sanctus Thomas quæst. 10. art. 1. rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia diuinorum ex peccato primi parentis consecuta est, aut renititur fidei susceptæ in figura, *Finis enim legis Christus.* Et sic est infidelitas Iudæorum, qui promissione simplici promiserunt fidem antequam Messias venisset, & iam errore obstinato asserunt nondum aduenisse. Aut aduersatur fidei susceptæ & promissione solemni in Baptismo professæ, & talis est infidelitas Christianorum, qui vulgò Hæretici dicuntur; Paganismus autem Iudaïsmus & hæresis dicuntur species diuersæ infidelitatis; quia alia est perfectio, qua vtrumlibet priuat. Paganismus priuat perfectione fidei debita ex præcepto fidei: Iudaïsmus debita ex simplici promissione: hæresis ex solemni professione debita.

Nota, non facio hic in voce Pagani, Ethnici, Gentilis, differentiam, sed communi ex vsurpatione indifferenter accipio: Ethnici nomen, hoc est multorum Deorum cultorem sonat qui Gentilis dictus est à Iudæis, vnde Paulus 1. Corinth. 12. *Siue Iudæi, siue Gentiles in vnum corpus baptizati sumus.* Pagani nomen datum est à Christianis ipsis Ethnicis, ex quo legibus Imperatorum Christianorum, clausis idolorum delubris, sacrisque superstitiosis vetitis, Ethnici pagos adirent, illicque more antiquo Deos suos colerent, sic enim factum est, vt Ethnicus homo, quòd in Pagis Deos coleret diceretur Paganus, quomodo apud Prudentium. *Pago dediti, pagóque implicati.* Gentiles vocantur, vsque enim ad tempora Honorij Imperatoris, quartum scilicet sæculum, quæ erat in Pagis idololatria, adhuc residua fuisse videtur, vt notat Augustinus sermone 5. de verbis Domini. Hæc notasse non pigeat.

Contrarius fuit Paganismus Fidei Christianæ omnibus modis, quos inimica rabies suggerere valet, hoc non est probandum more consueto, quod singulis diebus in officio Primæ recolit Martyrologium, *Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine creuit.* Illo singulariter, quem vbique terrarum è nascente Christianismo effudit Paganismus in decem persequutionibus, quas decem Imperatores Pagani exercuerunt per ducentos annos, aduersùs innoxios Christianos, quos per flagitia vulgò inuisos fuisse scribunt Sueton. & Dio in Nerone, quorum religionem Nero ipse vocabat *exitiabilem superstitionem*, eo quod Deos constantissimè detestarentur, vnum solum prædicantes creatorem cæli & terræ, filiúmque eius ex summa in homines charitate incarnatum, & pro reparatione eorum in Hierusalem crucifixum, quare Princeps ipse (quem naturæ monstrum ob crudelitatem inauditam Historici vocare solent) primam in Christianos Romæ agentes mouit persecutionem, anno imperij sui 10. qui cadit in 66. Christi, & 22

Petri,

Petri, & perdurauit vsque ad Apostolorum necem, qui diu in carcere detenti fuere,& tertio Calendas Julij anni 69 Christi necati sunt, Petrus per Crucis martyrium, & Paulus obtruncatione capitis.

Immensus fuit numerus Christianorum, qui diuerso mortis genere sublati fuere, dira hac sæuiente persecutione, quàm propositis Edictis Nero vrgebat & populus Romanus in vltionem ingentis vrbis ruinæ, quam de tota penè vrbe incendium fecerat, ignis enim sex continuis diebus flagrans ex quatuordecim Romæ Regionibus, vt vocabant, quatuor dumtaxat integras reliquerat tribus solo tenùs dejectis, septem reliquis semiustis, hoc autem incendium excitarat, & è turri Mæcenatiana flammam prospectabat Nero condendæ vrbis nouæ, & cognomento suæ appellandæ gloriam aucupandi desiderio, vt scribit Tacitus, tantum autem facinus Nero ipse in Christianos refundens diuulgat aliquos eorum crimen confessos detulisse, cæteros quod mendacissimè dixit, vt odium populi maiori ex parte habentis ipsum incendij authorem auerteret. Hoc ergo edictis publicato rumore, quòd Christiani tantæ vastitatis essent authores, variis sæuissimis suppliciorum generibus, & exquisitissimis pœnis ad mortem sunt petiti,quotquot occurrebant, horret animus legens apud Tacitum libro 15. aliósque authores diuturnæ illius fidelium carnificinæ descriptionem. ***Pereuntibus***, ait, ***addita sunt ludibria, vt ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defecisset dies in vsum nocturni luminis vrerentur.*** Hoc est (vt interpretatur vetus glossographus Iuuenalis) tæda papyro, & cera superuestiti palis gutture affixi ne se euruarent, cereorum loco ardentes spectatoribus lucerent, idem habet Seneca Epistola 14. atrocia eius temporis tormenta recensens. Nec minus atroces & horrendæ fuere nouem subsequentes persecutiones Principum Ethnicorum aduersùs Christianam Religionem. Leuis hæc est Paganismi malignitas, quæ vitam fidelium impetit maior meo quidem iudicio est oppressio famæ & honoris. Christianos ore omnium Gentilium diffamatos lego, & accusatos impietatis, & perduellionis,seditionis, inertiæ, infanticidij, & esus eiusmodi carnium in suis conuentibus, eósque passim factos video apud Scriptores Ethnicos adorationis Solis; adorationis genitalium Sacerdotum, promiscuitatis vxorum, promiscuorum concubituum in suis synaxibus. Christianorum causa omnia mala aduenire dicebant Gentiles, Tertullianus apol.cap. 2. scribit Gentiles Christianum hominem omnium scelerum reum, Deorum, Imperatorum, Legum, Morum, naturæ totius inimicum existimasse, ob idque eosdem habitos esse publicos hostes, quos vt addit crederent omnis publicæ eladis, omnis popularis incommodi esse causam, adeò vt si Tyberis inundaret, si Nilus non ascenderet in arua, si cælum staret, si terra moueretur, si fames, si lues, statim Christiani peterentur, damnarentúrque ad Leonem, ad Crucem, & alia supplicia: Magiæ insimulabantur ob frequentia & insignia, quæ veri Christiani ederent miracula: nam & inualuisse apud Gentiles eam opinionem vt ipse etiam Christus magus fuerit, tradit Arnobius libro 2. contra Gentes, sed & libros eius nomine de magia confictos fuisse meminit & refutat Minutius Fœlix in dialogo Christiani, & Ethnici disputantium, quem edidit & *Octauius* inscripsit, in quo & illa calumnia inter innumeras legitur, Christianos colere Antistitis genitalia; quam quidem ea occasione irrogatam putamus, quod Christiani omnes ad genua Sacerdotum, more Majorum procumberent ad confessionem peccatorum faciendam, sicut & calumniam de infanticidio & carnium esu diuulgatam ex ignorantia Mysterij Eucharistici, in quo realiter proponi & dentibus concidi carnem puerorum à Christianis occisorum vulgariter propalabatur. Sic diutissimè Paganismus verbis,verberibus, gladiis,ferro,flammis contrarius fuit Ecclesiæ Dei, eiúsque fidei.

Verum non ex illatis tot tantisque persecutionibus Professio Catholica damnat, reijcit,& anathematizat Paganismum, sed præcisè ob idololatriam eius & falsorum Numinum inductionem, superstitiosam eius Religionem, quæ non solùm luminaribus cæli, sed & quibuscumque rebus, quæ vtilitatem vel noxam singularem afferrent hominibus diuinitatem, & consequenter Sacrificia, quibus commodum allicerent vel noxam auerterent, attribuere solebat, sicque propriè & formaliter Contrarius Paganismus reijcitur, damnatur, exploditur & tanquam Satanæ figmentum veri Dei cultus & honoris inuidi, anathematizatur.

QVÆSTIO III.

De Iudaïsmo Christianis contrario.

INter omnia Iudæis à Deo præstita beneficia gentisque illius priuilegia hoc eximium & singulare fuit, quod ex eorum gente Christus natus est,iisque primùm apparuit, & suã doctrinam Euangeliúmque prædicauit, deósque Ecclesiæ suæ primitias habuit. Nec tantùm in Iudæa primùm nata à Christo instituta Religio, & inde in reliquum orbem propagata est, sed primos Præcones suos & Apostolos Iudæos habuit, eósque solos diuinorum Christi eloquiorum & doctrinæ custodes & Scriptores, sicut ante Christum sola illa gens Prophetas authenticos, & quorum scripta religiosè conseruata sunt habuerat, adeò vt in vniuersum non solùm de veteris, sed etiam de noui Testamenti Scripturis sacris verum sit, quod Paulus Roman. 3. ait. ***Credita esse Iudæis eloquia Dei.***

His non obstantibus Christus in lege promissus reprobatus est à Iudæis primariis, à Principibus Sacerdotum, & à maiori parte populi, qui legis interpretationem ab ipsis ex condicto adulterantibus accipiebat, sicque factum est in pœnam peccati, vt videntes non viderint, & intelligentes literam, sensum Scripturæ quam carnaliter assumebant, non penetrauerint, sicque cæci Magistri in Israël obcæcatæ ducatum præstantes genti simul in foueam obstinationis & auersionis à Christo, eiúsque lege miserabiliter ceciderint.

Hinc Iudæorum indurata malignitas in Christianos, quos ab ouo, hoc est, ipsomet anno nascentis post Christi Ascensionem Ecclesiæ ad necem requirere cùm potuerunt non destitisse, constat, clamant hoc lapides quibus Stephanum obruerunt, dum nequeunt resistere argumentis, quibus conuincebat duritiem eorum, clamant hoc Paulo sæpius factæ insidiæ, dum affirmat, quod Christus in lege promissus ab ipsis fuerit in ligno suspensus, clamat hoc odium insuperabile, quo eos qui à sua ipsorum secta ad Religionem Christianam transirent, saxis & aliis furoris generibus persequi statuerunt, quorum procaciam Constantinus Edicto, quo talia præsumentes cum omnibus suis participibus concremarentur cohibere coactus est, clamant hoc variis in Prouinciis Imagines Christi, quas contumeliosè per vicos raptasse, ne dicam & multos pueros in detestationem Christi crudeliter crucifixisse, publicis constat tabulis.

QVÆRES, *In quo Lex Iudaica sit precisè contraria Christianismo?*

Respondeo, quia tota Lex fuit prænuntia Christianismi, & Religionis Euangelicæ figura & vmbra, nec nisi quædam ad illam præparatio, quare hodie falsa, imò impia & sacrilega conuincitur, quod manifestè probatur, falsa est illa Religio, quæ adhuc expectat eum quem colere & venerari deberet; est & impia, quæ Christum verum Messiam non agnoscit, nec cultu debito veneratur. Quod Moysi Lex fuerit figura melioris legis per Christum introducendæ ostenditur ex Sacramentis, Sacrificiis, Obseruantiis, aliisque Ritus illius cæremoniis, quæ omnes fuerunt aliquæ Professiones Fidei illius qua credebant in Messiam venturum, vt fatentur modo Iudæi se illum in gente sua futurum expectare. Quare tota illa disciplina & Religio cessare debebat adueniente illo cuius venturi prænuntia erat, quia tunc falsæ erant futuræ omnes illæ figuræ, fallitur enim qui eum qui iam aduenit, & aut præsens est, aut præteriit, venturum expectat. Vnde si Christus Dominus verè aduenit, vt Christiana Religio ab eo fundata certo certius demonstrat, omnes Iudaïcæ cæremoniæ modò falsæ sunt vanæ, superstitiosæ, atque adeò impiæ & sacrilegæ; quia dum alter futurus Messias expectatur, qui aduenit nec agnoscitur, nec colitur, & ita huic vero legitimóque Principi cultus debitus, & religiosa obseruantia denegatur, quæ falsò alteri reseruatur. Hanc Messiæ venturi missionem clarissimè significat Moyses Exodi cap. 4. cùm vt onus Legislatoris, & Iudæorum ex Ægypto liberatoris à Deo sibi oblatum detrectet. *Obsecro*, inquit, *Domine mitte quem missurus es.* Legatur S. Paul. cap. 9. & 10. Epistolæ ad Hebræos, ibi fusè probat, quod Coloss. cap. 2. dixerat Neomenias, sabbata & alias in cibo, potu, festisque diebus obseruantias Legis Mosaïcæ fuisse vmbram futurorum; corpus autem Christi, id est, Christum repræsentasse corpus & veritatem, cuius vmbras & figuras obscuras, delineamenta, & rudimenta quædam lex illa continebat.

Quod autem Messias, seu Christus qui finis legis creditur à Iudæis aduenerit, & sit ille quem Christiani agnoscunt, clarè & perspicuè dignoscitur ex signis omnibus quæ attulerunt Prophetæ ad eum dignoscendum. Ortus est ex tribu Iuda in familia Dauidis conceptus, natúsque ex Virgine, vt Isaias cap. 7. prædixerat, quod enim Iudæi non virginem, sed iuuenculam more humano parientem interpretantur, refutatur ex ipso contextu, in quo id tanquam signum res noua & mirabilis proponitur. Quid autem miri est in iuuencula pariente? *Præstruxit fidem*, ait Tertullianus aduersùs Iudæos cap. 9. *Incredibili rei dicendo, quod signum esset futurum.* Idem Christus natus est in Bethlecem, vt prophetarat Michæas, capit. 5. *Et tu Bethlecem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te enim mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Is est Emmanuel, seu nobiscum Deus, quippe Christum Deum & hominem esse confitemur. Tempus quo erat aduenturus Messias, Daniel designat capite 9. quod in Christi Domini ætate clarissimè videri Herodes ipse ex consultatione Rabinorum didicit, vnde sibi timens ne regno spoliaretur à Christo adulto carnificinam puerorum intra bimatum fecit, sed inutiliter; quia non est consilium contra Dominum, cuius voluntati nemo potest resistere, vnus inter tot millia puerorum quærebatur Christus, vnus verò ille crudelitatem & calliditatem Herodis euasit. Circumstantiæ vitæ Christi punctuatim consonant prædictionibus de eo editis, quod adorandus foret à Regibus, Psal. 71. Quòd traducendus in Ægyptum. Quod miracula editurus. Isai 35. Quòd spiritu Dei replendus requiescet super eum spiritus Domini, intellectus sapientiæ, &c. Isai 11. Et vt alia Prophetarum oracula de Christo taceam, quæ Eusebius in sua demonstratione Euangelica fusè enarrat & interpretatur, aduerto ea quæ de Messiæ morte Isaias capit. 53. & Dauid Psal. 21. prædixerunt adeò clarè in Christo facta fuisse constare, vt non aliter se respondere posse existiment Iudæi, quam negando ea de Christo vaticinia esse, sed refellit eos contextus: nam in Psalm. 21. sermo est de eo qui quantumuis fuerit opprobrium hominum & abiectio plebis, erat tamen ad Deum conuersurus vniuersos fines terræ, & familias Gentium, cuius anima Deo viuet, & semen eius seruiet ipsi, qui profectò alius non est, quam is in quo omnes Gentes benedicuntur, Messias videlicet, cuius hæreditas est Gentium vniuersitas. Isaias verò de eo *despecto nouissimo viro dolorum, & sciente infirmitatem*, loqui se ait cuius *Generatio enarrari non potest, cuius liuore sanati sumus.* Qui quia posuit animam pro peccato populi videbit *semen longæuum*, & voluntas Domini in manu eius dirigetur, & cætera quæ non alium quam liberatorem mundi, Saluatorem, Legislatorémque diuinum, scilicet Messiam, & Christum designant.

Alia conuincens Christum iam præteritum, ratio hæc est Prophetias de iis quæ Christo à Iudæis repudiato obuentura ipsis erant adimpletas esse perspici ad oculum, verbi gratia, quod Daniel capit. 9. prophetarat. *Non erit eius populus qui eum negaturus est; ciuitas, & sanctuarium dissipabitur, deficiet Hostia & Sacrificium, & vsque in finem perseuerabit desolatio.* Quis enim non videt hæc omnia aliquot

quot annis à Christo occiso euenisse & perdurare. Idque confirmari potest ex vanis & irritis Iudæorum conatibus pro sua Republica, Temploque Ierosolymitano restituendo. Celebre est, quod sub Iuliano Apostata anno Christi 363. eos tentasse narrant historici, Sozomenus libro 1. capite 21. Rufinus libro 1. capite 38. Theodoretus libro 3. capite 17. & alij. Persuadente Imperatore, qui Iudæis videbatur, quasi Iudæus ex data ipsis Epistola plena ad eos officij & propensionis aggrediuntur ædificationem Templi cúmque ei fortiter instarent, iámque nudatis fundamentis restaret, vt structuram aggrederentur, metuendi globi flammarum crebris assultibus è fundamentis erumpentes exustis aliquoties operariis locum inaccessum fecerunt & inceptum in perpetuum interruperunt. Addit Gregorius Nazianzenus oratione secunda in Iulianum. Non solùm sæuos turbines & vehementer terræ motus Iudæos deturbasse, sed & ignem exeuntem à propinquo Christianorum Templo ad quod confugerant eosdem absumpsisse, ac denique fulgentissimum Crucis signum in cælo apparuisse, ipsasque eorumdem, aliorúmque quorumcumque cuiusvis fidei aut Religionis hominum, qui hæc aut præsentes viderent, aut ab aliis audirent, vestes Crucis notis ruuc consignatas fuisse, indéque multas ad Christum conuersiones factas addit Ruffinus, qui & hoc sæculo vixit, & Hierosolymis diu conuersatus ea ab accolis nosse potuit, plurimos Iudæorum periisse ruinis porticuum publicarum, ad quas ingenti terræ motu confugissent, sed & ignem emergentem ex ædibus vbi instrumenta necessaria operi asseruabantur per medium plateæ tota die percurrentem pertinacis populi temeritatem flammis vltricibus coërcuisse, eáque omnia in cinerem redegisse, affirmátque Theodoretus reliquam omnem materiam ad Templum extruendum præparatam, vehementi ventorum vi, ac procellarum turbinibus penitùs dissipatam esse, sed & quod adhuc in vaticinio Christi Matth. 24. *Lapidem super lapidem in Templo non mansurum.* Admiranda quadam terræ concussione reuulsa fuisse, & foras emissa Templi vetera fundamenta, idque confirmant Ammian. & Orosius.

Nec leue arbitror fundamentum abolendi Iudaïsmi, quod gens Iudæorum, nec inter Christianos, aut Sarracenos, inter quos licet ei suos ritus religiosos obseruare nusquam potuerit habere formam aliquam Reipublicæ. Quod quare id fiat intelligi non potest, nisi quia impedit Deus, qui etiam in medio inimicorùm suorum omnia quæcumque vult facit.

Addamus statum miserrimum, in quo à Christo occiso iacent Iudæi vagi errantes, & adeò in mundo extorres & exules, vt nec vnum quidem palmum terræ vspiam possideant, esse Dei vlciscentis vindictam, & pœnam ob violatam legem Dei, & grande aliquod scelus ab illis perpetratum. Cùm enim lex eorum temporalis esset, si eam obseruarent prospera omnia à Deo promissa haberent, esséque hæc illius legis merces à Deo proposita: longè alia quo ad hoc ratio Christianorum, quibus cùm tanquam aliqua beatitudinis ipsorum pars proposita sit afflictio & persequutio, & vexatio propter iustitiam fidémque Christi, si quando calamitatibus & rebus aduersis premuntur, non est inde consequens eos propter aliqua sua scelera ita à Deo tractari. At cum Deuteron. 28. Iudæos si legem Dei seruauerint benedicendos, & huius vitæ bonis cumulandos esse dicat Moyses, è contrario verò, si Deum offenderint calamitates eis grauissimas comminetur, negari non potest, quin ea quæ modo, iámque tot sæcula patiuntur mala sint Dei vlciscentis flagella, cúmque pœna longè grauior sit quacumque alia quam olim ob sua crimina passi sunt, inde certo colligitur eos crimen aliquod longè maximum commisisse, cúmque certum sit eos ab illo tempore non incidisse in idololatriam, ob quam superioribus illis temporibus castigati sunt, & in captiuitatem ducti, & alioqui legis suæ in tantis angustiis sint obseruantissimi, quare vna si lex illa adhuc sancta esset, & non sacrilega diuinam gratiam & beneuolentiam mererentur, fatendum est eos tantæ pœnæ reos esse, quia & quod à Patribus suis in Christi nece nefandum parricidium commissum esse sciunt probant, eiúsque criminis conscij fiunt, & in legis suæ abolitæ obseruatione sacrilega pertinaces, quem Christum venerari deberent, non tantùm contemnunt, sed etiam pessimè oderunt non ignari eum se hostem & vltorem experiri. Præsens status Iudæorum descriptus paret capite vigesimo octauo Deuter.

Denique legem Iudaïcam iam abolitam vanam superstitionem esse probo; quia nulli vsui vnquam esse potest, nullúmque eorum ob quæ condita erat emolumentum, aut vtilitas vnquam esse potest; ea enim tota erat instituta ad dignoscendum Messiam, designata tribu & familia ex qua oriundus erat. Deinde Iudæis credita erant diuina eloquia, eorúmque curæ commissæ prophetiæ, quæ Christum eundem designabant: denique erant sacra, quibus Christus idem figurabatur. At vt modo sunt res Iudæorum ita sunt confusæ omnes familiæ, tribúsque, vt aut Tribus Iuda, aut familia Dauidis nullo prorsus modo discerni queat: Scripturæ verò sacræ quæ Iudæorum erant, non tantùm apud nos certiores habentur, sed etiam nullam illis fidem facere aut conciliare possunt ipsi Iudæi apud quos nulli sunt, vel esse possunt legitimi Sacerdotes, quorum tamen erat custodire sacras Scripturas, & si quid circa eas ambiguè erat id pro sua authoritate iudicare, vt Deuteron. 17. & Malach. 2. dicitur. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini est.* Cùm autem vt ibidem habetur nullus apud Iudæos Sacerdos legitimus quam Leuiticus esse possit, iam ob illam confusionem tribuum, nullus apud eos vnquam legitimè ordinari & institui potest, eámque ob causam nullum apud eosdem Sacerdotium, Sacrificiúmque nullum legitimum, & consequenter Religio nulla vnquam esse, aut restitui potest.

Quod si obiiciant Iudæi prædictum fuisse legem suam duraturam in æternum. Respondet Sanctus Augustinus in oratione aduersùs Iudæos capite tertio legem non esse solutam

per Christũ, sed impletam esse quatenus quod illa dicebat esse futurum, perfectum est in illo. *Proinde illa vetera signa non euacuauit arguendo, sed implendo mutauit, vt alia essent quæ nuntiarent venisse iam Christum, quàm fuerant illa quæ prænuntiabant esse venturum*, & vt notat libro decimo octauo contra Faustum capite quarto quia ritus illius sacra auferenda aliquando prædixerunt Prophetæ. *Si ea de nostra Christiana celebratione non auferrentur non implerentur lex & Prophetæ, quia non fieret quod prædixerat. Cùm verò, & hoc fit, inde potius intelliguntur adimpleri, vnde videntur non impleri.*

His itaque Paganismo & Iudaïsmo aduersariis legi Christianæ per supra explicata probatis merito Christianus vtrumque damnat, & reijcit in Professione Catholicismi.



Atque Hæreses quascumque.



IN NARRATIONEM omnium Hæresium, quæ hactenus præfatos XXXVIII. Articulos Fidei conuellere tentarunt, penultimus iste ad plenam sui Expositionem exigere videtur, vt Professor Catholicismi explicitè nouerit, quid in vim illius reprobat.

Possem equidem inculpatè remittere Lectorem Beneuolum ad Chronologos, qui ex instituto hæresum fasciculos collegerunt: non pauci enim huic operoso studio nauiter insudarunt, & quidem Sanctissimi & Litteratissimi Scriptores. Irenæus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Damascenus, quorum vestigia protraxisse notamus Bernardum de Luxemburgo, Alphonsum à Castro Minoritam, Guilelmum Lindanum, Prateolum, Sanderum, & nouissimè Iacobum Gualterium singulari ordine sexdecim sæcula percurrentem, vnde ad oculum quæ, à quibus, & quo tempore inuectæ fuerint hæreses videre est in tabula sua Chronographica, sed ne hic hæreat sedulus Lector omnibus omnia ingerit, & digerit Digestum istud.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam Hæretici sunt?

HÆresis est vox Græca significans electionem, vt docent Tertullianus libro de præscript.hæret. cap.6. & 37. Hieronymus in Epistola ad Titum, & in cap.5. ad Galat. Isidorus libro 8. à verbo αἱρέομαι, quod est opto, seu eligo, & ita omnis sententia quàm quis eligit, siue ea sit vera, siue falsa, potest dici hæresis, id est electio, vt notant Sanctus Thomas, 2.2. quæst.11. quare Cicero in præfatione paradoxorum appellat sectam Stoïcorum, hæresim, & Act. 15. doctrina Pharisæorum vocatur hæresi, similiter & Saducæorum Act.5. & 24. cap. Christianismus secta & hæresis dictus est à Iudæis, sed parum æquè & perperam; quia hæresis est sententia quam homines electione humana & naturæ viribus suscipiunt, at doctrina Catholica non suscipitur sola electione humana, sed per gratiam Dei iuxta illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me*, nempe in me credendo, *nisi Pater meus traxerit eum*, & cap. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ita notant Becanus, Turrianus de fide, disputatione 55. & Valentia, hæresis nomen ex vsu Ecclesiæ accipitur tantùm pro errore contra fidem, vt vsurpatur in cap. ad abolendam fidem, & passim tot titulis de hæret.

Definitur error intellectus voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia assertus ab eo qui fidem recepit, ita Sanchez, Becanus, Couarruuias, & alij. Mihi autem magis arridet definitio Suaris tractat.de fide, disputat.19. sect.1. *Electio alicuius doctrinæ quam aliquis putat meliorem in materia fidei, quam sit doctrina ab Ecclesia tradita.* Hanc indicat Hieronymus ad Galat.5. Rectè autem fit in ea mentio traditionis doctrinæ ab Ecclesia; quia sicut impossibile est saluari sine fide, neque sufficit in Christum more suo ad arbitrium credere, eúmque colere, sed necesse est etiam versari in Ecclesia, quod non potest fieri nisi idipsum sentiamus, quod sentit vnica Dei Ecclesia, hinc est, quod hæresis, seu electio aliqua particularis doctrinæ separat nos ab Ecclesia. Augustinus contra Faustum, sic habet. *Hæresis diuersa opinatur, & ab his quæ Catholica credit Ecclesia.*

Quod autem Hæretici in eo sunt Hæretici, quod non audiant Ecclesiam, constat, si obseruemus doctrinam hanc ex eruditissimo Stapletono

pletono libro 8. cap. 24. Vt aliquis sit infidelis non esse opus vt aliquid à Deo reuelatum arbitratus illud verum esse, aut neget, aut dubitet: hoc enim vt minimum rarissimum est, & in eo casu is Deum veracem esse negaret; sed infidelis & hæreticus est qui negat aliquid esse à Deo reuelatum, quia non admittit regulam qua reuelationes diuinas posset & deberet agnoscere, & duro corde respuit motiuum credibilitatis. Certum autem est Apostolos, & quæ iis successit Ecclesia in suis Episcopis esse eos à quibus reuelationes diuinas petere debemus; ita vt eas tantùm ad communem Ecclesiæ fidem, ne de priuatis reuelationibus loquar, pertinentes reuelationes & siue scriptam, siue sola traditione & memoria acceptam Christi Apostolorúmque doctrinam admittere oporteat, quas Ecclesia Christi columna, & firmamentum veritatis tradit; is autem est hæreticus, qui fidem Ecclesiæ veræ abrogat, nec eam sed vel suum, vel alicuius alterius sensum sequitur, quare Hæreticus propriè est, qui Ecclesiam fidei dogmata tradentem audire detrectat, eiúsque authoritatem negat, ita Sanctus Thomas 2.2. quæst. 11. Sanè non aliunde quam ex ore Ecclesiæ auditur doctrina fidei; nec enim Christus nobis loquitur proximè & immediatè, sed per Ecclesiam. Sic qui Apostolorum tempore Hæretici fuerunt, ideò fuerunt hæretici, quia fidem seu Christi doctrinam veram & germanam eius intelligentiam interpretationémque ab Apostolis accipere neglexerant, sed quam ipsi electione sua & voluntate probabant, sequuti sunt.

Vbi notabis aliud esse errare, aliud ignorare; nam ignorantia significat tantùm absentiam scientiæ; error autem dicit falsum dogma contrarium vero: vt autem quis sit hæreticus, nota eum quidem habere errorem, sed non in eo posita est hæreseos ratio, sed in renisu voluntatis quæ resistit motiuo, seu potius regulæ fidei, nec verò alteri quam quæ in authoritate Ecclesiæ consistit. Ita Sanctus Cyprianus libro 1. Epistola 3. ad Cornelium, Hæreticos vocat contra Ecclesiam Catholicam rebelles.

Nota rebellionem tripliciter committi contra Ecclesiam seu, vt habet Theodorus Sudita Epistola 4. ad Naucratiam relata in primo tomo Bibliothecæ Patrum, eos qui Ecclesiæ Præpositis debitam obedientiam negant in triplici esse differentia, hæreseos, schismatis & & parasynagogæ, vt loquitur ex S. Basilio, quem laudat. Parasynagogæ, inquit, fiunt ab insolentibus Presbyteris vel Episcopis, vel populis qui parere & obedire recusant. Schismata verò fiunt ab iis qui ob aliquas causas Ecclesiasticas, & quæstiones quibus facilè potest. adhiberi remedium, se se separant & dissident. At hæreses aduersùs fidem ipsam sunt, eámque directè impugnant, vnde præcisè loquens do schismaticus non est hæreticus, licet omnis hæreticus sit schismaticus, vnde colligo ab eodem authore parasynagogam dici cum aliquis licet non neget superiorem, seu Præfectum Ecclesiæ, ei tamen rebellis est & con tumax, verbi gratia, suspensus ab officio & vsu ordinis, suspensionem negligens adhuc vsurpat idem munus. Schismaticus non tantùm resistit superioribus Ecclesiæ, sed etiam negat eos esse suos & legitimos superiores, sic Cathari negabant Sanctum Cornelium esse legitimum Pontificem, quia eum cum lapsis in persecutione communionem habere dicebant. Eandem inter hæresim & schisma differentiam faciunt. Hieronymus in cap. 3. ad Titum. Ambrosius in oratione de obitu fratris & Pelagius Papa in 24. quæst. 1. capit. Schisma dici, quia scissuram facit in Ecclesia; non enim qui schismatici sunt diuersa sentiendi iudicium, id est, dogmatum dissensio, sed quædam delata crimina contra Sedem Apostolicam credentes pessima diuisit opinio. His positis

PROPOSITIO CATHOLICA.

Hæreticus est qui contumax est Ecclesiæ in doctrina fidei.

Probatur ex Scriptura, Matth. 18. *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.*

Probatur ex Sanctis Patribus, Cyprianus citatus. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur*, ibi Cyprian. Papam Caput Ecclesiæ pro Ecclesia ipsa sumit, Irenæus libro 4. contra hæreticos. *Heretici alienum ignem afferentes ad Altare Dei, id est, alienas doctrinas à cælesti igne comburentur quemadmodum Nadab & Abihu. Qui verò exurgunt contra veritatem, & alios adhortantur aduersùs Ecclesiam remanens apud inferos voragine absorpti.* August. contra Manich. *Qui in Ecclesia Christi prauum quid sapiunt si correcti, vt rectum sapiant, resistunt contumaciter, suáque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, Heretici sunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* Habetur libro 18. ciuit. c. 51. Possunt ad idem afferri Patres illi qui vno Ecclesiæ Catholicæ nomine & authoritate hæreses omnes se validè refutare posse scribunt.

Probatur Ratione, quia nemo quantumuis etiam in doctrina fidei errans est vnquam habitus hæreticus, quamdiu Ecclesiam audire, & ab ea edoceri, corrigique paratus est; ergo sola contumacia decretis Ecclesiæ circa dogmata hæreticum facit. Antecedens patet, quia nec vllus hæreseos author damnatus est ab Ecclesia quàm cùm ab ea admonitus, animo obfirmato & rebelli resipiscere noluit. Ita cum Ario, Nestorio, aliisque Hæresiarchis actum est, & Sanctus Hieronymus Epistola 57. ad Damasum, dubitans an tres in Deo hypostases dicendæ sint eum obtestatur, vt Epistolis suis siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon sibi det authoritatem & profitetur se hac vna Ecclesiæ Romanæ fide omnem erroris aut hæreseos suspicionem facilè declinare.

QVÆRES, *An qui dubitat de re aliqua fidei sit hereticus?*

Respondeo affirmatiuè de illo qui pertinaciter dubitat. Ita Glossa in cap. 1. de hæret. verbo *Dubius*, sicque scripsere Hostiensis ibi n. 1. Toletus libro 1. in Bullam Cœnæ, Suarez, & alij, patétque ex communi axiomate. *Dubius in fide infidelis est.* Quod refertur in glossa ex Stephano Papa, & habetur in Epistola decretali

tali Sixti I. & in Epistola 2. Iulij I. ad Orientales: cùm igitur qui sic dubitat sit infidelis, consequenter Christianus dubitans de fide erit hæreticus: hoc idem sentit Augustinus lib. 8. de Trinitate cap. 5. *Salua*, inquit, *veritate dici potest Virginem talem habuisse faciem, non tamen potest salua fide Catholica dici fortè de Virgine Christus natus est: nam aduerbium fortè cùm dubitationem contineat fidei aduersatur.* Idem etiam patet ex Clement. 1. de Summa Trinitate, §. Porrò, vbi legimus dubitantem an anima rationalis sit forma corporis esse hæreticum, & ex Concilio Lateranensi sess. 8.

Probatur idem ratione, Qui dubitat de fide putat fidei per Ecclesiam propositæ posse subesse falsum, & illam non esse certam. At qui sic opinatur habet errorem circa fidem, ergo est hæreticus.

Secundò, qui iudicat esse incerta, quæ certa sunt, habet errorem, sed hic iudicat fidem, quæ est omninò certa esse incertam: ergo est hæreticus: Quare Sanctus August. in Enchiridion cap. 17. & 19. ait, eum qui de fide dubitat habere positiuum errorem, circa fidem & Bernardus libro 2. de consideratione cap. 5. *Fides*, inquit, *ambiguum non habet, & si habet fides non est.* Vide quæ dixi in tractatu de Fide, agens de eius integritate.

QVÆSTIO II.

Quod Hæreticus sit hoc ipso æternaliter damnandus.

SEnsus est ad salutem consequendam non sufficere cultorem esse Christi, eiúsque religionem profiteri, sed necesse esse prætereà, vt in vera Christi Ecclesia Christianam fidem integram, nec ab vnico dogmate dissidendo, communionem etiam externam habeamus cum capite & Prælatis Ecclesiæ.

Probatur Propositio ex Scriptura Matth. 18 *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Hæretici autem eiecti sunt ab Ecclesia tanquam Ethnici Luc. 10. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Quod intelligi dictum etiam de successoribus Apostolorum nemini dubium esse debet; quia & isti mittuntur à Christo, & Apostolicam potestatem habent, & pater, quia alioqui non esset Christi Ecclesia. At spretor Patris, seu Dei, reus est damnationis æternæ. Ergo ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit cùm sit proprio iudicio condemnatus.* Rom. 16. *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt & declinate ab illis; huiusmodi enim Christo non seruiunt, &c.* 2. Ioann 1. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Iudæ cano. *Hi sunt semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, veh illis quia in via Cain abierunt, &c.*

Probatur ex Sanctis Patribus, Cyprian. in libro de vnitate Ecclesiæ ait, Diabolum videntem idola derelicta excogitasse nouam fraudem, vt sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos. *Hæreses*, inquit, *inuenit, & schismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem, &c.* Augustino libro 4 de Baptismo. *Nulli vtique dubium est hæreticum propter hoc solum, quod hæreticus est, & ab Ecclesia recessit regnum Dei minimè possessurum.* Idem docet serm. 50. de verbis Domini, & contra Petilian qui non minus quam Romani se in vera Ecclesia esse iactabat. *Quicumque*, respondet Augustinus, *vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia ipsius Ecclesiæ Caput non agnoscunt.* Fulgentio libro de fide capite 38. *Firmissimè teneas, & nulla ratione dubites, non solùm omnes Paganos, sed etiam omnes hæreticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam in ignem æternum ituros.*

Hieronymus idem docuit pluribus in locis libro dialogi aduersùs Pelagianos, explicando hæc Isaiæ verba. *Consummatus est illusor: hoc ait, propriè dictum est de hæreticis, qui deuiantes à recto tramite fidei consummabuntur igne æterno.* & in Oseam libro 2. & in 1. ad Galat. & in 13. Matth. & in 7. Isai. cit. in præfat. Ita Damasc. lib. 3 de fide cap. 3. *Hæreticum Dei inimicum & hostem perduellem vocante.*

Probatur Ratione, nemo superbus & rebellis mandatis Dei saluari potest, at qui Ecclesiam non audit, eámque spernit præferens ei suam propriam sententiam quam pertinaciter tenet, est rebellis. Ergo

Secundò, quilibet tenetur veram Religionem profiteri, quia Religio res communis & publica est, nec sufficit, si quis eam in corde retinet, sed testari debet, vt disertè ait Paulus Roman. 10. *Ore confessio fit ad salutem.* At non potest ista confessio professióque publica fieri benè & licitè, nisi in vera Dei Ecclesia quæcumque tandem sit, quamque tu in particulari, nec agnoscas, nec agnoscere satagas: quamuis enim in extrema necessitate liceat, à quouis etiam Ethnico Baptismum Christi accipere, vbi Ministri Ecclesiæ copia non est, alia tamen Sacramenta, & nominatim Eucharistiæ, ab alio quàm à Catholico, aut extra Ecclesiam Catholicam accipere nefas est, vt docent Sancti Patres, fuitque semper praxis Catholicorum. Lege Augustinum libro de vera Religione cap. 5. & libro contra Epistolam fundamenti cap. 3. vbi cum Manichæis tractare se velle ait hac lege seruata, *Vt cum illis non ores, non conuenticula celebres, non Manichæi nomen accipias.* Ratio autem discriminis inter Baptismum & Eucharistiam, hæc est, quia qui baptizatur non aliud facit quàm Christi religionem & Sanctissimæ Trinitatis fidem profitetur, at qui Eucharistiam percipit, eo ipso Sacramento Communionis profitetur se communem eum eo à quo Eucharistiã percipit doctrinam, fidémque tenere, quod esset hæresim aut schisma profiteri.

Tertio commune est effatum, *Extra veram Ecclesiam non est salus.* Hæreticus est extra illam; ergo & extra salutem. Hinc Sancti Patres detestati

deteſtati ſunt hæreticos. Polycarpus Martyr, aliquando Marcioni obuiam factus atque oratus, vt eum agnoſcere vellet. *Agnoſco*, inquit *primogenitum Satanæ.* Sanctus Ioannes Apoſtolus cùm aliquando in Aſia ad balneum progreſſus eſſet Spiritus-Sancti impulſu, vt notat Spondan. atque eſſe intus Ebionem audiſſet, cognito ſe ad teſtimonium de veritate reddendum illuc vocatum eſſe, dixit circumſtantibus, *Feſtinemus hinc egredi ne cadat balneum & pereamus cum Ebione propter ipſius impietatem.*

QVÆSTIO III.

De varijs contra ſuperiores fidei Articulos hæreſibus.

IN breui Eccleſia Chriſtiana non vi, aut ferro, ſed Charitatis veritate Paganiſmum, nec-non & Iudaïſmum oppreſſit, & verum Dei viuentis cultum ſanctiſſimámque ſtabiliuit Religionem, ſed veteranus ille generis humani hoſtis ab initio mendax, qui vt dixit Chriſtus Ioan. 8. *Cùm loquitur mendacium ex proprijs loquitur; quia mendax eſt, & pater eius*, Non ferens hominem ſtare in veritate, & vnitate fidei Apoſtolicæ hæreſes inuexit, & quoſlibet fidei ſupra declaratos Articulos conuellere tentauit, faciens de viris Apoſtolicis Apoſtatas & Hæreſiarchas, tantaidque vafritie & appatatu, *Vt totus aliquando ingemuerit orbis ſe Arrianum videns.* Ait Hieronymus ſynecdocus tamen loquens. Itaque Satan primis duobus ſæculis à reparato genere humano totus fuit in labefactando primo Apoſtolici Symboli Articulo. Quid enim aliud volebant Symoniani, Menandriani, Baſilidiani, Valentiniſtæ, Marcioniſtæ, Manichæi, & vniuerſa ſchola Gnoſticorum, quàm non eſſe vnum Deum Patrem, Creatorem Cæli & terræ. Vbi verò id non ſucceſſit, noua caſtra inſtruxit poſt annum Chriſtì 200. & Articulum quo Verbi diuinitas explicitè proponitur exagitare eſt aggreſſus. Inde enim Praxeas, Sabellius, Paulus Samoſatenus. Poſt annum verò 300. Photinus, Arrius, Eunomius extiterunt, qui vel Chriſti diuinam perſonam à Patris perſona non diſtinguebant, atque eam proinde, vt Sanctus Hilarius loquitur, perimebant, vel diuinam eius naturam diuerſam, atque alienam à Patris natura faciebant, & ea ratione non verè diuinam, ſed creatam eſſe diſputabant. At cùm ne tunc quidem aduerſùs Eccleſiam præualere non potuiſſent portæ inferi.

Tertiò, Diabolus nouo delectu errorum diſſeminato tertium ſimul & quartum, quintum, ſextum, & ſeptimum Articulum, quoniam inter ſe cognationem ſingularem habent maiori conatu oppugnauit. Itaque Neſtorium excitauit poſt annum 400. ac Theodorum Mopſueſtenum ſubſequenter Euthychem & Dioſcorum. Circa verò annum 500. Petrum Gnapheum, Seuerum Antiochenum, & alios.

Sexto, & ſeptimo ſæculo Cyrus, Sergius, Pyrrhus & Eutichetis multiplex ſectaria ſoboles, cuius germina Orientem adhuc inficiunt, veritatem reſultantium in incarnatione dogmatum confundere, deſtruere & euertere ſtuduerunt. Sed de iis phalangibus Eccleſia Catholica more ſuo triumphauit.

Anno 860. ſedente Nicolao I. Papa exortum eſt Græcorum ſchiſma aduerſùs octauum Articulum, qui eſt de proceſſione Spiritus-Sancti à Patre & Filio ratione cuius ſimul adoratur & conglorificatur, negant hoc pertinaciſſimè Græci, tametſi enim multo ante Macedonius negaſſet Spiritum-Sanctum eſſe Deum, Theodoretus eundem à Patre & Filio procedere, inficiatus eſt.

Verum enim vero cum verſutiſſimus inimicus hominis experiretur parum ſe in illis euellendis Articulis, qui ad perſonas diuinas pertinent, proficere; totum ſe ad eos conuellendos conuertit, qui ad Eccleſiam & Sacramenta pertinent, tantáque caligine obnubilauit Articulum de Iuſtificatione, vt in dies nouæ formentur hæreſes, quibus excutiendis & damnandis non parum inſudarunt Patres Orthodoxi.

Nouiſſimè decimo quinto ſæculo Martinus Lutherus apoſtatauit à fide Catholica, ex Ordine Auguſtiniano ſectam faciens à reprehenſione Indulgentiarum, & inuectiuis in Sedis Apoſtolicæ Pontificem, cui conſociatus eſt Caluinus in peruertenda tota Religionis Catholicæ œconomia: nam dum ex vtriuſque Hęreſiarchæ inſtitutione quilibet aſſecla iudicium ſibi de doctrina Religionis arrogat, dum arbitratu ſuo Scripturas interpretatur, dum nihil in ea difficile, nihil obſcurum eſſe perſuaſum habet, dum præter eas nihil accipit, Traditiones autem Patrum prorſus reijci debere cenſet, dum Eccleſiam neque videri, neque cognoſci poſſe credit, ita vt cuique cœtui liberum ſit nomen Eccleſiæ vendicare, quis non videt ex his doctrinæ Lutheranæ & Caluinianæ capitibus ſathaniſmum nouum ſubrogari Catholiciſmo in Germania, multiſque in Prouincijs Galliarum, vbi hi errores vigent.

Quæ cùm ita ſint, & totus orbis Chriſtianus multas, imò infinitas inde paſſus ſit ſciſſuras, & in dies patiatur ruinas, non mirum ſi Eccleſia Dei licet ſecura perſtet, quod *portæ inferi*, vt affirmauit Chriſtus, *non præualebunt aduerſùs eam*, hæreſes & earum authores damnet, eijciat, & anathemate feriat; hæreſis morbus eſt animi omninò contagioſus, & ſolertiſſimè vitandus, vt docuerunt Apoſtoli Ioannes & Paulus, ita vt, *nec Aue dicamus Hæreticis*, quos à fidelium conſortio, diuina Scriptura, Patres Orthodoxi, Magiſtratus politici, omniáque iura propellunt & eijciunt, imò iuſtè ferro, vel igne obſtinatos extingunt.

Nec tantùm Hæreticos qui mentem ſuam exteriùs manifeſtant excommunicat Eccleſia, vt videre eſt in iure. capit ad abſoluendum. capit. Excommunicamus de hæret. capit. Quicumque de hæretic. in 6. & in Bulla Cœnæ, quæ quotannis publicatur Romæ cum reſeruatione abſolutionis Summo Pontifici, & reuocatione priuilegij in Concilio Tridentino ſeſſione 24. cap. 6. conceſſi Epiſcopis. Sed & eos qui ratione hæteſis recipiunt, protegunt, & defendunt illos excommunicationem extendit, nec non eſt in illos, qui ſcienter & abſque

Pontificis licentia, aut delegatorum publicè, vel occultè retinent, legunt, aut imprimunt, aut quouis alio modo defendunt libros Hæreticorum tractantes de religione aut hæresim continentes; quamuis legant, retineant, vel imprimant curiositatis gratia, & absque prauo animo. Quibusdam tamen hæreticorum librorum lectio concedi solet, imò & committi, vt & ipsi satis firmi & eruditi eorum possint errores, vel verba, vel scripto discutere, & euincere, ac ab animis infirmis & seductis excutere: ob eam causam Dionysius Alexandrinus cælesti oraculo iussus est hæreticorum libros legere; nam vt dicit Irenæus præfat. libri 4. *Eum qui velit hereticos conuertere, oportet diligenter scire regulas siue argumenta ipsorum, nec enim possibile est alicui curare quosdam malè habentes qui ignorat passionem eorũ.* Facultas hæc non facilè est concedenda, quia facilè serpit virus chartis inclusum, & mellitis obductum verbis; sanam enim aliquam doctrinam prima facie solent Hæresiarchæ isti proponere, quò incautiùs intentas, & nouas ipsorum assertiones admittat Lector. Qui nisi versatissimus fuerit in Scripturis, & earum Catholico sensu, facilè vt quotidiana comprobatur experientia, seducetur. Reijciuntur ergo iure optimo Hæreses omnes quas reiecit, & damnauit Ecclesia Catholica. Nam si professor fidei credit Ecclesiæ sua dogmata sancienti, cur non credat contraria reprobanti, & tanquam vanitates & insanias falsas anathematizanti? Hinc constat Caluinistas & Lutheranos errorum, quos iam diu damnauit Ecclesia professores certum salutis, nisi resipiscant dispendium incurrere, nec temerarium esse dicere, & affirmare eos exclusos à cœtu saluandorum. Hoc non homo, sed verbum scriptum Ioan. 12. à Christo ipso prolatum habet. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum, sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.*



DE VNITATE PROFESSIONIS Catholicæ.

QVÆSTIO VNICA.

PRODIIT nupertimè libellus *Sancta libertas filiorum Dei, & fratrum Christi*. Libertas hæc iis innititur fundamentis credere possumus quæcumque Luther. Caluin. Beza docuerunt, Apostoli nostri sunt, credimúsque eos à Deo missos ad reformandam Ecclesiam, consequenter Spiritus-Sanctus per os & calamum eorum loquutus est. Possumus credere, & agere quæ Lutherani credunt & agunt, à modo vnicam cum eis Ecclesiam componimus & in Concilio Nationali omnium Franciæ Ecclesiasticorum, habito Charantonæ 1631. celebris vnio Religionis reformatæ cum Lutheranis facta est per solemnem declarationem, *quòd nihil credant Fidei & pietati aduersarium*.

Possumus credere & facere quod Conuentus, Nationes & Prouinciales admittunt, quodque Angli fratres nostri credunt.

Prouincialis autem habitus Monspelij 1654 solemniter declarauit, licere vnicuique credere quod libuerit circa essentiales Articulos religionis, iuxta Paul. 2. Cor. 3. *Vbi est Spiritus Domini, ibi libertas*. Hæcque libera facultas fidei, principalis est nota legitimæ & veræ Ecclesiæ opposita tyrannidi Papæ, in cuius verba iurare coguntur Papistæ.

Cuilibet licet credere Christum mortuum esse pro omnibus.

Licet etiam credere eum pro electis dumtaxat, neque Crucem pro Iuda aut damnatis sustinuisse, vbi nec pro dæmonibus libertas hæc assensus aut dissensus circa redemptionem generalem datur à Synodo Alénconia 1637. Nationali Charantonia 1644. & Prouinciæ Monsp. 1654.

Licet credere Christum contineri sub speciebus Eucharistiæ, vt volunt Lutherani, licet & illud negare, patet ex Art. vnionis in Nation. Charant. 1631. quod & probauit Rosselet Nemausen. Minister in resp. ad Iesuitas la Barre ostendens fidem præsentiæ Sacramentalis nihil ad fidem aut salutem facere.

Licet cuilibet Cœnam celebrare in quouis alimento aut potu, hoc docet Caluin. & decreuit Synod. Geneuæ ex Beza Ep. 25.

Licet cuilibet credere quemlibet fidelem virum vel fœminam habere potestatem commutandi panem & vinum Cœnæ in figuram Corporis Christi, nihil ad hanc faciente manus impositione, vt petitè docuit Saumasius in dissertat. Missal. *Non erat nec audiebatur temporibus Apostolorum Sacerdotium, nulli Sacerdotes in Euangelio aut scriptis Apostolicis nominat*, Adde, quod omnibus indifferenter concessit Christus sacerdotium & facultatem celebrandi Cœnam, cùm dixit. *Hoc facite in mei memoriam*, quæ verba ad quemlibet vtriusque sexus referuntur, sicut ista. *Bibite ex eo omnes*. Hincque idem educitur de facultate absoluendi peccata, cùm quilibet fidelis habeat Sacerdotium, quod de Baptismo admittunt Papistæ.

Licet credere Purgatorium, & orare pro defunctis, vt Luther in disput. Lypsica admittit. Licet etiam vtrumque reijcere, vt vult Caluin.

Licet credere, non obstante quouis cumulo peccati saluandum eum qui habet fidem, imò nec posse non saluari, licet illud non credere, licet viro sola vxore satisfieri, quæ si ei non satisfaciat potest vir aliam in thorum admittere. Ita Apostolus Luther. fol. 123. de matrim. *Si tu nolueris alia volet, si Domina non vult adueniat ancilla*, sicque pariter vxor seruo iungi potest ad libidinem.

Licet credere apud Ecclesiam Romanam extare omnia ad salutem necessaria, ita decreuit Synodus Charant. 1644. qui ex hac propositione laudauit Amyrauthum Saumuri Pastorem.

Licet persequi Papistas vti hæreticos & hostes Religionis reformatæ, licet quoque ab eorum infestatione abstinere; hanc enim vetat artic. 148. nostræ disciplinæ Eccles. his verbis. *Abstinebunt fideles à quouis iniurioso verbo in Papistas specialiter Sacerdotes & Religiosos, & in contra facientes animaduertetur*. Sic vltima Synodus Monspel. sanxit, quia persecutiones auertunt à nostra religione & charitatem lædunt, quæ iubet diligi quos credimus esse de Ecclesia in qua saluari possunt.

Credat ergo imposterum quilibet quod voluerit, aut quod suggeret Spiritus-Sanctus, nec aliorum fidem perquirat, spiritus Dei hanc fecit libertatem credendi, & non credendi, hincque spiritus reformatæ, est nihil habere fixum Libertas hæc verus & germanus est spiritus filiorum Dei & Ecclesiæ Sponsæ eius, sicuti seruitus Papistica sub qua gemunt adhærentes Papæ est spiritus ancillæ, de qua loquitur Paul. Gal. 5. Eijciatur ergo filius ancillæ cum ipsa, nos sumus filij liberæ. Libertas hæc pacem inducet & controuersias terminabit, licebit vnicuique ad libitum: conuentus nostri hanc fidei libertatem dederunt. Credere est man-

ducare per os fidei, ait Rom. 14. is qui manducat non manducantem non spernat & qui non manducat manducantem non iudicet vnusquisque in suo sensu abundet id est credens non spernat non credentem & è contra. Hæc est Sancta libertas, quam profiteri debemus qua Antichristo Romano obsistemus fortius, ad hanc vocati sumus libertatem Galat. 5.

Nota 2. Cor. 3. Paulum dicere Iudæos habere velamen super cor vt non agnoscant Christum in lectione V. T. quod in fine mundi ab eis auferetur. *Dominus autem Spiritus est vbi autem Spiritus ibi libertas* Græcè non est παῤῥησία sed ἐλευθερία id est ingenua libera & illuminata voluntas vt scilicet ablato legis Moysis velamento clara & spontanea voluntate ambulemus secundum legem Dei. Ita Theophylactus Libertas hic opponitur non obligationi legis diuinæ vel humanæ vt volunt hæretici, sed tum velo Mosis id est obscuritati & crassitiei legis V. tum litteræ id est, legis seruili coactioni timori & torpori, de qua dixit versu 6. *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti non littera sed Spiritu*, ac consequenter duplex est libertas. Prima vt Chrysost. est intellectus estque clara notitia Mysterij Trin. Incarn. &c. quæ Iudæis obscura erant item veræ religionis & diuini cultus quem Iudæi in mactatione boum & arietum consistere putabant cum Deus coli velit in Spiritu & veritate Ioan. 4. vbi aduerte sicut crassities hebetudo obscuratio ignorantia intellectus qua mens quasi tenebris vinculis & carcere constricta tenetur, rectè dicitur seruitus & seruilis conditio ita è contra illuminatio & clara intellectus cognitio dicitur libertas quia mens ab ignorantia erroribus & speciebus crassis rerum libera Deo rebusque diuinis vacat & intendit vnde Aristot. Plutarch. Seneca & alij solos sapientes esse liberos dixerunt. Secunda libertas vt docet August. est affectus seu voluntatis estque amor iustitiæ non timor vindictæ vt scilicet non timore pœnæ sed sponte & libere ex amore virtutis legem inpleamus. Hæc enim libertas & Spiritus amoris Christiani opponitur seruituti & timori seruili Iudæorum, Aug. lib. de continentia cap. 3. Non sumus ait, sub lege bonum quidem iubente non tamen dante sed sumus sub gratia quæ id quod id quod lex iubet faciens nos amare potest liberis imperare.

Tam ergo impiè quam imperitè ex hoc versu Pauli ante 300. annos Begardi & iam Suenefeldini & Libertini, & ex vers. 6. *Littera occidit Spiritus autem viuificat* respuunt verbum Dei scriptum quasi litteram occidentem soloque Spiritu interno dictante, volunt nos regi 2. hominem Sanctum & perfectum liberum esse à lege nec peccare fornicando 3. hinc male alij passim abolent leges humanas & nuper publicata est à Caluinianis in voione Lutherana libertas & indifferentia credendi.

Versus 13. cap. 5. ad Galat. *Vos enim in libertatem vocati estis fratres*, truncate & malitiose ad inferentiam credendi quod libuerit refertur: nam in hac Epistola Paulus vrget Galatas, vt iugum veteris Legis non admittant à quo liberi sunt Christiani per libertatem Christianam, quam docet sitam esse in charitate & spiritu; ideò subdit versui 13. *tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem.* Vide ergo quam contra mentem Pauli hæc torqueant Nouatores, dum volunt Christianos esse liberos ab omni lege positiua, id est, non debere obedire Prælatis, Magistratibus, ac consequenter nec Parentibus; hoc enim est contra legem naturæ & Decalogi, éstque euertere omnem politiam: si enim semel persuasum sit legem Præpositorum non obligare in conscientia, sed tantùm ad pœnam in foro exteriori luendam liberrimè homines legem violabunt quandocumque putabunt id se velle secretò, vel impunè facturos, vnde Christus, Paulus, Apostoli passim iubent Christianis, vt obediant Cæsari & Magistratibus etiam infidelibus, non modo propter eorum iram & vindictam, sed etiam propter conscientiam, Rom 13. vers. 5.

Vocatio ergo hæc *in libertatem*, est ab onerosa & iam inutili seruitute legis & cæremoniarum eius, hæc est libertas quam tota Epistola opponit seruituti Iudaïcæ. Non ergo licet ad libitum credere.



CONPENDIOSA

COMPENDIOSA PROBATIO
Fidei Catholicæ per Scripturam.

2\. QVOD Ecclesia non potest errare 1. Timot. 3. Matth. 18.
3\. Quod admittendæ Traditiones 2. Thess. 2.
Et Concilia Act. 15. vers. 28. Ephes. 5. v. 26. 1. Timoth. 3. Matth. 18. Act. 16. v. 4. & 16.
Quod Scriptura difficilis 2. Petr. 3. nec ab omnibus interpretanda 2. Pet. 1. v. 20. 1. Corint. 12. v. 19.
4\. Quod non datur salus pueris sine Baptismo, Ioan. 3. Eph. 5. ad Tit. 3. 1. Pet. 3.
Quod danda confirmatio, Act. 8. 15. 2. Cor. 1. Ephes. 4. Hebr. 6.
Confessio peccatorum Matth. 5. Act. 19. Matth. 16.
Indulgentia 2. Corint. 3. vers. 10. Matth. 18. vers. 18.
Quod verè Christus continetur in Eucharistia, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Ioan. 6.
Datur Altare, Hebr. 13. Num. 7. v. 84.
Et Sacrificium Malach. 1. Act. 13. Hebr. 13. Ioan. 20. Iacob. 5.
Ordo Sacramentum, Act. 6. 13. 1. Tim. 4. & 5. 2. Tim. 1. Nemo sibi assumat, Hebr. 5. v. 4. Act 13. v. 2. & 3.
Exclusio bigami, Ad Titum 1. 1. Timoth. 3.
Matrimonium Sacramentum Ephes. 5. Hebræor. 3.
Separatio thori non frangit vinculum. 1. Cor. 7. Gen. 2. Marc. 10. Rom. 7.
Extrema vnctio Iacobi 5. v. 15. Marc. 6. v. 13.
5\. Sola fides non iustificat Matth. 7. v. 21. 1. Cor. 13. Galat. 5. Iacob. 2. v. 14. & 17.
Operum iustitia Rom. 2. v. 13. 6. v. 19. Apoc. 22. v. 11. Luc. 1. Zach. & Elizabeth iusti, Iacob. 2. v. 24.
Incertitudo prędestinationis 1. Cor. 9. Rom. 11. 20. Philippen. 2. 2. Timoth. 2. 2. Petri 1. Ecclesiast. 9.
Decalogi obligatio & possibilitas, Deut. 30. v. 11. & 14. Ezech. 36. v. 27. Matth. 11. Philipp. 3. 1. Ioan. 5.
6\. Purgatorium 2. Matth 12. v. 43. 1. Reg. 2. v. 6. Tob. 4. v. 18. Matth. 5. v. 25. Matth. 12. v. 32 1. Cor. 3. v. 13.
1\. Quod Deus non inducit ad peccatum. Psal. 5. Prouerb. 15. Eccles. 15. Iacob. 1. v. 13.
5\. Peccata omnia non esse mortalia, Ioan. 5. v. 16. Prouerb. 24. v. 16. Ioan. 3. v. 17.
5\. Soluta culpa remanet reatus ad pœnam, Rom. 6. v. 23. Eccles. 5. v. 5. Num. 14. v. 20. 2. Reg. 12. 3. Reg 21.
5\. Opera mercede digna, Matth. 5. v. 12. 16. v. 27. Galat. 7. v. 7. Timoth. 4. v. 7. Apoc. 22. v. 3.
5\. Homo dignus regno Dei, Luc. 20. v. 35. Sap. 2. v. 5. 2. Thess. 1. v. 6.
7\. Sancti orant pro nobis Apoc. 5. v. 8. Zach. 1. v. 12. 2. Pet. 1. v. 13. 14 15.
7\. Norúntque nos Angeli, Luc. 15. vers. 10. Tob. 12. vers. 12. Et Sancti Luc. 16. 2. Paral. 21. vers. 12.
Differentia gloriæ eorum, Ioan. 16. v. 17. 1. Cor. 15. v. 40.
7\. Reliquiæ eorum venerandæ 4. Reg. 13. ossa Elisæi suscitant, Exod. 13. vers. 19. Act. 19. vers. 12.
5\. Deus operibus gloriam promittit, Psal. 14. & 61. Matth. 7. v. 21. 19. v. 17. 25. v. 34. Luc. 10. v. 28. Ioan. 13. v. 17.
7\. Imaginum vsus admittendus, Exod. 25. v. 18. Num. 21. v. 9. Serpens æneus quem Crucifixus Christus refert, Ioan. 3 v. 14.
8\. Primatus Petri Matth. 10 v. 2.
Vicariatus Christi Matth. 16. v. 19. Ioan. 21. v. 15. 19. 17.
Inconcussa eius fides, Luc. 21. v. 31. Matth. 16. vers. 18.
Episcopus Presbytero maior. Tit. 1. v. 5. 6. 7. Act. 14. v. 22 Act. 6. v. 5. constituunt 7. Diacon. per impos. manuum.
Papa non est Antichristus 1. Ioan. 2. v. 22.
Antichristus homo particularis 2. Thess. 2. v. 3. 4. & 8. Apoc. 13. vers. 28. nomen facit 666. Non venit Matth. 13. v. 10.
5\. Liberum arbitrium Gen. 4. v. 6. Deuter. 30. vers. 19 Iosue 24. v. 14 Eccles. 15. v. 14. & 18. Matth. 19. v. 17. Cor. 7. v. 37. Philemon 1. v. 14.
7\. Mulier in Ecclesia, nec doceat, vel loquatur, 1. Timoth. 2. v. 11. 1. Cor. 14. v. 15.
Attactus rerum sacrarum sanctificationem aliquam dat, Exod. 29. v. 37. Matth. 23. v. 17.
5\. Gratia inhærens, 1. Cor. 6. v. 11. Roman. 5. ver. 5.
4\. Communio sub vna, qui dixit vtrumque dixit & de pane solo, Ioan. 6. v. 51. 56. 59.
7\. Inuocatio Sanctorum Iacob filiis Manasse benedicens inuocat Angelum suum, Genes. 48. Tobias itidem 5. v. 24.
Iob. 42. v. 8. Deus iubet implorari Iobi orationem, non datur præceptum de ea in 5. nisi in præcepto obediendi Ecclesiæ, quæ hanc inuocationem docet.
Deus omnes creauit ad salutem, Sap. 1. v. 12. Ezech. 18. v. 32. 1. Timoth. 2. v. 3. 2. Pet. 3. v. 9.
Deus permittit, nec vult peccatum, Psal. 5. v. 5. Iacob. 1. v. 13.
5\. Abstinentia ciborum, Gen. 2. v. 16. & Gen. 9. v. 3. Matth. 3. v. 4. de Bapt. Luc. 1. Ierem. 35. v. 5. de Rechabitis.
Cœlibatus Matth. 19. v. 11. 1. Corinth. 7. v. 8. Apoc. 14.
Voluntaria paupertas, Matth. 19. v. 21. Petro respondetur, sedebitis super thronos & iudicabitis.
Obedientia Matth. 16. v. 24. Luc 9. v. 23. 1. Reg. 15.
Vita communis, Act. 2. v. 44.
Vota seruanda, Psal. 75. Deut. 35. Eccl. 5.



ARTICVLVS XL.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, in præsenti sponte profiteor, ac veraciter teneo.



VLLIVS doctrinæ veritas adeò clara aut certa est, vt eam litigiosi homines, contentionibus suis, pugnisque verborum obscurare, dubiámque facere non conentur, adeò plerique studio contradicendi flagrant, nec nisi dum de rebus ipsis manifestissimis dubitare se profitentur, concertántque ingenij sui vim, & acumen ostendere posse autumant. Quod cum in Philosophicis disceptationibus, in quibus humana ratio regnat, locum habeat (indéque tot diuersæ sectæ & scholæ, eiúsque quæ primaria ferè omnes sibi asseclas asciuerat, Aristotelicam dico, efficax oppugnatio) id in iis quæ de Religione instituuntur propositionibus, & eruendis corollariis familiarissimum est, quia cùm ad eam inueniendam nulla nisi humana fidei via tuta & trita sit, nec res sacræ, nisi priùs creditæ fuerint à nobis intelligantur, homines tamen amantes sui & ingenij viribus nimis confisi facilè detrectant animum fidei submittere, dúmque peruersè videre & intelligere volunt, quod non nisi fide capere possunt, superba pugnacitate contentionibúsque suis omnem ad lumen excipiendum; rerúmque diuinarum intelligentiam aditum sibi obstruunt. Non sic, non sic in Ecclesia Dei contendunt, aut altercantur Catholici, qui omnem captiuantes intellectum simpliciter credunt, & postea de creditis mira loquuntur ad exemplum Apostoli Doctoris Gentium, qui 2. Corinth. 4. dicit. Habentes eundem spiritum fidei, secundùm quod scriptum est. *Psal. 115. Credidi propter quod loquutus sum,* & nos credimus propter quod & loquimur. *Quid est,* eundem spiritum? *nisi quem iusti quoque illi habuerunt, qui ista dixerunt Prophetæ in Veteri Testamento, & Apostoli in Nouo: Hoc ergo vno & eodem spiritu professionem suam terminat Catholicus, & loquitur postea neminem extra suam fidem saluandum, quod vt palam fiat sequentes ventilo Quæstiones.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quod Religio vera est vnica.

HÆc Quæstio generaliter proponitur pro quocumque hominis statu, & maximè pro impiis, qui sacros Codices non norunt, aut admittunt, nec aliam authoritatem vim & robur, quàm ex natura petitam sentiunt.

PROPOSITIO CATHOLICA.

REligio vera vnica est, sicut vnus est Deus cuius cultum proprium seu latriam illa continet.

Probatur primò, contra eos qui Christianismum non profitentur. Quod ius est ex natura non ex hominum instituto & opinione, illud non est multiplex & varium, sed vnum & simplex. Sed religionis veræ ius, est ex natura non ex instituto hominum, igitur ius Religionis veræ non est multiplex, sed vnum. Maior sæpius proponitur à Tullio in lib. 1. de legibus & admittitur ab omnibus sapientibus, rectéque philosophantibus, quod enim ex vna natura, quatenus vna vniusque rationis est oritur & existit, vnde potest rationém multiplicem desumere? nonne quia omnium hominum vna est, & par, non dissimilis natura eius quoque naturæ, seu omnium hominum secundùm naturam consideratorum definitio vna est, seu ratio definita, non vaga, & multiplex! nonne ex eadem omnium hominum natura proprietates eædem exurgunt, & vt rem nostram propius attingam, nonne apud omnes iuris vtriusque peritos ius naturale in eo differt à iure gentium, & à iure ciuili, quòd ius gentium ex communi hominum ratione petitum aliquam ex ea parte diuersitatem fortè accipit: ciuile verò factitium, & ex hominum arbitrio pendens varium in variis Nationibus esse potest, cùm ius naturæ sit vnum in omnibus.

Minor verò qua ius religionis esse naturale, seu ex intimis naturæ humanæ visceribus petendum dicitur, ostenditur ex essentia ipsa religionis, & ex natura hominis. Religio, vt loquitur Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 81. *Ordinat hominem ad Deum.* Si quidem, vt ait Cicero. *Est iustitia hominis aduersus*, seu erga *Deum.* Cúmque Deus vt est verax fidem à nobis exigat, vt est potens & misericors seu beneuolus spem, vt est ipsa bonitas amorem, seu charitatem, ipse quoque à nobis meretur cultum quendam specialem & seruitutem, quæ latria vocatur, quatenus est Deus noster primum rerum omnium principium omnium bonorum nostrorum author & finis vltimus, seu salus nostra & beatitudo, & cum Sancto Thoma loquar. *Principium creationis & gubernationis.* Religio itaque est disciplina continens omnia officia iustitiæ hominis erga Deum, vt is est principium & finis hominis, seu disciplina colendi Deum, cultus ille consistit in impendendo ei *honorem*, quatenus est bonum in se absolutè excellentissimum, *& seruitutem*, quatenus respectum & comparationem habet cum homine ipsum dirigens & adiuuans ad finem consequendum.

Natura hominis consistit in ratione, quæ quia est aliquid diuinum, ideo diuino Numini est consecrata, eiúsque cultui mancipata. Cùm igitur ius religionis sit in vna humanæ naturæ ratione fundatum, & tota eius ratio, ac essentia ad vnum Deum, tanquam ad vnum terminum referatur, nonne quamcumque in partem, verteris illam & circumspexeris eam veram simplicemque agnosces.

Probatur secundò, quia cum religio det salutem homini, si quæ essent diuersæ religiones aptæ ad salutem hominibus tribuendam eæ vel essent diuersorum Deorum vel solius veri Dei: si diuersorum ij qui religioso cultu latriæ colerentur, essent vel boni vel mali, vel fictitij, vt plerique gentilium, si sunt fictitij eorum vana est vel nulla religio, si mali sunt, non sunt colendi; neque enim ab iis quidquam boni multóque minus beatitudo, ob quam religio quælibet suscipienda est expectari potest. Præterea si mali sunt, Deóque bono aduersarij non sine huius offensione & iniuria coli possunt. Si verò boni sunt, vel Angeli, vel homines grauiter & inuitè ferunt sibi diuinos honores tribui, quia si boni sunt Deum ex charitate diligunt, & eandem charitatem amant, & vt eam alij habeant expetunt, quosque ipsi diligunt, in amando, colendóque Deo socios habere volunt, non falsa superstitione delusos, aut quod peius esset, vanos adulatores. Cùm ergo bonis illis falsa, & quæ sine veri Dei iniuria deferri nequit religio, vel potius sacrilega superstitio non placeret, hæc eos non conciliaret suis cultoribus, nec consequenter esset vtilis ad salutem. Si verò Deus ipse verus diceretur coli multis illis religionibus, cùm quæ falsæ sunt nequeant placere ei, qui ipsa veritas est, ad summum id fieret, vt qui eas sectaretur, alioqui innocens & agens bona fide Deo miserante errorem agnosceret, seu instrueretur de religione vera, quam si ipse ne suam falsam relinqueret amplecti negligeret, iam tunc sacrilegus, & violatæ seu neglectæ religionis reus & impius haberetur. Hanc rationem habet Sanctus Augustinus Epist. 49. ad Deogratias in quæst 3. vbi probat vni creatori deberi seruitutem religionis, quæ latria dicitur; *Et perniciosissimum esse sacrificare dæmoniis, hoc est spirituali creaturæ iniquæ, quæ in hoc proximo & caliginoso cælo inhabitans, tanquam in aereo carcere suo predestinata est supplicio sempiterno*

Propositio probatur aduersùs eos qui diuinas Scripturas admittunt, & primò ex ipsamet Scriptura.

Ephes. 4. vnica est tantùm veritas. *Vna Fides, Vnum Baptisma, Vnus Deus, & Dominus omnium.* Ergo vna Religio. Tum ex symbolo credimus Ecclesiam non Ecclesias, & Christus loquens de institutione Ecclesiæ. Matth. 16. in singulari dicit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, licet ergo quandoque Scriptura nominet plures Ecclesias, sicut Apoc. 1. *Mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia*, & Paulus salutat *Ecclesiam, quæ est Corinthi.* Non tamen propter hoc sunt plures Ecclesiæ, licet sint plures Fidelium congregationes, quia omnes ad vnam vniuersalem congregationem

congregationem referuntur, súntque tantum diuersa membra eiusdem corporis, diuersi rami eiusdem radicis, plures filij eiusdem matris fœcundæ, plures riui eiusdem fontis, plures radij eiusdem solis per vniuersum orbem spargentis lumen suum. Deuteron. 12. quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino.

Probatur ex Sanctis Patribus, Augustino in allegata ratione, & in Psal. 101. *Non respondet vni, nisi vnitas ille Christus vnus est, Ecclesia vnitas.* Irenæo libro 1. capit. 3. *Licet loquelæ dissimiles sint in mundo, sed tamen vnitas est Traditionis, neque quæ in Germania fundata sunt Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque quæ in Iberia sunt, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque quæ in Lydia, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ, sed sicut Sol creatura Dei in vniuerso mundo, vnus & idem est, sic & lumen, & prædicatio veritatis vbique lucet.*

Probatur ratione, Deus volens homines ad seipsum per religionis veræ fidem reducere, modum conuenientiorem, & magis consonum sibiipsi & homini elegit: at nihil magis respondet Dei naturæ & hominis quæ singulariter vna est, quam fidei & religionis vnitas, vnde Ioan. 11. declaratur. *Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum* & Christus ipse capit. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & oportet me illas adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Illa reductio ad vnitatem in hoc mundo fit per vnitatem religionis & fidei. Ergo illa vnica est. Adde quod Deo seruimus & religionis officia impendimus ad petenda & obtinenda subsidia aduersùs communem naturæ humanæ fragilitatem imploranda, & remedia opportuna ad vincendas & suppeditandas miserias & afflictiones toti generi communes. Ideò ergo in vnitate religionis coadunati, seruire debemus communi omnium Deo & Domino.

Dices, nihil obstare quin homo ex dictamine ipso naturæ, Deum intelligens, ipsi seruiat, iuxta proprium conceptum & affectum. Ergo vnica religio non est absolutè necessaria.

Respondeo, scopum veræ religionis duplicem esse. Primum vt anima vni Deo, vnde se peccato separauerat reconciliatione liget, vt docet Augustinus libro de quantitate animæ. Secundum, vt homines ipsos religiosos seu cultores Dei charitatis & visibili aliquo signaculo connectat, vt idem Augustinus scribit, libro 19. aduersùs Faustum cap. 2. *In nullum enim*, ait, *nomen religionis verum vel falsum homines coagulari possunt, nisi aliquo visibilis signaculi consortio colligantur.* Quare Deo seruire debemus modo vniformi ab vna eadémque religionis forma præscripto, quomodo autem consociabuntur homines, & firma inter eos habebitur vnio in religionis diuersitate, quæ singulariter nata est, animos eorum in diuersa trahere rixas, confusiones & inimicitias inter ipsos generare, eásque immortales fouere, nec acrius aut crudelius bellum suscitauit vnquam hominis ad malum pronitas, quàm ipsa disparitas cultus, & differentia religionis vt luculenter probat historia temporum: ratio autem turbulentæ istius commotionis hæc est; nouit homo se à Deo esse, & natura instigante ad eum propendit & redire anhelat; reditus autem iste per solam religionem fieri communiter asseritur; vnusquisque autem religionem suam alteri cuiuis præfert, & perfectiorem arbitratur, & consequenter reliquas imperfectas, extraneas & reprobandas asserit, indéque asseclas & cultores eius nunquam perfecto & intimo corde diliget, quos in religione aduersarios habet, imò cordati & prudentes ægrè ferunt, vixque temperant ab odio eorum quos à Deo auersos & alienos credunt. Et hinc dissentiones & diuisiones vtrobique etiam in familiis.

QVÆSTIO II.

De notis veræ Fidei, & Religionis Christianæ conuenientibus.

Germanas veræ Religionis & fidei notas quatuor assignant, qui de religione scripserunt. Sanctitatem, Antiquitatem qua mundo ipsi, humanóque generi æqualis sit. Vniuersalitatem qua sexus omnis conditionis ætatúmque omnium homines complectatur, & demum miracula quæ perspicua & certa Dei per homines illos ministros & sequestres loquentis signa sint.

Quod enim notæ illæ certissimæ sint veræ religionis, ex eo constat, quia virtutum sanctitatisque morum merces est beatitudo, & ad promerendam Dei beneuolentiam, eiúsque effectum fœlicitatem assequendam morum probitas, & vitæ sanctitas sufficit, quare ea religio est salutis disciplina, & ad beatitudinem dux infallibilis, quæ sancta est, cuius videlicet præcepta sancta sunt, & nulla est pars sanctitatis, nullúmque officium cuius ea leges & instituta non præcipiat.

Quod autem veræ religioni Antiquitas illa, & vniuersalitas conuenire debeat, facilè intelliget, qui eam ad omnes homines saluandos, & consequenter cuiuslibet ætatis & conditionis pertinere intelliget.

Miracula denique, & quæ Dei peculiarem virtutem arguunt, ac operationem eius insolitam requirunt, cùm sint præter rerum & naturæ cursum facta, non aliam ob causam à Deo fiunt, quàm vt ea sint hominibus signa, quibus Deus vtitur ad dandum alicui veritati testimonium, & quod per homines illos dicitur verum esse testari se significat, quemadmodum etiam inter homines cum alicuius fides periclitatur iureiurando & inuocato sacrosancto Dei testimonio confirmatur: Nemo autem vnquam poterit dubitare, quin sermo testimonio & signo Dei confirmatus sit verissimus, si consuluerit sensum communem hominum, quorumlibet qui iurisiurandi & sacramenti religionem sunt semper maximè venerati; quia nimirum arbitrati sunt Deum periuriorum vindicem, & veritatis adeo amantem esse, vt non tantùm falsum dicere nequeat, sed nec

falsum

falsum dicenti mentientique pattocinari possit.

Iam verò quam sancta sit Christiana Religio, quàm castè, piè, iustè, & vt vno verbo dicam, religiosè viuant, qui omnes disciplinæ eius numeros explent, non est difficile cognitu, Sanctitas enim Græcè ἅγιος, id est, sine terra aut distans à terra; ideóque Deus nuncupatur Sanctus; quia actiones, cogitationes & iudicia eius longè distant, & quantum cælum à terra, vt dicit Scriptura, distant à viis & cogitationibus hominum, qui de terra existentes terram sapiunt, Doctrina fidei verè sancta est, cuius vnus is est scopus, vt homines à rerum vanarum studio, mundique huius illecebris abductos ad rerum cælestium amorem, Deique vnius cultum totos conuertat, vitando vitia quælibet & virtutes quascumque sectando, nihil impurum aut rectæ rationi repugnans hæc habet, aut præcipit. *Lex Domini immaculata*, ait Dauid, *conuertens animas.* Nihil admittit Deo iniuriosum, aut proximo, blasphemias, superstitiones, idololatrias detestatur, & impietates; quæcumque sanæ mentis iudicio conuenientia sunt proximo, hæc ei conferenda pro opportunitate, idque ex humanitatis & beneuolentiæ affectu palam, & publicè docet, concussiones, oppressiones, latrocinia, adulteria, homicidia, fornicationes, falsa testimonia, calumnias, detractiones, mendacia, & id genus vetat. Omniáque mala à cogitatione ipsa auertit, nec ad verba aut actiones vel minimas extendi permittit: Hincque Gentilium quibuslibet supereminet legibus, quæ interiorem non instituebant hominem, solam faciem, seu externam regulantes praxim; ipsámque Moysis præcellit legem, quæ etsi bona, neminem tamen ad perfectum adduxit. Illa homicidia vetabat, hæc vel minimas verbo tenus prohibet iniurias, illa actus obscænos reprobabat, hæc vel minima impudica desideria & intuitus concupiscentiæ, illa amicos diligendos dictabat, hæc & inimicos, illa rapinas & furta prohibebat, hæc autem ad subsidium proximi propria bona largiri suadet. Denique sanctitas legis Christianæ doctrinæque eius singularis perfectio luculenter probata existit, quod vnus is est eius scopus, vt Dei & proximi perfectum & consummatum inducat amorem: Quæcumque enim præscribit in his duobus terminantur mandatis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum sicut teipsum.* Adde pro sanctitatis Christianismi coronide, Christum filium Dei sanctitatis supremæ authorem hunc dictasse, & propagasse per seipsum & Legatos suos, quos Apostolos imitatores sui dixit.

Ea porrò lex Christiana tam antiqua est & vetus, quam vetus est fides in Christum, quem primis parentibus Saluatorem promissum, quotquot posteri eorum pietatem coluerunt, expectarunt, quem apud Iudæos prædixerunt Prophetæ, & quotquot Iudæis religiosa erant Ministeria, Sacramenta, Sacrificia, Cæremoniæ, aliáque venturum præfigurarunt, quemque venisse iam credimus, & in cælis regnantem adoramus.

Ea quoque Religio omnibus annuntianda, & ad salutem necessario amplectenda demandatur, quæ statim aliquo modo cœpit esse vniuersalis & Catholica: cùm adhuc paucos homines complexa Nationum omnium linguis Deum Christúmque Dominum celebrabat, & breui ita totum orbem occupauit, vt omnibus quæ vigebant superstitionibus sacrilegis labentibus ipsa sola tanquam veri Dei religio Catholica agnoscatur.

Quot denique quantis quamque manifestis miraculis fundata si fidem indubitatam faciunt temporum illorum historiæ: Christus enim mittens Apostolos prædicare legem Christianam, vbique terrarum. *Dedit eis potestatem super dæmonia, & vt langores curarent.* Luc. 4. Maximum autem miraculum reputat Augustinus, quod per duodecim plebeios obscuros, rudes, & illiteratos homunculos mundum ad Christianismum reduxerit. *Volens*, ait Augustinus, *Dominus superborum frangere ceruicem non quæsiuit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est oratorem & Imperatorem.* Sic verificatur quod Paul. 1. Cor. 2. dixit. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Hæreat hic Lector, amabo, & Iudaïsmi contradictiones Paganismi potentissimam oppositionem recogitet, & à Domino factam & introductam Euangelicam legem persentiet, quod sanè in omnium oculis mirabile est. Ex his omnibus arguo, & euidenter concludo Catholicam fidem veram esse. Huius sexdecim excellentias, vide apud Granadam in Catechismo.

QVÆSTIO III.

An quiuis in sua Fide & Religione saluari possit?

MAgna est hoc nostro æuo Religionum varietas, magna de vera Religione disceptatio. Multi hac in re perpetuo fluctuant, nec quidquam certi statuere possunt, ex vna in aliam Religionem, veluti domum experiundi causa transmigrantes, vt mentis tranquillitatem assequantur. Alij inconsulto vsu amplectuntur aliquam quam fors obtulerit sine examine, sine luce, qui dum rogantur, cur istam cæteris præferant, nihil aliud respondere possunt, nisi quod ipsis videatur melior (quod singuli de sua iactant) quia sequitur purum verbum Dei, & verbo hominum non fundatur, negotium tamen istud dignissimum est summa deliberatione & discussione, vtpote in quo totius salutis nostræ cardo versetur non parua res est æterna salus, & æterna damnatio, sed tanta cætera omnia, siue bona, siue mala, ad hæc sint instar nihili.

Hæc autem pendent ex bona vel mala Religione, si bonam Religionem habueris facilè tibi erit salutem consequi, si malam impossibile est te saluari. Per malam enim seu falsam Religionem Deo placere non potes, ac proinde, neque veniam peccatorum, neque veram iustitiam adipisci, neque vllo modo Redemptionis Christi particeps fieri. Itaque manes in morte & ira Dei super te manet. Omnes enim sine Christi redemptione & viuificatione manent in morte peccati & filij iræ, vt docet Paul. Roman. 3. & 4. Quicumque autem non

habet veram Religionem est, expers redemptionis & viuificationis Christi; quare necesse est illum manere in morte, esseque filium iræ, & pabulum ignis æterni.

Porrò vera Religio est vnica non multiplex, vt prima quæstione demonstraui, nec opus est iterare conuincentes rationes, quas vno verbo includit Paul. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, si nouerim Mysteria omnia si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, si tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* Quod potiori ratione dicendum est de fide & religione quæ charitatis & reliquarum virtutum fundamentum est; nam accedentem ad Deum oportet credere.

PROPOSITIO CATHOLICA.

Extra Christi fidem & Ecclesiam nulla salus.

Probatur ex Scriptura Ioan. 10. *Alias oues habet, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnus Pastor, & vnum ouile.* Matth. 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Isaias hoc prædixerat cap. 60. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Quod de Ecclesia per Christum fundata dici constat Ephes. 4. *Vnum corpus, & vnus spiritus, sicuti vocati estis in vna spe vocationis vestra.*

Probatur ex Sanctis Patribus, Irenæo, Augustino Psalm. 57. *In ventre Ecclesiæ veritas manet, quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit necesse est, vt falsa loquatur, necesse est, inquam, vt falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.* Cyprian. libro de vnitate Ecclesiæ. *Exemptio solius domus Raab à ruina Hierico docet nos non alibi quærendum refugium à generali totius orbis ruina nisi in domo vnica quæ est Ecclesia.* Hieronymus aduersùs Luciferian. idem dicit allegorizans Arcæ Mysterium. *Qui in Arca,* inquit, *non est inuentus periit in diluuio aquarum, quod terræ faciem inundauit, peribit etiam qui in Ecclesia inuentus non fuerit adueniente vltimo diluuio.* In dialogo aduersùs eosdem sicubi audieris eos qui dicuntur Christi non à Domino Iesu Christo, sed à quopiam alio nuncupari, vtputa Montanistas, Marcionistas, Valentinianos, Campenses scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Fulgentio de fide ad Petrum cap. 38. & 39. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites non solùm Paganos, sed etiam Iudæos, Hæreticos & Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam in ignem æternum ituros.*

Probatur Rationibus, Scriptura sacra à Deo dictata consequenter verissima passim testatur Christum esse Mediatorem & Saluatorem mundi, & credendum esse in eum, seruandaque eius mandata. At propositiones illæ falsæ & illusoriæ essent, si quilibet in sua fide saluandus foret.

Dices, Christum esse quidem Redemptorem nostrum, & omne bonum nobis prouenire ab ipso, tamen eius fidem non esse absolutè necessariam; sufficere enim vt credamus omne bonum nobis à benignitate Dei procedere, nec opus esse vt cognoscamus quibus mediis illud conferatur. Verum id Scripturæ repugnat, & rationi scripturæ; quia hæc apertè docet Christi Redemptionem nobis non applicari, nisi per fidem eius, ac proinde omnes qui carent fide Christi esse expertes iustificationis, manere sub peccato, esse filios iræ, & obnoxios damnationi. Rationi, quia vt efficiamur participes alicuius magni & insoliti beneficij omnis ratio postulat, vt cognoscamus beneficium & benefactorem, eúmque vt par est cum omni gratiarum actione honoremus: hanc enim gratitudinem ipsa conditio beneficij & benefactoris postulat. Itaque cum beneficium redemptionis sit inestimabile ex substantia rei ex modo quo collatum est, & ex infinita dignitate personæ conferentis, & indignitate peccatoris, cui collatum est operæ prætium erat hæc omnia a nobis cognosci, ne prorsus ingrati in tantum benefactorem viueremus & moreremur, neve pro amore odium, pro benedictione maledicta, pro gratitudine blasphemias ei more Iudæorum rependeremus.

Secunda ratio hæc est, si quilibet Gentilis, Turca, Iudæus, in sua fide saluari potest. Ergo frustra Apostoli, & Sancti Patres in fide Christi asserenda & stabilienda laborarunt, frustra tot Martyres per omnia tormentorum genera sanguinem pro ea profuderunt, poterant enim ab hac doctrina & professione, absque salutis dispendio abstinere & confessione vnius Dei cum Iudæis esse contenti. Addo ergo frustra Christus venit in mundum, miracula patrauit, crucifixus denique & mortuus est; nihil enim horum necessarium erat ad salutem, satis erat mittere per orbem Prædicatores, qui mortalibus persuaderent fidem vnius Dei: ratiocinatio hæc est Pauli ad Galat. 2. *Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Argumentum est ab impossibili, quasi dicat: Nemo tam vecors est, vt dicat Christum frustra tot & tanta passum ac mortuum: atqui hæc omnia passus & mortuus est pro iustitia nobis promerenda; ergo hæc iustitia non contingit nobis ex lege quæ Deum nouit & colit, sed prætetea requiritur fides Euangelica.

Politici putant propositionem de absoluta necessitate fidei in Christum iniuriosam esse diuinæ bonitati & Prouidentiæ, quæ cum homines ad beatitudinem tanquam finem vltimum eorum, propriúmque crearit magnam partem ab ea deficere permittat, & pauci sint fideles respectu multitudinis infidelium, adduntque incredibile videri Iudæos, Gentiles, & Turcas, quorum plurimi Deum piè colunt, & cum proximo iustitiam seruant perire eo solùm titulo quòd in Christum non crediderunt, cùm in hoc non videantur magnopere culpandi, eo quod ab ineunte ætate aliter instituti non fuerint. Et hinc concludunt satis esse ad salutem credere in Deum, & nemini iniuriam facere, id est honestè viuere. Nec verò dicas hunc finem esse homini ipsi supernaturalem, & consequenter non mirandum vehementer si ad hunc finem tam pauci aspirant & perueniunt: nam ex eo quod est supernaturalis

argui

argui tantùm potest eum acquiri non posse sine diuino auxilio indebito homini secundùm suam naturam consideratio. At si eius auxilij Deus non est homini debitor, potest tamen eius esse, vt ita dicam, debitor sibi ipsi, seu bonitati & prouidentiæ suæ, aut si id minus placet, quia debitum respicit alterum, nec quisquam ius in seipsum habere, aut sibi debitor esse potest, saltem decet Deum, vt quem creat non deserat, aut projiciat tanquam fœtum abortiuum.

Quis autem non accuset figulum, eiúsque autinertiam, aut negligentiam non redarguat, si ex ingenti numero vasorum pauca ad vsus destinatos apta perficiuntur, & reliqua sunt huiusmodi, vt non alteri vsui esse queant, quàm vt ex eorum confractorum testis cæmentum aut aliud quiduis fiat, & licet figulus, nec argillæ vasis efformationem, nec vasi inchoato efformationem absolutam debeat, nihilominus cùm ipse vasa efformare & fingere velit, accusatur merito, aut temeritatis, aut imprudentiæ, si volens sciensque magna ex parte in opere suo deficit ab intento. Quod si vasa imperfecta deberent esse misera, longè magis arguendus esset figulus. At homo si excidit à beatitudine, non tantùm beatus non est, sed etiam miserrimus, quare Dei prouidentia posset fortè crudelior, vel certè durior, minúsque benigna haberi, si quos homines ad beatitudinem creat, & nullo negotio adiuuare, & infallibiliter perducere potest, ab ea exulare, & in miseriam æternam ruere sinit.

Nec præterea dicas in hoc negotio intercedere liberum hominis saluandi damnandique arbitrium, quod non accidit in effictione vasorum quæ sponte è manibus figuli exilire non possunt nec etiam arti resistere. Dico enim ad eandem Dei prouidentiam pertinere videri, ita voluntatem hominis regere, sibique subditam & ad nutum obedientem facere, vt licet Dei gratiæ resistere possit, non velit tamen. Et quamquam ex hac hominis voluntate libera posset optimè confici non esse mirandum si aliqui damnentur, quia volunt, vix tamen ferri posse videtur, vt exceptis paucis reliqui omnes resistant gratiæ Dei, eius consilium irritum faciant, & Deo spectante permittentéque se in miseriam præcipitent, quamuis nihil aliud quam beati esse malint.

Hæc querela duas habet quæstiones. Primum, *an saluandorum numerus*, licet ex se innumerabilis ad comparationem tamen reprobatorum *sit exiguus*, ad quam

Respondeo, neminem id certius asserere posse, quam iudicem ipsum, & largitorem beatitudinis Christum, qui Electorum numerum *pusillum* vocat. Luc. 12. *Et multos vocatos, paucos verò electos.* Matth. 22. adeò vt paucitatem saluandorum præ turba damnandorum mirari se significet. Matth 7. *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa est, que ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta est via qua ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* & Luc. 13. *Ait illi quidam Domine, si pauci sunt qui saluantur, ipse autem dixit ad illos, contendite intrare per angustam portam, quia multi dico vobis quærent intrare, & non poterunt.* Idem asserit Isaias capit. 10. vers. 22. & cap. 24. vers. 13. Formidabilis est sententia Sancti Chrysostomi homilia 40. ad populum Antiochenum qui facilè erat centum millium hominum. *In ciuitate nostra*, inquit, *in tot millibus vix centum inueniri possunt qui saluantur, quia in iuuenibus magna est malitia in senibus torpor, &c.* & Sanctus Augustinus libro 4. contra Cresconium cap. 53. Ecclesiam comparat areæ tritici, in qua plures sunt paleæ quam grana, id est plures reprobi quam electi. Bonorum paucitatem agnouerunt Philosophi. Aristot. libro 1. Ethic. capit. 5. Diogenes in medio foro quærebat vel vnum qui vt hominem decet viuat, & inter Philosophos pauci rectè vixerunt; quia multi aberrarunt à vera fœlicitate, quæ ad virtutem colendam cognita supponitur, & multi aliter vixerunt quàm docuerunt.

Alteram quæstionem includit. *Quomodo stet cum bonitate Dei paruus ille saluandorum numerus*, ad quam

Respondeo primò cum Paulo ad Romanos 9. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.*

Respondeo secundò cum Augustino de prædestinatione Sanctorum capit. 9. *Hoc occultum esse voluit, quod tamen iniustum esse non potuit; fides enim per quam vera salus est nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit.*

Respondeo tertiò, per peccatum originale corruptam esse naturam hominis, & indignam factam beatitudine, vnde omnes iustè damnantur, si qui verò saluantur singularis est misericordiæ.

Respondeo quartò, primum finem Dei in homine condendo non esse actualem salutem hominum, sed gloriam ipsius; is autem glorificatur, si data omnibus hominibus virtute & possibilitate salutis volentes bonos remunerat, malos autem condemnat; sic enim prodit se Dei bonitas & illustrem se facit cùm ex suo se optimum, ex nostro autem se iustum præbet, vt Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 10. ait, Fateor quidem si Dei agentis & mundum condentis finis proprius esset ipsa salus hominis, posse fortè locum habere, quod de figulo attuli, quia agens deficere videtur cùm suum aut suæ actionis proprium finem non assequitur, nec is videtur posse satis prudenter permittere defectum, quo impediatur finis suus. At si agens alium aliquem finem habet, nullo modo vituperandus est, si cum potest non impedit defectum agentis inferioris, dummodo eum non procuret, si potissimum defectus est eiusmodi, vt eo non obstante agens ille princeps suum finem adhuc attingat. Ita deficit miles qui pugnans non debellat aduersarium, & si potest nec facit, culpandus est is qui alium finem proprium non habet: centurio quoque si suam turmam terga vertere permittit volens omninò peccat: at eosdem defectus

permittens Imperator non peccat, non tantùm si eius militis aut turmæ fuga vtitur, vt persequentes hostes obuolutos insequutus debellet: sed etiam si ea fuga non vsus nihilominus æquè benè victoriam quàm suum proprium finem habet refert.

His ergo sic elucidatis stat veritas. Neminem saluandum extra Christi fidem & religionem, consequenter alias quascumque esse falsas, & ad damnationem æternam protrahentes, idque ex ipsius fidei natura constat; hæc enim quæ exigitur est donum Dei & non priuato hominis subnixa iudicio qualis est ea quam homines in diuersis sectis sibi efformarunt seclusa Dei reuelatione.

QVÆSTIO IV.

An Fides de Christo pro hominibus mortuo & rediuiuo sufficiat ad salutem.

PLurimi præsertim ex plebe id satis esse existimant, modo ea quæ de Christo habentur in Symbolo Apostolorum credantur cætera putant adiaphora, & quemlibet de illis posse credere prout eis bona fide videtur credendum. Symbolum autem à quouis credi volunt iuxta sensum qui cuilibet videtur optimus.

Itaque statuunt quemlibet qui Christum confitetur saluari posse in fide sua, siue Papista, siue Lutherista, Caluinista, Anabaptista, &c. Omnes enim isti tenent idem caput quod est Christus, eidémque innituntur fundamento, consequenter à salute excidere non posse volunt licet in aliis dissentiant. Hinc aliqui Potentes, qui istis nouis Religionibus vtuntur ad stabiliendum & amplificandum imperium suum multùm laborant, vt ex Lutheranis & Caluinistis vnam conficiant Ecclesiam, & persuadere nituntur non esse discrimen notabile inter eos, nisi in nescio quibus apicibus & rebus adiaphoris.

PROPOSITIO CATHOLICA.

QVi dissentit pertinaciter ab Ecclesia Catholica, seu Romana in aliquo dogmate, & in articulo vel minimo quem proponit credendum non potest esse saluus.

Probatur ex Scriptura Roman. 10. *Fides est ex auditu.* & Galat. 1. *Sed licet nos aut Angelus de calo Euangelizet vobis præter quam quod euangelizamus vobis anathema sit,* Ad Titum 3. *Hominem hæreticum post vnam & secundam correptionem deuita sciens, quia subuersus est qui huiusmodi est & delinquit.* 1. Timoth 3. *Ecclesia Dei viui est columna, & firmamentum veritatis.* Ergo in omnibus audienda. Iacobi 2. *Qui peccat in vno factus est omnium reus.* Quod & de fidei præscriptis est intelligendum.

Si dixeris illum tantum esse hæreticum qui reijcit Christum, aut negat aliquid pertinens ad Symbolum. Instantia mox profertur hoc ineptè & imperitè dici: sic enim non esset hæreticus, qui vetus & nouum Testamentum è medio tolleret, diceretque illa esse conficta, vel humano spiritu conscripta, multisque scatere erroribus, non secus ac profanorum Authorum scripta. Non foret hæreticus, qui negaret infernum, vel pœnarum æternitatem. Qui dæmones omnes doceret aliquando saluandos, cùm nihil hisce de rebus habeatur in Symbolo. Non esset hæreticus qui vetaret nubere, & nuptias esse à diabolo diceret. Qui escas nonnullas sua natura statueret immundas, quos tamen inter hæreticos censet Apostolus 1. Timoth. 4. Non esset hæreticus, qui in Christo duplicem assereret personam, quem tamen hæreticum & Antichristum esse ait Ioannes Epistola prima, capite quarto. Non esset hæreticus qui negaret Baptismum, & omnia Sacramenta: Denique ij quos à quindecim sæculis Ecclesia hæreticos habuit & reprobauit falso à tota antiquitate insimulati essent hæreseos. Si dixeris Symbolum debere credi in vero sensu, iam damnas sectas huius temporis, quarum nulla est, quæ omnes Symboli Articulos credat eo sensu quo Catholici, aut in Symboli explicatione non discrepet ab alia, vnde cum non sit nisi vnica veritas, necesse est omnes Sectas huius temporis, præter vnam à veritate aberrare, ac proinde non sufficere ad salutem.

Quod autem multum discrepent in Symboli sensu patet.

Articulum, *Et in Iesum Christum Filium eius vnicum*, aliter exponunt Ariani, Tritheitæ, & multi Caluinistæ, qui Filium Patre minorem statuunt, aliter Lutherani, & Catholici, qui æqualem, & consubstantialem.

Articulum *de descensu ad inferos*, aliter intelligunt Caluinistæ, qui putant ibi significari Christum sustinuisse tormenta damnatorum, dubitasse de salute sua, & timuisse ne ab æterna morte absorberetur, aliter Catholici & Lutherani, qui talem expositionem non sensum articuli, sed Caluini blasphemiam esse dicunt.

Articulum *De ascensu Christi ad celos.* aliter intelligunt Lutherani, Vbiquistæ, qui Christi corpus ponunt vbique, & omnibus locis esse præsens, sicut vbique præsens est eius diuinitas: aliter Caluinistæ, & Catholici, qui non dubitant per huiusmodi expositionem totum penè Symbolum euerti, Christique Incarnationem, Mortem, Ascensum, Aduentum ad iudicium tolli.

Articulum, *De iudicandis viuis, & mortuis.* Catholici de remuneratione bonorum operum exponunt, quod Lutherani, & Caluinistæ negant; quia solius fidei tunc

rationem

rationem habendam esse dicunt.

Articulum *de Spiritu-Sancto*, aliter intelligunt Catholici & Lutherani, aliter Arriani, & multi Caluinistæ.

Articulum *De Ecclesia*, Lutherani, & Caluinistæ intelligunt de congregatione inuisibili prædestinatorum: Catholici de congregatione visibili Catholicorum, in qua multi sunt prædestinati, multi reprobi.

Articulum *de remissione peccatorum*. Lutherani & Caluinistæ explicant de sola non imputatione non agnoscentes vllam renouationem per iustitiam inhærentem & dona infusa, quomodo Catholici peccata remitti statuunt.

Ex his patet quanta sit discrepantia in ipso Symboli intellectu. Itaque cum non sit nisi vna veritas quam apud Ecclesiam Catholicam, seu Romanam esse demonstrauimus necesse est reliquas Sectas falsam Symboli doctrinam, & fidem tenere, quæ proinde damnet potiùs quam salutem conferat. Hæc adiungenda fuere probationi Conclusionis ex Scriptura.

Probatur ex Sanctis Patribus, Irenæo libro tertio, capite quarto. *Si de aliqua modica quæstione disputatio orta fuerit, nonne oportet in antiquissimas recurrere Ecclesias & ab eis sumere de præsenti quæstione, quod certum & liquidum est?* Tertullianus libro de præscript. capite vigesimo primo *Quid prædicauerint Apostoli? Quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam non aliter prædicari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt, si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, & matricibus & originalibus fide conspiret veritati deputandam, reliquam verò omnem de mendacio præiudicandam.* Et capite trigesimo primo. *Ex ipso ordine monstratur id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum, id autem extraneum esse, & falsum, quod sit posterius immissum.* Origenes homilia in Matthæum 19. *Hæreticus habendus est omnis ille qui Christo quidem se credere profitetur, aliud tamen de fidei veritate credit, quam habeat definitio Traditionis Ecclesiæ.* Hieronymus Epistola ad Pammachium, & Oceanum. *Quisquis assertor es nouorum dogmatum, quæso te, vt parcas humanis auribus, parcas fidei quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos dicamus nos Sectariis recentioribus. Cur post mille quingentos annos, ô Luthere, ô Caluine, &c. docere nos niteris quod ante nesciuimus! vsque in hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus fuit.* Contra licentiam interpretandi Symbolum ex priuato sensu.

Ambrosius in Psalm. 5. *Qui malè intelligit Scripturas in via Dei corruit.* Hilarius libro ad Constant. August. *Scripturæ non consistunt in littera, sed in sensu.* Hieronymus in Epistolam ad Galatas lib. primo & tertio. *Praua interpretatione de Christi Euangelio hominis facimus Euangelium, imò quod peius est Euangelium diaboli.* Et super Epistolam Ephesiorum libro primo. *Non putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.*

Ex his, & prænotatis abundè in decimo-quarto Articulo Professionis, qui est de Scriptura satis constat non licere Articulos Symboli alieno ab Ecclesia sensu interpretari; quia iudicium priuatum fallax est, & altissima profunditas Scripturæ soli Ecclesiæ Catholicæ peruia.

Probatur Ratione; nam sententia quæ requirit tantùm fidem in Christum ad consequendam salutem, vel intelligitur de fide in eum confusè credendo, licet in particulari præcipua Mysteria de Christo non credantur hoc autem falsum est, quia alioqui omnes hæretici possent saluari, vt Arriani, Donatistæ, Pelagiani, & similes alij: omnes enim vt minimum confusè credunt in Christum. At consequens est contra Euangelium, in quo zizania iubentur alligari in fasciculos ad comburendum; Hæretici autem sunt zizania: *Quia imitatores diabolicæ falsitatis*, ait Sanctus Augustinus quæstione vndecima in Matthæum, Chrysostomus, & Euthymius dicunt. *Quia fideles à fundamentis suffocant, & euertunt.*

Secundò, si credendo confusè in Christum Redemptorem saluari possunt quilibet, quid necesse erat, éstque quotidie tot lites & controuersias inter discrepantes hominum congregationes excitare, aut cur Lutherani excluderent Catholicos & Caluinistas, & hi vicissim illos, si enim fides in Christum saluat, maneat quisque in sua fide, cessent persequutiones & anathemata seruetur pax & tranquillitas. Hoc autem non fit, vel intelligitur de fide expressa omnium Mysteriorum in Symbolo consignatorum. At in Symbolo proponitur Ecclesia S. Apostolica & Catholica, proponitur, & Sanctorum Communio, qui duo Articuli supponunt consonantiam quorumlibet fidelium ad fidem ipsius Ecclesiæ, vnde qui saluari prætendit, in vim fidei debet esse paratus credere in particulari, quicquid ab Ecclesia credendum proponitur. Nec habere vllum errorem fidei contrarium.

Hinc ita concludo: illi non possunt saluari in sua fide, qui neque explicitè credunt duodecim Articulos Symboli, iuxta legitimum sensum, neque parati sunt alios credere, qui ab Ecclesia credendi proponuntur, neque deponunt errores veræ fidei contrarios, neque seruant mandata Dei. At Lutherani & Caluinistæ, & alij Nouatores sunt tales. Ergo in sua fide saluari non possunt. Minorem probo per singulas partes. Primò, vt taceam de aliis Articulis non credunt hunc *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Secundò, nec parati sunt alios credere qui à Sancta Ecclesia credendi proponuntur, imò parati potius Ecclesiam calumniari, quasi à vera fide defecerit, & adultera facta sit. Tertiò, neque deserunt errores veræ fidei & Articulis 38. explicatis contrarios. Denique tantum abest, vt seruent præcepto Decalogi, vt etiam doceant seruari non posse,

in quo partim suæ malitiæ prætextum quærunt, partim accusant Deum qui impossibile à nobis exigat.

Dices, qui tenet fundamentum fidei saluari potest. At Christus est fundamentum fidei, teste Apostolo 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est Christus Iesus.* Ergo qui tenet hoc fundamentum, id est, qui credit in Christum saluari potest. Iam verò Catholici, Lutherani, Caluinistæ, &c. credunt in Christum. Ergo saluari possunt.

Respondeo Christum esse fundamentum fundamentorum, vt ait Augustin. in Psal. 86 quod scilicet seipso consistit, omnia sustinet, etiam Petrum, quem Christus secundarium effecit fundamentum, quia fides eius est indefectibilis, & errorem docere non potest, sed alios in fide vera confirmat, quare, vt perfecta fide adhæreamus Christo, debemus, & in fidem Petri consentire. Ita Sanctus Thomas, & passim Doctores Catholici, consequenter fidem Romanam tenere. Nec sufficit confusè credere in Christum Redemptorem; nam si hoc loco proponitur diuinitas Christi, vt fundamentum fidei, sicut & Rom. 1. explicat Paulus, *Qui prædestinatus est filius Dei.* Exprimit alibi alios Articulos expressè credendos, humanitatem Galat. 4. vers. 4. Passionem 1. Corinth. 1. versu 23. mortem, sepulturam & resurrectionem ibidem cap. 15. vers. 3. & v. 14. Ascensionem Ephes. 4. v. 8. Sessionem ad dexteram Dei Patris. Colos. 3. v. 1. & alios, quos sigillatim complexus est Athanasius in Symbolo, qui ita concludit. *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit saluus esse non poterit.*

FINIS PROFESSIONIS FIDEI.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM Quæ in hoc Tractatu discussæ habentur.

Sub verbis, *Apostolicas Traditiones.*

Sub verbis, *Reliquásque eiusdem Ecclesiæ Obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector.*

EXPOSITIO ORATIONIS. *Dominicæ.*

DE SALVTATIONE *Angelica.*

Sub

Sub verbis, *Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto.*

Sub verbis, *Profiteor quoque septem esse Sacramenta verè & propriè nouæ Legis.*

Sub verbis, *A Christo Domino nostro instituta.*

Sub verbis, *Atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria.*

Sub verbis, *Illáque gratiam conferre.*

Sub Articulo, *De Sacramento Baptismi.*

Sub Articulo, *De Sacramento Confirmationis.*

Sub Articulo, *De Sacramento Eucharistiæ.*

PROPOSITIO ECCLESIÆ Latinæ.

De

Quid

Sub verbis, *Fateor ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verùmque Sacramentum contineri.*

DE LEGE DIVINA, ſeu Decalogo.

DE PRÆCEPTIS Eccleſiæ.

DE LEGE IN GENERE, & in ſpeciali.

Sub verbis, *Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animáſque ibi detentas fidelium ſuffragiis iuuari.*

Sub verbis, *Similiter & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes venerandos.*



FINIS.

